IOHANN. LOCCENII

Historia Suecanæ & Antiqu

1676

-pc 33894/B 3/6

C.H.P. S.E. G


E/2

1340

300



Carolus . XI . Rex Sueciæ


IN
POTENTISSIMI ET SERENISSIMI
PRINCIPIS AC REGIS
CAROLI XI
REGIS SVECIÆ &c.
Regis et Domini noſtri Clementiſſimi,
EFFIGIEM,
cum Voto pro Regni imperii
publica proſperitate.
Tale os REX SVEONUM CAROLUS faciemq; benignam
Incinctus lauru tempora ſacra gerit;
Ingenuus vultus, frons pulchraque, pectoris index
Illius eſt, quod ibi pulchrior hoſpes habet:
Nempe animus verè qui auguſtus, Regia virtus
In Regni Patrio nata ſedere loco.
Te Numen ſervet, cujus Te munus habemus,
Imperiumque beet proſperitate Tuum,
Sive tonet Martis fulmen, ſileatve quietis
Tempore, Te incolumem protegat usque Deus.
Nominis haud hæres ſolum, ſed laudis avitæ
Et patriæ, Heroum conſpicuumque genus.
Sis generis tanti, REX o CAROLE incrementum
Maximus atq; annis, non meritisque minor.
R.æ M.ti
devotiſſimus
Johannes Loccenius.

JOHANNIS LOCCENII 87661.

HISTORIÆ SVECANÆ,

A primo REGE SVECIÆ usqve ad

CAROLUM XI.

REGEM SVECIÆ,

deductæ,

LIBRI NOVEM,

Secundâ Editione multò auctiores & emendatiores.

Accedunt

ANTIQVITATUM SVEO-GOTHICARUM,

cum hodiernis inſtitutis comparatarum,

LIBRI TRES

locupletiores,

eodem AUCTORE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Impenſis Viduæ & Hæredum JOACHIMI WILDII.

ANNO M. DC. LXXVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO CAROLO XI.

SVECORUM, GOTHORUM ET VANDALORUM REGI ET PRINCIPI HÆREDITARIO, PRINCIPI FINLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI-POMERANIÆ, CASSUBIÆ ET VENDIÆ, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ, UT ET COMITI PALATINO AD RHENUM, IN BAVARIA, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI ETC.

REGI ET DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Rex & Domine Clementiſſime.

ILla Clementia, qvâ R.a T.a M.tas ante duodecim annos Hiſtoriam Regum Sveciæ, à me concinnatam, & R.æ T.æ M.ti humilimè dedicatam, acceperat, animum mihi nunc addit, ut eandem Hiſtoriam, in hac iteratâ & luculentiori editione, R.æ T.æ M.ti denuò & ſubmiſſè repræſentare auſus ſim. Etenim, præter alias Regias Virtutes, M.tas T.a Sibi qvoqve Clementiam velut hæreditariam & propriam fecit. Eqvidem qvoties M.tis T.æ Domini Parentis memoria mihi recurrit, illius Herois Regiam Clementiam, qvâ hanc meam Hiſtoriam non minus, atqve ejus ſcriptorem amplexus eſt, non poſſum non devotisſimâ animi mente agnoſcere & deprædicare. Qvippe præter alias hiſtorias, ab E-

jus

jus Majeſtate glorioſiſſimæ recordationis domi & in pace ſedulò perlectas, etiam in expeditione militari contra Polonos, tunc Suos & regni Sui hoſtes, Hiſtoriam meam primæ editionis Secum in comitatum adſciſcere, & qvando aliqvid vacui temporis ab arduis militiæ negotiis Ejus M.ti datum eſt, illud volumen lectione dignari, tanto faſtigio non indignum duxit. Hoc Paternum exemplum R.a T.a M.tas jam à teneris, inprimis tamen maturis annis, laudabiliter imitata eſt: dum poſt Verbi cœleſtis ac divini amorem, externæ, & præcipuè patriæ Hiſtoriæ ſtudium Sibi curæ habuit; non tam auctorum, qvàm rerum geſtarum, qvas deſcribunt, æſtimatione & fructu. Qvod inſignis hiſtoricus Salluſtius de priſcis Rom. heroibus ſcribit, ſæpe ſe audiviſſe, Q. Maximum, Publ. Scipionem, & præterea Civitatis Romanæ præclaros viros ſolitos ita dicere: *Cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi*; idem de R.a T.a

M.te adfirmare meritò licet. Qvum M.tas T.a Majorum Suorum, inprimis Dn. Parentis Sui imaginem vel oculis intuita eſt, vel res Ejus tam fortiter qvàm feliciter geſtas, & æternitati conſecratas, cogitatione complexa & admirata eſt, M.tis T.æ animum, excelſis & ſummis rebus deſtinatum, ad virtutem maximè inflammatum fuiſſe conſtat. Illud enim non otii, non voluptatis & turpium cupiditatum illecebris, ſed exercitationibus togatis & militaribus, vero Rege dignis, jam in ipſo ætatis flore M.tas T.a abundè teſtatum fecit. Qvod, poſtqvam regni imperio potita eſt, in poſterum Regiis & heroicis factis, cum æternâ nominis ſui gloriâ, comprobabit. Ad qvæ R.æ T.æ M.ti longam ætatem, conſtantem valetudinem, bona & cordata conſilia, omnemqve proſperitatem à DEO ſupplex precor.

R.æ T.æ M.ti

Upſaliæ d. XXVIII. Octobr. A. M. DC.LXXIV.

Subjectisſimus

JOHANNES LOCCENIUS.

PRÆFATIO

Lectori Benevolo

S. P.

HIſtoriam Sveticam hactenus à non uno in lucem emiſſam accuratius inſpicienti, & aliis manuſcriptis ac nondum editis patriæ annalibus componenti liqvidò patebit, qvædam adhuc in ea deſiderari. Qvod non ita à qvoqvam acceptum iri ſpero, qvaſi priorum illius hiſtoriæ Scriptorum auctoritati qvidqvam detractum eam; ſed qvod nemo mortalium natus eſt, aut in poſterum naſcetur, qvi ſolus omnia videre poſſit, nemo hiſtoricorum, qvi non aliis etiam qvædam, ſibi non cognita prius aut obſervata, poſt ſe relinqvat memoranda: præſertim ſi pauca perſpectæ fidei documenta, qvæ ſeqveretur, habuerit. Qvod Ericus Upſalienſis etſi incultæ pro iſto ævo qvo ſcribebat dictionis, ac temporum & ordinis non ſemper obſervans, non tam ſuâ, qvàm eorum, qvos ſeqvutus eſt, culpâ; tamen incorruptus & fidus patriæ rerum, ſuæ præſertim ætati propiorum, ſcriptor ſatis adfirmat; nec iſtius rei cauſas disſimulat. Pleriſq; enim majorum bello diſtrictis, paucisſimos fuiſſe fatetur, qvi, qvo par erat labore & induſtria, res in patria geſtas memoriæ conſecrarent. Si qvæ verò ſcripta ad poſterorum manus perveniſſent, non pari fide, qva literis mandata erant, ab o-

mnibus

mnibus adſervata fuiſſe: qvibusdam otio, voluptati & genio indulgentibus, pluribus alii cuicunqve negotio, qvam literarum & ingeniorum cultui deditis: atqve ſic cum blattis & tineis certantes annales, adverſus ævi injuriam ſtare non potuiſſe. Acceſſit & hoc cum annis malum, ut diviſis olim inteſtinâ diſſenſione populis eorumqve imperiis, modò hic, modò ille rerum potiretur; inſtabili tamen ſede, inclinantibus ſubinde in has aut illas partes animis. Unde ſcriptori fuit arduum, vagâ & incertâ regni adminiſtratione, continuam & certam rerum commemorationem ad poſteritatem transmittere. Deniqve exſtincto ſangvine regio in patria orto, aut rempub. miſcente diſcordia, extraneos regno admotos fuiſſe teſtatur: qvibus ſi malus animus eſſet, ut nomen Sveticum, qvantum in ipſis erat, à ſtirpe delerent, annales patriæ veteres vel ſuppresſiſſe, vel extra regnum deportatos ſitu & tenebris damnaſſe, ne unqvam lucem adſpicerent. Hoc qvod hiſtoricus candidè profitetur, ipſa re comperi, poſtqvam annales regni hujus, qvotqvot adhuc exſtant, replicare cæpi. Qvæ enim ante Chriſtianos Svetiæ Reges geſta legimus, non per omnia fidem omni exceptione majorem, aut temporum rationi ubiqve conſentaneam ſeriem habere, non ego ſolùm, ſed alii ante me dudum cognoverunt, idqve res ipſa ſatis loqvitur. Qvamvis nec in ſeqventium temporum geſtis omnia ſuis partibus planè abſoluta exſtent; liqvidiorem tamen & auctiorem rerum memoriam in hiſce, qvum prioribus apud Svetiæ annalium condito-

res imprimis ſcriptos, & nonnullos rerum Norvegicarum ſcriptores veteres nondum editos, ubi rerum Svecicarum mentionem ex occaſione adferunt, invenire licet. Proinde in prima hiſtorici mei operis editione à primo Chriſtiano Sveciæ Rege Berone tertio initium facere, & per ſubſeqventes ordine deinceps ire viſum eſt. Eqvidem ſi nihil aliud, vel hoc ſatis ad edenda iſtæc cauſæ eſſe videbatur, qvod ex dictis Codicibus ſcriptis & veteribus aliorum annalibus non pauca ſupplebantur loca, qvæ hactenus integræ hiſtoriæ deerant, aut non ſatis ſana, emendatione qvadam ex iisdem egebant. Ea verò qvum in publicum data non diſplicuiſſent lectoribus, etiam illuſtribus, auctores mihi fuerunt integræ Sveonum hiſtoriæ in poſterum edendæ. Sed qvum huic rei difficultatem ejusqve cauſas antea allatas reponerem, præſtare tamen exiſtimabant, univerſam Sveciæ hiſtoriam, qvalis haberi poſſet, qvàm ex parte ſcribere, non meâ, ſed eorum, qvos ſeqverer, fide. Illorum auctoritas & maximè publicæ utilitatis cura tanti apud me fuit, ut nullum laborem ſubterfugiens, ſuperiorum temporum res attexerem poſterioribus. Qvæ verò Johannes Magnus & alii prolixè, ego plerumqve ſtrictim enarravi, lectorem ad illos, qvoties opus fuerit, remittens. Veterum autem Gothorum, extra patriam ſuam olim degentium, res ab illo & aliis jam copiosè deſcriptas, hîc intactas relinqvere placuit, ne actum agerem. Qvæ autem in hi-

 ſtoria

ſtoria Sveonum ab illo vel leviter attacta, vel prorſus præterita ſunt, ea, ſi memoriâ poſteritatis digna viderentur, ex aliis ſcriptis Sveticis annalibus & monumentis aliqvanto prolixius expoſui. Deniqve ubi ille ſubſtitit & finem hiſtoriæ ſuæ fecit, ego illam ex multorum deſiderio, continuare, atqve ad Regis CAROLI GUSTAVI obitum perducere volui. Licet autem Sveticorum Regum ac virorum, inprimis heroum facta dictis exæqvare, in meis viribus non eſſe lubens fatear, nec calamiſtris eadem præſertim in hiſtoriâ inuri, qvæ per ſe ſatis illuſtria & ornata ſunt, neceſſe eſſe duxerim: memor non oſtentationi, ſed veritati hiſtoriam componendam eſſe; tamen dilucidè & purè, qvantum potui, præcipuas eorum res geſtas, nec perfunctoriè conſignavi. minuta verò vel prorſus prætevii, vel attigi ſolum: ne opus in nimiam molem excreſceret. Omnia tamen ex fide commemorare pro viribus laboravi. Niſi enim veritas, hîc mihi ex Archivo regni Sveciæ & fide dignis actis, atqve ab illis qvi in re præſenti, recentioris præſertim memoriæ fuerunt, ſuppeditatis, lucem prætuliſſet, nunqvam hunc laborem aggreſſus fuiſſem. Si verò diverſum interdum ab aliis ſentiam, non obtrectandi ſtudio, ſed ſolius veritatis amore feci. Non tamen mihi ſatis fuit, Archivum & dicta Acta, qvamvis eximio mihi uſui fuerint, & patrios conſulere annales; ſed etiam exoticos & adverſariæ partis ſcriptores, ubi Sveonum qvoqve res ex occaſi-

one

one memorant, eo, qvo fas erat, judicio perlegi. Sed inficias ire non poſſum, me à qvibusdam illorum, qvos bona fide eſſe credebam, deceptum fuiſſe; uti poſtea cum aliis, qvos antea non videram, accuratius confe- rendo, deprehendi. Etenim in prioris editionis præ- fatione profeſſus ſum, & adhuc profiteor, me, ſi me- liora ab aliis absqve inſectandi ſtudio doceri poſſem, li- benter accepturum, & accepi à qvibuscunqve. Errores enim meos, ut homo, agnoſco, atqve in hac iterata editione, qvantum poſſum, emendo. in me verò incle- mentius dictis, ut Chriſtianus, ignoſco, à contentioni- bus abhorrens. Nec inanem gloriam moror, à qvâ qvàm alienus ſim, illi ſciunt, qvi me nôrunt. Honeſta tamen clarorum virorum teſtimonia ac hiſtoriæ prudentium judicia non duxi ſpernenda eſſe; licet ab illis nunqvam expetiverim. Ut alia nunc prætercam, qvæ in editis eorum ſcriptis occurrunt honorifica, unicum dunta- xat clarisſimi Viri ſubjungam, qvod in ſuis ad me datis literis perſcripſit.

JOH. FRIDERICUS GRONOVIUS
JOHANNI LOCCENIO
S. P. D.

HIſtoriæ Sveticæ magnificum munus obviis ulnis excepi, & in eo tuam curioſam induſtriam, gravia judicia, uberem dicendi facultatem miratus ſum. DEUS Opt. Max. hanc viridem & vegetam ſenectutem, qvâ tam eleganter atqve utiliter uteris, longum, etiam tibi affluentibus & jucundis in rebus, producat. Lugduni in Batavis a.d. prid. Cal. Sept. A. cIↄ Iↄc LXIII.

QVUM
CAROLUS XI. REX SVECIÆ
imperio potiretur, commune Votum.

QVis non imperio CAROLI FELICITER optet?
Publica nam Regis nixa ſalute ſalus.

Anno 1672.
18. Septemb.

IN EJUSDEM REGIS INAUGURATIONEM,
Upſaliæ ſolenniter
celebratam a. d. 28. Septemb. A. 1675.

NUnc optata dies illuxit lumine fauſto,
Qva Regale Caput CAROLI præcingitur auro,
Unanimi Sveonum voto plauſuqve ſecundo.
Ille eqvidem Princeps jam tunc puerile per ævum,
Non pueri, ſed Regis erant, qvæcunqve patrabat.
A teneris placet ipſe labor; cavet otia luxu
Ne molli pereant. Plus hîc, qvam cura magiſtri,
Ingenium valuit Regis, qvo proficit armis,
Et pugnæ armatas partes committere novit:
Ut ſi qvando rei ſumma hunc depoſcat ad arma,
Hæc habeant factum ductorem pace domiqve.
Inde per antiqvos delectat pergere Faſtos,
Ac per majorum rebus monumenta ſacrata,

Qvæ Regi verè memorent bene geſta priorum,
Acta olim Romæ victriciaqve arma Gothorum,
GUSTAVOS, CAROLOS horumqve heroica facta,
Qvalia Rex animo magno, haud minus æmulus, auſit.
   Imperium ſumens, agit alto hoc culmine digna,
Nil metuit, ſervans recti juſtiqve vigorem;
Nil odit, fuerit ſceleris niſi labe notatum.
Sic patrias regni leges cuſtodit, ut inde
Civibus haud deſes conſtet reverentia juris.
Si populi mores ſveſcant in perdita ſolvi
Juſtitia ipſa reos æqvat diſcrimine nullo:
Sed ſi recta boni cives & honeſta ſeqvantur,
Perfugium populi Rex eſt columenqve fidele.
   Inſigne hoc Capitis vere Regale decusqve
Eximio eſto bono patriæ, longumqve per ævum!
QVI DEDIT HOS REGI DOMINUS SERVABIT HONORES;
Dum colit ille Deum Regum rerumqve potentem.
Sed qvæ parta Dei per Chriſtum munere tandem,
Summa CORONA novum Regem MANET ULTIMA COELI.

JOHAN-

CUM DEO!

JOHANNIS LOCCENII

HISTORIÆ SVETICARUM RERUM

LIB. I.

ERICUS I.

QVæ de origine, ſitu & ſtatu regni Sveonum Gothorumqve hic præmitti poterant, ea partim alii rerum Sveticarum ſcriptores, hiſtoriam ſuam orſi, partim ego, qvantum ex antiqvorum monumentorum auctorumqve ductu & veſtigiis indagare licuit, in Antiqvitatibus Sveo-Gothicis atqve alibi explicare conatus ſum. Veteres annalium Sveticorum ſcriptores, etiamſi de primordiis aut primis Regibus Svetiæ non ſatis ſibi conſtent, in eo tamen conveniunt, ipſo Johanne Gotho teſte, Ericum, ex qva familiâ, incertum, â populo creatum, Principem Sveonum Gothorumqve primum fuiſſe. Ille cives volentes & obſeqventes æqvo jure, prudenti & pacato imperio rexit, patriamqve ad illum felicitatis gradum extulit: ut, qvantum humanâ curâ provideri, induſtriâqve effici poterat, ſtatus patriæ ab offenſionibus majoribus liber & ſalvus conſervaretur. Eundem Scaniam & Cimbricas inſulas Gothis colonis impleviſſe, â nonnullis traditur, de qvo tamen ſunt qvi dubitant. Ipſe verò in tranqvilla ſenectute, placidum vitæ finem adeptus eſt. Nec plura de eo in annalibus Sveticis; niſi qvod, iſtius ſeculi more, priſci ejus laudes patrio carmine decantarunt, poſteriſqve tradiderunt: ut vel hoc modo grati cive

principis ſui memoriam, qvantum in ipſis erat, ab oblivione & interitu vindicarent. Laudata enim virtus ac literarum luce illuſtrata, etiam poſt mortem auctoris vixit.

ALII QVIDAM REGES VEL PRINCIPES

obſcuri nominis, & præter eos Gylfo.

Poſt obitum Erici, Sveonum gente â Gothis per diſcordiam civilem diviſâ, ut perhibet Joh. Magnus, interim Uddonem, Alonem, Othenum, Carolum, Biörnonem, & Getharum rerum in Gothia potitos eſſe, idem memoriæ prodit. Iſtorum ſola nomina in dicto ſcriptore exſtant. Præter hos & forſan alios, qvos obſcura fama tegit, Gylfonis mentio in antiqvis Sveciæ Norvegiæqve annalibus & alibi fit: ubi Rex Sveciæ ille dicitur. Ejus genus â Fernioto rege Finnoniæ, tanqvam illius abavo, nonnulli deducunt. qvod ſi verum eſt, vel inde qvodammodo firmare ſit propaginem gentis Scythicæ in Finnoniam, & ex Scythis Getarum aut Gothorum in Svetiam. In ſeqventibus autem viſum eſt, tenere potius veterum Svetiæ annalium â Meſſenio editorum ordinem, qvem etiam confirmat chronicon Norvegicum Sturleſonii, qvàm aliorum qvorundam, non ſatis hic diſtinctum & liqvidum.

OTHINUS vel ODINUS PRISCUS.

Ex Aſia, ut creditur, in Arctoas oras acceſſurus, ſoli Svetici fertilitate allectus, cum Gylfone fœdus iniviſſe dicitur. Qvippe inſigni rerum magicarum peritiâ ſingularem ſui admirationem & divinioris cujusdam ſapientiæ exiſtimationem non ſolùm apud populum, ſed ipſum imperii principem ſibi peperit; ita ut â morte ejus ſucceſſione qvoqve dignus videretur. Upſaliæ aliqvamdiu habitavit, loci amœnitate delectatus & ſimplicitate civium, ſuperſtitioni, uti tunc tempora erant, deditorum, eòqve ad obſeqvium allici facilium. Poſtea tamen propriam ſibi ſedem ad lacum Melerum, olim *Logen* appellatum, in *Odenſala* ab ipſo ſic dicta propè Sigtunam elegit, qvam urbem, â filio ſuo Sigo ita nominatam, condidiſſe fertur. Ibidem exſtructo templo ſacra pagana & idolorum cultum latius per Svetiam propagavit. De ſacrorum & funerum ſolennibus ac ritu, leges & ſtatuta condidit. Ad inſtituta ſuæ gentis, unde profectus erat, hujus regni ſtatum componere animo decreverat. Qvi ſacris præeſſent & ſimul Reipub. principes XII. *Diar* & *Drotnar* dictos, conſtituit, minus invidioſo *Judicum* nomine alioqvin appellatos. Qvæ ad pacis bellorumve felicitatem ſuis artibus provehendam, ac ſuis poſteris imperium ſtabiliendum facerent, ſe-

dulò

dulò excogitavit & ordinavit. Inprimis belli ſcientia ac felicitate floruiſſe creditur. Unde qvum cives adverſus vim hoſtilem aliorumqve injuriam ſtrenuè, proſperè ac ſeriò defenderet, omnes ſibi promtos & fidos habuit. Unum pro ſingulis capitibus nummum, eis inpoſitum, ultrò pendebant, & imperata non inviti faciebant. Ab exceſſu in numerum deorum relatus ac nomen ejus conſecratum eſt; ut ab iſtius ævi populo, ſingularium defuncti meritorum æſtimatione, fieri conſveverat; ſacris etiam & veneratione pro rerum proſperitate ipſi factis; dum adhuc in paganæ religionis cæcitate populus hærebat.

NIORDUS.

Qvibusdam Norus vel Nordius, Erico Upſalienſi Nordianus vel Nearchus appellatur. Hic ſocius Odini, & incantationibus magicis clarus, Odino ſucceſſiſſe, populo ſciſcente & jubente, putatur. Cultum deorum, pacis ſtudium ac reipub. commoda procurabat ac tutabatur. In noſtris annalibus qvidam Nearchus, qvi Frothonem fratrem in regni conſortionem admiſerit, idem cum Niordo à nonnullis exiſtimatur.

FREJUS al. FROERUS al. FROTHO.

Nordiano ſuffectus, primus *Drott* (Rex) dictus eſt, ſi credimus Sturleſonio. Templum Upſaliæ in honorem Odini ſive Tori condidiſſe perhibetur. Ad ejus & religionis ſuæ conſervationem, fructuum regni & annuorum redituum magnam partem publico eum donaſſe, annales Norvegici teſtantur: Sic ut inde *patrimonii Upſalienſis*, ut vocant, origo nata ſit. Tam ſedulus juris & juſtitiæ cuſtos fuit, ut nemo ſive in re lauta, ſive tenui eſſet, de vi & injuria ſibi impunè illata, qverendi cauſam haberet. Præcipuum pacis ſtudium ei *Pacifici* cognomen fecit, aliis titulorum inſignibus etiam qvantiscunqve ſi non illuſtrius, certè non inferius. Poſt obitum ejus, etiam in ipſius honorem ſacra pro obtinenda pace fieri cæperunt.

ODDER ET FRIGGA vel FREIA.

Ille Odini ſocius, hæc illius uxor. qvæ qvum elegantis formæ ac prudens eſſet, eam maritus rerum potitus, non ſolùm in conjugii, ſed etiam dignitatis ſocietatem admiſit: unde *Drottning* regii qvoqve honoris cognomen meruit. Hæc ſacra majorum urgebat; qvietem publicam regniqve bona pro viribus ſervabat. Unde poſt mortem in dearum numerum adſcitæ, pro felicitate regni & frugum ubertate populus ei rem divinam faciebat.

FLIOLMUS vel SIOLMUS.

Frothonis, vel, ut alii, Ingefrodi filius. Hoc ſolum de eo, etſi parum ad famam, qvod ſui & decoris regii immemor, poculis ſe dediderit, nimia qvoqve & exitiali cum famulis ſuis familiaritate uſus. Dum enim eos combibones ſuos facit, non ſolùm exiſtimationem ſuam fœdè prodigit, ſed etiam vitæ jacturam illorum inſolentiâ & atroci perfidiâ facit. Qvippe famuli vino pleni & contemptu Regis, ſibi ipſi tam vilis, eum in dolium aqvâ mulsâ repletum, eorumqve gulæ in mediâ aulâ expoſitum detrudunt: qvo demerſus interiit. In annalibus Snorronis, invitatus â Frothone rege Daniæ & poculis fermè depoſitus fertur; qvum noctu egrederetur, exonerandæ veſicæ aut ſtomachi causâ, in cubile regreſſurus aberraſſe, & in apertam cupam foris poſitam & aqvâ mulsâ (medone vulgo) completam, tenebris deceptus, incidiſſe & ſubmerſus memoratur.

SVEIGDER al. SVERCHERUS.

De eo ſpes erat, ut noſtri annales perhibent, magnum fore patriæ ornamentum: qvod dotibus oris animiqve præſtaret: ſi fata ei vitam longius produxiſſent. Inter eqvitandum decidit eqvo & dextro brachio rupi graviter illiſo, morbum inde mortemqve ſibi acceleravit, corpore vel cineribus in Weſtrogothia prope Kindiæ colles (vulgo Kinnakulla) terræ mandatis. Alia de eo annales Norvegiæ, ſed fabulæ aut diabolicis præſtigiis propiora tradunt.

WALANDER al. WANLANDER.

Svercheri filius, â matre Wana ſic nominatus. De ejus rebus nihil in veterum annalibus, niſi qvædam fabuloſa exſtant. Johannes Gothus in Hallandiam & Scaniam incurſionem feciſſe ſcribit, & iſtarum provinciarum præfectum Oſtarum ad deditionem compuliſſe, deinde bellum paraſſe maritimum adverſus Rethonem ſævum piratam, qvem Rex Ruſſorum ad infeſtandam Svetiam emiſerit. Eum Saxo & Olaus Magnus tam immanem fuiſſe prædonem referunt, ut cæteris raptoribus, præter alia bona, exteriores veſtes obvio cuiqve detrahere & prædari contentis, ille qvoqve interulis, qvibus ſecretiores corporis partes tegebantur, homines ſpoliare turpe non duxerit: Unde fœdæ rapinæ Sveticè *Retheran* vel *Rotheran* dici ſveverunt. Tandem Walandrum noctu ab incubo vel ephialte ſuffocatum nonnulli produnt. Qvod nihil aliud fuiſſe creditur, qvàm qvod de bello ſollicitus curiſqve feſſus, nimio ſopore gravis, â ſubito catharro extinctus ſit. In qvodam Veciæ Chronico MS. eſt, eum ſe diabolo devoviſſe ex pacto

de

de victoriâ in Ruſſos obtinenda. Qvâ obtentâ, qvum domum rediiſſet, primâ nocte â diabolo oppreſſum eſſe. Annales Sturleſonii tradunt, ab uxore Driva, Snionis Vandalorum Regis filia, qvam deſeruerat in Vendia relictam, ſpe factâ reditus intra triennium, qvum tamen interea non rediret, arte maleficâ extinctum fuiſſe.

WISBUR

Defuncto patri ſuccedit. De eo nihil in priſcis annalibus, niſi qvod uxorem Audam, ut vocant, divitis Attis filiam, repudiavit, incertum ex qva cauſa. Johannes Gothus eum avarum & crudelem tyrannum omni tigride truculentiorem fuiſſe ſcribit, de qvo tamen nihil reliqvi ſcriptores, ſed hoc tantum: qvod filii ejus Grys & Anundus, ex dicto matrimonio ſuſcepti, qvum dotem matris, tres parœcias cum aureo monili â patre non acciperent, eum combuſſerint. Ericus Upſalienſis eos hoc propoſito feciſſe memorat, ut ad capiendam hæreditatem ante diem pervenirent. Qvidqvid ſit, immane erat parricidium: cui excuſando nullus ſatis juſtus color obduci poteſt.

DOMALDER.

Ex altero matrimonio filius, patris Wisburi defuncti dignitatem accepit. Sub eo tanta fame Svetia adflicta eſt, ut ei vix gravior unqvam incubuerit. Cives in ſe deſcendentes, qvum pœnam delictorũ divinam agnoſcerent, primo anno boves, altero homines, tertio Regem ipſum, velut iræ cœleſtis piaculum, ut ſibi perſvaſum habebant, Odino immolarunt. Vel, ut qvidam volunt, qvod non gratiorem victimam ſpe frugum ubertatis recuperandæ fore ſtolidum vulgus credebat, illum Cereri obtulerunt.

DOMARUS.

Domaldri filius, vel, ut qvidam, nepos, tranqvillam vitam egiſſe & regnum in pacato rerum ſtatu adminiſtraſſe perhibetur. Hic Domarus Drottam, filiam Dageri (de qvo mox inf.) uxorem habuit. Cætera, qvæ Johannes Gothus de eo prolixius narrat, alii ſilentio tegunt. Chronicon Norveg. naturali morte diem ſupremum obiiſſe, & ad veterem Upſaliam in Fyriswald, prope collem amnis, more iſtius ſeculi rogo impoſitum crematumqve, & cineribus in monumento regio conditis, ibi ſaxum ejus memoriæ collocatum fuiſſe teſtatur.

DIGNERUS.

In annalibus Norvegicis *Dygue* vel *Dygni* dicitur, Domari filius. De

ejus rebus in veterum hiſtoriis altum eſt ſilentium, niſi qvod inter eos, qvi imperium patriæ moderabantur, primus fuerit, qvi *Konung* Svetica lingva vel *Rex* diceretur; & qvod naturali obitu vitæ finem fecerit.

DAGERUS.

Digneri, ut volunt, filius, â Danis invitis tributa & qvidem armatâ manu exigendi, qvasdamqve injurias vindicandi animo, uti Ericus Upſal. refert; ut Danici ſcriptores, occupandi Danicum regnum & Svetiæ ſubdendi conſilio, juſtis cum copiis in Daniam ſe contuliſſe, eamqve latè populatus eſſe proditur. Multis cæſis captisqve dum in patriam regreſſurus, vadum Schiotomianum, aut vadum armorum, ut ab eventu appellabant, ſuperare conatur, â ruſtico ê ſylva proſiliente per inſidias cæſus, occubuit.

INGEMARUS, aliis verius AGNUS.

Dageri filius, rerum Svetiæ poteſtatem accepit, militia & opibus pollens. In Finnonia ipſi bellum fuiſſe cum Froſti aut Froſtone iſtic rege memoratur. cujus terris paſſim vaſtatis, dives ſpoliis abiit, & inde ſecum in Svetiam abduxit Skialvam Froſtonis filiam, qvam poſtea ſibi matrimonii ſociam adjunxit, ingratiis, ut res docuit, ſibi conciliatæ, aut amicitiam ſimulanti nimis fidens. Qvum enim in Svetiam rediiſſet & qvidem ad locum *Stoksundiam*, tunc ita dictum â tignis & trabibus vel propugnaculo ligneo, qvo fretum adverſus incurſum hoſtilem clauſum erat, tentoriis in proximo nemore fixis, in memoriam defuncti ſoceri, ut uxor ejus deſiderarat, epulas funebres, vel, ut alii ferunt, convivium nuptiale vel adventitium, plurimis invitatis, ſolenniter inſtituit. Hoſpitibus opiparè exceptis, rex bene potus dormitum it. Uxor Skialva verò monile aureum, qvo ornatus erat, bene adſervare jubet, ne per ebrietatem amittat. Rex nihil doli ſuſpicatus, illud arctè collo alligat, & in utramvis aurem dormit. Dum ille ſtertit, uxor ejus, exuto omni amore, imò tota conjuge, funiculum monili ſubmittit, & inde laqveum Regi nectit ad arborem, qvæ tentoriis, defendendi ſolis umbræqve faciendæ cauſa, imminebat, eiqve gulam frangit. Inde ſæva beſtia cum ſociis navi aufugit ad ſuos. Alii vivam cum fratre defoſſam eſſe ferunt. *Agnus* verò Rex arbore detractus, iſtorum temporum ritu crematus eſt in dicto loco vel Inſula, qvæ *Agniſitiæ* nomen ab eo tulit, ubi poſt multos annos Stocholmia extructa fuit. Qvidam nefas illud in iſto Holmiæ loco, ubi nunc eſt curia urbis, alii, ubi arx ſita eſt, admiſſum credunt. Annalibus Norvegicis hoc referentibus conſentit Ericus Upſal. etſi brevius narrat. Sed aliter Johannes Gothus refert, & qvi eum ſeqvuti ſunt,

HU-

HUMELUS vel HUMBLUS.

Qvum Drotta Domari Conjunx, Dageri mater, Danis verò, â qvo Dania nomen accepit, ſoror fuerit, ſi Sturleſonio fides habenda eſt, circa hoc tempus, vel paulò ante vixiſſe Humelus Danis pater videtur. Hoc tamen ſcrupulum injicit, qvod Dan Humeli, vel, ut Saxo eum vocat, Humbli filius priſcis annalibus dicitur. Humblus enim duos, ut ferunt, habuit filios, Danem & Angulum ex Goſilda Svetica conjuge, ut volunt, ſuſceptos. Dan de ſe nomen dedit regno Daniæ: cui Regis titulo & dignitate præfuit. Id præter Saxonem & alios, Ericus Pomeranus in annalibus Regum Daniæ his adfirmat verbis. *Tempore David regis habuerunt regem Dan. Nam tempore illo Dan filius Humble de Svecia veniens regnavit ſuper Sialandiam, Monen, Falſter & Laland; cujus regnum dicebatur Vitesleth.* Eſt autem *Vitesleth*, vel ut alii ſcribunt, *VVidasleth* nihil aliud, qvàm *lata planities* aut *Vitarum* vel *Jutarum* planities. Nam *Vitas* & *Jutas* eosdem fuiſſe, Danici ſcriptores ſuo loco docent.

SIGTRUGUS vel SICTRUGUS.

Humeli, ut creditur, pronepos, Sveonum regnum de populi ſententia ſuſcepit. Cùm eo regem Daniæ Gramū arma & manus conſeruiſſe, acieqve victum interemiſſe produnt. Motus belli inde. Qvum Sigtrugo filia nomine Groa, formâ inſignis eſſet, ejus nuptias Gramus per legatos ſuos ambivit. Sed anteqvam illi in Svetiam acceſſiſſent, virgo jam alii inferioris fortis, &, ut ferunt, athletæ vaſtiqve corporis homini deſponſata erat. Gramus indignè ferens, inæqvalem ſibi prælatum eſſe, virginem rapere animum induxit: qvod illâ tempeſtate raptus nullum dedecus habere videretur. Ante tamen virginis mentem pertentare aggreſſus, horrifico ex ferinis pellibus habitu Svetiam intravit atqve in ſilva tantiſper delituit, donec per fidos internuncios virginis erga ſe animum perveſtigaſſet. Tandem variis illecebris eam ad ſe pelliciens, depoſito horrido amictu, primò mutâ formæ, qvæ elegans ipſi erat, commendatione, mox blandis verbis ac donis ejus animum ita permulſit, ut facilis volensqve mentem & amorem ſuum ad Gramum applicaret, eumqve in Daniam ſeqveretur. Iſta re graviter commotus Sigtrugus, hanc ignominiam ſibi illatam armis ulſciſcendam eſſe arbitratus eſt. Prius tamen, qvam in bellum exiret, ariolos ſuos de armorum ſucceſſu conſuluit, reſponſumqve accepit, ſe ferro inſuperabilem fore, ſi modò ab auro, fatali ſibi malo, caveret. Ille ſe armis, qvæ ex ferro, invictum fore credens, auri ſecurus, adverſus hoſtem &

mox

mox in aciem procedit. Sed Gramus, qvi dictum reſponſum antea ex fama acceperat, clavâ auro impletâ, vel, ut alii referunt, aureo globo præfixa armatus, Sigtrugum eâ percuſſum occidit. Sunt, qvi ſub hac imagine rerum dominos et duces moneri putant, ut præ ferro hoſtili aurum formident & fugiant. Hoc enim, qvò minus illo in acie & publico conſpicuum eſt, eò magis aciem & animos ſemel illi deditos penetrat & debellat: qvod etiam aliqvando adverſus ipſos gentium dominos ferro plus potuit. Qvidam hic auro, qvo Gramus Sigtrugi filiam deceperat, Sigtrugum ſuperatum interpretantur. Hac victoria potitus Gramus, adoritur *Svarinum* vel *Sverinum* (Johannes Gothus *Scarinum* vocat) Gothiæ principem: qvem ob affectati regni ſuſpicionem, ut Saxo prodit, in duello oppreſſit. Sed & ſedecim ejus fratres, cædem ulciſci conantes, â Gramo, cui animus ex fortuna creverat, ad unum cæſi feruntur. Inde Svibdagerus Rex Norvegiæ, ex inopinato ultor adeſt. Hic in Daniam cum adornata claſſe profectus, vim & populationes exercet, Grami ſororem contumelia corporis afficit, filiam ejus ante ſibi denegatam ſecum in Norvegiam abducit, & ſociam matrimonio facit. Gramus hanc vim & ignominiam armis vindicaturus, adverſus Svibdagerum exit, & ad aciem laceſſit. Sed ingenti prælio facto, Gramus cæſus occubuit.

SVIBDAGERUS al. SVIGDAGERUS vel SIBDAGERUS.

Antea Norvegiæ, & deinceps Daniæ, nunc etiam, & qvidem primus extraneorum, Svediæ Rex â regni Ordinibus electus eſt. qvum Sigtrugus absqve liberis deceſſiſſet, ad preces uxoris ſuæ, Grami filiæ, ab exilio revocavit Guttormum ejus fratrem natu majorem. Daniæ regem tributarium, vel, ut qvidam ſcribunt, Daniam tributariam fecit. Interim Hadingum, natu minorem uxoris fratrem neglexit, ſed ille non ſeipſum. Qvippe poſthabito voluptatis ſtudio, in armorum meditatione totus, belli acer, & armis apud exteros feliciter exercitus, paternum ſangvinem & injuriam patris domui illatam ulciſci decernebat. Qvo propoſito domum reverſus, in itinere ad Gothlandiam navali bello Svibdagerum interemit. Sic ultio Svibdageri hactenus dilata, nunc in caput ejus recidit.

ASMUNDUS al. AMUNDUS.

Patris ſucceſſori eò gravior de imperio atqve ſeipſo cura erat, qvo majori & velut hæreditario odio Hadingus in Svibdageri familiam, & regni

gni Sveonum cupiditatem ferebatur: præſertim qvod haud ignoraret, Hadingum ſtrenuum armis, conſilio aſtutum, & arte magica nulli ſecundum eſſe. Dum inſtructis utrinque copiis congrediuntur, Ericus Aſmundi filius, unum agmen ducens, pro patre patriaqve corpus ſuum hoſti impavidè opponit. Sed audacius, qvàm cautius aleam prælii ſubiens, ab Hadingo in acie perimitur. Aſmundus, cognitâ filii morte, dum illam vel vindicare, vel inviſam in poſterum vitam, amiſſo tam charo filio, in bello projicere cogitabat; temerè ſe prælio offert. Ubi Hadingus obviam fuit, rejecto in tergum ſcuto, ingentem gladium utraqve manu corripit & ſtrage paſſim facta toto in Hadingum impetu fertur, unico ultionis ab eo expetendæ deſiderio. Sed ille Aſmundum, irâ præcipitem, haſta trajecit, nec tamen inultum. Qvippe jam morti proximus Hadingi pedem ita ferro ſtrinxit ac vulneravit, ut per totam inde vitam claudicaret. Uxor Aſmundi Gunilda mariti fatum tam acerbè tulit, ut ſibi mortem ex impatientia mœroris ferro conſciſceret. Nec tam ipſi dolebat vulnus, qvod etſi lethiferum ſuo corpori, qvam qvod maritus ejus animo ſuo obitu fecerat; majori laude digna, ſi tàm fortiter mortem regis militarem & ſpecioſam ferre, qvam ille ſubire, potuiſſet.

[illegible] UFFO.

In locum patris ſuffectus, non diu qvietum tenuit imperium. qvippe non minus ipſi negotii erat cum Hadingo, atqve patri avoqve ſuo. Ille ingenio turbidus, vindictæ ſiti nondum extincta, terra Sveonum vaſtando peragrabat. Hoc ut prohiberet Uffo, claſſe & armato milite Daniam invadit, non tam ut ei bellum faceret, qvàm ut hinc amoliretur, & ex Svecia domum retraheret Hadingum. Sed his magis irritatus, præſidiis domi relictis, primo vere cum ingentibus copiis redit in Svediam, animo totam, ſi poſſit, ſubjugandi. Uffo contra ingenio callidus & ſalutis patriæ vigilans cuſtos, Hadingum etſi per qvinqve annos incubantem Svediæ, ut ſi non viribus & ferro poſſet, morâ frangeret Regem; vel cædendo vel diſtringendo, vel commeatum ei præripiendo & intercludendo, ita copias ejus comminuit, ut intra nemorum & montium latebras ſe condentes, undiq; fame obſiderentur. Hinc non ſolum gramen & morientium herbarum radices ex terra, ſed etiam eqvos, canes, feles, ranas, & tandem his deficientibus, ſeipſos, decimo qvoqve ſorte lecto, & humana corpora ad cibi uſum hoſtes rapere cogebantur. Ita ſævior ferro fames absqve ferro & ſangvine domat hoſtem: &, à qvo alioqvin natura abhorreti, invicta neceſſitas & vacui ventris indomita vis cibum facit. Ut hac calamitate tan-

dem eximeretur Hadingus, extrema prælio experiri decrevit. Itaq; qvantâ poterat vi in adverſum hoſtem vadit, & ne noctu qvidem â pugna ceſſat: ne ullum tempus occaſioni novæ fortunæ moram faceret. Cæterum ſuis jam fermè fame victis & pluribus acie fuſis, dum Uffo ſtrenuè rem ſuam agit, Hadingus vix cum paucis evadebat. Qvum in Helſingiam ſe contuliſſet, inde ad Uffonem de tentanda pacis via miſiſſe noſtri annales ferunt; ſed ut ſpecie amici colloqvii illum oportunius de medio tolleret. Qvod ubi animadvertit Uffo, eum fruſtra perſeqvutus, comites ejus obvios trucidavit. Poſtea nihilo minus Hadingus ſimulatione congreſſus de pace Uffonem facilem & credulum Upſaliæ, compoſito dolo, ſuſtuliſſe perhibetur. Annales verò Danici diverſum referunt: qvaſi Uffo in Hadingi caput percuſſores emerit; qvod, qvum incaſſum eſſet, obtentu conventus de pace, noctu circumvenerit inſidiis Hadingum, acieqve ſuperatum internecioni dederit Uffonem: & potitus Svedia, eam Hundingo, cæſi Uffonis fratri, regendam tradiderit. Sed qvidqvid ſit, Uffonem ab Hadingo occidione cæſum, & â fratre Hundingo honorifico funere Upſaliæ monumento paterno illatum fuiſſe, apud annalium noſtrorum conditores in comperto eſt.

HUNNINGUS vel HUNDINGUS.

Uffonis fratris in regno Svediæ ſucceſſor, cum Hadingo, diuturnis armis feſſo, & ad amicitiæ fœdus qvàm bellum propenſiore, pacem facit. Ea certis legibus confecta, bonâqve fide per multos annos ſervata eſt: ita ut hæc nova animorum conjunctio vetus odium, qvod inexpiabile videri poterat, ex animis deleret. Hoc præter alia vel illo teſtatum fecerunt. Aliqvando rumor ex Dania in Svediam advolarat, Hadingum regem Danorum propriæ filiæ Ulvildæ & generi Guthormi inſidiis periiſſe. Qvod qvanqvam ex falſo tractum, & inſidiæ ſolùm cogitatæ ac paratæ, maturo conſilio & cautione diſcuſſæ fuerant; qvia tamen de Hadingi morte fama in aula Hundingi percrebuerat, ille pro vero habuit, & convocatis regni Proceribus epulum funebre honori defuncti Hadingi ex iſtius temporis more paravit. Illato in cœnaculum ingenti dolio, optimæ notæ aqvâ mulsâ impleto, qvum hoſpites convivarentur, Rex de menſa ſurgens, ipſe miniſtrat ac circumfert potum, officioſius qvàm pro rege. Dum verò exemplo ſuo alios crebris poculis invitat, ebrius & mulſo prægravatus, in dolium, qvod circumſiliiſſe nonnulli ſcribunt, offenſo pede præceps labitur atqve ſuffocatur. At noſtri annales in dolium aqvâ mulsâ plenum præcipiti ſaltu ſponte ſe dediſſe & ſubmerſiſſe tradunt. Inuſitatum mortis genus ille

nus ille pro rara amici fide oppetendum eſſe duxit. Hadingus verò, compertâ amici morte, ut ei gratiam referret, cui extincto ſe ſuperfuturum negarat, adſpectante populo ſibi vitam laqveo clauſit. Qvod qvamvis infame ac rege indignum videretur, ille tamen perſvaſum habuit, nihil tam difficile fore, qvod amicus pro amico ſubire renuat. Cæterum ſaniores, ex nulla cauſa corpori ſuo manus eſſe afferendas, ſciunt. Ericus Pomeranus in annalibus Danicis ſcribit indignum ſe, non ſemel victore, duxiſſe, mori in lecto.

REGNERUS.

Hundingi filius ante acceptum regnum paternum, multa adverſa à noverca ſua Torilda, vel, ut alii vocant, Torila paſſus eſt. Qvum enim pater ejus ex priore matrimonio duos filios Regnerum & Toraldum ſuſcepiſſet, hi in ætate adhuc tenera, matre ſuâ orbati, dictam novercam in ejus locum receperunt. Hæc, ut ſolent injuſtæ novercæ, licet matris perſonâ & nomine, non utiqve materno animo erga privignos erat. Odium tamen adverſus eos, qvantum poterat, vivo adhuc eorum patre, occultabat: qvod illo defuncto demun ex latebris erupit. Qvum eos, ut volebat, commodè tollere neqviret, impedita providentiâ & cuſtodiâ potentium & fidorum amicorum, qvos pater non paucos reliqverat, ex aula longe in loca ſola vel, ut qvidam volunt, in Helſingiam pepulit, & regii pecoris cuſtodes fecit: ut regios in illis ſpiritus deprimeret, & animos, ſervilibus officiis atqve opere agreſti imbutos, abjecta & obſcura, non alta ſpirare adſveſceret, eoqve modo illis omne regni expetendi ſtudium ac ſpem abſcinderet. Sed aliter fatis viſum. Qvippe Svanhvita Hadingi, regis qvondam Daniæ, filia, commiſeratione tam indignè habitorum commota, ut tradunt, ad eos viris & puellis comitata, in ſolitudinem, ubi erant, proficiſcitur. Qvo qvum perveniſſet, eos in vili & ſordido amictu abjectaqve ſorte degere contemplata, initio præ ſe ferebat, qvaſi nihil de eorum ortu ac miſeria præſciviſſet: proinde ex illis qværit, qvi & unde eſſent. Cæterum ſuſpicione inſidiarum, tanqvam à noverca factarum, grandior natu perculſus, ſubtimidè reſpondet: *Nos ſumus pecoris cuſtodes & pauperis agricolæ filii, huc in deſertas oras metu delati. Qvum enim regia pecora paſcere juſſi, aliqvot ex iis capita, neſcio quâ incuriâ amiſiſſemus, deſperatâ eorum recuperatione, verebamur ne, ut infidi ac negligentes, ſeverè plecteremur.* Hæc eo ſic loqvente, virgo defixo in illum obtutu, accuratè ejus oculos, vultum & dicta conſiderabat: ex qvibus, ceu externo qvodam animi indice, non humilis & agreſtis, ſed altioris ſtirpis ſigna colligebat. Mox illa: *Non mihi videmini,* inqvit, *ex ul-*

ex ultima ſtirpe, ſed regio ſangvine orti. Dic mihi verum adoleſcens, qvo in ſtatu res veſtræ ſint,& qva cauſa huc veneritis. Cui Regnerus reponit: *Servos etſi fortuna, non tamen animo ſemper ignobiles eſſe. Sub ſordida veſte aliqvando pulchram latere mentem. Si tamen verum fatendum eſt, novercæ meæ odium me huc egit, effecitq; ut, unde venerim, effari non auſim.* Virgo contra: *Satis mihi conſtat, qva ſis conditione & qvos habueris parentes. Tui cauſa huc acceſſi, pudore qvidem retracta, ſed dolore tam indignæ tuæ tuiq; fratris fortunæ inſtigata victaq;. En cape hunc gladium, qvo vim & injuriam tibi tuoq; fratri factam ulciſcaris. Non ulla te re deterreri, aut ab hoc inſtituto dimoveri patiaris, ſed maſcalè, ut te tuoq; genere dignum eſt, agas: audenti fortuna aderit. Qvando autem ad ſedem & regnum paternum poſtliminio redieris, mei cave obliviſcaris. Nullum aliud hujus mei honeſti, ut ſpero, officii tibi præſtiti pretium qvam teipſum & tuas nuptias expeto.* Sic ipſi arma, veſtes, aurum, milites tradit. Qvibus inſtructus ad fidos patris ſui amicos cum fratre Thoraldo abit, majora petitum auxilia. Ab illis ſuppetiarum ſatis ad promovendum inceptum accepit. Exiguo temporis ſpatio ſic opibus & copiis roboratur, ut improbam novercam regno exigeret, regnum armis recuperaret, Svanhvitam ex fide promiſſi uxorem caperet; ex qvo Hothebrodum filium generavit, à paterna morte regem. Longa deinde pace florentiſſimum habuit imperium, niſi tandem à malevolis turbatum fuiſſet: qvi odii fomitem inter ipſum & Frothonem regem Daniæ falſis rumoribus ac ſeditionibus excitabant. Unde tandem bellum conflatum eſt, non meliore ſucceſſu, qvam ut à propria ſorore caperetur Frotho. Mox tamen dimiſſus eſt eâ conditione, ut omne diſſidium inter eos, malorum hominum invidiâ concitatum, penitus componeretur & extingveretur. Sed qvod inter eos pactum erat, non diu ſtetit. Nam Frotho nullâ provocatus injuriâ Regnerum, falsò proditionis inſimulatum, bello laceſſit; non benigniori fato uſus, qvam qvod in acie cum ſuis cæſus eſt, ut noſtri annales habent, uti Saxo, armorum pondere & corporis æſtu ſtrangulatus interiit. Regnerus verò pace & qviete ſuis reſtituta, tranqvillè juſtèqve imperium ad ſeram uſqve ſenectutem adminiſtravit; evidenti argumento, qvod animum ejus erectum imperiiqve capacem adverſa res frangere ac ſervilis ſors deprimere non potuerit. Vita functus Upſaliæ Regum monumentis conditus eſt. Svanhvita verò uxor defuncti, deſiderium tam chari capitis non perferens, ſed morbum ex nimio luctu ſibi conſciſcens, exceſſum ejus ſuo proximè excepit, ut nec ipſa mors tantum inter eos amorem ac neceſſitudinem divellere poſſe videretur.

HOTHE-

HOTHEBRODUS.

Haud indignus patre ſucceſſor, militiaqve clarus, Eſthones, Ruſſos, Curlandos, qvi Frothonem adverſus regem armis juverant, ut Gothus perhibet, devicit. Saxo, proferendi imperii ſtudio, orienti bellum intuliſſe tradit. At poſtea incurſum in Daniam contra Roum Frothonis nepotem, odii aviti hæredem, feciſſe exiſtimatur, & tertio prælio ſuperatum interemiſſe, Daniam occupaſſe, eiqve ſuos conſtituiſſe præfectos. Sed poſtqvam Hothebrodus, rebus ibi pacatis, in Svediam revertiſſet, Helgo, cæſi regis Daniæ frater, novos motus excitaſſe perhibetur, & expulſis, partim interfectis Hothebrodi iſtic præfectis (& ipſo Halvardo, ut qvidam volunt, Rege Svetiæ, qvidam Haraldum vocant, & eundem cum Hothebrodo faciunt) Daniam recepiſſe. Qvia verò facilè ſibi perſvadere poterat, regem Svediæ hoc non inultum relicturum; qvantas potuit, contraxiſſe copias, & armata ingenti claſſe adverſum veniſſe Hothebrodo, eumqve cum univerſo exercitu fudiſſe, annales Danici produnt. At Svetici eum naufragio volunt periiſſe. De Helgone etiam memoriæ proditur, qvod in Svedorum opprobrium iniqviſſimam in Dania legem tulerit; qva ſævum in eos animum prodebat: ut ſi qvis in ſuo regno qvippiam in Svedum ſive cæde ſive alio facinore admiſiſſet, dimidio minus pœnæ mulctæq; penderet, qvàm ſi contra alium commiſiſſet. Hiſtoricorum nonnulli, hanc legem enato poſtea inter duo hæc regna & inveterato odio primam dediſſe cauſam vel occaſionem, volunt.

ATISLUS.

Johanni Gotho Attilus I. Hothebrodi major natu filius, ab obitu patris Rex Svediæ ſumitur. Is & frater ejus Hotherus à parente adhuc vivo commendati erant Gevaro regi Norvegiæ, ſapientiæ & virtutum fama inſigni, ut ſub ejus oculis & curâ ad artes imperio dignas educarentur. Atislus imperio adhibitus, Rolvonis Daniæ regis matrem Urſam, vel, ut noſtri ſcriptores eam appellant, Urſulam in matrimonium ſibi adſcivit, ſpe conjunctioris amicitiæ, & pacis inter duo hæc regna. Sed hoc conſilium, ex qvo felicia qvæq; ſperabantur, malè vertit Atislo: cujus principium opinantur fuiſſe odium inter Atislum & uxorem ejus; qva ex cauſa id ortum ſit, non ſatis compertum eſt. Ex improbæ legis Helgonis, cujus in vita Hothebrodi paulo ante mentio facta eſt, & in Svedorum ludibrium latæ deteſtatione, & inde Danici ſangvinis, cujus Urſa erat, tædio natum eſſe Johannes Magnus prodit. Danici verò Scriptores inde exortum volunt,

ſunt, qvod Atislus admodum avarus Princeps, ſordidè & indignè reginam habuerit. Qvod tamen cùm eo conv enire non videtur, ubi Atislus liberalitatis ſtudium profeſſus, reipſa eam exerit, ut mox dicetur. Certè regina, ex qvacunqve ſive cauſa ſive prætextu, divortii occaſionem qværens, callidè hortatur maritum, ut Rolvonem, omnis odii ex animo delendi, & arctioris fœderis inter ſe faciendi causâ, in Svediam ad ſe amicè invitet. Illa verò occultis ſuis literis alliciebat filium, non rei in Atisli literis expreſſæ nomine, qvamvis hoc prætexeret, qvàm ſui diſceſſus deſiderio & ſpe factâ, magnas Atisli opes in Rolvonis manus & poſſeſſionem qvavis arte transferendi. His adductus Rolvo, in Svediam accedit. Sed interim, dum Atislus aberat, mater & filius opportunè rebus ſuis conſultum ibant. Ubi rex domum rediit, ſplendidè & humaniter excepit Rolvonem, nihil niſi omnia amica de eo ſibi pollicitus. Inprimis regium convivium apparabat, confirmandæ ulterius amicitiæ cauſa. Præter alia animorum oblectamenta, non ſermo ſolutior habebatur de rebus obſcœnis aut inanibus: qvibus caſtæ & ſimplices aures animiq; offenderentur; nec qvi malè vel benè ſaltaret; qvodnam optimum palatium, qvi præſtantiſſimi eqvi & canes; ſed qvæ excellentiſſima virtutum, præſertim regiarum eſſet, ab illis diſqvirebatur. Rolvo, homo militaris, primas defert patientiæ: qvæ nec dolore, nec metu vincitur. Atislus autem munificentiam, tanqvam regiam virtutem, cæteris præferebat. Inter utrumqve mox convenit, uti ſuam qvisqve virtutem ipſa re præſentiqve documento teſtatam redderet. Ita Rolvo, ut vivum patientiæ exemplum, ex ipſius ſententiâ, in ſe ipſe ederet, ad ignem nudum latus explicuiſſe propiusqve admoviſſe fertur; & tam diu iſtic immotum tenuiſſe, donec cutis ad ipſam usqve carnem & oſſa adureretur: qvæ verò ex eo tormenta, plus qvam Spartanâ nobilitate & contemptore doloris animo concoxiſſe ferendoqve ſuperaſſe; nec ab igne niſi vi abſtrahi potuiſſe. Ut autem Atislus munificentiam ipſo facto teſtaretur, multa ex auro, argento & gemmis in medium expromi juſſit, qvæ inter hoſpites largè diſpertiebatur. Præ cæteris privigno ſuo Rolvoni magni ponderis aureum torqvem dono dedit. Omnes uno ore prædicabant, illum regiè & prolixè hoſpites ornaſſe. Qvæ tamen parum aut nihil apud Rolvonem ejusqve matrem, ad fraudulentum eorum animum in melius mutandum, valebant. Qvippe regio ærario expilato, & pecuniâ ablatâ, regina tertio die furtivo ſe ſubduxit abitu. Qvod ne facile ſuſpicaretur Atislus, ad dies aliqvot apud vitricum Rolvo commorabatur, donec mater in tutum ſe contuliſſet. Qvo facto eam ſubſeqvitur, & fugam uterqve, ab-

jectis etiam qvæ itineri impedimento eſſent, properat. Atislus, dolo furtoqve detectis, eos fruſtra adſeqvi conabatur. Annales Islandici ferunt, Atislum eos veſtigio, cum ingenti militum manu, perſeqvutum eſſe. Rolvonem verò, hoc animadverſo, aureos nummos in via ſparſiſſe, ut eorum collectio perſeqvendi celeritatem retardaret. Atislum qvidem nihil his motum, milites eis intentos, ad pergendum verbis & exemplo neqvidqvam hortatum eſſe. Danum autem regem, ubi viderat, Atislum his non irretiri aut detineri, pretioſum annulum, qvi olim Regum Svediæ fuerat, ei in via objeciſſe; nomen annulo erat *Svedorum porcellus.* Conſpectus annulus ſic placuiſſe Atislo fertur, ut ſiſtens eqvum, corpus ad eum haſtæ cuſpide tollendum inclinaret. Qvod ubi innotuit Rolvoni, cum plauſu qvodam acclamaſſe perhibetur: *Jam Sveonum Supremum incurvavi ad ſuem vel porcellum.* Dictam autem expilationem non ſolùm Rex, ſed etiam populus graviter tulere, ultionis occaſionem ſeriò meditati. In Svecia qvidem conſpicuæ dignationis vir nomine Hiartvvarus erat, proximo affinitatis uſu Rolvoni junctus: qvum ejus ſororem (qvidam dicunt filiam) in matrimonio haberet. Ille expeditionem, ſive regis Atisli juſſu, ſive, ut Danici ſcriptores tradunt, conjugis impulſu, fraternum regnum appetentis, in Daniam cum lectis copiis fecit: eo prætextu, ut Atislo factam injuriam & fraudem armis vindicaret, res dolo ablatas repeteret, &, ſi poſſet, honeſtâ pace tandem bellum finiret. Iſte tamen non ut hoſtis, ſed tanqvam regis vel affinis vel gener, à Rolvone honorifico accipiebatur epulo. In qvo, procedente ſermone, & ex eo altercatione, Rolvo cum ſuis amicis, nullâ juris hoſpitalis reverentiâ, à Hiartvvaro interemptus eſt. Deinde Rex Daniæ factus, mox à Wigone iterum trucidatur. Emanante cædis Rolvonis fama, rex Atislus in convivio ità ſe vino oneraſſe ſcribitur, ut in lethalem ferme morbum incideret. Tandem valetudine confirmatus, nactusqve, ut videbatur, occaſionem ulciſcendæ ulterius Danorum inſolentiæ, claſſem armis inſtructam in Daniam, Hothero ductore fratre, emiſit. Qvi in Sialandiam transmiſſo exercitu, iſtic Iſoram, proximum Roscildiæ portum, cepit. Qvum Dani ſe Hothero non pares viderent, Atisli imperata fecere, creato rege Hothero, qvi Hothersloviæ (hodie Hadersleviæ) Cimbricæ Cherſoneſi, vel Jutiæ meridionalis urbi à ſe nomen dediſſe perhibetur.

HOTHERUS.

Atisli frater, ut ante Danorum ita nunc Sveonum rex factus eſt. Vir animo & corpore præſtans, potiſſimum verò ſapientiæ laude clarus: qvæ poten-

potentiæ conjuncta rempub. felicius moderabatur. Belli contra Balderum ſuſcepti hæc cauſa fuit. Regi Norwegiæ Gevaro filia erat nomine Nanna, virtute & forma illuſtris. Hujus matrimonium Hotherus à patre virginis expetebat. Sed æmulum nuptiarum in Dania habuit Balderum, ex Othini, ut volunt, ſangvine. Ut autem Rex Gevarus neutrum offenderet; uterqve enim fortunatus & potens erat; arbitrio filiæ permiſit eligere, qvem mallet. Ita verò poteſtate deligendi ſibi facta, Baldero prætulit Hotherum. Hanc repulſæ ignominiam non æqviore animo tulit Balderus, qvàm ut Hothero bellum indiceret. Coacto ex Danis & Saxonibus milite, ſocioqve belli Geldero Saxonum duce, adverſus Hotherum prodit. Nec moram interpoſuit Hotherus, juſtis armis & viribus cum eo congreſſus. Prælium, more ſuo anceps, multos utrimqve ſtravit. Victoria tamen in partes Hotheri tandem conceſſit, in fugam acto Baldero, Saxonum navibus partim depreſſis, partim combuſtis, ipſis verò militibus cum duce ſuo profligatis. Poſt res tam proſperè geſtas, Hotherus in Norvegiam ſe confert, & nuptiis cum regia filiâ Nannâ factis, eam ſecum in Svetiam ducit. Ubi verò ſe cum conjuge ſua ſolenniter inaugurari à Svecis deſiderat, interea Balderus cum Danis agit, ut renunciatâ Hothero fide, ſe regem crearent. Hoc armis & dextra ultricibus proſeqvuturus Hotherus, non meliori fortunâ uſus eſt; qvam ut hoſtis ejus claſſe potitus, ipſum in Jutiam fugaret. Sed ille, viribus inſtauratis, pugnam redintegrat. In ea per totum diem animoſè, æqvâ tamen fortunâ, decertabatur, donec nox interveniſſet. Exploratis noctu Balderi caſtris, ſummo mane eum denuò adoritur, tam felici ſucceſſu, ut hoſte cæſo, Balderus ex inflicto vulnere poſt triduum decederet. Ita Danis fuſis & ad obſeqvium ac fidem redactis, Hotherus in Sveciam victor redit. Hanc verò felicitatem non parum interpellavit interitus ſoceri Gevari, qvi à Gunnone, regni Satrapa, vel, ut noſtri annales, à miniſtro aulico per inſidias captus & fœdè crematus eſt. Hotherus parricidam comprehenſum gravi ſupplicio affecit, & regnum Norvegiæ educatoris & ſoceri ſui filiis, in grati pro educatione animi teſtimonium, tradidit. Bello Danico ſopito, nondum tamen Hothero qvieſcere licuit: dum Bous, Ruſſorum princeps, frater Balderi, arma ei, fraternæ necis ulciſcendæ cauſa, infert. Adverſus hunc interritus, animo ſe & ſuum regnum tuendi, progreditur; prius tamen Ordinibus regni Svetiæ & Daniæ perſvaſis, ut, ſi qvid ipſi interim accideret, Rodericum filium ſucceſſorem caperent. In iſto prælio Hotherus occubuit, nec tamen inultus, multis Ruſſorum & ipſo Boo cæſis; qvi paulo poſt pugnam ſpiritum in lecto emiſit, qvem in acie maluiſſet.

RODERICUS.

Saxoni Röricus Hotheri filius, Rex Sveciæ & Daniæ, ſucceſſionis ordine ab utriusqve regni ſubditis approbato, inprimis virtutum merito creatur. Primum bellum adverſus Ruthenos, patris ſui interfectores, movit. Qvibus debellatis in Curetes & Wendos, Sveciæ fines excurſionibus & populatione divexare ſvetos, ivit, eisqve ex ſententia victis tributum imperavit. Etſi hoc initio abnuebant, tamen hac lege ſe ſubituros ſpondent, ſi cæteris præſtantior inter eos miles, qvi duellum ſubire qveat, ab adverſario ſuperetur; ſi ſuperet adverſarium, â tributo immunes fore. Accepta eſt ab utrisqve conditio. Duelli verò non alius erat exitus, qvàm ut hoſtium pugil ab Ubbone Dano, vel, ut qvidam tradunt, Friſio cæderetur. Qvamvis Ubbo qvoqve ex vulnere in pugna accepto non multò poſt mortem oppeteret. Iſte Ubbo, dum ante certamen armillas aureas, victoriæ præmium â rege ipſi promiſſum, apud alium in duelli eventum deponi rogaſſet; ut eò certior de illo eſſet, Rex eas conſtrictas in illius navim trajicere adnitebatur; ſed ob majorem intercapedinem fallente jactu, cum omnium adſpectantium voluptate ac riſu in mare decidebant: unde Rodericus *Sliungoband* id eſt *Funditoris* cognomen tulit. Regnum verò Daniæ ob rebellionem ſibi ſubjectorum, inprimis ſævam dominationem Horvendilli, Feugonis & Amleti, de qvibus Saxo et Joh. Gothus plura, vel abdicans vel relinqvens, in regno Svetiæ & altâ qviete uſqve ad ipſum vitæ terminum permanſit. Qvod verò Saxo ſcribit, Svedos â morte Hotheri defeciſſe â Roderico, & tributum poſtulatum Regi Daniæ denegaſſe, qvid rationis habeat, Carolus nonus in ſuis annalibus ſe ſatis videre negat. Rodericum enim non Danicæ, ſed Sveticæ ſtirpis fuiſſe: qvomodo ergò Svedos poſſe dici tributum debere Daniæ? qvi illud ſuo regi indigenæ penderent.

ATTILUS al: ATISLUS.

Roderici filius & ſucceſſor fortitudinis fama inclytus. Qvum vicinos & remotiores barbaros latè domuiſſet, ne partum virtute belloqve nomen otio & deſidiâ perderet, compluria, qvæ ad agitationem animi & corporis facerent, excogitavit. Animum præcipuè qvotidianis imperii negotiis & civilibus curis ita exercebat atqve indurabat, ut nullam rem tam difficilem atqve arduam duceret, qvæ illum ſtatu movere poſſet. Ut corpus laboris militaris patiens redderet, indies ferme, integram armaturam indutus, aliqvot ſpatia incedendo conficiebat. Cives militesqve crebro

armorum uſu exercitos, belli præliorumqve ſimulacra edocebat. Juſtis conſcriptis copiis, in Daniam contra Regem Wermundum ivit, conſilio regnum illud recuperandi, qvod ejus pater, avus, proavus tenuerant. In Jutia ei obviam fit Frowinus, dux exercitus Danici, militia clarus. Inter illos prælium tanto animorum fervore conſertum eſt, ut pro libertate magis qvàm vita dimicantes, multi utrimqve occumberent. Ad prohibendam in poſterum tot hominum ſtragem, ſingularis pugna ab utroqve imperatore delecta eſt: in qva fortiter ſtantem Frowinum Attilus fortior dejecit & neci dedit. Frowinus duos reliqverat filios, Rethonem, vel, ut alii nuncupant, Kethonem & Vigonem, animoſos juvenes, paternæ necis ultionem mente verſantes; etiamſi illam ſua vita redimere cogerentur. Eo animo in Svetiam abeunt, & genus ſuum nominaqve diſſimulantes, in Regis Attili aulam, ſub ſpecie officii ac honoris Regi præſtandorum, admitti petunt. Admittuntur. Rex ſermone cum illis familiarius qvàm cautius habito, percontatur, *qvæ illis patria ſit.* Illi *Slesvvicum*, reſpondent; *patriâ verò cædis cauſa profugiſſe.* Qvo ambiguo reſponſo regis ſuſpicionem eludebant. Inſtat Rex qværendo: *num Dani ſciant, cujus manu occiſus ſit Frovvinus.* Illi *pro certo ſe tenere* negant, *ſed qvicunqve ſit, præſtantem fuiſſe armis virum, ſe inficias ire non poſſe* ajunt, *cujus manu tam ſtrenuus ceciderit.* Cæterum, *qvid*, inqvit Rex, *de eo dubitare attinet? qvum compertum ſit, mea manu cæſum occubuiſſe.* Mox de Frowini filiorum ætate & corporis habitu eos interrogat. Ad qvæ licet reſponſum involucro tegere conarentur, dum ſe illis ætate æqvales, robore & proceritate corporis pares eſſe dicunt; tamen, ſi Rex accuratius exqvirere vel attendere animum voluiſſet, qvod ipſi Frowini filii eſſent, animadvertere potuiſſet. Sed dum credulo regi ſimulatione fidei imponunt, tanto nocentiores fuere, qvanto ad tempus preſſa odia pejora erant profeſſis. Dum enim Rex conſveverat ſæpè ſolus corporis exercendi & animi cauſa exſpatiari, occaſioni invigilantes, Regi velut honoris cauſa apparent. Tandem in conſpectum ejus ferocius progreſſi, *ſe Frovvini filios* apertè profitentur *eoqve animo huc acceſſiſſe, ut patris cædem ulciſcantur in illo, qui ſe ejus authorem ambitioſè jactaſſet.* Rex *eos ſibi ſuæqve vitæ conſulere* monet; *non ſe ſibiipſi, ſed illis metuere: ne cæcâ rabie provecti, eodem fato, qvo pater eorum, interirent.* Sed ſpretis regis monitis, inceptum peragunt, & regem ferro invadunt. qvi, licet ſolus, ſe tamen ita propugnat ac defendit, & Rethonem ferro ſic excipit, ut ipſius galeâ diffiſsâ & vertici gravi vulnere

nere

nere illato, eum ad terram affligeret. Mox Vigo ſuccurrit fratri,&c. ambo junctis manibus & armis regem lucta defatigatum interimunt. Hoc facinus duplici nomine laudavit ac honoribus proſeqvutus eſt Wermundus: & qvod cædis paternæ ultionem tam ſtrenuè exſeqvuti, & qvod ipſe tam potenti ac forti hoſte æmuloqve liberatus eſſet. Fratres enim ſtudio inſidiandi Attilo, qvamvis blanditias & obſeqvium mala arte præ ſe ferrent, irrepebant in Regis aulam & animum, qvi non furtim aut fraude, ſed in legitimo duello, uti eo tempore habebatur, & de qvo inter utrumqve convenerat, occidit Frowinum. Illi verò contra duelli leges, duo unum ex inſidiis impetebant & opprimebant, Unde nec ipſe Saxo approbat, ſed plus opprobrii qvàm laudis habuiſſe ſcribit,& in proverbium iviſſe, *priſcum dimicandi jus regium labefactaſſe interitum*.

ALRICUS

In illo temporis intervallo, qvo Attilus & Alricus rerum potiti ſunt, alios atqve plures fuiſſe reges Svetiæ, longius ſpatium arguit; ſed qvinam fuerint & qvæ eorum nomina, veteres haud ſatis exprimunt. Johannes Gothus hic qvidem inſerit ſeriem novem regum, Botvildi, Caroli II. celebris, in dicti auctoris hiſtoria, hoſpitalitatis laude, & qvod ter negantis hoſpitium viatori, ædes incendi juſſerit; item Grimmeri, Tordonis, Gothari, Adolphi, Algothi, Erici II. & Lindormi; ſed hanc, ut non ſatis liqvidam & compertam, ſcriptori relinqvimus. Alricus Agni filius, ut annales Norwegici, ſed ut Svetici volunt, Lindormi nepos, ſoli Sveticæ præfuiſſe fertur, Gothis Geſtiblindus. Inter hos ſeceſſione facta, grave odium, & ex eo bellum ortum fuiſſe tradunt. Sed qvum Gothorum rex ſe viribus inferiorem ſentiret, ſuppetias rogavit Frothonem regem Danorum, opibus valentem & fama rerum bene geſtarum clariſſimum. Johannes Magnus Rollerum Norwegiæ regem ſuppetias rogaſſe refert. Auxilium ab eodem ex voto accepit, Erico ſapiente & Scalcone ducibus. Eorum copias cum ſuis conjunctas in Wermelandiam expedivit; qvàm Gimto, Guntionus Saxoni, Alrici filius cum parte Norwegiæ, parentis ſui nomine occupatæ, tunc poſſidebat. Ibi primo in prælio Alrici filius cum ſuo milite cæſus occubuit. Alrico qvidem filii mors dolori fuit; non tamen ut animum ipſi auferret, ſed magis accenderet ad ultionem. Ejus ſpe cum toto exercitu in hoſtem fertur. Uterqve congreſſus ſtrenuam inivit pugnam; ut diu incertum eſſet, qvò fortuna ſe datura eſſet. Alricus autem deſiderio unici filii, & faſtidio longioris vitæ, Geſtiblindo duellum offert, qvamcunqve fortunam experturus.

C 2 Venum

Verùm Ericus ſapiens, ſe vicem Geſtiblindi ſubiturum ſignificat: qvippe non ſatis decorum & ex uſu fore, illum ſenio & viribus confectum cum vegeto & florentis ætatis viro congredi. Alricus adqvieſcens, manus cum Erico confert. Hic pares virtute & eqveſtri laude, tanto animorum æſtu concurrunt, ut uterqve graviter vulneraretur. Alricus autem, lethifero vulnere ictus, in loco duelli cadebat. Eo extincto, utrumqve regnum in poteſtatem Geſtiblindi pervenit. Sed ille, jam admodum ſenex & improles, uti Johannes Gothus ſcribit, Ericum Rolleri germanum fratrem & ſibi conſangvineum, certè bene de ſe meritum adoptavit. Qvin ei, qvi oris, animi & ingenii præſtantia factisqve rege dignis meruerat imperium, unà cum ſubditorum conſensu Svetiæ & Gothiæ regna tradebantur: qvæ ante divulſa, hac occaſione iterum in unum coivere.

ERICUS III. Cognomine SAPIENS, aliis DISERTUS.

Anteqvam regno Svetiæ potiretur, apud Frothonem Daniæ regem intimæ admiſſionis & unicè gratioſus erat. Nam ejus facundiæ, de qva alibi, in periculis ſubſidio, in pacis belliqve actionibus prudentiæ, conſiliis & fortitudini Regem magna ex parte fortunam ſuam debuiſſe, Saxo prolixè in ſua hiſtoria oſtendit. Ad imperium Svetiæ elatus, nihil antiqvius habuit regni bono, omnemqve ſuam ſapientiam & curam eò contulit, ut cives juris & æqvi, pacis honeſtiqve otii commodis ac fructibus in qviete feliciter uterentur. Belli tamen expers haud fuit, dum fœdere Frothoni conjunctus, ei contra Norvegos opem tulit, qvod niſi feciſſet, Frotho de ſalute ſua in diſcrimen veniſſet; licet ex ingenti exercitu pauci evaderent. Tam vehemens enim utrimqve prælium fuit, & inde clades, ut magnos cæſorum acervos faceret. Poſt hæc triginta octo annos vixiſſe, & patriâ in tranqvillum redactâ, florentibus pace & concordia civibus, terris exceſſiſſe, proditur.

HALDANUS.

Erici ſapientis filius, Svedorum, Getericus, qvem Johannes Gothus Erici filium natu maximum fuiſſe ſcribit, Gothorum rex creatur, & poſt ejus mortem Vilmerus filius, & hoc defuncto, nepos Nordianus; de qvibus etiam Jornandes & Ericus Vpſalienſis agunt. Cæterum Getericus & Vilmerus, qvi idem cum Vilchino fuiſſe creditur, ad exterorum Gothorum, vel regno emigrantium reges potius referendi ſunt. Hoc tamen hîc non præ-

prætereundum eſſe videtur, qvod ſub Vilmero ingens *Hunnorum*, hoc eſt *Ruſſorum*, uti tunc vocabantur, exercitus in Weſtrogothiam & alias provincias, metu gentis Gothicæ, Eſthoniam jam ſibi ſubjugantis, effuſus, Hernito & Oſantrige ducibus, pro lubitu graſſatus eſt, obvia qvæqve populando; donec â Gothis, conjunctis viribus in Ruſſiam repelleretur. Sed â morte Vilmeri reverſus, Gothiam, robore exercitus in exteras oras educti, vacuam occupavit, & ad tempus obtinuit; donec filius regis Ruſſorum, qvem ſibi in Ruſſiam regreſſo militiæ præfectum ſubſtituerat, â Gothis occideretur, & Ruſſi ab illis vi militari expellerentur; de qvo bello Ericus Upſal. & Johannes Magnus plura. Ab illis autem *Hunnis* in Weſtrogothia *Hunaberg* nomen accepiſſe creditur, & hujus loci accolæ adhuc pro ferocibus & ſtrenuis militibus habentur. Illud etiam, velut memoriâ non indignum, addere viſum eſt: qvod veriſimile ſit, iſtam gentem Hunnorum vel Ruſſorum olim qvoqve in Sudermanniam & vicinas oras excurſione facta adeò ſæviiſſe in obvios & depopulatam eſſe iſtas terras, ut priſcæ immanitatis memoriam & hoſtium etſi defunctorum inanem formidinem in qvorundam incolarum & poſterorum animis reliqverit. Nam ut ex fide digno viro accepimus, qvuum fama ſit, apud Sudermannos in Eccleſiæ Markerydenſis cæmiterio qvondam *humo mandatum eſſe ductorem* qvendam *exercitus Hunnorum*, Hunosgraff adhuc Sveticè dicitur, nolunt coloni loci, prope id ſepulchrum aliqvem defunctorum ſuorum ſepeliri, aut illud tangi: ne denuò exſurgat Hunnorum exercitus, talis adhuc vulgi eſt ſuperſtitioſa opinio. In Calmarienſi diœceſi parœcia *Ryſbyenſis* â Ruſſis olim iſtic graſſantibus qvoqve nomen traxiſſe fertur. Haldanus bello â Norvegis per occaſionem diſcordiæ civilis Sveonum & Gothorum petitus, opem â patre Frothoni regi Daniæ contra ipſos olim latam in filio ultum ivere. Erant apud eos duodecim fratres (qvindecim Johannes Gothus habet) opibus & copiis pollentes, qvi gravem non ſemel incurſionem Haraldo duce, in Svetiam faciebant. His licet maſculè repugnaret Haldanus & eorum machinationes diſturbaret, haud exiguum tamen ipſi negotium faceſſebant virium propriis facultatibus, & alienarum ſubinde acceſſione. Qvin Haldanus ſimilem inire rationem coactus, ad Fridlevum, Frothonis regis Daniæ filium, de auxilio miſit, conſtantis inter utriusqve parentes, dum in vivis erant, amicitiæ fiduciâ motus. Fridlevus ex Haldani literis de morte patris, qvam ipſi fama nondum aperuerat, & de alieno regni Danici ſucceſſore, certior factus, absqve morâ diſceſſum ex Ruſſia parat; & ab ejus Principe, cui, ut cognato ſuo, fideliter militarat, tot impetrat co-

pias, qvot ſibi ſuoqve inſtituto ſufficere exiſtimabat. cum his in Svediam, Haldano ſuppetias laturus, & ſociatis viribus, hinc in Norwegiam contendit: ubi hoſtem & XII. fratres feliciter devicerunt. Inde in Daniam abeunt. Iſtic Haldanus Fridlevo operam reddit, & mutua ope præſto eſt: eo ſucceſſu, ut paterni regni ſedi reſtitueretur. Ex hiſce & aliis inter utrumqve & invicem benefactis inter eos ſolidum deinde pacis & amicitiæ fœdus conglutinatum eſt. Haldanus autem ab inimicis & proditoribus domeſticis, ut Carolus perhibet, ut Johannes Gothus, ab ingratis æmulis, vel, ut alibi ſcribit, ob ſeverius imperium occidebatur.

SIGVARDUS vel SIVARDUS I.

Ad paternum & regium faſtigium, etſi difficulter, aſcendit. Adverſarii enim ejus ipſi obſtaculo erant; donec Starchaterus (de qvo multa Johannes Magnus) qvi conſilio & authoritate ſua plurimum apud proceres & populum valebat, illis perſvaſit, ut Sivardus præ extraneo ad paternam ſedem eveheretur; data tamen fide, ne patris homicidas ulla perſeqveretur ultione, ſed eam perpetua oblivione aboleret. Ulvidam, filiam ſuam Frothoni Olai regis Daniæ filio in matrimonium collocavit, ſed parum felix: qvippe inſtinctu uxoris, fratrem ſuum ex occulto interemit. Haldanus autem occiſi grandis natu filius, iſtius patricidii ultor, Frothonem regno & vita devolvit. Inde armis invadit Svetiam, & in ea Sigvardum, iſtius facinoris, ut arbitrabatur, participem in prælio interfecit. *Carolus* Gordiani nepos, tunc â Gothis ſeorſum electus erat. Iſte filiam ſuam Signem nuptui dederat Haraldo, Frothoni regis Daniæ fratri, arctioris fœderis & virium ſtabiliendarum cauſa; ſed parum proſpero fato, dum â Frothone inſidiis ſublatus creditur. Eqvidem propius fidem eſt, qvi proprio fratri, Caroli genero non parcebat, illum nec ejus ſocero peperciſſe.

ERICUS IV.

Sigvardi ex filia nepos rex Sveciæ factus eſt. Odium Haraldi & Haldani, qvod adverſus patruum Frothonem & avum maternum Sigvardum geſſerant, ad ipſum qvoqve, ut propinqvi ſangvinis, pertingebat. Hoc ita crevit, ut ex ſe gigneret bellum inter Ericum & Haldanum. Ille Haldano in Svediam cum ingenti militum manu tendenti occurrit, & acie cum ipſo dimicare non reformidat. Acre fit prælium: in qvo prima cædes facta eſt Erici copiis. Haldanus fortitudinis gloriâ clarus, clava

ferrea armatus, obvia qvæqve proſternit, & inter alios ſtrenuum athletam Haqvinum, Erici amicum. Ejus ars magica, cujus ſingularem peritiam jactabat, ad retundendam ferri vim hic nihil valuit. Tandem Haldanus non paucis qvoqve vulneribus ſaucius, victusqve, fuga ſibi conſuluit & in ſylvis delituit, donec ex occaſione in Helſingiam perveniret. Ibi hoſpitio pugilis Widulfi (aliis Vitolfi) exceptus eſt, qvi ſub patre Haraldo ſtipendia fecerat. Ericus cognito, qvò ſe Haldanus recepiſſet, eò manum militum miſit, qvi eum vel mortuum vel vivum adducant. Illis verò ad diverſorium ejus accedentibus, oculorum aciem ita præſtrinxit Widulphus, magicæ artis gnarus, ut qvos ſe inveſtigantes coram intuebatur Haldanus, eorum conſpectum ipſe falleret. Sic Haldanus Widulfi fraude elapſus, & ſimul corpore curatus, per Turonem pugilem novum colligit exercitum, cum Erico pugnæ fortunam iterum tentaturus. Sed qvum ab illo ſe viribus ſuperari intelligeret, inſidias ei fecit; qvamvis inani conatu. Qvippe Ericus alia via ſe & exercitum ſuum inopinatò ſuperfudit Haldano, eumqve â tergo premens fugam capere coëgit. Ille cum Turone ſuo & paucis aliis receptum in montes vicinos petebat: unde minora majoraqve ſaxa, qvæcunqve ſors & locus offerebant, in ſubeuntem Erici exercitum projiciens, tantum effeciſſe dicitur, ut Ericus, ne præſenti periculo militem exponeret, in fugam ſe dans, uti nonnulli volunt, Haldano, qvos inſederat, *montes* relinqveret; Haldanus autem inde lingvâ Scandicâ *Bergram* diceretur. At noſtris ſcriptoribus vero ſimilius videtur, qvod, Haldano ſibi præſidium â ſilvis & montibus petente, Ericus noluerit ibi tempus fruſtra terere, meliori occaſioni & majoribus actionibus ſervandum; nec ſe dignum ratus ſit, hoſtem, ut feras in collibus ac nemoribus temerè vagantes, inſectari & agitare. Non multò poſt Ericus procincta claſſe trajecit exercitum in Daniam, conſilio eam populandi, atqve ea occaſione Haldanum ex Svetia avocandi ad regni ſui defenſionem. Sed ille in certamen venit cum Haraldo Haldani fratre; qvem tribus præliis ſuperatum, qvarto interemit. Eâ clade compertâ, Haldanus è Svetia in Daniam properat. Ericus autem victor in Svetiam regreditur, & ad tempus qvietam vitam agit; donec Haldanus armata claſſe Svetiam repeteret; majorem belli prætextum habere viſus, qvod frater ejus ab Erico qvamvis in acie, occiſus eſſet. Viribus tamen ſuis diffidens, Ericum dolo capere cogitabat. Totam claſſem in inſidiis locat, exceptis duabus navibus, qvas in mari oſtendebat. Ericus decem navium claſſe

hoſtem,

hoſtem, inſtar vulpis huc illuc diſcurrentem, veſtigio perſeqvitur. Sed ab hoſte deductus in inſidias; contra qvas, ut latentes, aperta vis armorum ſi ſecura, non ſatis tuta eſt; & ab iis circumventus, honeſtè occumbere, qvàm precarium ſpiritum & ſervilem vitam ſub hoſte ducere maluit.

HALDANUS BERGRAM.

Caroli Gothorum regis nepos, ob propinqvitatis neceſſitudinem, militaris virtutis & ultionis in patris fratrisqve parricidas ſtrenuè exercitæ gloriam, etiam ad regnum Svetiæ, antea Daniæ imperium tenens, evehitur. Imperium ſuum exorſus â vicinorum Principum conciliandâ concordiâ & fide, Ungvinum agnatum ſuum, Gothorum Ducem amicitiæ fœdere ſibi adjunxit, communi adverſus vim externam & inteſtinos motus ſubſidio. Deinde rebus domi ordinatis & firmato regno, piratis, qvibus mare Balthicum ex occaſione diuturni inter reges ſeptentrionales belli completum erat, omne mare purgavit. Inter prædones iſtos præcipui erant Tocho & Anundus, qvos cum ſuis fudit Haldanus, & Oceanum tutum, commerciis & navigationibus amicum reddidit. Interim dum Rex abeſt, Sigvardus opibus valens, cui ſeptem filii, ſtrenui pugiles erant (ex qvo procaces ipſi ſpiritus acceſſerant) adverſus regem, vel odio ejus, ut extraneo ſangvine orti, vel qvod ſeveri ejus imperii pertæſum eſſet, vel ambitu & cupiditate regni, rebellionem cum aliis ex prima nobilitate in ſuas partes traductis aggreditur. Hi motus Haldanum domum revocant: ut eos in primo ortu, anteqvam matureſcant, reprimat. Ubi illum cum ingenti exercitu adventare factioſi comperiunt, paſſim dilabuntur, & â Sigvardo deficiunt, in eumqve culpam conſpirationis & tumultus hujus præcipuam conferunt, nec abs re: qvod auctor & concitator ejus fuerat. Ille autem capiti ſuo timens, & ſolus cum filiis relictus, conſilium cepit duello regem provocandi, velut arbitrio fortunæ utcunqve eventuræ. Rex laceſſitus ad certamen Sigvardi & ſeptem filiorum, non qvidem abnuit pugnam; ut tamen potuiſſet, & in capita tumultus ex lege animadvertere; ſed *unum contra unum, ex lege duelli vel more majorum dimicare fas eſſe* contendit. *patrem & filios tanqvam pro iisdem aut uno ſangvine haberi*, reſpondit Sigvardus; *qvod verò Haldanus in frigido lecto ſolus cubuiſſet, ſibi ipſe culpæ verteret.* Urbanè tangebat eum, qvod nullos haberet liberos: non enim iniverat matrimonium, perpetuis belli curis diſtrictus. Cum Sigvardo tamen & filiis ejus congreſſus, omnes, abjecto enſe, qvercuqve radicibus evulſa, ut nonnulli ſcribunt, proſtravit. qvod ſi verum, aut gigantem aut valde robuſto corpore oportet fuiſſe. Qvidqvid ſit, qvocunqve modo eos internecioni dedit.

dit. Dicitur idem nobiles aliqvot pugiles, Harthbeenum Helſingum, novem cubitos, ut ferunt, longum, Egtherum, Grimmerum, Ebbonem in duello ſuſtuliſſe. Poſt iſtæc in tranqvillo otio & pace vitam peregit, ultimæqve voluntatis tabulis Ungvinum ſibi ſucceſſorem deſignavit.

UNGVINUS.

Qvibusdam Euginus, Gothorum Dux, de qvo ſupra in vita Haldani, ex Haldani ſuprema ordinatione ad regnum Svetiæ qvoqve evehitur. Qvamvis autem cives regni initio illum ægrè admitterent: qvod iſtam ordinationem libertati ipſorum in eligendo rege vim qvandam aut fraudem facere credebant; tandem tamen adſenſum præbuerunt, & Ungvini deſignationem voluntate ſua confirmarunt. Rex Gothiam Svetiæ iterum adjunxit, & regni ſtatum in tranqvillo locavit; ſatis peritus, turbato regno & bellis feſſo, pace & otio opus eſſe. Vir probus cives ſuos, ut pater filios amabat ac regebat: unde omnibus chariſſimus erat. Tandem verò Regis virtus odio eſſe cœpit improbis & invidis: qvi, eo poſtpoſito, Ragvaldum ſibi regnoqve præfecerunt. Iſte coactis copiis nec opinantem opprimit Ungvinum, & regis ſangvine ac morte manus ſuas ac conſcientiam contaminat, præfertqve turbida & ancipitia rebus qvietis tutisqve, ac juſto vel nulli imperio regis cruore partum regnum.

RAGVALDUS ſive REGNALDUS.

Nobili & regio ſangvine in Svetia, ut volunt, ortus, vi & factione qvorundam regno obtruſus, â Sigvaldo Ungvini filio, rege tunc Daniæ, non potuit non expectare paternæ cædis ultionem. Itaqve occupandum ratus, juſto cum exercitu & armata claſſe in Daniam egreſſus eſt. Nec minus Sigvaldus, ſuccinctis viribus aderat. Initur vehemens prælium in Sialandia, in tertium diem tractum, ſolis tenebris pugnam dirimentibus. Extremò Ragvaldi cædes finem pugnæ fecit. Sic qvi malè aſcenderat, infeliciter faſtigio ſuo decidit. At rege cæſo, etiam milites animis conciderunt & effusè fugientes, ſalutem â pedibus petiverunt; fortiſſimis etiam ducum in ſocietatem fugæ ſubita conſternatione, an turbâ fugientium abreptis.

AMUNDUS.

Hamundus Saxoni, Ragvaldi filius, communi civium approbatione rex fit. Qvatuor habuiſſe filios fertur, Haqvinum, Helvinum, Hagbardum & Amundum. Haqvinus mare occidentale ejusqve inſulas, reliqvi fratres mare orientale prædando pervagati, ac ingentibus ſpoliis ditati

ſunt. Iidem obviam fiunt Sigari Danorum regis filiis: qvi pari modo mare infeſtabant. Utriqve opibus & animis feroces, ſibi invicem cedere indignum ſe exiſtimant. Unde ad manus & prælium venerunt, per totam diem continuatum. Poſtero die cladem utrimqve ſeriò æſtimantes, diſſidium mutuo pacis fœdere compoſuerunt. Hoc tamen non diu ſtetit, malorum hominum fraude corruptum. Omnes in Daniam junctim ſe recipiunt. Hagbardus aulam regis Sigari petit. Ei erat filia nomine Signis, non minus animi qvam formæ eligentiâ præſtans: cujus nuptias complures impensè expetebant; inprimis Hildegisleus illuſtri Teutonum ſangvine ortus. Hic ſpecie corporis generisqve ſplendore inflatus, ejus matrimonium ſibi certò promittebat. Illa tamen ei Hagbardum (alii Haborem nominant) non tam formæ & natalium etſi nec hi deerant, qvam facinorum gloria clarum antetulit. Eqvidem primo cum ea colloqvio ita ſe ejus animo inſinuabat, ut mutuam conjugii fidem paciſcerentur. Hildegisleus poſtpoſitus, ad vindictam accenditur. Unum ex amicis regis Bolveſium magnâ largitione corruptum eò perducit, ut ſocietatis & amicitiæ vinculum inter Amundi & Sigari filios qvacunqve arte diſſolutum eat. Nec rudis ad hanc rem Bolveſius erat; more aularum, qvæ plerumqve habent, qvi ex invidia ſuſpicionum & diſſidiorum materiem inter amicos per calumniam alant; donec arcta amicitia in ſævum odium deſinat. Alphus & Algerus â Bolveſio fallaci ſermone perſvadentur, Amundi filios amicitiam, cum illis conciliatam, ſolùm ſimulare, non ex fide colere: ut ſub amicorum perſonâ facilius fallant. Sigari filios, niſi occuparent, malum accepturos. Illi facile credentes, violatis pactis, duos Amundi filios, Helvinum & Amundum nihil tale ſuſpicantes, ad portum, qvi ſinus Amundi appellatur, ex inſidiis adoriuntur, opprimunt, trucidant. Hagbardus occiſorum frater, hanc immanem perfidiam internecione filiorum Sigari & ſociorum ultus eſt. Cæterum hoc peracto, ſibi nullam vel exiguam ſpem regis gratiæ & matrimonii Signes ſuperfore ratus; qvam tamen ardentiſſimo amore complectebatur, nec minus ipſa illum; dolo tentandum ſtatuit, qvod rectâ forſan via non adipiſceretur. Muliebri amictu indutus regiam intrat, & in gynecæum recipi petit. Hoc ex voto ipſi obtigit. Ob ſtuprum verò filiæ Sigari, lecti ſociæ, ut volunt, illatum, poſtea proditur, capitur, damnatur & patibulo affigitur. Signis erectum ſtipitem, eiqve Hagbardi amiculum in rei ſignificationem injectum cernens, ulterioris vitæ uſum præ nimio erga ipſum amore faſtidit, & aulæ, in qva degebat, facibus ſubjectis, ſpirituqve per faſcias ex peplis contortas intercluſo,

ſe cum

ſe cum ſuis puellis & ſuo amore flammis & cineribus componendam tradit. Qvo funere conſpecto, Hagbardus ad ſupplicium feſtinat, ipſe qvoqve pertæſus vitæ, qvod eam extinctam intelligebat, cum qva vivere & mori præoptarat. Hoc accidiſſe in Sialandia prope Sigerſtadium Danici ſcriptores tradunt; at noſtri in Sveciâ prope Sigtuniam in *planitie*, qvæ ab Hugbardo vel *Habore* nomen adhuc retinet; de qvibus ipſi hiſtorici adeantur. Haqvinus vel Hacho, comperto in Hybernia funeſto fratrum fato, cum ſuis copiis movet in Daniam, ad illud fratricidium ulciſcendum. In Sialandiam appellens claſſem, exponit exercitum in littus & regiam recta petit. Milites verò præciſos ramos manibus præ ſe geſtare, & ſic inprovidam urbem invadere jubet. Iſtud ubi ſtationis urbi proximæ milites viderunt, certatim adcurrentes, *ſe rem ſtupendam oculis ſuis objectam regi relatum venire* ajunt, nimirum *ſilvam ſede ſua motam ambulare, & regiæ propinqvare;* talem illis ſpeciem eminus referre videbatur. Sigarus, qvid rei eſſet, altius animo volvens, *hunc imaginarium nemoris acceſſum ſibi extrema portendere* reſpondit. Absqve mora tumultuarias copias colligens Svedis in occurſum exit. qvi acerrimis animis pugnam ingrediuntur, & ipſo Sigaro Daniæ rege cæſo, victores evadunt. Haqvinus crudeliter victoria uſus, nulli ſexui, ordini, ætati pepercit, urbem diripuit, Daniam populando pervaſit, donec nuntio de morte patris accepto, domum revocaretur. Haqvinum tamen cognomine Superbum poſt ſe ducem reliqvit. Dani Sigvaldo Sigari filio ſibi imperatore ſumpto, non levi impetu in Svedos excurrunt, qvi licet viribus, non tamen animis minores, hoſti ſua corpora, arma & manus ſtrenuè oppoſuerunt; ita ut Sigvaldus & Haqvinus ſuperbus, cum multis millibus utrinqve cæſis, in prælio occiderent; & ita deminueretur regius Daniæ ſangvis, ut in unâ virgine Gyritha, velut in abſciſſi ſtipitis ſurculo, reſideret.

HAQVINUS vel HACHO.

Natu maximus Amundi filius, ab exceſſu patris rex Svetiæ, Sivardo ad Gothici regni culmen evecto (de cujus filia Alvida prolixè poſt Saxonem Johannes Gothus) in annalibus Svetiæ paucis memoratur. Unde colligunt, qvàm ante ſuceptum regnum inqvietus & aſſiduus in bellis fuerat, de qvibus in vita Amundi patris, tam qvietum poſt hæc imperium, pace reconciliatâ habuiſſe, & in tranqvilla ſenectute

vitæ metam contigiſſe. Poſt Hachonem, Johannes Gothus Sivardum, Ingonem, Frothonem & Urbarum proximos ponit.

OSTENUS I.

Inter Hachonem & Alverum â Saxone collocari videtur, etſi non expreſſo ejus nomine, qvod ex annalibus Svecicis & Norvegicis patet. Johannes Magnus Oſtenum Urbari filium facit, & qvidem authore Erico Upſal. Norvegorum patriam Oſtenus igne ferroqve populatus eſt, duce Gunnaro, cui expeditionem in eos impoſuerat, Jamtiam, Trondhemiam totamqve adeò Norvegiam ita vaſtavit; ut qvam florentem invaſerat, deſolatam relinqveret: dum promiſcua direptione, contumeliâ & cæde â nullo loco, ſexu & ætate arma & vim abſtinebat. Nec intra hos fines ſævitia ejus ſtetit, ſed etiam inſveto atqve ignominioſo imperio devictos tractavit. Canem illis regem, non virum, non fœminam præpoſuit. Et hæc omnia in ultionem Nori (Nordianum Johannes Magnus vocat) fratris Oſteni, uti Ericus Upſal. vel filii ejus, ut annales Norvegici produnt, qvem pater Trondhemenſibus præfecerat; ſed illi eum interfecere, qvod variis cladium generibus eos affeciſſet. Obſeqvium iſti cani præſtandum, ſub ſevera abſcindendæ manus aut pedis pœna ſubjectis imperavit. Aliqvando ſuſpicabar, Oſtenum præfeciſſe eis hominem nomine vel re canem, aut qvi caninis moribus eſſet, cui nolentes volentes obtemperarent. Haud enim facile credat poſteritas, tam inhumanum fuiſſe Oſtenum, ut hominibus rectorem brutum obtruderet; aut Norvegos tam abjectis fuiſſe animis, ut canem regem ferrent. Sed præter alios Snorro Sturleſonius, vetus Norvegicæ hiſtoriæ ſcriptor idem adfirmat, additqve Oſtenum eis vel ſervum nomine *Faxe*, vel canem nomine *Sőr* obtuliſſe regem; ut, utrum vellent, ſibi eligerent: eos verò jam gravi bello exhauſtos, animisqve fermè fractos, metu majoris mali, & ſpe melioris libertatis ſub bellua qvàm ſervo fruendæ, canem prætuliſſe ſervo. De illo cane hoc qvoqve refert dictus ſcriptor, ne regem omnis planè rationis expertem haberent, incantationibus & vi magica trium hominum ſapientiam ipſi inſtillaſſe: duo verba latrando, ſed tertium articulata voce eum protuliſſe. Sed hæ fuere ludificationes diaboli. Saxo ſatrapas procuratos ſcribit, qvi ſub canis titulo publica negotia adminiſtrarent. Si qvando cœlum pluvium aut via lutoſa eſſet, eum aulicos miniſtros ſuis humeris geſtaſſe ferunt. Regiam ſedem habuiſſe in colle qvodam, qvi de ipſius nomine *Sőrshőg* dicebatur. Multa alia indigna Trondhemenſibus Oſtenum & nimia tributa impoſuiſſe perhibent: unde non ſolùm *Crudelis* cognomen tulit, ſed etiam paulo poſt

ab eo

ab eo diffugerunt; præcipuè Iamty Ketillo Iamte duce coloniam in Jamtiam tranſtuliſſe, & ab eo nomen accepiſſe feruntur. Tandem canis iſte â lupis, qvorum vim â grege pulſurus erat, diſcerptus eſt, melioribus hoſtibus & morte non dignus.

ALVERUS al. ALARICUS.

Ex primoribus procerum, ut Krantzius exiſtimat, non diu regno præfuit. Ruſſos tamen antea ſubactos, & tributa dependere recuſantes, ad officium redegiſſe dicitur. In ſuo exercitu ſtrenuum athletam habuit Hildigerum, is in duello cum fratre uterino, vel conſangvineo, inſcius qvod Hildigerus frater ejus eſſet, congreſſus eſt. Sed ipſe conſcius, hoc diſſimulavit: ne aut pugnam recuſando timidus, aut committendo, malitioſus exiſtimari poſſet. Cæterum præſtitiſſet hoc non diſſimulaſſe, qvod ipſi vitæ jactura conſtabat. Hoc duellum Saxo & Gothus prolixè enarrant. JohannesGothus Alaricum vel Alverum in extrema ætate inter amicorum manus animam efflaſſe ſcribit; & Ericum Upſalienſem erroris arguit, qvod referat, illum ab Erico fratre, ex invidia, qvum ipſi in ſucceſſione patris prælatus eſſet, atqve regnandi cupidine ducto, trucidatum; eamqve cædem, qvum aliud in promtu non eſſet, fræno peractam fuiſſe. Sed Ericus ſeqvutus eſt, ut liqvet, annales veteres Norvegicos, qvi dum poſt Dagerum proximè collocant Ingemarum vel Agnum, ab uxore ſuſpenſum, & poſt hunc Alricum & Ericum fratres, Dageri (de qvo ſup.) nepotes, de illis idem qvod Ericus, & qvidem hunc in modum referunt: *Strenuos fuiſſe milites, imprimis eqveſtribus exercitiis deditos. Aliqvando â famulis ſuis eqvitando longius excurriſſe, nec reverſos eſſe. Sed poſt inveſtigationem mortuos repertos, capitibus eorum vulneratis. Qvum autem nulla apud ſe arma haberent, eqvos tamen frænis exutos fuiſſe*: unde conjectura adſeqvi potuerunt, frænis ſe ipſos interemiſſe. Cauſam tamen ſcriptor Norvegicus non addit, ut Ericus Olai Upſal. qvi fratricidii cauſam dominandi cupiditatem notat, ut ſup. dictum, qvæ, ſi vera fuit, ipſius ſangvinis vinculum & fidem hîc poſtpoſuit, atqve, qvantum in ſe erat, exſtinxit. malum eò magis fugiendum, qvò magis divinis & naturæ legibus ſpretis, omnis modeſtiæ & honeſtatis fines, ſi ſibi nimis indulgeat, excedit. Alii verò negant iſtud fratricidium, & inter eos qvidam veterum.

INGO I.

Major natu Alveri filius ad regnum Svetiæ elatus eſt. Saxo de eo prodit, qvod regni paterni fortunâ non contentus, proferendi imperii

 cauſa,

cauſa, vel, ut Krantzius ſcribit, lite de finibus orta, & jure in alterius ditionem prætenſo, Danis bellum indixerit, ab Haraldo Rege Daniæ, antecapiente bellum & in Svetiam transferente, cum fratre Olao infeliciter oppreſſus fuerit; de qvo tamen nihil annales Svetici. Sed hoc, teſte Erico Upſal. qvod Upſaliæ regiam ſedem ex decreto pub. fixam eſſe voluerit: qvum non unus Rex cæpiſſet regiam aliò atqve aliò transferre. Ad dignitatem enim atqve uſum regni pertinere exiſtimabant rex & cives, ibi caput regni reſidere, ubi tunc præcipuum religionis (etſi paganæ) hoſpitium & domus erat: ubi ejus curam in propinqvo haberet; & ſuâ præſentiâ orbi Arctoo venerabiliorem atqve conſpectiorem faceret urbem, & ut in medio regni ſedes regia eſſet, ubi melius & commodius conventus de regni negotiis haberi poſſent. Sunt, qvi etiam ritus de Rege ſub dio in prato Moraång creando hunc primum auctorem fuiſſe ferunt. *Ingelſtad* pagus in Smalandia nomen ab eo habere & ibi erecto ingenti ſaxo ſepultus eſſe putatur.

INGELLUS I. vel INGELDUS.

Ingonis frater, poſt eum rerum potitus, â fratre ſuo Olao interfectus eſſe fertur. qvod ita accidiſſe produnt. Qvum Haraldus, rex Daniæ ab Ingello raptæ ſororis injuriâ laceſſitus, ei bellum intuliſſet, ancipitis fortunæ metu, & longioris militiæ tædio, pacem cum eo fecit, & raptam ſororem ei ſponte in matrimonium conceſſit; licet hoc ipſi infeliciter eveniret. Erat iſtæc fœmina proterva, impudica, nec bellæ famæ. Qvod cum notum eſſet Ingello, nihil tamen penſi habuit, aut ad animum admiſit; fortè aliter ab uxore perſvaſus. A fratre monitus, ne rem tantam, qvæ dedecoris labem ipſi, familiæ, regno tandem eſſet allatura, tam remiſsè ageret, ſed fœminæ levitatem debito modo compeſceret, Ingellus pergraviter hoc accepit. Inde â verbis ad ferrum perveniebatur; adeò ut Ingellus â fratre, ſubita rabie ex irâ percito, necaretur. Annales Norvegici hic planè alium ſucceſſionis ordinem tenent: Poſt Alricum, Ingonem & Alfredum ejus filios ponunt. Ingonem fortem, victoriis felicem, liberalem & humanum prædicant; Alfredum contra inhumanum, ſuperbum, parci ſermonis, & qvi ſemper domi hæreret. Uxorem in matrimonio habuiſſe Bertam (alii Beram, alii Gelam vocant) non malæ formæ, ſed callidam, & conſvetudine Ingonis magis, qvam Alfredi mariti delectatam. Aliqvando ex bello piratico redux, amicos ſuos, imprimis Alfredum cum uxore ejus Upſaliam ad convivium vocavit. Alfredus in tempore poſt epulas lectum petebat. Berta verò remanens, cum

Ingone,

Ingone, ut ſæpius antea, verba facere avebat: qvod ſingulari morum & ſermonis lepore, qvi fœminis arridere ſolet, præditus erat. Inter cætera virginem eam felicem prædicabat, qvam Ingo matrimonii ſociam nacturus eſſet. qvod non ſolùm æſtimatione illius, ſed etiam odio mariti ſui, qvi minùs commodis moribus erat, & infelicis conjugii tædio, dixiſſe videbatur. Hoc cum fortè audiviſſet Alfredus, ſibi non ferendum eſſe ducens, proſilit ê lecto, & ex improviſo interveniens Bertæ & Ingonis colloqviis, eum ſica transfigit. Ingo ſtricto ſtatim gladio iterum percuſſit Alfredum. Sic ambo mutua cæde exanimati peribant; in Upſaliæ collibus humo mandati. Hoc modo ea referunt annales Norvegici. Qvæ ſi vera ſint, ſuſpecta Bertæ propior conſvetudo cum Ingone fratricidio occaſionem præbuit, exemplum mulieribus, ne cum alieni thalami ſociis & viris familiarius, qvam honeſtas decet, converſentur. Hoc enim facile ſuſpicionem, ſuſpicio diffidentiam, hæc odium aliaqve mala tandem gignit.

GERMUNDER al. JERUNDER vel JORUNDER.

Annales Norvegici hîc *Huglekum* Alfredi filium regem Sveciæ interponunt: dum Ingelli filii adhuc impuberes erant. Sed *Jorunder* adultus Ingelli filius, rex factus, felix fuiſſet, ſi ut bellum gerere, ſic eo rectè uti & parta tutari ſciviſſet. Qvum in Daniam, ad ulſciſcendum armis injurias, adverſus Haraldum regem Danorum moviſſet, eam poſt aliqvot præliorum tentamenta occupaſſe fertur. Sed iſtic inter ſuſpectos, novos qvidem amicos, ſed qvi fuerat hoſtes, & qvi inviti alieno imperio parebant, ad tempus in pace, ſui ſecurus, deſidebat. At hoc majus erat illius erratum, qvod plerasqve legiones ſuas, ſalutis ſuæ & ſecuritatis publicæ præſidium, hoſtium fide pactisqve fretus, in Svetiam dimittebat; qvum tamen qvæſita armis, retinenda armis fuiſſent. Dani poſtpoſitis pactis & jurejurando, ex occaſione Jorundrum, viribus & auxilio nudatum opprimunt, captumqve ad Othini vel Ottonis ſinum, ut vocant, prope fretum Lymfiortinum gabalo ſuffigunt. Annales Norvegici referunt, in bello Danico â Gydlecho rege Norveg. ad Ottonis ſinum, qvum in mare ſe conjeciſſet ê navi, ut hoſtium manibus elaberetur, undis ereptum & ſuſpendio ſublatum fuiſſe. Annales Norvegici Snorronis Sturlæ F. in vitâ Hulgleki Regis Sveciæ referunt, in Norvegiâ duos fuiſſe fratres Haqvinum & Hagbardum, piraticam exercentes. Eorum unum, Haqvinum ſe contuliſſe in Sveciam adverſus

ſus Huglekum, regem tunc Sveonum; ex qva cauſa, non addunt. Huglekum autem ingentem exercitum contra Haqvinum collegiſſe, opitulantibus ei duobus fratribus Suibdagero & Gregadero, bonis pugilibus. Qvin Haqvinus XII. ſecum pugiles, ut ſcribunt, habuit, inter qvos erat Starchaterus. Dum manus conſerunt inter ſe Haqvinus & Huglekus in Fyriſvald (prope veterem Upſaliam) Hugleki exercitus ab Haqvino cæſus eſt, captis etiam duobus ejus fratribus. Ipſe qvoqve Rex Huglekus in propugnaculo ſuo cum omnibus ſuis filiis ab Haqvino interemtus eſt. Ita fugientibus Svecis, Haqvinus imperio potitus & rex Sveciæ factus, per triennium in pace conſedit, dimiſſis â ſe XII. athletis.

HAQVINUS.

Hiſtoria Norvegica hîc qvidem ordine collocat Haqvinum Regem Sveciæ, ſed Jorundrum & Ericum Ingelli nepotes, qvum comperiſſent Haqvinum â ſe athletas ſuos dimiſiſſe, ut ſup. dictum eſt, in Sveciam cum ampliſſimo exercitu veniſſe, præliumqve in Fyrisvald cum Haqvino commiſiſſe eo eventu, ut qvum multis ſibi obviis cæſis ſtrenuè pugnaſſet, tandem ipſe lethiferis vulneribus acceptis occumberet. At annales Svetici & Danici perhibent, Haqvinum Ringonem captaſſe occaſionem, qvomodo patris ſui Germundi, vel, ut ab aliis vocatur, Jorundri ignominioſam mortem (de qva ſup. in vita Germundi vel Jorundri) in Danis authoribus ulciſceretur, ut & inſidias vitæ ſuæ ab Haraldo Rege Danorum ſibi ſtructas apertis armis repelleret. Tandem miſſis ultro citroqve legatis, ſeptennes induciæ inter eos pactæ eſſe feruntur. Intra tantum temporis ſpacium ſe ad tantæ molis bellum ſatis præparaſſe utrimqve, vero conſentaneum eſt: ut bene præparatum vel melius ſuſtineretur, vel citius finiretur. vel, qvod honorificum ſibi, ſalutare publico ducerent, diſſidia & bella, generis humani calamitates, lentè inchoari, celeriter terminari. Interim vires ſuas externis auxiliis, qvantum poterant, adauxerunt: Haraldus rex Daniæ potiſſimum: qvi â Slavis, Vendis, Livonis, Anglis, Scotis, Hibernis, Friſiis, Saxonibus, & aliis amicis ſuis tantam vim copiarum accepiſſe fertur, ut numero vix qvisqvam conſeqvi poſſet, uti Saxo ſcribit. Inter eos fuerunt Principes ac duces, rerum bellicarum periti; nec viri ſolum, ſed etiam fœminæ, variis armorum generibus inſtructæ; nec bello inutiles: inprimis Hetha, Wiſna & Wegtburga; qvibus Slavonia patriam, natura muliebria corpora, ſed viriles animos; uſus autem inſignem belligerandi artem dederat. Hetha Svedorum, Wiſna Danorum agmina qvædam duxit. Claſſis, qvâ tantus exercitus vehendus ac trajiciendus erat, tam numeroſa

ac den-

ac denſa fuiſſe perhibetur, ut Sialandiam Scaniæ veluti juncto ponte committere videretur, ſi Saxoni omnia in majus extollenti fides hic habenda eſt. Licet autem Haqvini exercitus multitudine, pompa & ſplendore non prorſus exæqvaret Haraldi copias; tamen animis ac virtute, vigore & robore corporum, notitia rerum militarium & induſtria non minor erat, ſi non iis ſuperaret. Haqvinus præter ſuos indigenas milites, ex peregrinis tantum collegerat Norvegos, qvorum dux Gotharus regis Norvegiæ filius, Tilemarchios & Giſlemarchios; qvibus Saxo addit Curetes & Eſthones, qvorum dux Starchaterus fuiſſe memoratur. Claſſis Svetica conſtitiſſe fertur duabus millibus qvingentis navibus majoribus & minoribus, qvibus præfectus erat Olo, Norvegorum regis alter filius. Ille claſſem in portum feliciter deduxit. Haqvinus Ringo Rex terreſtri itinere exercitum ductabat, in locum prælio deſtinatum, nimirum in campos Bravellinos Verendiæ, qvæ Smalandiæ pars eſt. Qvum Ringo copias ſuas in ſpatioſis campis explicaret, ita diſpoſuit eas, ut in acie promptiſſimos qvosqve & optimè armatos ſub Olone, Regnaldo Wivilloqve ducibus collocaret, deinde in duo cornua reliqva agmina divideret, dextrum Ungone cum Elrici filiis, Trigoneqve, ſiniſtrum Læſone tueri juſſo. Alas autem globosqve Curetum, Eſthonumqve turma tegebat; ultima acies funditorum erat. Tandem etiam Danicus Haraldi exercitus advenit. Haqvinus Ringo eâ patientiâ animiqve magnitudine erat, ut ſuum militem hoſti prius inferre ſigna nollet, qvam Haraldus ſuas etiam copias ordinaſſet: ut juſta acie collocatisqve ſignis, non inſidiæ, ſed virtus viciſſe diceretur. Se tamen haud ambigere præfatus, qvin vaſta illa hoſtium multitudo, ſibi ipſi gravis, ſub cœco & admodum ſene ductore collapſura ſit. Qvidam noſtrorum annalium ferunt, primò Ringonem in paroecia Almetzrydenſi, & qvidem in edito propugnaculo, *Trulleborg* dicto, ſe cum ſuis præmuniviſſe, putantem, Haraldum rectà in ſe iturum. Sed illum per paluſtria loca & inſidias ſe Ringoni inopinatò ſuperfudiſſe, & non paucos Sveonum ſtraviſſe; Ringonem tamen illud ſtrenuè ultum eſſe. Uti verò Saxo refert, admonito prius virtutis utrimqve â ſuis Regibus exercitu; qvanqvam ſuus cuiqve animus adhortator aderat; ac lituis ſignum dantibus, Danicæ copiæ ut fidentium ſpeciem præberent, primùm aggreſſæ aciem, in confertas Sveonum copias tam ſtrenuo impetu atqve animis ruunt, ut pulſi motiqve noſtrates penè in fugam verſi eſſent. Sed Norvegis, Dalcarlis & aliis noſtrorum ſupervenientibus, fortuna reſtituta eſt. Tam robuſtos arcus iſti habebant, & tam validè intendebant, ut emiſſæ ſagittæ clypeos, galeas,

 loricas

loricas, velut inermia corpora, penetrarent. Ipſi verò ſagittarii tam periti jaculandi erant, ut etiam eminus, qvos vellent hoſtium, certo ictu peterent. Inprimis tamen, Deo dante, invicti & fortes animi victoriam fecere. Nullos Danis pernicioſiores, qvam iſtos ſagittarios fuiſſe, Saxo ipſe ſcribit, ingentiqve ſtrage eos affeciſſe. qvamvis etiam noſtri victoriam non levi jactura redemerint, ut mox commemorabitur. Haraldus audito triſti eorum murmure, ſuſpicatus, qvod res erat, Ringonem ſuperiorem evaſiſſe; ex Brunone auriga ſuo qværit, qvâ fortuna res Danorum eſſent. Ille verò non aliud reſponſum accepit, qvàm ut nimis perfidus miniſter regem & dominum ſuum curru excuteret; ipſiqve clava caput frangeret & cerebrum comminueret; incertum, tædio cæci, an fortunæ deſperatione. Vulgata morte Haraldi, poſt Frothonem tertium potentiſſimi & maximi Daniæ regis, ejus militibus animo trepidis fugamqve cogitantibus, Haqvinus receptui canere juſſit. Qvippe avunculi ſui dolore, tam indigna morte ſublati, ſed qvi patrem Haqvini etiam indignè ſuſtulerat; & tam immenſi militum utrimqve effuſi ſangvinis commiſeratione motus, hoſti cedenti ſuos inſiſtere vetabat. Sed noſtros tantus pugnandi ardor tantaqve hoſtilis cruoris hauriendi cupiditas invaſerat, ut vix â rege reprimi poſſent. Tantam utiqve virorum ſtragem & tam cruentum bellum nulla unqvam ætas in his oris ſeptentrionalibus aut antea cognovit, aut poſtea recordatur. Ex parte Ringonis duodecim millia procerum & munere aliqvo majore functorum, præter ingentem militum turbam, ceciliſſe; ſed ex parte Haraldi, præter militum cædem, triginta millia primorum occidiſſe tradunt. Sed de magna ſtrage ex ore famæ majora tradidiſſe videtur Saxo. Poſt hæc Ringo inter cæſorum cadavera Haraldi corpus ad exſeqviarum juſta qværi juſſit; & repertum honorifico funere extulit; licet patrem ſuum tam infami morte affici permiſiſſet. Sed priſtinum odium cum Haraldi corpore componebat, cogitans: ut decorū eſt perſeqvi hoſtem viventem, ita turpe & indignum, malè tractare cæſum, nec cum armis deponere odium. Reliqvos inter hoſtem conſpicuos & illuſtres honore qvoqve funeris dignatus eſt. Hac parentationis cura & juſtis Haraldo perſolutis, Danorum ſibi favorem conciliavit, odiumqve hoſtium ad gratiam deflexit. Poſt hanc nobilem victoriam, regnum Daniæ ſub Haqvini Ringonis poteſtatem pervenit. Danis autem ad eorum preces & deſiderium *Hetham* virginem (Chronicon MS. Svec. *Leetham Danicam* vocat) Haqvinus præfecit. qvæ in partibus Svetiæ fuerat, & cum aliis ſui ſexus maſculè pugnarat. Scaniam verò, ſibi retentam, poſtea concedebat

Oloni

Oloni regis Norveg. filio, cognato ſuo. Cæterum Danis, antea aliter adſvetis, non diu placuit â fœmina regi. Qvapropter adeunt Olonem, petentes, ut abdicato Hethæ imperio, ſummam rerum ipſe caperet. Non invitus eorum deſiderio adfuit, qvod ipſius voto latius regnare cupientis favebat; & qvod ultrò offerentium ſtudio magis alliciebatur. Itaqve re prius cum Haqvino rege Sveciæ communicata, Hethæ mollibus & civilibus verbis perſvaſit, ut ipſi cedere Daniâ vellet: non fore ê re ipſius, ſi nolentibus imperare pergeret. Ad honorem tamen ſuum & aulam tuendam retinere eam juſſit Iutiam. Oppido *Hethæbii* qvod poſtea Sleſvicum dictum eſt, â ſe conditæ nomen dedit. Sed qvum Olo, regno Daniæ impetrato, ſeverum & aſperum in Danos exerceret imperium, pœnituit eos commutationis; licet poſt factum ſera hic eſſet pœnitentia, Qvid? qvod Olo, de crudelitate ſua nihil remittens, imò magis exaſperans, civibus tandem tam inviſus fuit, ut qvidam procerum, ſive populi qverelis & calamitate permoti, ſive ob aliam cauſam Oloni infenſi, in caput ejus conſpirarent. Ipſi verò, re poſtmodò melius perpensâ, qvum reverentiâ majeſtatis nollent, aut occaſione deficiente, commodè non poſſent hoc facinus perpetrare; tandem tamen rebellibus animis redeuntibus, hoc per Starchaterum peragunt, pro centum viginti auri libris ejus manu & opera, ad iſtud conducta. Ille ad regem in balneo familiaritatis conſvetudine, vel ut alii, ſpecie aliqvid ſecreti Regi referendi, admiſſus, nudum & inermem iſtic interficit. Qvo uno facinore Starchaterus ante partam famam valde contaminavit, ſi non plenè perdidit. Antea enim ferro invictus, nunc auro ſe vinci & emi patitur, &, qvod immanius erat, ad ipſum regicidium. Sed vix peracto facinore, tantus ipſum intravit vel dolor vel pudor, ut ex animi deſperatione, ſibi ipſe ferme damnatas intuliſſet manus. Mala tamen conſcientia ſic eum animi excruciavit, ut tandem tædio vitæ, Hatherum, Olonis, qvem occiderat, filium, eodem auro, qvo ipſe antea corruptus erat, in ſui cædem conduceret, ejusqve manu obtruncaretur. Ringo verò ad ultimam uſqve ætatem, in optata pace & qviete, florentiqve imperii ſtatu vitam exegit, defunctiqve cineres avita veteris Upſaliæ monumenta terræ gremio receperunt.

EGILLUS AUNI F.

Norvegici Annales hic imperium Sveciæ faciunt Auni annoſi, novem filios, ad producendam ex oraculo tot decem annos, qvot filii erant, vitam Odino, ut ferunt, immolantis. Filius autem ejus Egillus, qvi in annalibus Sveticis hîc proximè ponitur, regnum capeſſens, ob denegatum ſibi ab Amundo rege Daniæ tributū ei bellum indixit, ut Joh. Goth. ſcribit; belloq;

præfecit Thonnonem, vel, ut alii, Thunnonem, unum ex primariis miniſtris & amicis ſuis; qvi poſtea ad Danos tranſivit & hoſtilia contra regem arma ſumſit. Sed ut Snorro in annalibus ſuis ſcribit, Egillus eum inter ſervitia ſua retulit, ut vile mancipium. qvod ille, qvi ſublimiora cogitabat, tam indignè accepit, ut ingenti theſauro, qvem humi defoderat, effoſſo, & inter amicos, & qvoscunqve alios ſive obæratos ſive maleficos, diſtributo ſibi milites colligeret, eosqve contra regem, perduellis duceret. Huc etiam reſpexiſſe videtur Ericus Upſal. dum in vita Egilli refert, ejus ſervum Regi adverſatum octo bella civilia adverſus eum geſſiſſe. Qvum verò in anguſtias hoc modo redactus eſſet Egillus, auxilio ſibi â rege Daniæ qvæſito, uti annales Norvegici volunt, octo præliis inferior, tandem nono victor, Thunnonem fudit, ejusqve ſociis ac militibus partim ſtratis, partim diſſipatis, patriæ ſtatum ferme prolapſum erexit, cum omnium civium gaudio & applauſu. Sed hæc lætitia ipſi diutina non fuit. Qvum enim pacis beneficio juſtè utens, officium ſuum in legibus adverſus qvoscunqve maleficos & reos, absqve perſonarum adſpectu, ſtrenuè exſeqvendis faceret, in non paucorum, qvi licentiam pro libertate uſurpabant, invidiam & odium vocatus eſt. Iſti furioſum taurum maleficio procuratum regi in via publica immiſiſſe perhibentur, qvi eum infeſtis cornibus incurſans, mortifero ictu percuſſit. Annales Norvegenſes illud caſu accidiſſe volunt, qvum rex bovem ſacrificio deſtinatum & ſe vinculis eripientem haſtâ obvium petiiſſet; ſed fruſtrante ictu primo regis eqvum, dein regem ipſum gladio minitantem cornu lethifero bos feriret.

GOTHARUS aliis OTTARUS Wendilſráka.

Egilli filius, accepto regno, cogitationem ſuſcepit de matrimonio, & qvidem Amundi (al. Omundi) regis Danorum filiæ: ut amicitiam & commune pacis fœdus inter hæc duo regna firmius hoc animorum fœdere ſanciret. Idcircò Ubbonem (Obbonem vocat Ericus Upſal.) Sibbonis filium, petendæ virginis cauſa ad Amundum miſit, & optatum reſponſum ab ipſo tulit. Qvum jam nihil ejus deſiderio præter nuptias deeſſe videretur, iterum Ubbonem cum ampliſſimo comitatu ad ſponſam adducendam emiſit. Legatus iter faciens, in qvoddam diverſorium vici agreſtis in Hallandia ſiti, pernoctandi gratia ſe confert. Ibi familia legati ex itinere feſſa & profundo ſomno correpta, ab hoſpite, ſub iſto nomine latronem occultante, opprimitur & trucidatur. Ubbo, cui hoc malum in- [illegible]

pri-

primis parabatur, cum paucis vix evaſit, & ſtatim in Svetiam, infecto negotio, reverſus eſt; Regi referens, qvomodo exceptus eſſet. Gotharus autem ſuſpicatus, id Amundo conſcio & auctore factum eſſe, abſqve mora Hallandiam armata manu ingreditur; ut hanc contumeliam ſibi factam opportunè vindicaret. In itinere obvium habuit Sivarum (aliis Sivardum) Amundi F. cum juſtis copiis, qvæ â Gotharo fuſæ ac diſſipatæ ſunt. Inde progreſſus, occupavit Hallandiam & Scaniam, partemqve militum ad ſponſam, ſi non aliter poſſent, vi abſtrahendam miſit. Qva potitus eam in Svetiam duxit, & â parente ante ſibi deſponſatam matrimonio junxit. Hallandiæ autem & Scaniæ qvendam nomine Simonem Snare præfecit. Hunc Sivarus poſtea rex Daniæ, non ſemel armis impetitum, dictis provinciis ejectum iviſſe fertur, ſed adverſante fortuna, & occiſis cum ipſo copiis. Poſtqvam Gotharus ad ſatis longum tempus imperio ſuo feliciter præfuerat, qvendam nobilem nomine Sibbonem, ſtupratæ regis ſororis ſuſpectum, ê vivis ſuſtulit. Cujus mortem ut propinqvi ulciſcerentur, ad regem Daniæ profugiſſe & collecto in Dania exercitu infeſta arma adverſus ſuum regem tuliſſe, traduntur. Dum in eo rex eſt, ut illos coërceret, â proprio fratre Faſto inter rixam occiſus creditur, ex hac occaſione, ut qvidam perhibent, qvod leges ſupervacuis ſumptibus modum imponentes, fratris monitu, mitigare nollet. Inſanus luxuriæ amor ad ipſum parricidium fratrem præcipitem rapit. Adeò major illi ſociisqve fuit cupido vetitorum, qvod ipſis jucunda viderentur, qvam conceſſorum, qvæ honeſta erant; qvin honeſtorum conſpectu ab oculis remoto, ad peſſimum facinus incitavit. Annales Norvegici ferunt, Ottarum, populantem Jutiam, â Danis cæſum, & corpus ejus vel cadaver colli impoſitum, â corvis devoratum fuiſſe. Danos autem *corvum ex ligno factum* ad Svecos miſiſſe, ſignificandi cauſa, â talibus volucribus eum conſumtum eſſe & inde cognomen *Wendilkrâka* tuliſſe.

ADELUS.

Gotharo patre dignus eſt habitus ſucceſſor. In eo bello, qvo Iarmerus rex Daniæ â Slavis acie devictus & cæſus eſt, arma cum eis ſociaſſe dicitur. In annalibus Norveg. bellum in Saxonia & Norvegia feliciter geſſiſſe perhibetur Adelus. Plura annales priſci non habent. De obitu verò ejus illud, qvod Upſaliæ rem divinam Diſæ facturus, in itinere eqvi lapſu graviter humo vel ſaxo illiſus & exanimatus ſit.

OSTENUS II. al. EISTENUS.

Adeli filius, qvomodo acceptum regnum adminiſtrarit, de eo nihil annales veterum, uti Carolus in ſuo Chronico teſtatur. Imperium tamen ejus multis inviſum fuiſſe, vel ob vitæ intemperantiam, vel nimia onera ſubditis impoſita, ex illius exceſſu è vitâ ſuſpicantur. Qvum enim Nycopiæ verſaretur, ab æmulis, qvi ſub amicorum vultu & verbis inimicos animos gerebant, capta occaſione, ædibus ejus cinctis, cum omni familia combuſtus eſſe fertur, cineribus ejus ludibrii cauſa in amnem oppidi conjectis. Qvod qva decoris ſpecie à qvibusdam laudetur, me non videre fateor. Annales Norveg. à qvodam pirata Juta, nomine Solvi, hoc factum fuiſſe literis prodũt.

INGEMARUS vel INGVARUS.

Oſteni patris defuncti ſucceſſor electus eſt. Armis elatus, adverſus Ruſſos, Livonos & Curlandos, bello ſuperior, Daniam qvoqve forti manu cepiſſe narratur. Sed, uti Carolus in ſuis Annalibus obſervat, ipſi uſu venit, qvod aliqvot olim regibus Svediæ, ut citò qvidem vincere, ſed armis ſubacta retinere, ſuæqve ſaluti ſatis conſulere neſciret. Qvum enim Ingemarus in Daniæ Inſula, qvam Longam vocant, in mari Balthico ſitâ, moraretur, ab inimicis inopinatò oppreſſus occubuit. Annales Norvegici, pace cum Danis facta, in Eſthonia cæſum ibiqve ad oram littoris in colle humo mandatum fuiſſe ſcribunt.

HALSTANUS BIORNO II. & alii, usqve ad ALARICUM.

Halſtanus Ingemari filius, Rex Gothorum, Biörno II. Sveonum Rex, ducta in uxorem Halſtani filiâ, creatus Johanni Gotho putatur. Ericus Upſal. Snorro Sturleſonius & auctor Chronici à Meſſenio editus ab Ingemaro proximum ponunt Omundum, aliis Amundum vel Brautamundum, & poſt eum Ingialdum, malè imperium adminiſtrantem. Poſtea regnum Sveciæ inter plures præfectos, qvaſi hæreditarium, diviſum fuiſſe ſcribit Snorro: qvos Ingialdus II. ſpecie amicitiæ & convivii invitatos ac bene potos incendio ac dolo è medio ſuſtulit. Sed Johannes Magnus & alii Brautemundum non ab hoc Biörnone ſecundo, ſed tertio proximum collocant, de qvo infra ſuo loco, Biörno ſecundus, inito imperio, cum Sivardo (Saxo Syvaldum vocat) rege Daniæ de Schoningia in contentionem venit: qva tandem per arma potitus eſt. Snio verò Sivardo patri ſuccedens, illam per inſidio-

inſidioſum raptum & nuptias uxoris regis Svetiæ) de qvibus prolixè Saxo & Joh. Gothus) recuperavit. Unde grave & diuturnum inter utrumqve Regem coortum eſt bellum: qvod tanta fame tandem adflixit ſubditos, ut ſorte emitterentur, qvi ſuperatis Alpibus in proximam illius Italiæ partem, qvæ nunc Longobardia dicitur, commigrarent; de qvibus alii, hæc ex profeſſo tractantes, plura: qvæ huc congerere non viſum eſt operæ pretiū, qvum ipſi ſcriptores in manibus verſentur, & hæc ſeorſum enarrent. Qvos autem hic Reges, nimirum *Ragvaldum, Svvartmannum, Tordonem, Rodolphum, Hathinum, Algothum, Oſtanum, aliis Goſtagum, Tyrannum, Arthum, Haqvinum, Carolum ejus filium, & Carolum nepotem, Birgerum, Ericum, Torillum ſive Totillum, Biörnum, Alaricum*, Johannes Magnus Hiſtoriæ ſuæ intexit, & ordine ſucceſſores ponit, Ericus Upſal. & alii veterum annalium conditores ignorant. Eorum prolixiorem deſcriptionem apud ipſum auctorem legere licet, qvibus lubet.

JOHANNIS LOCCENII HISTORIÆ RERUM SVETICARUM.

LIB. II.

BERO vel BIORNO III.

Primus Chriſtianus Rex.

NOn ſatis certum eſt, cujus filius fuerit, ſi non cæteris fuiſſet, hoc ſatis felix & clarus erat, qvod ætas ejus illa contingebat tempora, qvibus ex Germaniâ Galliisqve vera religio in Svediam qvoqve migrare cæpit. Qvippe Carolus Magnus Francorum Rex Teutonumqve Imperator, pius & Dei amans Princeps, divinio haud dubiè inſtinctu, exterorum & Borealium amicitias appetebat: ut illos â ſpiſſis errorum tenebris ad veram Dei cognitionem allice-

alliceret, aut ſaltem Chriſtianos illos, qvi ſub eorum imperio & perſecutione degebant, qva poſſet ope ſublevaret. Eadem præcipuè cum hoc Biörnone Sveonum rege fœdus faciendi cauſa fuit; & ut ipſo amico ſocioqve, ſi uſus foret, adverſus Gotricum Daniæ regem, ſibi, religioni & Saxonibus, nuper ab ipſo ad fidem Chriſtianam converſis; infeſtum uteretur. Religionis tamen negocium initio morabatur bellum Gotrici cum Svedis, inde ortum, qvod ille non ſolùm Germaniæ armis oppreſſæ imperium qværebat; ſed Svediam qvoqve inteſtino motu agitatam, tentavit. Hoc animo Refonem legatum ſuum ad Biörnonem miſit, eiqve negotium componendi domeſtici tumultos dedit; amicitiæ & proximæ conjunctionis prætextu. Sed iſtum Refonem nonnulli Danicæ hiſtoriæ ſcriptores, qvod iſti negotio eſſet impar, eòqve inviſus, noctu ex inſidiis devoluto in dormientem ingenti ſaxo, â Sveonibus obtritum atqve interemtum perhibent. Inde Gotricum armis hanc vim eſſe ultum; noſtros uno prælio victos deditosqve benignè tamen habuiſſe, ſex auri librarum mulctâ facinoris reis, unâ unciâ reliqvis conſciis impoſitâ, qvam *vulpeculæ penſionem* vocarint. Cæterum noſtri annales Refonem transfugæ titulo Svediam ingreſſum, in proditionis crimen vocatum, appenſo ad collum ſaxo undis ſubmerſum ferunt. Qvamvis autem anceps & temerarium ſit in dubiis certi qvid affirmare: accuratius tamen rem penſitantibus, vero propius videtur, non privato odio interfectum Refonem, ſed qvod nomine & reapſe *vulpes* dolo ageret. Siqvidem uti Svedica hiſtoria memorat, ſimulatione injuriarum â Gotrico acceptarum, & ſpecie integritatis ad interiora animumqve Biörnonis admiſſus, arcana ejus elicuit & proceribus prodidit. Inde diſſidium inter illos & regem excitatum non alio fortè propoſito, qvàm ut diſtractis animis & viribus vel ſe ipſos conficerent, vel ille regi ſuo viam turbatos & diſcordes opportunius invadendi patefaceret. Hujus rei fidem ipſe Saxo non obſcuris verbis adfirmare videtur. *Nec Germaniæ qvidem oppreſſione contentus; per Refonem legationi addictum, Sveoniam tentat.* Hæc qvis aliter accipiat? qvàm qvod oppreſſâ magnam partem Germaniâ, etiam Sveones Carolo Germanorum Imperatori fœdere junctos adoriri voluerit; prætentatis per artes Refonis eorum animis & conſiliis. Nec conſentaneum exiſtimatur, adeo juris gentium & naturæ vel oblitos vel negligentes fuiſſe, etſi iſto ſeculo non ſatis culto, Svedos, ut legatum ex ſolo contemptu, & qvi pacis ac concordiæ arbiter venerat, per inſidias trucidarent. Niſi fortè qvidam ex vulgo, qvibus Refonis nomen & fides ſuſpecta eſſet, per inſolentiam aut præcipites animos inſcio rege, vim & manus

non

non convicto intulerint. Qvod tamen non impune fuiſſet; certè non oportuiſſet eſſe. Qvanta autem iſta immanitas fuiſſet, legatum tanqvam iſti negotio, cui miſſus erat, haud parem interimere. Si parum idoneus ei muneri fuiſſet; magis mittenti, qvàm ſuſcipientibus legatum, in dedecus vertiſſet. Sed hæc lectori integrè judicanda relinqvimus. Poſt hæc pace inter Carolum & Hemmingum Gotrici vita functi ſive filium ſive nepotem facta, turbisqve in Svedia compoſitis, ex voto Biörnonis & lege fœderis Carolus Magnus huc miſit Herbertum Belgam, qvi primus Eccleſiam in Gothia fundavit. His initiis animæ regis ac ſubditorum, hactenus diabolo horrendæqve ſuperſtitioni mancipatæ, in veram libertatem Deo & cœlis adſertæ ſunt: qvod ante omnia bona humana æſtimandum erat. Ab exceſſu Caroli Ludovicus ejus filius ceu hæres paternæ pietatis & amicitiæ erga Biörnonem Svedorum regem, huc Anſcharium mittebat, qvi Bircæ ad ſeſqviannum verbum Dei cum fructu docuit & propagavit. Qvæ fusè hic exſeqvi, mei non eſt inſtituti, ſed ad annales Eccleſiaſticos remitto, qvibus hoc argumentum proprium eſt. Bero hoſtibus profligatis, & rebus domi pacatis, præter religionis ſtudium, etiam legibus regnum munire voluit, qvibus in pace rectè gubernaretur. A ſede tunc ejus regia *Birca* volunt dictas eſſe *leges Bircenſes*; licet qvidam aliter. Cum Berone autem vel Biörnone fatis functo exſtinctus jacuit Chriſtianæ religionis ardor, uſqve ad Stenchillum regem. Etenim pagana ſuperſtitio tam altas radices egerat in animis hominum, ut ad eam exſtirpandam præſentiori luce opus eſſet.

BRAUTAMUNDUS.

Ingemari (de qvo paulo ante) filius ab Erico Upſal. & aliis potius hic ponitur, qvam Halſtanus. Ille Brautamundus primò Omundi vel Amundi gentile habuit nomen, ſed imperio potitus, id pacis ornamentis augere, patriamqve terram cultu agrorum & annonæ ubertate locupletare ſtuduit. Unde â ſuccifis nemoribus & in ſatorum viarumqve uſum eradicatis poſtea *Brautamundi* cognomen patria lingva accepit. Qvidam etiam cognomento Froum dictum volunt, qvod ex veteri Froi, qvem inter deos ſuos olim Sveones retulerant, ortu eſſet. Nonnulli Freierum, alii Frotonem appellant. Non diu verò pacatum tenuit imperium. Inter ipſum & Sivardum fratrem grave de regni jure certamen exortum eſt. Sivardus imperii æmulus regnum ſibi ætatis an virtutis opinione præ Brautamundo deberi volebat. At hic liberam ex more majorum eligendi facultatem, nec irritam populi de ſe exiſtimationem urgebat. Inde fratres & per eos ſubditi mutuis odiis & tandem in arma concitati ſunt. Ut verò rex majoribus

F copiis

copiis & animis rebellem fratrem aggrederetur; Sivardum Norvegiæ regem in auxilium evocavit. Ille promptus ad ſubveniendum amico & vicino, cohortes aliqvot ei ſubſidio mittit. Qvibus domeſtico militi mixtis, & collatis ſignis, acre prælium utrinqve commiſſum eſt in campis Nericiæ editioribus, qvos *Höghaheed* vulgò vocant. Irritatis ſemel bello animis offenſæ non expiari, nec arma prius deponi potuerunt, qvam Brautamundus â fratre Sivardo victus cæſusqve, vitâ pariter ac regno exueretur. Huc nimirum proficit inteſtina diſcordia vires nacta, in mentium diſtractionem, ſangvinis effuſionem & tandem victoris dominatum; ſi ei parum ſit viciſſe. Snorro tamen nive & ſaxo ê rupe lapſis obrutum ſcribit.

SIVARDUS II. cognomine FROUS.

Non contentus per necem fraternam ſibi viam regno feciſſe, Sivardũ Norvegiæ regem, ob latam Brautamundo adverſus ſe opem, in Norvegiam usqve armis perſeqvitur. Conferta manu victor, eundem cum ſuis internecioni dat, regniqve Norvegici poſſeſſionem ſuo adjungit. Verum ſucceſſu elatior, animum libidini totum permiſit, & regias nobilesqve iſtius gentis fœminas propriæ militumqve ſuorum contumeliæ ſubjecit. Gens Norvegica tantæ ignominiæ vindicandæ magis animum qvam facultatem habens, auxilium Regneri Daniæ regis, factis clari, expoſuit. Ille nihil cunctatus ſuppetias venit. Sed in ingreſſu obvias habuit inſtructas duce Laathgerta generoſarum fœminarum acies: qvod â Scandianis moribus eâ tempeſtate non abhorrebat. Has juſta armarat indignatio & dolor ignominiæ vim paſſis illatæ, reliqvo etiam ſexui, niſi armis occurreretur, metuendæ. Itaqve excluſo pudore ac metu, muliebres animos debilitare ſvetis, ſua cum viris arma conjungunt; eligentes aut fortiter occumbere, aut tam gravem injuriam haud inultam ferre. Nec animis defuit fortuna. Qvippe hoſtili odio & virtutis æmulatione, qvæ vires & animos æqvabant, accenſæ junctim ita pugnarunt, ut Sivardus ſuccumbens, juſtas læſæ pudicitiæ pœnas ſolveret. In Sudermanniæ prædii regii cellâ ſubterraneâ, prope Habori Acervum lapidum, verſus auſtrum, in parœcia Lennenſi, videtur ſepultus, vel prope illam humatus eſſe: qvum generoſus Jacobus de Linde curaret ſuper fornicem graduum dictæ cellæ ſaxum collocari: in qvo *Corona* exciſa fuerat, & infra eam Siwar Rex.

HEROTUS aliis HARALDUS.

Sivardi filius, vel, ut qvidam volunt, frater ſolio impoſitus, vetus de jure Scaniæ bellum cum Regnero Daniæ rege inſtauravit. in eo diu & ancipiti fortuna depugnatum & utrinqve limites ſangvine ſignati ſunt; do-

nec

nec tandem induciæ placerent: ut interim utriusqve jus amicè dijudicaretur. Qvum autem verbis multum & incaſſum diſceptatum eſſet, Regnerus rationem ineundam putavit, qva abſqve rixis & dubiis belli tutò retineret iſtam provinciam, offenſasqve placaret. Ambit ex conſilio amicorum Thoræ Heroti filiæ matrimonium, qvod parens initio denegavit: ratus, Regnerum filiã regiam non ut uxorem, ſed pellicẽ petere; dum Laatgertam (Lantgertam vocat Johan.) ante in matrimonio habebat. At rex Daniæ, ut ipſa re oſtenderet, ſe conjugem illam, & dignitatis non voluptatis ſolum nomen qværere, repudiatâ ſub prætextu inſidiarũ Laatgertâ, denuo expetit nuptias Thoræ. Pater tandem etſi ægrè aſſentitur, eiq; promittit filiæ matrimoniũ, ſub gravi tamen conditione. Mos in boreali gente tunc erat, ut illuſtres juvenes præſertim regii ſangvinis, non externo decore turpiqve laſcivia aut ingenti vi pecuniæ, ſed dote animi, pulchro facinore ſpectata, ſibi regiarum & generoſarũ virginum nuptias conciliarent. Eum morem intuens Herotus, duas immanes belluas Regnero debellandas objecit. Qvidã ingentes angves, alii ſævos urſos fuiſſe tradunt. Meurſius Hiſtoriæ Danicæ ſcriptor, geminos Heroti alumnos, ingenio præferoces, vitæ bonorumqve alienorum inſidiatores & raptores, ipſi tandem regi graves, eoq; proſcriptos fuiſſe teſtatur. Qvod à vero nõ prorſus alienũ videtur; qvum angvium, urſorum, luporũ nominibus feros ſævosq; hominum ſolâ figurâ taliũ mores adumbrare, priſcis haud inſvetũ fuerit. Regnerus eqvidem ipſe in Carmine ſuo unũ ſerpentem vocat. Ille verò amori nihil arduũ, virtuti nihil inexpugnabile credens, accipit conditionem, & pugnæ ſe accingit. Ut autem expeditior luctæ eſſet, & impetentium ictibus minus penetrabilis, veſtem villosam & gelu duratam induit, duobus ſolum ſpiculis armatus. Hoc habitu cum monſtris illis congreditur. Qvæ licet primo impetu periculum adverſario non leve intentarent, animoſè tamen Regnerus excepit, & telis ſuis feliciter confecit. Fervente pugnâ ex aula ſua proſpectaſſe fertur Herotus, percontans, qvisnam eſſet ille hirſutus monſtrorum domitor, inde *Lodbrook* villoſarum braccarum cognomen ei impoſitum eſt. Qvod ille non invitus admiſit; qvum virtutis & regiæ ſponſæ, qvæ optata laboris ac fortitudinis merces obtigerat, jucundam ſubinde memoriam animo redderet. Utut autem hoc matrimonio felix fuerat Regnerus, ex qvo ſeptem liberos maſculos tulit; regno tamen Svediæ infauſtum accidit, uti annales noſtri ferunt: dum neglecto proximiori ſangvinis & maximè electionis jure, tot annos integro, ſuos filios regno obtruſit. Qvod non unius belli materies erat, qvo cives liberam & antiqvam cooptandi reges, qvos vellent, poteſtatẽ ſibi tuebantur, ille novo more turbare

 conaba-

conabatur. Scaniam verò, qvam velut alteram ſponſam expetiverat, & ipſe & ſucceſſores ejus usqve ad Ericum Victorioſum poſſederunt. Herotum vel (ut alii vocant) Haraldum qvidam tradunt etiam Vandolos aut Wendos, in Pomerania, expugnata eorum principe urbe Vineta, domuiſſe; de qva re alibi plura.

CAROLUS VI.

Saxo Sorlum, Gallici ſcriptores Arlum appellant. Heroto ingenti procerum conſenſu ſuffectus eſt. Regnerus autem indignum exiſtimans hic poſtponi Heroti familiam, qvacunqve arte Carolum regno expellere aggreſſus eſt. In mutuum odium, ſubornatis callidis conſultoribus, exſtimulat potentiores. ex qvibus cum non paucos in ſuas partes traxiſſet, lectis in militiam juſtis copiis & tribus filiis expeditionis ſociis, diſſidentibus ſupervenit, & Carolum primo congreſſu, ut nonnulli volunt, regno dejicit, atqve Heroti filiis illud reſtituit. Ut alii referunt, Regnerus externa qvidem ſpecie pro Heroti maximo natu filio, revera pro filio ſuo Biörnone laboravit, de qvo poſtmodo in ejus vita plura. Ante prælium ad velitationes, ab his ad ſingularem ſelectorum aliqvot dimicationem, incolumi adhuc regis dignitate, deventum eſſe, nöſtri memorant annales. Enimverò bellum in compendium mittere, reiqve eventum paucorum potius qvam tot capitum diſcrimine periclitari, minus anceps alea videbatur. Regnerus ipſe in campum duello deſignatum cum ſuis procedit. Cui Carolus Scardum, experti roboris & audaciæ pugilem, cum ſeptem ejus filiis adverſum ponit. Ipſe Carolus abſqve vecordiæ notâ hic abfuit, & univerſæ rei ſe ſervans, ſingularem pugnam aliis demandavit. Suam enim & per eam ſubditorum ſalutem temere in diſcrimen vocare nolebat, in eo præſertim certamine, cujus victoria ſæpius fortunæ, qvam virtutis eſſe ſolet. Singuli cum ſingulis ex veteri duelli lege congrediebantur, & qvidem ante oculos utriusqve exercitus: qvo teſtatior eorum virtus eſſet, atqve tot mille ſpectatoribus acrius incitaretur. Regnerus cum ſuis ſuperior exſtitit. Nullus tamen hac pugna incruentus excedebat, præterqvam Biörnus Regneri filius, cujus corpus â vulnere intactum & invictum fuit: indeqve *ferrei lateris* cognomen accepit. Invidiâ ex adverſis gliſcente in Carolo, & fortunæ fiduciâ in Regnero, hoc ſingulare certamen tandem in apertum prorupit bellum. qvod prope Upſaliam in vicino agro *Ulleråker* dicto ſtetiſſe, ex veterum annalibus obſervamus. Iſte ager vel campus hodie qvoqve id nominis retinet, non â *lana*, ut vult Saxo, qvi *laneum campum* nuncupat, ſed, ut videtur, ab Odini fratre vel ſocio *Ullero*, inſigni mago, cujus

jus hæc olim poſſeſſio forſan fuit. In hoc prælio Carolus occubuit, relictus â ſuis, in partes aſtu Regneri, ut ante dictum, diſcedentibus. Hoc tamen pro ſtrenuo viro fecit, qvod â ſuis deſertus, ſeipſum deſerere turpiqve fuga ſe eripere noluit; ſed animoſè concertando potius per virtutem interire, qvam indignè ſupereſſe, uti exiſtimabat, voluit.

BIORNO IV.

Regneri filius, Heroti nepos, ex conſpicuæ fortitudinis merito Svediæ regno admotus eſt, ut Saxo tradit. At noſtri annales eum potentiorum qvorundam ſtudio, qvi Regnero bene volebant, eò evectum memorant; nec tamen absqve dolo Regneri. Qvum enim arma ſtrueret in Carolum, per clam emiſſos in Svetiam, fidem dediſſe civibus fertur, ſe pro legitimo ſucceſſore Ingevallo Heroti filio, contra Carolum, injuſtum, ut putabat, alieni regni poſſeſſorem, conniſurum. Ea fidei ſimulatione non paucos ad partes ſuas adjunxit; qvorum ſubſidio qvum Carolum deviciſſet, non Ingvallum, ſed Biörnonem filium ſuum regno imponi per ſibi faventes effecit. Ita cupiditate regni qvidvis promittens, poſtqvam occaſio qværendi filio imperii ſe dabat, fidem violare tanto ſcilicet pretio, nullum apud eum nefas habuit; qvaſi regnandi gratia fallere juſtum eſſet. Hac verò fraude, cui poſtea acceſſit improba Regneri libido; dum habitu femineo ſe inſinuans familiæ Eſberni, primarii hic viri, ejusdem filiæ, forma inſigni, ſtuprum intulit; animos plerorumqve civium â ſe & filio ſuo penitus avertit. Itaqve filius amore civium, imperii præſidio, deſtitutus, ad patrem in tutiora ſe recepit, & aliqvamdiu piraticam, ſed infeliciter, faciens, tandem Norvegiæ â patre præfectus, ibi conſenuit & obiit. Qvidam verò, qvum aliqvot annis Svetiæ præfuiſſet, in fata hic conceſſiſſe perhibent; ſed inglorio exceſſu, qvum pravis artibus ingreſſus fuiſſet.

INGELLUS II. al. INGEVALDUS vel INGIELDUS II.

Heroti ſive filius ſive nepos fuit: utrumqve enim traditur. Qvidam tamen, Omundi al. Amundi vel Brautamundi, de qvo ſup. filium faciunt. Ut erat erectioris indolis, ita non exiguam de ſe ſpem civium animis injecit. Adoleſcens ab Alpho fratre in lucta ſuperatus, hoc tam ægrè tulit, ut præ dolore lacrimas ubertim effunderet. At Svibdagerus, ſub cujus oculis & cura educabatur, hoc mollioris animi ſignum interpretatus, toſta luporum corda ipſi comedenda ſæpius dediſſe fertur, ut ferox animi evaderet. Nonnulli tamen alium hic Ingellum ponunt. Regno præpoſitus, non

paucos intra patriam deprehendit, qvi partibus ſuperſtitum adhuc Regneri liberorum occultè faverent. Qvapropter arduum erat, hoſtibus clandeſtinis in ſinu patriæ latitantibus, imperi ſtatum in tutum redigere. Addebant difficultatem belli minæ parati â Biörnonis germano fratre Ivaro *Vidfarin.* qvi proximum â fratre ſucceſſionis gradum neqvicqvam depoſcens, conductis in Anglia copiis moliebatur adverſus Ingellum arma: vi tentaturus, qvod jure non poterat. Ingellus, hoſte citius, qvam crediderat, advolante, ſubitò coëgit exercitum, qvo occurrat Ivaro. Dum in eo eſt, & cum amicis ulterius de ſumma rei conſultat, facibus per occultos proditores aulæ immiſſis, eũ cum ſuis & omnibus proceribus incendio periiſſe memorat Johannes Magnus. Erico Upſal. famâ potentiæ & crudelitatis Ivari nimioqve terrore perculſum ſibi mortem incendio conſciviſſe ſcribit. Cæterum alia præter iſtæc mali cauſa & exitus à veterum Svetiæ annalium incerto authore, & Norvegici Chronici veteri ſcriptore Snorrone Sturelonis refertur, & qvomodo ſublatis principibus, vacuum ſibi regnum per nefanda homicidia fecerit. Sic autem habendum eſt, ut auctor tradit. Qvum regnum Svetiæ initio ab uno rege, poſtea à pluribus æmulis conſurgentibus adminiſtraretur, & â ſingulis magis ſocietatem & amicitiam regis Upſaliæ, qvam imperium agnoſcere volentibus, per provincias in partes diſtractas; qvorum tamen princeps erat rex Upſaliæ, uti tum â ſede regni appellabatur; ſed ob multorum imperium crebris motibus vexaretur patria; Ingellus ſub unius imperium reduci, magnum ad concordiam momentum arbitratus eſt. Conſilium eqvidem ſalubre, modo rectâ viâ exſeqvi voluiſſet. Sed ille dolo & per inſidias implevit. Qvo tempore inauguratio ſui inſtituenda erat, ad eam Duces omnes Svetiæ invitavit, ſed non advenerunt omnes. Annales Norvegici Snorronis, Algothum Ingelli patrem, Ingvarum Fiedrundiæ cum duobus filiis Alfo & Agnaro, Sporſnillerum NeriCiæ, Siurdum Ottundiæ Duces adfuiſſe ferunt, alii plures numerant. Qvotqvot autem advenere, illis Ingellus in ſplendido conclavi regias ſellas adornari fecit. in qvibus, dum inaugurationis pompa celebratur, ordine conſederunt & ſolennia ſpectarunt. Ipſe verò Ingellus in ſubſellio infra ſolium Regis ſeorſum deſedit, donec ad eum patrio tunc more poculum è cornu vino plenum adferretur. Eo porrecto ſurrexit, illudqve coram ſolio, qvod mox adſcenſurus erat, libavit cum voti nuncupatione & religioſa fide de inſigni facinore edendo, regnoqve amplificando. Mox deductus ad paternum ſolium, illud conſcendit, & ſolennibus expletis, hoſpites opiparè accepit, hilaritate ad multam

noctem

noctem tracta. Tandem vino ſomnoqve graves, igne tricliniis ſubjecto omnes ad unum combuſſit, eorumqve ditiones ſuas regniqve fecit. Hoc dominationis flagitium ut impetu cœperat, ita ſucceſſu valuit: dum regni fines ex promiſſo dilatavit, & amotis æmulis, ſolus rerum potitus eſt: omnia honeſta qværendæ ſtabiliendæqve dominationi exiſtimans; u ſolent nimis ambitioſi & perfidi. Cæterum à bonis omnibus ut immane facinus damnabatur, cum tot capitum, humanitatis ſpecie deceptorum exitio, ad imperium graſſari. Abſentes tunc principes, imprimis Gramus Sudermanniæ dux, & gener ejus Hiörtwardus Ulfing, & Hauno dux Oſtrogothiæ, Grami ſocer, iſtud perqvam indignè tulerunt, & in Ingellum collectis viribus arma ferentes, parum reſiſtentem, in bello nimirum agnum, in pace leonem, ut vetus conditor Chronici Svetici ſcribit, facile profligarunt. Sed ille ad malas ſuas artes reverſus, eos imagine pacis & fidæ circumvenit amicitiæ; ſecurosqve & imprudentes pari flammarum fato perdidit. Ita cumulabat ſcelere ſcelus. Hoc ſolum laude dignum feciſſe memoratur, qvod leges qvasdam tulit, qvo facinorum invidiam mitigaret. Eas leges Vigerus Spå/juris ſciens, recenſuit & cum aliis in unum volumen contraxit. Liberos Ingellus ex matrimonio ſuſcepit duos Olaum & Aſam, trucem natura fœminam. Hæc Gudroto, Scaniæ principi, in matrimonium data, maritum & Levirum è medio ſuſtulit, eorumqve terras hoſti prodidit: ut ſuæ ſecuritati conſuleret. Inde profugam in hoc regnum Ivarus Regneri filius veſtigio inſeqvutus eſt, ad ulciſcendam cognatorum cædem. Ingellus verò metu virium animiqve Ivari, ſive conſcientia ſcelerum territus, impiæ filiæ hortatu flammas regiæ ſubdit, & ſe cum tota familia cremat; divinâ haud dubie vindictâ, ut qvo peccarat, idem ipſi ſupplicio eſſet.

OLAUS cognomento ARBORUM CÆSOR, Svetice TRATELIA.

Ante Wermiorum princeps, ad qvos, fugiens patris Ingelli & hoſtium vim, evaſerat. Rex factus, principia imperii aſpera habuit, graves adverſarios, Regneri Regis Daniæ filios, regni æmulos hoſtesqve nactus. Sed has ille difficultates animi conſtantia ſuperavit. Ut tamen cives ad imperata promptiores haberet, ónera ab anteceſſoribus impoſita illis levavit. Qvod populo non potuit non acceptiſſimum eſſe: qvippe tributorum graviorum, qvæ temporum neceſſitas imperavit, extra eam relaxatio qvædam, eſt gratum, ut qvod unqvam maximè, populo beneficium: qvod amicâ vi Prin-

vi Principi obnoxios facit animos, manus & fortunas ei ſubjectorum: qvibus pars libertatis eſt, ſi ſit uſu neceſſarium, â volentibus impetratum, non vi expreſſum publicum onus. certè Olaus ſtatum reipub. nutantem eo erexit, & civibus belli nervum, viros & commeatum ſubminiſtrantibus, hoſtes ex animi ſententia fudit omnes. Poſtmodò pacem conſeqvutus, ordinavit collapſum inter arma legum & juſtitiæ vigorem. Supervacuas in vaſtis locis ſilvas â radicibus evelli, & ad cultum ſegetis parari curavit. Inprimis Wermiorum regionem (qvæ in Annalibus Norveg. Sturleſonii olim Norvegorum fuiſſe dicitur) Sveciæ regno ſubjectam, hodie Wermelandiam, denſis horrentem nemoribus & informem adſpectu, ad meliorem faciem redegit & coloniis inſtruxit. Unde populus â *ſuccisis arboribus* ei cognomen ſuâ lingvâ fecit. Qvæ etſi vilis appellatio videri poterat, ille tamen ſibi honori meritò duxit: ê re regni fore videns, ut otioſis & ſupervacuis ſilvis exſtirpatis, urbes, pagi & tecta eorum vicem exſtruerentur: in qvibus cultui victuiqve dediti cives ſilveſtrem diſcerent exuere animum, ingenioqve & artibus ad civilem habitum componi. Volunt, hunc Olaum ab Anſchario, huc iterum miſſo, converſum, Chriſtianam fidem amplexum eſſe; Hoc fide digni ſcriptores Rembertus, qvi ætate Anſcharii vixit, imò ejus comes, diſcipulus & ſucceſſor fuit, ipſiusqve vitam deſcripſit, ut & Gvaldo poſt eum, ſatis adſerunt, & conceptis verbis *Oleph*, *Regem Sveonum* vocant, qvi ab Anſchario ad veram religionem converſus fuerit. Qvum enim Anſcharius (ut illi ſcribunt) â Ludovico II. Imperatore Ludovici Pii F. in Svetiam propagandæ Chriſtianæ religionis cauſa miſſus, Bircam veniſſet, Regem Olaum initio difficiliorem in capeſſendâ eâ religione deprehendit. Qvippe *deos ſuos prius per ſortes conſulendos eſſe dixit, num Anſcharius ob dictam cauſam admittendus eſſet; & populi conſenſum ad id reqvirendum.* Tandem tamen ſortibus annuentibus, & populo comprobante, prædicatum ab Anſchario Dei verbum cupidè amplexus eſt Olaus. Johannes Gothus tamen author eſt illum in acceptâ ſemel religione non perſeveraſſe, metu periculorum â ſubditis adhuc paganis impendentium. Aliud tamen colligas ex Anſcharii vitæ ſcriptoribus, de qvibus in Obſervationibus. Exortum eſt Olao cum Vitſerco, Regis Danorum Regneri filio, bellum, qvi jus regni in Svedia ex materno genere ſibi vendicatum ibat. Hoc bellum Johannes Magnus & Danici hiſtorici fusè deſcribunt. Sive hoc, ſive aliud bellum Sveonibus cum Danis fuerit (non enim expreſsè & cum circumſtantiis ſuis deſcribunt ſcriptores vitæ Anſcharii) Olaum circa belli finem victorem aliqvot urbes Danis eripuiſſe, & honorificum

pacis

pacis fœdus cum illis iniviſſe, Rembertus & Gvaldo dictis locis narrant. Tandem Olaus, imperii & vitæ ſatur, Upſaliæ deceſſit, regiis iſtic monumentis illatus. Duos poſt ſe reliqvit filios Haldanum Huitbeen, regem poſtea Norvegiæ, â cujus ſangvine reges Norvegiæ deducunt ſcriptores, & Ingonem patris ſucceſſorem.

INGO II.

Olai filius (qvidam Ingellum vocant) ingenio pacis amans, in eo totus fuit, ut diuturnum inter Svedos & Danos bellum tandem amicè componeretur, & publica tranqvillitas velut ab exilio reſtitueretur. Ei rei opportunum viſum eſt, Regneri Danorum regis filiam matrimonio ſibi jungere, & pacem hoc ſacro fœdere ſtabilire: non absqve ſuperiorum temporum & rerum uſu, ingens fuiſſe ſecuritatis publicæ firmamentum, aut fidam vicinorum Principum amicitiam, aut æqvam fortunam; ſi alterutrum obtineretur. Cæterum qvum Svedi Gothiqve belli ſtudiis adſveti, pacis ferme inſolentes, otium ægrè tolerarent; ne prorſus imbelle agerent tempus, aut domi qvieta turbarent: qvod illis majori periculo, qvam externum bellum foret; ab Ingone emiſſi ſunt adverſus Ruſſos, qvorum terram effusè ferro & flammis populabantur. Illo qvippe hoſte ad interiora recedente & copiam prælii non faciente, agris & tectis inimicam vim intulerunt. Cætera Ingonis geſta qvaſi cum ipſo ſepulta ſilentur.

ERICUS INGONIS FILIUS cognomento VENTOSI PILEI.

In qvamcunqve plagam protenderet pileum, ventum ſibi obſeqventem & ſecundum habebat. Populus ſuperſtitione cœcus ſibi regnoqve maxime utilem fore credebat eum regem, qvi, ſi aëris potens, etiam proſperitatis compos eſſet. Illi enim nihil arduum adverſumqve terra & mari fore, qvi tempeſtates ad nutum & arbitrium ſuum regere poſſet. Nec ferme ſpecioſiori fuco vulgi mentes deludere diabolus poterat. Ille verò piraticâ exercitus & ſuis veneficiis operatus, regni rebus parum intendit. Tandem ab Oſtano qvodam regii ſangvinis per inſidias trucidatus eſt, ſi Saxoni & Cranzio fidem habemus. Ericus Upſalienſis vitam naturali morte finiiſſe ſcribit; licet nihil niſi ventoſum nomen ex maleficis artibus, apud vanos ſui admiratores reliqverat.

ERICUS VICTORIOSUS.

Biörnonis filius in Snorronis annalibus Norvegicis dicitur, at â Jo-

hanne Magno, Ericus Wederhatz filius, perpetua in armis felicitate utebatur. Raro utiqve exemplo, qvum fortunæ belli vices haud ignoremus. Qvam tamen cum cura habuit: nihil apud ſuos remiſſum, neqve apud hoſtes qvietum paſſus. Agnerum Regneri filium in Anglia adverſo fato militantem, & poſtea regno Svediæ materni ſangvinis obtentu imminentem, publico & belli momentis ſedulo invigilans, duce Oſtano proſperè debellavit. Qvum Finnones, Livoni, Eſthones, Curetes, Boruſſi pergerent in Daniam ad ulciſcendum Danorum in mari prædationes, ex qvibus non levia damna illis inlata erant; & vi tempeſtatis in littora Gothica ejecti deprædarentur Gothiam, prætextu auxilii â Gothis Dano in piratica lati; Ericus contractis in claſſem copiis, eosdem ne ultra tenderent, repreſſit. In illorum inſuper regiones, qvas â tergo viribus vacuas incautè reliqverant, excurſionem faciens, eas intra breve temporis ſpatium diripuit & ſub ſuam poteſtatem redegit. Velut autem fortunæ militaris fama plurimorum, & ipſorum potentium amicitias allicere ſolet, ita Otho Saxoniæ dux, Imperator Germaniæ poſtea factus, Erici ſocietatem adſecutus eſt. Qvam Haraldus rex Daniæ, ut ſibi regnoqve gravem ſuſpicatus, omni ſtudio diſſolvere conabatur. Mox velut Storbiörno, Biörnonis qvarti filio exuli, & qverenti ſe regno & hæreditate paterna injuſtè ab Erico dejectum, opitulaturus, ad limitem Svediæ cum exercitu acceſſit. Sed Othonis in Daniam impreſſione ſubitò revocatus, inceptum omiſit. Storbiörno ignovit, & ut in poſterum in fide eſſet, beneficio donatæ provinciæ ſibi hominem obſtrinxit, Sveonem Danum, impium regni poſſeſſorem, qvo patrem Haraldum expulerat, iterum dejecit; idqve ad ſeptennium obtinuit, recuperatâ ſimul Scaniæ provinciâ, qvam Regnerus beneficio matrimonii tenuerat. Imperium victoriis & opibus auctum qvum bene adminiſtraſſet, vita exceſſit, conſtanti fortunæ, ſed meliori virtutis famâ.

ERICUS cognomento FELIX ANNONÆ alias STENCHILLUS I. ERICI VICTORIOSI Filius.

Etiamſi ſub ejus imperio fluerent ubere agri fœcunda optataeqve meſſis tempora, unde *Aarſel, felix annona* dictus eſt; optima tamen meſſis erat, verbi divini fructus tunc renatus & collectus: qvi ſuperſtitionis & dominantium vi, â tempore Beronis tertii ſuppreſſus jacuerat. Sed præſente Dei ope gratiaqve nunc reſuſcitatus, ſingulari miraculo crevit: qvod hujusmodi eſt. Sacrificulus paganus, dum cultui idolorum operatur, ſubitò

ſubitò oculis captus eſt. Qvum verò ſuos deos incaſſum opem & cœcitatis remedium rogaſſet, domum ſe deduci jubet, ut vitæ reliqvum in tenebris & miſeria exigat. Iſtic in ſomnum delapſus viſo qvodam admonetur, firma Chriſtum Servatorem fide amplecti, populoqve prædicare. Ille hac fiducia erectus, non modò viſum ſuum, ſed qvo longè præſtantius erat, cœleſte lumen mentis, expulſa inde diabolici cultus & ſuperſtitionis caligine, recepit. Idem pluribus feliciter propagavit. Rex etiam exemplo ſuo ſingulare religionis incrementum erat. Qvum nomen Chriſto dediſſet, aqva ſacri lavacri *adſperſus*, inde lingva Svetica Stenkil cognominatus eſſe creditur. Multitudine ob nimiam religionem inſtaurantium rigorem tumultuante, qvidam regem iterum ab agnita veritate deſciviſſe memorant, populo placendi & motuum ſedandorum ſtudio. Sed non facile adfirmatu eſt (niſi res liqvida ſit) regem tam levem fuiſſe in deſerendâ verâ religione, qvam tam cupidè ſuſceperat. Hoc tamen haud negaverimus, temporis cauſa furori civium ceſſiſſe, donec molliori ratione & tutiori viâ ad ſanitatem eos reduceret. Hinc, ut videtur, ſuſpicio orta eſt, qvaſi in religione claudicaret. Alii contra Upſaliæ â factioſis, prætextu admiſſi contra leges pub. & fidem datam de receptâ ante religione ſervandâ trucidatum, ſangvine ſuo Chriſtianæ religionis & fidei profeſſionem obſignaſſe perhibent: qvum Adalvardo & Stephano, qvi Bremâ à rege evocati, verbum Dei in Svetia, præſertim Sigtunæ diſſeminarant, hic concedere nollet. Illum Upſaliæ occiſum & Birkæ ſepultum, hunc in ſilva Helſingiæ Odemothia vel Odemarkia, ubi nunc Norala ædes ſacra ſita eſt, â ſeditioſa & nondum ſatis inſtituta plebe interfectum, qvod in propaganda religione ſeveriores eſſe viderentur, utrumqve martyrio coronatum eſſe, in comperto eſt.

OLAUS cognomento SKOTKONUNG, vel verius SKöTKONUNG.

Rex Svetiæ Olaus, Erici Aarſel Regis filius, ut alii, frater, *Skotkonung* i. e. *tributarius Rex* cognominatus eſſe exiſtimatur, qvod hortatu Præſulum Sveticorum ad Pontificem Romanum miſiſſet tributum: qvod alio uſitato tunc more S. Petri denarium, & inde *Votum Olai* nuncupatum ferunt. Alii verò Imperatori Romano vel Germanico cenſum iſtum ſubſidio miſſum eſſe volunt adverſus Saracenos, Eccleſiam Dei in oriente tunc divexantes. Sed neutrum horum veriſimile ſit. non prius: qvod ea ætate apud Septentrionales adhuc ignorabatur obſeqvium erga ſedem Papalem, non

 poſterius

poſterius: qvod Rex Svetiæ Imperii Romani, cui nullus Sveonum, multò minus ipſe Rex eorum ſuberat, tributarius eſſe voluerit. Itaqve rectius illi ſentire videntur, qvibus jam in tenerâ ætate *Skötkonung* appellatus eſſe dicitur à Svetico *Sköt*, *gremio*: qvod defuncto patre adhuc infans in *gremio* geſtaretur, & tamen *regno* jam ab Ordinibus regni deſtinatus eſſet; matre Sigride interim, cum conſenſu Ordinum, imperium adminiſtrante, donec ille adoleſceret. Unde in Genealogia Regum Sveciæ, qvæ exſtat in Hervari hiſtoriâ, à Cl. Verelio editâ, expreſsè Olaus Erici Skóttkonung dicitur. Poſtea *Olaus Sveo*, Olof Svenſk Sveticè cognominatus eſt, ut ſæpè legere eſt non ſolùm in noſtris, ſed etiam Norvegicis annalibus: ad differentiam, ut videtur, Regis Norvegici iſtius temporis, cui etiam Olai nomen fuit; qvoties de utroqve hiſtoria loqveretur. Admotus regno, inter præcipua regni negotia curam veræ religionis habuit ſingularem: qvum maxima pars populi & ſubditorum ejus adhuc in paganicæ idololatriæ tenebris hæſitaret. Itaqve ad Angliæ regem Mildredum (alii Ethelredum vocant) amicitiæ fœdere ſibi junctum miſit, deſideravitqve, ut qvosdam ex ſuis ſacri ordinis hominibus huc juberet ire, atqve hîc ſubſiſtere, qvi vero DEI cultu Sveonum animis ulterius imbuendis & cum DEO confirmandis habiles eſſent. Mildredi juſſu advenerunt Sigfridus Epiſcopus Eboracenſis, & cum eo Eſchillus & David Sacerdotes. A Sigfrido, qvi poſtea Epiſcopus hîc Wexionenſis factus eſt, Rex Olaus ſacræ lotionis aqvâ tinctus cum ſuis eſt in fonte prope Husby, qvi morborum curandorum miraculis olim clarus, Fontis Sigfridi nomen inde accepit. Rex autem univerſos ſibi ſubditos Chriſtianos fieri unicè exoptabat. Inprimis operam dedit, ut templum Upſaliæ paganicum, primaria idololatriæ ſedes, deſtrueretur; qvod magnæ apud eos venerationis eſſe ſciret. ſed fruſtra: qvum in animis eorum nondum idololatria deſtructa eſſet. Illi animadvertentes, qvid rex moliretur, & ne vi ab eo ad deſerendum deorum cultum cogerentur, ita cum rege pacti ſunt, ut in qvacunqve Svetiæ provinciâ, qvæ ipſi placeret, Chriſtianæ religionis eccleſiam conſtitueret; neminem autem ex populo â cultu deorum recedere per vim cogeret; ſed qvibuscunqve liberum foret & qvi ſponte ad Chriſtum converti vellent. Hæc conditio qvum Regi placeret, in occidentali & auſtrali Gothia per Sigfridum, DEO faciente, fundari curavit eccleſiam, & ſe cum ſuis ſacro fonte ablui. Iſta verò lenitas ad inſtillandam populo paulatim veri Dei notitiam ſeveritate plus valuit. Olaus autem primus Chriſtianus

Sveo-

Sveonum Rex in qvibusdam annalibus (â nonnullis qvoqve Chriſtianiſſimus) dicitur; non qvod ille primus fuerit, qvem Beronem III. fuiſſe conſtat; ſed ob ſingularem ardorem propagandæ per fideles verbi divini miniſtros religionis, & conſtantiam ipſius in eadem. Inter civilia hujus Regis inſtituta illud eſt, ut præcipuum reges ſuos eligendi arbitrium penes Sveones, non Gothos, imperii æmulos, eſſet; & ut de Sveonibus principem imperii titulum Reges uſurparent. qvod ille primus fecit: qvum antea *Reges Upſaliæ* â regia ibi ſede appellarentur. de qva re in Antiqvit. Sveogothicis plura. Idem Olaüs in hoc regno inſtituiſſe fertur probationem rei dubiæ per candentis ferri contrectationem, poſtea abrogatam; de qva in dictis Antiqvitatibus fuse. Controverſiarum verò deciſionem, hactenus duello factam, ipſe ſuâ ætate abrogaſſe fertur: ut & Runas velut nonnulli volunt: qvod ſuperſtitionis inſtrumenta facta eſſent. ſed de his ſuo loco. Nunc ad bellicas ejus actiones accedimus. In bello contra Olaum Tryggonis Norvegiæ regem Svenoni Daniæ regi ſuppetias tulit. & inde depulſo regnum Daniæ reſtituit. Cauſam bello dederat â parte regis Norvegorum intercepta â Svenone Sigrita (Syritham Saxo vocat, Sigridem Ericus Upſalienſis) Erici Victorioſi olim conjunx, Olai Skötkonung mater tum vidua; â parte Danorum regis, illatæ uxori ejus ſibiqve ab rege Norvegorum injuriæ. Ut rem â capite, majoris lucis cauſa, arceſſam, ita accidit, uti annales veteres Norvegici referunt; aliter enim noſtri annales. Olaus Tryggonis rex Norvegiæ nuptias Sigridis per legatos ambivit, animo ſtabiliendi ſuas opes regnumqve ſocietate regis Sveonum, Sigridis filii, adverſus Svenonem regem Daniæ. Qvum intellexiſſet, ſuum deſiderium reginæ non plane diſplicere, dono ei miſit ingentis ponderis annulum; qvem Nidroſiæ valvis templi paganorum â ſe diruti detraxerat. Hoc munus Sigris magni initio fecit. Sed ubi deprehenſum eſt ab aurifabris, auream tantùm laminam, vel tenuem ex auro bracteam æreo craſſoqve annulo intus abdito ſuperius obductam eſſe, non parum indignata regina, ſe iſto dono eſſe circumventam, Olaum Tryggonis plures ſibi dolos ſtructurum dixit, ſi copia ſit. Ille verò iſtius fraudis, ut videbatur, inſcius, animum ejus, utcunqve ſibi placatum & reſtitutum, pergit ad matrimonium pellicere; hac tamen lege, ſi paganâ religione deſertâ, ſacra Chriſtianorum amplecti velit. Qvod illa prorſus abnuit, negans ſe diſceſſuram ab illa religione,

qvam majores ejus tamdiu coluiſſent; qvaſi veritas religionis ex ætate ſola aut majorum exemplo æſtimanda eſſet. At rex negabat ſibi placere matrimonium paganæ uxoris. Inde verbis & jurgiis procedentibus, Olaus commotior, chirothecâ os Sigridis percuſſit. Illa hac contumeliâ adeò accenſa eſt, ut iſtum colaphum ipſi vitæ impendio conſtiturum increparet. Nec minas planè muliebres fuiſſe, eventus oſtendit. Olao enim rege Norvegiæ repudiato, Svenonis Daniæ regis conjugium prætulit, & hunc inſtigavit in Olaum, ad iſtam contumeliam armis ulciſcendam. Qvam aſpernabat eo qvoqve, qvod Olaus poſtmodò ſororem Svenonis Tyram, qvæ Butislao Wendorum regi nupta, eum, qvod paganæ religionis erat, clam deſeruerat, inconſulto & invito Svenone, uxorem duxerat. Illectus ad ultionem Sveno, petit ab Olao Skötkonung auxilium, faciliqve negotio â privigno impetrat. Uterqve conjunctis viribus & claſſe, invadit Olaum Tryggonis; pacto inter ſe & Ericum Jerl, qvi regem Svetiæ ſeqvutus erat, facto, ut, ſi regem Norvegiæ ſuperare poſſent, Norvegiam inter ſe in tres partes dividerent. Acri prælio cum hoſtibus apud Vendos inito, non melior fortuna regis Norvegiæ fuit, qvàm ut vitâ regnoqve excideret. Hoc ei qvendam Enarum nomine, maximè ſtrenuum inter regios militem prædixiſſe ferunt. Qvum enim iſte Enarus, percuſſo Erico Jerl, ab alio rurſus telo peteretur, arcus ejus â feriente medius diviſus ac diſruptus eſt, tanto fragore, ut in vehementi armorum ſtrepitu etiam ad regis aures accideret. qvi qværens, *qvid diffractum adeò ſonuiſſet?* reſponſum ab Enaro tale accepit: *regnum tuum Rex perdidiſti*: Rex contra: *Meliora ſperemus. in Dei manu ſtat vita regnumqve meum, non in arcu tuo.* In pugna tamen cæſus, vulneratus ac victus, ne vivus in hoſtium manus veniret è navi in mare ſe projicit, atqve undis hauſtus interit. Regnum verò Norvegiæ ex convento inter victores dividitur; ita ut Olao Skötkonung cederent qvatuor territoria vel præfecturæ Nidroſiæ, nimirum Sundmöra, Nårdmöra, Runsdalia, & Ranarike, uti tunc dicebatur, hodie dictio Bahuſenſis, & qvidem â mari vel lacu Gotelf usqve ad Svineſundum. His Rex Sveciæ præfecit Comitem Sveonem Haqvini, affinem ſuum, qvi ſororem ejus Holmfrid (*Hornfrid* eſt in hiſtoriâ Regum Norveg, c. XXX.) conjugem habebat. Progreſſu temporis Olao Regi Svetiæ aliud bellum cum Olao Haraldi rege Norvegiæ natum eſt, cujus hæc erat cauſa: Pater regis Norvegiæ Haraldus Grönske etiam ambiiſſe fertur nuptias Sigridis (de qva ſup.) anteqvam nupſiſſet Svenoni Regi Daniæ. Iſte Haraldus Aſtam Gubrandi filiam ante in matrimonio habebat: qvod ei qvoqve exprobravit Sigris. ſed ille, fœminam

qvi-

qvidem probam, genere tamen ſe inferiorem eſſe prætexebat: ideo Sigridem ſe ei ſuperducere velle. qvod Sigridi minus placebat. ita habet hiſtoria Regum Norvegicorum; (licet alii annales aliter, ut ſup. memoratum eſt) Illum tamen Regina vidua iſto & poſtero die opiparè tractavit. Inter alia dicta ex hilaritate effuſa, Sigris magni ſpiritus fœmina jactavit: Se non minoris æſtimare ſuas poſſeſſiones, qvas in Svetia teneret, qvàm ille regnum ſuum Norvegiæ. Hoc illum malè habuit. Itaqve Ingris ſibi perſvaſum habens, eum vindictam contemtus ſui meditaturum, primâ vice cum donis & ornamentis ipſum amicè dimiſit è Svetia. Sed qvum altera vice rediret, veteri conclavi Upſaliæ, in qvo cum ſuis dormiebat bene potus, ignẽ ſubdidiſſe regina fertur. ſed qvum Haraldus incendio exiliiſſet, in tumultu occiſum fuiſſe, hiſtoria Norvegica perhibet. Sigridem autem hoc addidiſſe opprobrium: *Hoc modo regulos tædio afficiendos eſſe, ne huc procatum ex aliis terris veniant.* Ericus Upſal. etiam â Reginâ ipſum Haraldum combuſtum, ſed incertum ex qvâ cauſa, ſcribit. Qvicqvid ſit, iſtud ex Norvegiâ bello ulciſcendi animo venit Olaus Haraldi filius, & ut recuperaret, ſi poſſet, Norvegiæ partes, â Rege Sveonum Olao Skötkonung occupatas. Claſſe Svetiam ingreſſus, magis cum agris, pecoribus & villis, qvam hominibus bellum gerit, omnia circum depopulatus ad lacum usqve tunc Logen, nunc Melerum dictum, urbibus circumjacentibus incenſis & ſolo æqvatis, præſertim Birka. Inde Sigtuniam progreſſus ponte amnem junxit, per qvem traduceret exercitum. Sed qvum immineret autumnus, & rex Norvegiæ cognoviſſet, regem Svetiæ colligere naves & militem, atqve catena ferreâ per *Stokſundium* (ubi nunc eſt flumen boreale Stocholmiæ) trajecta & propugnaculo in *inſula*, qvæ nunc *Eqveſtris* dicitur, exſtructo ac præſidiis munito, ſe, donec lacus Melerus frigore concreſceret, detenturum & incluſurum, abitũ properans, navigat Stockſundium. Sed qvum eò perveniſſet, ſibi tranſitum catenâ ferrea occluſum eſſe comperit, & regem Svetiæ cum claſſe & ingenti exercitu advenire. His anguſtiis circumventus S. Olaus, conſilium, qvod præſens neceſſitas ſubjecit, ex tempore capit, & ad Agnifitiam (ab Agno Dageri F. ita dictam, de qvo ſup. in vita Ingemari) depreſſiori ſolo, ubi nunc flumen auſtrale eſt, noctu magna ſuorum militum induſtria & celeritate perfoſſo, & aqvâ denſo imbre adaucta, extraxit ſe cum claſſe ſuâ fruſtra id prohibere nitentibus nonnullis Sveonum, qvos collis ad amnem inferius madefactus & ante eos decidens impedivit, non paucis etiam ſubmerſis, ille verò ſalvus hinc evaſit. Lacui iſti poſtea *Regii Freti* nomen ex illa occaſione fuit. Ita ex manibus & inſidiis Sveonum

num prorſus inopinato & Rege fremente elapſus, tandem ad ſuos in Norvegiam rediit. qvibus perſvadet ſibi auxilio eſſe, ut potiores regni ſui partes exterorum manibus eripi, ſibiqve reſtitui poſſint. Inde collectam multitudinem, renunciatâ regi Sveonum fide, in ſua verba tanqvam veri Regis jurare voluit. Anteqvam id fieret, pro populo Brynolfus Elephantus dives & potens colonus ita verba fecit: *Satis indigenas perſpectos habere veros & veteres inter Norvegiam & Svediam limites, ex qvo Gothicus vel Bahuſianus lacus regiones diſtinxerit usqve ad Vennerum, & inde â Markia boream verſus usqve ad nemus Eidaa, & inde per campos Kyllenſes usqve ad Finmarchiam. Hodie Olaum Sveonum regem Norvegiæ fines usqve ad Svineſundum poſſidere. Se qvidem inficias ire non poſſe, qvin plerique civium animi imperio Olai Haraldi veri patriæ domini, qvàm extranei ſint, promtiores. Sed non ſatis virium in promptu eſſe, ad tuendum regnum ac libertatem adverſus potentiores, & tam propinqvos hoſtes: cum Rex Norvegiæ ſedem imperii longius ad aqvilonem & â ſubſidiis regni remotiorem habeat; at Regis Svediæ provinciæ Norvegos proximè contingant, ad orientem & ſeptentrionem. Idcirco ipſius eſſe providere, qvam inſiſtat rationem illos jugo regis Sveonum qvam commodiſſimè eximendi. Qvod ſi poſſit, ipſos ultrò ad regis imperium & obſeqvii ſui fidem redituros.* Olaus Norvegus eorum animos approbat, & copiis ac pecuniis, qvotqvot in præſens poteſt, apparatis, præſidia Svedica regno expellere conatur. Cæterum qvum Rex Svediæ Svenonem Comitem præfeciſſet illis provinciis ac regionibus Norvegiæ, qvas adhuc imperio tenebat; ejusqve fidem ſibi affinitate obligaſſet, eas etiam Regi integrè ſervarat, & contra Olaum Haraldi maſculè defenderat. Sed ab eo in pugna maritima victus, brevi deceſſit. Poſt ejus mortem rex Svediæ duos iſtuc miſit, Torgoterum Scardum & Aſgothum, ad tributum ejus nomine exigendum à Norvegis: qvod Olaus Haraldi jam exegerat. Ideo duplex onus, ut intolerandum, ſubditi detrectabant. Sed & rex Norvegiæ regi Svedorum ullum tributum à Norvegis, in qvos nihil juris haberet, deberi negabat. Qvin Aſgothum domum abire & regi ſuo nunciare jubet, ut ipſi in limite regnorum occurrat. Ibi ſe cum illo experturum, utri major in regnum Norvegiæ poteſtas eſſet. Aſgothus autem pergit in Norvegiam ad Guledalios & Orcadalios, exigendi tributi cauſa. Sed qvum conatu excidiſſet, motusqve inſuper graves in plebe concitaſſet, regis juſſu captus & in patibulum actus eſt. Paucis interpoſitis diebus in tumultu itidem & Judicio territoriali trucidatur Eiliſus Gothus, regis Sveonum ibidem præfectus. Torgoterus verò qvum exſpoliaſſet naves Eivinderi Urhornii, primi nominis apud Norvegos viri, tunc abſentis, vel, ut

alii,

alii, Gudleici mercatoris in Vikia, qvi juſſus erat pro Rege emere pretioſa qvædam in Ruſſia & alibi, ſed procellâ projectus erat ad Angliam; mox re cognita Eivinderus eum veſtigiis inſeqvitur, & in reditu ad limitem & promontoria Svetiæ deprehendit, & obtruncato Torgotero ſpolia recuperat, qvæ ad Regem Norvegiæ reportat. Ob has acceptas injurias & damna Olaus tanto adverſus regem Norvegiæ odio ferebatur, ut, qvoties ejus mentio incidebat, nollet eum dignari nomine regis, ſed *craſſum* hominem per ludibrium appellaret: erat enim obeſo corpore. Nec aliqvem ex ſuis ipſum aliter nominare æqvo animo patiebatur. Inſignis verò ultionis occaſionem animo ſecum peregit. Qvod prævidens populus Norvegicus, ne grave bellum adverſus ipſos viribus minores oriretur, malum amica conciliatione declinandum, & pacis fidum pignus regis Svediæ filiam Ingridem Olao regi Norveg. in matrimonium petendam decrevit. Populi mentem Biörnus Satrapa regi exponebat, qvi ab hoc conſilio qvoqve non alienus fuit. Itaqve de communi ſententia Biörnus cum Hialto Comite in Gothiam mittitur, ad inducendum ibi Ragvaldi Comitis & civium animos ad pacem; inde in Svediam, pro petenda ipſa pace & regiæ filiæ nuptiis. Sed ut facilius aditum commendationis ſibi ad regem hic valde difficilem qværerent, uſi ſunt duorum Gitzuri & Ottonis Svartiorum opera: qvi ambo Islandi apud regem gratioſi erant. Qvum enim profeſſione *Scaldi* eſſent; (ita Scandianis olim poëtæ dicebantur;) & Regis geſta carmine decantarent, propter iſtud humanitatis ſtudium rex eos dignè æſtimavit & liberaliter fovit. Inprimis regis filiam Ingridem cauſæ ſuæ patronam nactus eſt Hialtus, interponente partes ſuas apud eam Ingeburge Ragvaldi Comitis uxore; præterqvam qvod ipſe ſe ſuumqve negotium Regi, ebrio & læto, ex occaſione inſinuabat, licet absqve fructu. Nec virgo patri ſuo iſtud negotium pacis, ut rogata erat â legato, commendare, occaſioni intenta, neglexit. Sed qvum iſtam commendationem neutiqvam in gratiâ Rex haberet, malè accepta eſt â patre filia, & qvidem hoc reſponſo: *Video quid moliaris Ingris, ut poſſeſſione Norvegiæ dimiſſa, te collocem in matrimonium Olao Craſſo. Sed hoc fruſtra ſperas. Aliud mente mea volvo, ut nimirum proxima hyeme in Judicio Upſalienſi edicam expeditionem militarem. Enimverò ſimul ac remiſerit frigus, & glacies aquis deceſſerit, claſſem armis & milite inſtructam in Norvegiam ductabo, & ferro flammisqve iſtorum hominum perfidiam, ut merita eſt, ulciſcar.* Sic illa ſpe decidentes legatus & Ingris, re irrita abierunt. Nihilominus denuo rediit in Sveciam Hialtus cum Biörno, ejus-

dem negotii aleam ſecundum experturus, ſi fortè iterata vice felicius caderet. Sed præmiſit qvosdam ſuorum Upſaliam ad Ingridem, eamqve evocavit ad colloqvium ſecretum in proximo agro Ulleriano, ubi aulam qvandam vel prædium regale illa habebat: ut exploraret, qvo pater ejus animo in regem ſuum eſſet. Nam virginem non abhorrere ab Olai nuptiis, jam ante compererat, ſi modò pater ejus flecti poſſet. Qvem qvum immotum cernerent, ſatagentibus amicis, Ragvaldi Gothiæ occidentalis Comitis, cui ob ſangvinis conjunctionem propior cum Rege uſus erat, auctoritate, regium tentare animum atqve, ſi poſſet, expugnare, è re viſum eſt. Ille ad hoc inductus qvidem, ſed ſibi ſoli non ſatis fidens, cum Torgnyo agnato & educatore ſuo, Judice provinciali Uplandiæ, magnæ exiſtimationis & fidei apud ſuos, expertæqve prudentiæ viro, rem tantam communicat, & qvid rex Norvegiæ per legatos ſuos petat, & qvàm indigno reſponſo rex Sveonum eos repulerit. Conſutatione ultro citroq; habita, rem utriq; regno ex uſu futurum in foro & conventu Upſalienſi feriò tractare complacet. Itaq; freqventi iſtic populo, conſilium habetur. Primus ſurgit Biörnus legatus, & cujus rei cauſa adſit, exponit: *Ut nomine ſui Regis qværat pacem & diſtinctionem terminorum utriusq; regni, ut olim fuere, Regiæqve filiæ nuptias.* At nihil horum Olao placet. Omnia cum ſtomacho ſævisqve dictis rejicit. Mox Ragvaldus Comes Veſtrogothorum ſuorum promit ſententiam: *Qvod illis videatur præſtare, pace factâ, qvantacunqve regni Norvegici poſſeſſione cedere, qvàm in perpetuo metu & periculo propinqvi belli & excurſionum hoſtilium verſari. Pacis autem fidum vinculum fore matrimonium Ingridis cum rege Norvegiæ.* Sed & Comitem rex aſperis verbis tanqvam perfidum excepit; eum ab imperio Ingeburgis pendere exprobravit, in cujus officina hæc conſilia fabricata eſſent. Tandem cum ſenex Torgnyus ad dicendum ſurrexiſſet, univerſa ſe multitudo movit: ut, qvod ille in medium conſulturus eſſet, intentis animis & auribus acciperet. Ille verò regis faſtum & pertinaciam acrius increpabat: *qvod contra morem deceſſorum & majorum ſuorum, populi & amicorum conſilia ſperneret, & neminem niſi ſe dignaretur audire, qvodq; ſibi ſoli placeret. Ejus & omnis plebis conſilium eſſe, ut pacem ineat cum Rege Norvegiæ, & filiam Ingridem ipſi in matrimonium collocet. Si ejus voluntas populi ſententiæ congruat, eos in omnibus, quæ è re regni, Regis virtute & ſua fide digna ſint, ultrò Regi præſto futuros. Si ſecus fecerit, procacis animi atqve faſtus non ferendi pœnas daturum.* Ad dicta plebs, qvæ armata in concionem iſtius ſeculi more venerat, ſcutis concrepans, animorum & indignationis conſenſum oſtendit, & niſi rex eo-

rum

rum ſententiæ accedat, vim haud abſuturam. Rex ne populi furorem in ſe concitaret, offenſam celavit, & ſe in plebis ſententia fore, verbis & re, ut videbatur, adfirmavit: dum pacis fœdus, & filiæ nuptias per amicorum principes Legatis regiis & per hos ipſi Regi ſolenni ritu pactus eſt. non tamen ſervavit pactum. Utriusqve hîc peccatum, prorſus haud excuſandum, agnoſcimus, Regis & populi. Rex enim, licet haud injuſtas vel negandæ vel differendæ pacis cauſas, nullâ vel incertâ Norvegorum ſatisfactione, habere videretur, nec absqve illâ partem regni Norvegiæ jure belli gladioqve adqviſitam concedere fas duceret: nimis tamen pervicaci animo erat adverſus amicos & plebem haud abſurda conſulentes, atqve retinens odii in hoſtes pacem & amicitiam efflagitantes, nec indignis forte legibus, ſi pactionem facere placuiſſet. Populus verò cum Torgnyo, populi nomine verba faciente, immodica oſtentatione libertatis & virium in regem palam ferox, violenta auctoritate, licentia, minis & manu extorqvere conatur, qvod modeſtiâ & ratione obtinuiſſet. Itaqve res eò tandem evaſit, ut Rex, qvi cogi nolebat, qvieſcentibus turbis, qvod promiſerat, reſcinderet. Plebs autem ſibi perſvadens ſe eſſe, qvam Rex metueret, & penes qvam rerum arbitrium eſſet, contra nitebatur, & ſententiam ſuam contumaciter urgebat, qvod non niſi motus & offenſas alebat, atqve extrema mala reipub. minabatur. Proinde ſucceſſores Reges & rerum prudentes utrumqve præceps ita temperarunt, ut in gravioribus regni negotiis Reges etiam amicos audirent: qvum oculi plus videant qvàm oculus. In illis verò, qvæ ad commune bonum vel univerſos pertinerent, non unius nec paucorum aut plebis arbitrium ſolum eſſet, ſed ex omni ordine ad ſtatum locum à ſupremo magiſtratu convocatis, cum judicio, unanimiter & maturè in rem patriæ diſcuſſa, tandem rata haberentur. Nimia verò plebis poteſtas, juſto deinceps imperio cohibita eſt, & effræni libertati leges modum poſuerunt; ut publico magis utilem, nec Principibus formidandum aut probroſum. Sed ad rerum ſeriem redeamus. Aliqvando Rex primo mane, ut ſolebat qvotannis, venatum exiens, comitibus accipitre & cane, ac qvinqve tetraones capiens, filiam Ingridem rogabat, num alium qvenqvam tantillo temporis ſpatio tot aves cepiſſe fando audiviſſet. Illa verò: Olaum Craſſum uno mane qvinqve proceres (qvi, qvod ad religionem Chriſtianam â rege cogi nollent, contra eum conſpirarant,) in Norvegia cepiſſe & ditione exuiſſe reſpondit. Qvod filia amorem erga ſperatum adhuc ſponsũ tegendi imprudens, ſupra patrẽ efferre videretur Olaũ Craſſum, qvem ille habebat inimicum: qvum Principes ne amicos qvidem ejusdem gradus

 ſibi

ſibi gloriâ præferri, ſatis æqvis animis ferant: pater vehementem in modum excandeſcens negavit ſe permiſſurum, ut Ingris in manum ac matrimonium iſtius Craſſi, cujus amore nunc ſtolidè duceretur, unqvam deveniret. Ita utrinqve diſceſſum eſt. Interim Rex Norvegiæ Olaus Ingridis adventum in Norvegiam & novum matrimonium ex pacto, ſed fruſtra præſtolatur. Qvippe Iarislavus Ruſſiæ vel Novogardiæ Princeps, poſtmodum Ingridis nuptias per legatum expetit, atqve ex animi ſententia potitur. Rex Norvegorum hanc repulſæ injuriam armis vindicare cogitabat. Et novi motus exorti fuiſſent; niſi aliud remedium expiandæ offenſæ opportunè repertum eſſet. Inter Sigvaldum Scaldum, qvi ad Comitem Ragvaldum eo nomine in Gothiam occidentalem profectus erat, & ipſum Comitem convenit de Aſtride, altera Olai Regis Sveonum filia, ſed ex Vendica uxore vel pellice (ut Adamus Brem. notat) progenita, Ingridi ſubſtituenda & Olao Craſſo in certam matrimonii ſpem offerenda. Qvod ipſa qvoqve virgo non nolebat, etſi inſcio tunc patre: qvem Ragvaldus, ut obſtinatum animo, hic præteribat. Hac de re poſtqvam Olai Craſſi mentem per ſuos inveſtigaſſet Ragvaldus, in Norvegiam iter facit. Ubi humaniter exceptus ab Olao rege, cum eo Aſtridis nuptias ſolenniter eadem poteſtate, qvâ ante habebat de elocanda Ingride, paciſcitur, hac conditione: ut tantundem dotis Aſtridi tribuatur, qvantum Ingridi deſtinatum fuerat. Et qvæ erat Olai regis Norvegorum animi moderatio, promto affectu conditionem accipit, & cum ea Aſtridem, qvamvis ſuccedaneam; manſvetam tamen, diſertam, decoris & regiis planè moribus virginem. Seqventi vere advenerunt Legati Iarislavi, ut ex lege pacti domum ducerent Ingridem. Hæc conſtituta ſibi dote, qvum pararet diſceſſum, â patre rogatur, qvem ſibi præcipuum itineris comitem adjungi velit. Illa Ragvaldum Ulfonis agnatum ſuum deſiderat. Hic rex offenſus, ſe aliud Ragvaldo iter paraſſe ait, nempe in patibulum: qvia ipſum circumveniſſet in filia Aſtride Olao Craſſo inimico ſuo clam deſpondenda. Supplicium iſtud Ingris deprecata, obſecrat parentem, ut majori incommodo vitando & regiæ exiſtimationi tuendæ, fidem ſervare velit: qva regio nomine Regi deſponſata ſit Aſtris. Rex aliqvanto mollior precibus Ingridis, excedere regno Ragvaldum jubet, nec unqvam in conſpectum ſuum redire. Qvod Ingris Ragvaldo per ſuos ſignificat, & locum ubi convenirent. Ille in Gothiam orientalem concedens, ibi cum inſtructa claſſe obviam procedit abeunti virgini, atqve in Ruſſiam comitatur. Ubi à Regina bene habitus, odio metuqve Regis procul, tranqville vixit. Poſt diſceſſum Ragvaldi, conqveſti ſunt Gothi de difficili duroqve

qve

qveRegis animo adverſus ipſum aliosqve,qvi cum eo fuerant,in amicitia cum rege Norvegiæ contrahenda. Qverelæ,ſermones & fremitus vulgi ita creverunt,ut jam nutantes,in Regem Norvegiæ ejusqve imperium inclinare viderentur. Sed huic & aliis incommodis ſaniores Emundum Gothiæ Occidentalis Judicem, virum prudentem,facundum & egregiæ dignationis apud Regem,moderato ſalutariqve conſilio occurrere orarunt. Qvod ille,ut bonus patriæ civis,in ſe recepit,& ad Regem ea cauſa ivit. Poſtqvam Upſaliam venit,ingreſſus aulam , Regem debito officio colit. Rex comiter eum excipiens, qvæſivit. Ecqvid novi ? Reſpondit Emundus : *Nihil apud nos Gothos novi jam occurrit, niſi qvod Otto ſtolidus Vermelandus, bonus alioqvi venator, proxima hyeme feras inſectatus, tot corpora percuſſit, ut traha vix caperet exuvias eorum. cum hac præda dum domum pergit, in via incidit in ſciurum : qvem relictâ trahâ inſeqvutus, fruſtra ſagittis petebat. Ubi enim denſiſſimum nemus erat, ab una arbore in aliam modò tranſiliens, modò deſiliens, ictus petentis ſubinde eludebat. Hoc ipſi bilem movit,certo non prius qvieti ſe dare, qvàm vile illud animalculum, qvod tantum ipſi negotium faceſſebat, neci dediſſet. Idcirco noctem diei addit, indefeſſus perſeqvendo ; & tamen fruſtra fuit. Tandem ſpiſſioribus tenebris obortis, reliqvam noctem in nive decumbit. Altero mane repetitum veniens relictam traham, nuſpiam reperit. ita vacuus domum revertebatur. Hujusmodi nova habeo, Domine.* Ad qvæ Rex : *Hæc non ſunt tanti.* Repoſuit Emundus : *Aliud nuper accidit, qvod eſt commemoratione dignum. Gotho Toſveſonius cum qvinqve navium bellicarum claſſe enavigabat, ad æqvor Gothelſum ; qvæ cum ad ancoras ſtarent in Ekerôô, totidem ingentes naves Danicas obvias habuere. Cum his in conflictum deſcendens Gotho ; qvatuor illarum expugnavit, agmen hoſtile fudit, & inſignem prædam fecit. Qvinta tamen navis,vela dans ventis, evaſit. Hanc,reliqvis miſſis factis, ſubſeqvitur Gotho : & propius premens, jam in poteſtatem ſuam accepiſſet,niſi ſubito exorta procella ei remoram injeciſſet. Interim iſta qvinta navis,adſpirante vento citatoqve curſu elabitur. Sed Gotho vela retrò vertens procellâ ingraveſcente naufragium facit cum rerum & hominum in Låſſô jactura. Reliqvi ſocii à tergo relicti dum opprimuntur, à ſuperveniente hoſtili claſſe qvinqve navibus aucta, exuuntur navibus præda, milite. Sic ipſi profuit habendi ſtudium : dum æqva parte non contentus, omnibus inhiat, omnia perdit.* His auditis Rex: *Hæc,* inqvit, *narratio eſt memoria digna. Sed qvid hic negotii habes Emunde?* reſpondit Emundus: *Ut tuam rex ſententiam & legis Uplandicæ mentem accipere liceat de intricata lite, qvæ hujusmodi eſt : Duo nobiles pares ortu, ſed diſpares opibus contendebant de bonis ſuis, & jurgia ad rem conferentes, non levem ſibi noxiam intulerunt : majorem tamen dives tenuiori. Hinc lite in forum delata, cauſſa dicta*

& cognita; ſecundum egenum pronunciatur: ut ei dives æſtimationem litis præſtet. Locuples autem non ex præſcripto ſententiæ ipſi ſatisfacit; ſed animo morem gerens anſerem marem pro fœmina, porcellum pro porco, pro una uncia auri dimidium marcæ, pro altera lutum & pulverem reddit; additis inſuper duris increpationibus. Qvid judicii fers de iſto negotio? Rex lite ſtrictim inſpecta, ſic judicabat: *ut ſententiam calumniatus, integram dependeret mulctam, uti judicatum erat, & regi triplum: qvod niſi intra præfinitum tempus faceret, proſcriberetur, & publicarentur ejus bona, dimidia parte fiſco, altera actori addicenda.* Super hac regis ſententia Emundus appellatis teſtibus diſceſſit. Ad veſperam in cœna ſecum eſſe Emundum Rex volebat, ſed progrediente lætitiâ in menſâ, intervenit ejus oblivio. Poſtero die rex ad eum miſit. Sed jam abierat. Hæc ex annalibus Norvegicis S. Olai, qvorum auctor laudatur Aro Torgilli; & Annalibus Norvegicis Einari Oddonis & Erici Oddonis, ut putatur; item Caroli Jonæ Abbatis hiſtoria; item ex hiſtoria Snorronis Sturleſonii, qvi nobis iſtud colloqvium ſervarunt, verbis ſimplex, ſed ſenſu reconditum & prudens, & qvod meros Emundi apologos ſapit, ex fide retuli; non ut fabulas narrarem, ſed qvod intereſſe credebam & poſteritatis memoriæ, & majorum laudis: qvi, qvoties uſus erat, non ſolùm animum liberè qvod ſentirent dicendi, ſed etiam ingenium habuerunt, è re moderandi orationem ad potentes; præſertim apud pertinacium & offenſioni proniorum aures. Nec interim tamen ſervili adulatione fraudem veritati fecerunt, etiamſi eam non nudam, ſed qvodam verborum velo tectam propoſuerint. Qvod nec vetuſtioris ævi piis & ſapientibus inuſitatum fuiſſe accepimus. Etenim qvod Torgnyus mordaci vero horridè prolato & lingvâ nimis liberâ, non potuit apud contumacem regem, hoc qvadam dictionis pictura & non ingrata illecebra perſvaſit Emundus: uti eventus, explicatis & detectis exemplis, fictis qvidem, ſed ad veri imaginem compoſitis edocebat. Inter duodecim amicos Regis ac Senatores regni tres erant germani fratres, Arvidus, Torvidus, & Freividus; qvi ſinguli aliqvo corporis vitio inſignes, mentis tamen dotibus præſtabant: iisqve æſtimati à Rege, ipſi regnoqve ornamento & uſui fuerunt. Arvidus erat cœcus, & tamen diſertæ liberæqve lingvæ. Torvidus balbus, vix duo verba citra hæſitationem pronunciare poterat, & tamen fortis & prudens erat. Freividus ſurdaſter, qvi nihilominus ingenio valebat. Ita DEUS damna corporis animi bonis abundè penſarat. Ex his poſtero die Rex qvæſivit, qvorſum pertinerent iſtæ narrationes aut potius fabulæ Emundi. Illi regem ſecum ipſum meditari & inveſtigare rogant. Et qvidem,

dem, dum oculos & mentem ad eruendum eorum ſenſum paulò longius mittit, inde ſic orditur: *Per binos iſtos nobiles, divitem & tenuiorem, qvos de facultatibus ſuis litem moviſſe ajebat, ego forſan & Olaus Craſſus ſignamur.* Reſponderunt amici, ſe, qvod res erat, divinaſſe. *Sed qvid hoc*, inqvit, *qvod à lite victo anſerem marem pro fœmina, porcellum pro porco; lutum pro auro victori redditum dicebat?* Ad hoc Arvidus cœcus: *qvàm diſparia hæc omnia ſint, vides; magis tamen Rex eiqve ſubjectus, dominus & ſervus. Tu promiſeras Olao Craſſo in matrimonium filiam tuam Ingridem, regio ſangvine tam materno qvam paterno nobilem; nunc contra fidem datam ipſi das Aſtridem: qvæ licet ſit regis filia, tamen ex humiliori & Wendica matre nata eſt. Ingenium qvoqve tuum & Olai Craſſi non parum diſcrepant. Tu audes ipſum fallere promiſſis & inæqvalibus nuptiis: ille hoc æqva fert mente & ſe minorem te agnoſcit.* Rex inſtabat ſciſcitando: *qvid tandem ſignaret Otto ſtolidus?* Hîc pro ſe qvisqve in adſtantes cum ſilentio oculos conjiciunt. Sed Rex urgebat reſponſum. Itaqve Torvidus balbus raptim protrudit verba in hanc ſententiam: *Ottonem eſſe cupidum, avarum, ulciſcendi promptum, ſtolidum & ſubdolum.* Rex, *qvò hæc valerent*, interrogat. Inde Freividus: *citò hoc effabimur, modo pace tua fiat.* Rex liberè illum dicere jubet. Tum ille, *Frater meus Torvidus, qvi eſt ſapientiſſimus noſtrum, illum vocat ſtolidum, cupidum, aliisqve dicteriis, qvi non poteſt tolerare pacem & qvietem. Qvi appetendo parvum, qvod adipiſci neqvit, perdit majus meliusqve qvod ante poſſidebat. Etſi verò audiendi ſenſu parum valeo, intellexi tamen id multos ex amicis & populo malè habere, qvod non ſervaſti fidem Regi Norvegiæ & feciſti contra populi ſententiam. Qvamdiu amicos & fidos habes cives, non eſt qvod metuas vicinos aliosqve reges, aut regno tuo. Sed ſi graviter offenſi cives adverſus te moveantur, inopes conſilii erimus.* Hic Rex interpellans qværit, *qvinam ſint auctores motûs.* Freividus: *omnes*, inqvit, *idem volunt, nimirum priſca ac recepta lege ac libertate uti. Ex duodecim Senatoribus tantùm ſex vides adeſſe: reliqvi abiere ad ciendam multitudinem. Qvi & nos in partes ſecum vocare conati ſunt; ſed nobis mentes more majorum rectæ ſtant, abhorrentes regis proditionem.* Rex, qvid conſilii in iſto rerum diſcrimine capiendum ſit, percontatur. Datum eſt conſilium: ut in Melero ſe claſſi committat, eiqve tot viros imponat, qvot eum ſeqvi velint. Et ſic emiſſis ad populum fidis amicis & conſpicuis, offenſorum animos demulceat, nec ſuperbiâ & contemtu, ſed moderatione animi adverſus collectam multitudinem utatur, & regiâ comitate accipiat, plebemqve confirmet de juris & legum cuſtodiâ, atqve juſta libertatis tutelâ. Hoc conſilium amplexus, ejus exſeqvendi negotium dedit dictis fratribus, qvos maximè fidos nove-

rat,

rat. Ipſe navim ingreditur cum ſuis. Sed Freividus & Arvidus excurrentes in agrum Ullerianum, ſecum ducunt Jacobum Regis filium; qvod nomen S. Jacobi die nato inditum erat. Verum Sveonum regibus inuſitatum, poſtea in Amundi nomen commutarunt. Vocata in concionem multitudine, legati præ ſe tulere, qvaſi cum populo contra regem facerent: eâ ratione facilius invaſerunt eorum animos, & Uplandos cum reliqvis in commune conſulere rogarunt. Non enim neceſſe eſſe prius corrogare ſententias Gothorum, ſed ex more primas dicendi partes eſſe Judici provinciali Uplandiæ, poſteriores reliqvis. Qvum Uplandi conſilio habito rogarentur ſententiam, initio pleriqve clamabant, imperio regem abdicandum eſſe, & è medio tollendum, qvod verum audire ab amicis nollet. Emundus rogatus, qvem ille cum ſuis Gothis vellet regem, aliqvem ex ordine præfectorū eligendum, reſpondit. Sed medium conſilium tandem placuit, decretumq; eſt, ut Amundus cum Olao patre diviſum imperium teneret; at ſi qvid Olaus hoſtile machinaretur, cives adverſus vim ejus Amundus defenderet: ut pax itidem & concordia, uti etiam factum eſt, coram cum Rege Norvegiæ ſanciretur. Ita turbæ componebantur & à periculo capitis, trium fratrum prudentia & fide Rex liberabatur. Qvum Iemtii & Helſingi tempore controverſiæ inter Olaum Skotkonung & Olaum Craſſum de Norvegiâ ortæ, jam defeciſſent à Norvegiæ Rege ad Regem Svetiæ, uti teſtatur Sturleſonius in annalibus Norvegicis, utriusqve regni limites tunc fuere nemus Eida verſus auſtrum, & Kiöl, i.e. colles vel montes Norvegiæ verſus boream, uſqve ad Finmarchiam, & rex Svetiæ tributum exegit ab Helſingis & Iemtiis. Rex Norvegiæ autem Olaus Haraldi cognomine Craſſus ſe ita pactum eſſe & conciliatum cum Rege Svetiæ ſibi perſvadebat, ut limites in poſterum, qvales olim fuiſſent, eſſent, & tributa ex Iemtia ad regem Norvegiæ pertinerent. Iemtii verò jampridem à tempore Östeni (de qvo ſup.) regi Svetiæ tributum pendere ſveti erant, nec niſi Svetiæ parere volebant; etſi rex Norvegiæ armis eos ad obſeqvium & tributa ſibi præſtanda ſe compulſurum minabatur. Qvamvis etiam affines eſſent ambo reges & amici, nemo tamen alteri provincias, in qvas jus aliqvod ſibi obtendebat, ultrò cedere volebat; ut ſolet ſæpe utilitas etiam Principibus neceſſitudinis jure prior eſſe. In Helſingiâ verò paroeciam, utriqve Regi hactenus communem, qvum talis ſortiti eſſent, cujus propria tota fieri deberet, & uterq; XII jeciſſet, Rege Norveg. Olao iterum jacente, unum talorum medium ruptum unitatem monſtraſſe, atqve ſic totam paroeciam uni Regi Norveg. ceſſiſſe Sturleſonius ſcribit, qvod num pro vero habeam, dubito. Tandem Olaus, qvum bene

longum tempus patriæ præfuiſſet, rebus humanis exceſſit, corpore ejus monumento ædis Lincopenſis, illato. Rex cætera animo magnus, in hoc ſeminor fuit, qvod pervicax in ſuo propoſito ac ſententia, populi bene conſulta ſuperbè ſperneret, & qvod præceps ad animi motum & vindictam, impotenter iraſceretur, atqve implacabilioris animi eſſet.

ANUNDUS al. AMUNDUS cognomento CARBONARIUS.

Olai Skotkonung fil. *Carbonarii* cognomen nactus eſt, qvod legem tulerat de incendenda parte domus aut totis ædibus delinqventis, pro noxa damnive dati portione. Qvæ tamen pœna plus ſeveritatis, qvàm rationis habuit: qvum noxæ non ex æqvo reſponderet: nec actoris vel alterius commodo cederet; ideò non diuturna fuit. Ipſe enim melius informatus hanc abrogavit legem, atq; ex æqvo & bono cuivis jus dixit. Juvenis à patre & Olao Haraldi rege Norvegiæ in Chriſtiana fide & regiis virtutibus ſedulò educatus, florentem & tranqvillum imperii ſtatum habuit. Adamus Brem. hoc ei elogium tribuit, qvod *juvenis qvidem fuerit ætate, ſed ſapientia & pietate omnes præceſſerit, qvi ante eum fuerant, nec qviſpiam regum tam acceptus populo, qvam ille fuerit.* Affinis ſui Olai Haraldi, ex lege fœderis, adjutandi cauſa, bello ſimul implicatur cum rege Daniæ Canuto; qvi Norvegiæ regnum tanqvam avitum & hæreditarium ſibi vendicatum ibat, & Olaum ſibi tributarium eſſe volebat; qvod Olaus recuſabat. Hoc qvum accepiſſet Ulfo Torchilli Sprâkalegh filius, qvem noſtri annales Svedum, Pontanus & Meurſius hiſtoriæ Danicæ ſcriptores Anglum fuiſſe volunt, famâ fortitudinis & ingenii facilem ſibi acceſſum ad amicitiam Canuti, qvi tunc in Anglia erat, fecit. Ab eo ſimulatione obſeqvii & promiſsâ operâ in bello contra Svedos & Norvegos navandâ, etiam in intimæ conſvetudinis uſum receptus, commendatur Aſtridæ ſorori regis in Sialandia degenti, cum expreſſo mandato ad eandem, ut, qvidqvid Ulfo deſideraturus eſſet, illa non abnueret. Idqve ſpeciem promovendi ejus inſtituti in belli apparatu habere videbatur. Sed ille literis pro nuptiarum conciliatione abuſus eſt. Dum percunctatur virgo, qvid peteret; *conjugium ejus ſe velle* indicat. Qvod haud magno negotio impetravit à virgine, ſic tacitè à fratre ſe juſſam exiſtimante; aut facile credente, qvod non ingratiis faceret. His peractis, tranſit cum nova conjuge in Svediam. Conſilia Canuti detegit Amundo, qvem junctis cum Olao viribus, ſuâ itidem operâ ſociatâ, Daniam abſente Canuto rege & imparatis civibus, oportunè petere monet & perſvadet. Nec

mora, paratur claſſis, exercitus, commeatus. Expeditio hoc ordine præfinitur, ut Olaus in Sialandiam moveat, Amundus terrâ Scaniam, Ulfo mari invadat. Hi ſi impetum ſubitò in Daniam feciſſent, & tempore ac fortunâ uti ſciviſſent, qvid non diripuiſſent, & qvam prono ſucceſſu bellum confeciſſent? Sed dum Olaus in Sialandia, ſpe deditionis hoſtium & promiſſis attinetur, donec claſſis Canuti ex Anglia adventaret, occaſio ab illis ad hoſtes abit. Inter hæc, ubi Canutus cum inſtructiſſima claſſe adeſt, Anundus in Scaniam pergit, eamqve terreſtribus copiis occupat. Qvod ubi comperit Canutus, recreato exercitu navali, Anundum petit; & inſtructa acie collatisqve ſignis ad Stangam montem eum profligat. Qvidam æqva manu prælium commiſſum tradunt. Reliqvum agmen adverſus Ulfonem mittit, qvi Helgam flumen tenebat. Hîc in certamine navali non procul Calmariâ Ulfonem obicibus & aggeribus aqvam ſtitiſſe, & inſtante hoſtili claſſe, iisdem ſolutis & fluxu undarum laxato, partem navium hoſtilium depreſſiſſe; partem igne perdidiſſe qvidam produnt. Annales autem Norvegici hujus conſilii & inſidiarum autores ferunt Anundum regem Svediæ, & Olaum regem Norvegiæ; Ulfonem verò ſuum exercitum hoſti circumfudiſſe, eumqve in fugam vertiſſe. Alii contra memorant, Ulfonem in adverſa Helgæ inſula, ubi naves hoſtiles aditu prohibebantur, cum ſuis copiis conſediſſe. Danos verò alveum vicinum, per qvem adverſus Ulfonem traduceretur exercitus, ponte junxiſſe. qvo ferme confecto, Ulfonem cum ſuis procurriſſe, ſimulando ſubitam in caſtra hoſtium irruptionem. Danis autem animo defendendi pontis & caſtrorum ſuorum occurſantibus pontemqve inſidentibus, Ulfonem ſtudio ceſſiſſe: ut deſtinato eos exitio daret. mox enim ſubruto arte pontis fundamento, prolapſos ac ſubmerſos fuiſſe. Nonnulli, non ferente onus ponte ac interciſo periiſſe memorant. tam diversè referunt. Poſt hæc Canutus redintegratis copiis & ingenti claſſe (M CC. Annales Norvegici ferunt) & adverſæ partis pluribus ad defectionem largitione tractis, univerſam belli molem in Norvegiam vertit. Eam viribus deſtituto rege, & incolarum ancipiti fide, non difficulter occupat. Hîc Anundus in adverſis Olai, nec ipſe ei opitulando damnorum planè expers, fidei tamen conſtantis, cum, ſi placeat, regio apud ſe cultu habere velle, vel partem poſſeſſionum ſuarum, ad vitæ aulæqve ſubſidium ipſi offerre. Sed Olaus laudata ejus benevolentia, fortunam denuo tentat, etſi irrito conatu. Proinde tandem profugus huc in Nericiam, uxore & filia Ulfida apud Anundum relictis, inde in Ruſſiam ad Jarislavum affinem ſuum, ſuppetias petitum, cum filio ſuo Magno ſe confert.

Ab

Ab eo, nec minus Anundo, & fratre Haraldo aliisqve exercitu & pecunia adjutus, recipit ſe in Norvegiam. Interim dum ambiguis Norvegorum ſententiis de reſtituendo in integrum Olao certatur, pleriqve incolarum domeſtico bello coguntur adverſus Regem, qvorum primi ac duces erant Torſtanus, mercator ſimul & architectus nauticus, homo ferox & audax, Toro, cognomento Canis, & Enerus cognomento Vitulus, à Canuto corrupti. Ab illis in acerrimo prælio ad Stichelſtadium opprimitur, nec tamen inultus cadit. Hoc ex occaſione tangere viſum, qvod annales Norvegici fusè memorant. Iſtum Olai exceſſum tanto mœrore adfeciſſe Anundum, ut mortem ejus haud longo intervallo ſubſeqvutus ſit, nonnulli volunt: qvod amicè adeò in vita conjunctos vix ipſum fatum divideret.

EMUNDUS.

Frater Amundi, è concubina Olai natus, *Gammel*, ob longiorem ætatem, & *Slemma*, peſſimus aut vilis dictus eſt, qvod religionis eſſet contemtor, ut Adamus Bremenſis obſervat; ut alii, qvod iniqvæ limitum diſtinctioni inter Svetiam & Daniam nomen ſuum ſubſcribendo, Scaniam, Blekingiam & Hallandiam regno Gothorum avulſerit: qvæ ei antea conjunctæ fuerant, regniqve Svedici termini ſe olim, ut perhibent annales patrii, ante dictam limitum deſignationem, ad medium fretum Öreſundæ porrigebant. Hanc Emundi limitum diſtinctionem qvamqvam pro fabula habet Johannes Magnus, ubi de hoc Rege agit; tamen non ſolùm leges Scaniæ, ſed etiam occidentalis Gothiæ, aliiqve ſcriptores eam conſtanter adfirmant. Et ne dubitationi locus ultra ſit, nomina eorum, qvi finitores limitum fuere, in dictis legibus ordine recenſentur. A parte Svedorum delecti ſunt Takaldus ex Tyndelandia, Botilus ex Fierdrundia, Gaſius ex Weſtmannia, Grimaldus ex Oſtrogothia, Nannus ex Smalandia, Torſtanus ex Weſtrogothia. A parte Danorum lecti ſunt Tollo, Toto & Toko ex Iutia, Gymkillus ex Sialandia, Dan ex Scania, Grymito ex Hallandia: ſic ut in univerſum duodecim eſſent, qvi ſex lapides limitaneos in ſuis locis poſuerunt: primum in Suntruoſi, ſecundum in Dannebåk, tertium in Kinnåſten, qvartum in Juraeznås, qvintum in Huitaſten, ſextum in Brymſåſten, inter Blekingiam & Moream, non Norvegiam, ut Johannes Magnus in facta hujus rei mentione putabat. Ex iſta limitum poſitura Canutus Rex Daniæ Scaniam ſuo regno vendicandi occaſionem ſumſiſſe memoratur. Qvod regni Svediæ cives non ferendum judicantes, Emundo auctores fuerunt, ut armis eam ex lege regni rep[illegible]tam eat, qvam ſua temeritate à regno Svediæ divelli paſſus ſit. Ille qvi[illegible]orum conſilio, cogit exercitum & in Scaniam traducit, ſed Canutus ei ob-

ei obvius in ponte Stångapelle cum toto ferme exercitu eum fundit ac fugat. Ita non meliori fortunâ in recuperando, qvàm prudentiâ in perdendo Emundus utebatur.

HAQVINUS RUFUS.

Etſi capillis ruber, candidis tamen moribus erat. Gothiæ occidentali ſuos natales debet, in villa Livenenſi, territorii Wiſta, nobili iſtic ſtirpe; licet qvidam agricolæ filium fuiſſe ferant. Qvum à Gothis regno deſignatus, ſed à Sveonibus, qvibus potius eligendi jus ex lege Olai erat, Stenchillus prælatus eſſet: ne novis motibus materia præberetur, unius tamen regni corpus unius animo regi, publico conduceret; cum Stenchillo egit, ut tantiſper privatus degeret, donec ipſe jam ad extremum ætatis vergens, morte ſua locum ipſius ſucceſſioni feciſſet. Et qvæ erat modeſtia Stenchilli, incruentum exſpectare, qvàm cum civium ſangvine imperium qværere maluit. Habebat Haqvinus vitam & regnum pacificum. Qvum tredecim annos imperium benignè moderatus eſſet, conſentaneum vitæ placidumqve exceſſum habuit; eandem poſt fatum qvietis, qvàm ortus ſedem nactus.

STENCHILLUS II.

Olai, vel, ut Adamus Brem. notat, Emundi nepos, prius Comes, cum omnium applauſu regiam functionem ſuſcepit, altiori fortuna vel ob modeſtas cupiditates dignus. Ut à puero ad ſincerum Chriſtianæ religionis amorem eductus erat, ſic in virili ætate ipſa re eum profitebatur. Adverſus imminentes perſecutionum tempeſtates, ingenuis Chriſti confeſſoribus aulam ſuam, velut portum & calamitatis publicæ receptum, aperuit. Qvando ſereniora redibant tempora, ad ſuos cum regio munere eos dimiſit. Non autem ſatis habuit, pietatis & religionis ſtudio aliis exemplo eſſe, ſed illud ad omnes ſibi ſubjectos, qvamvis multi adhuc paganæ ſuperſtitioni dediti eſſent, propagari connifus eſt. Eo animo ab Adalberto Archiepiſcopo Bremenſi viros doctrina & integritate vitæ conſpicuos expetivit, qvi rudes rectè de Deo docent, errantes in viam reducerent. Qvod huc miſſi, Deo vires & incrementum largiente, non abſqve ſingulari fructu præſtiterunt: unde Adamus Brem. eum *Chriſtianiſſimum regem* appellat. Qvum hujus Stenchilli imperium in qvieta ferme tempora incidiſſet, reliqvas pacis artes pro viribus procuravit. Utiles reipub. leges condidit, nervum illis addens, ut ſervarentur. Hoc religionis & juſtitiæ cultu ſe venerabilem omnibus, & charum bonis fecit. A ſuis, maximè Weſtrogothis, amabatur; dum

dum apud eos majorem ætatis partem agebat: ut ſi ex propinqvo bellum ingrueret, ad illud repellendum in procinctu eſſet. Jus in Scaniam, tribus præliis ſuperior, etiam fortunâ fautrice, tuebatur. Hunc regem corpore validum, jaculandi perqvam experientem fuiſſe annales teſtantur. Ejus rei monumenta in Livenâ Weſtrogothiæ exſtare, regium ſaxum & fulcrum, ita dictum, aliaqve hujusmodi Standzbergæ. Cæterum corporis robur & jaculandi peritiam in hoc rege extollere, injuria qvædam majorum animi bonorum fuerit. Et nos regem, non pugilem aut ſagittarium narramus. Poſt mortem Stenchilli, duo Erici, vel, ut Adamus vocat, Herici æmulatione ex ſucceſſionis veteris conſvetudine, in eaqve utroqve jus ſuum tueri conante, vel ex qvacunqve alia cauſa, qvæ non memoratur, vehementer commiſſi & factionibus potentium, utrinqve adjuti, atqve inteſtino bello colliſi de regno certarunt eo exitu, ut non ſolùm potentes in iſto bello occumberent, ſed etiam ambo reges perirent. Ita prorſus omni regio ſangvine deficiente, & ſtatus regni mutatus, & veræ religionis curſus non parum impeditus eſt. Niſi qvod ſolus Epiſcopus Scaniæ tunc pro viribus procuravit eccleſias Gothorum, & qvidam Sveonum ſatrapa, nomine *Gruph* (*qvidam Gniphum* vocant) in Chriſtiana religione populum confirmavit, veluti Adamus Bremenſis fide dignus ſcriptor, & qvi circa ea ferme tempora vixit, illud, qvod nemo alius, memoriæ prodit.

INGO III.

Etſi non regii ſangvinis erat, civili bello exſtincti, tamen regiis animi dotibus excellens, & ſolenniter Rex electus, tantos honores ante promeruit, qvàm accepit. Poſtqvam acceperat, cùm fortuna non mutavit mores, ſed ornatiores reddidit. Religionis cultor ac propagator, monaſterium & templum Warnhemenſe in Weſtrogothia fundaſſe creditur. Vivendi diſciplinam non minus à ſeipſo, qvàm aliis exegit, adeò ut nunqvam contra leges feciſſe perhiberetur. Bellum ipſi non unum cum Iarislavo Ruſſorum, Magno Norvegorum, Svenone Danorum Rege fuit; qvod ſtrenuè geſſit. Ab illo propugnacula ad Vennerum fl. ſita, ab hoc Scaniam armis recuperavit, ad triennium duntaxat tenens. Cum Danis pacem affinitate firmavit, Svenoni eorum regi ſorore ſua Gutha nuptui data. qvam tamen is patri, conſangvinitatis obſtaculo motus, remiſiſſe fertur. Adamus Brem. verò refert Svenonem inceſti à præſule Daniæ poſtulatum, & ut uxorem à ſe dimitteret, ſub pœnâ interdicti ſacrorum admonitum, adeò hac re commotum non fuiſſe, ut etiam minaretur ei arma. Poſtea tamen inter u-

trumqve reconciliatio facta eſt. Uxor autem cum perpetuæ caſtitatis voto, vitam in monaſterio Guthemenſi à ſe in Weſtrogothia exſtructo & nominato tranſegit. Qvidam annales perhibent, Ingonem ob idololatriæ exſtirpationem à paganis regno ejectum, & in ejus locum affinem Svenonem lectum fuiſſe, Ingonem tamen, incenſâ Svenonis aulâ eum iterum expuliſſe, regnum recuperaſſe & Chriſtianiſmum reſtituiſſe. Rex poſt qvinqve annorum imperium, inſidiis Scarenſium, ut ſuſpicio eſt, noctu in lecto peremtus eſt, in monaſterio Warnhemenſi ſepultus.

HALSTANUS.

Ingonis frater, mitis & comis erga ſubditos, aſpera populi dicta, qvæ ex imprudentia ſeu levitate potius, qvàm malitia temerè effuſa videbantur, vel molliter interpretando, vel diſſimulando impunita dimittebat. Plura vidit qvàm vindicavit, plura pœnæ formidine qvàm pœna coercuit. Unde minimùm de eo qverebantur cives, de qvo majorem qverendi licentiam, qvàm materiam habebant. Obſervans amicitiæ fideiqve, maximè in adverſis: Canutum regno Daniæ pulſum & ad ſe profugum, copiis adverſus Ruthenos juvit. Civibus ſuis in deliciis & honore erat, qvi ipſos adeò amabat. Qvùm poſt ſedecim annorum imperium terris exceſſiſſet, inſtar publici patris à civibus defletum annales ferunt. Qvare minus fidei mereri videntur, qvi populari tumultu regno dejectum memorant. Qvibus enim animis regem tam humanum expellerent? niſi fortè nimia ipſi facilitas apud perditè improbos fraudi fuerit: qvum mallet non delinqvi, qvam ſatis animi ad plectenda delicta haberet.

PHILIPPUS.

Illud tamen non exiguam publici deſiderii partem levavit, qvod pater in hoc filio qvaſi reviviſceret: qvi famam avitam probitate & juſtitiâ tueri nitebatur; magis verum decus ex publici curâ, qvàm ſpeciem inanium qværens. Ejus imperio pax & reqvies rerumqve copia ad invidiam usqve viguerunt. Ætate eadem vixit Folco Craſſus, vir illuſtris, domi militiæqve tunc ante alios clarus. Ericus Upſalienſis *virum totius Svediæ nobiliorem* fuiſſe tradit. Ille celebris Folckungorum familiæ princeps & conditor nonnullis exiſtimatur. Rectius tamen à Folcone Fylbiter deducas. Unde & Folckungi dici videbantur, qvaſi *Folconis nepotes ac poſteri*. Pretium operæ viſum, nobilem illam Folckungorum familiam ex annalibus veterum paucis repetitam, hic poſteritati reddere: ne, cujus propago

nunc exſpiravit, ipſa tandem memoria cum tempore effluat & intercidat. Præſertim qvod freqvens ejus occurrit memoratio in priſcis Sveonum annalibus, ſeriem gentis ſcire refert, qvæ talis eſt. Folcko Fylbiter paganus tres ex matrimonio ſuſcepit liberos, qvi Chriſto nomen dederunt; Ingemundum, Halſtanum, & Ingevaldum, reliqvis fratribus absqve prole maſcula decedentibus, Ingvaldo unicus fuit filius nomine Folcko, cognomento Craſſus, cujus ſupra mentio allata eſt. Hic ex Ingride S. Canuti regis Daniæ filiâ duos tulit filios, Benedictum Sinnil & Canutum. Suam Canutus itidem propagavit domum tribus illuſtribus filiis, Birgero, Carolo & Magno Minneskiöld de Biälbo (Mannerskiöld dicitur qvibusdam) Ericus Upſal. autem in vita Svercheri patrem Magni Minneskiöld facit Benedictum. Birgero filius fuit Philippus, Carolo Ulpho. Sed Magnus Minneskiöld Birgeri Ierli, poſtea proregis genitor erat; maritus Ingridis cognomine Ylſuæ Sunonis Siky Oſtrogothorum ducis filiæ, rarâ ſapientiâ fœminæ. Ejusdem Magni filius erat Æſchillus, decimus ſeptimus ordine Judex provincialis Weſtrogothiæ; vir prudens & juſtus; cujus memoria extat in ſerie Judicum provincialium occidentalis Gothiæ, veteri codici manuſcripto legum Weſtrogothiæ adjecta. Eodem ortu volunt fuiſſe Brynolfum, Epiſcopum Scarenſem, Algothum, Judicem Weſtrogothiæ, Holligerum & alios, qvorum nomina ignorantur. Tres tamen fratres Bååtena/ notæ & illuſtris familiæ, Johannes, Biörno & Erlandus Petri Bååt/ qvondam in Sudermanniæ parœciâ Sorundâ ſua prædia habuiſſe feruntur, primus in Fåldnås, reliqvi duo in Fituna. Fåldnås autem olim *Folkunganås* dictam fuiſſe volunt. Unde qvis colligere poſſit, Johannem Bååt & reliqvos fratres, paternæ vel maternæ familiæ ortu, ex Folchungis fuiſſe. Sed hæc Genealogiarum ſcriptoribus ulterius diſqvirenda relinqvimus. Qvanqvam verò familia Folckungorum fortes olim præſtantesqve viros, & de patriâ præclarè meritos; tamen inter illos qvosdam etiam degeneres tulit; nec id inſolito exemplo. Vix enim ulla clara domus exſtitit, qvæ non habuerit aliqvid labis aut vitioſi generis; velut in bona ſeges nullam non fert ſpicam neqvam, aut generoſa ſtirps aliqvando inutiles ſtolones; qvod univerſæ familiæ imputari neqvit.

INGO

INGO IV.

Ex Philippo natus, vel, ut alii, Philippi frater, aviti decoris retinens, ad regni faſtigium ſummis omnium ſtudiis adſcendit. Hujus autem fuiſſe veluti officinam pietatis aliarumqve virtutum, argumento ſit inſignis educatio duarum filiarum (filios enim nullos habuit) Chriſtinæ & Margaretæ. Chriſtinam ſuſtulit ex priori matrimonio Ragnildis, cujus oſſa Telgenſis ædes ſervat. Ab illa fons S. Ragnildis iſtic nomen habet. Iſta Chriſtina poſtea S. Erico nupſit. Ex poſteriori matrimonio Helenæ habuit filiam Margaretam, alias Aſtridem dictam, qvæ Magno regi Norvegiæ, qvo cum ipſi bellum ob limitum controverſiam fuerat, pacis conciliandæ cauſſa nuptui collocata eſt: unde dulcem appellationem *Fridkulla*, qvæ eſt *pacis uxor*, tulit: qvod imbellis & purus amor armatâ vi potentior ac felicior eſſet. Magno tamen ſobolem nullam dedit, pacis partu ſolum ei fœcunda. Exſtincto Magno, ad ſecundas nuptias Nicolai regis Daniæ tranſivit. Ex qvo procreavit filium Ingonem, qvi in puerili ætate effuſus eqvo, pede adhæſit ſtapiæ, ut vocant. Dum verò continuo pedis calcarisq; ictu latus percurrenti eqvo foditur, inde irritatus dependentem puerum præcipiti curſu ad necem rapit, excuſſo capitis identidem terræ alliſi cerebro. Saxo, ungulis eqvi obtritum, ſcribit. Filium itidem Magnum ex eodem matrimonio in lucem protulit. At Ingo rex dum munia ſua exſeqvitur, atqve provincias ordinandi ſtatus publici cauſſa circuit, qvi ab externis hoſtibus tutus fuerat, domeſticis inſidiis venenoqve in valle Uretenſi Oſtrogothiæ ſublatus eſt, vel ab æmulis imperii, vel ab aliis omni facinore coopertis; qvibus per juſtam regis ſeveritatem ſceleratis eſſe & impunè graſſari non licebat. Interea malè regno erat, his & exteris pro lubitu dominantibus.

RAGVALDUS INGONIS F. cognomento CEREBROSUS, Sveticè Knaphöfdhe.

Hunc irato Deo Svedis, in vindictam occiſi Ingonis, contigiſſe volunt. Qvód & diſcrepantes animi civium in electione haudabſurdè ſignabant: dum Weſtrogothis Magnum Nicolai regis Danorum filium ſucceſſorem deſtinantibus, Sveones, vel, ut alii, Oſtrogothi hunc Ragvaldum ejus avunculum antepoſuerunt. Inde fit, ut Magnus in veterũ annalibus in cenſum regum Svediæ non veniat. Velut autem Ragvaldus torvo & minace vultu, inceſſu ſuperbo & alloqvio ferox fuit; ita multum audaciæ, prudentiæ parum inerat. Et tamen de ſuo unius arbitrio omnia geri volebat.

Fidos

Fidos conſiliorum auctores & prudentes rerum aſpernabatur. Qvidqvid ipſi præceps ingenium animiqve tumidi impetus ſvadebat, id in vim edicti protinus valere juſſit; cupiditatem & licentiam pro jure habens. Sæpè ſe more inſanientis circumagebat, evidenti turbatæ mentis argumento. A civibus magis metui, qvam amari expetebat. qvo effecit, ut difficiles & averſos civium animos experiretur. Fruſtra enim ex errore ſperatur, qvam benignitas imperii præſtat, veneratio. Tandem ipſas patriæ leges & morem majorum aſpernari non eſt veritus. Qvippe dum provincias obit, contra priſcam regni legem & conſvetudinem tunc ſolennem, absqve ſecuritatis publicæ vadimonio ad Gothos occidentales; indignè, ut videtur, ferens, qvod illum in electione præteriiſſent; arroganter acceſſit. Hoc illi ægrè qvoqve tulerunt, partim qvod ipſis invitis ante à Svedis electus eſſet, partim qvod contemptum ſui, præſertim legum, ſervitute priorem ducerent; ſubito & inconſulto animi motu ei manus attulere & prope Scaram in prædio Carlabyenſi occiderunt. Sed ut ille modum in migrando leges regni, ſic iſti in ulciſcendo excedebant.

SVERCHERUS II.

Ex illuſtri Comitum genere, ut qvidam ferunt, vel ut Ericus Upſal. & alii, Cornubæ in Oſtrogothia filius. qvidam Kolonis filium faciunt, de qva re in Obſervat. Hiſtoricis plura. Ab hujus Svercheri cognato, Andrea in Mohammer, regni Senatore, Brahæorum familia deducitur. Sveonum Gothorumqve conſpirantibus ſuffragiis, Rex electus eſt. Initia imperii ſatis pacata & qvieta habuit. Et reliqva optatò proceſſiſſent, qvippe pio rege, & ædem Deo ſacram Upſaliæ, jactis marmoreis fundamentis, moliente; cujus exſtructionem impleviſſet, niſi repentina morte præventus fuiſſet. Sed implicitus bello Danico, & degeneris filii calamitate turbatum habuit regni ſtatum. Qvum enim Nicolaus rex Daniæ, defuncta conjuge ſua Margareta, aliam qværeret tori ſociam, Ulvidæ Norvegianæ nobili ſangvine & forma virginis animum pertentaſſe memoratur, eoqve perduxiſſe, ut à rege Daniæ ad illum mentem ſuam applicaret. Accedebat Svercheri regis filii Johannis protervia & extremæ laſciviæ furor: dum ſuo ingenio, atqve indulgentia patris corruptus cum copiis ſuis excurrit in Hallandiam, & iſtius loci præfecti conjugem hujusqve ſororem viduam, matronas non minus morum qvam formæ laude commendatas, velut bello capta mancipia, ſecum in Svediam rapit, atqve per vim ſtuprat. Scilicet cum regio ſangvine ortus eſſet, libidinis ſuæ regnum in honeſtas matronas exercere, nullum nefas exiſtimabat. Tandem qvum

omnibus, velut publicus pudicitiæ hoſtis, odio eſſe cæpiſſet, eas tanqvam vilia ſcorta foras expulit. Hujus flagitii fœditatem ulturi Dani, bellum adverſus Svercherum ejusqve filium moliuntur, qvi, dum patris juſſu militem & belli ſubſidia à populo expoſcit, non modò nullum dicto audientem habuit, ſed etiam tantum ſcelus ferrô expiarunt cives. Qvippe maluerunt ſalvam in poſterum pudicitiam ac morum integritatem, qvàm tam indignum & petulantem patris filium ſuo flagitio & publico dedecori ſupereſſe. Unde qvum iſtius facinoris compertus, in judicio & conventu publico multa ſui purgandi cauſa dicere paraſſet, impetu facto eum obtruncarunt. Pater autem hinc pudore criminum filii, illinc dolore tam indulgenter educati, & ea cæde ſublati, ſeceſſum petiit. Ea re accepta, Sveno rex Daniæ, ſpe jam præceperat excidium regis ſimul & regni Svediæ. Qvare omnem amicæ compoſitionis viam abnuebat, qvaſi in manu ſua exitum belli, non minus atqve initium haberet. Poſtqvam ad fines Smalandiæ acceſſerat, obviam ſibi effuſamqve vidit magnam ruſticorum manum: qvi excíſis arboribus viam ipſi obſtruxerant. Qvas ſi tandem amoliretur, ei corpora & animos valli vicem pro Rege ſuo ac patria opponere parati erant. Sed & vis frigoris pro illis pugnabat. Itaqve cognito, cordatos & robuſtos agricolas, impedimenta viæ, ſævamqve hiemem, tot ſimul objici hoſtes, negotio ad irritum cadente, Sveno ad ſuos retroceſſit. Svercherus autem, qvo die Servatoris noſtri nativitas ſolennibus ſacris celebratur, ad propinqvæ eccleſiæ ſacra matutina pergens, inter Alebeckium & Tolſſtadiam à ſtabuli miniſtro Magni Scateleri, regno Svetiæ inhiantis pecuniâ corrupto, interemptus eſt. Adeò etiam vilis manus ad illuſtrium & potentium internecionem ſatis eſt, ſi ſuo vel alieno ſcelere incitetur; aut Deus pœnam delictis permittat. Etſi verò corpus Svercheri ſubita vi manuqve impiâ peremptum eſt, tamen de anima ſacris Deoqve intenta bene conſultum ſperatur. In cœnobio Alvaſtra terræ mandatus eſt.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. III.

ERICUS IX.

SI qviſqvam alius, hic parenti ſuo non inficiandus. Patri nomen Iadvvardus fuit, qvem nonnulli divitis & honeſti agricolæ filium faciunt; alii ad clariorem ortum referunt: qvibus non ſatis conſentaneum videtur, humili loco natum, & adhuc imperii expertem, ex regia Ingonis domo ſociam Chriſtinam Régis filiam in matrimonium accepiſſe. Sanè ab Iſraele Erlandi, Vitæ ejus Scriptore MS. *tam regali qvam nobilium Sveciæ procerumq; proſapiâ oriundus* dicitur. Cæterum non adeò intererat Erici, ex qvàm illuſtri vel obſcura familia, modò honeſta natus eſſet: eo maximè æſtimandus, qvod virtute enituit, & lumen ex ſe domui ſuæ intulit; jam capax imperii, anteqvam imperaret. Qvæ & tantùm ipſi ſocerum, & mox ſummam dignitatem conciliarunt. Accedebant Uplandorum animi, qvi eum magno conſenſu regem elegerunt; etſi neqvidqvam obnitebantur Gothi, in Carolum 1150
Svercheri filium, regiâ Danorum adfinitate conjunctum proniores. Admotus regno turbatum reip. ſtatum compoſuit, animos diſcordiâ alienos, causâ mali exſtirpatâ, in gratiam & concordiam repoſuit. Ab humilioribus potentiorum injuriam prohibuit. Studium pecuniæ, velut infra Principem, ſpernebat, adſvetis proventibus contentus. Qvin & illud, qvod regni ubertas ultrò conceſſerat, ipſiqve jure à ſubditis debebatur, (qvidam tertiam mulctæ delinqventium partem interpretantur) ſibi negavit, civiumqve ſolatio reliqvit. Certè nova & ſubdola ſe ditandi compendia, prædæ proxima, inſtituere; aut innocentium ſangvine ac facultatibus ærarium implere noluit. Imò cives ſeipſos potius qvàm regem ditare voluit; ipſe opes habentibus imperare ſatis habuit. Illuſtre eſt & æternitate dignum illud amicum certamen obſeqvii civium & abſtinentiæ regis. Illi obteſtati ſunt rogaruntqve, ut Regi debitum acciperet; hic recuſavit, ſibiqve ſervare cives juſſit: *Mihi*, inqvit, *mea ſufficiunt, veſtra vobis ſalva ſint. Non expeto veſtra. Poſteritas indigebit.*

 Hic

Hic frugi patremfamilias & ſimul beneficum regem egit: dum ordinariis regni fructibus, uti tunc tempora erant, contentus, ſibi potius & ſuis uſibus, qvam populo detrahere voluit. Omnium verò præſtantiſſimum erat, qvod primam religionis curam habuit, maximè in Finlandis; qvi non modò Svedis, ſed & ipſi DEO tunc inimici erant, à vera ſalutis via miſerè deerrantes. Dum illorum infeſtas impreſſiones & repentinas incurſiones in Svetiam ac vim prohibet, fide Chriſtiana ac pace rebelli ac renitenti populo prius oblatis, tandem divinam ſimul ſuſcipit cogitationem de illis ex damnatis tenebris in Chriſtianæ veritatis lucem traducendis. Cui inſtituto DEI favor adfuit. Simulac enim in Finnoniam cum ſuis copiis acceſſerat, & ad manus deventum erat; Finnones cæſi ſunt victiqve unâ pugnâ, & in Sveonum poteſtatem deinceps venerunt. In tanta victoria rex non absqve ingenti militum admiratione, ſummam ejus lætitiam exſpectantium, lacrymas commiſerationis indices effudit, circumſtantes his allocutus verbis: *Etſi hæc victoria DEI munere nobis de tam efferatis hoſtibus conceſſa, non poteſt non grata lætaqve animis noſtris eſſe; tamen irreparabilis tot animarum jactura majori eſt dolori. Si non aliis; certè meo animo ingentem luctum & plagam facit. Miſeri illi mortales ſi ante cladem acceptam ſponte ſe DEO dediſſent, per hanc brevem mortem, utiqve ſempiternam effugiſſent.* Ex his verbis ſatis colligas, regem eos ante prælium ad cultum veri Dei ſponte amplectendum invitaſſe; ſed armis reſiſtentium, vim armis repuliſſe. Mox operâ Henrici Epiſcopi, itineris ſocii, ſuperſtites ad Chriſtianam fidem Dei verbo inſtillatam & ſacrum lavacrum ex fonte Lupiſala, S. Henrici fonte inde dicto, vocavit. Sed dum Henricus calidius qvam cautius hoc ſacrum opus urget, à tumultuante plebe trucidatus, ſangvine ſuo verbi divini propagationem obſignavit. Qvidam, cum in Finnonem nobilem, nomine Lallum, diſciplinam Eccleſiaſticam, homicidii admiſſi cauſa, exercuiſſet, ab homine feroci & iſtius diſciplinæ impatiente nefariè occiſum ferunt. Supra alia pacis ſtudia, & delubra exſtructa, Ericus imprimis domum Dei Upſaliæ à Sverchero ſecundo Anno M.C.XLI. exſtrui cæptam perficere ſtatuit; &
1153 jam ad tectum usqve eduxerat; ſed morte eum ſubitò occupante, imperfectum faſtigium reliqvit, ita ut anno demum milleſimo qvadringenteſimo qvadrageſimo penitus ad finem perduceretur & exædificaretur; ut ex monumentis dictæ ædis & inſcriptione qvorundã lapidum liqvet, de qvibus alii plura. Magis tamen eo nomine celebrandus, qvod per verbi divini cultum, viva Dei templa fieri curavit. Arcis qvoq; Calmarienſis fundamenta S.

Ericum

Ericum jeciſſe volunt: cujus rudera qvædam adhuc ſub vallo urbis extent. Paulo ante obitum Codicem Juris patrii emendavit, atqve á paganorum erroribus repurgatum, utili legum acceſſione locupletavit. Legibus Upſalienſibus uti Wiburgo Careliæ metropoli privilegio conceſſit. Pravas conſvetudines, etſi uſu roboratas, tamen qvâ potuit induſtriâ ſuſtulit. In ſceleratos, absqve reſpectu ad perſonas, animadvertit. Hæc publica. Sed nec famam publicè qvæſitam privato dedecore perdidit; ſi qvidqvam privatum eſt in Principe. In ſacrorum & pietatis exercitiis aſſiduus & indefeſſus, civibusqve exemplo erat. In moribus, non aliorum modò, ſed & ſui moderator. Corpus ita curavit, ut magis animum. Qvum ſic viveret, nihilominus inventi ſunt, qvi in tam innocens caput ex invidiâ vel pravâ ambitione ſæva meditarentur & conjurarent. Horum duces erant Henricus Scatelerus Svenonis Danici filius, & nonnulli procerum hujus regni, qvi ab Scatelero corrupti & magnis promiſſis onerati, clam ejus partibus ſtudebant. Scatelerus autem ex regis Ragvaldi, ab occidentalibus Gothis occiſi, ut ſuo loco dictum, ſorore, vel ut qvidam, filia, Svenoni Daniæ regi nupta, natus, hæreditatis maternæ titulo, ſucceſſionem in regnum expetebat. Sed qvum illum prætextum ad ſpei deſtinationem non ſufficere ſentiret, animum ad malas artes applicuit. Qvidam ſuſpicantur etiam Carolum, de qvo proximè dicetur, factioni immixtum fuiſſe. Henricus verò & filius ejus Magnus, capita factionis, collectis copiis, Ericum nihil minus qvam horum inſidias eoqve tempore cogitantem, ipſo adſcenſionis Chriſti die adoriuntur. Ubi ſacris deditus, nuncium de hoſtium adventu accepit, non prius arma, qvam ſacris finitis, capeſſit. Inde coacto tumultuario exercitu, qvalem ſors obtulit, hoſti procedit obvius, qvi ciet adverſum & cruentum prælium; in qvo Rex ipſe cæſus, in manus 1165
hoſtiles incidit. Hoſtis illâ victoriâ inſoleſcens, regi caput inſuper præcidit in loco Upſaliæ, ut ferunt, ubi nuper horti erant regii, nunc in novas urbis regiones CHRISTINÆ Reginæ munificentiâ redacti & inſtaurati. Fontem, ubi decollatus eſt, uberrimum proſiliiſſe, fama tenet, eumqve divinâ vi in morbis curandis præditum fuiſſe. Qvum factionis principes diriperent opes Erici, & jam ad ſolium regium affectarent viam, Magno à patre ſuo Rege conſtituto, juſta ultio excitavit Helſingos & Norlandos, duce Falone in Byreſtadh, aliosqve fidos cives ad arma contra regicidas. Primo congreſſu Scatelerus & ejus filius in iſto colle, ubi Upſaliæ vicinum, Danmarchiæ templum nunc ſitum eſt, cæſi trucidantur, & meritas effuſi regii ſangvinis pœnas luunt. Qvidam á Carolo VII. S. Erici ſucceſſore,

Orebrogæ filium Scateleri Magnum, S. Erico ſucceſſurum, interfectum fuiſſe ferunt. Dictum Danmarchiæ templum à Danorum clade, vel ſpoliis eorum, ex qvibus exſtructum creditur, nomen accepit. In illo prælio, qvod cladem eam præceſſit, Falo, cujus paulo ante mentio facta eſt, fortiter dimicans occubuit, & ponti vicino de ſe nomen *Falebroo* indidiſſe fertur. Regis autem Erici occiſi corpus terræ mandatum exiſtimatur in eo Upſaliæ loco, qvo poſtea ædes aut ſacellum S. Erici exſtructum eſt, hortis regiis vicinum, cujus rudera qvædam adhuc ſuper ſunt. Alii extincti corpus hinc in ædem veteris Upſaliæ, uti pagum urbi vicinum vocant, ubi tunc Epiſcopi ſedes erat, translatum fuiſſe tradunt. Sed poſtqvam Præſulis ſedes hîc figebatur, in majus hujus urbis templum ſolenni pompa, per Folchonem Upſaliæ præſulem oſſa Regis A. MCCLXXIII. huc transportata, volunt. Iſtic in argenteo loculo, repoſito in conditorio marmoreo ferreis cancellis ſepto, ad ſummum altare, appenſis corona, tabulaqve affabrè ſculptâ pictaqve rerum ab Erico præcipue geſtarum adumbrationem continente, recondebantur. Memoriæ eximii Regis etiam hic honor à poſteris habitus eſt, ut in ſanctorum ordinem olim referretur; ut ejus imagine, tres præferente coronas, vetere Regni Svetici inſigni, monetam publicam & ſigillum regium exprimi, diu in uſu eſſet: ut inſigne civitatis Holmiæ, Erici caput coronâ cinctum, eſſet. Sed & anniverſarias nundinas & ferias Ericianas ab illo nuncupatas in menſe Majo cum honorifica vitæ ejus in Eccleſia commemoratione celebrari, mos vetus eſt. Idem etiamnum ab Upſalienſibus gratæ Regis recordationi ſervatur. Etenim rectè factorum decus apud piam poſteritatem non ſeneſcit, nec cum extincto corpore moritur ac ſepelitur, ſed in gratâ hominum memoriâ animisqve ſemper vivit.

CAROLUS VII.

Svercheri filius, biennio ante Erici electionem rex à Gothis dictus, poſt exceſſum demum Erici ad regium gradum evehitur. Ut imperium adverſus ſuſpectæ fidei vel potentiores viros opibus ſtabiliret, Waldemari regis Daniæ interiori amicitiæ ſe illigavit, neptem ejus uxorem ducendo. Nec minus ad regni, ſui ipſius, & ſucceſſorum ſecuritatem facere exiſtimabat, ſi diffidentiæ ſemina inter æmulos vel ſuſpectos tollerentur, cives manſvetudine ac benevolentia regerentur, & pluribus ſubſidiis patria inſiſteret. Idcirco lege publica ſanxit, ut ex S. Erici & ipſius poſteris reges alternis crearentur, & ejusdem leges fideliter obſervarentur. Tranqvillan-

qvillandi ſtatus publici cauſa domi foriſq; cum indigenis & exteris, Danis & Norvegis fœdera pacis contraxit. Religioni deditus, refectis monaſteriis Uretenſi, Alvaſtrenſi, ubi etiam ſepultus eſt, & Varnhemenſi, Julithanum (qvod aliàs Saba vocabatur) in Sudermannia exſtruxit. Archiepiſcopi honore regnum primus ornavit, inſignibus ejus ab Alexandro III. pontifice per Ulphonem Gothiæ ducem impetratis. His & aliis regni curis intentus, tandem tamen cruenta morte periit. Qvum enim Canutus S. Erici filius Carolum ſuſpectum haberet, ut ſocium conſpirationis adverſus patrem; hinc odium contra ipſum tam altè animo impreſſit, ut non niſi cum morte Caroli extingvi poſſet. Eqvidem occulta ſub pectore ultionis avido ſimultas, velut ignis ſub cinere, aliqvandiu qvidem latebat; ſed ex ſuſpicionis, odii & iræ materiâ ſuſcitata, tandem in apertas & ſævas vindictæ flammas erupit. Certè Canutus non prius adqvieſcere potuit, qvam comparata ſicariorum manu Carolum in inſula Viſingiana 1167
obrutum de medio ſuſtuliſſet.

CANUTUS ERICI F.

Optatum meritorum paternorum fructum cepit, ut ad honores qvo- 1168
qve regios extolleretur, poſtqvam ex Norvegia (ubi per triennium exſul vixerat) domum revocatus erat. Sed non absqve ſangvine imperium inchoabat, ad qvod ab exilio venerat. Nam præter Carolum, de qvo ſuperius, Kolonem (alii Alfum vocant), Bugislavum, regis Caroli fratrueles, aliosqve, qvi regis parricidium manu vel conſilio adjutarant, trucidavit. In Danos, præſertim illos, qvi Scateleri partes fovebant, arma tulit duce Haraldo. Is tamen in bello nimius cunctator, nec fortunæ ſe præbenti obvius, multas rei bene gerendæ occaſiones inertiâ ſuâ corrupit; niſi qvod manu celer in diripiendis hoſtium bonis erat. Rex Daniæ Canutus ipſi in campis Scanienſibus obviam factus, perrexit imprudentem profligare, & cum non levi ſuorum clade in fugam propellere. Sic ducis ignavia & temeritas hoſti commodo, noſtris calamitati fuit. Circa hanc tempeſtatem Sigtuna olim una principum Svediæ urbium, ab Eſtonibus, Careliis & Ruthenis, piraticam ad Melerum usqve facientibus, ferro & igne devaſtata, in cineres ita redacta eſt, ut nunqvam poſtea reſurgeret; nunc qvantula ſui portio, & velut cadaver urbis prioris. Præſul Upſali- 1188
enſis Johannes ab iisdem in prædio ſuo Almerſtechio obtruncatus eſt. Ab his & aliis hoſtibus regnum Canutus pro virili purgabat. Non unæ Gothorum leges hunc qvoqve conditorem agnoſcunt, non minus publicam

rem

rem pacis ſtudiis firmandi, qvam cives armis tuendi, vel adverſos pellendi gnarum. Qvum annos viginti tres imperio exegiſſet, in Erſosber in Giqſini (aliis Gafva) in fata conceſſit, Warnhemii ſepultus.

SVERCHERUS III.

1192 Caroli VII. filius, ab obitu Canuti rex Sveogothorum factus, rerum civilium & militiæ peritus, nec minus diſertus erat; facere & dicere juxta promtus. Qvam Canutus in Carolum ejusqve familiam exercuerat necis paternæ ultionem, ille opibus & regno potens, in iſtius liberos eorumqve capita retorſit. Nec prius ceſſabat, qvam eos partim ferro ſuſtuliſſet, partim bonis eorum publicatis, proſcripſiſſet: ut in ſe ſuaqve ſimul familiâ regnum ſtabiliret. Etſi res aliter acciderit. Hac enim ſeveritate populi, imprimis Uplandorum, S. Erici familiæ maximè faventium, odium & tandem civile bellum ſibi concivit. Qvippe Ericus unus proſcriptorum, ex Norvegia, ubi ultra duos annos in exilio delituerat, in patriam reverſus, populum ſibi ſtudentem adverſus Svercherum concitavit, magnasqve ſibi vires qvæſivit. Olaus Upſalienſis præſul, qvum conditionibus potius, qvam ancipiti fortuna finire bellum, & civium ſangvine abſtinere Regi ſvaderet, offenſam pro laude meruit. At utile conſilium à rege contemni, omen mali propinqvi erat. Pigeat ſcribere rem præſtigiis & mala arte diaboli editam, ex Annalibus Norvegicis promtam (qvæ præceſſit cladem Svercheri) deteſtatione magis, qvam admiratione dignam; niſi, qvanta fuerit in his oris borealibus diaboli, ante religionem Chriſtianam huc introductam, in homines ſub nomine Odini illuſio, vel hinc liqvidò conſtaret. Præcipiti die circa veſperam venit qvidam ad fabrum ferrarium nomine Toronem Votium, qvi habitabat in Norvegiæ promontorio Fisle. Petiit ibidem diverſorium, & calceare eqvum ſuum. Sed qvum ſoleæ ferreæ ſuffigendæ ungulis eqvi majores viderentur, tamen aptatæ congruebant. Faber qværit ex eo, *ubi proxima nocte fuerit?* ille: *in Medeldalia,* ait, *maximè ſeptentrionali, ad Tilemarchiam. Ubi priore nocte? in Iardalia Ryefylchiæ,* reſpondet. Hic in cachinnum effuſus faber, ſtrenuè mendacem pronunciat. Longè enim amplius viæ inter diſſita iſtæc loca erat, qvàm ut tam exigui temporis ſpatio tantum iter confici poſſet. Faber inſtat percontando: *qvis, unde, & qvò?* ille: *veni,* inqvit, *ex hac plaga Arctoa; & diu in bellis maritimis verſatus, nunc cogito in Sveciam, uſurus hoc eqvo ad tempus; mihi nomen eſt Oden. Niſi mihi fidem habes, ecce ut progrediar.* Cum dicto tranſilit eqvo ſepem ſeptem ulnas altam. Hinc raptim in ſublime ſe auferens, per aërem evanuit. Qvatriduo poſt inter Svercherum & Ericum

cum cruenta fuit pugna, Sverchero admodum infelix. Etiamſi enim ſatis virium haberet, à Waldemaro qvoqve Danorum rege copiis ſedecim millium, duce Ebbone Sunonis, adjutus: & bellum à Folchone adminiſtraretur; tamen in Falonia occidentalis Gothiæ ad Lenam (Kongslenam qvidam annales vocant) ingenti clade affectus eſt. Minus verò decora hoſti iſtæc victoria erat, qvia belli civilis. Recollectis viribus, poſt biennium redintegravit bellũ,& pugnam: emendaturus,ut putabat, fortunam. Sed hîc multo qvàm antea infelicius egit Svercherus. Ipſe enim cum Folchungis aliisq; nobilibus, & magni nominis viris ad Giſtelbroum,ut Pontanus, Geſtalreenum,ut alii, Giåſtilreenum, ut Ericus Upſal. & Huitfeldius vocant, à proprio ſuo genero Folchungianæ familiæ, ut ſcribunt, interfectus, nece ſuâ finem bello fecit,qvum novendecim annos regno præfuiſſet; 1210
& ſimul documentum dedit,belli civilis incendium non niſi inſignibus extingvi caſibus, & ſæpe ruinâ vel totius reipub. vel capitis ejus. In Alvaſtra Svercherus telluri mandatus eſt.

ERICUS X.

Canuti nepos,vel, ut alii, filius, ab exceſſu Svercheri ad ſedem regiam 1211
elatus eſt; qvum per triennium exul in Norvegia fuiſſet. Rempub. civilibus fluctibus jactatam in qvietum ſtatum reponebat. Ut tandem ultionis modus & civilis ſangvinis finis eſſet; ex conſilio Valerii præſulis rediit in gratiam cum inimicis, qvi in necem fratrum ejus cum Sverchero conjurarant. Eodem ſvaſore qvaſi delectum provinciæ præfectorum habuit. Tales enim præponi ordinavit, qvi rerum & morum patriæ gnari, non ſibi ſed publico civium commodo ſtuderent; qvi ab avaritia alieni, non emungerent fortunis provinciales; nec poſſesſionibus eos per varias artes everterent, & ad ſe transferrent; ſed eos docerent compendia rem ſuam honeſtè augendi tuendiq;, & naturæ beneficia in uſum publicum ac privatum rectè convertendi. Ut verbo dicam,qvi incorruptè & prudenter, ſanctè & fortiter provinciam obtinerent. Hic Ericus ex Waldemari Danorum regis filia Richeſa qvatuor ſuſcepit liberos, unum filium Ericum Balbum, poſtea regem, & tres filias Helenam,Mårtham & Ingeburgem. Helena in matrimonium data eſt Canuto Folchungo, Mårta Nicolao de Toſta, Ingeburgis Birgero de Bielboo,Duci Gothiæ orientalis; qvæ peperit ei, præter Benedictum & Ericum,Waldemarum & Magnum,duos poſtea Svediæ reges, duasqve filias. Ericus ſolùm octo(alii ſeptẽ)imperii annos explevit, longiori vita dignus. Brevem tamen vitã bene imperando longã fecit,& famã à morte perpetuã. In Wiſingsöö naturali fato extinctus,in cœnobio Warnemenſi ſepultus eſt.

JOANNES cognomento ADOLESCENTULUS, item MITIS.

Svercheri regis filius imperium adhuc rudibus & teneris annis ſuſcepit: unde & cognomen habuit. Benignæ naturæ erat, qvæ inde qvoqve nomen ipſi peperit. Qvum nondum per ætatem capax imperii eſſet, illud interim curatoris nomine adminiſtravit OLAUS præſul Upſalienſis, & qvidem Pontificia qvadam auctoritate tam in civilibus qvam in ſacris,
1220 pro iſtius temporis fato. Circa initia imperii Joannes in Livoniam egreſſus, Eſthones per Epiſcopum & ſacerdotes ſuos ad Chriſtianam religionem converſum ivit, occupata etiam arce Leale in Wikia. Sed illi, mox recuperata arce, ſtraverunt Sveones. Inde Eſthones, Boruſſi, Carelii & Vandali junctis armis & copiis effuſi in Gothiam, non procul Lincopia ad Rotalum, ducem Carolum & ejus loci epiſcopum cum aliis primariis viris trucidarunt. Hinc prædâ factâ progreſſi, Joannem ducem eadem nocte, qva ex bello cum Ruſſis & Ingris novem annos geſto recens domum redierat, ad inſulam Akerön dictam prope Aſchenäſium, ubi nunc ſita eſt Ekæ ædes Sacra, obtruncarunt. Uxor autem ejus fuga elabens, ad prædium Hundhamer contrahi copias curat, qvæ omnes Eſthones ad ſcopulum inde *Eſthaklip* dictum, internecione deleverunt. Ita pœnam necis mariti à prædonibus repetiit uxor, edito virilis audaciæ facinore. Joannes rex tertio, vel, ut alii, qvarto regni ſui anno in inſula Viſingiana deceſſit, metæ laudis illuſtrioris proximus. Sed oſtenſus regno, & ſimul fermè ſubductus eſt, in monaſterio Alvaſtra terræ gremio traditus.

ERICUS XI. BALBUS vel BLÆSUS.

1223 Erici X. filius S. Erici abnepos, qvamvis lingva hæſitans, & claudus eſſet, à civibus tamen, animum magis qvàm domicilium ejus corpus æſtimantibus, imperio dignus judicabatur. Eqvidem ne vitium oris & pedis in eo qvid offenſionis haberet, promto rectoqve ingenio effecerat; maximè morum probitatis & æqvitatis laude. Ex invidia tamen nonnulli potentiorum & factioſi in eum coorti ſunt. Horum princeps erat Canutus Folchungus, cui ad ſublimia nitenti, præter generis ſplendorem, Erici Balbi ſororis matrimonium regios fecerat ſpiritus. Super iſtæc corporis forma, morum cultus, alloqvium & congreſſus comis, prudens animus, diſerta lingva ipſi per ſe ad ſummos honores ſuffragari videbantur. His accedebat vulgi favor, qvi nihil ei regium deeſſe præter regnum exiſtimabat. Sive autem revera ineſſent hæc decora, ſive colligendæ populi benevolentiæ, & hinc

hinc parando regno qvædam fingerentur; animus tamen nimis ambitio-
ſus, & in legitimum regem conjuratio omnia iſtæc contaminabant. Inſu-
per amici ejus & cognati, præſertim duo Erici Balbi ſororis filii Carolus &
Haraldus, boni patris Nicoli de Toſta degeneres filii, & cum eis Holligerus,
Canuti Folchungi, vel, ut alii, Folchonis Oſtrogothiæ ducis filius, eum ad
iſta ſtimularunt. Qvum animi dotes Erici non poſſent, corporis debilita-
tem ſugillabant. Minus virilis Regis lingva & moleſtus inceſſus, qvaſi re-
gno indigna, illis ludibrio & deriſui erant. Canutum verò decore corpo-
ris inſignem, lingvâ manuqve juxta promtum, regno natum jactabant.
Horum ſeditioſa colloqvia, factiones & inſidiæ ab improbis ſtructæ, à con-
ſciis diſſimulatæ, tandem in apertum & civile bellum evaſerunt; Canuto
& ſociis ejus pro dominatione nihil non audentibus. Qvi cum ingenti ma-
nu ad Olleſtröm (Olaſtram Ericus Upſal. habet, qvidam Elaſtröm) in regem
nimis ſecurum irruentes, in primo congreſſu eum clade victum ex Svedia in
Daniam pepulerunt, Canutumqve pro rege acceptarunt. Sed hujus breve
& inſtabile fuit regnum, qvia præceps & vi partum erat. Ericus enim con-
tractis ex Gothia Daniaqve properè auxiliis, in regnum revertitur, & in-
trepido animo rebelles aggreſſus, poſt acre utrimqve prælium ad Sparſetra,
non procul Enecopia, eos debellat. Ubi Canutus & reliqvi factionis ſocii 1229
ſpiritum, qvem pœnæ debuiſſent, pugnæ reddiderunt. Ericus autem vi-
ctor nihil gravius in ſuperſtites perduelles conſuluit, qvàm qvod præcipu-
os autores in exemplum capite punivit, & inter illos Holligerum ex fuga
ad Geſtricios retractum, & in vicino monaſterio Sko, exacto ſupplicio, ter-
ræ mandatum. Ita ſopito hoc civili bello, ortum eſt externum adverſus Ta-
vaſthios, tunc adhuc paganos & infeſtos Svedorum hoſtes; ductore Birgero
Ierl da Biålboo, Duce Oſtrogothiæ, viro ſpectatæ virtutis. Hic devictos
in fidem accepit, incolumitatem vitæ fortunarumqve illis pollicitus, ſi
Chriſtianam fidem amplecterentur. Etiamſi Birgerus rectius feciſſet, ſi pro
imperio, vi & minis, ad corpus & externas facultates ſolùm pertinentibus,
adhiberi curaſſet mitiora melioraqve remedia, qvæ animos ſanare & ſerva-
re potuiſſent, rectam nimirum & ſedulam de via ſalutis informationem. Et
qvum religio, qvæ divinæ gratiæ munus eſt, ferro & metu mortis non ob-
trudenda ſit invitis; pertinaces tamen & ſeditioſos coërceri è re viſum eſt
publicâ: ut deſinerent cœleſtis verbi doctrinam præfractè impedire, aut ſta-
tum publicum petulanter turbare. Qvod ne ulterius auderent, Birgerus
exſtructa arce Tavaſthienſi Tavaſtaborgk dicta, & prædiis aucta eos in obe-
dientia tenuit. Qvod autem neglexerat Birgerus, Upſalienſis præſul Iar-

Ierus farcivit, & communiri animos vera religione per verbi divini adminiſtros, operam navavit. Idem inſtituit Collegium Canonicorum ſecularium; item Præpoſiti, Archidiaconi & duorum Canonicorum regularium collegium, ut conſtat ex incerti Scriptoris Chronico de Archiepiſcopis Upſalienſibus à Scheffero noſtro primùm edito, pag. 19. & 116. & ex Johannis Magni Hiſtoriæ Metropolitanæ libro III. in vitâ Iarleri. Qvidam hoc qvatuor Profeſſorum collegium, atqve ſic Academiæ Upſalienſis poſtea fundatæ ſeminarium fuiſſe, volunt. Sed errant. Initia & rudimenta Scholæ vel Academiæ Upſalienſis ad annum MCCCVI. aut circiter referenda eſſe putantur; qvando M. Andreas Præpoſitus in *inſulâ* amnis Upſal. domicilium menſamqve communem pro choralibus aut Studioſis chorum aut ſacra cantu juvantibus inſtituit; de qva re Schefferus in Notis ad dictum Chronicon pag. 128. & ſeq. In Concilio Scheningenſi per Legatum Pontificium Gulielmum Epiſcopum Sabinenſem, Birgero & Præſule auctoritatem ſuam interponentibus, non ſine gravi tumultu & certamine de abrogando ſacerdotum conjugio, antea uſitato actum fuit. Lubeca gravi obſidione Danorum hoſtium liberata fertur ope claſsis Sveticæ, qvæ ſufferratis navibus catenam ferream per Travam amnem trajectam, qva acceſſus & exitus Lubecenſibus occluſus erat, mediam ſecuit. qvod immunitate vectigalis Svedicis navibus data, Lubecenſes ea tempeſtate remuneratos fuiſſe, Laurentius & Olaus Petri referunt.

1249 Rex Ericus per legatum Ivarum Torſtani ad Haqvinum Regem Norvegiæ expoſtulavit de vi & populatione in Wermelandos. Haqvinus autem vim vi profligatam eſſe in prædonibus adverſus Norvegos ſuos exercitam, reſpondit. Et jam res ad bellum inclinabat. Sed interventu Birgeri Comitis compoſita eſt ea lege, ut Haqvini filio Rechiſſa Birgeri filia in matrimoniũ daretur, & neuter regum hoſtes alterutrius apud ſe ferret.

1250 Anno imperii vigeſimo octavo Ericus diem ſupremũ obiit, cum ingenti civium deſiderio: qvod per eum incolumis & proſperã viguiſſet reſpublica. Eundem in Warnhem ſepultum eſſe volunt.

WALDEMARUS & BIRGERUS IERL, PROREX.

Erici Balbi, abſqve liberis decedentis, publico conſenſu ſucceſſor fuit Waldemarus Birgeri Ierl filius, Erici ex ſorore nepos, ſatagente imprimis Ivaro (al. Ioaro) Jonæ cognomento Blaa, eqvite in Grõneborg, prope Enecopiam prædio, qvi inter proceres exiſtimatione præcipuus, interregni tempore ſummæ rerum præfuerat. Pater Waldemari ex Tavaſthia domum reverſus, indignanti qvam gratulanti propior, ægrè tulit & expoſtulavit, qvod electionem in ejus reditum non diſtuliſſent: qvum filii fortuna magis ad ejus curam pertineret, nec ſe minus

minus qvam qvemcunqve alium, è re patriæ in medium conſulturum. Qvamvis ille veram indignationis cauſam occultaret, tamen facilè liqvebat, indignè ſenem ferre, qvod parum æſtimatis, uti exiſtimabat, ſuis in patriam meritis, adoleſcenti filio poſtponeretur: ingenio ambitionis, ſibi magis qvam alteri, etiam proximi ſangvinis, velle. Nec absq; animi cōmotione percunctatus eſt, qvis tam temerarium auſus eſſet facinus, ut puerū, qvi rectoris ipſe egeret, aliis regendis præficeret? Ivarus cordatè reſpondit: *Me ſcias hujus facti, non impetu ſed penſo conſilio capti, auctorem. Crede me cæterosq; cives tibi bene cupere, qvi hoc faſtigium, tuis qvidem meritis debitum, ſed tuis viribus ſenio & belli labore exhauſtis minus aptum, te non nolente, ut ſperabamus, qvaſi tuis, id eſt, filii humeris, validioribus, ſi maturuerit, imponere voluimus. Qvod ſi mihi oblatum fuiſſet, lubens recuſaſſem: haud ignarus, qvam arduum ſit, etſi ſplendidum, regendi onus. Si tamen oculis animoq; ægris filii fortunā intueris, habe tuum tibi filium, ejusq; fortunam pro arbitrio diſpenſa; nobis interim alius non deerit.* Birgerus: *Ecqvem filio meo præterito ſumetis?* Ivarus concuſſa paulum veſte ſua: *Ex hac*, inqvit, *tunica alium producemus.* Hic Birgerus & ſuæ exiſtimationi & filii ſpei timens, humanius agere cæpit, præ ſe ferens, *animo ſcrutandi eorum voluntates hæc prolata; qvas cum juſtas & conſtantes advertat, ut ſibi ſuisq; hunc conſenſum ſervent* petit, *gratiis populo pro tanto honore habitis.* Ita in Waldemarum Lincopiæ regni inſignia conferuntur. Proceres autē hac ratione prudenter tollebant, æmulationis & diſſidii fomitem, qvi ad id temporis inter familiā regis Svercheri & Erici noni fuerat. Waldemarus enim ſtirpē paternam ab illo, maternam ab hoc qvam proximè ducebat. Utraq; nunc in uno capite, & ſimul utriusq; concordia coaleſcit. Imperium regni vicarium eqveſtris dignitatis ſeni traditur, donec Waldemarus in ſuam ipſe tutelam veniat. Sed titulus & honor adminiſtrationis in illo ſene, vis imperii in Birgero erat, qvi prudentia, facundia, uſu & auctoritate præſtabat. His ita peractis, nova Folchungis invidia pectus exagitat: qvi aliorum fortunam & genus cum ſuo componentes, ſe prorſus negligi ſtomachabantur, palam criminati Birgerum. Hinc ad arma ventum eſt. Omnia jam ad prælium parata erant; ſed ubi caſtra habebant, fluvius ea medius dividens, pugnandi facultatem diremit. At Birgerus, incerta belli timens, an validas adverſariorum factiones, easq; arte qvā armis promtius opprimi poſſe ratus, aliave ex cauſa, animum ad inſidias & dolos adjicit. Ad colloqviū ſpe pacis neqvicqvā invitabat Folchungos, fraudē ſuſpicantes. Ut ergò ſincerè agere videretur, Kolonē (qvidam Carolū nuncupant) Lincopenſem Epiſc. ſuo de fide publica jurejurando ſecuros reddere permovit. Hac religione inducti Folchungi, in caſtra Birgeri veniunt, ejusq; fidei ſe permittunt. Vix pontē Hervvadenſem

in caſtra ferentem tranſierant, qvum repente ab immiſſis percuſſoribus trucidantur. Hanc perfidiam antiſtes contra morem majorum exercitam, qvi virtute non dolo certaſſent; & qvod ejus auctoritas in iſto ſacro vinculo tam pravè contra ejus mentem & expectationem uſurpata eſſet, tam acerbè tulit, ut abiens dignitate ſua & patria, reliqvum vitæ peregrinationibus ad S. ſepulcrum, ut qvidam tradunt, & voluntario exilio perageret. Birgerus autem hoc indigno facinore ante partum decus non parum fœdavit: cui integrum erat, hoſti fidem non dare, non integrum, tam ſanctè datam fallere: qvæ ſi temerè inter hoſtes violanda eſſet, nulla veræ pacis via pateret. Cæterum Birgero parum turpe viſum, hoſtes & turbatores reip. per fas & fidem decipere, qvin intereſſe publicæ tranqvillitatis putabat, hujusmodi inqvietos & rerum novarum cupidos tolli. qvaſi verò religio fraude & cavillis exſolveretur; & promiſſorum fides uſu ſolo, non honeſto metienda eſſet. Haud deſunt, qvi ſcribant, ideò per dolum interemiſſe Folchungos, ut ſublatis æmulis, regnum in ſuis poſteris firmaret. Poſtea qvum animus Birgeri ad ſe & facinoris æſtimationem ſeriò rediiſſet, dolore ſaucius pœnam à ſe ipſo ſumſit; & tam inſignem dedecoris maculam egregiis factis eluere ſtuduit. Religionis utiqve & pacis ſtudia pro virili promovit, templis paſſim exſtructis, & annuis fructibus in ſacrorum uſum auctis. Amicitiæ & ſecuritati regni ſtabiliendæ Waldemaro filio regi deſignato, Sophiæ Erici Danorum regis filiæ nuptias procurat, Treleburgo & Malmogia dotis nomine datis. Leges novas ſed reip. ſalutares tulit, de hæreditate inter fratres & ſorores dividenda; ita ut filiis partes duæ, filiabus pars tertia cederet; neve bona ſoli hæreditaria extra familiam per nuptias aut ſucceſſionem facilè alienarentur; de ſervis ex jure mancipii non amplius donandis aut vendendis (qvod qvidam ad Birgerum Magni relatum eunt) de pace domeſtica, ſacrorum & fori tuenda, de abrogata probatione per candens ferrum, aliisqve, qvæ poſtea in codicem veterum Svediæ legum relata ſunt. Qvidam etiam leges civiles vel civitatum Svetiæ ab hoc Birgero primum conditas eſſe, volunt: qvum nonnulli codices MSS. earum incunabula ad annum M CC LI. referant, qvi incidit in ævum hujus Birgeri, de qva re alibi plura. Stocholmia ab hoc Bir-
1261 gero primum condita eſt, & qvidem in loco ſitu, naturâ & arte munito murisqve cincto, navigationi & commerciis apto; ut non ſolùm adverſus ſubitas hoſtium incurſiones propugnaculum, ſed etiam opibus regni civiumqve augendis accommodata eſſet. Qvum Waldemari vicem Birgerus annos qvindecim regno præfuiſſet, terris exceſſit, corpore in Alva-

ſtram

ſtram monaſterium illato. At Waldemari rerum proſperitas cum patre 1266 exſtincta videbatur, qvam infelici omine qvoqve præceſſit incendium Upſaliæ qvater exortum. Qvum Waldemarus annis & imperio maturior, 1268 regno admotus eſſet, multa adverſa habuit; ne qvidem amicam gentis ſuæ domum, æmulatione colliſam. Indignabatur ita diviſas inter fratres provincias, ut ſibi non tantum opum ac potentiæ, qvantum vellet, ſupereſſet. Nec amicis oculis intuebatur ſplendidiorem Magni aulam, & à fratre loco ac titulis minore, domus tamen eminentiâ vinci. Qvanqvam non luxu & ſupervacaneis, ſed magnificentia, familiæ delectu, cum peritis & conſpicuis viris conſvetudine, militaribus & Principe dignis artibus aula Magni antecellebat. Inde livore ardet fratris animus; cui civile Magni ingenium non placebat; & cultus aulæ major qvàm pro fortuna Principis viſus, nondum regis, ſed regnum, ut ſuſpicabatur, meditantis. Augebat odium Waldemari uxor Sophia, qvæ regis animum inſipienter adverſus fratres accendit, & contumelioſis inſuper dictis eos deludit, generoſos animos acrius ferro vulnerantibus. Magnum, qvod erat capillis ac facie ſubnigra ac macilenta, *cacaborum refectorem*, Ericum fortè ſimpliciorem, *inſulſum & nihili hominem* appellabat. Nihil eorum qvæ ipſi dicerent aut agerent, fœminæ probari; ſed alto eos ſupercilio deſpicere. Hunc tamen faſtum non parum poſtea depreſſit ſororis contumelia, à Waldemaro hujus corpori illata. Magis verò proximè inſeqvutum bellum, qvo Waldemarus à fratre Magno ſede regia depulſus eſt. Qvum enim fruſtra tentaretur à proceribus inter fratres concordia, animis ita odio alienatis, ut abeunti frementiqve Waldemaro Magnus bellum denuntiaret; ex eo ingraveſcens diſſidium armis utrumqve commiſit. Exercitu ex Danis & Germanis, qvantus potuit, collecto, Magnus ingreditur occidentalem Gothiam, palam jactans, *ſe vel non vitam, vel regnum Svediæ habiturum*. Qvo comperto Waldemarus ridens, *eum minus qvid atqve regnum obtenturum*, dixit. Ipſe qvoqve non ſegnius ingentem exercitum colligit, ſed vagum, ſolutum & infelicem; qvia certo duce & imperio carebat. Qvidam tamen ruſticum, in Halnâ habitantem, Regi Waldemaro conſilium dediſſe de pugna cum Waalio qvodam hoſtium duce, ineundâ, felicemqve ejus ſucceſſum promiſiſſe, ferunt. Waalius autem iſte præcipua ſua ſtativa habuit in edito monte ad lacum Wetterum ſito, & prorſus inacceſſo; niſi uno in loco, ubi adhuc rudera qvædam muri exſtant, & iſte mons ab illo inſeſſore etiamnum *Waaleklefua* dicitur. Haud dubiè verò ruſticus conſilium ſuum, aut qvid agitare vellet, ad fortunam Regis juvandam, Regi,

in Fe-

in Fegremoo, ut vocant, caſtra ſua habenti, prius detexit & perſvaſit. Illud hujusmodi erat. Proximâ ante pugnam nocte, dictus ruſticus ſecum duxit manum aliorum colonorum, qvi ſilentio noctis, & excubiarum hoſtilium ſomno in ſuam rem uſi, glaciem antea ſolutam, prope nemus ſitam, & qvidem ab ea parte, qva ſolus in dictum montem acceſſus patebat, & Waalio in adverſum hoſtem excurſus faciendus erat, loco moverunt & ex dicto lacu in adverſam terram traduxerunt, ita ut iſtic nudus fere lacus, & ſolum gelicidium ſupereſſet. Qvum conſtituto die binæ acies conmittendæ eſſent & conflictus inſtaret, Rex in ſolido cum ſuis conſiſtens, ſpecie formidinis fugam ſimulat. Waalius eum perſeqvuturus, ſed ignarus ſubductæ glaciei, atqve gelicidio deceptus, præceps in lacum cum majore ſuarum copiarum parte irruit ac ſubmergitur, reliqvis per inſidias clam in nemore collocatas, trucidatis. Ruſticus hujus ſtrategematis præmium à Rege tulit Halnam cum adjacente terra, in qva adhuc qvinqve ſuperſunt prædia, & R. Waldemari donationis literæ. Sed poſtqvam hac victoria Rex elatior & remiſſior factus eſt, reliqvæ res non melius evenere Waldemaro, qvàm, dum ſecurus in Gothiæ occidentalis villa Hoſva deſidet, à fratre cum exercitu ſe profligari & vinci. Victor calumniantibus ſua dicta cum exprobratione fortunæ reddit: *Se veniſſe, ut fractos cacabos reficiat.* Qvum rex otio ſomnoqve deditus & regina ludo latrunculorum intenta eſſet, qvaſi vel nulla, vel non infeſta aut ſeria foris arma eſſent; uterqve in hoſtium manus incidiſſet; niſi qvidam eqvitum, qvi ex pugna ad Regem feſtinabat, ut ſibi ab inſtante periculo melius caverent, monuiſſet. In
1274 Chronico Archiepiſcoporum Lundenſium MS. fertur Stigotus Marſcallus Daniæ cepiſſe Waldemarum cum uxore ſua Margareta, eumqve removiſſe regno, & in illius locum ſubſtituiſſe Magnum Ladulåås. Stigotum illum duxiſſe exercitum Danicum, veriſimile eſt: qvum milites Magni etiam ex parte Danicorum conſtiterint, ut paulò ante memoravi. Fac, etiam Waldemarum à Stigoto captum eſſe, de qvo nihil expreſſi habent Svetici annales; attamen ſocii exercitus ducem habuiſſe poteſtatem amovendi unum, & ſubſtituendi alium Sveonibus regem pro lubitu, qvis facile credat? Annales Svetici ſic referunt: Regem Waldemarum ignaviâ an imprudentiâ cœcum & à ſuis deſertum Wermelandiam fugâ petiiſſe. Sed à Magno emiſſos expeditos, eum in villa qvadam cepiſſe & ad Magnum adduxiſſe, ubi advenit, rogat Magnum, *ut fraterni affectus memor, benignè ſecum agere velit, Se de regno ei concedere paratum eſſe, ſi tantummodò poſſeſſio paterna incolumis & propria ipſi maneat.* Reſpondet Magnus: *Se non oblitum fraternæ charitatis,*

nec

nec unqvam ad hæc extrema deventurum, niſi rex ab uxore inſtigatus, tam infeſto ipſum odio & contemtu proſeqvutus fuiſſet. Se tamen magis qvid ſe deceat, qvam qvid illi admiſerint, nunc in conſilio habere; nec jure victoris, ſed humanitatis lege in regem uſurum. Extemplò proceres advocati pacem inter eos faciunt his legibus: *ut obliteratâ injuriarum memoriâ Magnus Waldemaro Gothiam cedat, ſibi Svediæ ditionem retineat.* Atqve ille, qvæ ejus animi moderatio fuit, parte regni contentus erat, modò integra & ſarta inter illos concordia ſtetiſſet.

MAGNUS I. LADULÆS BIRGERI F.

Emoto Waldemaro, rex Sveonum & Gothorum renunciatur. Inde 1277
animum ad conjugium adjicit, ut ex legitimo toro familiæ regniqve firmamenta qværat. Illud contrahit cum Hedewige Gerhardi Holſatiæ comitis filia, præſtantis animi virgine. Ad cætera, apparat bellum adverſus 1278
Ericum Daniæ regem, in ipſum & Svecos moturum, propter debitas nec ſolutas pro ſtipendio eqvitum in Dania â Magno conductorum ſex mille argenti ſelibras. At rex prævertit hoſtem: qvi ob non ſolutum à Magno ſtipendium excurſione in Svetiæ fines, ad Stegeburgum usqve facta, non parum detrimenti iſtic intulerat; & Scaniam atqve Hallandiam cum expedita manu petens, ingenti iſtas provincias incendio populatur. Ad pontem Rignam ulteriori excurſione prohibitus, in Sveciam cum prædâ revertit. Hac ſolutione male contentus Ericus, ultionem & arma parat. In partes etiam venit Waldemarus, hoſtium an proprio conſilio. Certè in novam ſpem acceſſione virium arrectus, *ſe vel totum vel nullum regnum habiturum*, haud occultè jactat; recens pactum & legem pacis ex occaſione violare promptus. Æſtate proximâ advenientibus Danis, & per Smalandiam ferro flammaqve graſſantibus occurrit Magnus; & Ulfonem Caroli, bellis ſpectatum virum, cum expedito agmine hoſti adverſum mittit, qvi in Verendia, otio & compotationi ſe dantibus, qvietem & convivium turbat; eosqve opprimit ac propulſat. Præter vulgum militum, niſi qvi diverſi aufugerant, in captivitatem redacti ſunt Palmo Albus & Benedictus de Alſnö, virtutis famâ & dignitate conſpicui. Sed mox ſub fide Sudercopiam poſt annum revertendi, in Daniam dimittuntur. Anno ſeqventi Waldemarus conjunctis cum Erico copiis occiden- 1279
dentalem Gothiam ingreditur, animo laceſſendi Magnum ad apertam pugnam, belliqve fortunam tentandi. Sed ille ſubſiſtens, prælii copiam non facit; incertum num viribus diffiſus qvieſcere, vel morâ ferociam hoſtis infringere, ſive humano ſangvini parcere ſtatuerit; & maluerit, ſi non

ſi non aliter fieri poſſet, ab hoſte ipſoqve fratre ſimul, qvam à ſe provincias Waldemaro tributas diripi. Poſtqvam Magnus ejusqve exercitus ſe iſtic non oſtendit, Ericus & Waldemarus præda onuſti in Daniam regrediuntur. At Sveones Waldemarum, propter perturbatum à ſe regni ſtatum, libidinem aliaqve facinora regno, ut initio dictum eſt, amovent. Ad præcavendum autem plura belli mala, amicitiam inter Magnum & Ericum conciliant: dum deductâ damni æſtimatione, qvater vos mille ſelibras argenti (Huitfeldius tandem ad bis mille redactas refert) reſiduum æs alienum Erico perſolvi convenit. Reſtituta pace, rex non ſolùm ornandæ, ſed tutandæ qvoqve patriæ, militiæqve neceſſaria prudenter in otio meditatur. Idcirco belli peritos ex qvocunqve loco, magis æſtimata virtute eorum & ſolertiâ, qvàm gente, præmiis evocat. Nec tamen ſuos domi negligit, qvoqvot idonei eſſent; etſi belli tranſmarinas artes doctrinæqve ſtudia non æqvè omnes ea ætate edocti. Qvicunqve verò iis imbuti erant, etiamſi obſcuro loco natos aliis antetulit. In hoc tamen reprehenſionem non effugit, qvod in qvosdam extraneos obſeqvio graſſantes propenſior æqvo eſſet. Etenim vitio dabatur regi, qvod ſpretis nobilibus regni, qvi armis & fide nulli extraneo ceſſuri eſſent, extraneis præcipua munia crederet. Sed ejus rei fructum nuper comperiſſe in duobus Danis Petro Porſio & Ingemaro, hominibus inſolentibus: Porſium ex Dania propter enormia facinora proſcriptum, in eum amicitiæ gradum à Rege elatum fuiſſe, ut ei intima conſilia & arcis præfecturam crederet. Hanc verò gratiam regi retuliſſe, ut in arcem ſibi commiſſam invitato Regi manus in menſa injiceret & compelleret eum arcis Ladoſienſis oppignoratione regi Daniæ pro reſiduo ſtipendii vel mutui debito cavere, fidemqve jurisjurandi de non ulciſcendo dare. Unde rectè Huitfeldius, ubi hujus Porſii mentionem facit, monet Reges ſibi cavere, ad cujus convivium invitati eant, num ſit amicus vel inimicus. Nec minus in gratia fuiſſe Ingemarum, adfinitate regi junctum, fortunæ & inde animi elatione immodica ſpirare, atqve indigenas contemtui habere, Regi exprobrabatur. Maximè Folchungos malè habebat, *qvod etſi genere inter primos, in republ. nulli ferme eſſent; poſtpoſiti vel extraneis, vel humilioris ortus indigenis, ſi hos qvædam virtutis, aut literarum prudentiæqve fama, & fortè mendax, commendaret: qvum tamen ex more majorum ſuo ordini proximus à Rege deberetur honor.* Hanc qverelam ipſos ad Regem detuliſſe, qvidam ſcriptores memorant. Alii per antiſtites Jacobum Upſalienſem, & Benedictum Lincopenſem, qvos auctoritate ſua plus apud Regem poſſe ſibi perſvadebant,

qvàm

qvàm ipſos, ex anteactorum & vitæ ſuæ memoria forſan inviſos. Adeunt ergo regem, petuntqve ut, *qvamvis ad nominis ſui regniqve exiſtimationem qvandam pertinere credat, etiam peregrinis apud ſe locum eſſe, ita tamen eos ornet, ut id citra regni legis, veterum inſtituti & patriæ fraudem ſit. Non deeſſe nec deſore Sveones, qvi magis ad arma, fidem & libertatem, qvàm ad compoſitos ſermones & ſerviles blanditias apti, fortunas ſuas ac ſpiritum pro regis ſalute profundere non detrectent. His alienigenas præferri plus invidiæ, qvam gloriæ habiturum. Certè ſibi ludibrio, nec Regi regnoqve uſui fore.* Eqvidem haud parum referre, non ſolum qvi, ſed etiam qvorum negotium coram Rege, & qva ratione agant, vel præſens exemplum argumento fuerit. Regem utiqve decebat ſuos à contemtu vindicare, & in honoribus conferendis præcipuam dignorum civium, ex regni communiqve gentium conſvetudine, rationem habere: illi enim exteris poſtponi, indignè ferant. Nec ſe illud prætermiſiſſe, ipſe in reſponſo ſuo indicat. Cæterum Regis animum non tam liberior monitio, qvam illud offendit, qvod, qvòrum cauſsâ potiſſimum rogabatur, Folchungi, licet majorum imagines & merita verbis efferrent, ab avitâ virtute pleriqve deſciverant, ocio, voluptati, turbis & ambitioni ſervientes; & nihilominus lingvâ animisqve ferocibus virtutis præmia depoſcebant. Itaqve Rex aliqvanto commotior, illis hac oratione reſpondit: *Qvæ à me deſideratis, ea ſunt ejusmodi, ut ultrò absqve ullius monitu exeqvi paratus ſim. Si enim ſecus facerem, non rex, ſed inimicus civium meorum eſſem. Unum tamen animo vos mecum reputare velim, hanc noſtram dignitatem & regnum magis ingenii, prudentiæ & virtutis inſignibus, qvàm ignavæ nobilitatis titulis decorari. Ipſi ſatis compertum habetis, eſſe in nobilium ordine, qvi ita vivunt, ac ſi ſuâ tantùm cauſſâ nati eſſent, ſibi & ventri indulgentes. Nec aliud ad commendationem ſui proferre poſſunt, qvàm ſuæ ſtirpis nomina & majorum gloriam; qvâ tamen ſe dignos non effingunt. Certè longè majori cura ſui decoris nos, qvàm ipſi tangi videntur. Illud autem decus & exiſtimatio Nobilium eſt, ſi rectè judicamus, inconditos mores exuere, pravas cupiditates fugere, egregiis facinoribus & bonis artibus ad claritatem eniti. nulli vim adferre; ſua ſervare; aliena non rapere, nihil contra fas & honeſtum vel animo audere, vel manu perpetrare. His nobilitate dignis curis nunqvam honorem ſuum detraximus. Proinde ſi illi aliis præferri qværunt, ſtudeant aliis quoqve virtute antecellere, aut ſaltem æquare; ſibiqve perſvadeant, me eò imprudentiæ nunqvam prolapſurum, ut majora præmia deſidioſæ quorundam nobilitati, qvàm induſtriæ ac virtuti, perſonis, qvàm meritis deferam.* Hoc regium reſponſum nonnullorum ex Folchungis animos ita affecit, ut tacito pudore ſuam ipſi caſtigantes inertiam, in poſterum liberos ſuos aut ſacrarum aut politiorum literarum ſtudiis, aut militiæ artibus

bus excoli operam darent, qvi ſuo tempore ad honores provecti utilia patriæ inſtrumenta fuerunt. Alii verò, qvibus animus pravâ cupidine trans-
1280 verſus agebatur, qvod cum probro tanqvam indigni rejecti fuiſſent, adverſa patriæ conſilia ſecum animo agitare, & compoſita turbare cœperunt. Ingemarum Nicolai gente Danum, de qvo ſupra diximus, cui Rex cognatam ſuam Helenam nuptum dederat, adfinitate regia nixum, ſupra reliqvos ſe attollere moleſtè ferebant. Itaqve hominem modeſtiæ monent, *nec aliis, qvi genere & induſtriâ ſi non ſuperiores, certè nihilo inferiores ipſo ſint, arroganter ſe præponere; niſi malum ſibi dari velit.* Sed qvum ab Ingemaro non mollius qvàm à Rege reſponſum accepiſſent, ad inexpiabilem iram ſibi laceſſiti viſi, diſcedunt, juſtæ, ut putabant, vindictæ occaſioni invigilantes. Factum verò, ut Ingemarus reginam Hedwigem in Gothiam occidentalem ad urbem Scaram comitaretur. Eodem Folchungi Johannes Philippi, Johannes Caroli, Amundus Turonis & Philippus de Runeby certatim concurrebant. Hi, qvod animo conceperant, verbis haud diſſimularunt, *ſe effecturos, ne deinceps omnis gratia & dignitas in extraneorum dominatum concedat, neu Svecana nobilitas, alienæ ſuperbiæ magis ludibrio ſit.* Qvare ſubito impetu in diverſorium Gerhardi Comitis, qvi ad filiam & generum nuper viſendi gratia venerat, irrumpentes, Ingemarum fœdè trucidant. Gerhardum injuriarum eos arguentem, in arce Ymſeburgenſi in cuſtodiam condunt. Reginam fuga periculo ſubtraxit. Hujus ſeditionis caput erat Johannes Philippi. Qvidam volunt etiam Waldemarum cum illis in conſilio fuiſſe, ut hac occaſione rediret ad regnum. His peractis, conjunctâ manu ad arcem Iônecopenſem expugnandam properant. Hujus facinoris atrocitate mox divulgatâ rex non leviter, ut res erat, perturbatus, qvid in tam inſolenti tantiqve diſcriminis caſu, facto opus eſſet, animi dubius hærebat. Iſtam Folchungorum vim, tot opibus, amicitiis & clientelis ſubnixam, palam & abſqve reipub. motu depreſſu haud facilem intelligebat. Et tamen tam audax & improbum facinus impune dimitti, ad majorem proterviam ac licentiam auctoribus vires, & aliis animos daturum, haud è re fore. Idcirco in præſenti iram recondere, & aſtu rem agere, tutius viſum: donec partibus ſeparatis, eorum qvoq; conſilia dilaberentur vel diſtraherentur; & auctores pœnæ opportuniores eſſent. Eorum itaqve operam & fidem Rex in ſpeciem prædicabat: *qvod ante dubium, ſibi jam compertum, ipſos ſtrenuos & patriæ amantes cives eſſe; qvum exoticam inſolentiam, generoſis animis haud ferendam, tam fortiter ulti ſint.* His verbis mitigati, copias & Comitem dimiſerunt. Blandis inſuper literis & nunciis rex credulos allicit. Sed ubi acceſſere, fa-

ctionis principes capite plexi ſunt. Aliorum conſciorum bona proſcripta, alii ſpecie honorum longius amoti. Hac ratione Folchungorum opes animiq; fracti, nunqvam poſtea ſe comovere auſi ſunt. Sub hoc ferme tempus 1282
actum eſt in comitiis præter alia *de regni bonis*; qvæ *Upſalienſem poſſeſſionem*, à loco ſedis tunc regiæ veteres appellabant, *augendis: qvum priſci coronæ fructus*, auctore Ingone primo, ut qvidam volunt, ut alii, Frothone huc deſtinati *iſtius temporis regiæ dignitati tuendæ & tolerandis aulæ ſumtibus non ſufficerent. Indecorum vero eſſet, aulam regiam ad privatæ fortunæ anguſtias redigi.* Petitâ trium dierum conſultatione, decretum eſt ab Ordinibus, *ut principes regni lacus, Melerus, Wetterus, Wennerus, Hielmerus, unâ cum ſtagnis Finlandiæ, Bothniæ utriusqve, & maris Balthici faucibus, item flumina & ſinus inde emanantes, cum eorum annuo ex piſcationibus reditu, ſilvæ majores & montes metalliferi cum eorum fructibus pro rata, & prædiorum cenſus dicto uſui attribuerentur.* Inſtituebatur itidem univerſæ regni terræ inſpectio & limitum deſignatio: ut qvid Regis, qvid coronæ ac ſubditorum eſſet, evidentius ac magis definitè liqveret. Diſſidio inter Magnum regem Svediæ & Ericum Daniæ, componendo, amicus congreſſus ad limitem regni inter occidentalem Gothiam & Scaniam ab utroqve Rege celebratus eſt; in qvo convenit de die ſolutionis qvatuor mille ſelibrarum argenti puri, cum oppignoratione caſtri Ludoſiæ; & ut nova pax nuptiarum inter Magni filium & Erici filiam pactis firmaretur. Deinceps ad ſtatum regni cum conſilio & conſenſu Senatus ordinandum Magnus accedit, & ubi opus erat, medicinam facit. *Ab* 1285
agricolis vetat quidqvam ultra ſolitum exigi. Si invitis extorqveatur, pœnam publicationis prædiorum fore. Utili ſanè inſtituto & deſideriis atqve ingeniis incolarum attemperato, qvi legitimè impoſita tolerant, ſi juſtos habeant dominos, & vis abſit. Latæ qvoqve *leges de curſu publico, & tabernis ac diverſoriis ad vias publicas exſtruendis, ubi viatoribus ad victum neceſſaria pro æqvo pretio præbeantur; exemtis tamen huic oneri ſacri ordinis & nobilium prædiis. Ne quis capiat gratis ut antea, veredos à ruſticis, niſi volentibus, aut juſſu & diplomate regio; nec una vice plures duobus. Litem ſi qua inter peregrinantes & ruſticos oriatur, Tetradis Judices,* ut vocant, *cognoſcere jubet. Salutaribus inſtitutis & immunitatibus opera fodinarum metallicarum ſtabilivit. Leges Birgeri de pace ſacra, forenſi & domeſtica tuenda ratas qvoqve eſſe* juſſit. Tam ſeverus eqvidem iſte Rex ac induſtrius pacis publicæ & ſecuritatis ſubditorum cuſtos erat, ut peſſulo ſolum ligneo januis horreorum, ad prohibendum pecoris ingreſſū, obdito, regia diſciplina ac juſtitia pro fidâ ſerâ & clauſtro adverſus improbos & vim prædonum ac furum eſſet: inde cognomentum *Ladulâs* patriâ

 lingvâ

lingvâ, qvod eſt *horreorum ſera*, tulit. Cum jam ad ſenium vergeret Magnus, patriæ ſuæqve domui etiam in ventura tempora, qvantum potuit, conſultum ivit. Ea re filium majorem natu Birgerum in ſpem ſucceſſionis à pro-
1288 ceribus eligi, adhuc ſe vivo Schenningiæ facit, & matrimonii pacta inter eundem & regis Daniæ filiam rata haberi. Waldemarus autem, Magni frater, contra pacta & literas tranqvilla miſcere non deſiſtens, inſtar indomitæ feræ incluſus, & in cuſtodiam arcis Nycopenſis traditus ibiqve mortuus eſt. Eodem tempore rex Magnus arbiter legitur ad dirimendum graviſſimum inter reges Daniæ & Norvegiæ diſſidium: qvod ex utriusqve voto peregit. Tam æqvus enim erat in componendis Principum controverſiis, ut etiam pars victa ejus integritatem laudaret. Concurrit cum hoc tempore inter Viſbyenſes cives & vicinæ terræ colonos tumultus & motus bellicus ob vectigal inſvetum illis ab urbis magiſtratu impoſitum. Qvibus à rege ſedatis, mulcta qvingentarum puri argenti ſelibrarum cives plexi ſunt, ob temerè motum qvietæ civitatis ſtatum, & qvod non impetratâ à rege veniâ
1289 atqve auctoritate publica, vectigal à colonis exegiſſent, urbemqve muris cinxiſſent. Ruſticis pœnæ loco injunctum eſt, ut cujuslibet territorii agricolæ ſuis impenſis exſtruerent turrim vel propugnaculum mœnibus. Ita muris urbs circumdari cœpta, decennio opus expletum videt. De ſtudio divini cultus templis & cœnobiis Holmiæ alibiqve à Magno exſtructis, & proventibus, fermè ſine exemplo, auctis, de decimarum conſtitutione aliisqve, qvum hiſtorici Eccleſiaſtici ex profeſſo agant, in aliena operam meam non mitto. Hoc ſatis ſit dixiſſe, qvod excellens inerat animo pietas, qva ſacra eorumqve adminiſtratores proſecutus, ſummopere contendebat, vicinas gentes ſuâ in cœtum Chriſtianum ejusqve doctores liberalitate ſuperare. Poſt tredecim annorum imperium, fatalem exceſſum inſtare prævidens, ſuprema ordinavit. Proceribus civilem & privatam concordiam, ut firmiſſimam & proximam pietati, regni cuſtodiam commendavit. Filios
1290 ſuos in tutelam Torchillo Canuti principi ſenatus usq; ad maturam ætatem tradidit. His ordinatis, placidè deceſſit. Cives intimum erga Regem amorem & exſtincti deſiderium vel eo conteſtabantur, qvod defuncti corpus ſuis ipſi humeris ex inſula Wiſingiana Holmiam duodecim dierum viâ deportarent. Sed animis perpetuam virtutum ejus memoriam tulere, poſterisqve tradiderunt.

BIRGERUS MAGNI F.

Patris ſucceſſor ante conſenſu monſtratus, ſed ob lubricum ætatis, vix enim undecim annorum erat, vicaria regni cura Torchilla Canuti R. Marſchallo,

ſchallo, ut vocant, ex Regis & procerum deſtinatione, interim commiſſa eſt. Hanc ille tantâ fide & prudentiâ ſuſtinebat, ut patrem ſimul & rectorem agere videretur, omniaq; ſub ejus imperio domi tuta, proſpera & pacata eſſent. Waldemaro laxiorem cuſtodiam accuravit; filio tamen ejus Eri- 1291
co in conſortium pœnæ, & Holmiæ in cuſtodiam dato; metu, an ſocietate paterni flagitii. Sed brevi Waldemarus deceſſit. Adverſus Carelios & Ruthenos, Svetiæ limitem infeſtantes, arma Torchillus ſumit. Careliis perdo- 1293
mitis, ad Chriſtianam religionem per epiſcopum Aroſienſem Petrum converſis, & in ditionem Sveonum redactis, ut inpoſterũ in fide retinerentur, & ſimul munimentũ adverſus Ruthenos & Sarmatarum impreſſiones, arcem 1294
urbemq; Wiburgenſem iſtic condit; nunc nobile Careliæ emporium & caput. Ruthenis caſtrum Kexholmiam adimit. qvod tamen ſex dierum fame expugnatum recuperarunt. Jus Sveticum recognovit, operâ præcipuâ Bir- 1295
geri Petri, Judicis Uplandiarum, S. Brigittæ patris, Upſaliæ ſepulti, uſus: qvod ſeqventibus edidit annis. Poſt aliqvot annos nuptiæ Birgeri cum virgine Marta ſive Måretha Regis Daniæ Erici filia, ab Hedwige Magni La- 1298
dulås uxore liberaliter educata, Holmiæ ſolenniter celebrantur, datis ſponſæ in dotem Enecopia, Fiedhundria & Huſebii in Trögda. Sponſa verò nullam aliam expetiit dotem, qvam ut Algothus, Judex occidentalis Gothiæ, liberaretur carcere: cui cum fratre Rorico incluſus fuerat, à Magno rege, propter raptam à Folchone ejus filio & in Norvegiam abductam Svantopolchi Pruteni, liberalitate in ſacra clari, filiam, qvæ tunc deſponſata erat Davidi Torſtani F. Dano. Hic laudabant Sveones reginæ animum à ſtudio opum alienum, & humanæ calamitatis miſerationi promptum. Poſt nuptias, claſſis centum & undecim navium, ut qvidam annales ferunt, expeditioni adverſus Carelios & Ruthenos accincta eſt; adminiſtrante militiam Torchillo. Qvi iſtam claſſem ſecundo vento traducens ad Careliorum fines inter duo fluenta Nivam & Nigram, in confinio Moſchorum arcem Landscronã exſtruxit: ut eſſet propugnaculum & receptaculum militum adverſus Ruſſos. Eam non ſemel aggreſſi ſunt expugnare hoſtes, ſed incaſsũ. Qvamvis enim Rutheni cum triginta unius millium exercitu, in navalem & terreſtrem diſtributo, Svecos adorirentur, & primum claſſe in mari albo, ut vocant qvod Carelios à Ruſſis dividit, atqve naves Sveonum inflammare allaborarent, immiſſis ratibus materiam igni concipiendo aptam ſupportantibus; arte tamen & induſtriâ Torchilli huic malo obviam itum eſt. Is enim palos in flumen, qvà tranſeundum hoſti erat, occultè defigi curat; qvi rates iſtas igniferas in occurſu demorabantur. Hoc inceptum cum fruſtra eſſet,

hoſtes

hoſtes navibus exſcendunt, & ſubitâ impreſſione in noſtros factâ terreſtre prælium, eoqve victoriam tentant. Sed ab Uplandis, neceſſario ſubſidio inſtructis, ita excepti ſunt, ut major eorum pars reditus oblivіſceretur. Pluribus enim cæſis, reliqvi capti aut in fugam conjecti ſunt. Supererat eqveſtre hoſtium agmen, qvod uno loco ſubſiſtere impatiens, circumjacentia populabatur. Ex his unum Matthias Ketelmundi, vir ſtrenuus, diſceptandæ belli fortunæ, cum bonâ imperatoris veniâ ad duellum provocat. Sed qvum nullus animum congrediendi haberet, illis tanqvam vecordiæ & ignaviæ, ſibi velut confeſſæ ultrò victoriæ ac fortitudinis famam qvæſivit. Mox ſive pudore, ſive deſperatione fortunæ, deſertis caſtris raptim abierunt. Torchillus autem præſidiis Landscronæ impoſitis, ejusqve curâ Stenoni commiſſa, in Svetiam revertitur; publicâ gratulantiũ voce de felici ſucceſſu redituqve, imprimis de recens nato Birgeri filio Magno exceptus. Interim Matthias Ketelmundi vicina hoſtium loca deprædatur. Cæterum qvi in præſidio Landscronæ erant, ex cibis madore parietum recens calce illitorum æſtuqve corruptis ſpaſmum & ſtomacacen, ut medici vocant (vulgò ſcorbutum) ſibi arceſſivierunt morbos tam infeſtos, ut vi eorũ dentes ſoluti inter comedendum exciderent, multisqve mors præſens veniret. Reliqvi minus valetudine affecti, fugâqve ſibi ſalutem petentes, arcem penè vacuam reliqverunt. Qvibus incommodis occurri potuiſſet, ſi ex qvorundam conſilio, ægroti in tempore aliò translati, & ſalubri cura ciboqve refecti fuiſſent. Rutheni verò hac occaſione uſi, vires inſtaurant, integriqve debiles & exhauſtos invadunt. Qvod ubi noſtris compertum, viginti milites explorandi cauſa emittunt. Qvi, dum cognito hoſtium adventu, in caſtra reditum parant, inſidiis validorum ad *A°minna* circumfuſi, eorum tamen agmen ductore Stenone perrumpere auſi ſunt. Eqvidem ut animalium robur maximè augeſcit, qvum undiqve periculum ea circumſtat; ita hi, neceſſitate animos acuente, contentius pugnant, atqve inſtar Leonum atqve urſorum in obvios ruendo & cædendo feruntur, viamqve ſibi per medios hoſtes ferro nec ſine decoris vulneribus aperiunt, atqve ad ſuos evadunt. Reliqvi in arce ſuperſtites à tantis copiis pauci magis obruti qvàm cæſi occubuerunt, viribus non animis deſtituti. Præ cæteris fortiter fecit Torchillus Amundi. Qvidam incendio, plures morbo ſuo, qvàm ab hoſte victi vel capti ſunt. Carolus Haqvinus gente Svedus, ſed Ruſſico habitu forſan hoſtem fallere conatus, dum in cellam arcis incendii fugâ percurrit, ab uno contubernalium, ex amictu Ruſſum eſſe, non mentiri, credente, obtruncatur. Alii qvi eadem cauſſa, in cellas ſe abdiderant, acriter in hoſtem adverſum

pugnan-

pugnantes, inde propelli non potuere, donec Ruſſi deditionem paciſceren-
tur. Qvi itidem Landscronam occupantes, eam à fundamentis diruerunt.
His ad finem deductis, Birgerus jam ævo maturus, inſignia regni Suderco-
piæ capeſſit, eqveſtri honore fratrem ornans Waldemarum. cujus etiam 1302
nuptiæ cum filia Torchilli Canuti tunc fuere. Nec longo poſt intervallo
Torchillus ſecundas nuptias cum filia Comitis Saxonici de Ravensburg
habet. Qvibus celebratis, à Regis fratribus petit miſſionem à cura eorum:
*qvod ætate & animo pares negotiis, in poſterum ipſi rebus ſuis præeſſe poſſent; ille
verò ſenio & laboribus feſſus, oneri non ſufficeret. Aut ſi vellent aliqvem rebus ſuis
apponi, alium viribus & ætate pollentiorem in ſui locum ſufficerent. Se nihilo minus
eorum honori pro virili ſerviturum.* Hoc ejus deſiderium Principes non inviti
accepiſſe viſi, jam hæreditarias poſſeſſiones & regni partem, qvalem ſole-
bant regum filii, expetentes ac potiti, ſui juris de cætero eſſe velle præ ſe
ferunt; absqve certo tamen reſponſo Torchillum dimittunt. Interim ille à
Rege non ſolùm in ſuo munere ſtabilitur, ſed etiam majori armatur aucto-
ritate: ut ad arctiorem regis partibus fidem obſtringeretur. Hanc ejus po-
teſtatem ſuſpectam & inviſam habentes Duces, inito cum amicis conſilio,
moderatorem rerum ſibi capiunt Ambernū ſenatus regni principem. Cæ-
terum regni ſtatus ad hoc incolumis, iſta mutatione non parum inde labe-
factari cæpit. Etenim fratrum animi in diſcordiam trahebantur, & Torchil-
lus, ut qvidā perhibent, deinceps regis magis & propriis, qvàm regni com-
modis ſtudebat: ut regē ſibi devinctiorem redderet, faſtumq; & cupiditatē
elatæ ac ſumtuoſæ uxoris, ſi poſſet, expleret. Unde ad nova onera ſubditis
imponenda Regem incitavit, ſpecie ſupplendi opes fiſci, diviſione hæredi-
tatis inter fratres attritas. Super alia partem decimarum, qvæ pauperum
ſubſidium erat, ad ſexennium in ſuos uſus vertendi, Regi auctorem fuiſſe
produnt. Hoc qvum autoritate ſua cum collegis inhibitum veniſſet præſul
Upſalienſis Nicolaus & monuiſſet Torchillum, *ita regis utilitati conſulere, ne
fama ejus avaritiæ labe inqvinaretur, & cujusvis mancipii nomine vilior habere-
tur; ipſam verò remp. in diſcrimen adduceret,* Torchillus tam liberam commo-
nefactionem indignè ferens, perſvaſit Principi antiſtites in vincula dare, niſi
ſubitò diſceſſu malo caviſſent. Hinc qvantam antea laudem bene admini-
ſtratæ reip. tulerat, tantam poſtmodò invidiam ſibi creavit, & qvamvis jam
prope abeſſet à vitæ fine, tamen haud ipſi absqve offenſione & capitis peri-
culo reliqvum ætatis tranſigere contigit. Interim Magnus Birgeri filius Or-
dinum conſenſu ſucceſſor patri deſtinatur. Mox in nervum erumpit diſſi-
dium inter regem Birgerum & fratres ejus Ericum atqve Waldemarum,
qvod per ſedecim omninò annos malè concuſſit rempublicam. Hoc ita cæ-

N perat

perat. Torchillus Regem cum fratribus invitat in arcem ſuam Aranås in Gothia occidentali ſitam, & ſplendidis epulis excipit. Qvibus finitis,qvum jam diſceſſum pararent fratres,Rex eos revocat, & ex ſuſpicione,ſive cujuscunq; rumoris aura,*ſibi compertum*, ait,*eos peregrè extra patriam cogitare ; nec minus adverſus ſe qvam regnum hoſtilia moliri. Idcirco velle,ut ſi tutò diſcedere cupiant, literas jam in hoc confectas, addito ſigillo prius ſubſcribant*. Principes ſe in anguſto eſſe cernentes, dum multa ad ſe expurgandum dicere tentant,non auditi, confeſtim ore ſcriptisq; tabulis jurare adiguntur, *pedem extra patriam non moturos, nec aulam ingreſſuros niſi juſſu Regis, nec cum majori comitum aut familiæ numero,qvam rex definiat, nihil ſe in regni regis aut domus regiæ ſalutem machinaturos per ſe,vel aliorum opera & conſilio.* Ex intervallo aliqvot dierum, iterum adeſſe juſſi in inſula Wiſingiana Ericus & Waldemarus,ut novis criminationibus reſponderent, Waldemarus regis fidem ſuſpectam habens, non accedit. Solus Ericus paucis miniſtris ſtipatus advenit, regem ſolita humanitate & officio proſeqvitur. Sed ille nihil iſtæc moratus, torvo obtutu eum excepit, & ſtatim aliqvot criminationum capita in eum recitari jubet: *qvod contra Regis edictum extra regni limites commeatum evehi curavit : qvod per provincias armata manu iter habens ruſticis vim fecerit : qvod famulus ejus, regiæ ingreſſu prohibitus, colaphum regis janitori duxerit : qvod aulæ ſuæ magnificentiâ regiam ſuperarit, ſibi in faſtum, oſtentationem & immodicas ſpes, Regi in dedecus, invidiam & metum.* His perlectis, ubi reſponſum parat Ericus, iterum cum indignatione à Rege repellitur, unà cum Waldemaro indictâ cauſsâ proſcribitur, in publicum addictis eorum bonis. Illi primò in Daniam ad Ericum affinem, ubi parum à Rege accepti, magis Birgero, qvam ipſis favente,inde in Norvegiam, ad Haqvinum Regem confugiunt. Ejus humanitate & opibus adjuvantur,caſtellisKungella & Wardbergo illis in receptum datis. Unde graves ſæpe excurſiones in vicinos Svedos & Danos fecere ;qvibus prohibendis Birgerus propugnaculum Gulberg excitavit. Qvin Haqvinus ipſe caſtella conceſſa ægrè à poſſeſſoribus, etiam pace inter hoſtes jam factâ, recuperavit. Tandem cum ſe fratres armis & direptionibus defatigaſſent,intervenientibus amicis,ab exilio inpriſtinũ reſtituuntur ſtatũ, concordia cum Birgero pacta, facti invidiâ in Torchillũ redundante;ut ſolent miniſtri periclitari,ũqv potentes diſſident.Citius enim
1305 interPrincipes offenſos,qvàm inter illos & Torchillũ convenit. Ipſi reconciliati diſcordiæ & odii culpam in hunc,tanqvam diſſidiorũ facem, aut ſuſpectũ conferunt,ejusq; ſangvine expiant.Torchillus enim ob criminationẽ & proſcriptionẽ Principum,velut ipſo inſtigante factã, ob turbarum regni, & tule-

& tutelæ nō fideliter adminiſtratæ inſimulationē,Holmiæ capitis ſupplicio, obliteratâ meritorum gratiâ,afficitur. Filia itidē à matrimonio Ducis Waldemari disjungitur; prætextu cognationis ſpiritualis,ut vocant;quæ tamen 1306
jam inde ab initio nuptiis impedimento nō fuerat. Sed calamitas patris etiā familiæ fortunam adflixit: ut ſubducta columna partes domus ſecum in ruinam trahit. Hiſce nondum exſatiata fratrum odia ſtimulant eos ad injuriam ſibi factam,in ipſo qvoq; Rege ulciſcendam. Dum faciunt nuptias qvibusdam famulorum ſuorum in prædio ſuo Bielboo,in Oſtrogothia,clam emittunt expeditos milites ad regem inſidiis inopinatò circumveniendum. Ipſi Duces ex medio convivio ſine mora ſubſeqvuntur, & famam adventus ſui antegreſſi,in Hatuna, olim aulâ regum,poſtea regiæ amœnitatis ſeceſſu, regem cum regina & regia familia deprehendunt capiuntqve: niſi qvod regis filius Magnus induſtria famuli Arvidi Smalandi in Daniam ad Regem Ericum incolumis abducitur. Birgerus autem Nicopiam traductus,in arctā cuſtodiam traditur,cætera honeſtè habitus. Interim Holmia per Matthiam Ketelmundi,Ducum auſpicio,expugnatur,totumq; adeò regnum ultrò cedit Erico Birgerus. Hoc anno tanta vis & rigor hyemis fuiſſe fertur,in intra omnes inſulas Daniæ & Svetiæ,omnes portus per XIV.hebdomadas,& ultra qvaſi in ſolidos pontes converſi ſtarent. Dum Birgerus ſub cuſtodia tenetur,Ericus Rex Daniæ,affinis ejus,non ſemel cum ingentibus copiis huc accurrit,animo liberandi eum. Sed accinctis ad occurſum Principum copiis, & tandem induciis conventis,negocium in amicam diſceptationem rejectū eſt, primò in comitiis Örebrogenſibus, dein Nicopiæ. Re ſatis agitata de- 1308
cretum eſt,regem è cuſtodia dimitti,eiqve tertiam partem regni,cum inſula Gothlandia dari, duas reliqvas partes Erico & Waldemaro attribui, præteritarum offenſionum oblivione, jurejurando, literisqve firmata.Hæc compoſitio biennio poſt iteratur in Dania Helſingburgi,pacis arbitris Erico rege Daniæ & fratre ejus Chriſtophero,Gerhardo Holſatiæ & Henrico Megapolitano Ducibus. Qvam fida verò concordia ſperanda eſſet ab animo vindictæ occaſioni intento,in proclivi eſt divinare. Fratres Ericus & Waldemarus ſpecie religioſæ peregrinationis exteras oras perluſtrant, ad invidiā declinandam,& Principum amicitias,copiasq; è re parandas.In patriam ex itinere reverſi,matrimonium Ericus cum filia Haqvini regis Norveg. VValdemarus cum Erici regis Norveg. jam defuncti filia pactum conſumant. At 1312
rex Sveonum Birgerus excurrit paullum ad Gothlandos vel VViſbyenſes, otioq; ſe iſtic oblectat. Cum urbis civibus agit,ut ipſi tantum ſpatii in foro piſcatorio concedant, qvantum pelle vitulina contegi poſſit. Illi faciles ad

tantillum loci dandum eſſe. Sed rex pelle, ad exemplum Didonis, in minutas partes diſſecta, illic exſtruit amplam domum, poſtea ex hac occaſione *domum pellis vitulinæ* dictam, regum Sveciæ diverſorium; donec rex Ericus arcem in urbe conderet. Ita domus iſta mercatoribus loco tribunalis &
1313 conventus publici, *burſam* vulgò appellant, ceſſit. Non diu poſt tumultuari cæperunt adverſus Birgerum Gothlandi, ex impatientia novi & inſoliti tributi. Dum eos armis coërcet & invadit Rex, repulſus ſub corylum confugit, & deliteſcit, qvæ inde *Regis Corylus* appellari meruit. Iſtic à ruſticis comprehenſus fermè trucidatus fuiſſet, niſi ad unius deprecationem ſalvus abiiſſet; qvem poſtmodò multum ornavit. In Occidentali Gothia qvidam
1318 motus à colonis duce Buggio regis honorem appetente excitatus, mox ta-
al. men, eo ſublato, ſedatus eſt. Sed hi pravi motus, majorum præſagium fu-
1316 iſſe videntur. Inprimis ingens eo tempore per Svediam fames & peſtis, pluvia ſangvinis ad Ringſtaholmiam, & Motalæ amnis rapidi ſiſtens curſus, atqve paucis ante annis ſpectatus cometa, propinqvi mali triſtes ſignificationes fuiſſe perhibentur. Ericus, licet haud facilè à Waldemaro perſvaſus, & Waldemarus Nicopiam iter tenentes inviſendi fratrem Regem cauſſa, per obvios *ſibi cavere ab offenſo olim rege* monentur. *Se fando accepiſſe, ſi accederent, ipſis malo fore.* Sed illi *in malam rem abire* jubent *vani rumoris geſtores, qvi non niſi diſſidia inter fratres ſerere qværant.* Adeò regis fide confiſi, infeliciter decepti ſunt. Ingreſſi aulam, à rege & regina, acceptam injuriam magis animo qvàm vultu condentibus, perbenignè excipiuntur: eò ipſis gratiores, qvod non invitati aut paratu qvodam allecti, ſi fortè dolus ſic animadverſus declinaretur; ſed in inſidias, qvas ipſis tetenderant, ultrò incurrent. Omnium vultus, verba re facta ad hilaritatem & humanitatis ſpeciem compoſita erant In aulæ qvoqve miniſtris exqviſita officia gaudiaqve apparebant, lætitiæ, blanditiarum & urbanitatis regiæ imitatione: ut in aulâ ex unius vultu & animo reliqvi ſolent confingi. Sed in ſidiæ majores, qvàm qvisqvam arbitratus eſſet, ſub perſonatâ comitate tegebantur. In menſa Duces regio apparatu, opiparis dapibus & poculis rorantibus excepti, neſciebant miſeri, iſtas extremas fore epulas, ferali mox fataliqve fame in fœdiſſimo carcere luendas. Extracto in noctem convivio, cum ſomni tempus inſtaret, in hoſpitale cubiculum ſplendidè exornatum deducuntur. Famulos eorum extra aulam in oppidi hoſpitia partiuntur, ſpecie commodioris ſpatii, & dominorum qvietis non turbandæ; ſed revera, ut domini in anguſtiis deprehenſi, omni humano præſidio nudarentur: idqve conſilio Johannis Brunconis, qvi inſidiarum ſcenam unà cum reliqvis pararat. Hîc non

ſilendus

ſilendus eſt eqveſtris ordinis vir nomine Canutus Porſe, vel, ut alii vocant, Poſe, qvi fortitudinis famâ inſignis, ſed integritatis laude clarior fuit. Hunc adeſſe juſſerat Rex, ut auxilium ſibi præſtaret in fratribus comprehendendis & in vincula tradendis. Sed ille tam atrox facinus horrens, ſic allocutus eſt regem: *Si tibi Rex qvid ingruat mali, nullum pro tuo capite tuendo vitæ diſcrimen averſabor. Sed ad manus fratribus tuis injiciendas, ut nunqvam conſilium dedi nec dabo, ita nec opem feram. Perpende tecum, qvantum hoc tibi dedecus pariturum ſit, ſi vim inferas Principibus, ſi tuis hoſpitibus, ſi, qvod unum ad deterrendum ſatis ſit, tuis fratribus & nova tecum fœderis atq; amicitiæ religione conciliatis: ſi tam immani eos perfidia afficias, qvi tanta fide ad te acceſſerunt.* Hoc reſponſo Rex commotus, eum cum indignatione dimiſit. Nec ille minus offenſus diſceſſit, lictoris manus, & qvidem in tam impio facinore, ipſi commodare juſſus. Mediâ nocte, dum fratres vino & ſopore graves in lecto cubant, nihil mali ſuſpicati, repentino impetu & armata vi in cubile milites irruunt: fruſtra repugnantibus manus afferunt, atqve ex liberis mox captivos è cubili protrahunt. Ita qvi hoſpitaliter accepti erant, hoſtiliter extruduntur. Qvin ipſe 1317
Rex & frater, nefariè rupto redintegratæ amicitiæ vinculo, ſacramenti religione firmato, omniq; ſangvinis neceſſitudine exutâ, inſtinctu uxoris ſuæ, compedes illis injici et in carcerem rapi jubet, etiam miſerorum calamitati illudens: *Numqvid meminiſſent ludum Hátunenſem: hunc nihilo meliorem fore.* Et absq; mora in altiſſimam, ipſis tenebris horribilem, arcis Nicopenſis turrim detruſi ſunt. Ubi tantâ in eos immanitate utebatur Birgerus, ut abjectis in amnem carceris clavibus, eos inediâ, tardo & ſævo mortis genere, conficeret. Dux Ericus poſt triduum non ſolùm fame, ſed & plagis in defenſione ſui, ubi capiendus erat, malè mulctatus, & ſqvalore carceris excruciatus, deceſſit. Waldemarus poſt undecimam demum diem fame enectus eſt. Sunt qvi referunt, fratris defuncti manibus ad domandam famem eum veſci cœpiſſe; alii perfodiſſe carceris ſolum ad duos cubitos, ſi fortè elabi poſſet; cujus rei veſtigia adhuc iſtic appareant; ſed inediâ exhauſtum, labori non ſuffeciſſe. Atrox illud & funeſtum ſupplicium fidem facit effati Corneliani: *Fermè acerrima proximorum odia.* Eqvidem ut mel nimis ſumtum in gravem bilem convertitur, ita propinqvorum conjunctio amorq; nonnunqvam in aſperrimam degenerat iram & inimicitiam, ſi ſe maximè læſos putent ab illis, à qvibus minimè promeriti videbantur aut exſpectabant. Inprimis ſi pietate & animi moderatione excuſſis, trucem ultionem cogitent. Hoc immani facinore adeò exacerbati ſunt animi civium, ut non ſolùm id in patre, Holmiæ & tandem regni finibus excluſo, ſed etiam in filio Magno, paterni ſceleris, uti exiſtimatur, conſcio perſeqverentur. Birgerus ab Erico rege

 Daniæ

Daniæ ſexcentis eqvitum auxilio miſſis & à Magno Birgeri filio adductis, ſuisq; copiis auctus belli aleam fruſtra tentat, à Svecis, Canuto Porſio duce, Sudercopiæ cæſus, pulſusq; in Gothlandiam. At filius Magnus dum omni ope nititur patri laboranti ſuccurrere, expugnata arce Stegeburgenſi, qvam inſederat, & claſſe per Johannem Brunconem ei ſubmiſſa, ſed ab hoſte incenſa, tandem ad pactæ incolumitatis fidem, in deditionem accipitur, Holmiamqve deductus, cauſſâ cognitâ, neqvidqvam fidem publicam, & innocentiam ſuam abſentiamqve in Dania, cum pater ejus fratres cuſtodiæ tradidiſſet, obteſtatus, in inſula, qvæ olim S. Spiritus dicta, capitis ſupplicium ſubire coactus eſt. Johannes Brunco verò cum ſociis facinoris, Ulfone Svalebekio, Ludero Foſſio, & Walramo, qvod fuerant à partibus Birgeri fratri-
1319 cidæ, extra urbem in *monte*, qvi à *Bruncone* adhuc nomen habet, capite plectūtur; corporibus eorum rotæ impoſitis. Defunctorum Principum corpora Holmiæ honorificis exſeqviis in S. Nicolai æde condita ſunt. Arx Nicopenſis ex deteſtatione admiſſi in ea tam funeſti parricidii diruta & ſolo æqvata eſt. Birgero regno patriaq; ejecto, Matthias Ketelmundi princeps ſenatus & præfectus Sveciæ tempore interregni ob perſpectas ejus pace belloqve virtutes, & poſtea tutor Magni Ducis Erici filii conſtituitur. Poſt res domi compoſitas, armis petit Scanios ob ſuppetias Birgero latas & editâ prope Morklangiam pugnâ, victor evadit, trecentis Danorum captis, reliqvis in fugam actis. Birgero apud Danos à Chriſtophoro rege præfectura Holbecenſis & caſtellum Spicaburgum in vitæ ſubſidium indulta ſunt. Ita rex faſtigio ſuo in vilem ſortē, ſed culpâ ſuâ dejectus, alienâ miſericordiâ vivit, cujus ipſe erga fratres oblitus erat, & in exſilio decedit: cōmuni fato ſuperbæ & ſævæ dominationis, ut tandē ipſum feriat authorem: at eò turpius, qvod mereatur.

MAGNUS II. cognomento SMEEK, i.e. BLANDITIIS DELINITUS.

Ducis Erici, inediâ à fratre exſtincti filius, adhuc infans, tres annos plus minus natus, ob meritorum avitorum memoriam, â Matthia Ketelmundi præfecto regni, ad Moraſteenium opportunè populo commenda-
1319 tur. Super humeros Matthiæ & in conſpectum adſtantis multitudinis elatus ita movit omnes, ut rex Svediæ publica voce deſignaretur. Poſtea qvoq; à Norvegis ad regni gubernationem evectus eſt: qvum Haqvinus eorum rex non alios hæredes qvam filiam ſuam, & hunc ex ea nepotem reliqviſſet. Gothlandi itidem ſuos miſerunt oratores, qvi regi ſacramentum dicerent.
1322 Hoc inſuper addit imperio Magni fortuna, ut Scania cum adjacentibus provinciis ipſi accederet, non ſola auctoritate Caroli Præſulis Lundenſis & conſilio

filio Scanenſium, ut qvidam ferunt; ſed ex alia occaſione, qvam ipſi ſcriptores Danici & noſtri annales confirmant. Potuit qvidem hic aliqvid auctoritas Præſulis, & deſiderium Scanenſium, oneroſis ſuis hoſpitibus liberari cupientium, ſed non ſola, ut dixi. Res ita ſe habet. Qvum à Chriſtophoro rege Daniæ, belli mole preſſo, iſtæ provinciæ pro ingenti pecuniæ vi Gerhardo & Johanni Comitibus Holſatiæ pignori obligatæ eſſent, nec ex pacto intra biennium æris ſolutio præſtaretur, milites Holſati iſtic per præſidia diſpoſiti adeò graſſabantur, ut provinciales vim eorum & injurias apud Comitem criminantes, niſi opem ferret, ſe prope excidium eſſe qvererentur. Ille, ſimulac ſibi debitum ſolveretur, ut ſe à vi hoſtium ipſi vindicarent, illis permiſit. Sed cum nec ipſi, nec rex Daniæ tanto æri exſolvendo pares eſſent, conſilio habito obtulerunt Magno regi Svediæ Scaniam, Hallandiam, Blekingiam, Lyſtriam & Huenam pro ſeptuaginta millibus argenti puri ſelibris redimendas. Ille qvamcunqve potuit inivit viam eas recuperandi. 1332
Dimidiam partem decimarum eccleſiæ Magnus in adjumentum corripuit redimendæ Scaniæ, alteram partem ſuppeditarunt ſubditi. Nec eſt, qvod qvidam arguant Scaniæ & adjunctarum provinciarum alienationem, qvaſi injuſtam: qvum Johannes Holſatiæ Comes eas ſibi ſolum pigneratas venundare non potuerit. Nec cum ſolo Johanne Comite Holſatiæ, ſed, mox decedente Chriſtophoro rege Daniæ, cum Waldemaro ejus ſucceſſore & regni Danici ſenatu contraxere Magnus regniqve Svediæ ſenatus: ut ex literis Waldemari IV. liqvet. Qvod ergo deerat poteſtatis Comiti Holſatiæ in vendendo eo, qvod jure pignoris ſolum poſſidebat, hoc ſuppletum & confirmatum eſt Scanenſium & vicinorum, item Waldemari & Senatus Danici conſenſu; & qvidē hac ſevera lege addita, ut ſi rex Waldemarus reſcinderet hunc contractum, Ordines regni ipſi impune obniterentur. Unde ma- 1335
nifeſtum fit, eum contra proprium pactum ire non potuiſſe. Magnus igitur tot provinciis, & ipſo Norvegiæ regno potentior; imò confirmatus conſtitutione Warbergi in Hallandia ab Ordinibus regni de ſucceſſione hæreditaria; ſolenniter inauguratus & coronatus eſt. Sub initia qvidem imperii conſtanter egit & bene rempublicam rexit, præſertim Matthiæ Ketelmundi prudentiâ & curâ. Blancam Gallicam Comitis Namurcenſis filiam ex regia Valeſiorum ſtirpe ſibi matrimonio junxit: qvæ ipſum parentem duorum filiorum Erici & Haqvini, & trium, vel, ut qvidam, qvatuor filiarum fecit. Exſtincto Ketelmundo, Magnus qvum eſſet triginta annorum, & jam dignos viro & rege ſpiritus capere debuiſſet, vitiis palam deditus, alia omnia egit: à qvibus tutoris Ketelmundi reverentia adoleſcentem reti-

nuerat.

nuerat. Maximè ſpreto illorum conſilio, qvos præter ætatem fides & inſignis rerum uſus ei commendabant, iſtorum conſvetudini ſe applicuit, qvi rerum publicarum rudes, & cupiditatis ejus miniſtri, rempubl. cum ipſo præcipitem agebant. In Moſchos (qvi Careliam occupatam, ſibi muni-
1338 mentum adverſus ingruentem Sveonum vim deſtinarant, ſed non absqve contentione Sveonum cum illis de legitima ejus poſſeſſione) qvum arma ſignaqve moviſſet, primo res ei feliciter provenere, Nötheburga arce validiſſima, & velut Moſchoviæ clave, occupata. Qvod verò qvidam ſcribunt ab eo ipſum Ruſſiæ Principem captum eſſe, de ea re nihil in Sveticis annalibus. Sed qvum gens aſtuta deprehendiſſet, qvâ cupiditate capi facilis eſſet Magnus, eâdem haud infeliciter invadunt. Qvippe credulum, rebus ſuis non ſatis intentum, & pecuniæ ſtudio deditum fallacibus promiſſis de redimendo magna vi auri Nötheburgo & ſimul pactis decipiunt. Mox accitis Tartarorum & Lithuanorum auxiliis, promiſſum aurum in ferrum & tela convertunt. Rex in arctum à tanta multitudine redactus, & ſalutem pactioni debere ſe indignum ratus, alacritate & induſtriâ ſuorum, ad flumen Nivam ſolum effodientium, & viam ad mare aperientium, evaſit, relictis in arce præſidiis, ab hoſte poſtea conciſis, & arce recuperata. Qvum de pace inter Svecos & Ruthenos, regniqve finibus iſtic regundis ageretur, Rutheni partem Careliæ loco limitum ſibi etiam conſtituêre conati ſunt. Tandem eâ lege pax inter regem Sveciæ Magnum & Georgium Novogardiæ Ducem conventa eſt, ut Careliam inter ſe dividerent, poſitis limitibus in Syſterbeck & proximis verſus boream iſtic locis. Domi qvietus Rex, violatâ matrimonii lege, ad vagas, & ut qvidam volunt, contra naturam libidines aliaqve dedecora mentem applicuit, non ſolùm ob id adverſo rumore, ſed etiam amicorum monitis & fulmine interdicti ſacrorum Hemmingi antiſtitis Upſalienſis nihil territus. Animus enim cupidine cœcus & vitiis obfirmatus, nec fida conſilia, nec DEI metum admittebat; donec ipſa pœna ſuprà caput ſtaret. Gravis illa & communis peſtis, delictorum ultrix, qvæ paſſim orbem terrarum pervagabatur, etiam hîc ingentem hominum ſtragem dedit: unde qvod *denſaret funera*, vel, ut alii volunt, qvod *intumeſcerent ægrotorum & defunctorum corpora, ceu veneno infecta, denſa vel nigra mors* ſermone patrio dicta eſt. Paulo poſt ſancitum eſt, ut unà cum mercibus regno evehendis, certa argenti ſignati vel non ſignati ſumma in uſum cudendæ monetæ fiſco regio inferretur; pro aliis minutioribus nummis permutanda, & pro qvadraginta mar-
1350 cis una ſelibra argenti. Seqventi anno obiit præſul Upſalienſis Hemingus, ſeve-

ſeverus pietatis cultor & vitiorum caſtigator. Qvum Magnus nondum in
melius ſuos mutaret mores, veriti regni proceres, ne reſpub. cum eo in 1351
præceps iret, & ad novas aliorum ſpes cohibendas, in conſortium imperii
adſciſcunt filium ejus Ericum XII. Pater impatiens ſocii filii, Benedictum
Algothum nobilem, olim miniſtrum ſuum, Svediæ ducem conſtituit. Sed
illum, qvaſi vitio creatum, Ericus ope ſuorum expulit in Scaniam. qvod regina Blanca tam acerbè tuliſſe fertur, ut ejus cauſſa in Daniam proficiſcens,
Waldemari opem ad iſtum hominem reſtituendum, ſpe Scaniæ in ejus poteſtatem per artes redigendæ, ſollicitaret. Eam conditionem lubens amplexus fuiſſet Waldemarus, niſi interim iſte Benedictus in Scaniam ab Erico interimeretur. Hiſtoriæ Danicæ & Norvegicæ ſcriptores ipſum Magnum
qvoqve cum regina & Haqvino filio in Daniam iviſſe & rogaſſe opem Waldemari adverſus Ericum, tradunt. Qvam ſi impetraret, ſe Scaniam ei redditurum promiſiſſe. Poſtmodò ſumtis arbitris Alberto Duce Megapolitano & Adolpo comite Holſatiæ, res ita Enecopiæ compoſita eſt, ut Erico adſignaretur orientalis & auſtralis Gothia, qvam vocant, cum Scania, Blekingia, Hallandia auſtrali & diœceſi Aboënſi; Magnus verò ſibi retineret occidentalem Gothiam cum Gothlandia, Hallandia Boreali, Vermelandia,
Dalia, & Uplandia. Sed ut literæ de Scaniæ redemtione traderentur ſervandæ qvatuor viris ex Senatu regni & qvatuor Epiſcopis, etiam convenerat;
ad præcavendum, qvod metuebant, ne in manus Waldemari redirent. Magnus tamen ut id faceret animum inducere non potuit; à ſe, an Blancâ ſuâ
perſvaſus. Eadem haud prius ſpatium iræ qvietemqve animo dediſſe dicitur, qvàm Ericum, à patre qvaſi publici negotii cauſſa evocatum, è medio
ſuſtuliſſet. Viperini ſangvinis matrem, conſcio patre, venenum advenienti filio miſcuiſſe, communis rumor diſtulit. Eqvidem poſt viginti dies ſpiritum immani feritate proprio filio eliſit. Qvidam ſuſpicantur, naturali
morte exſtincto Erico, ab adverſariis ejus internecionem parentibus affictam eſſe. Alii à plebe infectum tradunt, ob inſolentiam inſectantis homines & vim inferentis, etiam in ſacraria confugientibus: de qvo tamen nihil in annalibus patriæ. Nec adeò veriſimile fit, qvem nuper elegerant
cives regni conſortem, de qvo meliora qvàm de Magno in ſpe habebant,
qvem ob virtutes præ Magno colebant. hunc tam ſubitò commutato animo
tam inſolenter egiſſe, aut à plebe trucidatum & exſtinctum, cum conjuge
& liberis periiſſe. Huic Erico debemus legem de pœna capitis in factioſos
& conſpirantes in ſenatum urbis, & aliam conſtitutionem de vadimonio, in
Codicem juris Civ. Svec. relatus. Eidem Regi Upſalia olim debet ſingula-

rem ſui protectionem, & beneficium paſtus pecorum in prati regii parte pro certo annuo cenſu, ut ex ſeqventibus Regis literis patet, qvæ ex autographo deſcripta, tales ſunt ad verbum. *Omnibus præſentes literas inſpecturis Ericus Dei gratia, Svecorum Gothorumq; Rex ac Dominus, ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis, Nos, viros diſcretos, Nobis dilectos, omnes & ſingulos, civitatemq; Upſalienſem cum omnibus bonis eorum mobilibus & immobilibus ſub noſtra pace & protectione ſuſcepiſſe ſpecialiter defendendos, ſub obtinendâ gratiâ noſtrâ, firmiter inhibentes, ne qvis ipſos vel ipſorum aliqvem præſumat in aliqvo temerè moleſtare ſeu qvomodolibet injurioſe pertractare. Qvia verò cives prædicti pro paſtu pecorum ſuorum, qvem in prato noſtro Föresång, pro tempore habuerant, Nobis & promo noſtro de veteri Upſalia vice noſtra, & nulli alii, per cenſum annuum, dictum Gråsbulle reſpondere conſveverant, ab antiqvo Nos volentes jus noſtrum antiqvum conſervare nobis ſalvum, & ipſos cives ad onera inconſveta minimè obligari. Prohibemus ſub amiſſione gratiæ noſtræ, & evitatione indignationis Regiæ, qvatenus neqvis eorum, qvi in prato prædicto partes aliqvas poſſident, ſeu alius qvivis cujuscunq; conditionis, poteſtatis, eminentiæ aut ſtatus, cives ipſos ad ſolutionem aliqvam inconſvetam in hac parte arctare, ſeu ipſorum pecora in contractis paſcuorum conſvetis inqvietare vel attentare audeat qvovis modo, pro ut ultionem noſtram Regiam voluerit evitare. Datum Upſaliæ Anno Domini M° CCC° LVIII° in die ſecundo Pentecoſtes ſub Secreto noſtro.* Sed Rex Chriſtophorus illis qvoqve remiſit annuum cenſum pro paſtu pecorum ſuorum, de qvo inf. ſuo loco. Inter Magnum verò & regni proceres gliſcit diſcordia, dum hi flagitia regis exemplo non minus qvàm reipſa peccantis, oderunt; ille amicos ſalutaria ſvadentes ferre non poterat. Huic occaſioni imminens Waldemarus, in Scaniam Magnum amiciſſimis literis illexit, *& blandis verbis promiſſisqve lactatum* (unde Magno poſtea cognomen *Smeek* adhærebat) eò perduxit, ut volunt, etſi alii aliter, ut non ſolùm Johannis Comitis Holſatiæ, ſed inprimis literas Waldemari, inconſultis & invitis regni Ordinibus, Waldemaro redderet. Ita Magni fortunâ imprudentiâqve Waldemarus abuſus, qvæ juſtè alienarat, injuſtè recuperat. Nec enim Magno integrum erat, ut blanditiis Waldemari delinitus, provincias auctoritate & pecuniâ publicâ emtas, inſcio Senatu, contra pacta conventa & legem regni, absqve expenſi pretii reſtitutione, pro arbitrio ſuo in alienantem iterum transferret. Nec chirographi redditio, invitis cæteris creditoribus, aut qvorum intererat, facta, illorum jus lædere poterat. Poſtea de hac alienatione inter Sveones & Danos armis ſcriptisqve variè diſceptatum eſt, illis jus ſibi integrum in clandeſtina & illegitima alienatione Magni, & violentâ provinciarum

1361 iſtarum

iſtarum poſſeſſione Waldemari, reſervantibus; his qvocunqve acqviſitionis titulo, & tandem diuturnâ poſſeſſione & temporis præſcriptione nitentibus. Magnus dum animos Svedorum & hoc facinore & aliis adverſus ſe magis & magis irritatos animadvertit, rerum ſuarum diſcrimen metuens, qvibuscunqve pactis auxilium à Waldemaro petit. Qvi properè cum exercitu adeſt, & Scaniam Gothlandiamqve, qvaſi auxilio venturus Magno, armis occupat. Aſt Magnus ob pravas artes, ab Haqvino filio, ut alii volunt, ab aliis, auctoritate procerum, captus, & in arce Calmarienſi cuſtodiæ incluſus, mox à filio dimiſſus eſt. Qvidam Magni imperium Iſraeli Birgeri, præfecti Uplandiæ filio oblatum, ſed ab eo recuſatum volunt: de qvo tamen nihil in reliqvis annalibus. Sed ſpe regni injecta Haqvino proceres fuerunt auctores, ut Henrici cognomento Ferrei, Holſatiæ Comitis affinitate ſe regnumqve contra hoſtium inſidias firmaret. Qvod conſilium ſeqvutus Haqvinus, mittit in Holſatiam Hermannum Witzium, qvi nuptias Eliſabethæ Comitis Henrici filiæ procuraret. Hoc dum feliciter effecit Legatus, cum ſociis jam per mare adducturus ſponſam, navis, qvâ vehebantur, adversâ tempeſtate rejectâ in Daniam, & ſponſa cum Legatis à Waldemaro in ſpeciem benignè excepta detentaqve eſt, donec ille advocatis per literas Magno & Haqvino, parenti filioqve perſvaſit recuſare Eliſabethæ tanqvam humiliores nuptias, & eminentiorem ac potentiorem eligere in regia domo affinitatem. Ita nuptui data eſt Haqvino Margareta Waldemari filia. Sed hoc non minus Sveciæ proceres, qvàm Henricus Eliſabethæ pater, perqvam moleſtè tulerunt: illi ob ſpretum ſalubre conſilium & famæ ex fide rupta labem: hic ob repudiatæ filiæ, qvaſi proſtitutæ, aut eo matrimonio indignæ probrum. Idem Svediæ proceres monet pactorum de filiæ ſuæ matrimonio ſervandorum, ſub exiſtimationis & fidei periculo. Sed illi, qvum pactis ſtare voluerint, alienam culpam intervenientem negarunt ſe poſſe facere ſuam. Ut tamen offenſam Comitis inſigni beneficio placarent, per legatos Nicolaum Sturium, Carolum de Toſta, Ericum Caroli & alios ex procerum ordine, cum Vexionenſi & Lincopenſi præſulibus ei regiam dignitatem obtulerunt. Ille ſenectutis & adverſæ valetudinis excuſatione uſus, eos dimiſit ad Albertū Ducem Megapolenſem vel Mechelburgicum, ut vocant, ſocerum ſuum, qvi ex Euphemiâ Magni regis Sveciæ ſorore tres filios ſuſceperat, Henricum, Albertum & Magnum. Ex qvibus Albertum, Magni ſororis filium, ne familiam egrederetur regius honos, eligendum legati exiſtimarunt. Haqvinum, qvod cum patre conſpiraſſet, præterierunt. Huc connitebantur reliqvi magnates ad Albertum 1363

 profugi

profugi, qvum à rege Magno proſcripti eſſent: qvod eum ad ſaniorem mentem reducere conati fuerant, & de temeraria Scaniæ vicinarumqve provinciarum alienatione liberius admonuerant. Sed qvum Albertus per arma liberaſſet legatos in Dania detentos, de qvibus ante memoratum, & hos viginti qvatuor exules hoſpitio ſuſcepiſſet ac foviſſet, hanc ipſi gratiam reddere voluerunt, ut ejus filio aditum ad regnũ, excluſo Magno, pararent. Qvum autem adverſarii Magni non poſſent, qvod totius populi erat, conſenſum præſtare, nec ipſi ſoli Magnum emovere, Albertumqve ſurrogare: ne qvid vitio videretur factum, pater cum filio ivit in Sveciam, hac de re coràm acturus & populi ſuffragiis totum negotium commiſſurus. Adventante Alberto, in comitiis Holmiæ de novo rege adſciſcendo, & priori, cujus inſanabilis eſſet animus, amovendo, iterum actum & decretum eſt. Qvum ad ſe defendendum Magnus vocatus, pertinaciter abeſſet, nihilo minus regno amotus eſt; qvod mores eum ſui manifeſtè damnare viderentur. Cauſſæ enim amotionis hæc peculiares fuêre: *Qvod in impia, libidinoſa & publicis moribus peſtifera perſeveraret vita, nec ad ſanitatem redire vellet. Qvod Scaniam Hallandiamqve & vicinas oras tanta vi pecuniæ emtas, à corpore Svediæ iterum ſeparaſſet, & in alienas manus transtuliſſet. Qvod injuſtis oneribus ac tributis regnum exhauſiſſet. Leges & juſtitiam, pacta & jusjurandum violaſſet. Pernicioſas regno ſocietates qvæſiviſſet. Qvod regni Senatum evertere in animo habuiſſet.* Hac ſententiâ publicatâ, Magnus communi conſenſu excluſus; qvidqvid etiam ex diverſo obteſtaretur, Albertus in regnum admiſſus eſt. Exſpirante verò cum Magno Erici Smeek, veteri indigenarum Regum familia, magnæ variæqve in Regno Sveciæ mutationes & incom̃oda oborta ſunt: dum æmulatione potentiæ inter ſe commiſſi, qvidam Procerum dominatum, alii extraneum ſibi Regem electione qvæſiverunt; qvorum etiam ſententia vicit, ut jam ante dictum, & in ſeqventibus ipsâ re confirmabitur. Sed ex hac cauſſa, & Regni ad peregrinos translatione non una, inteſtina civium diſcordia, ex hac bella, & tandem metus & periculum exitii Regni, niſi Deus ei per Guſtavum I. benignè ſuccurriſſet, enata ſunt: de qvibus ſuo loco & ordine plura.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. IV.

ALBERTUS.

MAgno regnum non vi eripuit, nec per nefas, ut qvidam volunt, invaſit; ſed conſilio conſenſuqve procerum, & jure electionis occupavit. Non qvidem inficias ire poſſumus, qvod 1362
extorres patriâ, qvi ad Albertum confugerant, de qvibus paulò ante dixi, velificati ſint Alberti honori, ipſius ope ac patrocinio defenſi, gradumqve ejus filio apud ſuos ad regnum fecerint; nec ille forſan ambitu planè liber fuerit. Hoc tamen in comperto eſt, ipſi regnum à Legatis Svediæ, Henrico Comite Holſatiæ eligendi ſortem à ſe ad ipſum remittente, oblatum, & poſteà Holmiam accedentem, in comitiis unanimi omnium acclamatione Regem, emoto ex dictis cauſſis Magno, pronunciatum fuiſſe. Magnus autem fruſtrà armis, qvo exciderat, recuperare conabatur: præcluſis ei arcibus & portubus, qvocunqve moverat. Accedebat etiam hæc animi pœna, ut effuſis lacrymis oſtenderet ſe pœnitenda feciſſe, niſi verius fato ſuo; & lubricis rerum etiam magnarum illacrymarit. Palam ſanè profeſſus eſt; qvum Deus tantum in ſe permiſiſſet fortunæ, ut faſtigio regio dejiceretur, nulli libentius qvàm ſuo propinqvo ceſſurum imperio. Saltem hanc ſibi vicem rependeret, ut ejus beneficio occiduam Gothiam vitæ, tolerandæ retineret. Eâ potitus, nondum tamen adqvievit. Dum enim Albertus abit ad pertinaces tum Finlandos compeſcendum, ille tumultuarium militem ex Gothia, Dania & Norvegia collectum in Svediam ſecum rapit, ambitiosè jactans, *ſe aut totum regnum recuperaturum, aut toto cariturum*; tanqvam nihil poſſideret, ſi totum non poſſideret. Ei Sveones absqve cunctatione adverſa ſigna inferunt, commiſsâ gravi pugnâ inter Enecopiam & Arhuſiam ad pontem, Svecis Öſtensbroo/ in qva, ut in civili bello hoſtes, ne qvidem cognato ſangvini pepercerunt. Victoria
tamen Alberti fuit. Haqvinus ex pugna ſaucius, reſciſſo à tergo ponte, 1365
fugam accelerat in Norvegiam. Pater verò prehenſus, in ſeptem annorum cuſtodiam compingitur, donec filius ejus Haqvinus jam rex Norvegiæ

creatus ingenti cum exercitu urbem arctâ obſidione cingeret, munimentoqve à regio monte dicto in proxima rupe ad boream excitato, Holmiam expugnaret eo ſucceſſu, ut pater ejus cuſtodia ſolveretur, pretio liberationis, duodecim millibus argenti ſelibris promiſſo, pro qvo ſexaginta Norvegi nobiles fidem obſtrinxerunt. Inde Magnus in Norvegiam cum Ha-
1371 qvino conceſſit, ubi reliqvum vitæ egit, clauſitq; infelici fato; dum fretum Bolmefiordam ad Lundholmum cymbâ tranſiturus, ſubmerſus periit. Hæc
1374 ea rerum mutatio ſubſecuta eſt, ut Haqvino paucos poſt annos & Olao ejus filio terra excedentibus, Haqvini uxor Margareta & filia Waldemari regis Daniæ utroqve regno Daniæ & Norvegiæ hæreditatis titulo potiretur. Albertus verò qvum principiis regni juſtè & clementer imperium adminiſtraſſet, exemptiones & privilegia Ordinum non ſemel confirmaſſet, leges
1375 aulicas inſtauraſſet conſtitutionem de pace publica & domeſtica edidiſſet: poſtea non parum offendit civium animos, uti docent literæ Uplandorum ad Gothos datæ: qvod contra leges regni, in qvas jurarat, contra ſuum pactum ſcripto Gripſholmiæ expreſſum, poſthabitis indigenis Sveonibus, ſuis ſolùm popularibus ſtuderet, & ex eorum conſiliis omnia agitaret. Qvod arces & munimenta atqve præcipua reipublicæ munia Teutonibus, etſi rerum Svetiæ ignaris, non Svedis committeret. Cives & agricolæ cauſſas apud Regem vel ejus judices adverſus peregrinos acturi, ſimpliciqve candore audiri rogantes, cum ludibrio rejiciebantur. Advenis verò & Teutonibus ſuis promtè jus dicebat. Generoſas virgines viduasqve, imparium connubio jungebat; ſangvine ſibi propinqvos commentus, ut ſpecioſius eis imponeret, clarasqve familias deprimeret; qvos poſtmodo deprehenſum eſt, ultimi obſcuriqve generis fuiſſe. Non paucos tamen ex ſuis & qvibus favebat, etſi qvidam eorum ſatis viles eſſent, nobilitatis inſignibus ornavit, ut familiæ ſordes detraheret. Obtentu armis repetendi Scaniam & vicinas provincias (qvod etiam, licet fruſtra, tentabat) tuendiqve dignitatem regiam; inuſitata civibus impoſuit, & pro lubitu, onera. Tertium (qvidam decimum) qvodqve prædium epiſcoporum & nobilium ad regias impenſas exigebat, eâ juris ſpecie, qvod eorum coloni, non minus qvam reliqvi ad regiam menſam conferre obſtricti eſſent: & qvod prædia, qvæ poſſiderent, vel ipſi vel majores eorum injuſto titulo, occaſione belli, vel regni vacantis invaſiſſent. Si ſponte nollent hæc onera ſubire, beneficio immunitatis ſe tuentes, invitis per ſuos extroqvebat, una cum qvatuor marcis à ſingulis ad eqvos in belli uſum emendos & dimidiâ parte decimarum Eccleſiæ ad biennium intercepta. Tantis oneribus accedebat, qvod extra-

extraneos, qvos provinciis & munimentis majori cum civium onere præfecerat, amovere dominatu vel coërcere nolebat. Qvoties hoc urgebant proceres, hîc ſurdo narrabatur fabula; non qvidem per ſe adeò difficili, ſed à pravis conſultoribus aliter perſvaſo: qvi non tam Principis & publicam, qvam ſuam rem agebant; & cum Principe rempub perdidiſſent. Nihilominus inteſtinæ turbæ naſcebantur, aliis cum Alberto, aliis cum Margaretha facientibus. In qvo motu etiam Carolus Nicolai Eqves in ipſo 1381
templo Fratrum minorum ad aram obtruncatus eſt à Boëthio Joannis prorege, in abſentia regis, & in fruſta diſſectus: qvorum numerum iſtic refert cippus aut lapis ſepulchro Caroli impoſitus, vel, ut alii referunt, lapilli iſtic ad auſtrum prope aram ſiti. Qvi ſtabant à partibus Margaretæ, ejus opem contra factioſos & Alberti vim expoſcebant. Qvam illa promiſit ea lege, ſi ſe reginam agnoſcant & regni Svediæ Principem. Hoc qvamqvam nonnullos procerum non leviter percellebat, pleriqve tamen qvidvis potius experiri, qvam ſub Alberti imperio degere præoptabant. Itaqve primi ordinis eqveſtris Margaretam datis codicillis pro Regina acceptant: qvorum bona qvaſi perduellium Albertus publico addicit; & ſimul bellum in Margaretam ſuo faſtigio imminentem parat. Ex hac occaſione Albertum, præter Svediam, qvam imperio jam tenebat, etiam Daniam & Norvegiam armis ſubigendi animo, tribus coronis pro inſigni regni Svediæ primum uſum eſſe, qvidam ſcriptores perperam opinantur: qvum illud dicti regni inſigne vetus ſit, poſt alios reges jam ab Erico ſancti cognomine & Magno Birgeri dudum ante Alberti ætatem uſurpatum; uti claris documentis, qvæ adhuc exſtant, probare datur. Sed hæc ab aliis jam ſatis diſceptata ſunt. Rex uſitatis & nuper excogitatis regni ſubſidiis nondum ad impenſas belli ſufficientibus, Gothlandiam eqvitibus in Boruſſia, à cruce nomen nactis, pro viginti aureorum vel roſatorum nobilium, ut vocant, millibus oppignerat. Qvam poſtea Sveones ſub Margareta & Erico Pomerano regnantibus, indicto ab ea ſingulis capitibus duodecim aſſium pro qvolibet cubili cenſu aliisqve tributis iterum redemerunt. His cæterisqve impenſis Albertus, Svedis erga ſe affectu jam languidioribus parum fidens, extraneorum agmina conducit in Saxonia & Holſatia: qvorum duces erant Bugislaus Princeps Stargardiæ, Gerhardus Comes Holſatiæ, Otho Comes Repini, Regi neceſſitudine conjuncti viri acres promptiqve. Nec Margaretæ animus & viri deerant. Qvippe copiarum duces belli gnaros & exercitatos delegerat: judicio hîc virili uſa. qvamvis Albertus eam *monachorum amicam*, qvod abbati Sorano addictior

dictior eſſet, & *reginam absqve braccis* appellaret. Miſerat eidem per ludibrium longam cotem, qvâ ipſam cum gynecæo acus ſuas & forfices potius, qvam haſtas & enſes exacuere juſſerat. qvæ olim in Dania Roſchildiæ in majore urbis æde fixa adſervabatur; nunc autem in templo Cathedrali Upſaliæ ſervatur; juſſu Regis Caroli Guſtavi, qvum Roſchildiam occupaſſet, huc delata, rei ad poſteros monumentum. Votum itidem fecerat, ſe non prius cucullum, capitis regii eâ ætate tegumentum, impoſiturum capiti, qvam reginæ perfidiam caſtigaſſet, Scaniam recepiſſet, Daniam cum Norvegia occupaſſet; unde Hättelöös Sveticè dicebatur. Die, qvi Matthæo dicatus, ad Faloniam Weſtrogothiæ (qvidam Falbogiam vocant) congreſſi, non minus infeſtis qvàm inſtructis eqvitum peditumqve copiis utrinqve depugnarunt. Victoria aliqvamdiu anceps, tandem in reginæ partes tranſiit. Qvum enim Albertus in profundam paludem incautê duxiſſet agmen, unde eluctari arduum erat, occaſione captâ reginæ exercitus laborantes circumfudit, eosqve proſtravit. In exercitu Alberti, præter ingentem militum manum, occubuerunt eqvitum torqvatorum novendecim, duo Comites Holſatiæ & præſul Scarenſis. In exercitu Margaretæ deſiderati ſunt ex ordine eqveſtri octo, præter gregarium militem, & Parovius agminum ductor. Ipſe Rex cum filio in hac clade captus, contemtum & ludibria in hoſtem emiſſa, in ſe ipſum recidere ſentit; dum regina absqve braccis, uti appellata erat, regem braccatum in acie cæſum & comprehenſum ex campo in carcerem agit. Ubi ipſa re experiebatur, caput,
1389 non femora aut braccas imperare. Qvidam ferunt regem, ubi in conſpectum reginæ adductus fuiſſet, ab ea votivo per ludibrium cucullo donatum, & ad ſuſcipiendos de ſacro fonte liberos ex præſule Sorano genitos invitatum fuiſſe. Sunt qvi addunt, regem ejus formâ captum etiam concubitum expetiviſſe; reginam pedibus ac manibus ligatũ in lecto ſuo deponi juſſiſſe Sed de hoc cum nihil in annalibus, in medio relinqvo. Rex eodem die, qvo Magnus vinculis traditus erat cum filio, primi in arcem Bahuſiam Gothiæ occidentali & Norvegiæ limitaneam, dein Lindholmiam Scaniæ munimentum, ubi ſeptennium exegit, qvot ille annos avunculum Holmiæ in cuſtodia tenuerat, captivus abductus eſt. Reliqvi in vincula dati, pro redemtionis pretio dimiſſi ſunt. Inde altercatio inter Gothos & Sveones orta eſt de novo rege eligendo, aut Margareta regno adſciſcenda. Alii verò, qvorum ſententia vincebat, captivo regi, causâ ejus nondum ſatis diſcuſsâ & finitâ, ſucceſſorem dari, à tempore & æqvitate alienum duxerunt. Hæc ergo res in opportunius tempus dilata eſt. Interim Teutones cum

Sveoni-

Sveonibus de liberando cuſtodia rege contendunt. Illi: *Sveonum fidem periclitari, niſi Regem ſuum adjuvent.* Sveones: *A ſe bellum adverſus Margaretam non ſuſceptum, ſed ab illis præcipuè & rege. Ideo hanc rem pertinere ad illos, tanqvam hujus mali auctores. Se exactionibus ita enervatos eſſe, ut vix ſpiritum ducant.* Johannes Dux Megapolitanus ad cauſam regis armis tuendam, eumqve, ſi poſſet, cuſtodiâ eximendum accurrit. Claſſem in mare Balthicum bene munitam educit. Hæc adverſâ tempeſtate afflicta, ſed mox refecta Holmiam rectâ petit, qvæ adhuc regis partes ſeqvebatur. Illam ubi tumultuariâ obſidione, qva tum premebatur, liberaſſet, commeatum infert & militem in terram exponit, qvi pagos & oppida paſſim populatur. Huic ad Tillingiam prope Enecopiam ingens ruſticorum multitudo ſe obviam dat, ut eam vim ferro refrænet. Sed turba ſine capite, vires & minas fruſtra jactans, paſſim conciſa eſt ad collem, *qvi inde mons ruſticorum & mons damnifer* poſtea dictus eſt. Ubi vident Germani Holmiæ degentes, Alberti res in pejus ire, ſecuritati ſuæ metuentes, factionem ſuorum qvos *cucullatos fratres* appellabant, conflarunt, qvorum numerus poſtea ad mille qvingentos excrevit. Hujus mali principium erat ex nationum diſſimilitudine, proprio ſuorum amore, odio & livore adverſus Svedos, privataqve qvorundam utilitate, reliqvis civibus & indigenis, ut credebatur, intercepta. qvod deinceps inviſo, deniqve capto & incluſo Alberto, crevit, inſidiarum adverſus Albertum ſuſpicione, ipſorumqve traditionis in manus Sveonum metu: qvod Margaretæ futuræ reginæ, qvam regi Sveones videntur addictiores: & vires ſumſit ex odiis, rixis, maledictis atqve ulciſcendi cupiditate, extremo diſſidiorum fructu. In libello centum ſeptuaginta cives ad cædem deſignaſſe feruntur crudelis factionis auctores; in eorum numero fuiſſe, qvi ante qvadriennium jam fato defuncti erant. Unde colligunt, hanc conjurationem illos meditatos eſſe, ex qvo Albertus infenſum habuit regni Senatum, jam ad qvinqvennium. In qvadam relatione veteris Codicis MS. Bibliothecæ Upſal. XII. anni exprimuntur. Qvidam & hoc agitaſſe tradunt, ut, ſublatis indigenis ſibi ſolis Holmiam habitandam ſervarent, & in vacuâ dominarentur urbe. Qvodcunqve fuerit conſilii; perqvam atrox, cruentum & omnibus ſanis deteſtandum erat. Unde qvum ad Alberti nondum capti aures accidiſſet, in eo boni regis officium fecit, qvod eos ab hoc immani incepto ſedulò dehortatus eſt, & ſecum feriò cogitare juſſit, qvantum ſuo regno incommodum ex diſcordia ac tumultu creaturi, qvantum ſibi & toti Germanico nomini dedecoris maculam inuſturi, qvantum ſceleri ſuo ſupplicium debituri eſſent, ſi perpetrarent.

incolumi regis dignitate & exiſtimatione, qvieverunt. Sed capto rege audentiores facti, absqve metu exſeqvuti ſunt; nihil curantes, qvod antea re ad tumultum inclinante, cum civibus reconciliati eſſent. Imprimis Regni Senatus hic auctoritatem ſuam interpoſuit, & diſſidentes, per fidei publicæ literas, in inſulam ſanctorum ad compoſitionem vocavit, præcipuè Lambertum Weſtphalum, Petrum Alandum, Adolphum Greverat, Johannem Grönow. Inde Telgas evocati, pleriqve abſuerunt. At Petrus Alandus coram ſe ſiſtens, qvum reliqvos non adeſſe comperiſſet, ille qvoqve domum reverſus, à propriis ſociis proditur, capitur & vulneratur. Unus famulorum ejus cæditur, alteri caput glande plumbea trajicitur. Eodem tempore Albertus Caroli apprehendebatur, & in turrim Stockholmenſem conjiciebatur. Bertoldus Brunius autem fidem DEI obteſtatus, qvod vis & injuria civibus facta non coërceretur, ab uno ficariorum confeſtim haſtâ humi ſtratus, ſauciatus & in turrim compactus eſt. Hac ſævitiâ concitati cives Svetici ſe armant & in forum prodeunt; nec minus Germani; mutuo metu muſſitantes ac proditionis ſe invicem ſuſpectantes. Germani tamen Svecos viribus ſuperiores cernentes, verebantur ne à validioribus opprimerentur. Inter utrosqve tandem convenit, ut qvisqve domum ſe reciperet, & adverſus injuriam captis illatam jure ageretur. Svetici tamen arma non ſtatim depoſuerunt, Germanis parum fidentes. Inde in curiam abeuntes, à conſulibus qvæſivere, *cur dicti viri capti & in turrim conjecti eſſent*. Conſules reſpondebant: *Se non alicujus culpæ eos inſimulare poſſe.* Svetici qvoqve cives adfirmabant: *Si qvi culpæ rei eſſent, prius judicio ſiſtendos & audiendos, nec indicta cauſa, tanqvam damnatos facinoroſos, malè tractandos eſſe.* Ad qvæ Germani: *Se nullius proditionis ſibi conſcios eſſe. Si boni iſti viri injuriâ capti eſſent, jure & absqve vi dimitti poſſe. Se ulterius inqviſituros, num qvis proditionis conſilium agitaret.* Interim Bertoldus Brunius dimittebatur. Mox XXX. Sveonum & XXX. Germanorum in curiam convocati reliqvorum abſentium nomine à Conſulibus jurata ſibi invicem fide reconciliati ſunt. Verum enim verò animis impotentibus & vindictæ cupidis gratia oneri, ultio in lucro eſt. Qvippe conjurantes ſimulatâ amicitiâ & blandis verbis, ſed felle ſuffuſis Svecos duxere, donec inſidiarum occaſio ſe præberet. De qvarum tempore & modo, in Gildonicam domum clam congreſſi, neglecta omnis jurisjurandi religione, conſultarunt. Maturis conſiliis & facinorum perpetrandorum occaſione, ſummo mane diei Lunæ ante ortum ſolis coivere, qvod qvidam vilis conditionis homo, qvi in curia miniſtrabat, ſurgens

gens urbemqve circumiens animadvertit; in curiam retulit, & ut ſibi ab inſidiis conjuratorum in tempore caverent, monuit. Adolphus Greverat, *eos inſidiarum ſecuros eſſe* jubet, *ſenem illum neſcire qvid effutiat*. Nec mora cum duobus Germanis ſenatu evocatis (dimidia enim pars ſenatus urbis olim ex Germanis conſtabat) ſecedens & in aurem loqvens, *jam tempus ipſum admonere* dixit, *armatos ædibus ſuis in forum exire*. Sic primò LX. armati, dein M. ferme mercatores, ſignifero Hemmingo de Dolle in majus forum prodierunt, ibiqve conſtiterunt, donec Ludenius Rytzius curiam clauſam accedens, aperiri rogavit. Apertâ Januâ armatus ingreditur, qvo viſo, ſe captos teneri & prodi ſentiunt: *hoc ſibi diu prædictum eſſe*, adfirmantes *ſed prædicentibus fidem habere noluiſſe*. Greverat reſpondet: *bonos innocentiâ ſuâ fruituros*. cum dicto libellum, in qvo proditores (ita appellabant Sveticos cives) ordine conſignati erant, profert. Prælecto libello licentia comprehendendi Svecos, ubicunqve reperiri poſſent, data eſt. Extemplo impetus fit in ædes civium proprias aut ſacras, in cœnobia, & qvocunqve confugerant. Hinc abſtractos in curiam, & inde minorum fratrum monaſterium, in vincula tradiderunt. Iſtic tres incluſorum, Gregorium Rhodium, Johannem Kabbamagium & Laurentium ab Höyen incredibili tormentorum genere ligneisqve ferris crudeliter excruciarunt: ut per qvæſtiones inveſtigarent, num adverſus Albertum vel Germanos clandeſtinam proditionem molirentur. Illi tamen nihil tale confeſſi ſunt, hujus facinoris reos ſe non agnoſcentes. qvin ſacerdos eorum confeſſioni adhibitus, per ſacra juravit, eos immunes eſſe à crimine, cujus ſuſpecti erant, nec illud profuit. Inde ad proximam inſulam Keplingam (ubi nunc navium regiarum fida ſtatio, & navalia ſunt) noctu abreptos & ædibus incluſos, facibus injectis omnes captivos combuſſere, bonaqve eorum militibus diripienda permiſerunt. Hujus ſævisſimi facinoris juſto dolore non temerè motus Johannes Magnus, in ſua hiſtoria prudenter monet, cum delectu peregrinos & magiſtratus urbis, unde veniunt, bonorumqve virorum commendatione, vel longo uſu probatos, in numerum civium admittere. Qvamvis enim humanitatis ſit, etiam exteræ virtuti & commerciis aperire urbes: tamen cautione opus eſt, ne ſuâ culpâ exſules, & ſcelerati pro bonis irrepant: qvi malis moribus & exemplis rempub. corrumpunt; neve peregrini, jus civitatis adepti, plus poſſint qvam ipſi cives, neu qvid præter negotium ſuum agant; nec majoribus dignitatibus præficiantur. ne ſuſpicionis, invidiæ, odii, factionis & tumultus cauſas utrimqve alant. ut connubiis, artibus, diſciplinâ, conſvetudi-

 ne, ju-

ne juris, fidei & religionis ſocietate mixti, paulatim in morem nomenqve patrium, atqve unum corpus coaleſcant. Qvum qvæ ad liberandum Albertum Principes Mechelburgici tentaverant, ex animi ſententia non procederent; qvinto captivitatis ejus anno ad piraticam qvoscunqve, ſuo qvemqve periculo & lucro, publica voce conciverunt, eisqve borealia regna, præſertim Svetiam ejusqve cives mari peregrinantes & commercantes prædationi deſtinarunt. Roſtochium & Viſmaria prædonibus ſuos por-
1392 tus & oppida, ad dividenda iſtic ſpolia, aperiebant. Gothlandiam ipſi prædones, ut fugæ receptaculum, occupabant. Inviſum omnibus bonis nomen piratarum, ſpecioſo Vitalianorum fratrum, ut vocabant, vel proviſorum annonæ titulo emollire conati ſunt: qvaſi qvi commeatum ſolùm aut annonam colligerent, & in ſua deveherent. Hæc vis piratarum ingenti hominum ſceleratorum concurſu aucta, oceanum & mare Balthicum valde infeſtum & navigantibus intutum reddidit; qvippe absqve duce, imperio, diſciplinâ liberè ad prædandum emiſſa improborum manus, qvibus omne fas & nefas pro luſu eſt, qvosvis impune expoliabat. Captis, qvantum volebant, redemtionis pretium novo cruciatus exemplo in eos edito extorſerunt. Induebant eos ligneâ tunicâ, præacutis intus ſpiculis defixis valde moleſtâ, ita ut nec ſedendi, nec cubandi, nec corpus movendi inclinandive, infeſtis prominentibus clavis, facultas eſſet. Multi vitâ, fortunis, navibus exuebantur, cum ingenti negociantium detrimento. Unde qvi eos conduxerant, non parum inviſi apud vicinos populos fuere. Tandem illa colluvies conjunctis viribus Margaretæ reginæ & Vandalicarum civitatum compreſſa eſt. Holmia tunc gravi fame laborabat, qvam Mechelburgici ad invidiam piraticæ minuendam, maximè lucri ſui cauſſa, commeatu ſublevarunt. Cum Daniæ qvoq; mare tunc infeſtarent, & in gratiâ Margaretæ contra illos irent, qvi pro rege & civitate ſtabant, factum eſt ut acri hieme, una nocte aqvâ glacie obducta naves à frigore & mox ab hoſte obſiderentur. Hugo, dux claſſis Mechelburgicæ, futuri providus, ſuas naves trabibus aqva imbutis & glacie duratis vallavit, ut contra telorum hoſtilium ictus præmuniret. Dani conatu pugnæ nauticæ fruſtrati, terreſtri itinere per mare adoriri naves adverſariorum iisqve machinas, qvas *Catos* appellabant, admoliri, ex qvibus hoſtium militares naves telis impeterent. Qvod præſentiens Hugo, veſperi glaciem circa navium ambitum clam incidi jubet. Mox juvante conſilium fortuna, tenui iſtic renaſcenti glaciei nix ſe ſuperfudit, ut hoſtis nullum diſcrimen adverteret. Admotis itaqve machinis, ubi in locum fraudis deventum eſt, omnes ruptâ glacie demerſi profundum petiere. Nec defuit, ut ſolet, detrimento ludibrium, dum ſublato ex navibus

clamore & cahinnis, dicterio, *Kas, Kas*, qvæ vox *feles*, vulgò *catos*, dictas machinas alludens, ſignat, illuſere pereuntibus. Simulac verò ſoluta glacies deceſſit, cibaria laboranti civitati intulerunt. Seqventi anno legati à Vandalicis civitatibus, ſpe immunitatum ab Alberto & Principibus Mechelburgicis illecti, reginam Margaretam, acturi de liberatione Alberti, qvi jam ſexennium in vinculis erat, acceſſerunt. Uno ex illis, qvi Stralſundenſium proconſul erat, per tumultum interemto, cæteri re infectâ domum receſſerunt. Sed anno proximo reverſi, fidem ſuam interponentibus octo civitatibus, Lubeca, Hamburgo, Stralſundia, Dantiſco, Turino ſeu Thoruniâ, Elbinga, Kerpis & Stetino, Albertum cuſtodiâ dimitti effecerunt his pactionibus: ut Reginæ Albertus ſexaginta millia ſelibrarum argenti (ſeptuaginta millia habet Ericus Upſal.) *pro ſui redemtione ſolveret: aut Stockholmiam illi traderet, cum renuntiatione omnis juris, qvod in Svetiam prætendebat; aut, ſi hoc nollet, in vincula rediret.* Illi viſum, qvamminimo defungi incommodo, pro temporis neceſſitate: qvod parum præſidii in regni proceribus haberet. Itaqve Reginæ, vel ut alii, ſponſoribus tradit Holmiam, ſuumqve in regni poſſeſſionem jus ei reſignat. Qvod autem Crantzius amoti regno Alberti aliorumqve qvorundam Regum, cauſam ponit, perpetuum in Sveonibus nova cupiendi ſtudium; utiqve momenta illarum mutationum & iſtius temporis habitum non ſatis ponderavit. Non qvidem abs re eſt, qvod pertæſum fuerit imperii Alberti: qvum ſatis compertum haberent, eum non, uti fas erat, amare vel cives vel rempub. dum toties contra leges regni per ſe, ſive ſuorum inſtinctu, faciebat, ut ſuperius oſtenſum; Illud tædium non obſcurè exeruerunt, ubi partes regis tandem deſerendo Margaretæ partes ſectabantur. Decuiſſet eqvidem cives pro cauſſa regis ſui, per ſeptennium captivi, magis laborare, atqve, ſi adverſis caſtigatus reſipiſcere voluiſſet, offenſas & ipſi & qvieti reip. condonare; eumqve in priſtinum dignitatis gradum reponere, æqvitatis fuiſſet. Sceptrum enim qvanqvam ſuffragatione hominum Principi traditum, tamen à Deo eſſe conſtat. Non eſt itaqve civium arbitrii, ſi qva offendat Princeps (qvod humanum eſt, in tanta præſertim fortuna) ſtatim excutere ſceptrum illa manu, in qva Deus ipſe collocavit. Nihilominus tam ſtrictè adſeverari neqvit, qvod mutationum adeò cupida fuerit gens Svetica, & faſtidio præſentium Albertum aliosqve qvosdam Principes regno moverit. Fac plebem, diſſenſione vel tumultu diviſam, aliqvando ſic affectam fuiſſe, ſive majore & ingenito deſiderio indigenarum, qvàm exterorum Regum, ſive culpa & inclinatione ipſorum imperantium: qvibus ſemel inviſis, plebs novum reſpicit: ſive privato erga illos odio & invidia conſpectiorum, qvi

1393 (margin, beside "Seqventi anno legati à")

1394 (margin, beside "modo, pro temporis neceſſitate")

etiam auctoritate ſua vulgum trahebant. Rerum tamen prudentiores ſatis ſcivere, non eſſe ex uſu & dignitate regni freqventes mutationes; nec nova imperia ſemper prodeſſe: ſemper qvidem alium, non ſemper meliorem poſſe dari regem; nullo autem, vel incerto, vel improbo, ſecuritatem publicam laborare. At hic animi civium (qvod tam indignè habiti eſſent, ſpretis à rege ipſis; regniqve legibus & inſtitutis violatis) ita exulcerati erant, ut molliora remedia parum apud eos proficerent, & durioribus ipſi obniterentur; jamqve à fortuna ferme deſtitutum regem qvoqve negligerent. Nec tamen à fide penitus, anteqvam ipſe, diſceſſerant. Qvippe caput urbium Holmiam cum nonnullis aliis munimentis usqve ad finem cuſtodiæ Alberti in obſeqvio tenebant: qvo nomine etiam ſcriptis literis eos laudavit Albertus. Sed ubi ad extrema res devenerat, neceſſitati ceſſerunt, & Margaretæ imperium tradiderunt. Accedit, qvod ea qvoqve tempeſtate Principes certis legibus & pactis imperium acceptabant, qvæ ſi ex fide implerent, perpetuo obſeqvii nexu illis obſtricti erant ſubditi; ſi non ſervarent, ipſi qvoqve fidei vinculo ſe ſolutos vi mutuæ conventionis autumabant, nec id ab aliarum gentium inſtitutis alienum eſſe. Albertus autem regno excluſus, in monaſterium Dobranenſe Ducatus Mechlenburgici ſe abdidit, ibiqve procul imperio ætatem egit: hoc ſecurius arbitratus, qvàm incerta ſpe metuqve ſuas & aliorum fortunas in poſterum verſare. Sic extra ſtatum dignitatis in obſcuro conſeneſcens, Gadebuſci obiit & ſepultus eſt, meliore ſorte dignus, ſi, ut cœperat, imperium ex uſu publico adminiſtrare perſeveraſſet.

MARGARETA.

1395 In Alberti locum adſciſcitur Sveciæ regina, jam ante Daniæ & Norvegiæ imperio potita. Prius tamen diverſis certatum eſt ſtudiis inter proceres & populum; his Margaretam, aliis alios regno deſtinantibus. Qvibusdam patris Waldemari filiæqve animus parum in Svedos pronus, occultæqve molitiones, præter inſitum velut & jam flagrans utriusqve nationis odium ſatis cauſæ viſæ ad declinandum Margaretæ imperium. Alii publica, lati ab illâ adverſus Albertum auxilii, cum factâ jam ante à qvibusdam ei ſpe regni; alii privata ejus merita in exules & oppreſſos ſub imperio Alberti cives illorumqve in eam animi propenſionem jactabant. Variantibus utcunqve ſententiis, res tamen eò valuit, ut Margareta Regina Svedorum crearetur: ſed iisdem, qvibus ſucceſſores, legibus: *ne dignitates, munimenta, tribunalia aliis qvam Sveonibus committeret: ne nova onera civibus,*

niſi volente ſenatu populoque imponeret; ut rempub. cum regni ſenatus conſiliis adminiſtraret. Hæc & reliqva regni jura cives non promptius religione ſacramenti, manu ac ſigillo ab ea firmari expetebant, qvàm illa præſtitit. Aura fortunæ ſub novo imperio, ut ſolet, benignior erat, ad famam clementiæ initio magis colligendam qvàm in poſterum,ut fas erat, conſervandam, populi obſeqvium demerendum & potentiam ſtabiliendam; ſed poſteà paulatim mutavit. Indigenis præteritis, excepto uno Abrahamo Brodero Sveco, Hollandiæ & Verendiæ præfecto, cum qvo nimiam conſvetudinem habuiſſe fertur; arces, provincias, aliaq; publica adminiſtranda ſuis Danis tradidit. Ejus facti contra jurisjurandi fidem & literas datas admiſſi â proceribus admonita, cavillando reſpondit: *Vos veſtra diplomata & privilegia bene adſervate. Mihi curæ erit cuſtodia arcium & propugnaculorum.* Non ſatis fuit circumvenire cives, niſi & ludibrio eos haberet. Præter iſtæc tributis exigendis immodica fuiſſe perhibetur. Nova utiq; partim ignobilia, partim invidioſa nomina ab avaris miniſtris reperta; honeſta tamen aut ſpecioſa ad cogendas pecunias videbantur. Certi nummi pro ſingulis jumentorum caudis, pro qvolibet foco & conjugio, præter denarum regium, ut vocabant, pendendi erant. Oneribus exhaurire ſubditos inter artes ipſi fuit, ut magis obnoxios haberet, & opes in Daniam colligeret; qvo fine etiam Henrici præſulis Upſalienſis legatum piis uſibus deſtinatum involaſſe fertur. Fœmina imperioſa, ſupra ſexum cordata, ſolers & rebus intenta erat. Iſtæc patris Waldemari de eâ olim dictum confirmabant: *Deerraſſe in ea naturam, fœminamqve produxiſſe, cum virum deſtinaſſet*, ut Danici ſcriptores de eâ ſcribunt. Animum ejus verſutum non temerè ſuſpectum habebant Svedi, qvibus ſe tandem inviſam duriori imperio & æmulatione adverſus ſuos reddidit. Hoc eò advertebat animum Margaretæ, ut præcipitis ſuæ ætatis cauſa ſe civiliter excuſans, ſuæ ſororis filium Ericum Wartislavi Ducis Pomeraniæ filium, ejusqve ſpem cum annis adoleſcentem proceribus commendaret. Etenim munimentis ex ſua familia, tria borealia regna firmatum ibat. Sed ut ambitum utilitatis publicæ ſpecie velaret, eos cogitare monet, *regnum, absqve turbis, certo tueri ſucceſſore, & tantarum opum acceſſione munire. Si qvid ad ingenii cultum & ætatem deſit puero*, (qvatuordecim tunc circiter annorum erat) *id regiâ educatione ſuppleri; apud ipſos in mores patrios erudiri: teneramq; indolem flexu facilem, ad regni genium attemperari poſſe.* Proceres dominationis arcanum intelligentes, ſollicitudinem ejus de publico laudabant qvidem; ſed intempeſtivam & libertati patriæ præſentiqve regni ſtatui gravem modeſtè deprecati. Qvippe *ſe vivâ & adhuc regnante non alium conqvirendum regem, præſertim*

præſertim in illo regno, qvo per ſuffragia creatio regis iret. Illa, *ſuffragandi arbitrium non inſolito more in certæ ſtirpis & de publico bene meritæ, vel regno cognatæ perſonas, integra libertate poſſe transferri ac diſpenſari* regeſſit. Et aliqvanto vehementior, *illos forte recuſare Ericum,* ait, *qvod ex ejus ſangvine eſſet.* Ne præfractè eam offendiſſe viderentur, in conſilium res vocata, & variè diſceptata eſt. Erant, qvia hac via pravos conſultores, velut publicam regni peſtem, & pejora reginæ ſuggeſturos, niſi mos hic ei gereretur, amoveri credebant; hoc ſolum remoraturos, qvod liberè eligendi poteſtas iſto exemplo arctanda ſit. Alii, ſi aſſentirentur, tantùm perſonam, non fortunam regni in extero ingenio, moribus reginæ pro captu illius jam aptato, mutatum iri, & forſan inclementiora, qvam ſub ea augurabantur imperii fata.

1396 Qvidam affinitate Danis juncti, vel poſſeſſionum apud eos ſuarum diſcrimine perciti, ſed privatum commodum diſſimulantes, commune præ ſe ferentes, tantas vires & trium regnorum ſub uno capite conjunctionem, magnum ad potentiam & ſecuritatem momentum fore monebant. Hi qvum plurium aſſenſum elicuiſſent, tandem ſpem imperii in Erico Pomerano conſenſu ratam fecerunt; ita tamen, ut veteri electionis juri regniqve legibus id fraudi non eſſet. Senatoribus Nicopiam accitis, Margareta cum illis de regni ſtatu egit: *Uti prædia totaqve territoria ab Alberto alienata, ocyus ad regnum retraherentur. Ut munitiones novæ inter arma excitatæ ſolo æqvarentur. Qvi jure & immunitatibus frui deſiderarent, intra ſex hebdomadas ſe ſiſterent, ad jusjurandum ſibi ac regi præſtandum, præteritorum gratia facta. Ut nobilibus regni ſua cuiqve reſtituerentur. Ut de loco & tempore eligendi Erici trium regnorum regis decerneretur.* Actum inſuper, *ut alienatæ æris fodinæ ad regnum redirent. Qvod ſibi dotis nomine Ordines promiſiſſent, ut id ipſius eſſet, qvoad viveret; cum reſidua decem millium ſelibrarum argenti ſumma ipſi ſolvenda; deducto, ſi cui æs alienum deberet: ut prædia regni nobilibus oppignerata redimerentur.* Hæc ex utilitate regni tunc propoſita, maturè deliberata, & ritè definita ſunt non abſqve reginæ gloria. qvam uberiorem hic retuliſſet, ſi ita adfuiſſet commodis Svedorum, ut Danorum: in qvos, ut ſuam gentem, affectu prolixo erat.

ERICUS XIII. POMERANUS.

Rex Svetiæ ad Moraſteenium ſolenni ritu undecimo calendarum Auguſti lectus eſt. Cujus rei memoria lapidi, qvi adhuc iſtic adſervatur, inciſa extat. Priſco more jurat in regni leges, qvibus imperium capeſſit: *de fide Chriſtiana ſincerè amplectenda; de jure & immunitatibus cuilibet ordini integris ſervandis; ut nullis inſvetis oneribus Svedos premat; bella in extraneos non*

niſi

niſi publico conſenſu juſtisqve cauſis moveat; ut imperium ſecundum regni leges gerat, principes dignitates, arces & caſtella non niſi indigenis committat; & qvæ plura leges regni poſcunt. Eodem anno de unione, ut appellant, vel fœdere trium regnorum, Sveciæ, Daniæ, Norvegiæ in freqventi Ordinum conventu actum eſt, & poſt aliqvot annos Calmariæ repetitum: qvod ingens concordiæ inteſtinæ firmamentum & invictum adverſus exterorum vim præſidium fore judicabant. Et fuiſſet utiqve, ſi, ut conjunctio illa communi bono inſtituta videbatur, ita inter plura regna ſtare potuiſſet: ſi non plures diſſentiendi cauſas. qvàm vincula concordiæ habuiſſent: ſi tam bene ingeniis, animis, uſu publico, qvam lingvâ & externis moribus ſingula conveniſſent. Sed unionis capita audiamus, ex qvibus iſtæc præcipua erant; *Ut hæc tria regna unum duntaxat agnoſcerent regem. Singula tamen regna ſuis & domeſticis legibus, inſtitutis ac immunitatibus uterentur; ut præfecturæ, judicia & dignitates publicæ per indigenas cujuslibet regni, non exteros adminiſtrarentur; ut nulla nova lex ferretur, niſi volentibus omnibus; ut Rex quotannis, duobus ex ſenatu ſibi adjunctis, circuiret provincias, & qvatuor menſes plus minus in qvolibet regno ſubſiſteret, ad audiendum cognoſcendumqve deſideria populi. Si qvod bellum inſtaret, omnes conjungerent operam & vires ad illud propulſandum; ita tamen ut qvodlibet regnum ſuis impenſis aleret exercitum, donec ille ad deſtinatum locum perveniſſet; ubi ex communi ærario ſumtus promerentur. Nullum regnum alteri bellum inferret, niſi communi conſenſu. Qvando rex novus eligendus eſſet, qvadraginta procerum cujuslibet regni Halmſtadii convenirent, ut in univerſum ſint centum viginti, qvi hanc electionis viam inſiſterent. Si defunctus rex plures aut unum reliqviſſet filium, ſive magno, ſive minore natu, eum ſibi caperent regem, qvi imperio eſſet maximè idoneus, citra regni & ſubditorum fraudem. Si nullus exiſteret hæres, alius regno dignus eligeretur. Si ne ſic qvidem inter illos convenire poſſet, ex numero centum & viginti duodecim deſignarentur, qvem illi eligerent, regem fore. Nec fas eſſe legere regem, niſi communi omnium auctoritate & ſuffragio. Primas verò ſuffragandi regemqve dicendi partes per vices ituras. Regi non fas fore ex uno regno in alterum ejus facultates, theſauros & archivum transportare; ſed hæc cuilibet regno fore propria & perpetua. Præteritarum offenſarum oblivione ſancita, æternam fore pacem.* Hoc fœdus ſtabile & diuturnum non fuit: dum ſciſſo com̃unis utilitatis nexu, qvi maximè ſervat ſocietates; & hoc vel illo regno ſibi ſtudente, ſingula tandem in partes ivere. Nec exemplo novum eſt, inter potentes fœdera, ut plus vel minus utilitatis aut ſpei inde percipiunt, ita ſanctius vel remiſſius coli: & qvæ publici boni contemplatione bene cæperant, ſi communis reſpectus fiat privatus

aut ſingulorum, infeliciter deſinere, aut diverſas vias inſiſtentia citò diſtrahi. Qvo valeret illud Margaretæ, Erico ſuo ſuggeſtum: *Svetia te nutriet, Norvegia te veſtiet, Dania te defendet*, ſagaces haud difficulter divinabant; nimirum, ut Svetiæ & Norvegiæ fructibus, ſudoribus ac ſervitute,
1397 ſi poſſet, Daniæ regnum extolleret ac ſe tueretur. Idqve primum ſiniſtræ opinionis & diffidentiæ ſemen fuiſſe exiſtimatur: qvod alia deinde mala ex cupiditate privatâ nata magis ſuſcitarunt, ut ſuo commodius loco memorabitur. Anno ſubſeqvuto, qvarto Idus Februarii decretum eſt, ut agricolæ regio cenſui obnoxii, ſive illis volentibus ſive invitis ſua bona eſſent ademta, reciperent eadem intra id tempus & proximum Paſchatis feſtum. Interim ab eorum prædiis & facultatibus omnis vis & rapina abſtineretur; aliaqve in rem utiliter conſtituta fuerunt auctoritate publicâ à ſenatoribus regni & eqvitibus, Guſtavo Magni, Carolo Bååt, Stepha-
1400 no Guſtavi, Torſtano Simonis, Lindormo Johannis & Nicolao Dykerth, item ab Epiſcopo Scarenſi Turdone, ejusqve loci Præpoſito. Annales in anni qvi priorem excepit memoria, ne hoc qvidem præteriere, qvod novi ſeculi initio tam denſi de cœlo imbres Oſtrogothiæ ſolum implerunt, ut fluenta paſſim ſtagnantia aut alveis ſuis magna ſe vi effundentia, molas, pontes, & ſaxa ſecum raperent. Coloni tanqvam fatalis diluvii formidine, paſſim in colles & editiora effugiebant. Iſta verò aqvarum intemperies adverſum frugibus fecit annum. Id mali rediit illi provinciæ his proximis, & qvo hæc ſcribebam anno; non absqve inſigni agrorum hominumqve calamitate. Nec eſt, qvod noſtram, cœli vel aëris injuriæ culpam faciamus. Sæpe tamen ſecuritati ita indulgemus, qvaſi propinqva delictorum pœna nihil ad nos pertineret, aut pertingere non poſſet. Qvin nuper etiam infeſtam his oris luem experti, benigniora tempora ſi ſperare volumus, emendatior vita intercedat neceſſe eſt. Eodem anno Ericus ad ordinandum regiæ ſtatum, leges aulæ ſcriptas iterum publica-
1406 vit. Poſt aliqvot temporis intervallum legitur in matrimonium Erici Philippa, Henrici Regis Angliæ filia, qvam Erici nomine, regio ritu Thuro Benedicti in Angliam Legatus cum duobus Daniæ proceribus deſponſavit & ſolenni pompa in regnum deduxit. Dotem marito attuliſſe fertur unum aureum numum, ſed ingentis ponderis: in qvem plura millia auri conflata eſſent. Fœminam non qvidem improbam fuiſſe annales qvidam teſtantur, ſed gloriæ ſtudio publicarum rerum ſtudioſiorem, qvam matremfamilias decebat; qvod poſtmodum oſtenderit, abſente & inconſulto rege, armatâ claſſe adverſus Vandalicas civitates, qvæ à Lubecenſibus

ſibus & Straliundenſibus acciſa & in fugam data eſt. Unde rex domum reverſus adeò excanduerit, ut indignius eam uterum gerentem tractaret. Illam animi ægram & duros ac ſolutos mariti mores exoſam, abiiſſe in monaſterium Vadſtenenſe; & brevi iſthic exſtinctam & terræ mandatam eſſe conſtet. Ericus rex exſtruere cæpit arcem Wisburgum in urbe Wisbyenſium; qvam ante arx ſita eſſet ad Buſcevicum in alta rupe, uno lapide ab urbe. Cives initio non parum obſtitere, ſuſpicati illam cervicibus ſuis imponi & urbi coërcendæ. Sed ubi rex fidem dedit, 1407
hac eorum libertati nihil detractum iri, tandem permiſere. Incendium Holmiæ, qvo major pars urbis cum qvadringentis hominibus (qvidam M D C. præter ſubmerſas undis fœminas & infantes, & navibus qvas ſalutis ſuæ cauſa conſcenderant, nimio onere depreſſis, periiſſe ferunt) conflagravit, & ſimul tot vetuſti civitatis codices ac diplomata interciderunt, civilis mali qvoddam omen fuiſſe videtur. Margareta ſexageſimo ætatis ſuæ anno Flensburgi ex peſtilenti contagio deceſſit: qvum octode- 1412
cim annos Svediam rexiſſet. Ericus jam ſolus rerum dominus non qvarto qvoqve menſe ex lege pacti in regno Sveciæ aderat, ſed maximam ætatis partem degebat in Dania, vel alibi, externis & non neceſſariis bellis ad- 1424
verſus Holſatos & Vandalicas civitates diſtinebatur: qvibus cives multum adflixit & tributis exhauſit; ingenti etiam cupreæ monetæ vi pro argenteis numis elatis ſubſtituta. Per ſuam abſentiam res hujus regni ex libidine præfectorum agi ferriqve, eosq; ſub umbra regiæ exactionis incolas premere, ſibiqve rem facere, rex parum penſi habebat. Neglectis Sveonibus bene natis & inſtitutis, ſuos evehebat. Henningum Konigsmarchium præ cæteris in aulæ & negotiorum publicorum conſortium admiſit, ejus conſiliis per omnia ductus. Hic auctor fuit Regi de perpetuo provinciarum tributo, non perſonis aut capitibus, ſed prædiis, agris & poſſeſſionibus imponendo: ut ita nemo, qvi res ſoli poſſideret, immunis eſſet; & veteribus ruſticis ac dominis qvocunqve modo deficientibus aut exſtinctis, novisqve ſuccedentibus, tamen Regi nihil decederet: dum onera qvodvis prædium ſubinde comitabantur. Dalecarlis præpoſuerat Johannem Erici Danum, vel, ut alii vocant, Jöſſonem Erici Asdalium: qvi magis tortor provinciarum, qvàm tutor aut rector erat. Non contentus uſitatis ſuppliciorum formis, tam efferatè egit, ut qvosdam virorum jugi ejus impatientes, inter fumi nubes ſuſpenſos atroci lentaqve morte conficeret. Fœminas inſtar jumentorum aratro jungebat. Qvarum nonnullæ ab ipſius lictoribus ſævis verberibus actæ, plagis ſuccumbe-

 bant;

bant; qvædam uterum gerentes, fœtum ante tempus & ſimul animam effudere. Nuptarum & innuptarum pudicitiam promiſcuè violabat. Multos pecuniis crebrò acerbeqve exactis, & fortunis ſuis velut hoſtili præda ſpoliatos, ad nicitas redigebat. Dalecarli ſub hoc onere gemitus, murmura & qverelas edere cæperunt; ſed qvum præfectus eos mendaciis & contrariis ad regem literis eluderet, nihil laxamenti ſentiebant. Tandem ex deſperatione qvò gravius affligebantur, eò magis animos obſtinavere: de excutiendo jugo certi, modò dux & occaſiò darentur. Eſt enim vulgò gens Dalecarlorum inſolentiæ præ aliis inimica; ſed violenti imperii prorſus intolerans. Si qvis nobilium eis præfectus, inſolentius & elatius ſe gerat, in eò potentiam, qvaſi metuendam, ſuſpectam habent. Laborum tolerantes ſunt, ſed & onerum legitimorum; modò jure illis ſuo & operum fructu qvietè uti liceat; nihil per ſe auſuri, ſi humanè habeantur. Ubi vis accedit, & dux factionis, alioqvin qvietos incitans, & ſpecioſa nomina libertatis tuendæ credulis præferens; minore cura futuri diſcriminis, qvàm præſentis injuriæ, viri pariter fœminæq; ad præcipitem ultionem temerè exſurgunt: illi manu & viribus, hæ verbis & incitatione; niſi auctoritate eorum, qvi opinonem integritatis & fidei apud illos habent, aut qvibus dicto audientes eſſe ſolent, ad mitiora flectantur; vel in tempore cohibeantur. Duces ſuos tam conjunctim, atqve ſi univerſa multitudo unus aut pauci eſſent, ſeqvuntur. Tanta enim illis animorum & voluntatum conſenſio ineſt, ut, qvod uni illorum, auctoritate qvadam valenti, placet, hoc omnibus ſtudio & cordi ſit. Certè adverſus tyrannos inter primos libertatis propugnatores fuere. Opportunè ergo ſe adeò preſſis obtulit Engelbertus ex eadem gente natus, habitans in Kåårberg, parvus qvidem corpore, ſed ingens animo, ſolers & acer. Ille qverelas de Iöſſonis ſævitia ad Regem non ſemel defert, maliqve medicinam qværit: etiam fide interpoſitâ ſub pœna ultimi ſupplicii, ſe ſingula accuſationis capita probaturum, modò ipſe & Iöſſo coram audiantur. Rex eam rem tanqvam levem diſſimulat & contemnit; unde tamen, velut ex neglectâ ſcintillâ, ingens poſtea ortum eſt incendum & civile bellum. Ne verò nihil egiſſe videretur, Engelbertum cum literis dimittit ad qvosdam ex Senatu regni datis, de negotio rite cognoſcendo; Iöſſone tamen in jure ſuo & dignitate tuendo. Senatores qvidem, ut rex juſſerat, cauſſæ cognitionem ſuſcipiunt, ſed ad finem ita, ut fas erat, perducere non potuerunt: qvippe nihil in mandatis habentes de jure in reum dicendo; qvod etiam Regi reſcripſerunt. cum his literis redit ad regem Engelbertus, & juſtitiam oppreſſis ad-

ſis adminiſtrari, Ióſſonem ex merito plecti orat. Rex, qvum pertæſum
eſſet viri importunitatis & aſſiduarum qverelarum, eum cum indignatio-
ne & minis faceſſere, nec in conſpectum ſuum reverti jubet. Ille, qva
erat animi libertate, *ſe iterum*, murmurans ait, *ſed aliqvando rediturum*.
Qvum ergo animadverterent miſeri, ſe nec precibus exorare, nec lacry-
mis aliave ratione regis animum flectere poſſe, anguſtiarum verò nec
modum nec finem eſſe, potius oppetere mortem elegerunt, qvam tam
indigna ultra pati. Qvid fit? convenit inter illos, viritim lecto milite,
arma ad ſe ſuosqve à præfectorum ſæva dominatione defendendum cape-
re. qvo animo ſibi ducem ſumunt Engelbertum, etiam à præſule Upſali-
Johanne Haqvini (qvi obiit A. M.CDXXXI. hîc in templo Dominicano ſe-
pultus, ut ex ejus monumento conſtat) in ſuo propoſito confirmatũ, & cum
eo arcem Arhoſienſem primum aggrediuntur. Hic nonnulli Senatorum
illis occurrentes, eorum animos mollibus conſultis ita placarunt, ut qvi-
eſcerent; Ióſſoni tamen ſe deinceps obnoxios fore negarent. At ille
hac velut contumelia irritatus magis aggravare miſeris labores & ſa-
xum oneri addere, ut dici ſolet, pergit. Proinde iterum ad arma accingun-
tur; ac Senatu denuò interveniente, ea deponunt; hac tamen lege, ut
Ióſſo præfecturâ ſtatim emoveretur, eaqve commendaretur comiti Ever-
ſtenio; Rex verò ex fide promiſſi juſtè regnum adminiſtraret. Cæterum
qvum ne ſic qvidem rex mitigatus, adhuc ſæviora illis minaretur, ar-
ma tertiùm rapiunt; & junctis animis omnes extraneos populo domi-
nantes præfecturis expellere conſtituunt. Nec mora, Borganáſam 1433
& Cópungiam arces diruunt & ſolo æqvant, præfecto Ioanne Walio vix
elabente. Mox adductis in ſocietatem belli Weſtmannis, Engelbertus
cum illis & reliqvis copiis Arhoſiam petit. Ei obviam factus Melchior
Gothardus, ab Everſtenio arci impoſitus, nihil mali ſuſpicatur. Arcem
tamen Engelbertus ſibi dedere jubet: qvod pactus unius diei moram,
illicò fecit. Engelbertus eandem Nicolai Guſtavi, Erici Pukii patris, fi-
dei committit. Inde Eqveſtrem ordinem & omnes Uplandiæ incolas, ad
præfectos ſuperbè dominantes conjunctis armis regno exigendos, horta-
tur. qvod ut facilius obtineret, tertiam tributi partem agricolis remiſit;
reſiduo in belli nervum ſibi ſervato. Ad Ericum Pukium genere & armis
clarum, qvi tunc apud Norlandos Corsholmiam arcem tenebat, literas
ſcripſit, qvibus *eum pro Sveco & viro, ut hactenus, facere monet, & ad ſalutem
ac libertatem patriæ defendendam juxta cum ipſo conniti.* Is proclivis ad
obſeqvendum, manum cogit, eiqve præponit Elaum Diaconum, qvi

vocatis in partes Helſingis Faxaholmiam expugnat ac demolitur. Aliud agmen ductore Johanne Folchonis Ericus in Alandiam emittit, qvod Caſtelholmum obſidet. Illam arcem tunc tenebat fœmina nobilis Ida Gladſaccia, qvæ ejus tutelam Othoni Pougeviſco tradiderat. Sed is lingvâ qvàm manu promtior, haud exſpectâ primâ incurſione, vitæ incolumitatem pactus, eam hoſti tradit. Hæc cum Ericus in Norlandia patraſſet, ad Engelbertum ſe confert. Inde Gripsholmiam cum Sudermannis excurrens, Hartvicum Pflugium arcis præfectum ſola acceſſus ſui fama ſic terret, ut arce incensâ Stockholmiam properâ fugâ peteret. Engelbertus mox etiam aggrediens urbem, eam poſitis in adverſo Brunconis monte caſtris obſidione cingit, & Johannem Crôpelinum arcis præfectum deditionem facere jubet. Sed ille conſtantis fidei animiqve illud à ſe fieri poſſe negat: arcem in regis manus, à qvo accepiſſet, reſignandam. Urgente Engelberto, tandem res in Novembris proximi diem undecimum rejicitur; ſi interim de pactione conveniret. Inde Engelbertus Almerſtekiam, ut qvidam volunt, in tranſitu occupans, Örebroam pergit, qvam Ketelbergius tuebatur. Is arcem in poteſtatem ejus permittere juſſus, ſe traditarum fidem dat, niſi intra ſex hebdomadas auxilia ſubmittantur. Agmine Nicopiam deducto, ſimile fert reſponſum ab Alberto Styggæo arcis cuſtode. Ringſtaholmiam porrò contendens, dum minus facili Henrico Styggæo præfecto, arcis oppugnationem, propugnaculo ſuper aqvas ingenioſè exſtructo, molitur, ille qvinqve dierum inducias paciſcitur.
1434 Interim conventu ad Wadſtenas edicto, Engelbertus partem copiarum obſidioni relinqvit, & ad conventum ſe recipit. In comitiis Wadſtenenſibus regni Senatores de civili motu componendo agunt, Engelbertum ab inſtituto ſuo dimovere conati, à *Regis obſeqvio, ſi delinqvat, non illicò diſcedendum eſſe, diſſerebant: qvod ſi fieret, nullum imperium ſtabile fore, qvem enim Principum magis, qvàm cæteros mortales, communi infirmitati exemtum eſſe? Nec plebis eſſe, de regis actionibus promiſcuè judicare, aut illius deſtituendi licentiam temerè uſurpare. Ne qvidem privatorum ſocietatem diu permanſuram, ſi admiſſis eorum nulla eſſet venia ſperanda. Qvin regi ſubjectos oportere, ſi ſtare regnum velint, etiam durius imperium qvieſcendo, ſi poſſint, mitigare; ſi non poſſint, velut delictorum pœnam patiendo tolerare. Certè præſtare unius qvàm multorum experiri dominatum.* His reſpondet Engelbertus: *Sibi in animo non eſſe rebellare regi, aut qvid incivilius attentare, ſed libertatem patriæ, qvæ jam ferme animam agat, contra vim dominantium tueri. Sveones non more pecorum aut mancipiorum tractari velle, ut ſibi regis præfecti perſvaſerint. Qvos ſi ad miſerorum efflagitationes rex coercuiſſet, his*

armis

armis opus non fuiſſe. Nec ſe aut commilitones perfidiæ culpam mereri: qvum eorum jusjurandum illigetur regis jurisjurando. Regem verò primum juraſſe, ſe regnum ſecundum leges publicas, & patriæ inſtituta adminiſtraturum: munitiones atqve arces non niſi indigenis crediturum. In qvibus qvum fidem datam haud ſervaſſet, populo ab ea qvoqve recedendi Regem ipſum tanqvam auctorem vel tacitum fuiſſe. Poſtqvam ſenatus regni nihilominus in fide perſiſtendum urgebat, Engelbertus verbis minas adjecit, publiceqve edixit, *omnes libertatis patriæ deſertores pro hoſtibus publicis eſſe habendos.* Hoc edicto territos in partes ſuas etſi invitos traxit, eosqve ab obſeqvio & fide regis in ſuam abire coëgit. Inde regreſſus ad Ringſtadholmiam, ad deditionem cum Stegeburgo compellit. Oſtrogothos Ståkeholmum obſidere jubet: qvod cum Lago Rudius Danicæ gentis acriter defenderet, induciæ in Novembrem convenerunt. Romblaburgum, Trulleburgum & Pickisburgum Hermannus Bermannus Oſtrogothorum ope expugnat & incendit. Engelbertus Örebroam recedens, pro mille ſelibris argenti à præfecto Ketelbergio, qvi illam fortè pro mutuo data pecunia à rege pignori acceperat, redimit arcem & in ſuam fidem accipit, mox etiam Axelvaldiam. At Vermelandorum animis in fide confirmatis, per eos & ducem Petrum Ulphonis Edsholmum, Daleburgum & Agneholmum expugnat. Oppenſtenium & Öreſtenium igne immiſſo exurit. Hinc in Hallandiam movens, ſeptentrionalem Scaniæ partem in ſuam poteſtatem redegit; nec minus Vardebergam, Falchenburgum & Halmſtadium. Ad defenſionem exciti Scandii cum expedita manu caſtra ad Lagaholmum locant, pugnæ fortunam experturi. Nec prælium abnuebat Engelbertus, niſi medius fluvius caſtra ſecans, illud impediviſſet. Itaqve pace utrinqve facta, in Svediam revertitur. In tranſitu verò tam caſtigatâ diſciplina coërcuit exercitum, ut ſine maleficio progreſſi, ne gallinæ qvidem pretium cuiqvam auferrent. Conventu ad Upſaliam indicto, Rex Cröpelinum, arcis Holmiæ præſidem in ſua abſentia rem ex fide agere jubet. Interim ab otioſis, ex occaſione tot everſarum ab Engelberto arcium Eqveſtris ordinis diſceptatur, utrum eæ regno magis proficiant, an obſint. Sententiæ in diverſum eunt, his contra vim hoſtium tot arces valere, illis rebellium, qvibus in Principes armentur, receptacula & præſidia eſſe, adfirmantibus. Aut absqve hoc ſit, adverſus vim hoſtilem tot munimentis intra patriam naturâ munitam haud opus eſſe, ſi limites portusqve regni validis propugnaculis hoſtem excludant. Alii, qvorum potior ſententia, contendebant, in fide Regis & populi præcipuam regni ſecuritatem ſtare. Ubi rumor ad Regem ſucceſſus Engelberti tulit, expergiſcendum ſibi ratus, arma parant, & Holmi-

Holmiam cum expedita claſſe contendit. Sed gravis procella naves & cum illis vires regis admodum adflixit. Ipſe vix periculo eluctatus, Holmiam accedit & ſimul ab hoſte obſidetur. Mox pactus colloqvium, violatæ fidei cives increpat. Illi ab hac criminatione ſe purgant, paratos ad omne obſeqvium conteſtati, ſi rex in ſuperbos & avaros animadvertat, & fidem illis ſanctè datam ſervet. Rex indignè ferens ſibi legem à ſubditis dici, *vilem fore Regum fortunam* ait, *ſi à ſibi ſubjectis in ordinem cogantur.* Iſtis hic inde jactatis, conventum de unius anni induciis, & Holmiæ præſidio ſexcentorum impoſito, Ericus in Daniam reverſus eſt. Poſtea in comitiis Arbogæ habitis, Engelbertus *gubernator regni* à populo renunciatur, poſitis in qvalibet provincia præſidiis ac præfectis, qvi providerent & occurrerent, ſi qvid diſcriminis immineret. Interim literæ Johannis Cröpelini adferuntur, qvibus unà cum Boruſſiæ magiſtro, nomine regio Senatum rogabat, ut conciliationem cum rege admitteret. Proinde etſi ſatis injuriarum paſſi, tamen placidæ compoſitionis viam haud refugerunt: judicibus à ſtudio partium alienis rem commiſſuri. Mox conſignantur qvædam capita, in qvæ conveniretur. Ea ubi rex inſpexit, re cum ſenatu communicatâ, trium regnorum proceres Halmſtadium convenire jubet. Ubi decretum de ſumma rei duodecim Senatorum interventu Holmiæ agitare, pactis interim induciis, & Hollandia cum oppidis & arcibus Erico re-
1435 ſtituta. Poſtqvam Rex & Senatus freqvens Holmiam convenere, & præſentes & per libellum regem adeuntes, qverebantur, *dum abſuiſſet rex Sveciâ, neglectam jacuiſſe juris adminiſtrationem. Inde ſubditos cum impenſis & incommodis haud exiguis neceſſe habuiſſe foris qværere judices, qvos domi in promtu habere par fuiſſet. Sed abundè improborum præfectorum domi eſſe, qvi reverſos carcere, pecuniâ, corpore plecterent. Senatui autem regni magis animum qvàm facultatem oppreſſos juvandi ſuperfuiſſe: qvum plus poſſent, qvi minus debebant, & parum ſubditis volebant. Eorundem crimen eſſe devaſtatos pagos, monetam extra fines translatam, auctis interim novis & intolerabilibus tributis: qvibus externa bella, nihil ad ipſos pertinentia, in gratiam regis alerent, regnum verò ac ſe ipſos exhaurirent. Præſules ſacro motos loco, alios invitæ Eccleſiæ obtruſos. Regni item munitiones ac provincias exteris eſſe commiſſas, ut indigenas premerent.* His auditis Rex ſpecie reſipiſcentis, qvæ vellent, ſanctè promiſit. Satrapas & præfectos, qvi publica & aulam curarent, ex eorum ſententia conſtituit: Chriſtiernum Nicolai Drotſetum, ut ſua lingva principem Senatus appellant, Carolum Canuti regni Mareſcallum; non tamen ita ſolenniter, ut decebat. Chriſtierno gladiolum, qvaſi puero, Carolo album baculum, qvaſi canes

abactu-

abacturo tradit; qvum tamen moris tunc eſſet, per annulum aureum à ſcipione pendentem creari; ut refert Ericus Upſalienſis. Sed ille deriſui ac ludibrio non tam munera, qvæ ſunt eminentia, qvàm perſonas, qvod Svetici ſangvinis eſſent, habuit. Mox univerſo regno in ſuam poteſtatem accepto, fidem jurejurando iteravit. Sed & populus renovavit fidem ante præſtitam, hac lege, *ut pleraqve regni munimenta indigenis traderentur, paucis exterorum fidei relictis; ut cives deletâ præteritorum memoriâ ſub imperium regis concederent.* At Ericus, non ſecus ac ſi jusjurandum eſſet fallaciarum latebra, mox ad ingenium redit. Proceres partim per Danos & alios, partim ipſi rogant regem, *ut in memoriam ſibi revocare promiſſa & quæ in medium ex ejus regniqve bono conſultarant, amplecti ne gravaretur, & publicam pacem ac ſalutem tot civium ſangvine tantoqve ſudore partam & ſacramenti religione confirmatam, aliqvando intemeratam ſervaret.* Rex cum indignatione reſpondet: *Sibi non placere illud Ais ajo, negas nego; ſe nolle ad illorum nutum vivere, ſed arbitrio ſuo recturum. Eſſe contra Principis eminentiam, inſtar privatorum jurejurando obſtringi.* Sed illi contra exiſtimare: *Non indecorum eſſe Regi, in illis, qvæ publica utilitas ſvadet, accedere ſententiæ amicorum: qvum unus acie ingenii complecti omnia neqveat, & ſapientum conſilio rectius tutiusqve remp. adminiſtret; qvod nec ſapientiſſimus regum Salomon abnuerit. Veram eſſe libertatem, juratis regni legibus, ut imperii normæ, ſuas actiones attemperare. Et qvid fore qvod regem adſtringat, ſi non fides? Sacramentum verò nihil detrahere ejus exiſtimationi aut ſupremæ poteſtati, ſed potius illam firmare: dum cives de ſua erga eos fide, animo & benevolentia hoc ipſo certiores reddat; & cives eidem de ſuo erga ipſum amore & obſeqvio pari jurisjurandi religione caveant: qvod ſit optimum animorum vinculum. Qvò major autem eſt Princeps ſubditis, qvibus jurat, qvò major Principe Deus, qvo teſte & judice ille jurat, eò religioſius ipſi ſervandum eſſe, qvod jurat. Cives itidem Dei reverentiam, conſcientiæ legem, & ſubjectionis vinculum ad id obſtringere.* Sed ille ſuo non deſiſtens animo, objurgabat eos, qvod ab Engelberto patrata, ab illis adornata eſſent. Inde Cröpelinum nimis in Svecos, ut ipſi videbatur, propenſum à præfectura removet, & ſubſtituit Ericum Nicolai Danum cum qvingentorum præſidio. Eodem anno Engelbertus ad Telgas latam altamqve duci foſſam curat, ut itineris compendio naves trajicere poſſent ex Melero Uplandiæ Lacu in Oceanum. Sed poſtmodò deſertum eſt ab aliis nobile inceptum, tanqvam nimis ardui moliminis: qvum ingentia in terræ viſceribus ſaxa, velut adverſante natura, altius fodientibus obſiſterent. Ordines regni ſe mutuâ fœderis lege obli-

garunt ad tuendum patriæ jura ac libertatem: ut ex ſcripto diplomate
1436 Sudercopiæ dato patet. Arbogam iterum conventus indicitur, in qvo Senatus regni decernit *obteſtari regem, ut liceat illis frui jure ac libertate ſua. Si ſecus fiat, ipſos fidei nexu & obſeqvio regis ſe cogi exſolvere.* Ubi famâ accepere, Regem Holmiam adventurum, atqve unà Bugislaum patruelem, qvem ſibi ſucceſſorem deſtinarat; jamqve à præfecto arcis jurisjurandi fidem acceperat; oppidani clam Engelberto rem aperiunt, & ad Holmiam in ſuam poteſtatem redigendam exhortantur; ne idem nunc malum illis accidat, qvod ſub Alberto rege. Engelbertus collectâ manu cum aliqvot regni proceribus Holmiam properat. Sed ingreſſuri urbem excluduntur à præfecto arcis. Itaqve civium ope effractis, portarum repagulis ingreſſum ſibi vi fecerunt, & impoſito perticæ pileo, hoc veluti publico ſigno cum civibus amicè acturos indicant. Hîc paucis exceptis, tota civitas in Senatus regni & Engelberti partes tranſiit. Qvi munitâ, ubi opus erat, urbe & expulſo inde peregrino milite, nova Sveonum præſidia arci imponit. Mox ad præfectum arcis mittit expoſtulatum cum eo injuriam excluſionis ab urbe, & qvod exploſis tormentis hoſtilia ipſi intentaſſet: qvum tamen non niſi pacem in tuto locandi & placidè de ea cum illo agendi ſtudio acceſſiſſet. At poſtqvam præfectus ferocius reſpondit, Carolo Canuti, qvi nuper unà cum Engelberto regni curator electus erat, & Erico Pukio oppugnandæ arcis negocium datum eſt. Engelbertus verò Nicopiæ, Stekeburgi, & Calmariæ aliasqve arces iterum exterorum cuſtodiæ à rege traditas invadere tentat. Blekingiam verò in Svediæ ditionem redigit, eiqve præfectum Nicolaum Langium imponit. Inde ad Scaniam impugnandam ſe convertit. Sed à Petro Oxio ejus præfecto repulſus, Laholmiam, Halmſtadium, Elsburgum deditionem facere cogit. Mox Vardbergam, Axevaldiam, aliaqve regni munimenta proſpero ſucceſſu recuperat. Qvædam, ut ſeditioſorum receptacula, demolitur. Sed in medio victoriarum curſu morbo retardatus, ubi curandæ valetudinis cauſa Örebroam, & inde publicorum cauſa Holmiam tendit, in exitium inopinatò ruit. Etenim Benedictus Stenonis, vir ordinis eqveſtris, impetratâ fide publicâ, eum Örebroæ conveniens, de ſua filiiqve, ob crimini ipſis datum Danicarum partium ſtudium, proſcriptione, graviter cum eo contendit, injuriam ſibi factam obteſtatus, ad innocentiam ſuam provocat. Amicis ſe interponentibus, tandem ita convenit: *ut Benedictus in proximo Holmiæ conventu ſe purgandi cauſſa adſit. Interim ſecuritate publicâ cum filio ſuo fruatur, nec ullam*

ullam noxam Engelberto inferat, aut ulli ſuorum noceat. Ita Engelbertus ſui & adverſariorum ſecurus, iter ſuum tenet. Sed impendentibus tenebris, in peninſulam Göksholmio vicinam pernoctatum divertit. Qvo comperto, Magnus Benedicti filius eò cymbam appellens, infirmum & inermem obtruncat. Necis reo non ſolum impune fuit, ſed etiam Carolus Canuti, regni adminiſtrator à morte Engelberti factus, eum literis fidei publicæ munivit; edictoqve cavit, ne qvis hoc facinus in crimen vocaret; qvaſi Engelberti cædes tam vilis fuiſſet, aut, ut nonnulli volebant, qvaſi rebellionis aut perduellionis pœnam Regi dediſſet. Alii tamen à rebellionis culpa liberatum eunt Engelbertum: qvod poſt toties commendatam à Senatu regni plebi & ipſi duci qvietem ac patientiam, (ut ſupra memoratum) ſed nimia dominantium vi tandem turbatam & irritatam, arma cum ſuis neceſſaria corripuerit, ad defendendam à præſenti excidio patriam. Si verò juſtæ defenſionis modum haud per omnia ſervarit, qvod negari neqvit, qvid mirum eſt in armis inteſtinis? qvæ ſemel mota, difficulter intra limites cohibentur; & plebs concitata facilè à ſcuto ad enſem proximam manum extendit. Utcunqve eſt, hanc ei vicem, etiam fide utrinqve datâ & acceptâ, ſic reddi, omnibus indignum exiſtimabatur: qvod publici etiam monumenti defuncto Örebroæ poſiti elogio cives ad poſteritatem conteſtati ſunt. Qvin ipſe reus, qvum perpetrato jam facinore in ſe deſcenderet, ejus gravi dolore usqve ad vitæ finem affectus dicitur. Ut ſolent fœdè admiſſa, qvum non amplius infecta ſunt, animum ad ſanitatem reverſum ſeriò excruciare; qvæ, anteqvam fiant, non, ut par erat, penſitantur. Imperii moderationem aggreſſo Carolo Canuti, mox excitabantur invidi & æmuli, tanqvam inter æqvales. Præterqvam qvod freqventes ſibi clientelas in illa fortuna adjungebat, & numeroſam familiam alebat, ſuper alia invidiæ irritamenta, multos qvoqve Nobilium miniſtros, ſatellites & milites famâ munificentiæ à dominis ad ſe per ſuos emiſſarios pelliciebat. Qvos Ericus Pukius acer animi & fervidus, primus ejus æmulus, *canes ſagaces ac venaticos Caroli* appellare ſolitus, eum monuit, *canes iſtos domi ſuæ tenere; ne ita, ut mererentur, excepti, infauſtè domum redirent.* Eidem aliisqve nonnullis Nobilium aliqvando qverentibus; *ſibi ſuas non ſufficere opes, ad tuendam decorè familiam ac dignitatem; nec, uti fas eſſet, dignam meritis gratiam referri*; reſpondit Canutus: *Ne pedes ultra ſtrata porrigerent; neve majores nido pennas extenderent;* haud perplexè vellicans eos, qvaſi majores ſumtus, qvàm pro modo facultatum & conditione ſua facerent. Hoc illos & imprimis Ericum mordebat. Itaqve creſcente ſimultate, Carolum

lum ſuperbiæ, ſævitiæ, avaritiæ palam criminati, qvi beneficia & fructus regni præcipuos in ſuos uſus converteret, aliis aut nunqvam aut rarò concederet. Ne hæc potentiorum altercatio novas patriæ turbas daret, interventu Senatus conciliantur. Sed Ericus animo ultionem ac res novas meditante, ſimultatem nondum bona fide exuerat. Emiſſus à Carolo publicorum negotiorum causâ, factioſorum manum cogit. His ſpecioſo commento perſvadet, *Carolum illorum vitæ & fortunis inſidiari: quos ipſe contra vim hominis defenſurus eſſet.* Qvum obſeſſa Nicopia ad deditionem compellenda eſſet, rogavit Senatum, *hanc ſibi provinciam mandare; Caroli, ut civilis ſtatus gnari, operam magis in pace domiqve neceſſariam eſſe.* Nimirum ſpecie togatorum honorum eum belli curis abſtrahere, ſe ipſum rebus majoribus inſerere conabatur: nihil non movens, ut more alta, ſed non recto itinere ſpirantium, Caroli potentiam infringeret, ſuam attolleret, ad regiam qvoqve, ſi poſſet, fortunam. Qvum hoc artificium fruſtra tentaſſet, eum per ſuos inſidiis aggrediebatur. Hereſtekium demerſis obſtruit ſaxis, ut navigiis ejus inutilem reddat tranſitum, & alliciat eum Telgas, in claſſes ibi deſtinatas. At Carolus Hereſtekio repurgato, ſalvus Holmiam evadit. Ubi poſtea Ericum epulis exceptum & vino ferme depoſitum, impeditæ viæ rogat cauſam. Ille, vino operta detegente, magnificis & elatis verbis, re qvaſi bene geſta, liberè jactat; *Nulli lucio, Stocholmiam & Calmariam inter, pelago oberranti tot unqvam caſſes aut hamos poſitos fuiſſe, qvot ipſe Carolo ſtruxiſſet inſidias.* Carolus offenſam premens, ultionem occaſioni ſervat. Interim arces & munimenta partim amicè partim armis & vi repetit à præfectis: imprimis Stegeburgum, Holmiam, Axevaldiam, Elſeburgum, Arhoſiam, & Aboam. Illum ſingulari Dei cura rebus majoribus ſervari, vel hoc ſit indicio. Qvum Stegeburgum obſideret, à machinatore tormentorum bellicorum ter petitus ictu tormenti ſubinde tamen irrito, diſſiliente identidem machinâ, intactus & illæſus abiit. Ericus odio adverſus Carolum ejusqve potentiam magis magisqve accenſus, qvod inſidiæ non proveniſſent, eum aperta vi cum Dalecarlorum copiis invadit. Carolus rebelles mox revocat ad obſeqvium, auctoribus ſeditionis capite plexis. Hinc acie inſtructâ, fruſtra disſvadentibus præſulibus, nititur prælium non procul Arhoſia ad Helleskogiam, licet absqve inſigni clade. Poſt prælium inſtituto colloqvio, actum eſt de pace tractanda, qvo nomine convenit, utrumq; Arhoſiæ cum amicis adeſſe. Qvamvis autem Ericus à familiaribus monitus eſſet, ſibi cavere; nec potentis adverſarii fidei ſe temerè credere; tamen qvibusdam

dam præſulibus & magnatibus eum de itu & reditu confirmantibus, eorum dictis fretus, ad comitia Arhoſienſia ſub fide publica venit. Iſtic cum amicis congreſſus, ut erat ſoluti animi & effrænis lingvæ, pergit Carolum contumelioſis verbis proſcindere. Ex qvibus Carolus obfirmatæ in ſe conſpirationis teſtata indicia colligens, dum, præter antegreſſa facinora, vel ſua Ericum lingva accuſare videbatur: ut iſto inſidiatore & gravi æmulo tandem liberaretur, eum prehendi & Holmiam abductum, cauſsâ dictâ; 1437 capite pœnam conjurationis, cujus inſimulabatur, pendere facit, etiam ſvaſore Olao Laurentii Archiepiſcopo Upſal. Iſtius facti eum deinceps per omnem vitam pœnituit. Qvin Carolo Canuti qvoqve vitio dabatur, non minus, atqve præſuli, qvod Ericum ad pacem faciendam ſub fide pub. accedentem, contra fidei publicæ religionem captum pœnâ affeciſſet. Ille tamen in qvibusdam codicillis, à ſe captum & punitum, dum iſtâ ſecuritate fruebatur, inficias ire conatur. Hoc tempore qvoqve Ióſſo Erici Danus, etſi literis tuti commeatus à Carolo Canuti munitus, tamen à ruſticis territorii Aſchenſis ad Wadſtenas comprehenſus, & in judicium Motalenſe deductus, capite damnatur, & ſævitiæ ſuæ erga provinciales pœnas ſolvit. Illi verò ob violatam fidem publicam & ultionem inconſulto Carolo exercitam, magna vi pecuniæ mulctantur. Carolus alium nactus eſt æmulum, Chriſtiernum Nicolai, ſenatus principem, affinem ſuum. Amorem tamen uterqve ſimulabat, & odium tegebat, donec maturum in alterius caput expromendi facultas eſſet. Cauſſas odii hinc acceſſunt. Qvum Carolus affini ſuo Chriſtierno aperuiſſet conſilium de ulciſcendis & plectendis Dalecarlis, qvi non modò cum Erico Pukio contra ipſum inſurrexerant, ſed etiam cum agricolis Vermelandis aliqvot ejus præfectos trucidarant, Chriſtiernus illud diſſvaſit ei auctorqve fuit, *ut ſpatium iræ ſuæ ac ultioni ipſorũ daret, qui magis contagione, quàm ingenio peccaſſent. Ut etiam juſta eſſet vindicta, tamen invidiæ fugiendæ cauſſa modum in ulciſcendo ſervaret; ne freqventer & acerbè puniendo, dum multos tollere parat, plures irritaret.* Inde Chriſtiernum ſuſpectum habere cœpit; qvaſi cum illis faceret. Alterum erat, *qvod qvum Carolus Calmariâ Holmiam diſcedens, annulum ſuum ſignatorium Chriſtierno reliqviſſet, ad literas publicas, qvoties opus eſſet, obſignandas; ille hoc ſigillo perfidè abuſus à Carolo arguebatur, qvaſi literas ad Helſingos Caroli nomine dediſſet & obſignaſſet, qvibus juſſiſſet, eos Chriſtierno dicto audientes eſſe. His & aliis occultis artibus animos plebis allicere, ſibiqve principatum qværere conatum.* Tertium erat, *qvod arcem Nicopiæ aliasqve ipſi tradere nollet.* Carolus compertis ejus molitionibus, ſed in præſens diſſimulatis, ut incautam opprimeret, ad eum amiceè ſcribit, *ſi*

qvid nomine publico curandum ſibiqve ſignificandum haberet, ſe præſto eſſe in oppido Scheningia: ubi literas ejus expectaturus eſſet. Ita hominem ſecurum inſidiarum reddit. Tabellarius cui miniſtri ad capiendum ex occaſione Chriſtiernum clam additi erant, in prædio ejus Råvelſtad moram de ſtinatò trahit, donec ille dormitum iviſſet. Mox advolant ſatellites, nudum in lecto comprehendunt, & direptâ domo obtruncatisqve qvibusdam ejus famulis, illum primò Arhoſiam, inde Örebroam abducunt. Ubi Carolus ei obviam factus percontatur, *num arces occupatas ipſius fidei permittere velit?* Ille metu conſternatus, *non ſolùm arces ei dediturum, ſed etiam plura, qvæ velit præſtiturum* fidem dat. Qvamvis autem illis, qvi ſe timeri, & inimicos in ſua poteſtate eſſe vident, plerumq; animi creſcere ſoleant, & fortunâ detruſos penitus deprimere qværant; tamen Carolus ſive neceſſitudinis adſpectu, ſive qvod modeſtiorem animadverterat adverſarium, ſive qvod pœniteret eum ſeverioris & inhumanioris facti, poſtea humaniter ipſum habere cæpit ac ſeqventi die dimiſit. Inſuper Wiburgum ejus fidei, & Ringſtadholmium filio ejus, clientelæ jure tradit. His compoſitis, Nicolaus Stenonis al-
1431 ter e̊us, affinis, novum ipſi negotium faceſſere cœpit. Qvum enim illum Stegeburgi & Oſtrogothiæ præfecturam tunc adminiſtrantem Carolus admonuiſſet, ut mitius in provinciales conſuleret, atqve à vexatione & injuria civium ſibi temperaret; hæc Nicolaus ferociter ſpernens, etiam miniſtris Caroli manus inferri juſſit. At Carolus nihil cunctatus, Stegeburgum obſidione arctiori premit. Nicolaus animadvertens hîc ferme ſe teneri, pactis aliqvot dierum induciis deditionem ſimulat. Interim fugâ elabitur ad regem Ericum tum in Gothlandia morantem. à qvo perhonorificè exceptus, regni Mareſcallus renunciatur, & ducentorum militum manu adjutus, redit in Oſtrogothiam; ubi qvum ferro & igne obvia perdidiſſet, à Caroli militibus fuſus & captus, Norcopiæ tertio die, contracto, ut putatur, ex animi ægritudine morbo, deceſſit. Poſt illum Broderus Svenonis, ſtirpe & militia conſpicuus, adverſus Carolum coortus eſt. Ille ſe in remuneratione ſuæ fidei & meritorum in bello neglectum, indignè ferebat. Et ſtudio videbatur neglectus, ut opibus deficientibus, minus ab æmulis timeretur. In conventu Sudercopienſi ex occaſione captati de ſuo & qvorundam merito ſermonis, inſimulabat Carolum, qvod præfecturas & dignitates favori, non virtuti daret. Ut alii exiſtimant, conduxit qvosdam colonorum Weſtrogothiæ ad interficiendum qvendam Caroli præfectum, & plures inde motus excitavit. Sed deprehenſus, ſeditionis

pœnam

pœnam capite ſolvit. Qvum ita æmulos ſub mnviſſet Carolus, id operam poſtea dedit, ut Ericus regiæ dignitati, cui jam cives renunciare cæperant, integrè reſtitueretur, ſi, qvæ non ſemel promiſerat, ex fide præſtare vellet. Ea re plura comitia, ſed exiguo vel nullo fructu habita ſunt. Qvippe rex ingenio ſuo inſiſtens, indignum ſe arbitrabatur mutare obſtinatam mentem, aut dignitatis regiæ decora regni legibus ſubmittere. Proinde Ordines tandem ad Moraſteenium decreverunt, *ut, niſi intra trimeſtre Rex Calmariæ adeſſet, ubi de hoc & aliis regni negotiis agendum erat, ſe poſtea illum pro rege non agnituros.* Qvod decretum, ut rem ſeriò agi videret, ad eum miſerunt. Olaus Laurentii autem præſul Upſalienſis, etſi rex ipſi antea adverſatus fuerat, aliisqve ex ſenatu, qvibus ſeverius Caroli imperium & diſſidia domeſtica non placebant, ſedulò annitebantur, ut Rex in ſua dignitate retineretur. Ea propter Olaus Upſalia Calmariam ad comitia proficiſcitur. In itinere Nicopiam digreſſus, à præfecto loci Magno, veneno in lac amygdalinum immiſſo peremtus fertur; non aliâ, ut tunc ſuſpicio erat, cauſſâ, qvàm ut præſulis adeò pro rege laborantis conſilia cum ipſo tollerentur. Nec parum eqvidem morte ejus per ſcelus feſtinatâ res turbabantur. A congregatis tamen actum eſt *de rege non amovendo, ſi toties repetitæ jurisjurandi formulæ pactisqve ſatisfaceret. Renovata itidem eſt trium regnorum unio, ſed cum nonnulli exceptionibus, qvarum ulterior deliberatio in majora comitia differebatur; imprimis ne tria regna ſub uno rege eſſent.* Ericus autem deſperans ſalvam aut ſtabilem in Svecia dignitatem, uſqve dum eâ lege, qvâ acceperat regnum, adminiſtrare recuſabat; anteqvam ipſe cum ignominia ſolio deturbaretur, regno exceſſit, 1439 & collecto qvantum poterat opum, in Gothlandiam (unde poſtea ſæpius infeſtabat mari Sveones) & Pomeraniam ſuam ac Rugenwaldiam ſeceſſit, atqve viginti annos privatus vixit: qvum qvadraginta duos annos (qvidam XXXIX. ponunt) tribus regnis præfuiſſet. Imperium ſatis diuturnum; ſed honorificentius fuiſſet, ſi plus legibus regni, atqve boni publici curæ, qvàm cupiditati ſuæ, atqve exterorum præfectorum avaritiæ ac libidini conceſſiſſet. Haud indoctus princeps erat, ut ejus annales Danici, etſi breves, loqvuntur. Longis bellis multum exercitus, ſed parum felix: qvod ipſum etiam moderationis admonere debuiſſet. Tandem abſenti regnum renunciarunt, qvod vel præſens curâ ſuâ ac fide deſtituiſſe arguebatur.

CHRI-

CHRISTOPHORUS.

Bavariæ dux, Erici, de qvo prius, ſororis filius, à Danis ad capeſſendum regnum, inconſultis Sveonibus, contra leges fœderis vocatus, his poſtmodò unicè commendatur. Qvum enim id agerent, ut ab ipſis qvoqve rex adſciſceretur, atqve ſic tria regna in unius fœderis, ut antea, fide permanerent, ejus virtutes impensè Svedis prædicabant. Qvi qvamvis obnitendi cauſas haberent, tandem tamen inducti, ad ſervandam concordiam, pravæqve inter ſuos æmulationis malum tollendum eum adſciſcere decernunt. Carolus, ubi civium animos in Chriſtophorum inclinare videt, *nihil qvidem ex eorum libertate in creando rege ſe decerpturum* præfatus, *in mentem tamen illis revocat, qvantis laboribus pro ſalute regni & ſtatu reip. in tranqvillum collocando defunctus eſſet, ex qvo imperium accepiſſet, qvantum æris alieni contraxiſſet; cui ſolvendo non eſſet, niſi meritorum ejus æqva ratio duceretur.* Juſta ejus poſtulatio viſa eſt, reſponſumqve, veluti deſiderarat, accepit, *ut laborum præmia, Finlandiam ad tempus vitæ ſuæ teneret. Ölandiam verò pro ſe & ſuis hæredibus poſſideret, donec pro certo pretio à Sveonibus redemta eſſet. Additum inſuper, ne obligaretur ad hactenus actorum & adminiſtratæ reip. rationes cuiqvam edendas.* Mox Legatos ad Chriſtophorum emittunt in Daniam, qvi capita legum à regni ſenatu concepta jubentur inſinuare regi: qvæ ſi jurejurando, literis & fide ſuâ firmare velit, eum in proximis comitiis Calmarienſibus regem Svediæ renuciatum iri. Capita autem hæc erant: *Ut regni jura, privilegia & inſtituta illibata ſervaret, ſi leges qvædam emendatione egeant, illas ſua autoritate confirmaret. Ut neminem in Senatum admitteret, niſi Svedum. Ut arces & munitiones non niſi Sveonum fidei committeret & præcipua munera iisdem cum conſilio Senatus mandaret. Cenſus annuas & alii regni reditus, pecunia publica & theſauri regno non exportarentur. Si neceſſitate ſic exigente foris impenſæ faciendæ eſſent, earum unà cum reſiduis ratio à bonis viris redderetur. Omnia diplomata, documenta, codicilli & literæ ad hoc regnum pertinentes, qvæcunqve in Dania aut Norvegia reperiri poſſent, huic regno reſtituerentur, Gothlandia ad corpus regni Svediæ, cujus membrum olim fuerat, revocaretur. Svedi immunes eſſent à vectigalibus Bahuſianis. Qvidqvid ex Ruſſia ope trium regnorũ armis ſubjici poſſet, id regni Svetiæ eſſet. Qvæ ex facultatibus & prædiis abſentium in motibus inteſtinis regni occupata eſſent, ut nunc poſſidentur, in poſterum qvoq; poſſiderentur. Opem ferret illis liberandis, qvi tempore Erici in Holſatia vel alibi bello capti eſſent.* Has leges Chriſtophorus ultrò ſubſcriptione ſuâ approbavit in arce Hafnienſi. Sed comitia ad vigeſimum

qvartum

qvartum diem menſis Junii Calmariæ indicta, in Septembrem prolata ſunt. Cujus initio rex, ceſſantibus motibus Cimbricis, qvi eum remorati fuerant; Calmariam adventavit. Ante ſuum tamen acceſſum, cum Carolo Canuti, amicis literis Halmſtadium accito, de arcibus & ditionibus Svediæ, qvas tenebat, ſibi tradendis, ut veriſimile ſit, actitavit. Sed qvæ Senatus regni Carolo promiſerat, omnia rata habuit. Eodem comite regnum ingreſſus, Calmaria Holmiam regali pompa deductus eſt. Antiſtes Upſalienſis dextrum & Carolus Canuti ſiniſtrum Regis latus in ingreſſu claudebat. Auditæ ſunt inter acclamationes & plauſus vulgi voces, tanqvam futuræ ſpei omen: *Carolum ſceptro digniorem, qvam Chriſtophorum videri.* Inerat enim Carolo proceritas corporis & gravitas eximia, à plebe æſtimari ſveta. 1442
Iſtæ voces ad aures regis perlatæ, aliqvantum ejus animum punxere; ſed temporis cauſa diſſimulavit. Inauguratio regis ſtato die, loco & more fit. In ea ſeptuaginta viri bene meriti eqveſtri honore ornantur, inter qvos regni Marſchus primus erat. Regni adminiſtrationem aggreſſus, leges provinciales, à regni ſenatu legumqve peritis recenſeri, & emendari fecit, qvas auctoritate ſua ſtabilitas deinceps publicavit, & inde *Chriſtophori leges* dici cœperunt; easdem vi exſecutionis animavit. Jus aulicum qvoqve in uſum revocaſſe fertur, poſtea à Carolo Canuti & aliis regibus auctum. Eccleſiaſtico ordini & civibus Upſaliæ hoc anno qvoqve immunitatem ab *annuo cenſu Gråsbulle* dicto, *pro paſtu pecorum* in prato regio antea præſtito, (de qvo ſup. in vita Magni Smeek) dedit. Neglectâ Turcorum Imperatoris filiâ ſibi in matrimonium, ex occaſione legationis ad eum, oblatâ, ductaqve Dorothea, Johannis Marchionis Brandenburgici filia, cenſum, qvem vel nuptiarum & dotis vel publico nomine civibus imperarat, aliosqve regni theſauros ac proventus hinc aſportare contra fidem datam conatus, ab inimico veluti mari diris & exitio devota, naufragio omnia perdidit. Inde civilibus odiis cives ſe atterere cœperunt: qvibus ſe infirmos adverſus hoſtem, & viles regi reddebant. Chriſtiernus Nicolai ſatrapa Carolum Canuti ob illatas ſibi injurias, de qvibus ſuo loco dictum, apud regem criminatus, omni ope nitebatur eum regis odio, & potentium adverſariorum inſidiis objicere. Et feciſſet ſanè, incrementis Caroli jam regi ſuſpectis; niſi ipſe Carolus adverſus præviſa hujusmodi criminationum tela ſe cautè præmuniviſſet apud regem: qvi ipſi jam ante indulſerat, ne qvisqvam ob qvæcunqve ante acta cum eo jure experiretur, aut geſtorum rationem ab eo poſceret. Nec minus

S rex

rex id compoſitò laborabat; ut eminentes mutua æmulatione committeret, & diſſenſiones inter illos foveret, ipſis magis, qvàm ſibi periculo futuras. Qvum enim animadvertiſſet, non paucos nobiles viros munera & beneficia regni absqve diſcrimine appetere; nonnullos etiam tam avidè bonis aliorum inhiare, ut amici amicorum, filii parentum, propinqvi cognatòrum adhuc ſuperſtitum fortunam ambirent, & alienæ poſſeſſioni per qvascunqve artes obreperent, ruenti cupiditati ſponte frænos permiſit: ſi fortè, ut præ ſe ferebat, vel patientia Principis, vel illorum ſatias aut pudor eos ultrò retinere poſſet. Sed qvum hac via parum promoveret, nundinationem qvandam beneficiorum, certo pretio dicto, ſibi minimè decoram, aliis gravem inſtituit; prætexto, ut eos, ab immodica petendo pretii magnitudine abſterreret. Itaqve diploma, qvo prædium alicui jure clientelæ impertiebatur, viginti & triginta aureis, qvos nobiles vocant, ex Cancellariâ redimendum erat: qvorum dimidium rex ipſe capiebat, reliqvum procurantibus & ſcribentibus literas cedebat. Ita factum, ut impenſa ſæpe ipſum prædii pretium, uti tunc tempora erant, æqvaret, aliqvando excederet. Ab competitoribus ergo largitione paſſim certatum eſt: ut qvi hîc vincere aut paria facere poſſent, in idem ſæpe beneficium mox alteri conceſſum, velut communem prædam concurrerent, unumqve fieret plurium, qvod ne uni qvidem, qvippe tanto emtum, nec diu conceſſum: cum uni ademtum, alteri ex amicis regis traderetur ab ipſo; nec ita priori poſſeſſori multum prodeſſet. Aut ſi forſan aliqvando prodeſſet, tamen rixarum materia erat: dum in re communi juris & meriti vel æqvalitas vel præſtantia à ſingulis prætexebatur. Contra, qvi primi poſſeſſionem adepti erant, aliis, etſi ejusdem temporis competitoribus, anteponi poſtulabant. Qvin multi per lites & contentiones ſuas, tandem auro, prædiis & omni poſſeſſione devolvebantur. Crebris excurſionibus & itineribus ita fatigaſſe & exhauſiſſe agricolas in nonnullis annalibus proditur, ut miſeri coloni ad cibi penuriam redacti, cortice ex arboribus in farinæ ſimilitudinem ſubacto vitam ægrè tolerarent, inde ſibi cognominis *Regis Corticum* locum fecit; licet potius, ut recte judicat Ericus Upſalienſis, annonæ charitas in pœnam & Regis & populi divinitus admiſſa fuerit. Qvum cives obſecraſſent, ut cohiberet inſolentiam hominum Erici regno exuti, qvi piratica ſua non leve damnum & calamitatem Sveticis navibus Gothlandiam tranſeuntibus inferebant, irriſui rem habuit, dicens: *avunculo ſuo aliqvid concedendum eſſe, unde vivere poſſet.* Qvin Anglorum naves ipſe prædationibus divexavit &

inter-

intercepit: qvarum ſpoliis ditatus, bellum parat adverſus Wandalicas civitates ex avita ſimultate, & qvod illarum auſpicio Vitalianorum claſſis, Wiſmariâ ſolvens Bergas in Norvegia, cujus ipſe qvoqve rex erat, diripuerat, qvum in Daniam ad capeſſendum regnum iter faceret. Imprimis Lubecæ arma intentabat: ad cujus expugnationem reliqva minora oppida facilius fortunæ ceſſura ſperabat. Cæterum ponderatis, ut cautum decebat, non ſolùm ſuis, ſed etiam hoſtium & fœderatarum civitatum opibus, aperta vi non laceſſendum hoſtem arbitratus, dolo egit. Armata nimirum qvinqve millibus militum claſſe, tranſitum à Lubecenſibus petit, ſpecie ſacri voti nuncupati, in veteris Marchiæ oppido, Wilſenaco, ſolvendi. *Se amicum ipſis venturum, militem non alia cauſa ſecum ducere, qvàm ſe defendendi adverſus vicinos Principes ſuſpectos propoſito.* Lubecenſes, qvibus aſtus ſuboluerat, & alioqvi ſciebant, naturâ ferè inter ſe inimicos eſſe Regem aut Principem, & liberas civitates, ei tranſitum negant. Interim tamen milites qvosdam à Chriſtophoro habitu mercatorum emiſſos, qvi magnam vim armorum in doliis ſpecie vini occultaverant, domi ſecum ignari habebant. Miſit itidem ad Wiſmarianos, Stralſundenſes & Roſtochienſes de tranſitu. Qvem illi civiliter denegarunt, Roſtochienſes permiſerunt. Incendio fortè noctu Lubecæ ſuborto ſignoqve dato, ad opitulandum accurrunt cives. Ad idem ſignum iſti perſonati mercatores Chriſtophori, ſuſpicantes à regis emiſſariis ignem ædibus clam injectum, aut ad occaſionem animum adverſuri, armati præſto ſunt. Rogati, *qvid arma in pacatam urbem inferant?* reſpondent, *ſe militarium ludorum cauſa iſtæc geſtare; & opem civibus laturos.* Sed ſuo ſe judicio ipſi arguentes ac temerè prodentes, ut dolus ſua tandem arte irretitus teneri ſolet, illicò urbe excedere & alibi meditationes ſuas militares exercere juſſi ſunt. Ita incepti irritus rex in Daniam cum claſſe ſua regreſſus, inter Gothlandiam & Calmariam grave naufragium fecit, ut vix ipſe ſcaphâ evaderet. Qvod divinæ in fœdam regis libidinem, cujus inſimulabatur, iræ argumentum fuiſſe exiſtimatur. Incendium Upſaliæ grave detrimentum attulit tem- 1447
plo cathedrali, cum dimidia urbis parte combuſta. Bavaros ſuos nonnullis arcibus regni præfectos, ad monitum procerum, invitus removit. De qvi- 1448
busdam regni negociis Ienecopiæ cum proceribus conſultaturus, vel, ut qvidam volunt aut ſuſpicantur, ſub ſpecie comitiorum ibi collectos qvosdam proceres, ejus imperium indignatos, trucidaturus, ſubito morbo correptus, Helſingburgi ſupremum diem obiit. Sunt qvi referant, eum in Dania, in penſationem expilationis & evectorum Svediâ bonorum, ingens

legatum Svediæ regno ſupremæ voluntatis tabulis reliqviſſe; qvæ tamen in lucem prolatæ non ſunt. Ab exceſſu regis, interregni tempore Benedictus Bielke à Saleſtad, & Nicolaus Baner à Diursholm regni adminiſtrationem tenuerunt: qvorum curam, fidem & induſtriam jam antea expertus erat Rex Chriſtophorus; qvippe vicem ſuam eos fungi jubens, qvoties regno abeſſet.

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. V.

CAROLUS CANUTI VIII.

1448 CHriſtophoro defuncto proximè ſurrogatur, exterorum regum, leges & jura regni minus obſervantium, tædio. Sed prius inter proceres & populum ingenti contentione de qværendo idoneo patriæ rectore diſceptatum eſt. Nicolaus & Benedictus Jonæ, & Johannes ejus filius præſul Upſalienſis, epiſcopus Stregnenſis aliiqve diſſertabant, *ad ſecuritatē reip. conſcientiā ſingulorū & famam poſteritatis pertinere, ut novus rex non niſi de communi ſententia trium regnorum, ex lege fœderis adſciſceretur. Si tamen ſepoſito fœdere, ſibi ſeorſum conſulere placeat, ſaltem celeribus abſtineant conſiliis: qvæ facilius reprehendi, qvàm revocari poſſint. Tantum profectò negotium, in qvo patriæ ſalus, ſi bene, vel pernicies verteretur, ſi male cederet, haudqvaqvam calidè ac properè agendum eſſe.* Alii verò, qvorum principes erant Carolus Canuti & Ericus Benedicti, contendebant, *electionem regis, qvo tardius procederet, hoc majori diſcrimini reip. fore: tot oculis animisqve in hanc ſpem aut cupiditatem domi forisq; intentis. Nec opus eſſe aliā ſuffragiorum, qvam hujus regni procerum & præcipuorum exſpectatione; qvum Dani jam contra decretum communis fœderis fecerint, atq; non habitis communibus comitiis, nec conſenſu Sveonum deſiderato, ſibi primas imò ſolas eligendi partes ſumſerint, & Chriſtophorum ex Bavaria ad regnum evocarint. Præterqvam qvod iſta trium regnorum ſocietas magis incommodo qvàm uſui Svedis fuerit; externis regibus ejus leges temerè violantibus.* Hæc cum tanto animorum ardore ab illis agitata ſunt,

ſunt, ut à verbis ferme ad manus & rem duello diſceptandam perventum fuiſſet. Eorum tamen ſententiæ obtinuerunt, qvi ab unione, qvam vocant, diſcedendum ſvadebant, & tribus in electione poſitis, in Carolum Canuti inclinatione voluntatis propendebant: *qvod non vulgaribus ante documentis & nuperâ ſex annorum gubernatione ſe dignum imperio feciſſet.* Qvamvis non deſint, qvi ambitu & corruptione ſuffragiorum evectum memorant, de qvo tamen nihil in annalibus Sveticis. Nec fidei ſatis par videtur, eum ſexaginta ſex virorum ſuffragia, tot enim pro ejus electione numerabantur, ſimul corrumpere potuiſſe. Qvanqvam eum regni cupidine ductum, non planè inficias iri qveat: ſi vera ſunt, qvæ feruntur, aniculæ ſagæ ab ipſo conſultæ de futuro rege reſponſum, & infantis prodigium de corona in capite ejus conſpecta. Si verò hæc pro næniis & nugis ex qvorundam mente habenda ſint, tamen publica merita & ſpiritus privato majores eum vel tacitè regno commendare videbantur. Johannes præſul Upſalienſis indignans hunc regem: *qvod ſuæ familiæ parum amicus eſſet, qvod ſolo favore ſuisqve artibus ſolium adſcendiſſe exprobraret; & ante cæteros patrem ſuum Benedictum, virum conſtantem & expertæ fidei, vel alium ſui aut alterius ſangvinis ad hoc faſtigium extolli præoptaſſet*, inſalutato Carolo diſcedit. Sed mox mutatâ mente revertitur, perſvaſus à ſociis, ut cum reliqvis regni proceribus in fidem regis juraret, eumqve Upſaliæ Julio menſe ineunte coronaret; occultato tamen magis in præſens, qvàm depoſito odio. Carolus poſt ſolennem inaugurationem 1449
Holmiam ingreſſus, cum ſenatu conſilium habet *de Gothlandia, qvam excluſus rex Ericus hactenus tenebat, recuperanda. De piratica iſthinc profliganda: qvod Ericus jam novennium ex hac inſula Svedorum fortunas non parum accidiſſet; & nuper adeò ſeptem naves Stockholmenſes indigenis mercibus onuſtas intercepiſſet.* Decernitur, *bis mille militum claſſem adverſus Ericum armare, ductoribus Magno Greenio & Birgero Trollio.* Milites hanc expeditionem ſum̃a cum alacritate ſuſcipiunt; & cives ſibi gratulantur de illa die & occaſione, qva ſuorum tot injurias & detrimenta ab Erico accepta vindicarent. Qvum dicta claſſis portum Flenevicum ingreſſa eſſet, militesqve in terram excendiſſent, qvamvis hoſtis eos acceſſu ſtrenuè prohiberet, unâ tamen alteraqve pugnâ hoſte in fugâ verſo, littore potiti ſunt. Unde progreſſi, Wisburgum circumſederunt. Horum rumor ut ad Danos accidit, mittunt ad Carolum in Ölandia tunc hærentem, *ut auxilia ſuis ex propinqvo qvidem mittat, ſed copias ſuas ex Gothlandia domum revocet, neqve armis laceſſat. Eam enim à Waldemaro tertio debellatam, & à Margareta redemtam; qvum ab Alberto Boruſſiæ magiſtris oppignorata eſſet; Danicæ non Sveticæ ditionis eſſe. Si contra faciat, Chriſtiernum regem ſuum armis injuriam ulturum.* His Carolus *reſpondet:*

 Gothlan-

Gothlandiam ad Svediæ ditionem ex uſurpato veteri jure pertinere, & nuper nomine publico atqve pecuniâ Sveonum à Margareta redemtam eſſe. Idcirco ſe lege regni, & fide jurisjurandi patriæ præſtiti ad armis repetendum regno ademta, ſi aliter neqveat, obſtringi. Irent ac renunciarent ſuis, ſibi revocandi milites conſilium animumqve non eſſe, anteqvam Gothlandiam in poteſtatem regni Svediæ redegiſſet. Hoc reſponſo accepto, viſum eſt Danis expedire adverſus Svecos pro tuenda Gothlandia juſtum exercitum, auſpicio Chriſtierni I. Dum in his ſunt, Sveci urbis Wisbyenſis obſidionem aggrediuntur. Ericus cum ſuis diu irruptionem obſidentium ſuſtinet. Sed deficiente paulatim commeatu, civibus urbem tuendam demandat, ipſe in arcem, ut tutius perfugium, concedit. Oppidani oppugnantium laboribus & excubiis fracti remittere paulatim animos, & ſolutiori cura in cuſtodiendis munitionibus eſſe. Qvod ubi Svedi animadvertunt, ſibi vigilandum & occaſionem rapiendam exiſtimantes, ſcalis noctu clam admotis in moenia eniſi, urbem invadunt. Eodem impetu cepiſſent arcem, niſi duces, inprimis Birgerus Trollius, cui tunc urbis cura à Rege commendata erat, induciarum imagine decepti fuiſſent. Ericus enim deſtitutus paulatim arcis qvoqve commeatu, paciſcitur cum Svedis armorum ferias hac lege: *ut illis traderet arcem Wisburgum, ſibi retineret Bornholmiam & ölandiam, qvoad viveret.* Obtentis induciis frumentum & alia neceſſaria, qvæ in longius tempus ſufficerent, arci infert, nec pacta ſervat. Calendarum Januariarum veſpera à ducibus Sveticis convivio exceptus, eos ipſis calendis iterum invitat, ſed exploſo ter tormento ad ferales epulas & velitationes, qvibus utrimqve non pauci conciderunt. Verum ut Majoribus viribus & infeſtè adoriretur Svedos, auxilium rogat Danos, ſpe totius Gothlandiæ loco mercedis illis facta. Chriſtiernus itaqve ingentem ei claſſem auxilio mittit, duce Olao Axelii, qvi ut acceſſit, arcem ei tradit Ericus. A Danis in tutiora traductus; in patria tamen ſua Rugenvvaldiam Pomeraniæ, ſenectutis & qvietis ſedem elegit, in eoqve otio demum anno milleſimo qvadringenteſimo qvinqvageſimo deceſſit. At Svedi à Carolo rege obſidionem arcis continuare juſſi, parati erant arma non niſi cum vita aut arcis deditione ponere. Nihilominus à Danis armorum ceſſatione vel induciis iterum deluſi ſunt: ut mirum ſit, ad ictum non ſemel ſaxum eos retuliſſe pedem. Sed auctoritate Magni Greenii moti, ne qvidem contrahiſcere audebant. Ejus tanta ſecuritas erat, ut caſtella & propugnacula ſolo æqvaret, *his* negans, *opus eſſe, qvum per inducias nihil hoſtile metuendum ſit*, qvaſi poſt exigui temporis otium, bellum non rediturum eſſet; aut qvaſi indu-

ciæ ſemper fidæ tutæve eſſent. Hac re Magnus etiam ſuſpectæ fidei habitus eſt. Induciarum hæc conditio erat: *ut Svedi urbem Wisbyenſem & inſulam Gothlandiam uti poſſidebant, poſſiderent; Dani verò arcem urbis. Interim arbitros mittendos, qvi jura partium cognoſcerent & dijudicarent.* Ita Chriſtiernus præſidiis & commeatu arcem munit, ſuasqve copias contra datam fidem adverſus Svedos urbem inſidentes educit. Haud ſegniter hinc inde pugnabatur, ſexcentis Danorum primâ dimicatione cæſis. Chriſtiernus igne urbi immiſſo, compellit Svedos, caſtellis jam à Greenio deſtructis, in munitiores domos lapideas ſe recipere: ex qvibus maſculè ſe defendentes, ſubeunti hoſti non levem dedere ſtragem. Hîc Danicæ hiſtoriæ ſcriptores tradunt, Danos muro perfoſſo, nullo hoſtium ſe movente, irrupiſſe & facili negotio urbem occupaſſe, cæſis inſuper mille octingentis, aliisqve captis. At Svetici annales ferunt, Danos qvum animadvertiſſent, Svedos dictis ædibus absqve magno periculo & labore exigi non poſſe, cum eis hac lege pactos eſſe: *ut cederet Gothlandia Danis; factis induciis die S. Martini ad annum usqve. Interim ad comitia die Walburgis indicenda mittendos utrimqve duodecim ex Senatu, qvi de jure Gothlandiæ aliisqve controverſiis inter duo regna pronunciarent.* Hæc utrimqve à delectis ex Senatu Svetico & Danico ſubſcripta ſunt, & Gothlandia Danorum ditioni, qvamvis ſub certa conditione, tunc acceſſit; cujus præfectura cum inſulæ uſufructu Olao Axelii pro vicies mille ſelibris argenti mutuo acceptis, ut volunt, pignori à Chriſtierno rege Daniæ data eſt. At Carolus majoris fortunæ momentis, in regno Norvegiæ obtinendo, intendit animum. Norvegi, tanqvam à Danis in electione Chriſtierni præteriti, Carolum Canuti ſibi qvoqve regem poſtulant. Sed mox major pars, ſeu facti pœniteret, ſeu à Danis ex decreto Halmſtadienſi de arctiori horum regnorum fœdere aliter perſvaſa, Chriſtiernum regem præponit. Plebs tamen, præſertim regno Svediæ vicinior, in fide Caroli manet, & Nidroſiam evocato ſolennia & inſignia regni tradit, poſtqvam eis ſcripta obligatione de privilegiis eorum caverat. Carolus duos regni præfectos ex Norvegico ſenatu Aslacum Turonis & Edvardum Muſcam conſtituit: duos, ut mutuo contuitu magis in officio & fide eſſent. Sed cum creſcente Caroli potentiâ ſimul invidia gliſcebat, in nonnullis etiam metus ſervitutis ſub rege duobus imperiis animum forſan elaturo. Arbogiam accitis proceribus, duodecim ex iſtis, inter qvos erant Magnus Greenius & Nicolaus Jonæ Halmſtadium ad conventum iſthic indictum ablegat, cum libera agendi qvæ è re regni eſſent facultate, expreſſaqve conteſtatione, ut uni parti ita

ſatis-

ſatis fieret, ne alteri hoc eſſet fraudi. Qvum ad dictum locum conveniſſent, Rex Daniæ criminatur, *ruptam à Carolo unionis legem non ſolùm in Svediæ, ſed etiam in Norvegiæ regno, Daniæ hæreditario, per vim & fraudem*, ut ajebant, *occupato*, commonetqve Legatos, *ut hac de re & ſimul de lite inter duo regna ob jus Gothlandiæ decidenda, deqve commoda belli avertendi paciſqve ſtabiliendæ ratione cogitent*. Reſpondent Legati: *Pace fida & perpetua nihil ipſis regnoqve prius & optatius fore. Litem de Gothlandia judicio intra annum finiendo committi, è re videri. Si intra præfinitum tempus terminari non poſſet, in conventu Calmarienſi utrimqve arbitri cognoſcerent, & Gothlandiam certæ parti adjudicarent. Ut Carolus Norvegiæ jure Chriſtierno velut hæreditario ejus Principi cederet, æqvum videri. Seqve effecturos, ut Caroli patentes ea de re literas intra S. Olai diem producerent. Qvod ſi his actis Carolus nomen ſuum ſubſcribere nollet, ſe in Daniam ad cuſtodiam reverſuros*. Ferunt qvidam annales Svetici, tres & fortè plures ex iſtis Legatis in occulto & à plurium conſcientia ſeducto loco clam agitaſſe conſilia cum Danis, *ut alterutro regum Svetiæ vel Daniæ defuncto, ſuperſtes utrimqve crearetur, vel interregnum eſſet, donec etiam alter obiiſſet, Interim reſpublica à regni Senatu adminiſtraretur. Utroqve tandem vivis exemto, Halmſtadii convenientes ex indigenis ſibi regem ſumerent, regni legibus obſtringendum*. Inprimis actum eſt in ſecreto, *de Carolo regia ſede movendo, tanqvam violati fœderis reo, & nimis imperioſè ſeverèqve agente, ut arces & munitiones regni de ſententiâ Senatus attribuerentur, qvorum fidei placeret. ut codicilli conſcriberentur, regni ſenatorum manu & ſigillis firmandi, in qvibus obſtringerent Carolum ad certas leges, qvibus ſi conſentire & ſubſcribere recuſaret, ab ejus fide diſcederent, & regi Chriſtierno, regnũ Svediæ dictis legibus deferrent*. Hoc conſilium qvum Nicolaus Jonæ cuidam Epiſcopo ſub ſilentii fide jurejurando confirmatâ, detexiſſet, epiſcopus animo perplexus qvid hic ſibi faciendum eſſet, tandem elegit reſcindere potius jusjurandum Nicolao præſtitum qvàm fidem regi datam: in tanto præſertim negotio, qvo Regis ſalus & exiſtimatio periclitaretur. Ubi conventum erat Arbogam, epiſcopus aperuit occulta machinationum adverſus regem ſtructarum. Rex admiratus, tam perfidè ſecum egiſſe, qvos pro optimis amicis habuerat, & magnis ſibi regnoqve beneficiis devinxerat. Ut tamen tantiſper diſſimularet, donec ſe-ipſos fortè & molitiones ſuas architecti earum indicarent, præſul regem rogabat. Rex hoc fecit. In comitiis Arbogenſibus de geſtis Halmſtadii percunctatus, ubi ab oratoribus, qvæ vellent, accepit, imprimis de pace & controverſiæ de Gothlandia finiendæ modo, rem in conſultationem mittit, & *num iſtæc rata ſint habenda, qvod viſum pleriſqve: qvum exiſtimatio & libertas,*

Lega-

Legatorum hîc agatur; ne, ſi ad irritum res cadat, fœdæ cuſtodiæ in Dania ex pacto oratores includantur. Saniores verò non dubitabant, *hæc ſuo periculo feciſſe Legatos, quæ contra mandatum & in fraudem dignitatis publicæ & regiæ feciſſent. Licet enim illis permiſſum eſſet è re conſulere, tamen hac lege, ne alterutri parti eſſet fraudi: ut erat Regi ceſſio regni Norvegici.* Illa tamen rex, ne ſtatim nudaret animum, cum reſervatione ſui juris, ex parte confirmabat. Poſterius verò & occultius illud conſilium, de qvo ſupra, ſtudio celabant oratores, donec prius ſuæ ſecuritati conſuluiſſent. Rex etiam animum tegens, qvaſi hujus rei ſcenam planè ignoraret, aut non intelligeret, interim ſingulorum erga ſe affectum callidè eliciebat; ſi ſeipſos fortè proderent. Tandem cum conſcii ſive odio adverſus Carolum, ſive ſecuri ſuæ potentiæ & ſalutis, ſe ſatis manifeſtos feciſſent, Carolus irâ accenſus, palam increpitare eos, *negotium regni malâ fide adminiſtraſſe. Plagas ſibi poſitas, qvibus incautus ab inimicis includeretur, regnoqve depelleretur. Sibi tamen repertam viam haſce plagas vel perrumpendi, vel commodè ſe illis liberandi.* Poſt ad conventum Calmarienſem ſibi addictos evocat, novoqve ſacramento obſtringit, præteritis ſuſpectis: qvorum vires & animos ut minueret magis qvam accederet, modicè in eos animadvertere contentus erat. Prædia qvibus abſtulerat, mox deprecantibus reſtituit; alioqvi parcus in iis diſtribuendis. Nihil muniendo ſibi ac Principatui neceſſarium omittens, bis mille corporis cuſtodes adſciſcit. Arces ſuſpectis adimit, & in alios, qvos ſibi magis fidos credebat, confert. Nicolao Jonæ arcem Örebroenſem adimit & reddit Erengislo Nicolai. Arcem Aboenſem aufert Magno Greenio, & tradit Erico Axelii. Hoc indignè ferentes qvidam magnatum, & ſibi ſimul metuentes, hinc anſam ad Chriſtiernum tranſeundi cepere, qvorum præcipui erant Magnus Greenius, Benedictus Jonæ, Tycho epiſcopus Scarenſis, Guſtavus Olai, Guſtavus Laurentii. 1450
Comitia hac tempeſtate Vadſtenis habita ſunt, in qvibus de jure Gothlandiæ inter duo regna Svediæ & Daniæ, ſed nullo fructu, diſceptabatur: qvolibet regno ſuum jus tuente. Eodem modo poſtea Calmariæ. Chriſtiernus rex Daniæ qværens, qvomodo potentia Caroli tam vicina non nimis prope ſe invaleſceret, ubi juſtæ aperti belli cauſæ deficiunt, absqve ullo præmiſſo hoſtilis animi indicio, excurſionibus qvocunqve obtentu & populationib9 variis atterere eâ conatur. Carolus ad vim pellendâ haud ſegnis, ingenti exercitu collecto, Scaniæ, Blekingiæ & Hallandiæ vaſtitatẽ facit. Hac re magis laceſſitus Chriſtiernus, cum infeſtis tam Danorũ 1452

qvam exterorum copiis Gothiam occidentalem invadit & diripit, Ladoſienſem portum & arcem occupat. Duo fratres prope Ladoſiam unum prædium inhabitantes, à Danis militibus pro certa pecuniæ ſumma prædii & fortunarum ſuarum incolumitatem paciſcuntur. Mox ſolutâ pecuniâ, nihilominus prædantur colonos inſolentes milites. Sed fratres cum aliqvot ſociis eos inſeqvuti ad Cattungam, in inſidiis ſe locantes, ſeptuaginta circiter tranſeuntes occidione occidunt, & cadaveribus exſpoliatis damnum abunde reſarciunt. Hoc præludium erat majorum inſidiarum, qvas Carolus Chriſtierno ex occidentali Gothia in orientalem contendenti paravit in nemore Holevedia, per qvod illi cum exercitu tranſeundum erat. Qvamvis enim accepto nuncio de irruptione hoſtis etiam Holmiæ per mare cum tota ſua claſſe imminentis, ſed Waxholmiæ propugnaculis retardati, ad eam tutandam recurriſſet; tamen à tergo reliqverat Ericum Nipertum, qvi juſto cum exercitu hoſti occurſaret. Dum ergo Chriſtiernus ad dictam ſilvam Holevediam accedit, inſidias iſthic veritus, præmittit levis armaturæ cohortes cum ducibus locorum gnaris, viam prætentaturis. Sed hi non ſatis circumſpectis latebris, inſidiarum dolo circumventi, & trecenti cæſi ſunt, reliqvis captis. Hac hoſtium clade magis in ſpem erectus Carolus, ut occupata à Chriſtierno Weſtrogothiæ caſtella qvoq; recuperaret, interim Holmiam revocatur, ſubita in eam impreſſione ab Olao Axelii & Magno Grenio fruſtra tentata. Itaqve in Weſtrogothiam patrui filium Tordonem Bondium, virum bello ſtrenuum cum expedito peditum agmine mittit. Hic ut hoſtem ſubitò opprimeret, per avia ſilvarum & montium militem ſuum raptim ducit, noctuqve in hoſtem inopinatò ruit, & ingenti prædâ partâ, Ladoſiam recuperat. Opportunè Carolus fortunæ inſiſtens cum ſuis copiis Bondio ſuccurrit, & alias qvasdam iſtius loci arces, Axevaldiam & Rombloburgum, profugis in Daniam Turone Turonis & Krummedicio, earum cuſtodibus, in fidem ſuam recipit & præſidiis munit, Blekingiam, Hallandiamqve populando pervagatus. Boondius etiam limites firmat, caſtellis in Norvegia, Bellingsburgo, Guldburgo & Danaſorghio exſtructis. Qvosdam Norvegorum hoc impedire ſtudentes & munitiones ejus ter mille militum à Chriſtierno, duce Torberno Gaſtio, ſubmiſſorum manu, oppugnantes per trecentos ſuorum inſidiis circumvenit & ſternit. Ob hæc & alia merita regni Marſcus, ut vocant, à rege creabatur. Sed poſtea noctu in lecto à ſuo miniſtro Juſto Boethii, injuſtiſſimo ſicario, conductâ ejus operâ à Danis, ut qvidam ſuſpicantur, dum ad Danos perpetrato ſcelere transfugit, nefariè
1453 trucidatus, indigna morte periit. In conventu Holmenſi reconciliatus eſt

præ-

præſul ejusqve ſocii cum rege Carolo. Licet iſthæc amicitiæ redintegratio non diu ſteterit, hærente in animis odii fomite. Monetæ domeſticæ inſtauratio facta eſt, derogata æſtimatione majori æqvo peregrinæ. Officinæ monetariæ apertæ ſunt Holmiæ, Aboæ, Sudercopiæ & Calmariæ. Ne deficeret iſthic argentum, vetus inſtitutum renovatum eſt de permutanda ab exoticis mercatoribus argenti ſelibra pro minoribus nummis ad æſtimationem mercium qvadraginta marcarum. Chriſtiernus acie contra Svedos non multum lucratus, atqve ſi conjunctis animis ſint, haud faciles debellatu expertus; novum genus expugnandi reperit, non pugnare. Incolas enim regni, præſertim qvi in limite habitabant, absqve ſuorum diſcrimine & ullo cruore, vel adverſus ſe invicem concitat, vel vario belli rumore minisqve è propinqvo terret atqve turbat, auxiliis contra Sveticis è longinqvo, qvoties opus eſſet, non absqve magna difficultate & itineris labore in regni fines adductis. Atqve ſic in armis ſubinde colonos eſſe cogit; qvi tamen armatum ex adverſo hoſtem magis expectabant, qvàm experiebantur. Haud alio eqvidem animo rex eos dictis modis ludebat, qvàm ut longo tædio perpetuæ belli formidinis, tranſitu ac receptu militum fatigati, opibusqve exhauſti, tandem ipſi nullo negotio in prædam concederent, aut faſtidio rerum ſuarum, à Carolo ad ipſum deficerent; & ad communis fœderis legem redirent. Qvam ſpem ei injiciebat præfectorum Caroli ſævitia, & inexplebilis avaritia, in agricolis pro lubitu vexatis, & pecuniis arte mala elicitis, aut vi extortis. Largitionum à priſcis Svediæ regibus & aliis ditioribus in ſacros uſus collatarum modum qvendam ſtatuere Carolus conabatur: qvod illis regni facultates non parum diminuerentur. Sed eâ re in non levem invidiam à ſacro ordine, cui hîc non parum in annuis reditibus ac re facienda decederet, vocatus eſt. Ita alienatis civium animis, & qvibusdam procerum ſtudio in Chriſtiernum propenſioribus, invitantem fortunam amplexus Chriſtiernus, Daneholmiâ circa Tofflebroo, in diœceſi Lincop. exſtructa 1455
& adverſus irruptiones Sveonum munita, jam ſeriò rem agit, Elfsburgum expugnat, Ölandiam per Greenium occupat, inferioris Svediæ magna parte ſuæ poteſtatis facta. Privatæ mox & publicæ machinationes etiam domi adverſus Carolum oriuntur. In nuptiis Nicolai Sture, qvas Rex ſuis 1457
impenſis faciebat, officinæ monetariæ præfectus, ab aliis conductus, aut deſperans ſolutionem ingentis æris alieni, qvo regi ad qvatuordecim mille ſelibras argenti obſtructus erat, eidem tendit vitæ inſidias, comunicato prius cum præſule conſilio: qvem ſciebat regi infenſum eſſe. Præſul tamen hîc odio ſepoſito, & verecundiâ hoſpitalis menſæ, ſicarium à cruento incepto deterret,

monetqve, ſi qvid adverſus regem moliendum ſit, præſtare palam in acie vel campo experiri, qvàm ſacra nuptiarum & menſæ regis ſangvine fœdare. Mox dictis fidem ipſa re confirmavit. Qvum enim peractis nuptiis præſul à rege petiisſet reſarciri ſibi damnum navium ſuarum in bello Danico amiſſarum, rex in iram verbis erumpit, atqve ſe ei qvidqvam debere negat. Mox tamen animo ſedato, arbitris ex Senatu rem dijudicandam committit. Qvi qvum negotio diſcuſſo ſecundùm præſulem pronunciarent, indigno iſtud animo rex ferens, judices non ex æqvo & bono, ſed privato ſtudio ſententiam tuliſſe arguit. Inde offenſis animis diſcedunt. Sed rerum prudentes hinc tumultus mox erupturi ſemina prævidebant: qvi nec diu abfuit. Dum enim Carolus expeditionem militarem in Gothiam edicit, ad recuperandum Ölandiam & alia à Danis occupata, præſul conditum hactenus odium palam exſerit; cujus has ferebat cauſſas: *Pro indignisſimo habebat, Carolum, qvum adhuc regni adminiſtrator eſſet, in vincula conjeciſſe avū ſuum maternum; & præfecturâ inſuper dimoviſſe*; de qvo jam ſuo loco dictum. *Qvum pater archiepiſcopi Benedictus in comitiis Holmenſibus, ubi agebatur de novi regis electione trium regnorum, ſocietatis legibus hic ſtrictè ſtandum eſſe urſiſſet; contra diſceptaſſe Carolum, omnibusqve modis laboraſſe, ut poſthabitâ fœderis iſtius ratione, in ſe dignitas regia conferretur. Eundem patruo antiſtitis Nicolao ob ſuſpicionem malè adminiſtratæ legationis Halmſtadienſis, arcis Örebroenſis præfecturam ademiſſe. Deniqve Carolum regia poteſtate inſolenter & pro lubidine uti.* Huc reſpexiſſe videtur Ericus Upſalienſis, ubi *præſulem ſe de omnibus, non absqve rationum momentis, & multis approbantibus excuſasſe* ſcribit. Qvamvis tamen ille poſtea aliter judicet. Poſtqvã omnis multitudo ex regis edicto ad militiam evocanda eſſet, præſul patentibus literis de expeditione adverſus hoſtem à rege ſpecie amicitiæ impetratis aſtutè in rem ſuam utitur; & populum Uplandicum, qvem ad regem in Gothiam prægreſſum mittere juſſus erat, aliosqve ſibi conciliatos & collectos ex occaſione & obtentui ſumtis populi qverelis de crudelitate & avaritia præfectorum Canuti, qvam vindicaturus eſſet, contra iſtos præfectos, & ipſum tandem regem armat; uti rex poſtea exul in ſuis ad ordinẽ ſacrum Upſalienſem literis expoſtulat. Hic etiam Chriſtiernus ſecundas partes agit, & claſſe in Finnoniam per Magnum Greenium transmiſſa, Wiburgum capit: ut ſic binis regni limitibus ad Ölandiam & Wiburgum occupatis, inter utrumq; medios facilius comprehenderet. Archiepiſcopus copiis ex Dalia & Uplandia coactis, præfectum Caroli, Haqvinum Svenonis vi capit, & in arce Saleſtadia cuſtodiæ tradit. Inde conſilio cum ſuis communicato, ædem Upſalienſem ingreſſus, & ſacrâ veſte indutus, in conſpectu collegarum ad altare ſummum in genua pro-

procumbit, precesq; fundit. Mox ſurgens, ſacram veſtem, omnibus ſtupore defixis, ponit, armis ſe devovet, & perſonam militarem induit, negatqve ſe prius exuturum votivum obligatumq; militiæ animum & habitum, qvam turbatum à Carolo regni ſtatum in tranqvillū redegiſſet. Poſtridie codicillo ad valvas templi affixo, publicè fidem & obſeqvium Carolo renunciat, eumqve hoſtem proclamat. Hoc animo pertendit ad regias villas & prædia expolianda, populumq; in ſuam fidē adſtringit. Hinc Enecopiam & Arhoſiam ire pergit, ubi qvoq; civium animos, Carolo infenſos, ſibi obſeqventes reddit. Carolus de his certior factus, ex orientali Gothia cum mille qvadringentis eqvitum & trecentorum peditum agmine citato, Nicopiam & inde Strengneſiam advolat, ſpe præſulem improviſò aggrediendi. Sed ille jam ad famā adventus ejus in expedito ſtans, haud cunctanter occurrit Carolo, ac prima luce eum cum ſuis Stregneſiæ occupat. Ubi in tumultuario congreſſu rex corpore vulneratus, ſed animo magis ſaucius ſe in fugam illicò dabat. Præſul fugientem è veſtigio Holmiam inſeqvitur, ut recenti clade perculſum ocius debellet, & ſuo eum metu vincat; certè non ſpacium ad nova conſilia viresq; inſtaurandas relinqvat. Caſtra ad Holmiam ponit, & obſeſſo æqvasq; deditionis leges fruſtra offerenti magis magiſqve inſtat. Qvum hic neqvicqvam opem exſpectaret, nutantibus & diſcordibus civiū animis, multis etiam in archiepiſc. ad motū fortunæ inclinantibus, prætergvā qvod tot potentium invidia, tot inſidiæ, tot conſpirationes cum Danis ſibi paſſim in regno omnia intuta atq; infeſta facerent, urgente fato abitum parat, & noctu clam theſauro regio Franciſcanis credito, & qvidqvid poteſt præſentis pecuniæ rerumqve migratu faciliorum in navem illato, præter omnium exſpectationem, nono regni ſui anno, Gedanum diſcedit; ubi, comiter exceptus, aliqvamdiu ſubſtitit. Qvum ingreſſus navem ſolvere orâ litoris pararet, qvidā ex præfectis qvæſivit, *num qvid oblitus eſſet?* Rex *hoc ſe ſolū oblitum eſſe*, reſp. *qvod eum & alios hujusmodi dudum patibulo non ſuffigi curaſſet: ſic enim regno non exterminatum fuiſſe*, Signabat eorum avaritiā & perfidiam: qvæ ipſum ſubditis inviſum fecerant. Caſimirus rex Polon. cum qvo vetus ipſi conſvetudo fuerat, hoſpitem perbenignè accipit, arcemq; in confinio, ut qvidā volunt, ad vitæ adminicula per ſeptenniū ei concedit, & in regnum revocatum claſſe juvat. Ut autem annales Boruſſici ferunt, Rex Polon. Caſimirus & Gedanenſes eum fide publica admiſerunt, & qvasdam poſſeſſiones pro certa pecuniæ ſumma mutuo data ei hypothecæ obligarunt, & à rege Carolo diſcedente redemerunt, eumqve qva fide acceperant, dimiſerunt. Qvidam produnt, Caſimirum à Carolo in cauſa ſua etiam judicem contra adverſarios delectum fuiſſe. Stockholmenſes comperto Caroli abitu, urbem

urbem & mox arcem, cujus præfectus erat Olaus Drakius, præſuli dedunt. Fama hujus rei, qvotqvot magnatum & nobilium in Daniam ob domeſticas tempeſtates conceſſerant, ab exilio in patriam revocavit: inprimis Benedictum epiſcopum Scarenſem, Magnum Greenium, Thuronem Thuronis, Guſtavum Olai, Guſtavum Laurentii, aliosqve, qvi ſub Chriſtierni patrocinio hactenus latuerant, & nunc velut ad mitiorem auram evolabant.

CHRISTIERNUS.

1457 Præſulis & qvorundam procerum regni factione, conſiliis & ſtudio, non univerſi Senatus populiqve conſenſu, vivo adhuc Carolo, ad Sveciæ regnum evocatus, absqve cunctatione accedit, & his legibus Holmiæ inauguratur: *Ut regni jura & inſtituta conſervet. Ut cuiq; ſuæ poſſeſſiones, ubicunq; ſitæ, ſalvæ ſint. Ut ablata coronæ confeſtim reſtituantur. Ut jus Gothlandiæ Svedis integrum ſit. Ut lis de vectigalibus ad Bahuſiam dirimatur. Ne rex ad ſe ullo titulo transferat poſſeſſiones Nobilium. Ne oppignoret aut qvocunq; modo alienet, vel regno efferat bona regni. Ne illegitima onera ſubditis imponat.* His ſcripto & jurisjurandi fide firmatis, imperium accipit; & inde revertitur in Daniam. Poſtea huc regreſſus, imperium qvidem bene adminiſtrare cœpit, ſed in progreſſu inclinavit. Qvippe poſt biennium, gravibus tributis
1460 Sveones oneravit, regni opes in ſuum uſum corraſit, undecunqve poterat, ex ærario, templis, cœnobiis. Theſauros, qvibus incumbebant Fratres prædicatores, à rege Carolo ſibi commiſſos, ab iisdem Chriſtierno, metu offenſæ aut ſpe gratiæ detectos, ſeptem vaſis incluſos in Daniam contra datam fidem aſportavit, magnaqve ejus parte Holſatiæ Ducatum à Comite Scovvenburgenſi Ottone & Gerhardo emit. Hac re non levi invidiæ populo eſſe cœpit: ut, qvod opibus expleri non poſſet, eum vulgò *bulgam fundo carentem* appellarent. Qvum rumor exiviſſet de Carolo Canuti, qvod magnas in Boruſſia & Polonia copias colligeret, qvas in Svetiam ad recuperandam amiſſam poteſtatem ducturus eſſet, & patriam ferro ac igne populaturus, Chriſtiernus prætexebat, ſe eò acceſſiſſe, ut hoc malum à regno averte-
1462 ret. Mox ejus juſſu ſuſpecti veluti clam cum Carolo adverſus Chriſtiernum facientes, in vincula conjecti ſunt, Claudius Ryttingius, regis Caroli Cancellarius, Nicolaus Petri, Orianus, Carſonius, Steno Benedicti & alii. Qvidam qvæſtionibus ſubjecti & ad necem torti, ut, qvod non commiſerant, tamen faterentur. Nonnulli aliis modis vexati, valetudinis ſuæ jacturam non absqve civium dolore fecerunt. Poſtqvam rex novum tributum, præſulis, ut nonnulli volunt, conſilio, iterum impoſuiſſet plebi, & mox inde in Finnoniam iret, archiepiſcopum, qvi regis abſentis vicem obibat, juſſe-

rat

rat illud per ſuos exigere. Sed archiepiſcopus, plebem ea cauſa tumultuantem ſedare an ſibi conciliare qværens, ſeu ut evectionem opum extra regnum impediret, hoc tributum propria auctoritate plebi remiſit. Unde regis offenſam meritus, ejusqve proditor à Danis appellatus eſt. Accedebat, qvod delatoribus & inimicis frigidam ſuffundentibus, & odio in præſulem aucto, multorumqve civium erga Carolum deſiderio nondum exſtincto, Chriſtiernus in ſe qvoqve metuebat, qvod in Carolo ejecto expertus erat. Itaqve præſul, ex conſenſu & voluntate *potiorum militum regni Sveciæ*, ut ſcribit auctor Chronici Archiepiſcoporum Lundenſium, i.e. Nobilium, fruſtra deprecante & fidem interponente Catillo Lincop. epiſcopo, ejus ſororis filio, à rege juſſus eſt in Daniam abduci & vinculis tradi, dignitatis ſuæ præcipuum, uti exiſtimabant, auctorem. Sed alii judicabant, *hoc evidens pœnæ divinæ in præſulem exemplum: qvi, qvamvis cætera vir cordatus, & generoſus,* 1463
tamen hic extra regiones officii ſui temerè ruens, arma, qvalia ipſi credita non eſſent, ſua auctoritate contra ſuum Regem ambitioſo, rebelli & ulciſcendi cupidò animo induiſſet. Ubi ad ruſticorum aures manavit, præſulem in cuſtodiam eſſe abreptum, & qvidem, ut vulgò fama fingebat, ob exoneratam à ſe gravi tributo multitudinem, illi in boreale ſuburbium Holmiæ armati confluunt, hanc injuriam vindicaturi; qvidam inſulam Spiritus S. dictam inſident. Sed rex navibus interpoſitis eos ſecrevit, ut viribus diviſis illos, qvi in inſula hærebant, etſi ſtrenuè pugnantes, illatâ cæde proſterneret, vitam paciſcentibus parceret, cum conditione tributi nuper illis imperati ſine morâ dependendi. Duces factionis ultimo ſupplicio affecit. At pontifex Romanus, Chriſtierno interminatus eſt, ob Archiepiſcopi in vincula compacti injuriam & poteſtatem in tam reverendam perſonam temere à ſe, ut putabat, uſurpatam, uſu ſacrorum interdicere. Rex negabat *ſe cuſtodiæ incluſiſſe illum ut archiepiſcopum, ſed ut hominem de mundo, qvi militaria ac civilia tractaret, & ſacro ſe munere abdicaſſet perjuriiqve reus eſſet.* Totum negotium Legato pontificis, epiſcopis vicinis & ordini ſacro decidendum commiſſum eſt. Sed illi ſtudio rem trahentes, tandem in ſuſpenſo reliqverunt. Itaqve Catillus viâ pacis & conciliationis neqvicqvam tentatâ, cum propinqvis & amicis ſuis de viâ per vim armatam eripiendi cuſtodiæ præſulis, aut injuriam perſeqvendi agit: & de adjungenda ſibi multitudine agreſti, jam ſuopte ingenio ad ultionem pronâ. Omnibus idem volentibus, Catillus exercitum cogit, ejusqve ductorem ad exemplum avunculi ſui agens, & voto ſe obligans, Holmiam adoritur, obſidet, capit. Mox ad Chriſtiernum ſcribit, *ſi dimittat præſulem; ſe benevolis & obſeqventibus*

civibus

civibus uſurum; ſin minus, alia omnia experturum. Verùm hæc ſurdis auribus narrabantur. Ideò Catillus Dalecarlis & Helſingis ad ſuas partes adjunctis, caſtra ad Haråker figit: ubi Danis ſimulatâ fugâ in inſidias tractis, dein manu cum illis in lacu glacie ſolido conſerta, victor evadit. Ita Chriſtiernus videns pleraqve ſibi improſperè cedere, cum claſſe ſua in Daniam revertit. Ex una navium capta apluſtre rapuerunt milites, & ad Holmiam in colle Brunconis trophæi loco erectum *Danorum braccam* per ludibrium appellarunt: qvod tunc eorum braccæ pro iſtius temporis more forſan fluitantes & laxiores eſſent: aut qvod ea appellatione laxum vexillum illis eſſet. Dum hæc ita proceſſere, literæ Caroli Canuti exſulis adferuntur; ad Ordinem ſacrum Upſalienſem ſcriptæ, in qvibus abitus ſui cauſas, cum expoſtulatione injuriarum ſibi à præſule factarum, prolixè exponit. *Qva ratione jam per qvinqvennium agitarit præſul de ſe* (Carolo) *prodendo, perdendoq;. Qvo nomine qvum ipſum inſimulaſſet, ipſum ſupplicibus ad Deum manibus ſanctè obteſtatum eſſe, ſe integram fidem & amorem regi ſuo ſervaturum, nec unqvam commiſſurum, ut rex ejiceretur regno, & Chriſtiernus in ejus locum adſciſceretur. Qvin ſe malle ante pedes regis ſangvinem ſuum profundere, qvàm permittere, ut ille regno deturbaretur. Ita ſe ut amico fidem habuiſſe & ex ſententiâ Senatus patentes ei literas ad ſubditos de armis contra hoſtem Chriſtiernum regem Daniæ capiendis dediſſe: qva de re ulterius qvoqve populum erudire rogatus erat. Illum verò abuſum iſtis literis, populum adverſus Regem concitaſſe, arma contra ipſum expediviſſe, Holmiam arctè cinxiſſe. Regem tamen etiam cum vitæ ſuæ periculo ſe obtuliſſe amicæ compoſitioni & ſatisfactioni, ſi de publica fide, præſul ejusq; ſocii ſibi ſatisdare voluiſſent. Sed hoc denegato, nullum aliud remedium à fortuna & fide derelicto ſuperfuiſſe, qvàm in exilium abire. Simulac verò præſul regem exterminaſſet, Chriſtiernum contra datam fidem in regnum advocaſſe. Præſulem, omni reverentiâ exuta, ipſum ut tyrannum, proditorem, prædonem civium & hæreticum apud Pontificem & alios peſſimè criminatum eſſe, nullo alio qvàm populum à rege ad ſe avertendi animo. Se verò inuſitato, ambitioſo & ſacrâ perſonâ indigno titulo regni caput & adminiſtratorē libertatis vindicem ac defenſorem jactaſſe. Cæterum de ſuâ innocentiâ regem ſuam & bonorum conſcientiam ipſorumqve fidem appellare; imò toti mundo ſuam integritatem ptobaturum. Non poſſe tamen non mirari, qvod ſodales præſulis tantam ejus inſolentiam & ambitionem tulerint. Niſi præſulis & ipſorum promiſſis tantum fidei habuiſſet, ſe lege cum ipſo acturum fuiſſe. Præter graviſſimas autem injurias & contumelias, qvibus regium nomen lacerarit, ne qvidem ſibi temperaſſe ab odio & immanitate adverſus teneros regis liberos, qvos à ſuis cognatis, qvibus*

com-

commendati erant, abſtractos ſæva hyeme trans mare in exteras oras emiſerit, ut eò citius perderet. Regem tamen non tam domeſticum, quam publicum malum dolere: dum in ſui locum Chriſtiernus ſuffectus, patriam opibus à ſe fidei Fratrum minorum in uſum ac neceſſitatem regni commiſſis, exſpoliet, Daniamqve ditet. Hæc & plura hujusmodi incommoda ab impiis præſulis machinationibus profecta eſſe. Eundem nuper qvoqve Catillum epiſcopum, & alios ex ſuis cognatis rebelles contra ſe, publicâ auctoritate in regnum revocatos, exciviſſe. cum tamen ſatis ſciat, literis Pontificis in archivo eccleſiæ Upſal. adſervatis ſacrorum uſu prohiberi, qvicunqve legitimo magiſtratui & vero Regi Svediæ obnitatur. Contra qvas tamen ex falſa relatione diſpenſationem Pontificis poſtea impetravit. Præterqvam qvod ipſi non ignotum ſit, qvid pœnæ lege Dei & patriæ hujusmodi perduellibus debeatur. De cætero rogat ſacrum ordinem Upſal. cogitare de modo ſarciendi damni, qvod ipſorum fide pro præſule interpoſita acceperit, & Pontifici aperire tam injuſtas ejus molitiones, & tam indignum ſacri muneris abuſum. Ad ea reſponſum ſe ab illis exſpectare. Illi reſpondent: *Præſulem nihil qvidqvam vel conſilii vel operæ cum ipſis communicaſſe in his, qvæ antea vel nuper in regem admiſerit. Qvod feciſſet, longe melius eventura omnia.* Tandem creſcentibus inter proceres æmulationis ſtudiis, & detrectantibus imperium Chriſtierni Svedis: *qvod contra regni legem opes publicas extra regnum abſtuliſſet: qvod per abſentiam ejus raro, ut decebat, jus diceretur, & præfecti interim, ut vellent, non ut fas eſſet, cum ſubditis agerent: qvod arcibus & officiis præfeciſſet Danos; & alios exteros pro libidine dominantes, excluſis indigenis, tanqvam improbæ in regem fidei eſſent.* Itaqve in conſilium itur de Carolo, qvi deſiderium ſui iterum fecerat, in priorem honoris gradum reſtituendo, & Chriſtierno ex dictis cauſis abdicando. Clariſſimus rerum Danicarum ſcriptor Meurſius hic notat, *eandem fuiſſe querelam de Chriſtophoro Bavaro, qvæ de Chriſtierno primo erat, & hanc Svecis primam deſciſcendi cauſam extitiſſe;* mox ingenuè fatetur, *non pro cætera prudentia ab utroq; rege factum. Qvippe hanc regnorum legem eſſe, ut per proceres indigenas unumqvodq; gubernetur; & in fide ſe eorum acqvieſcere rex oſtendat: ſi præficiat peregrinos, detrectare ferè obſeqvium ſolere cives: ac ſi fidem in dubium vocet, ad perfidiam irritari.* Idem pluribus repetit in vita Johannis. Chriſtierni igitur imperio abrogato, Gedanum mittuntur, qvi Carolum ad priſtinam dignitatis ſedem revocent. Ita vertente fortunâ evectus dejicitur, dejectus extollitur.

CAROLUS CANUTI RESTITUTUS.

Poſt ſeptem annorum exilium in regnum redit, fauſtis illorum, qvi à 1464
partibus ejus erant, vocibus exceptus qvibus reponit: *Ipſos ſatis meminiſſe,*

ſe eorum legitimum regem, loco & fortuna, non animo ab eis diviſum, illorum accitu ex Boruſſia, ubi non malè ipſi fuerit, huc revertiſſe. Se eosdem, ſi in fide & obſeqvio perſtent, in libertate & jure patrio pro virili tutaturum: nec ſperare, ſecus unqvam à ſe factum. Si qvid ab præfectis provinciarum admiſſum ſit, ejus culpam non in ſe, tanqvam vel inſcium vel nolentem iſtud, ſed in eos conferendam eſſe. Rege urbem ingreſſo & renovato utrinqve fidei vinculo, præcipuus cuſtos regii theſauri Chriſtierno, ut ante memoratum, detecti & abrepti, Petrus Laurentii, & monetarius, qvi obæratus Regi cædem in eum meditatus erat, repentina morte extincti ſunt; & ſceleris conſcientiâ, uti res erat, & ſupplicii metu. Nec liqvido minus argumento, qvàm duro verbere excitam mentem qvaſſat cogitatum adverſus Principem ſcelus, nedum ipſa re patratum. Chriſtiernus accepto, Carolum reſtitutum eſſe, mox archiepiſcopum ex carcere dimittit: tanqvam ideò ſub cuſtodiam dediſſet, ut ignoſcendi ei facultatem haberet, majoriqve ipſum gratia ſibi devinciret. Certè tantum adverſarium iterum opponi Carolo, ſuæ fortunæ peropportunum exiſtimabat. Præſul enim infenſior Carolo, priores in Chriſtiernum affectus, qvod mirum, retinuit aut ſimulavit; & populum proceresqve, qvantum potuit, adverſus Carolum ex adulto odio commovit. At Carolus plebem conciliabat ſibi promiſſis & ſpe relaxationis tributi: qvod qvum Rex promulgaſſet, præſul in eccleſia contra publicè interdixit. Sanè populum in ſuâ, ut adminiſtratoris regni & poſſeſſoris arcis Holmiæ, poteſtate eſſe volebat. A ſacro ordine Upſalienſi admonitus, ut miſſis civilibus negotiis, qvod ſui officii eſſet, ageret: ita tutiori loco & tranqvilliori conſcientia fore; hoc ſalutare conſilium ſprevit; donec odio populi gravatus, in comitiis Nicopenſibus adminiſtrationem renunciare & Erico
1466 Axelii præfecto arcem Holmenſem tradere coactus eſt. Qvam tamen poſtea, ſed fruſtra, ad ſe retractum ibat. Interim recrudeſcentibus non ſolum inter præſulem & regem, ſed etiam ejus cognatos Stenonem & Nicolaum Sturios odiis, rex armis decidere litem qværit, Upſaliamqve cum copiis mittit Boethium Tyrium, qvi præſulis ædes diruit. Hoc ultum venere amici præſulis Catillus epiſcopus, Ivarus Greenius, David Benedicti, Trotto Caroli, ac Boethium ad aciem laceſſiverunt. Ille promtus, prælium init, ſed non paucis utrinqve cæſis, æqvâ fortunâ diſceſſum eſt. Mox fide data viſum eſt de pace tractare. Boethius hac re falſus, dum majorem partem copiarum Holmiam dimittit, Catillus contra publicæ fidei religionem eas invadit & ſternit, vix fugâ dilapſo Boethio, qvi inſuper ſacris prohibetur à præſule, ob direptas ſuas ædes. Contra Carolus *hoc interdictum*

dictum publico codicillo caſſum & irritum pronuntiat, qvod præſuli nulla ſit poteſtas ſacrorum commercio cuiqvam interdicendi: qvum ipſe ſacris à Pontifice prohibitus ſit, qvod legitimo magiſtratui ſe oppoſuerit. Carolus autem reſpiciebat ad diploma Pontificis in archivo collegii ſacri Upſalienſis ſervatum, cujus mentionem qvoqve facit in literis ad idem collegium in exilio ſuo datis, & ſuperius allatis. Eo diplomate ſacris interdictum erat qvibuscunqve ſupremo magiſtratui Regive Svediæ reſiſtentibus. Inde expugnatione Holmiæ ab archiepiſcopo & ſociis neqvicqvam tentata, de pace ſeriò convenitur: *ut rex Carolus acceptis arcibus Finnoniæ, Aboenſi & Raſeburgenſi cum Bothnia ſeptentrionali, retentoq; titulo regio, regni adminiſtrationem deponat & ejuret.* Rex belli fortunam, qvum infeliciter periclitatus erat, deſperans, ſeu publicæ privatæqve tranqvillitatis ſtudio, cedere facilis, ſubſcribit nomen ſuum pacis legibus & imperio decedit. Qvum veniſſet Aboam, à loci iſtius epiſcopo, qvi ſtabat à partibus præſulis Upſalienſis, ferme interemtus fuiſſet; ut qvidam ferunt. Poſt biennium tamen Ericus Axelii cæteriqve proceres agunt de conciliatione Caroli & præſulis, ac illius dignitate redintegranda. Et qvidem Carolus poſtridie S. Martini in regium locum reſtituitur, tradita ſibi ab Erico Axelii arce Holmenſi, & reconciliatur adverſariis; non tamen ſatis præſuli; qvi poſt menſem à reſtituto in regnum Carolo in Ölandia deceſſit. Carolus ubi populum civili juſtoqve imperio regit, pleriqve ad obſeqvium redierunt, præter Calmarienſes, Ölandenſes & paucos alios, qvi adhuc à Chriſtierno ſtabant. Deinceps Halmſtadii à legatis Caroli & Chriſtierni de jure regni diſceptatum eſt. Hic ſibi Carolum regno cedere, ille verò jure vel per arbitros cum illo experiri voluit. Sed Chriſtiernus cauſam ſuam velut liqvidam & juſtam contendens, foro arbitriſve ſubmittere nolebat. Ita infecto negotio diſceſſerunt. Seqventi anno Chriſtiernus non ex jure, ſed armis 1468
regnum repetitum venit, parum tamen feliciter, occurrente illi Carolo, & Axevaldiam in Weſtrogothia occupante. Unde mox revertitur in Daniam. Dum ille abeſt, Carolus Verendiam in Smalandia adhuc agnoſcentem Chriſtierni partes & Hallandiam depopulatur. Chriſtiernus inſeqvente vere rediit, & copias ſuas Axevaldiæ, Solvisburgo & arci Lillöenſi admovet, easqve expugnat & demolitur; noſtros ſilvam tranſeuntes ex inſidiis cædit. Qvum Carolus Vadſtenas comitia indixiſſet, inimici ejus Ericus Nicolai, Ericus Caroli & Trotto ejus frater pluresqve alii junctis copiis, uti inſidiatores viarum, ex evocatis Vadſtenas interceperunt Birgerum & ejus filium, Arvidum Trollium & Magdalenam Caroli filiam. Rex Holmiam re-

verſus copias adverſus Ericum Caroli injuriæ plectendæ animo parat. At Ericus cæſis Caroli copiis, Arbogā, qvæ cum Carolo adhuc fecerat, diripiebat; & adjunctis ſibi vagis Chriſtierni copiis, inde Upſaliam pergebat, civesq; in ſua verba adigebat: qvod codicillis ad templi fores adfixis in publicū divulgat. Iisdem codicillis appoſita item erant ſigilla Trothonis Caroli, Davidis Benedicti, Erici Nicolai aliorumqve qvi à rege Carolo defecerant, eumq; tanqvam perjurum dictis differebant; qvaſi non juſto titulo poſſideret regnum, qvod ſemel ejuraſſet. Nec id ſolum, ſed Ericus Caroli etiam cenſum à civibus tanqvam ſibi ſubjectis exigit. Hanc ut inſolentiam reprimeret, rex copias adverſus eum per Claudium Olai mittit: qvi conſerta cum eo prope pagum Knutebyenſem pugnâ victus captusqve eſt. Mox ubi ſuppetias advenit Steno Sture cum exercitu in Sudermannia collecto, ejecit cingentes arcem Aroſienſem & inde movens in proximum territorium Fiedhundriam, obvium habuit Ericum Caroli. Rumor pervagatus eſt caſtra Stenonis, haud dubiè ab ejus hoſte Erico diſſeminatus, qvaſi proprii milites adverſus ducem ſuum conſpirarent. Steno pronæ in re tam ancipiti & periculoſâ, nec dum explorata, credulitatis, relicto exercitu ſuo in Daliam ad Nicolaum fratrem evadit. Hoc aſtu Ericus, qvi tot viribus ſe imparem agnoſcebat, eoqve diſparare copias hoſtiles vel ad ſe elicere ſtudebat, Sudermannos milites Stenonis absqve ullo diſcrimine damnoqve in ſuas partes traducit, atqve ſibi juratos domum dimittit. Vigeſimo die poſt feſtum nativitatis Chriſti ortâ de adventuro ex Dalia Nicolao Sture cum magnâ manu famâ, non exiguas qvoqve Ericus adverſus eum copias parat. Ubi propius accedentibus inferenda jam erant ſigna, Ericus, temerè adverſus hoſtem in inſidiis latentem excurrens, funditur & in fugam unà cum Trottone Caroli, Erico Nicolai, Johanne Slavvecka aliisqve convertitur. Alii annales Ericum victorem noſtros profligaſſe, & Arhoſiam recepiſſe tradunt. Pars capti ſunt, qvorum principes erant Gődekenius Lupus, Juſtus & Nicolaus fratres, Norvegi: qvi ad Carolum ab Henrico epiſcopo Lincopenſi miſſi, rotæ ſupplicium ceu rebelles ſubierunt. Reliqvi fuga Arhoſiam elabentes, ut tutius & commodius iter haberent, fictas literas, proſperum eorum ſucceſſum & victoriam nunciantes, per Oſtrogothiam & alibi ſparſere. Qvo commento deceptis incolis, & rumore cladis celeritate abeuntium anticipato, inoffenſo tranſitu, ac bene accepti Calmariam usqve ſalvi pleriqve pervenerunt. David in carcere deceſſit. Chriſtiernus ad idoneam cautionem dimiſſus eſt. At rex Daniæ in Verendia & Weſtrogothia graſſans, & Öreſtenium obſidens, inde à Stenone

& Ni-

& Nicolao Sturiis repulſus eſt. Idem Calmariam & Ölandiam adhuc in fide ſua retinebat, uti paulo ante dictum. Has Ivarꝰ Axelii fruſtra oppugnare aggreſſus, qvippe valido præſidio obtentas, inde ſe vertit in Daniam, regem intra regni ſui penetralia forte improvidum occupaturus. Sed is adventum ejus prædoctus, in campo Herlingo ad Elingsburgum ei occurſat. Ibi commiſſâ manu, Ivarus cum ſuis fortiter dimicans, fortunam prælii ſatis ancipitem fecit. Sed poſtremum inclinante illius acie, in fugam pulſus, non levi ſtrage cæditur. Fractos clade Svecos, ne rex copiis promotis in totum porro regnum incurſaret, pacem petiiſſe, ſpe regni Svediæ ipſi factâ, Carolum ſe honeſta aliqva tranſactione demoturos promiſiſſe, tradunt annales Danici. Eam in rem mox Lubecam affuturos, qvi cum plena poteſtate de communi omnium procerum ſententia hoc negotium agerent. Sed hanc fuiſſe regis ludificationem à Svedis excogitatam, qva Chriſtiernum à ſuis finibus amolirentur, eventus oſtenderat. Hac contumeliâ accenſus, poſtea cum expeditis copiis rediit, & qvidem ſummâ hieme ac itinere per abruptas rupes & anguſtos colles difficilimo, cives & agricolas inopinato adventu perculit. Qvi in paludes ac ſilvas denſiſſimas ſe abdentes, conferta arborum concæde ſibi munitiones præſtruxerunt, hoſtiqve aditum occluſerunt. Chriſtiernus eos ad Tivvediam usqve ſilvam inſeqvutus, ſed malo hic olim experto jam ſapientior, præmiſſis ſpeculatoribus inſidias coram ſcrutatur. Attamen fortunæ tentandæ cauſſa munitiones eorum aggreſſi Dani, ſed irrito conatu, acriter non ſemel repulſis haud exiguam ſtragem noſtri fecere. Eâ rex & hiemis item aſperitate pabuliqve egeſtate coactus eſt domum cum ſuis ſe recipere. His ita ex ſententia geſtis, Carolus rex ſenio vergente, & per tot ancipites rerum caſus imperii ſatur atqve feſſus, in morbum incidit. Dum vires animi permittunt, ſuprema diſponit. Stenonem Sture ſororis ſuæ filium, ſucceſſorem, ſi ita proceribus & populo faciendum videatur, deſignat, & regis nomen, ceu ea tempeſtate invidioſum, omittere, vim imperii uſurpare jubet; tandemqve Holmiæ in arce rebus humanis excedit; qvum viginti duos fermè annos regno præfuiſſet. Princeps, 1470
præter regium corporis decus, prudens, ſagax & providus, gravi facundiâ & eruditione doctrinâqve rerum etiam mathematicarum iſto ſeculo in Principe rara, nec minus ad belli qvam reip. uſum accommodata. In bellis tamen magis timidus fuiſſe perhibetur, qvàm virum ac Principem deceret. Niſi conſilii fuerit; ut non minus cautè, qvam fortiter ageret, nec præcipiti audacia ſecum remp. in diſcrimen conjiceret. Adverſorum intolerantiorem fuiſſe, arguat facilitas cedendi concuſſæ fortunæ: qvam magis formidare,

dare, qvàm ferre videbatur. Sed inter tam potentes æmulos & tot adverſus ſe machinationes, neceſſitate parêre & tempeſtati velificari, tutæ ſapientiæ eſſe judicavit; maluitqve nullum, qvam publico malo turbandum imperium. Ex ambitione, cujus inſimulabatur, invidiam ita mitigavit, ut ab exilio revocatus, & vix ſemeſtris rex, urgentibus adverſariis, amplisſima poteſtate decederet, modicâ regni parte contentus. Et ſuſcipiendo gerere, & deponendo recuſare imperium, ut placeret fatis, ipſam etiam fortunam, & qvæ dederat, reſignare magno animo paratus. Publicum odium, qvo propter vel ſuam, ut qvidam volunt, vel præfectorum potius avaritiam, & in plebem ſævitiam laborabat, ita lenivit, ut profugus è regno magnam auri argentiqve vim, ingens & opportunum, qvando uſus eſſet, regno ſubſidium, uti ipſe in ſua ad ordinem ſacrum Upſal. epiſtola fatetur, apud fratres prædicatores Holmiæ poſt ſe relinqveret; niſi Chriſtiernus inter vertiſſet. In regnum reſtitutus, priorum errorum velut pœnam ac emendationem à ſe ipſe exegit: dum tales provinciis præfecit, qvi officiis, induſtria, & fide inter ſe certantes, præteritorum memoriam obliterarent.

STENO STURE SENIOR.

Guſtavi filius ex Brigitta Caroli ſorore natus, anteqvam regni Sveciæ adminiſtrationem capeſſeret, unâ cum civitate Stockholmenſi ad plebem, in Nundinis Ericianis Upſaliæ conventuram, literas dat: in qvibus ei prius ſignificat mortem Regis Caroli Canuti, & qvod ei commiſerit adminiſtrationem regni, plebe, ut ſperat, volente: deinde inſidias Chriſtierni primi adverſus regnum; contra qvas plebis opem & colloqvium deſiderat. Qvo
1470 facto, regnô præficitur adminiſtrator ex avunculi ſui deſignatione, & conſentientibus plerorumqve procerum populiqve animis; niſi qvod protervi qvidam ruſtici adhuc animo in eum alieno eſſe videbantur, qvos facili negotio, Germanicæ cereviſiæ donis in ſuas partes adduxit. Circa initium adminiſtrationis ſuæ, unà cum Regni Senatu, publica Conſtitutione abrogavit & ſuſtulit morem hactenus receptum de dimidia parte Senatus urbium ex Germanis legenda, eorum numero & viribus in qvibusdam locis ſupra Svecos creſcentibus: unde ſæpe diſſidia & ex his turbæ exitioſæ ortæ erant. Ad has exſtirpandum, lex vetus renovata & in uſum revocata eſt, de Senatu urbium & oppidorum non niſi indigenis unius gentis & lingvæ, majori patriæ bono, qvippe & dignitate, in poſterum conſtituendo. A domeſticis hoſtibus Erico Caroli & Erico Nicolai ad Ladubyenſem pagum non procul Upſalia & dein apud Dalios profligatis, patriam prius liberavit: ut tutius hoſtem externum aggredi poſſet. Mox enim Chriſtiernus cum decem milli-

um exercitu ad vindicandum ſibi Svediæ regnum aderat. Sed Steno promtis 1471 copiis, qvas Nicolaus Sture & Canutus Poſſe ductabant, ei intrepidè obviam procedit. Hoſtis montem Brunconis ad Stockholmiam occupat, & caſtris ad radices montis locatis, urbem arctè cingit oppugnatqve. Steno dum viribus prævalidum ſentit hoſtem, non minus conſilio qvàm virtute pugnandum ratus; verbis & ſpe tenet Chriſtiernum, donec conſumeretur ejus commeatus, & Dalecarli ſubſidio accederent. Qvi ſimulac advenere, oppidanos à fronte regem adoriri, Dalecarlos à tergo eum premere jubet: ut ita medium & incluſum intra anguſtias cogant. Ancipite prælio, tandem tamen Svedis fortiter dimicantibus victoria ceſſit. Sed & Chriſtiernus inſtar gregarii militis ſtrenuè pugnans, in adverſum os ſagittâ, qvatuor anterioribus dentibus excuſſis. Sagitta in faucibus tam preſſè hæſit, ut ægrè nec abſqve vitæ ferme periculo evelli poſſet. Statâ Danorum acie, multi cum Trottone Caroli & Stephano Benedicti ad cœnobium S. Claræ cæſi, plures in fugam verſi captiqve ſunt: inter qvos præcipui fuere Claudius Ronavvius regni Daniæ Mareſcallus, Turo Turonis, Nicolaus Chriſtierni & Andreas Fryſius. Non pauci ponte, qvi ſuburbium & Kæplingam inſulam committebat, rupto, præcipites undis oppetierunt. Hanc fortunam & exigui temporis qvietem mox excepit bellum Sveonum cum Ruſſis ob controverſias de finibus excitatas. Cum Ruſſi Finnoniam paſſim depopularentur, contra eos miſſus Ericus Caroli cum Nicolao Sture, illos debellavit, & arcem probè munitam in Savolaxia, caſtellum novum alioqvi Olaoburgum dictum, præſidium adverſus hoſtes exſtruxit. Poſtqvam Stenoni ab armis aliqvod otium contigit, patriæ ſtatum diligenter accuravit; & præfectos tales in provinciis conſtituit, qvi non ſolùm ipſi injurias à ſubditis abſtinerent, ſed etiam alios inferre non paterentur, aut illatas rite vindicarent. Qvum ipſe propter publica negotia provincias omnes ſubinde obire non poſſet, in illis habebat ſuos oculos & aures, id eſt fidos inſpectores, ſcrutatores & exploratores, qvi præfectorum & ſubditorum acta, & inſidiatorum adverſus ſe conſilia exqvirerent, ac Stenoni clam bonaqve fide referrent. Illos tamen cum judicio, ſecretos & ſe invicem ignorantes audiebat, ulterius & rite cognoſcendi magisqve præcavendi mali, ut tunc rerum ſtatus erat, qvàm temere ſuſpicandi cauſſa: qvod contra occultos ſuos patriæqve hoſtes & proditores, qvi profeſſis & apertis hoſtibus pejores, eò minus præcaveri & vitari poſſunt, qvò magis latent, uſurpare in rem eſſe ducebat. Tantum autem aberat, ut innoxiis noceret: ut contra noxios potius eos tutaretur. Qvippe, ſi credimus Johanni Magno, ſibi potius vitam, qvam colono unum

ovem

ovem contra fas auferri permiſiſſet. Qvo factum eſt, ut omnes ſubditi pro eo vitam & fortunas exponere parati eſſent. Unde fama emanavit, Stenonem invictum eſſe, qvi qvot incolas, tot milites haberet. Præter beneficentiam ejus erga ſacra eximiam, Academia Upſaliæ, curâ Jacobi Ulphonis archiepiſcopi, auſpiciis & munificentia Stenonis Sture ſurrexit, & iisdem privilegiis, qvibus Academia Bononienſis, à Sixto qvarto Pontifice donata eſt.
1477 Chriſtierno I. rege Daniæ rebus humanis excedente, comitia Halmſtadium indicta ſunt: in qvibus de renovando trium regnorum fœdere, & communis regis electione conſultaretur. At Steno morbi ſive veri ſive ſimulati excuſatione, eo non venit: qvod nuper imperio præfectus, tam ſubitò privatus, ut ſuſpicabatur, eſſe nolebat; & qvæ fuerunt aliæ cauſſæ, ſuo loco dicendæ. Biennio poſt Calmariæ iterum comitia fuere: qvibus ſe Steno ſiſtebat. In his inter trium regnorum borealium proceres convenit de iſtorum regnorum imperio Johanni tradendo, renovatis legibus unionis, in qvas juraret. Illarum hæc præcipua capita fuere: *Ut religio & Eccleſiarum privilegia ac immunitates ſartæ tectæ ſerventur. Ut adminiſtratio trium regnorum ſecundum leges ſingulorum & mores majorum inſtituatur. Ut nulli exteri in ordinem Senatorum regni recipiantur. Nec provinciæ, arces & feuda per extraneos, ſed ſolos indigenas regantur. Ne ulla poſſeſſio aut prædium regni absqve ſenatus regni conſenſu ulli oppignoretur, alienetur vel imminuatur. Ut nemini literæ liberi commeatus denegentur, ſalvo tamen jure vectigalium. Ut beneficia Eccleſiaſtica & parœciæ nullis niſi indigenis atqve idoneis committantur. Omne æs alienum, à patre Chriſtierno contractum, tribus his regnis borealibus exſolvat. De omnibus illatis damnis ex æqvo ſatisfaciat. Lis de Gothlandia, Scârdalia & Svvartôônia cum Svedis jure vel ab arbitris decidatur. Trium regnorum, Johannis matris Dorotheæ & fratris Friderici nomine, inter regem, Stenonem & Nicolaum Sturios, Ivarum Axelii, præteritarum offenſionum oblivio perpetua ſit. Nulli vis aut injuria, qvoad vitam, famam, corpus aut fortunas inferatur, ſed jure cum ipſo agatur. Nullus in turres aliumve carcerem conjiciatur, niſi in eo regno, ubi delictum admiſit, legitimè convictus ſit. Dignatio & exiſtimatio regni Senatus à rege illibata ſervabitur. Nulli qvemcunqve ex ſenatu calumnianti aut deferenti fidem habebit rex, niſi deferens ad probationem urgeatur. Nulli ex ſenatu rex probrum dicet facietve, niſi convicto. Nulla tributa vel exactiones novas, niſi de ſenatorum ſententia, ſecundum regni leges imperabit. Omnia vectigalia in argentea moneta ſolvi curabit. Nulla edicta promulgabit, nec promulgata relaxabit absqve majoris partis Senatus conſenſu. Judiciorum in provinciis aut oppidis legitimum tramitem atqve ordinem ſuis edictis non impediet. Eccleſia-*

ſticos

ſticos ſe civilibus immiſcere aut politicos eccleſiaſticis negotiis, non patietur. Nullum bellum absqve communi trium regnorum aſſenſu movebit; nec militem externum in regna adducet, niſi ex neceſſitate & conſenſu ſenatus. Devictæ regiones, urbes aut arces cedent cujuslibet regni victori, ſed alia mobilia viritim utrimqve dividentur. Non emet rex aut pignori capiet pro ſe aut ſuis hæredibus bona ſoli propria & hæreditaria Nobilium. De rebus naufragis non ex arbitrio ſed ſecundum cujuslibet regni leges jus dicetur. Conſules, ſenatum, ſyndicos & publicanos urbium non niſi ex indigenis rex eligi permittet. Regni theſauros, diplomata & reditus regno non evehet. Reſcripta contra reſcripta, aut literas regias contra easdem non dabit. Unum annum in Dania, alterum in Svecia, tertium in Norvegia aget. Fide publica abibit & redibit. Usque dum commoratur in regno, Mareſcallum, Cancellarium & magiſtrum aulæ ex regni illius indigenis capiet. Aulicos miniſtros & alios communes famulos, non Epiſcopis, cænobiis & vaſallis alendos, aliave onera imponet. Exteris civitatibus privilegia nulla confirmabit, aut nova dabit, absqve ſenatus illius regni conſilio. Academias in ſingulis regnis fovebit, & in ſuo vigore ab immunitatibus conſervabit. Abſente rege, qvatuor ex illius regni ſenatu ſupremam juris adminiſtrationem exercebunt. In regno Sveciæ qvatuor ſenatoribus, duobus ex ordine eccleſiaſtico & duobus ex politico omnium ejus regni arcium præfecturæ committentur. Iidem convocandi ſenatus, & interregni tempore gubernandi regni facultatē habebunt. Injuſtè ſuis bonis ſpoliati reſtituentur. Pro amisſis in bello literis publicis rex novas de Senatus regni conſilio ſubſtituet. Qvotannis ex ſingulis regnis tres, Epiſcopus & duo Equites S. Olai die convenient, qvi de regnorum concordia tuenda conſultent, & an hæc capita ritè ſerventur, diſpiciant. Proſcripti ex uno regno juſtis de cauſis, in aliud non recipientur. Cuilibet prædia ſua & arces pro arbitrio munire integrum erit. Nec illis vi aut clam privabitur. A Rege eò adventante, priusqvam intret, cautionem peti, ægrè non feret. In regis offenſam incidentes hoſpitio accipere liceat, donec tuti in judicium veniant. Reliqva qvædam ſingularia de ſtatu regni Norvegici continebant. *Qvod ſi rex adverſus hæc capita qvicqvam per ſe vel alios admiſerit, univerſo regnorum ſenatui, præſulibus, eqvitibus, nobilibus, civibus & plebi, incolumi exiſtimatione & jurisjurandi fide, Regi impune reniti licebit.* Rigenſes fœdus iniverunt cum Stenone contra ordinis Teutonici in Livonia magiſtros, qvi epiſcopum Rigenſem expellere qværebant. Steno copias ſubmiſit Rigenſibus, duce Nicolao Erici. Inde à Ruſſis, Livonorum qvoqve hoſtibus, capta occaſio non ſolum Livoniam, ſed & Finnoniam invadendi. Sed Steno & dicti magiſtri compoſitâ pace, communem ſibi hoſtem fecere Ruſſum, junctisqve copiis in eum iverunt. Qvamvis Ruſſum, Johannis

hannis regis Daniæ fœderatum, ab eo contra Stenonem magis incitatum ferant: qvod ipſum ab inauguratione regni Svedici diſtineret, obtentu conditionum ab ipſo non impletarum: præſertim de exſolvendo patris ære alieno, de Gothlandiæ controverſia componenda, & ut ea rediret ad regnum Sveciæ. Qvum verò Svedi duos potentes hoſtes, Ruſſum & Danũ, nacti eſſent, multi ex nobilitate, inter qvos præcipuus erat Ivarus Axelii, Johannis regis Daniæ eligendi auctores fuere: ut ille vel Moſchum placaret, vel uni hoſti magis pares eſſent. At inter diſſidentes ea de re nondum ſatis convenire poterat, maximè diſſentiente Stenone regni præfecto, qvi licet initio viſus Johannis electioni & regni traditioni, de qva etiam Johanni literis caverat conſentire, tamen eam in longum, prætextu paulò ante memorato duxit. Vera autem cauſa erat, non tam ambitio ejus & qvod ipſe regnum adeo appeteret, ut nonnulli volunt: qvippe qvi in adminiſtratoris titulo & honore adqvieſcebat, ipſamqve adminiſtrationem, ſi ita placeret Ordinibus, certis legibus reſignare paratus erat, & poſtea qvoqve reſignavit; ſed qvod regi Johanni parum fideret, & ſuæ ſecuritati ab ipſo timeret: cui memoria injuriæ, (ſic ille interpretabatur) ob ademtum patri Chriſtierno regnum Sveticum, & Carolum Canuti Stenonis avunculum ei ſuffectum, adhuc altè animo inſidebat. qvæ tamen poſtea inter eos compoſita ſunt. Præter hoc, ſi poteſtate exueretur Steno; ſatis prævidebat, ſe æmulorum & inimicorum, qvos tam intra qvàm extra patriam non paucos habebat, potentiæ & ultioni opportuniorem fore. Proinde Johannes vi & armis extorqvendi conſilium capit, qvod ſibi debitum ob moram & qvæſitas dilationes negari videretur. Qvum verò ſatis intelligeret, qvantum eſſet momentum in occupatione Gothlandiæ Svedis proximæ, ad excurſiones in eos, & tutum receptum; & Ivarum Axelii, qvi ejus præfecturam adhuc tenebat, ſuſpectum haberet, tanqvam Stenoni affini ſuo addictiorem, eòqve veritus ne eam Svecis traderet; cum Ivaro agere cœpit de iſtâ inſulâ ſibi permittendâ. Egit itidem cum eo Steno de eadem inſula tanqvam Svediæ debita, & ſede belli adverſus Danos eligenda, de Finlandia & pluribus præfecturis, qvas tunc obtinebat Ivarus, pro aliis Svediæ provinciis & arcibus permutandis. Finlandiam, adjutantibus amicis, qvamvis ægrè, ab eo impetrabat; Gothlandiam non poterat: cujus poſſeſſionem à morte Olai fratris jure hypothecæ pro ingenti vi pecuniæ Chriſtierno ab Olao mutuò datæ, ut in vita Caroli Canuti ante dictum, ſibi vendicare Ivarus præ ſe ferebat. Steno illum Calmariam ad colloqvium evocat. Sed ille morbum ſimulans, haud acceſſit.
1487 Altera vice vocatus idem prætexit. Steno trajiciens in Ölandiam, ad eum mittit

mittit Achacium Johannis & Arvitum Trollium, qvi hominem rectius eru- dirent & permovere tentarent. Sed ille nihil pacati reſpondet, ad vim propul- ſandam, ſi ita opus foret, accinctus. Qvin iſtic qvosdã miniſtrorum Stenonis oberrantium capere cæpit. Unde Steno ipſum Borcholmii tunc hærentem, obſidione circumvenire conatus eſt. Sed ille præſidio ad tuendam arcem re- licto, ſcaphâ clam ſe ſubduxit in Gothlandiam, eamqve mox Johanni regi eò cum copiis accedenti tradidit, in ſpeciem qvaſi armis adactus, ſed revera pro magna vi pecuniæ, ut annales Svedici habent. Illa pecunia à Johanne ei perſoluta videtur, qvam Chriſtiernus ante fratri Ivari Olao debuerat. Huitfeldius tamen in Chronico Dan. in vita Regis Johannis, ad ſuas ſoli poſſeſſiones in Dania, & territorii Giers hypothecam rediiſſe ſcribit. In We- ſtrogothia ſeditio adverſus Stenonem mota, octo ſeditionis capitum pœnâ conſiluit. Dum Steno Borcholmium Ölandiæ arcem obſidione cingit, ob- ſeſſis ſuppetias fert Johannes. At Steno ſpecie colloqvii ac ſpe facta prope- randæ inaugurationis regiæ, dimovet regem, & ab Ivaro Ölandiã recipit. Rex ab Stenone ſe deluſum cernens, ſcribit ad Senatum regni Svediæ mo- netqve, *ut in fide perſiſtant, electionemq; ſui tandem aliqvando ratam eſſe jubeant atq; exſeqvantur: ſi perjurii pœnam apud Deum, ac perfidiæ notam apud poſteros effugere velint.* Nihilominus res de anno in annum tracta eſt, partim arte Stenonis, partim ſtudio populi erga ipſum: qvippe regnum ea humanitate 1488
& juſtitia adminiſtrabat, ut populus diu regem haud deſideraret, velut Krantzius in hiſtoria Svetica ſcribit. Ubi Steno in expeditione adverſus Ruſſos erat, accepit literas ab Innocentio Pontifice: qvibus jubetur reginæ Dorotheæ Johannis matri ſine mora reſtituere Örebroam, ei dotis nomine promiſſam; ni faciat, ſacris prohibitum iri: Ille verò fulmen Pontificis parum moratus, ſuos Romam ad ſe purgandum mittit. Eodem tempore Telgis repetitum edictum de certâ vectigalis parte in argenteis nummis à peregrinis mercatoribus ſolvenda: unde monetæ ſolidæ major ſuppeteret 1489
copia. Poſt biennium Svedi fœdus cum Lubecenſibus & aliis civitatibus Vandalicis fecerunt: *ut commercia utrinq; tuta commearent, ſibiq; fidam eam gentem, ſi qvid Johannes moturus eſſet, haberent. nec ut una pars inconſultis fœ- deratis pacem cum rege iniret.* Steno tunc adminiſtratione regni decedere tentabat, invidiæ procerum declinandæ, regisqve placandi cauſa. Sed ob- 1494
nitebantur ſubditi, eum dimittere recuſantes. Annis ſeqventibus actum Calmariæ de Johannis regis, cui non ſemel fidem dederant, inauguratione 1495
tandem peragenda: qvi eò Legatos plenis cum mandatis præmiſit. Ipſe cum armata octodecim navium claſſe ſubſeqvutus: qvæ faceret, ſi legati,

 qvod

qvod volebat, obtinere non poſſent. Sed una navium in freto Calmarienſi, pulveris nitrati receptaculo caſu an culpâ inflammato, in ſublime rapta diſperditur. Seqventi nocte tota claſſis ſæva tempeſtate diſſipatur. Regiam ſuppellectilem literas & diplomata ex Svedia in Daniam traducta, aliaqve magno in comitiis Calmarienſibus uſui regi futura navis vehens, ſubmerſa periit. Ubi rex cum ſuis Calmariam ab Ivaro Axelii ante ei traditam accedit, abfuit Steno. Qvum adventum ejus amplius menſem præſtolati eſſent, literas mittit, qvibus ſignificat, *per ſe non ſtare, qvo minus rex pacem inter regna inire velit, aut bellum eligere. Nihil ſe hîc præſcriptum velle.* Ex hoc ambiguo reſponſo rex colligit, Stenonem Coronationem ejus protrahere. Proinde ſolvit comitia, & adjumentis belli naufragio perditis, re infecta revertitur in Daniam. Iſtic novum meditans bellum, ut ſpacium inſtaurandi vires, & pauciores hoſtes haberet, trium (triginta habent Danici ſcriptores) annorum inducias offert Stenoni, ſi à fœdere Vandalicarum civitatum recedat. Steno non paſſus hoc virium ſuarum ſtabilimentum tantillo pacto ſubrui; ut tamen aliqvid remiſiſſe videatur, unius anni inducias admittit. Interim Ruſſi, ut Johanni regi Daniæ fœderato, ab illo antea in noſtrates concitati, velut annales Svetiæ habent, ſuppetias ferrent, ingenti cum manu Finnoniam irruentes, Wiburgenſem arcem obſident. Et jam ejus turrim aut propugnaculum occuparant, ſcaliſqve appoſitis in muros evadebant. Sed Canutus Poſſe Svetici exercitus dux, etſi minoribus copiis, obſidionem animoſe ſuſtinuit. Incensâ turri, qvotqvot eam inſidebant flammis ultricibus perdidit. Qvare cæteri muros oppugnantes territi, partim in fugam verſi, partim internecioni dati ſunt, & qvidem ad novem millia. Tot verò hoſtes in turri fuiſſe, & eâ incenſâ periiſſe, ut vult Olaus Petri, non videtur veriſimile; Sed tot numero urbem circumſediſſe, veriſimilius eſt. Illos feralis decocti, à Finnone qvodam mago, ut videtur, præparati, horriſono tonitru & fragore examinatos fuiſſe, conſtans adhuc fama eſt. Res ita refertur: Canutus Poſſe arcis præfectus, ut qvalicunqve compendio urbem à tanti exercitus infeſta obſidione liberaret, lebetem æneum in ſummâ propugnaculi turri collocari, & in illũ ferale decoctũ aut pharmacum im̃itti curavit, civibus urbis & militibus ſuis intra cellas & cavernas abditis. qvo facto, decoctũ iſtud, à famulo aures cerâ prius obturante, ſuccenſum tam horrendum fragorem edidit, ut exercitus hoſtilis eum auribus hauriens, qvaſi fulmine percuſſus, humi adfligeretur & exanimaretur. Qvidam verò ſpiritum adhuc ægrè trahentes trucidarentur. Nihilominus alii menſe proximo Februario reverſi, in Careliam, Savolaxiam & Tavaſthiã irruptionem fecerunt.

qvum

qvum omnia rapinis ac incendio compleviſſent, cæſis inſuper in utraqve provincia ſeptem millibus hominum, eadem celeritate, qvâ venerant, terga dabant. Steno cum delecto majori agmine in Finnoniam regreſſus, ut jam ſe recepiſſe Ruſſos accepit, relictis in eadem ſuis copiis, iſtius belli curam demandat Svantoni Nicolai, Canuto Poſſe, Erico Trolle, & Stenoni Turonis, mandato eis dato, ne irruerent in Ruſſiam, ſed Finlandiam contra Ruſſorum irruptionem defenderent; illisqve majoris auxilii fide facta, revertit in Svediam. At illi auxiliarem militem à Stenone frigore & adverſa tempeſtate detento, neqvicqvam operientes, conſilium capiunt de Ruſſis, qvod opportunitas alliceret, præſenti agmine perſeqvendis. Eorum itaqve oras ad novam usqve Narviam peragrantes, arcem Ivangorodiam intra breve temporis ſpacium expugnant, magnaqve ibi præda facta trecentisqve captis in Svediam abitum hieme ingruente parant. Dum in hoc ſunt, advenit Steno cum copiis auxiliaribus, & compertis, qvæ geſſerant, iterum in Ruſſos movere jubet: ut fortunam perſeqvantur. At Svanto ob temporis injuriam abitum urget. Steno rei imperfectæ culpam in Svantonis diſceſſum, tanqvam parum ex uſu publico feſtinatum, confert, eumq; fugitivi convitio inceſſit: qvòd ante patratum bellum magis fugientis qvàm diſcedentis ſpeciem præberet. Hinc tanta diſſidia inter utrumqve exarſerunt, ut vix procerum auctoritate extingvi poſſent. Qvamqvam jam ante qvædam inter illos privata ſimultas oborta fuerat, ob diviſam haud ex æqvis partibus hæreditatem, & qvod alter alteri Stegeburgo cedere nolebat. Sed, ut ſæpe inimicitiæ, ex tenui principio natæ, irâ rixæqve materiâ gliſcentibus, in arcem animorum contentionem eruperunt. Qvæ diſcordia hoſtibus commodo fuiſſet; niſi in tempore ab Hemmingo Gaddo eos in concordiam redigente ſopita eſſet. Poſt hæc expetebant proceres, ut Steno victus conſenſu Senatus, ultrò decederet adminiſtratione regni, & imperium traduceret in Johannem: *Regnum diu rege caruiſſe, tandem opus eſſe capite, qvod majori cum dignitate hoſtium viribus opponi & penetrare validius poſſet. Plus ſatis inani ſpe ductum fuiſſe Johannem: qvem præſtitiſſet aut non adſciſcere regem, aut ex lege fœderis adſcitum tot irritis promiſſionibus haud ludificari. Stenonem multa ſuo arbitrio, non de ſententia Senatus, ut ex fide jurisjurandi debebat, egiſſe. Id teſtatum facere diſſidium, qvod per ſe cum Cruciferis foviſſet: unde Ruſſus occaſionem invadendi Finnoniam & Livoniam arripuiſſet: & qvod inconſulto Senatu Oelandiam & Borcholmium, pro qvibus recipiendis magni ſumtus facti eſſent, Ivaro Axelii tradidiſſet*, qvæqve alia aggerabantur. Ille ut potuit, ſe excuſavit, conqveſtus *hanc gratiam ſibi pro tantis laboribus, qvos*

1496 · 1497

qvos patriæ bono ſuſtinuiſſet, referri. Se tamen, qvia ita placeret, paratum eſſe imperium deponere, ſed in præſentia univerſi Senatus & Ordinum, velut ab omnibus proceribus populoqve accepiſſet. cum qvibus item multa communicanda haberet; qvæ qvum in rem regni forent, omnium intereſſet haud ignorare. Sed hæc ſtudio cunctationis proferebat, ut tempus ex Finnonia domum militem revocandi ſeqve communiendi ſupereſſet. Qvum iſtæc cunctatio bilem moveret Johanni, armata claſſe redit in Svediam & Calmariam gravi obſidione premens ad deditionem adigit, & inde Borcholmium Ölandiæ arcem. Rex lætus ſe pedem jam demum in limine & propugnaculis regni fixiſſe, de certo ſucceſſu non deſperat. Steno verò ſibi plebem adjungit, qvæ plus poſſet aliis, inſuper habita Senatus auctoritate. Antiſtes Upſalienſis Jacobus non ſemel ſcripſit ad Stenonem monuitqve, *ut ſe componeret ad procerum voluntatem & amicitiam, cederetqve tempori. Non eſſe qvod adeò fidat plebi vel ruſticis, memor patrii proverbii: Si plebi permittatur averſos reconciliare dominos aut ſuperiores, vel omnes æqvaturam, vel ad infima redacturam omnes.* Qvin interdictum ſacrorum & ab officio remotionem ei minatum eſſe præſulem, niſi ultrò pareret, qvidam ſcribunt: qvum poteſtatem qvoqve in civilibus, non ſacris ſolum à Pontifice accepiſſet. His Steno offenſus, & qvod Johanni regi ſtudere videretur antiſtes, ejus prædium Biſcopſtunam diripere ſuis negotium dat. Ipſe circa feſtum S. Johannis adoritur arcem ejus Stekam; qvam tamen præſul, de animo Stenonis certior factus, jam præmuniverat. Idem Örebroenſes oppugnans in tantum eos diſcrimen adduxit, ut regis Johannis opem implorarent. Et ille qvidem laborantibus ſuccurrit. Sed Steno miſsâ hac obſidione Holmiam properat, ut Johannem præveniret: qvem expugnatâ per Norvegos validâ arce Elfsburgo, jam Holmiam rectà tendere intellexerat. Ubi propius rex acceſſit, terra mariqve urget Holmiam, & per velites ſuos ſubinde ad prælium laceſſit Stenonem. Verum ille ſe pugnæ imparem agnoſcens, Dalecarlorum ſubſidia exſpectat. Qvod qvum regi innotuiſſet, è re viſum, diluculo ante ſolis ortum ſilentio procedere, atqve militem in inſidiis locare: ut incautum & ſeparatum hoſtem, anteqvam ſe cum Stenone conjungat, facilius opprimere poſſit. Advenientibus Dalecarlorum auxiliis, non procul Holmia ad pontem, qvem Rotebroo vocant, Rex excurrit. Ubi qvanto impetu Dani feruntur in hoſtes, tanta virtute ſe defendunt Dalecarli. In primo concurſu jaculis non directè, ſed in altum emiſsis, hoſtem tamen non fallente ictu ferientibus, ita fauciant Danos, ut pars excedere acie cogerentur, pars in eadem caderent. Nec illis qvicqvam ad virtutem defuit, ut ipſi

Danici

Danici ſcriptores fatentur, præter ſolum eqvitatum: qvo ſi valuiſſent, haud dubiè victores evaſiſſent. Sed Dani eqvitatu præſtantes, impetum in transverſa ac nuda noſtrorum latera fecerunt, & ordinibus turbatis, qvi proximus eſt ad victoriam gradus, univerſam aciem profligarunt; ita ut pauci evaderent. Alterum in ſuburbio boreali prælium non magis proſperum Stenoni fuit. Qvi hac clade affectus, nondum tamen animo ſuccumbebat, fortunam reparaturus. Cæterum perpellentibus oppidanis, ad regem de colloqvio mittit. Rex moderatus victoriæ ſuæ, & ut faciliori negocio urbem in deditionem acciperet, locum colloqvio fide publica dedit. Admiſſo Stenoni rex præter alia dixiſſe fertur: *Non opus fuiſſe tanto cruore, ſi hac mente citius ad ſe veniſſet. Iniqvum verò ipſum & poſteritatis genio injurium voluntatis ſuæ decretum à morte relicturum, ſi ruſticos ſibi adjunctos, qvos natura voluerit eſſe ſervos & obnoxios, ipſe faceret dominos, contra ea dominos ad ruſticorum fortunam redigeret.* Sed Steno, qvum, ut qvidam ferunt, Johannes poſt Calmariam & Ölandiam in deditionem acceptas à Nicolao Boethii atqve Arvido Trolle nomine populi iterum rex Sveciæ deſignatus eſſet, eundem cum magnatibus agnoſcit regem, & ſancita præteritorum oblivione, eum intra mœnia & urbem recipit.

JOHANNES II.

Chriſtierni primi filius, rex Daniæ, ſolennibus auſpiciis, etiam coronâ regni Sveciæ à Jacobo præſule Upſalienſi, ornatus poſt qvatuordecim annorum moram, acceptis conditionibus Calmarienſis pacti, de qvibus ſupra in V. Stenonis Sture, & ſubſcriptis ab ipſo Johanne, Dorothea Regina & fratre ejus, ac fide ei ſcripto & ore data à R. Statibus, inſignitur. 1437 Mox præſul Stenonem damni ſuis poſſeſſionibus ab ejus milite & injuriarum ſibi ab eo illatarum poſtulabat. Cui Steno aliqvot prædia in detrimenti penſationem offert. Non pauci ex plebe antea illum adhuc integrâ fortunâ adeò colentes, nunc ab eodem poteſtate & fortuna minuto, unà cum præſule actorum rationem expoſcebant; etiam dira cominati; niſi Conradus epiſcopus Stregnenſis, cui Steno tamen parum fidebat, interceſſiſſet. Steno hæc futura dudum animo præcipiens, nec minus ingenium vulgi doctus, ad qvamcunqve fortunæ auram ſtudia ſua circumagentis, ut ſibi tutius conſuleret, jam ante inaugurationem cum Rege egerat, ut ipſum immunem à geſti ſui muneris ratione cuiqvam reddenda pronunciaret. Et rex ſibi Stenonem magis devinciendi cauſa, volens hoc ei conceſſit ac decrevit. Archiepiſcopus tamen ſociiqve ejus à Pontifice, ut iſtud decretum antiqvaretur, poſt qvadriennium, uti ſuo loco dicetur, obtinuerunt. A coronatione rex pro-

ceres

ceres ſplendidiſſimo convivio excipit, variis inſuper ludis & ſpectaculis editis. Dimiſſis hoſpitibus ex circumſtantibus qvæſivit, *num qvid convivio defuiſſet?* Reliqvis ſilentium tenentibus, unus adulatorum reſpondit; *Qvum omnia lautiſſimè apparata eſſent, unum duntaxat defuiſſe, nimirum qvi perfidos gladio feriret, ut reliqvi exemplo territi fidem ſervare diſcerent.* Rex illum *cum hoc tam atroci conſilio in malam rem abire* juſſit. *Nec enim ſe commiſſurum, ut tanto flagitio conſcientiam ſuam maculet, aut ab illa immanitate imperium auſpicetur.* Et cum dicto ſurgens in conclave abit, ergaqve hominem ſpecie libertatis prava ſvadentem minus propitiâ deinceps voluntate fuit. *Vox egregia*, ait Johannis regis vitæ notus ſcriptor, *& præclaro adeò rege certè digna. Sed indignus Steno erat toties perfidus, cum qvo ea lenitate ageretur.* Num verò perfidus fuerit, qvi ante Johannem Regem, jam regni àdminiſtrator à ſubditis factus erat, & poſt regem ab iisdem electum, in imperio retentus, regi non negavit, ſed diſtulit imperium, ex populi arbitratu aliisqve cauſis ſupra dictis, alii judicent. Eqvidem Steno monitus de deponendo imperio, ſic ipſe ſe excuſat, ut eſt apud eundem autorem: *Se non tantùm à proceribus, verùm etiam à plebe principatum accepiſſe: nec, ſi maximè vellet, illâ in vitâ abdicare poſſe.* Seqventi anno ineunte in Daniam
1432 abiit Johannes, & proximo anno huc rediit cum uxore filioqve. Uxor ejus
1433 qvoq; regni coronâ ornatur, & filius ejus Chriſtiernus in comitiis Holmenſibus rex Svediæ dicitur, regni vexillo ipſi ex veteri conſvetudine tradito, & fide literis pub. firmata à præſule Jacobo, Stenone Sture, Erico Johannis, Guſtavi I. patre, Svantone Nicolai aliisq; qvibusdã proceribꝰ: cum expreſsâ cautione, *ut, ſi qvis adverſus regem Johannem, aut filium ejus rebellis eſſet, exiſtimatione, favore regio, immunitatibus fortunisq; privaretur.* Inde rex ad infelix illud bellum Dithmarſicum, ab aliis, imprimis Huitfeldio & Meurſio accuratè deſcriptum, ſe confert; reip. ſummam in ſua abſentia proceribus & præcipue Stenoni commendat. Qvum à bello Dithmarſico recens in regnum rediiſſet, ex conſilio Stenonis, ne regno, tunc gravi fame adflicto, majori oneri eſſet, exiguo comitatu ſtipatus accedit. Steno honoris cauſſa
1501 ad regni limitem ei occurrit, Regi ſciſcitanti, *qvo loco res regni eſſent*, reſpondet: *in provinciis omnia pacata eſſe, nihilominus præſentiam regis maximè deſiderari, tam bello, qvod regno cum Ruſſis tunc erat, regia auctoritate vel tollendo vel adminiſtrando, qvàm aliis difficultatibus, qvæ contra regni leges irrepſerant, regiâ curâ ſanandis. Sed & diſſidio componendo, qvod inter ſe & præſulem aliosqve procerum ortum eſſet, ex impetrata per ipſos abrogatione Pontificia decreti regii de non exigendâ ratione gubernationis à Stenone geſtæ.* Dum autem rex iter, qvod

qvod per provincias faciebat, atqve tempus variis ſermonibus fallit, cum Stenone & Nobilibus, qvi ſe plures ei ad comitandum ex officio Regem adjunxerant, crebrius qvam cum ſuis verba facere & familiarius agere invidis viſus eſt. Qvi, qvum Stenonem jam ante occulto odio inſectarentur, ut fidem regi ſuam & de ſalute ipſius curam qvaſi præſenti documento probarent, eum in gravem inſidiarum regis vitæ ſtructarum ſuſpicionem rapiunt, ab iisqve ſibi cavere regem monent. Rex initio de Stenone, velut compertæ integritatis viro, fidem illis non habere. Sed dum ſanctè conteſtantur, & criminationi ſuæ fidem qværunt, *qvod regi ſvaſiſſet cum paucis comitibus regnum ingredi: ut imparatum opprimeret: qvod literis qvoqvò verſum miſſis amicos & cives præſertim ter mille ruſticos ad arma concitaſſet*, & plura hujusmodi: *qvod deniq; prava ejus conſilia ſe ipſa brevi proditura eſſent*; Rex tandem in ſuſpicionem rei veniens, cœpit aliâ viâ Holmiam ocyus divertere. Steno, etiamſi regem alio erga ſe qvàm antea animo eſſe animadvertit, tamen diſſimulat, eiqve Holmiam comes it. Sed poſtremâ nocte, non impetratâ regis veniâ, aut eo ſalutato, à comitatu ejus clam ſe ſubtrahit. Johannes Holmiam ad ſe proceres vocat. Illi freqventes adſunt, præter Stenonem; qvi tamen ſub fide publica venire non detrectat. Eam anteqvam Johannes ipſi daret, ſuam de Stenone ſuſpicionem Senatui aperit; *cunctosq; ſe judices laturum* ſignificat, *ſi qvid contra regni leges, privilegia & inſtituta fecerit*. Senatu debita obſeqvii ſtudia regi offerente roganteqve, *prius audiri coram Stenonem, qvam reus agatur*, Rex annuit & datis ipſi ſalvi commeatus literis atqve obſide adeſſe jubet. Ille cum Hemmingo Gaddo, Svantone Nicolai, Canuto Alſonio, Benedicto Ryning aliisqve accedit, factâqve dicendi poteſtate, imprimis ſuſpicionem inſidiarum, in qvam ab invidis apud regem adductus erat, amolitur, deinde *ingratiis qvidem regis comitatu clam exceſſiſſe ſe fatetur, non tamen animo machinandi qvicqvam adverſus regem, aut ullius flagitii ſibi conſcio; ſed ſecuritatis ſuæ cauſa paulum ſeceſſiſſe, donec à tanta ſuſpicione idoneis argumentis ſe purgare, & innocentiam ſuam teſtatam facere poſſet. Cujus rei cum modò in tam freqventi ſenatu & tot defenſionis ſuæ teſtibus, ipſi copia data ſit, ſe ex animo Deo & Regi gratias habere. Si ſeceſſu ſuo regem imprudens offenderit, id ſe impensè deprecari.* Dehinc *innocentiâ ſuâ validis fidei faciendæ momentis ac teſtimoniis probatâ, non in ſua poteſtate, ſed æmulorum atq; inimicorum arbitrio eſſe* oſtendit, *qvid de ſe aut cogitare aut calumniari velint. Satis tamen ſibi eſſe conſcium, ſe tam à culpa, qvàm facinore, cujus inſimuletur, alienum eſſe. Qvin ſe pro regis exiſtimatione & incolumitate tuenda qvidvis ſubiturum. Cæterum proceribus unum moleſtiæ ac dolori*

 eſſe,

eſſe, qvod rex Calmarienſi pacto per omnia non ſtetiſſet. Hic interpellante Rege &rogante, *qva in re id ruptum exiſtimaret*, reſpondit: *arces regni & provincias indigenarum fidei demandandas, Danis aut Germanis commiſſas eſſe, qvi pro lubitu qvidvis in nobiles & plebem ſtatuant*, idqve ſubjectis aliqvot documentis probat, & inter hæc *Falſteri, præfecti örebroenſis, actionibus, qvi Nobilem Haraldum Plettingum prætorem in Norskoga, injuriâ, certè magis ex odio qvam merito, infami crucis ſupplicio ſubjeciſſet. Præter iſtæc opes regni abductas aliaqve nonnulla contra fidem à rege datam admiſſa; qvæ ſi emendentur, nihil omnino ſe cæterosq; regni proceres omiſſuros, qvod ad regis dignitatem & ſalutem faciat.* Ad hæc qvum à Rege reſponſum haut ex ſententia accepiſſent, iterum Vadſtenis convenerunt. Ubi collatis in commune conſiliis, decernitur ad Regem ſcribendas eſſe literas, *de conſultationum ad difficultates tollendas inſtitutarum modo ſolis verbis ducto, & à rege ex meris ſuſpicionibus abrupto, atqve omni ſpe emendationis irrita. Præterqvam qvod poſſeſſionis ante Stenoni conceſſas, periculoſum ratus, ut miniſter regis opes æqvaret, etiam dignitates & beneficia Sveonibus concedi ſveta, Danis conceſſiſſet. Argentum & aurum in Daniam exportaſſet, nec in regni uſum ex lege publica adſervaſſet. Qvod in perpetuo fœdere cum Ruſſis Svedorum hoſtibus, partem Careliæ, Savolaxiam, Ægrepiam & Ieſchiam in Ruſſorum poſſeſſionem contra unionis leges tranſtuliſſet, eosq; ad bellum contra Svedos incitaſſet. Qvod Gothlandiam non reſtituiſſet, patriæ debitum non ſolviſſet, aliaq; nonnulla ex fide non ſervaſſet. Proinde ex pacto Calmarienſi, ſub exiſtimationis & jurisjurandi vinculo ſe obligari, ut ab unione regisq; obſeqvio digrediantur. Ut contra præfectorum exterorum ſævam dominationem, cum jure non poſſint, vi & armis ſe tueantur.* His acceptis literis Rex graviter animo commovetur; ſed qvum armis contra movendis in præſens ſe non ſatis inſtructum ſentiret, cives ad integritatem & fidem juratam, nulla machinatione labefactandam aut rebellione frangendam hortatur. Reginam, ut ſuæ in ipſos fidei pignus, gravidam in arce juſtis cum præſidiis relinqvit. Ille verò belli virium colligendarum, cauſa in Daniam abit. Interim Steno
1502 denuò regni ſimulqve belli domeſtici adminiſtrator conſtitutus, arces regni, qvas præfecti Dani tenebant, recuperat, & inter primas Örebroenſem, cui præfectus erat Johannes Folſterus, qvem captum Arbogam miſit; ubi à Plettingi hæredibus, ob crimen ſupra relatum trucidatus eſt. Poſtridie Michaelis Holmiam movet, eamqve circumqvaqve obſidet. Regius exercitus urbe effuſus adverſus Stenonem, bis in ſuburbiis cæſus, & in urbem repulſus eſt. Dum verò Steno acriter expugnationem urbis urget, duo ex ſenatu ad eum emittuntur, qvi cum illo deditionem paciſcantur. Ea

re ex-

re explorata, regii milites faces tectis immittunt: ut qvia integram tueri non datur, exciſam hoſti relinqvant urbem. Cives repentina trepidatione, raptisqve confeſtim armis in forum concurrunt; mox incendio creſcente, portas urbis petunt, iisqve apertis Stenonem cum armata manu foris ſtantem intromittunt. Ille urbem ingreſſus, præſidia locis opportunis diſponit, & cives ad incendium exſtingvendum convocat. Sic urbe potitus, arcem & in ea Reginam, omni commeatu interclusſo, arctâ obſidione infeſtat. Rex in Dania de his certior factus, conjugi ſuæ libenter ſuccurriſſet, ſed cum nuptiis filiæ, & appetente hieme, claſſis expeditione, qvâ inprimis opus erat, prohiberetur, literis Stenonem & ſocios monet, *ut armis poſitis in fide eſſe velint, ſe cum eis juſtè acturum; & ſi qvid ab ejus præfectis contra leges commiſſum ſit, ex voto emendaturum; omniaqve fideliter exeqvuturum.* Cæterum illi *nudis dictis, ſi facta non reſpondeant, fidem habituros* negant. Eqvidem mirum eſt, Regem aliqvot deceſſorum, ex eadem cauſſa imperio motorum exemplis non monitum, in tempore medicinam huic malo feciſſe, qvod par ipſi fatum minabatur. Nec in mentem veniſſe, qvo major ipſi legum regni, in qvas jurarat, & boni publici cura eſſet, eo ſtabilius fundamentum, & nomen ejus illuſtrius fore. Sed rex ingenio probus, ab improbis aliqvot conſultoribus in transverſum actus eſt. Interim Steno obſidioni arcis & reginæ inſtat, qvæ, ſupra gravem foris hoſtem, etiam intus fame oppugnabatur. Qvippe præter carnem eqvinam & unam ſuem, nihil eduliorum obſeſſis reliqvum erat. Illam regina certis dierum intervallis in mœnia produci, vinculis conſtringi, & cultrum tanqvam modò jugulandæ admoveri jusſit. Ita crebrò ſuis grunnitu ejulatuqve obſesſi fidem haud deficientis commeatus adſeqvuti ſunt; & hoſtibus hoc aſtu deluſis, paulò minus annos duos obſidionem tolerarunt. Tandem abſumto commeatu, & præſidio morbis aut inedia confecto, ut ex mille vix octoginta ſupereſſent, Regina ſe cum arce in fidem Stenonis dedere coacta eſt. Captiva, ut erat fœmina religioſa, poſtea in cœnobium S. Brigittæ ſe deduci rogavit, ibiqve ultra annum remanſit. Circa idem tempus die S. Laurentii Steno Holmiam, ut confecta belli oneribus, magis reſpiraret, & qvia majus regno ſubſidium, qvàm minora oppida præſtare conſveviſſet, ſtatum maris orientalis emporium fecit, vel jus Stapulæ, uti vulgò vocant, ei conceſſit. Unde minora oppida, præcipuè Öregrunda, Öſthammeria, Gevalia, Ulzbyum & Raumoum, interdictâ illis in peregrinas oras navigatione merces ſuas Holmiæ deponebant. Hoc jus à poſterioribus Regibus, his & aliis oppidis pro rerum & temporum uſu vel relaxatum vel reſtrictum

habuiſſet. Sed ille neſcius, arcem hoſti pridie traditam, claſſicum cani jubet; ut oſtenderet ſe manifeſtâ virtute (qvæ tamen ejus animo, qvam iſti loco & tempori magis conveniebat) haud inſidiis hoſtem petiturum. Atqve primâ in caſtra irruptione magnam cladem incautis & improviſo ejus adventu territis intulit. Qvum ad ſonitum tubæ ſtrepitumqve armorum, ſignis derepente ſublatis concurrerent hoſtes, facto agmine irruunt in Sveones, eosqve caſtris pellunt. Chriſtiernus autem fœdè victoriam exercuit, ſive qvod arcium præſidia ſpe ultimâ pertinaciter reſtitiſſent, ſive qvod jam in adoleſcentia lupinam exerens naturam, ſangvine delectaretur; omnibus ad unum internecione deletis, utramq; arcem incendit. Eodem tempore Otho Rudius, Bahuſiæ Novegianæ arcis præſes, caſtellum Olsburgum, à Svedis ad defenſionem vicini agri extructum ac præſidio munitum, aſtu qvodam cepit. Haud ignarus, milites præſidiarios eâ nocte, qvæ ferias natalitias Servatoris noſtri antecedit, largius ſe poculis invitare, ſuos ille ſub primam noctis vigiliam ſecum armatos exire, atq; occaſioni imminere jubet. Eosdem interulas lineas, qvibus ſe ſuosq; ab hoſtibus internoſcerent, vel ut hoſtis advenientes à colore nivis diſtingvere in tenebris neqviret, veſti ſuperinducere mandat. Ita cum milite intempeſtâ nocte egreſſus, per exſtantem altè nivem magna cum difficultate ad arcem enititur. Ubi poſtqvam in muris nullas excubias animadvertit, omnibus intus comeſſationi & hilaritati deditis, ſilentio pergens, univerſos vino aut ſomno gravatos facilè opprimit. Arcis præfectus vix fugâ in turrim dilapſus, eam non ſegniter in poſterum diē defendit: qvo nullâ ſpe ſubventionis affulgente, hoſti eā tradit. Oſtrogothi verò milites Ericum Erici, de qvo paulò ante memoratū, tanqvam proditæ arcis Elfsburgi reum, Achatio eum humi proſtratum neqvicqvam à manibus irruentium corpore & precibus protegente, truculenter conciderunt. Lubecenſes à Johanne rege Daniæ hoſtes pronunciati, nunc ſeriò rem agunt, & ſex navium claſſem benè inſtructam Svedis auxilio ſubmittunt. Omnibus jam ad arma deſtinatis, commodum in Germaniam advenit Raimundus Cardinalis ab Alexandro ſexto Pontifice legatus. Qvi diſſidentes ad inteſtinam concordiam, & arma adverſus communem Chriſtiani nominis hoſtem Turcam capienda exhortatur. Eadem occaſione Lubecam acceſſit animo componendi motus bellicos inter Regem Daniæ & Lubecam. Intervenientibus regiis arbitris, rem initio magno tumultu agitatam tandem eò perduxit, ut Lubecenſes ſe à pace nō alienos oſtenderent, ſi à rege Daniæ penſationem damni reciperent, & inter Sveones ac Danos qvoq; transigi poſſet. Conventum itaq; his conditionibus: *Ut rex pro damnis illatis octo millia aureorum illis penderet, naves,*

&

& merces ablatas reſtitueret. Privilegiorum jura illis ſalva relinqveret; ſi ab ope Svedis ferenda abſtinerent. Cardinalis & Senatus mitterent in Svetiam ad Reginam cuſtodiâ liberandam; & de controverſia inter Sveones & Danos Stralſundii componenda. Sveones à Legato de Reginæ liberatione compellati, eam ultrò absq; pretio dimittunt: cum armatis, non imbellibus & captivis, nec auro, ſed ferro bellum gerere docti. Steno ipſe Reginam officii cauſa ad fines regni comitatur. qvæ poſtea à Chriſtierno F. excepta, Hafniam deducta eſt. Steno à Daniæ limite Ienecopiam reverſus, ibibus Decemb. ſubitâ morte 1504
non absqve ſuſpicione veneni, à Carolo Reginæ medico ipſi præbiti, deceſſit; vir nulli ſuperiorum regum belli artibus, forti animo, patriæqve ſtudio ſecundus. Mors ejus Hemmingi Gaddi, itineris comitis, conſilio ad tempus celata eſt, Petro Birgeri ſub perſona ejus procedente, donec Holmiæ de alio ſucceſſore nimirum Svantone decerneretur, & Johanni ſecundò ſpes recuperandi Svetiæ regnum præcideretur.

SVANTO STURE.

Nicolai F. antea regni Mareſcallus, ſucceſſor ſumitur; qvum non leviter ea de re in Senatu concertatum eſſet. Qvidam Johannem regno reſtitui volebant, ſed plures novum adminiſtratorem eligendum urgebant: & horum ſententia prævaluit; & defectio à Johanne ob cauſas in ejus vita allatas facta eſt. Itaqve Svanto conſpicuâ vitæ morumqve integritate populo charus, & Ruſſicis expeditionibus, victoriisqve nobilis, regni curator dictus eſt. Ille, ut erat dignum iſto munere, nihil cunctatur patriam tranqvillare, & Danici belli reliqvias conficere. Hoc animo Calmariam adhuc 1505
Danico præſidio obtentam & Borcholmium per Hemmingum Gaddum, iſtius loci militum ducem, obſidere cœpit. Ipſe Gaddus erat eccleſiæ Lincopenſis antiſtes deſignatus, vir eruditus, fidus patriæ civis & acer propugnator, Danorum *aculeus*; ſed gregem ſuum paſcere, non pugnare nec ſacrum pedum gladio permutare conſtitutus. qvod jam in exemplum illa ætate, ſed Deo & ſanæ conſcientiæ inimicum, iverat. Ipſe Svanto in Hallandiam & Scaniam cum copiis ſus impreſſionem facit, adverſus Johannem Regem ſigna moturus, qvi à morte Stenonis, ſibi adhuc ſpem recuperandi regni Svecici faciebat. Gaddus urbe Calmaria qvidem potitus eſt, ſed arcem Johannes adhuc in ſua poteſtate tenebat. Tandem tamen, intercluſo obſeſſis terra mariq; commeatu, & acri expugnatione, etiam arcem occupavit, ejusq; cuſtodiam Svanto fido viro Jonæ Magni commiſit. Indictis Calmariam comitiis: ut controverſiæ inter illos vel arbitrio incorruptorũ Principũ, vel jure deciderentur; Rex Johannes cum Legato Jacobi IV. regis Scotiæ, ſororis

ſuæ

habuiſſet. Sed ille neſcius, arcem hoſti pridie traditam, claſſicum cani jubet; ut oſtenderet ſe manifeſtâ virtute (qvæ tamen ejus animo, qvam iſti loco & tempori magis conveniebat) haud inſidiis hoſtem petiturum. Atqve primâ in caſtra irruptione magnam cladem incautis & improviſo ejus adventu territis intulit. Qvum ad ſonitum tubæ ſtrepitumqve armorum, ſignis derepente ſublatis concurrerent hoſtes, facto agmine irruunt in Sveones eosqve caſtris pellunt. Chriſtiernus autem fœdè victoriam exercuit, ſive qvod arcium præſidia ſpe ultimâ pertinaciter reſtitiſſent, ſive qvod jam in adoleſcentia lupinam exerens naturam, ſangvine delectaretur; omnibus ad unum internecione deletis, utramq; arcem incendit. Eodem tempore Otho Rudius, Bahuſiæ Novegianæ arcis præſes, caſtellum Olsburgum, à Svedis ad defenſionem vicini agri extructum ac præſidio munitum, aſtu qvodam cepit. Haud ignarus, milites præſidiarios eâ nocte, qvæ ferias natalitias Servatoris noſtri antecedit, largius ſe poculis invitare, ſuos ille ſub primam noctis vigiliam ſecum armatos exire, atq; occaſioni imminere jubet. Eosdem interulas lineas, qvibus ſe ſuosq; ab hoſtibus internoſcerent, vel ut hoſtis advenientes à colore nivis diſtingvere in tenebris neqviret, veſti ſuperinducere mandat. Ita cum milite intempeſtâ nocte egreſſus, per exſtantem altè nivem magna cum difficultate ad arcem enititur. Ubi poſtqvam in muris nullas excubias animadvertit, omnibus intus comeſſationi & hilaritati deditis, ſilêtio pergens, univerſos vino aut ſomno gravatos facilè opprimit. Arcis præfectus vix fugâ in turrim dilapſus, eam non ſegniter in poſterum diē defendit: qvo nullâ ſpe ſubventionis affulgente, hoſti eâ tradit. Oſtrogothi verò milites Ericum Erici, de qvo paulò ante memoratū, tanqvam proditæ arcis Elfsburgi reum, Achatio eum humi proſtratum neqvicqvam à manibus irruentium corpore & precibus protegente, truculenter conciderunt. Lubecenſes à Johanne rege Daniæ hoſtes pronunciati, nunc ſeriò rem agunt, & ſex navium claſſem benè inſtructam Svedis auxilio ſubmittunt. Omnibus jam ad arma deſtinatis, commodum in Germaniam advenit Raimundus Cardinalis ab Alexandro ſexto Pontifice legatus. Qvi diſſidentes ad inteſtinam concordiam, & arma adverſus communem Chriſtiani nominis hoſtem Turcam capienda exhortatur. Eadem occaſione Lubecam acceſſit animo componendi motus bellicos inter Regem Daniæ & Lubecam. Intervenientibus regiis arbitris, rem initio magno tumultu agitatam tandem eò perduxit, ut Lubecenſes ſe à pace nō alienos oſtenderent, ſi à rege Daniæ penſationem damni reciperent, & inter Sveones ac Danos qvoq; transigi poſſet. Conventum itaq; his conditionibus: *Ut rex pro damnis illatis octo millia aureorum illis penderet, naves*

&

& merces ablatas reſtitueret. Privilegiorum jura illis ſalva relinqveret; ſi ab ope Svedis ferenda abſtinerent. Cardinalis & Senatus mitterent in Svetiam ad Reginam cuſtodiâ liberandam, & de controverſia inter Sveones & Danos Stralſundii componenda. Sveones à Legato de Reginæ liberatione compellati, eam ultrò absq; pretio dimittunt: cum armatis, non imbellibus & captivis, nec auro, ſed ferro bellum gerere docti. Steno ipſe Reginam officii cauſa ad fines regni comitatur. qvæ poſtea à Chriſtierno F. excepta, Hafniam deducta eſt. Steno à Daniæ limite Ienecopiam reverſus, ibibus Decemb. ſubitâ morte 1504
non absqve ſuſpicione veneni, à Carolo Reginæ medico ipſi præbiti, deceſſit; vir nulli ſuperiorum regum belli artibus, forti animo, patriæqve ſtudio ſecundus. Mors ejus Hemmingi Gaddi, itineris comitis, conſilio ad tempus, celata eſt, Petro Birgeri ſub perſona ejus procedente, donec Holmiæ de alio ſucceſſore nimirum Svantone decerneretur, & Johanni ſecundò ſpes recuperandi Svetiæ regnum præcideretur.

SVANTO STURE.

Nicolai F. antea regni Mareſcallus, ſucceſſor ſumitur; qvum non leviter ea de re in Senatu concertatum eſſet. Qvidam Johannem regno reſtitui volebant, ſed plures novum adminiſtratorem eligendum urgebant: & horum ſententia prævaluit; & defectio à Johanne ob cauſas in ejus vita allatas facta eſt. Itaqve Svanto conſpicuâ vitæ morumqve integritate populo charus, & Ruſſicis expeditionibus, victoriisqve nobilis, regni curator dictus eſt. Ille, ut erat dignum iſto munere, nihil cunctatur patriam tranqvillare, & Danici belli reliqvias conficere. Hoc animo Calmariam adhuc 1505
Danico præſidio obtentam & Borcholmium per Hemmingum Gaddum, iſtius loci militum ducem, obſidere cœpit. Ipſe Gaddus erat eccleſiæ Lincopenſis antiſtes deſignatus, vir eruditus, fidus patriæ civis & acer propugnator, Danorum *aculeus*; ſed gregem ſuum paſcere, non pugnare nec ſacrum pedum gladio permutare conſtitutus. qvod jam in exemplum illa ætate, ſed Deo & ſanæ conſcientiæ inimicum, iverat. Ipſe Svanto in Hallandiam & Scaniam cum copiis ſuis impreſſionem facit, adverſus Johannem Regem ſigna moturus, qvi à morte Stenonis, ſibi adhuc ſpem recuperandi regni Svecici faciebat. Gaddus urbe Calmaria qvidem potitus eſt, ſed arcem Johannes adhuc in ſua poteſtate tenebat. Tandem tamen, intercluſo obſeſſis terra mariq; commeatu, & acri expugnatione, etiam arcem occupavit, ejusq; cuſtodiam Svanto fido viro Jonæ Magni commiſit. Indictis Calmariam comitiis: ut controverſiæ inter illos vel arbitrio incorruptorũ Principũ, vel jure deciderentur; Rex Johannes cum Legato Jacobi IV. regis Scotiæ, ſororis

ſuæ

ſuæ filii, cum Daniæ & Norvegiæ ſenatoribus, & Legatis Joachimi Electoris Brandeburgici generi ſui, Ducum Megapolitanorum & Vandalicarum civitatum adeſt. Svedi verò ipſi, animis à ſe invicem diſſidentes, abfuerunt. Iterum vocati, non tamen venere. Idcirco præſentes pronunciarunt: *Svedos velut judicium contumaciter eludentes, imprimis Svantonem aliosqve procerum, qvi literas, qvibus Regi fidem ſuam obligarant, ſcripſiſſent, aut ſubſcripſiſſent, tanqvam perduelles famæ & bonorum omnium damnari.* Hanc ſententiam etiam Maximilianus Cæſar ſolenni diplomate confirmare rogatus, eosdem ex Imperio anno ſeqventi proſcripſit. Rex Daniæ Johannes ſententiam ſuam typis publicatam inde exſeqvi cœpit, & bona damnatorum omnia, qvæ in Norvegia habebant, fiſco addixit. Diploma qvoqve Cæſaris per Vandalicas civitates ſparſit, & interdixit commerciis ac ſtipendiis in regno Sveciæ faciendis, ſi poſthac privilegiis ſuis in Dania frui velint. Verum Svedi hanc ſententiam, tanqvam vitio latam dicentes, haud acceptarunt, *qvippe in abſentes & non auditos pronunciatam, qvi in jus vocati, qvum deſideraſſent cauſæ ſuæ judices extraneos & ab ſtudiis partium alienos, nacti regi Daniæ conjunctos, eosdemq; accuſatores & judices, tutius abfuerint, qvàm ut præſentes ſub illis Judicibus haud obnoxiè caderent. Emiſſum in illos Imperatoris edicti fulmen nihil qvoq; ponderis habere, qvippe promulgatum ab illo, qvi non dextrè de re ipſa informatus eſſet, nec adverſam partem audiviſſet: &, qvod caput eſſet, qvi nihil juris aut imperii in Svedos haberet. Se verò ut perduellionis ac majeſtatis reos falsò accuſari: qvum in fine trium regnorum Fœderis conceptis verbis proceribus regni, ſi Rex pactis non ſteterit, ipſi, ſalvâ omnium exiſtimatione & vitâ, adverſari, & à fide ejus recedere permittatur.* At Lubecenſes irritatis à ſe Megapolitanis, ubi ſe duplici bello non ſufficere vident, pacem ineunt cum rege Daniæ his legibus: *Ut naves cum mercibus ademtis Rex illis reſtituat. Privilegia in regno Daniæ confirmet & inſtauret. Ut Svediæ nihil ad continuandum bellum ſubmittant. Ut Svedicas naves merceſqve in ſuos portus non admittant; aut admiſſis manus injiciant.* Qvum ſuprà has conditiones polliciti eſſent, ſe effecturos, ut huic paci qvoqve ſubſcriberent nomina ſua eorum fœderati Gedanenſes, Revalienſes, & Rigenſes, tamen operam luſere: qvum illi recuſarent id approbare, qvod Lubecenſes ſeorſum reliqvis inconſultis in rem ſuam pacti eſſent. Rex Johannes hæc pacis cum Lubecenſibus factæ capita ad Senatum regni Svediæ mittit: ut eos ſpe ſuſidiorum Lubecenſium dejectos, ad ſuæ ſecuritati conſulendum, ad officium & obedientiam revocaret, promiſsá illis admiſſorum veniâ & promtâ regii favoris copiâ. Rex â Senatu in conſultationem deducitur, & qvum pleriqve præſules atqve aliqvot proceres, qvi in partibus Danicis erant;

erant, tam benevolam Regis erga ſe propenſionem, & periculum adverſæ parti totiqve patriæ jam Lubecenſium ope deſtitutis impendens, haud negligenda eſſe exiſtimarent, viſum eſt mittere Legatos in Daniam, qvi auctoritate publica honeſtam redintegrandæ amicitiæ rationem qværerent. Interim Lubecenſes, compendii è commerciis & emolumenti ſui cauſa, qvod emporiis pro publicæ felicitatis ſcopo ferme eſſe ſolet, contra pacta Johanni data, Svedorum naves in ſuos portus clam non ſolùm recipiunt, ſed etiam ſubſidio commeatu & apparatu bellico eos adjutant. Ita reparatis viribus Svanto in Blekingiam irruptionem facit, arcem Lyckam expugnat diripitqve; & cum præda in Svediam remeat. Hic in promtu ultionis argumentum regi Daniæ, cujus auſpiciis in Finlandiam Severinus Norbii irruit, Caſtelholmum expugnat & incendit; Stenonem Turonis cum uxore ſua captum in Daniam, præter aliam divitem prædam, rapit. Cumulatis hoc modo belli malis; placuit illis levandis inducias paciſci, & ex priori decreto cum Johanne per ſuos legatos pacis negotium agere. Sed qvum illi dicto die non adeſſent, Rex ſibi ab illis imponi credens, in Weſtrogothiam per Chriſtiernum excurrit, Nyloſiam devaſtat & Weſtrogothos ſibi dicto audientes reddit. Idem in Oſtrogothis tentabat; ſed incaſſum ipſam provinciam ſuam fideliter cuſtodientibus & maſculè propugnantibus. Nec minus in Scania & Blekingia Svanto graſſatur: Huenam & adjacentia no- 1510
bilium prædia exſpoliat. Sic enim provocatorum armorum fata ſe habent, ut damna damnis, & ſæpe abſqve modo ac menſura, ni major vis ſiſtat, rependantur. Anno ſeqventi tandem Hafniam legati Svetici advenere, de pace acturi. His benignè à Rege exceptis, poſt varias conſultationes ſtetit ſententia, *de Rege recipiendo aut filio ejus Chriſtierno, qvem Holmiæ ante aliqvot annos jam regem deſignaſſent. Aut ſi neutrum horum placeret, tredecim millia ſelibrarum argenti qvotannis regi penderent, donec lis de jure regni finiretur: ſalva interim adminiſtratione regni Gubernatori & Senatui, & Calmaria atqve ölandia regiæ poteſtati relictis. Ut innoxiè in mari & regni Daniæ portubus navigarent, Lubecenſium tamen commerciis abſtinerent.* Ubi verò Legati domum redierunt, novis diſſenſionibus expreſſæ in pactis pecuniæ ſolutio interturbata eſt: qvod extra mandati leges eam ſummam Legati ſimpliciter approbaſſent; qvam tamen juſſi eſſent ea conditione promittere, ſi rex ſolutione ejus præſtita, ſtatim Calmariam, ölandiam & Borcholmium Svedis reſtitueret. Itaqve hæc pax non diu perſtitit. Ecqvid mirum, ſi malè ſarta gratia facile reſcinderetur? Qvum ergo bellum recrudeſceret, & qvidem gravius qvàm ante, Lubeca & reliqvæ Vandalicæ civitates fœdus

cum Svedis occultè renovarunt. Qvod his eò gratius fuit, qvo magis mari à Johanne rege qvàm terrâ petebantur. Lubecenſes verò expoſtulant: *contra pacta conventa ipſorum naves & merces à Danis interceptas eſſe. Sibi proinde vitio verti non poſſe, ſi illorum exemplo præmoniti pacta qvoqve non ſervent.* Qvum igitur octo naves Revaliam ad exportandum inde Svecicas merces emiſiſſent, rex Johannes claſſem viginti qvatuor naviũ armat: qvam in ipſius Lubecæ conſpectu ad Dravi oſtium excubare jubet, ad prohibendum Lubecenſibus, liberum maris uſum. Hic non parum commoti Lubecenſes, hoc ſuis commerciis & navigationi frænum in ipſis urbis oculis imponi, injuriæ ulciſcendæ cauſa omnes Danos tunc Lubecæ deprehenſos unà cum mercibus attinent. Pari affectu Dani Lubecenſes in ſuo regno tractant, ſuosqve commercio cum Lubecenſibus ſub pœna capitis interdicunt. Ex navibus eorum Revaliâ domum redeuntibus & in Danicas inopinatò incidentibus, unam, qvæ erat prætoria, capiunt. Cujus deprædationi dum avidius incumbunt, reliqvæ ſeptem incolumes dilabuntur. Ne qvid hoſtile intactum Rex relinqveret, aperit inſuper mare piratis, conceſſa facultate prædandi Lubecenſium & ſociorum naves. Ad hanc aliena rapiendi licentiam prædones tanta multitudine confluunt, ut iter non ſolùm Lubecenſibus aliisqve Vandalicis civitatibus, ſed & Svedis intercluderent aut infeſtum facerent. Præter iſtam maris peſtem, Rex etiam claſſem in Finnoniam expedit, qvæ urbi Aboæ & vicinis oris vaſtitatem inferret. Contra Lubecenſes cum ſociis civitatibus, excepta Hamburga (qvæ, dum alii ſunt in motu, interim ſe integram hîc ſervans, pacis beneficio auream meſſem ex commerciis domum reportat) octodecim naves, ſale, panno & inſtrumentis bellicis onuſtas in Svediam emittunt, qvæ in tranſitu Langelandiam, Mônam, Bornholmium & Gothlandiam populantur. Hæ Svedos in magna tunc difficultate verſantes ita refecerunt, ut fœdere cum Lubecenſibus iterato, omnia Hafniæ pacta, tanqvam invitis Gubernatore & Senatu, ab Epiſcopis & Proceribus nonnullis Daniæ regno faventibus facta, Johanni renunciarent. Inde terra non minus qvàm mari hoſtem aggreſſuri, Achatium Johannis virum acrem & ſtrenuum in Hollandiam cum ſeptingentis eqvitibus mittunt. Sed ille fraude ſpeculatoris Tordonis, ſibi jam pridem ex proditione rerum Scaniæ cogniti, eoqve majorem fidem mereri viſi, deceptus, & animoſius qvàm cautius in hoſtem loco & viribus ſuperiorem invectus, à Lagone Froſtio, agmen Danicum ſub Tychone Krabbio ducente, cæſus occubuit. Qvidam volunt hunc proprium ejus miniſtrum fuiſſe, qvi abſqve venia à domino ſuo diſceſſerat. Duce cæſo, cæteri perculſi

culſi diſſipantur, ſignis aliqvot amiſſis & ad regem delatis. Hanc fortis viri jacturam poſtea ſublevavit pax Ruſſorum: qvi opportunè inter tam graves belli tempeſtates per ſuos legatos ſexaginta annorum inducias cum regno Svediæ pacti ſunt. Ita minus hoſtium, plus virium ſuperfuit. Lubecenſes aucto claſſis numero, viginti ſex naves armant, qvibus ſe jungentes novem benè inſtructæ Svedorum, Lalandiam aliasqve vicinas inſulas diripiunt. Borcholmium Ölandiæ arcem poſt qvinqve menſium obſidionem fame expugnant. Qvum hoc bellum inter Svedos, Danos, Lubecenſes & reliqvas civitates Vandalicas in octo jam annos protractum eſſet, tandem Lubecenſes eorumqve ſocii feſſi bello, & commeatus atqve commerciorum anguſtiâ, ob mare undiqve navibus hoſtilibus obſeptum, preſſi pacem cum Rege Daniæ, præteritis Svedis, ineunt. Qvamvis etiam pacis pactio inter 1511
Svediæ & Daniæ regna tentaretur, tamen ille conatus utrumqve fruſtra habuit: dum Johannes non aliis, qvàm dictis ab ipſo legibus, pacem volebat. Svedi verò eò minus fidei ipſi tribuendum credebant, qvo minus priora pacta ſervaſſet. Proximo qvi ſeqvebatur anno Svanto diem ſuum Arhoſiæ obiit; ibiqve funus ei qvanto poterant honore ſubditi fecerunt: qvum octo annos regnum fideliter adminiſtraſſet, non ſolùm bellica laude, ſed & pietatis ſtudio, qvod pacem & arma ſecunda facit, aliisq; animi bonis Principe dignis clariſſimus & paucis comparandus. Aula ejus magis ad decoram gravitatem, qvàm nimium ſplendorem & inania rerum compoſita erat. In familiam ſuam non effœminatæ levitatis homines, ſed audaces, fortes & ſtrenuos adſciſcebat. Unde proverbio vulgò jactum: Nullum in aula Svantonis ferri miniſtrum, qvi ſecuri in faciem cæſus conniveret. Ingenio qvidem humanus erat, ſed qvoties irritabatur, aut ſegnes dictis increpabat, tonare non loqvi viſus eſt; qvandoqve nec manui temperabat. Mox ubi iracundiæ calor tepuerat, animum ad mitiora vertit, &, ut ipſe ſibi pro facili animi commotione qvaſi pœnam hanc imponeret, offenſionem muneribus expiavit. Ut tanti eſſet ab eo objurgari miniſtros: qvi, poſt motum animo diſcuſſum, erga ſe ſerenum & beneficum dominum experiebantur. Podagra vexatus, eam domi jucundo amicorum colloqvio, foris præliorum ardore adverſus hoſtem allevabat. Eqvidem vultu alacritatem & præſentem animum præferente, eundem ex ſe militibus imprimebat, pro ipſo patriaqve occumbere paratisſimis. Inprimis, ingenuæ iſtius virtutis, veritatis amans erat; citra fucum, qvod ſentiret, effatus. Mendacium & calumniam magis, qvam hoſtes ſuos odio habebat. Nec immeritò: qvum hæc vitia per occultas & inſidioſas molitiones nocentius, qvàm vis aperta, graſſentur.

ſentur. Si qvis abſentem ad ſe deferret, non protinus ei fidem habebat, ſed delatum coràm ſiſti jubebat: ut calumniator, qvæ à tergo in illum qvocunqve ſenſu vel affectu dixiſſet, in os præſenti probaret, aut ipſe manifeſtus teneretur. Qva re promtus innocentiæ patronus, & maledici oris juſtus ultor, efficiebat, ut calumniæ monſtrum hujus debellatoris metu minus auderet. Qvis enim eò dementiæ temerè procedat, ut de eo alterum deferat, cujus ſi fidem facere non poſſit, ipſe reus habeatur? ita & princeps & ſubditi tranqvillius agebant. Svanto verò ſuum nomen ad poſteritatem inſigne vel hoc ſolo feciſſet, niſi majora ejus in patriam merita exſtarent. In qvodam Svetico Chronico MS. exſtat factum Montanorum, (qvos in arcem vocarat Steno tempore Nativitatis Chriſti, & cum illis de argenti fodinâ nuper inventâ collocutus erat) ſilentio non prætereundum. Qvum deceſſiſſet Svanto, illi occultatâ, qvamdiu poterant, ejus morte, ſub ejusdem nomine ſcribunt literas ad incolas & cives regni, præcipuè verò Stocholmenſes, in hanc mentem: ut, qvum ipſe in gravi morbo decumberet, qvo ſe vix liberatum iri crederet, hoc meritis ejus erga patriam dare, & in filii Stenonis ſucceſſionem conſentire velint. De qva ſi certior fiat, ſe animâ ſuâ Deo commendatâ, qvietum moriturum. Et ita factum eſt.

STENO STURE JUNIOR.

1512 Svantonis filius, poſt graves procerum diſceptationes à majori Senatus parte regni gubernator eligitur. Qvidam volebant Johannem regem Daniæ, cui ſacramento dixerant, vel eo vivis excedente, Chriſtiernum ejus filium. Alii in Ericum Trolle propenſi erant, non tam qvod genere, qvam qvod morum gravitate, doctrina & rerum uſu præſtaret. Sed illi exſangvis ſenectus, laboribus imperii militiæqve non ſatis idonea; magis tamen Danicarum partium ſtudium apud populum impedimento erat. qvi Stenonem à factionibus Danicis alienum, patriæ amantem, apud pleroſqve ob paterna merita gratioſum, & in qvo major ætatis animiqve vigor eſſet in comitiis Arbogenſibus antetulit. Non diu poſt Stenonis electionem Johannes rex Daniæ Oleburgi in Cimbriæ oppido deceſſit. Princeps regiarum virtutum laude conſpicuus; nec minus Svedis qvàm Danis acce-
1514 ptus fuiſſet, ſi regni legum in indigenis potius, qvàm exteris ornandis, & præfectis dominationis impotentibus coërcendis obſervantior fuiſſet. A Pontifice Romano Leone Decimo legatus Johannes Angelus Arcemboldus in has oras Boreales venit, indulgentias, ut vocant, cauponans: qvi qvæſtus tam locuples & felix iſti Pontifici fuiſſe fertur, ut decies centena millia

aureo-

aureorum ex regnis aqvilonaribus Romam corraderet; qvæ Chriſtiernus II. per oratores ſuos fruſtra repetiit. Cum Arcemboldo autem Chriſtiernus ſecundus rex Daniæ, poſtqvam iſthac tranſiiſſet, egerat, ut inter ſe & Stenonē de regni jure litem dirimeret. Eidem in occulto & ſub fide ſilentii, amicorum & factioſorum, qvos in Svedia habebat, operam fidemq; prædicavit. Legatus Pontificius, ut in Svediam acceſſit, fidem Chriſtierno datam fallens, ſilentium non præſtitit, ſed factioſorum nomina & conſilia Stenoni edidit; occultare comiſſa neſcius, an corruptus ingenti ejus largitione & promiſſis. Diſcedenti enim præter pretioſarum pellium aliaq; munera, laminam puri argenti menſæ rotundæ magnitudinem æqvantis Steno dono dedit. Etenim auri argentiq; ſtudium ſæpe homines falſos fieri cogit, etiam ſanctitatis opinione conſpicuos. Cæterum conſiliis Guſtavi Trolle, & factionis ſociorum in Chriſtiernum pronorum detectis, hæc gravis intra patriam tumultus & inteſtinorum diſſidiorum prima occaſio fuit. Cujus mali principium erat: qvod Steno Junior Erico Trolle, magnæ exiſtimationis ſeni, prælatus eſſet. Hanc 1515
patris repulſam indignè accipere Guſtavum filium, haud obſcurè præ ſe ferebat: dum Româ redux, à Pontifice Præſulis dignitate decoratus, Stenonis ipſi in promontoriis Stocholmenſibꝰ honoris cauſa occurſantis congreſſum ſubterfugit, & ad Biſcopſtunam navi exſcendens, terreſtri itinere Upſaliam, vel ut alii, ad arcem ſuam Stekianam contendit. Accedebat & illud, qvod malevoli homines de inſidiis à Stenone contra Præſulem cogitatis falsò ſparſerant. Sed Præſul jam ante annum Lubecæ cum Chriſtierni Daniæ regis amicis, & poſtea per literas & clandeſtina cum Nobilibus Danis in arce Stekiana conſilia, de tradendo ipſi regno agitarat. Steno ad comitia Telgen- 1516
ſia antiſtitem Guſtavum ejusqve ſocios vocat, ut ſibi tanqvam Gubernatori regni fidem jurent. Sed illi vocationi non parent. Steno ſolutis comitiis, ut regni ſtatum, qvoad poſſet, in tuto collocaret, arce Nicopenſi occulto ingreſſu occupatâ, præfectum ejus Stenonem Chriſtierni conjurationis ſuſpectum apprehendit, & Stocholmiæ in cuſtodiam tradit. Ille ingenuè profitetur, antiſtitem cum ſuis meditari & conferre conſilia, de evocando in regnum Chriſtierno. Steno dubius qvoqve fidei Petri Turonis, qvi cuſtodiam arcis Holmiæ tenebat, eam ab ipſo ad Johannem Arnoldi transfert. In nundinis autem Arhoſienſibus plebi exponit machinationes præſulis: qvomodo ſe ipſi opponeret, atqve invitis regni Ordinibus Chriſtiernum pellicere in regnum niteretur. Præſul qvidem ſcriptis ad populum literis ſe purgabat, arbitros inter ſe & Stenonem capiens epiſcopos & ſenatum Holmenſem. Sed hoc dicis tantùm cauſa faciebat, moras ex compoſito du-

cens, donec Chriſtiernus in Svediam adveniret. Qvi qvamvis abſens, tamen animo pravo præſens, odiis & factionibus diſtrahebat cives: ut facilius ſibi ſubjiceret, qvos diſcordia civilis à ſe invicem alienos feciſſet. In hanc rem familiâ, opibus & ingenio eminentium in hoc regno operâ utebatur, & præcipuè Guſtavi Trolle: qvi terrenas curas ſectâ & ore, nondum animo ejurarat, publici ſtatus turbator. Epiſcopi & nonnulli procerum conati ſunt, publicæ tranqvillitatis gratia, præſulem cum Stenone in concordiam redigere: Sed incaſſum laborarunt, qvum præſul ad omnia immotus, à propoſito abire nollet: qva animi obſtinatione ſibi & Reipubl. malum peperit. Steno vires ſumere videns conjurationem, ut incrementis ejus pro viribus obſtaret, Ericum Trolle Guſtavi patrem ejusqve ſocios capi & cuſtodiæ tradi jubet. Guſtavum in arce ſua Stekenſi obſidione cingit. Interim Chriſtiernus, his cognitis, Stenonis navem, centum & viginti amphorarum, ſale, panno & armis onuſtam in portu Lubecenſi intercipi & Hafniam adduci juſſit. His violentis & hoſtilibus actionibus induciæ inter Svedos & Danos ruptæ, bellumqve redintegratum eſt. Stante arcis Stekianæ obſidione,
1517 Steno non ſemel ad præſulem miſit de pace vel reconciliatione. Sed præſul eam recuſavit, opperiens auxilia Danica, à ſe & Danicarum partium ſociis evocata; qvæ etiam ſub Auguſtum, cum qvatuor millibus armatorum claſſe, ducibus Joachimo Trolle, & Severino Norby, advenerunt. Qvum ad prædium regium Wedelæ prope Holmiam exſcenſionem facerent, animo ſubveniendi obſeſſo antiſtiti, Steno ſe illis cum copiis ſuis objectavit, & hoſtem cæſum in Daniam repulit. Præſul, ut ex captivis, qvid rei geſtum eſſet, accepit, animo cadit, & diffiſus rebus ſuis, de arce dedenda, cum pactione ſalutis ſuæ, ad Stenonem mittit. Anteqvam verò in colloqvium cum ipſo deſcenderet, obſidem in fidei pignus Guſtavum Erici deſiderat; qvem etiam accepit. Sed ſuis in arce dederat in mandatis, ut, ſi non tutus ipſi daretur reditus in arcem, Guſtavum extra muros ſuſpenderent. Admiſſus ad colloqvium, qvascunqve leges ſibi victor dicat, ſe accepturum, ait, & ad eccleſiam ſuam reverſurum. Proceres ipſum ſerò hæc conſilia capere reſpondent, tot inſontium ſangvine ejus culpâ profuſo; nec tanti cruoris reum præſulis munere dignum eſſe. Is verò, qvod utroqve gladio ſit armatus ſacro & civili, ſe reum ſangvinis haberi poſſe negat, etiamſi plures in bello occumbant; qvaſi profeſſio ejus à percuſſione & ſangvinis effuſione non eſſet aliena. Steno qvidem obſidionem ſolvit, ſed negotium Præſulis procerum cognitioni judicioqve committit: ne videretur ipſe ſibi contra adverſarium pariter & cognatum velle jus dicere. Fide pub. ad dicendam cauſam

ſam à proceribus vocatus præſul adeſt, auditur; & poſt maturam rei diſcuſſionem damnatur qvidem ex lege patria perduellionis, ut qvi ſecundum juris rigorem reus capitis & fortunarum ſit: dum remp. turbarit & hoſtilia in patriam arma irritarit & attraxerit. Æqvitate tamen temperatur ſententia, ut incolumi vita bonisqve, ſacrâ dignitate moveatur, & in paternis poſſeſſionibus privatus agat. Arx verò Stekiana, unde toties regrio noxa illata ſit, ad ſolum usqve diruatur, nec unqvam reficiatur. Si Pontifex qvicqvam contra moliri velit, ſe id junctis animis & viribus prohibituros. Hoc edictum in tabulas relatum, à plerisqve proceribus ſubſcriptum & ex ſeqvutioni demandatum eſt. Ejus rei fama qvum ad Chriſtiernum perveniſſet, conſilium dedit Guſtavo, ut tam inſignis injuriæ, uti haberi volebat, qverelam ad Pontificem deferret. Pontifex de reſtituendo in integrum præſule, & reſarciendo damno ipſi illato; de Svedis, tanqvam Sacræ Sedi, ſummo regni præſuli ac eccleſiæ rebellibus igne & ferro perſeqvendis ſententiam tulit ejusqve exſeqvutionem regi Chriſtierno commiſit. Rex per ſe ad eos exſcindendum paratiſſimus, qvippe qvi ſe imperio per Stenonis electionem & gubernationem indignè excluſum arbitrabatur, acceptâ hac facultate, magis incitatur, & cum novis copiis in Svediam movet; caſtrisqve in ſuburbio auſtrali collocatis, Holmiam obſidet. Arcem verò, immiſſo in ingentem lignorum prope arcem cumulatorum ſtruem igne, prius inflammat. Hoc incendio complures in arce perierunt, & inter eos Johannis Arndii, arcis præfecti, uxor. Cives autem ac milites qvotqvot in urbe erant, ſtrenuè ſuſtinent ejus obſidionem, & duce Stenone ſæpius excurſione facta, ita carpunt cæduntqve hoſtiles copias, ter centum captis, occluſo etiam commeatu, ut rex urbis oppugnationem jam per aliqvot menſes tractam, intermittere, & exercitum in naves revocare cogeretur, in Daniam retrò pedem laturus. Qvum autem reflante vento progredi non poſſet, & jam per trimeſtre in portu hæſiſſet, magnâ commeatus penuriâ laborare cœpit. Inde rerum ferme deſperatione, ad artes ſuas redit, & inducias à Stenone petit. Steno, ut excelſi animi vir, non ſolùm armis, ſed & beneficiis hoſtem, ſi ex fide ageret, ſuperare promtus erat. Qvippe armis poſitis, tantum abeſt ut hoſtiliter eum habeat, ut etiam ingentem vim annonæ ei dono mittat. Rex tam inuſitatâ munificentiâ concitatus magis, qvàm delinitus, ſive tam prolixum inimici officium ſuſpectum habens, ſive ſuâ ipſum facilitate capere qværens, ad amicum de pace colloqvium evocat, miſſis, ut ſecuriorem faceret, obſidibus. Steno, ex animo ſuo æſtimans alienum, ad Chriſtiernum, id eſt, perniciem

niciem ſuam incautus ire deſtinaverat; niſi qvidam procerum interceſſiſſent. Hoc fraudis laqveo Chriſtiernus dejectus, aliam meditatur. Ut de ſuo animo, qvaſi pacis adeò cupido, confirmaret cives, ſe datis obſidibus in urbem colloqvii cauſa venturum adſeverat. Illi qvamvis de fide regis dubitarent; ne tamen patriæ in pacis negotio defuiſſe viderentur, ſex ipſi obſides ex prima nobilitate lectos, qvos ipſe deſiderarat, publica fide mittunt, Guſtavum Erici (poſtea Dei providentia Regem factum) Laurentium Siggonis, regni poſtea Mareſcallum, Georgium Siggonis ejus fratrem, Olaum Kyrimg, Benedictum Nicolai & Hemmingum Gaddum. Hi, ut in qvibusdam eſt annalibus, uti juſſi erant à Stenone, non ultra portum, qvem vocant regium, proferre pedem voluere. Sed Tycho Crabbe, claſſis Danicæ præfectus, primò amicè monuit, ſpem illis de fide publica firmans, deinde reluctantes compulit, qvippe armata vi in propinqvo & ante oculos poſitâ, regem ad Elsnabbum, ut vocant, comitari. Huc poſtqvam advenere, de eis in Daniam abducendis agitatum eſt; modò iſti dolo qvidam juris color obduci poſſet. Tandem placuit, *Stenonis ad Regis colloqvium evocati detrectationem: Gaddi in Reginam Holmiæ obſeſſam, aſtutas molitiones: Sveonum in Danos qvosdam in inſula ſuburbana detentos & fame enectos ſævitiam facto prætexere*: qvaſi tot obſidum innocentia alienam culpam, ſi qva eſſet, expiare; aut Stenonis abſentia, Gaddi & reliqvorum Sveonum ſive artes ſive vis inter arma, ipſis fraudi eſſe deberent. Certè obſides in cauſam ſecuritatis traditos, cum qvibus non ſolùm fidem, ſed & affectus ſuos ac neceſſitudines boni patriæ cives Regi pignerarant, ille ſecundante vento, datis in altum
1518 velis, perfidè ſecum qvaſi captivos in Daniam abripuit. Proxima æſtate iterum copias ſuas adducit; Lubecenſibus, ut eo anno navigatione in Svediam abſtinerent, perſvaſis Ölandiam & Calmariam obſidione ſed fruſtra premit: fortiter eos tuentibus indigenis, fugantibus Danos, capto etiam Achatio Bragde. Claſſis Danica ad Revaliam cum Svedis æqvâ ferè fortunâ dimicat; niſi qvod noſtrates duas Danorum naves in ſuam poteſtatem
1519 redegerunt. Anno ſeqvente Chriſtiernus cum longè majoribus copiis, qvàm ante, terreſtri itinere revertitur, animo rebellium perfidiam ulciſcendi, ut jactabat, & Pontificis edictum exſeqvendi: hunc enim velut ſpecioſum belli titulum immani ſuæ ſævitiæ prætendebat. Steno de adventu ejus certior factus, veritusq; ne ſe Guſtavus Trolle cum Chriſtierno conjungeret & inimicas patriæ machinationes aggrederetur, miſit ad eum Strengneſiæ præſulem & Magnum Greenium de pace & amicitiæ redintegratione. Qvam etiam ad tempus ſimulavit, actiones ſuas ad habitum fortunæ moderatu-

raturus. Eqvidem ſe injurias reipub. tranqvillitati remiſſurum, nec regni commodis defuturum, amicis adfirmavit. Sed morte Stenonis hæc omnia in irritum ceciderunt. Steno ad oppidum occidentalis Gothiæ Booſundiam cum ſuo exercitu Chriſtierno obviam procedit. Ad Tivedam hoſti denſo arborum cæſarum objectu acceſſum præcludit; mox mittit, qvi explorarent glaciem, qvâ mare concretum erat, an ferendo ſit agmini, pugnæqve patiens. Qvo comperto decem mille ruſticos ad defendendum iſtic deciſarum arborum munimentum, & hoſtes tranſitu prohibendum mittit. Ipſe verò omne agmen eqveſtre in mare congelatum educit, hoſtem in propatulo & æqvo loco excepturus. Utroqve exercitu jam in propinqvo ſtante & acie inſtructa, Otho Crumpius hoſtilium copiarum dux adverſum Stenonis eqvitatum tormentis primus petit. Steno dum principem in acie locum maſculè tutatur, ex tormenti ictu lethali cruris vulnere occubuit, & milites ejus cæde conſternati disjectiq; ſunt. Inde ad Wenerum lacum abductus, pro patriæ civiumq; libertate invictum ſpiritum effundens, è vita migravit: Pro qvo cives libenter ſe morti devoviſſent, ſi per fata licuiſſet. Tam gratus enim illis erat, qvàm imperio haud gravis. Vir extra omnem invidiæ ictum, ſi minus apud ipſum calumniæ licuiſſet, & adverſus improborum artes prudentiâ magis munitus fuiſſet. Crumpius Stenonis cladem, occupandi noſtrorum munimenti occaſionem ratus, ejus expugnationem tentat. Sed præſidio id acriter defendente, cum magna ſuorum ſtrage repellitur. Nec minus Valleſius Gallici peditatus ductor, fortiter impetum in idem propugnaculum denuò faciens, vulnere lethifero accepto receſſit. Tandem relictæ hoſtium aliqvot copiæ, qvæ velitationibus diſtinerent Svedos, donec major pars exercitus hoſtilis clam circumducta in noſtrorum terga nec opinatò impreſſionem faceret. Ab his cæduntur, anteqvam conſpexiſſent hoſtem, qvi cedentibus inſtat: ne Stenonis caſu perculſis, recolligendi ſe ſpatium eſſet. Illi tamen, qvanta poſſunt celeritate, reparant vires. Sed qvum duce carerent, inſtar palantis gregis facilè diſturbantur. Itaqve cum Matthia epiſcopo Strengnenſi rem communicantes, decreverunt inducias cum hoſte facere: ut interea de ſumma rei deliberarent, & undecim dierum induciis ac fidei publicæ literis à Crumpio impetratis, poſt varias conſultationes in eam ſententiam, ex conventione A. MCCCC XCIX. factâ, iverunt, ut Chriſtiernum certis pactis Regem declararent.

CHRISTIERNUS II.

Rex Sveciæ his conditionibus ſumitur: *Ut religionem contra vim & injuriam qvorumcunq; tueretur. Præteritæ offenſiones perpetuâ oblivione delerentur.*

tur. *Omnes cujuscunq; loci exſules & captivi, gratiâ admiſſorum factâ, poſtliminio reſtituerentur. Priſca regni jura, libertas, mores & immunitates regno inviolatæ eſſent. Singuli præfecturas ſibi commiſſas, poſſeſſiones & facultates qvietè poſſiderent. De jure liberæ electionis & ſuffragiorum Rex nihil decerperet aut imminueret.* His Otho Regis nomine ſtatim aſſentitur & ſubſcribit; & cives ſe ad fidem ac obſeqvium Regis comparant. Eadem ipſe Chriſtiernus poſt paucorum menſium ſpatium ſolenniter auctoritate ſuâ & ſubſcriptione roborat, incolumitatem vitæ fortunarumq; plebi ſeorſum, & plura qvoqve, qvàm rogatus erat, promittens: ut facilis ad omnia animi ſpe vel umbrâ eos ineſcaret. Chytræus ſcribit, *literas illas*, qvibus vulgò fidebant, *plus in ſubjugandis Svecis, qvam multas armatorum manus valuiſſe.* Qvum autem proceres, qvi adhuc partium Stenonis viduæqve ejus erant, & Holmiam tenebant, Upſaliâ, qvo reliqvi pactis ſua nomina ſubſcribentes convenerant, ſtudio abfuiſſent: nullâ aliâ causâ, qvàm ut fidei Chriſtierno à reliqvis obligatæ nexu ipſi ſoluti eſſent; Guſtavus Trolle jam caput iterum erigens, & Matthias Strengnenſis eccleſiæ præſul, ſuos ad illos mittent, qvi colloqvium vel Spongæ, ubi tunc morabantur, vel ubicunqve placeat, expoſcant. Sed emiſſi à Magno Greenio, è ſubjecta inſula, qvam Sp. S. vel Sanctorum, ſecundum nonnullorum ſententiã, nuncupabant, tormentorum fulmine ita excipiuntur, ut ſubito regreſſu vitæ ſuæ conſulere, nulloq; cũ reſponſo ad ſuos redire cogerentur. Qvum verò Crumpius accepiſſet Stocholmenſes auxilia ab maritimis & Vandalicis præſtolari, & Stephanum Saxonem cum ſua claſſe ad Elsnabbiũ jam præſto eſſe; cum agmine ſuo ad eam vel intercipiendam, vel acceſſu urbis prohibendã contendit. At qvum à præfecto claſſis in altum provecta, tenuiqve glacie vallata, propius ab hoſte contingi non poſſet, ille hoc auſu fruſtratus Upſaliam redit. Poſtqvam auctis Danorum copiis exercitus uno in loco difficulter ob commeatus penuriam diu haberi, nec Holmia hieme impendente obſideri poſſet, viſum eſt in hiberna diſtribuere milites. Ita mille pedites in præſidium Arhoſiæ locati, aliqvot copiæ eqveſtres Strengneſiam miſſæ ſunt: qvæ Matthiam loci epiſcopum adverſus incurſiones hoſtiles tutarentur; reliqvis Upſaliæ relictis. Interim Ericus Petri, Olaus Walramus, Matthias Laurentii aliiqve, qvi fidem ſuam Chriſtierno nondum obſtrinxerant, coactis colonorum agminibus, Danorum præſidia crebris velitationibus impetunt. Maximè eos, qvi Arhoſiæ impoſiti erant, Ericus Petri inſidiis circumvenire niſus eſt. Sed illi dolo cognito, in tempore ſe periculo ſubduxere, & Upſaliam properavere. Nihilo tamen feliciores in colle Balungsås dicto; loco inſidiis peroportuno à ruſti-

ruſticis in anguſtias compulſi ſunt. Iſtic facto prælio vehementer utrimq;, qvamvis non diſpari militum fortunâ, decertatum eſt. Mox totis viribus in hoſtes in caſtris ad Upſaliam deſidentes duce Lamberto moverunt, certi libertatem vel ipsâ morte vindicare. Primo impetu caſtris exegerunt hoſtem & terga dare compulerunt. Et jam ipſum cœlum in partes pugnæ verat ac pro noſtris ſtabat: dum mixtus imbre ventus ita hoſtium ora diverberabat, ut, ſi adverſi irent, aut vortice acriter affligerentur, aut contra eniſi, vix reciprocare ſpiritum poſſent. Sed noſtrates obverſis tergis, & ad pugnam integri innoxiè pergebant. Præter hoc denſa nix liqvefacta impeditum eqvis reddebat inceſſum: qvippe collecta nive ungulis & in globulos denſatâ, eqvi lubrico niſu moventes pedem, mox qvoqve ipſos ſeſſores excutiebant. Præterqvam qvod tormenta ægrè traducta, cedente iſtorum mali nive, velut demerſa & ſubinde obluctantia, inutilem ſui uſum facerent. Itaqve tam adverſa hoſtibus, & amicâ ſibi tempeſtate uſi Sveones, lævum hoſtium cornu ſic preſſere, ut jam fugam molirentur. Atqve in proclivi fuiſſet, univerſum profligare agmen, ſi, ut manu, loco & vento potiores, ita perito duce hoſti pares fuiſſent. Sed qvid multitudo & cætera belli adjumenta absqve prudenti ductore ſunt aliud ferme, qvàm ingentes machinæ ſine perito inſtructore, aut vaſtum corpus absqve rectore capite? Tandem immiſſus ex occaſione in Svedos eqvitatus Danicus aciem perrumpit & turbat, parte eorum fugatâ, parte trucidatâ. Qvidam in horreum ad ſiccandos lateres exſtructum confugientes, in hoſtem tamdiu depugnarunt, donec facibus horreo injectis cremarentur. Non tamen inulti mortem oppetierunt; nam præter copias hoſtiles cæſas duo tribuni militum Simon & Sivardus Malii fratres ab illis obtruncati, ſuperbiæ ſpretiqve hoſtis pœnas dederunt; dum contumelioſis eum dictis inceſſentes jactabant: *Se cum incondito ruſticorum agmine conflicturos, etiamſi magno numero cœlo depluant.* Guſtavus præſul, odio in cives ultra mortem contra legem humanitatis producto, occiſis ſepulturam invidiſſe fertur. Matthias autem Strengnenſis antiſtes cum Danis eqvitibus diœceſin ſuam circumeqvitans, cives partim cladis hujus famâ, partim auctoritate ſuâ ad regis fidem, factâ præteritorum veniâ, reduxit. Nec qvisqvam hoc majore induſtriâ peregiſſe traditur. Pro qvo tamen rex malam ei gratiam rependit; ut poſtea dicetur. Præcipiti Majo rex cum ingentibus copiis huc reverſus, in Uplandiam Holmiam verſus iter habet. Ubi propius ventum, Crumpius ſuas ipſi adjungit copias, illisqve Holmiam circumſidet. Sed cum eis, qvi antea fidem ei devoverant, pacem ſimulat: *Ut memoria offenſarum perpetuo ſilentio gratiaq;*

 ſempi-

ſempiternâ aboleretur. quæ duces regii polliciti eſſent, ea, æqvè atq; ſi Rex ipſe ſanxiſſet, rata & firma eſſent. Ut ſcrupulum animis hæſitantibus prorſus exemiſſe videretur, eadem jurisjurandi religione & Syngraphâ firmat. Ruſticorum fidem ſpecie comitatis & muneribus obligatum ibat, binos qvósqve ſingulis orcis ſalis donabat: læto qvidem in præſens plebi delinimento, ſed parum providæ, iſthæc munera inſidias eſſe; ſe tantilla mercede libertatem ſuam vendere, cunctosqve in ſuum exitium, ut piſces objectâ eſcâ in hamum, prolectari. Emiſit etiam per regnum nobiles ſibi addictos, qvi reliqvorum civium & colonorum animos ad obſeqvium in regem tam benignum ſcilicet pararent. Sed hoc conſilium magis ad tumultum, qvàm obſeqvendi voluntatem profecit: dum animi jam ante odio adverſus eum imbuti, vel minis vel inſtigatione qvorundam procerum, regis molitiones altius penetrantium, fidem ſuam hac arte labefactari non patiebantur. Inde factum eſt, ut iidem non ſolùm Danos, ſed etiam Svedos regi Chriſtierno deditos, velut publicos hoſtes, infeſtis animis impeterent. Etenim direpto prædio, vel arce Arnöenſi præſulem Upſal. Jacobum, qvi tamen jam pridem officio diſceſſerat, ceperunt; Lincopenſem in ſua arce obſidione urſerunt, Ericum Abrahami in Nericia infeſtarunt, omnes tanqvam ſuſpectos partium Chriſtierni. Sed & oppidum Strengnenſe auxilio miſſis à Johanne Magni Arhoſiæ præfecto copiis expugnarunt. Hos qvùm ægrè compeſceret, & jam in autumnum declivi anno Holmia nondum occupata eſſet; nec minus pecunia in ſtipendium militis deficeret, anxius miſit ſui ſtudioſos proceres in urbem, qvi de ejus fide & clementia dubios confirmarent. Conditiones, qvas cives & Chriſtina Stenonis vidua, arcem adhuc tenentes, de ſua libertate & integro jure ei ferant, accipere promtus, non ſolùm nuda adſeveratione ratas eſſe juſſit, ſed & diplomate & ſacramentis religiosè ſanxit; & plura his ac majora addidit, qvibus illorum animos de ſua fide & favore prorſus certos faceret. Verùm ille libertatis & ſalutis regni ſplendida nomina prætexit: dum ſubditis ſervitium, & ſibi dominationem qværit. Hinc in urbem admittitur, & pacem omnibus publicè denuntiat, animum celans, donec ſe, exercitum & arcem communiiſſet; prius ſecuritati, qvam vindictæ conſulturus. Omnibus pro arbitrio confectis, in Daniam abit, dicto comitiis Holmiæ & inaugurationis ſuæ die Kalend. Novemb. qvibus iterum adeſt. Ubi comperit, omnes regni Senatores conveniſſe, montem Brunconis urbi proximum cum ſuis conſcendit, militibus ad radicem montis circumſtare juſſis: ut proceres populusqve ab armatis ſepti, & velut indagine cincti, nihil moverent. Ipſe eminentiori loco ſedens, per

Johan-

Johannem Billenachium epiſcopum Fynenſem populum alloqvitur in hanc ſententiam: *Regnum Sveciæ optimo jure ad ſe pertinere, jam vivo patre Johanne ex deſignatione & conſenſu procerum ſibi delatum; cujus rei fidem faciant Senatus literæ. Præterquam qvod idem hæreditatis beneficio capiat ſecundum leges regni, qvæ regium filium, ſi par imperio ſit, proximum regni ſucceſſorem deſtinant. Se itaqve non per vim aut malas artes occupare imperium. Sed illos contra leges & fidem ipſi literis obſtrictam feciſſe, qvod Stenone electo, ipſum à regno tanto temporis intervallo excluſerint. Sed qvum pace inita præteritorum venia facta ſit, nunc ſolùm qværere, num Chriſtiernum pro legitimo ſuo rege acceptare velint.* Qvum omnes annuiſſent, eos ſub dio protenſis digitis ſibi fidei & obſeqvii ſacramentum dicere juſſit. Ipſe proximo die Dominico in æde Stocholmenſi præmiſſa jurisjurandi in leges regni etiam cœnæ Dominicæ uſu ſanciti formula, ab antiſtite Guſtavo & reliqvis regni proceribus Rex ſolenniter inauguratur. In coronatione eqveſtri dignitate donat aliqvot nobiles Danos, præteritis Svedis: *cum qvibus qvum ante armis experiri neceſſe habuiſſet, qvàm reciperetur in regnum, non mirari oportere,* dixit, *ſi ipſos non prius honoribus ornet, qvàm obſeqvium & fidem illorum ſatis perſpexerit.* Ubi regni poſſeſſionem ingreſſus erat, ſibi poteſtatem ſuam fundaſſe viſus; exſeqvi in eos ſententiam ſtatuit, qvos ex eminentioribus & conſpicuis Sveonum ſibi antea vel infenſos, vel perfidiæ ſuſpectos ad cædem deſignarat. Sed prius cum amicis maximè ſibi fidis conſultat, *qva ratione ſupplicium de iis ſumi poſſet, qvaſi ſe inſcio & invito; ut ſic facti invidiam molliret; vel obtentu qvodam juris, ut excuſandi colorem haberet.* Hic ejus amici magis regem, qvam Deum timentes, non qvod pietati, regis exiſtimationi & publicæ ſaluti conduceret; ſed qvod regio animo ad vindictam prono & privatæ cupiditati placeret, impiis modis in medium conſulunt. Qvidam auctores erant *ſeditionis à militibus inter cives excitandæ; ut in tumultu licentiam aliena involandi cædendiq́; deſtinatos haberent.* Sed hoc diſplicuit conſilium: *qvod per ſeditionem etiam civibus integrum foret arma capere; qvibus & ſuis & ſibi anceps diſcrimen facerent.* Aliis placuit, *in intimis regiæ locis pulverem nitratum ſpargere, ſub ſpecie factarum regi à perfidis inſidiarum: ut ita præceptum à conſciis ſcelus regi proclivius eſſet vindicare.* Sed hic dolus, ut nimis apertus & compoſitus, minus arridebat. Tandem melior, ut videbatur, ſententia accepta eſt, *magnifico excipere epulo primores regni, ut ſpecie benevolentiæ & hoſpitalis fidei inſidiis opportuniores eſſent. Ne autem inſidiæ viderentur, finito epulo Guſtavum antiſtitem tanqvam ipſi injurios, Regi perfidos accuſaturum, & Pontificii mandati ſententiam in reos pronun-*

 ciatu-

ciaturum. qvo tamen mandati ſceleris culpam magis prodidit, qvàm preſſit, & hoſpitalitatis jus peſſimè violavit. Convivium magnificè apparatur, & ultrà biduum extrahitur, nullâ non humanitatis & alacritatis imagine. Sed infelices neſciebant hoſpites, ſibi nimio conſtituras has epulas: ipſos inſtar pecudum ad lanienam ducendos. Per biduum corpori bene eſſe, ut tertio die capite ſolverent epularum & deliciarum impenſas. Eodem enim die Guſtavus antiſtes juſſus eſt criminationem adverſus eos inſtituere, qvanqvam invitus, ut videbatur; ſive qvod pœnitebat facti, ſive qvantum mali in bonos cives Chriſtiernus cuderet, animo præſentiebat. Unde, ut conſuleret eorum vitæ, miti ratione ſibi agendum arbitratus, tantum pro dejectione ſui à ſacra dignitate, & pro dirutâ arce Stekiana, muneris & expenſarum reſtitutionem petit. At rex ægrè tulit, qvod tam remiſſè, nec vehementius eos accuſaret. Inprimis Pontificii Edicti in turbatæ religionis & eccleſiaſticæ libertatis violatores exſeqvutionem urgeri volebat; ſuam de negato ante vel dilato ſibi imperio cauſam ſtudio celans: uti ſangvis mox effundendus minus invidiæ habere videretur. Ut verò magis ſpecioſa eſſet tyranni ſævitia, in publico Pontificis diploma recitari jubet. Et qvia accuſatio Guſtavi etiam Chriſtinam Stenonis viduam, Nicolai Gyllenſtiernii filiam tangebat, eam advocat & ex præſente percunctatur *cauſas odii Stenonis in præſulem, & exciſæ arcis Stekiæ; & cur præſul ab ipſo emotus eſſet ſacro & honorato munere.* Ad iſtæc primùm conſternatus animus matronæ includit verba, ſed mox ab adſtantibus confirmata recipit animum & vocem: *nihilq́; maritum in præſulem niſi ex ſententia Senatus ſtatuiſſe*, ait: *cujus rei literæ teſtes eſſent.* Rex ad mentionem literarum eas ſtatim expromi juſſit. Qvas cum curâ lectas adſervat, & omnes, qvotqvot ſubſignarant, in indiculum relatos, capitis ex edicto Pontificio damnat. Dictâ ſupplicio die, omnia ad terrorem & ſævitiam comparata erant. Urbis portæ clauſæ, ſtationes militum & excubiæ per urbis regiones diſpoſitæ cives undiqve cingebant: ne qviſqvam elaberetur; ſimul ut tumultum populi præſenti metu cohiberent. Tubicines à primo diluculo juſſi edere horrificum clangorem per urbem, & ad ſignum tubarum denunciare civibus, ne qvis domo ſuâ efferret pedem. Qvibus facile divinare erat, qvale cuiqve ſuus & domeſticus carcer imperatus omen eſſet. Tormenta bellica ordine locata erant per omnem viam, qvæ ab arce excurrit ad forum, velut excidium minitantia tectis, parietibus, ædibus, totiq́;, ſi ſe contra moveret, civitati. Qvum pro ſe qviſqve exſpectatione metuq́; attoniti hærerent, repente arcis porta aperitur & circa meridiem per ſpiculatores epiſcopi, proceres, nobiles

les aliiq; viri conſpicui producuntur in forum, qvod vocant majus. Anteqvam ſubirent ſupplicium, Nicolaus Lyckius juſſu regis ex curia alloqvitur plebem, in foro ſpectandi cauſa adſtantem, monens, *ne qvid adeò mirarentur iſtorum, qvæ agi conſpicerent. Regem Chriſtiernum ex gravibus cauſis & ineluctabili neceſſitate hoſce perfidos capitis ſupplicio affici voluiſſe: qvi in Eccleſiam, & Pontificem Romanum tam grave delictum commiſiſſent.* Qvidam ferunt, eum addidiſſe: *Chriſtiernum ter à Guſtavo præſule rogatum, ut hanc pœnam irrogaret reis.* Sed Vincentium epiſcopum Scarenſem ei in os conſtanter oblocutum: *merum hoc eſſe mendacium. Eam eſſe Chriſtierni perfidiam & immanitatem, qvam DEUS inultam non ſit relicturus.* Idem muſſitabant qvidam civium, plures tacitis animis ac ſuſpiriis vovebant: ne palam audita liberior vox, ultima illis eſſet. Qvam in aream, ſupplicii locum, deducti eſſent epiſcopi, petunt ſibi copiam fieri ſacerdotis, cui delicta ſua confiteantur. Sed hoc ipſis denegatum eſt. Primò Matthiæ epiſcopo Stregnenſi caput amputatur. Hoc ille præmium ferebat, ut primi inter reos ordinis honorem haberet: qvi tam enixè pro rege & in regnum allegendo laborarat. Sed alia beneficii gratia tyranno aliena erat. Niſi hoc clementiæ deberi voluerit: qvod caput præciſum ei ſoli inter crura locaretur, palo non infigendum. Hunc excipiebat Vincentius epiſcopus Scarenſis. Johannes Braſchius antiſtes Lincopenſis juſſus in genua provolvi, & cervicem ictui carnificis ſubmittere, palam ſe innocentem profitetur, & ſupplicium detrectat. Sed qvum incaſſum excipiens, ad pœnam raperetur. ſupplex petit ſigillum, qvod literis conjurationis adfixerat, tolli: iſtic exſertam innocentiæ ſuæ fidem exſtare. Hoc ubi ad regem defertur, ille, qvod deſiderarat, fieri jubet. Ita ſub interiore cera abditam reperiunt ſchedulam, in qva ille ſuæ ſaluti in futurum callidè præcavens, manu ſuâ ſubſcripſerat, ſe invitum & coactum ſubſcripſiſſe & ſubſignaſſe. Exinde liber à pœna pronunciatus ac dimiſſus eſt. Sed proceres, nobiles, cives longo ordine capite plectebantur, Ericus Abrahami, Ericus Johannis, Guſtavi poſtea regis pater, Ericus Canuti, Ericus Ryning, Ericus & Eſchillus Nicolai, Joachimus Brahe, Magnus Green, Ericus Kuſe, Olaus Beronis, Gunnarus Gallus, Benedictus Erici, & alii nobiles non pauci, qvicunqve pro patriæ libertate tuenda ſtrenuam operam navarant. Præterea tres conſules Holmenſes, Johannes Gudmundi, Andreas Olai, Andreas Henrici, & melior pars ſenatus, tanqvam publica offenſæ tyranni piacula, capitis ſupplicio tradebantur. Primi civium ex ædibus ſuis, qvidam ex medio opere in forum ad pœnam tracti ſunt. Lambertus, dum cuidam detondet capillos,

rapitur ad carnificem,cui ſubmitteret caput detondendum.Detruncati ſunt ea die ſeptuaginta, vel, ut alii produnt,qvi ſuis oculis adſpexerunt, qvatuor & nonaginta. Nec pauciores poſtero die, & qvidem indictâ causâ ex ſolâ ſuſpicione & calumniâ interfecti ſunt. Si enim alicujus liberior vox ab emiſſariis eſſet excepta, confeſtim illi ſtabat exitium. Imò ne qvidem palam iſtis malis publicis ingemiſcere licebat, & impunè miſerorum caſus deflere: qvum non ſolùm ſermonibus, ſed & vultui, planctui, gemitibus denotandis adeſſent exploratores. Laurentius Johannis inter regios miniſtros & ex plebe ſpectatores adſtans, dum tot præſtantium virorum neci inlacrymare cernitur, illicò ex medio circulo abripitur ad capitis ſupplicium. Dignus ſcilicet videbatur pœnâ mortis, qvod miſerari didiciſſet, nec humanum affectum exuiſſet: qvod ſuum, non feræ aut domini ſui ingenium haberet. Neqve hic remiſit tyranni furor. Miles in promiſcuum vulgus, qvod ad triſte ſpectaculum confluxerat, emiſſus obvios qvosqve confodit. Mox publicatâ proſcriptorum tabulâ fit impetus in eorum domos; fœminæ & virgines rapiuntur & per vim ſtuprantur; fortunæ & opes civium, non ſecus ac infeſtorum hoſtium, diripiuntur. Latentes vel intus cæduntur, vel ad ſupplicium extrahuntur. Qvæ tuta peterent, aut qvæ formidanda relinqverent, incerti, paſſim in obſcuris urbis locis, qvidam etiam pudendis latebris aut metu, aut ut ignorarentur inveſtigantibus, ſe occultabant. Sed ne qviſqvam evaderet, omnibus impunitatem tyrannus publico edicto promittit. Miſeri qvamvis toties circumventi, tamen fallacibus promiſſis incautè credentes, è latebris in publicum certatim provolant, & ad exitium ſuum infauſtè properant. Omnes enim ab emiſſis ſatellitibus ac militibus obtruncantur. Reliqvorum pœnæ ita feſtinatæ ſunt, ut nonnulli ocreis & calcaribus adhuc induti eqvisqꝫ inſidentes raptim ab eqvis in patibulum attollerentur.* Verebatur Chriſtiernus, credo, ne manus carnificum interim torperent; miſerisqꝫ reis vacaret morti ſe præparare. Sed in nullum atrocioris ſupplicii exemplum, qvàm in qvendam Johannem Magnum editum eſt. Is veſtibus detractis nudus cruci ſuffigebatur, in qva verba non pauca faciens, innocentiam ſuam obteſtatus, de extrema patriæ civiumqve calamitate, de regis immanitate conqveſtus, Deum ultorem poſcebat. Ne diris qvidem & exſecrationibus temperavit. Scilicet indignitas rei & extremus dolor liberiores ac vehementiores ingenuo pectori extundebat voces. Qvibus ita efferatus eſt rex, ut genitalia reo amputari & in faciem pendentis projici juberet. Mox latus ipſi apertum eſt tam laxo & hiante vulnere, ut immiſſa per id manu cor extraheretur, & mortui facies eo percuteretur.

retur. Receptæ enim pœnæ & ſimplex mors leves odio explendo videbantur. Qvin in mortuos crudelis fuit Chriſtiernus; qvibus tamen ſepultis ipſa natura & fas hominum parcere jubent & qvietem indulgere. Stenonem, qvi in prælio pro patria tam generosè ceciderat, filiumqꝫ ejus poſthumum effodi, & in ſuburbii auſtralis eo loco, ubi nunc ædes ſacra S. Catharinæ, à Carolo Guſtavo anno MDCLV. exſtructa, exſtat, comburi mandabat. Qvum Stenonis cadaver oculis ſubjeciſſet, qvia occidere amplius non poterat, qvod libenter optaſſet; ut tamen ultionis cupidum animum oſtenderet, illud morſu inſtar rabidi canis appetiiſſe à nonnullis perhibetur. Poſtqvam Holmiam viris exhauſerat, exſtinctorum qvoqve facultates invaſit. Pupillos ac viduas ſive nobiles ſive plebejas, poſt parentes ac maritos interemptos, vel carceri incluſit, vel omnibus fortunis exſpoliavit: ut nihil illis niſi plorare & eſurire reliqvum faceret. Guſtavi I. mater & ſoror Hafniæ in carcerem compactæ, fame perditæ eſſe feruntur. Et plures cum eis nobiles fœminæ periiſſent, niſi ipſius Chriſtierni conjugis Eliſabethæ (Iſabellæ) deprecatio occurriſſet. Triduum integrum effluxerat, qvo cadavera interfectorum in publico volutata & ſqvalida in ſangvine ſuo per vias undante, non ſolùm hominibus oſtentui & horrori, ſed canum qvoqve laniatibus expoſita jacuerant; donec illis oculos ſuos ſatiaſſet tyrannus; Nerone hic immanior, qvi juſſiſſe pœnas contentus, non ſpectavit. Qvin exteri, qvos hujus rei ſenſus aut dolor non tam prope tangebat, tamen hoc horrendo ſpectaculo percellebantur. Ipſius Caroli V. Cæſaris, Chriſtierni affinis, Legati, tunc Holmiæ præſentes, qvum Imperatoris ſui nomine, efferam iſtam Chriſtierni ſævitiam conſilio non antevertere, nec Chriſtiana informatione impedire poſſent, non ferme minus eam qvàm indigenæ in animum admiſerunt, odioqve crudelitatis & commiſeratione calamitatis innocentium, qvam eorum oculi diutius ferre non poterant, hinc abierunt. Tandem cadavera qvædam in puteum fori majoris poſtea terrâ obrutum præcipitantur. plura extra urbem ejiciuntur & dicto ſup. loco alibive cremantur, cineribus diſſipatis. Obtruncatorum enim corpora Chriſtiernus ne qvidem ſepulturâ dignabatur; qvam tamen etiam hoſtibus, qvisqvis aliqvid hominis habet, haud denegare ſolet. Hac deteſtanda crudelitate adhuc pejora timebantur (ſi qvid pejus eſſe poſſet) qvum publico diplomate omnes ruſticos juſſiſſet exarmari. Fortè qvidam in ſermone liberius jecerant, non deſideratum iri ferrum & gladios, modò arma, qvæ natura homini dediſſet, dextræ & lacerti ad ulciſcendum, pedes ad perſeqvendum tyrannum ſupereſſent. Inde divulgatum eſt per miniſtros ejus, ruſticis unam manum

unumqve pedem præcidendum: ut etiam hac parte inermes redderentur, & ſoli labori, non militiæ, idonei eſſent; eos enim nihilominus agrum colere poſſe, etiamſi altero pede ligneo & unâ tantùm manu uterentur. Ex Svetia in Finnoniam qvoqve regis ſævitia tranſivit: ubi Svedos & Finnones nobiles, qvi contra ipſum ſentire viderentur, Antonium Erici, Henricum Stenonis, Magnum ſcribam ſuum, qvod Svedus eſſet, Hemmingum Gaddum, aliosqve ex nobilitate & conſpectioribus, ad regium edictum, Thomas arci Aboënſi præfectus vel gladio vel cruce ſubmovit. Ericus Flemingus nobilis Finno, de Chriſtierni edicto præmonitus, in tempore vitæ ſuæ conſulebat. Dum enim ſe ſimulat infenſum Sveonem hoſtem, & ab arcis præfecto petit copias Sveticas & Danicas præſidio impoſitas, qvaſi cum illis impreſſionem in Nicolaum Arvidi & Svecos arcem obſidentes facturus eosq; caſtris exuturus; illas cum accepiſſet, edoctis prius obſidentibus de ſuo conſilio, appropinqvans vertit in Danos copias, eos proſternit; & cum ſuis in caſtra Sveonum tranſit, fidamqve Guſtavo poſtea operam præbet. Qvum verò Chriſtiernus dirâ hac laniena publicum omnium odium meruiſſet, & jam ad arma plures ab eo deficientes concurrerent, & ſi tot regnorum potens, terrore tamen divinitus ex conſcientia tot facinorum percitus, nullum aliud ſecuritatis ſuæ præſidium, qvam in fuga ſupereſſe vidit. Anteqvam aufugeret, ejus præfectus arci Holmenſi Saxo columnæ templi majoris Stocholmiæ infixo, figuram angvillæ, qvam leo mas & fœmina ungvibus tenent, incidi juſſit, cum ſubjectis verſibus Saxonicis, qvorum hæc ſententia eſt: *Angvilla eſt pingvis, robuſtus & lubricus piſcis, vacuis manibus captu difficilis, qvisqvis illum cuſtodire cupit, ei nec ſaccis nec ciſtis parcendum eſt. 1521.* Hæc figura cum additis verſibus adhuc in iſto templo exſtat; haut dubiè per angvillam ſignans Chriſtiernum, per leonem marem & fœminam futurum Regem, vel Coronam vel regnum Svetiæ, leonem duplicem in ſuis inſignibus præferens; qvorum manibus lubricâ ſuâ fide & fallaci arte elapſus eſt tyrannus. Confuſis magis qvàm conſtitutis, & perditis pro libidine animi regni rebus, terreſtri itinere reverſus eſt in Daniam, relicto poſt ſe Theodoro; qvi ex tonſore legatus ad Pontificem, dein præſul Lundenſis & mox Scarenſis, tandem prorex Sveciæ factus, dum ex obſcuro ad tantam dignitatem elatus, ſuperbè & crudeliter agit, qvo ſublimius aſcenderat, eò gravius decidit. Ex hoc regno enim ejectus, Hafniæ ad ſupplicium ignis damnatus, & exuſtus eſt. Ne qvidem in diſceſſu Chriſtiernus ſævitiæ ſuæ temperare potuit; qvaſi molliorem ſibi viam per civium ſangvinem facturus. In qvamcunqve venit urbem, furcam miſeris

para-

paratam eſſe juſſit, & qvidem conſilio Nicolai Holſtenii, qvi aliis qværens perniciem, ſibi tandem ipſe ex merito invenit; dum Sudercopiæ, patibulo à ſe erecto affixus eſt. Vadſtenis Sveno Hökius & Petrus Faber, epiſcopi Lincopenſis dolo proditi, vivi in qvatuor partes diſſecantur & rotæ imponuntur. In Ribbingianæ familiæ non ſolùm viros, ſed & pueros Iònecopiæ in loco illo, ubi jam ædes ſacra ſita eſt, ſævitum eſt. Lindormus Ribbingus capite truncabatur. Sed pueruli bini, qvorum alter octo, alter duorum annorum, ſubſtrictâ in nodum comâ è cataſta ſævum in modum ſuſpenſi, & mox cervicibus amputatis tenera corpora in ſolum trunca dejecta ſunt, capitibus in ſublimi hærentibus. Ægidius Girs ſcribit, alterum puerulum ad mortem productum, rogaſſe carnificem, *ne cruentaret ejus induſium, ut fratris alioqvi virgis à matre ſe caſtigatum iri*. His verbis motus carnifex, abjecto gladio reſpondit: *Se potius paſſurum, proprium, qvàm illius induſium cruentari*. Et ſic à Rege juſſus alius lictor utriusqve caput amputare. Ecqvid verò parvuli iſti, nondum intelligentes qvod agerent, deliqverant? Sed lenti videbatur, qværere noxios. Satis cauſæ ad mortis pœnam erat odium in veteres & nobiles familias: ex qvibus, ſi potuiſſet, ne pullum qvidem relicturus, & omnem ſpem generis ſublaturus eſſet: ne qvid boni ſangvinis ſupereſſet, à qvo ſibi qvandoqve metueret iſta ſævitia. In monaſterio, cui *novæ valli* nomen, hoſpitio ab abbate loci & monachis exceptus, hanc gratiam illis reddidit, ut eos ab altari, Sacramentum iſtic diſtribuentes, abripi, & in vicinum flumen abjici & ſubmergi faceret, non aliâ causâ, qvàm qvod metu militum ejus partem commeatus in propinqvâ ſilvâ abdiderant. Abbas vir robuſtus qvum ſolutis vinculis in ripam enatare conatus eſſet, nihilominus crudeliter interfectus eſt. Vel, ut alii volunt, iterum vinctus, contis detruſus, viribus & animo deficientibus, ſpiritum tandem undis reddidit. Atqve hæc duntaxat in tranſitu & per viam patravit, præter illa qvæ paulo poſt coronationem & imperium ſuſceptum; ad qvorum vel ſolam cogitationem proba mens exhorreſcat. Qvis enim, absqve horrore & tantæ crudelitatis ac perfidiæ deteſtatione, facilè tyranni meminiſſet? qvippe qvi qvarumcunqve injuriarum oblivionem, verbis, literis, ſacramento toties ſancitam tam nefariè violabat; qvaſi nulla prorſus religione teneretur; aut qvaſi promiſſa ac jusjurandum fallendorum hominum cauſa inſtituta eſſent. Ut tamen ejus perfidia juris qvandam umbram habere videretur, Guſtavi præſulis cauſam, tanqvam non disertè per Svedos exceptam, à ſua fraudulenter ſecrevit. Qva arte & ſimul ſententiæ Pontificis exſeqvendæ prætextu ſe animum ulciſcendi injurias avo,

 patri

patri & ſibi illatas avidum opportunius expleturum, & pervicaces Svedos inuſitato terroris exemplo tandem aliqvando & fidem in officium reducturum vanè jactabat. Eqvidem indulta toties ſubditis, fidem ſuam ei in poſterum obſtringentibus, omnium præteritorum venia, vel minimæ vindictæ cauſam præripuerat. Sed qvid loci fidei ſit apud tyrannum? & qvi adeò ſitiebat ſangvinem Svedorum ut non niſi flore nobilitatis & tot præſtantium virorum exciſo, qvieſcere poſſet. Qvamvis verò durum hoc flagrum Deus peccatis eorum incuſſerit; tamen à rege, præſertim conciliato, ut videbatur, nihil tale promeriti erant. licet apud tyrannos pro crimine ſit, crimine vacare. Hunc ſangvinarium animum non ſolùm paulò ante lanienam ſuam; dum duo capita obverſis cervicibus & ſuper ea diſtrictus gladius in æthere apparuerunt; Sed jam in ipſa nativitate portentis aliqvot & prodigiis minabatur. Recens natus alteram manum diſtenſam, alteram in pugnum adſtrictam extulit. Qvam ubi obſtetrix explicabat, cruore plenam vidit. Attonita mulier qvum hoc patri ſignificaſſet; ipſe nihil diſſimulans, humani ſangvinis prodigum fore prædixit. Illud itidem memoratur, qvod anteqvam naſceretur, dum mater enitebatur, intra uterum ejus flere auditus eſt, qva alia ſignificatione? qvam vitam ipſum ſibi aliisqve acerbam, ſed diuturniore ſibi, qvàm aliis, cruciatu facturum eſſe. Vitam enim aliis ante tempus ademit, ſed ſibi ad ſeram ætatem ſervavit, verùm illorum cædibus longè graviorem: dum non ſolùm regnis depulſus, ſed etiam præter diras hominum, inter exilii & cuſtodiæ Sunderburgenſis & Coldingenſis anguſtias ingratam vitam ad XXVII. annos traxit: ut eò longioribus & ſævioribus animi laniatibus ſupereſſet; ſuaqve ipſi flagitia in pœnam verterent. qvod etiam ingens admodum ſerpens (qvidam belluam marinam vocant) ætate Chriſtierni in Norvegia conſpectus videtur portendiſſe. Ut enim inſtar ſerpentis inſidiatus fuerat vitæ miſerorum civium, & venenum malitiæ ac crudelitatis in eos effuderat, ita graviſſimos conſcientiæ ictus poſteà ex pravè conſultis & ſævitiâ ſuâ ſenſit. Tandem tamen pœnitentiâ, etſi ſerâ, ad ſaniorem mentem rediiſſe creditur. Exſerto documento, ne Principes hujus exemplo, religionis legumqꝫ contemtu, ſibi qvidvis in ſubditos permittant, neu eos ut pecora macello deſtinata tractent; niſi divinam in ſe ultionem expetere velint. Sed, ut boni rectores ſolent, poteſtatem
ſuam ad ſalutem civium exerceant; ut Deum ſibi & rebus ſuis pro-
pitium, obſeqvium civium promtum; & imperium
firmum conſeqvantur.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. VI.

GUSTAVUS I.

POſtqvam inclytum Svetiæ regnum tot malis feſſum & tantum non exſangve, jam exitio proximum videbatur, ſingulari DEI benignitate & invictâ Guſtavi virtute, ſævo Chriſtierni dominatu & præſenti excidio ereptum, libertatem ac ſpiritum recepit. Qvæ deinceps cum aliis Guſtavi rebus pacis & belli, memoriâ dignis, ordine exponam, ubi rem à primordio prius repetivero. Natus eſt Guſtavus I. Lindholmiæ in Uplandia ex priſca regii ſangvinis Stenchilli, qvarti Chriſtiani Svetiæ Regis proſapiâ, & illuſtri gentis Svetiæ familia, patre Erico Johannis de Ridboholm, Eqvite aurato, Alandiæ gubernatore, regniqve Senatore, veteri & illuſtri Eqvitum auratorum de Waſa progenie; matre Cœcilia Magni Caroli de Eka, Eqvitis aurati filia, celebri Sturiorum ſtirpe, regis Caroli Canuti nepte. Recens nati caput naturali pileo, vulgò galeam vocant, & pectus rubrâ cruce inſignitum fuiſſe, ex illuſtrium matronarum, qvæ partui interfuerant, relatione tradebatur. Illud proſperitatis bellicæ, libertatis & imperii; hoc veræ religionis acceptandæ tuendæqve omen interpretabantur curioſi. In baptiſmo nomen GUSTAVI ei inditum eſt, Svecicè Götſtaff, qvod eâ lingvâ *Gothorum Scipionem* ſignat: omen futuri cum Deo Principis, qvo Gothi tanqvam firmo ſcipione niti poſſent. Vix egreſſum ſex annos Steno Sturius ſenior, avunculus ejus magnus, regni gubernator, in ſuam aulam accerſit. Ubi jam rebus majoribus præludens, cum puerulis non uſitata, ſed qvæ indolis regiæ eſſent, tractare cœpit. Inter eos, pro cujusvis à ſe æſtimata indole & captu ſuo, ludicrum in morem diſtribuit officia, inſtruit aciem & agmen ductat; æqvalibus ejus ultrò & cum ſtupore ſeqventibus. Die qva Steno Regem Danorum Johannem Holmiæ inauguratum, cum proceribus, epulis acceperat, adſtantis Guſtavi vultu & indole delectatus Rex eum ad ſe vocat, & manu caput permulcens: *VIRUM aliqvando evaſurum, ſi vita frui contingat*, in omniū præſentia, vetus hic vates prædicit.

1480 a.d. 12 Maij.

Sciſcitatur itidem de ejus ſtirpe; qvam ubi comperiſſet illuſtriorem, ingenium ſangvini congruere, ac eminentius qvid ſpirare, non abſurdè divinabat, & ſecum in Daniam ducere puerum expetebat. Verùm Steno teneram ætatem parentibus avelli difficilem, excuſans, eum ab oculis regis di-
1508 movit. Adoleſcentibus annis mittitur à parentibus in Academiam Upſalienſem, ubi bonis literis animiqve cultu ad humanitatem & vitæ uſum ad
1514 qvinqvennium eruditur. Anno ætatis vigeſimo qvarto (alii XVIII.) vocatur in aulam Stenonis Sture Junioris. Iſtic non ad delicias & ocium, ſed artes pace belloqve neceſſarias eductus eſt. Nec illorum conſvetudini, qvi cupiditati juvenili lenocinarentur, ſed qvi rerum divinarum humanarumqve prudentia, & rectè vivendi diſciplina præ aliis valerent, admovebatur. Illorum tunc princeps in aula Stenonis erat Hemmingus Gaddus. Ab eo in pietatis & rerum patriæ cognitione fideliter inſtitutus, Stenonem inde in caſtra prope Holmiam in bello contra Chriſtiernum ſecundum Danum ſeqvitur; ubi Stenone, primo militiæ magiſtro uſus eſt. Poſtea qvam præſul Guſtavus Trolle capitali odio perſeqvebatur Stenonem, qvod ſibi à patruo in regni gubernatione prælatus eſſet; cœpit etiam de Danis in regnum evocandis cogitare, maluitqve externorum partes & qvalemcunqve fortunam ſeqvi, atqve, qvod gravius erat, rempub. more impotentium æmu-
1516 lorum turbare, qvàm æqvali cedere. Tandem eò res valuit, ut Steno, anteqvam præſul hoſtium auxilio firmaret opes, occupandum ratus, præſulem hoſtilia molientem in arce Stekenſi durâ obſidione & commeatus inopiâ fatigaret. Hîc præſul elabi ſe non poſſe cernens, deditionem facere, donec hoſtis auxilio ipſi adventaret, ſimulat; ſi Guſtavum Erici obſidem interea capiat. Et ille qvidem non abſqve præſenti vitæ diſcrimine, ut jam ante ſuo loco in vita Stenonis Sture junioris memoravimus, obſes ipſi datur.
1517 Poſtea dimiſſus, in duabus pugnis, unâ ad Wedeldenſe prædium arcis Holmiæ, alterâ ad Brennekyrkiam cum Danis, qvi Trollio jam ſubſidio venerant, commiſſis militiæ tyrocinium poſuit. In iſtis enim regni ferens ſi-
1518 gnum, fugatis Danis, egregia virtutis documenta edidit. Poſt hæc ubi Chriſtierno ſecundo accepta clade, res arctiores eſſe cœperant, hinc adverſo vento, ut in Daniam regredi, inde fame & hoſte, ut commodè tutoqve ſubſiſtere in caſtris neqveat, infeſtantibus, pacis ſtudium animo fallaci præfert, evocato ad colloqvium primò Stenone, ut ante dictum, ſed fruſtra, dein deſiderato Guſtavo Erici cum ſociis obſide. Qvem ubi in claſſem accepit, vento ferente uſus, contra datam & juratam fidem pro captivo in Daniam abſtraxit, & in cuſtodiam arcis Jutiæ Kalloenſis Erico Erici Bane-
[illegible] rio,

rio, arcis præfecto tradidit. Iſtic, qvum aures ejus qvotidianis opprobriis & comminationibus in Sveones jactis oneratæ nimis eſſent, tædio illarum, fugam cogitare cœpit. Qvæ etiam feliciter cedebat. Qvippe ex facultate nonnunqvam exſpatiandi occaſionem fugæ nactus, mutato habitu, primo die iter duodecim milliarium confecit, inde Flensburgum & tandem Lubecam citis itineribus evaſit. Eum arcis præfectus Banerius, ne malè cuſto- 1519
diti temereq; elapſi vicem ſubiret, aut alias negligentiæ pœnas daret, ut Chriſtiernus ei minatus erat, inſeqvitur, & regi Daniæ velut captivum & transfugam reſtitui à Senatu populoq; Lubecenſi poſtulat. Id etiam impetraſſet, niſi Guſtavus, qvi ſe, non tanqvam captivum, ſed obſidem, in cauſam & ſpem faciendæ pacis, qvam fefellerat Chriſtiernus, datum, injuriâ à Chriſtierno abductum contendebat, ad jus hoſpitii ac fidem publicam provocaſſet; & Nicolaus Brömſius conſul, qvi præ cæteris auctoritate tunc valebat, ei favorem & patrocinium accommodaſſet. Ejus ſtudio conſilioq; 1520
clam conſcensâ navi onerariâ Calmariam petiit, & cymbâ in terram, mirâ fortunæ provehentis induſtriâ, ad Steensöam expoſitus, urbem arcemq; adhuc à Svecis obtentam ingreſſus, Annam Johannis viduam, qvæ hanc arcem tenebat, opem rogavit. Qvin fide mulieris inſuper explorata, ſuum ei fatum & fortunam detegit. Illa pari fiducia ſuas de Chriſtierni ſævitiâ & oppreſſione patriæ qverelas ac gemitus Guſtavi tutis auribus deponit, & qvâ poteſt ope illum ſublevat. Hinc in urbem recedens, *cives ac milites ad fidem & animos viris, ac (qvod ſatis pro ſtimulo) Svedis dignos hortatur, & ſpe proximæ rerum commutationis ac liberationis injecta, ne committant, urbem arcemve in Chriſtierni manus venire.* Qvum ſimilem in modum egiſſet cum Germanis militibus iſtic in præſidio collocatis, illi indignis hoc animis, tanqvam abſciſſum aut præceps negotium, accepere. *Tam exigua qvippe arcis urbisq; præſidia, qvid ad tantas Chriſtierni vires, & naves Severini Norbii ad Ölandiam ſtantes indiesqve Calmariam cogitantes, fore?* Nec multum aberat, qvin ab offenſo & feroci milite trucidatus fuiſſet, niſi malo per cives averſo, in tutiora abiiſſet. Poſt ejus diſceſſum Severinus Norbyus claſſem in ſinum Calmarienſem appulit. Mox ex fumo in flammas, ut dici ſolet, incidebat Guſtavus, dum per Smalandiam & prædium ſororis, Joachimo Brahe nuptæ, Tårnam in Sudermanniæ territorio Willåttingenſi ſitam (olim Braheorum, poſtea Svantonis Banerii R. Senatoris prædium) iter habuit. Ibi per aliqvot dies Guſtavus, à Chriſtierni militibus qvæſitus, delituit in cellâ penariâ, & à ruſtico in vehe ſtraminis occultatus, per medias excubias Danicas abductus eſt. Inde ad ſuum hæredium Råfsnä-

ſia-

ſianum in Sudermanniæ territorio Selbo ſitum, iter tenens, præſenti ſe vitæ periculo expoſuit. Qvum enim ruſticos ad mutuam concordiam adhortatus eſſet, nec temerè fidendum Chriſtierno, cujus fallax & ſævus animus adverſus Svedos tot infauſtis documentis haut ignoraretur; præter emiſſarios regis paſſim iſtic latitantes, qvi cives in fide ad extremum regi ſervandâ metu minisqve continebant, & ſuſpectos deferebant; non defuere improbi qvidam cives aut coloni tyranno obnoxii, *Guſtavo, niſi qvieſceret, malum daturos*, palam jactantes: *Se harengo & ſale nunqvam carituros, qvamdiu ſub Chriſtierni regis imperio vitam agerent.* Leve & imprudens vulgus, ſoli ventris curæ deditum, victus copiam ante libertatem ponit; qvaſi, hac à perfido rege ademta, qvidqvam inde ſalvum, nec ipſa tandem corpora ſub dominantis arbitrio futura ſint. Qvum antem Benedictus Erici Nobilis in Skållenås & præſul Upſal. Jacobus, qvorum conſilium in rebus anguſtis expetiverat Guſtavus, ei auctores fuiſſent, ut impetratis fidei pub. literis, & pactorum cum Chriſtina Stenonis vidua lege fretus, ſe Chriſtierno crederet; ille periculo ſuo doctus, qvantum fidei Chriſtierni literis & pactionibus habendum eſſet, cautius ſapiebat, & repudiato hoc ancipiti conſilio, in prædium ſuum Råfsnås regreſſus, iſtic ad tempus delituit. Inde certior factus à ſuo colono, Holmiâ redeunte, de crudelitate Chriſtierni in patrem ipſius & reliqvos proceres exercita, animi dubius qvid in tam infeſto rerum diſcrimine conſilii caperet, ſvadentibus amicis ad Dalecarlos ſe confert. Ubi nec ſine vitæ periculo aliqvandiu hæſit; famulo ejus qvoqve cum veſtibus & pecuniâ domini ſui aufugiente. Inde habitu ruſtico, ut lateret exploratores, ad Andream Petri in Rankhytta primarium in montanis virum, cum qvo ipſi jus conſvetudinis olim in Academia Upſalienſi fuerat, divertit. In horreo, in qvo hero operam dederat, nomen ſuum abiturus parieti incidiſſe fertur. Horreum utiqve illud memoriæ rei cauſa ſervatum, adhuc oſtenditur. Sed ex collari, ut vocant, ſubuculæ aureis filis intertexto, ancilla non ruſticum eſſe deprehendens, hoc indicat hero ſuo. Qvi eum recognoſcenti, & qvo loco res ejus eſſent exqvirenti ſe aperit, & conſilium ejus rogat. Cæterum ille promtior ad commiſerandum qvàm opem ferendam, veritus ne uterqve proderetur, poſtqvam aliqvot dies bene apud ſe habuerat, ei ſvadet ut ſibi proſpiciat, & ſe in tutiorem locum recipiat. Itaqve abit ad Nobilem Aaronem Petri in Ornås, qvod nunc eſt prædium hæreditarium generoſi Jeſperi Krusbiörn. Sed dum noctu tranſit congelatum amnem inter Wiika & Torsångh, glacie fracta præcipitatur in aqvas; Dei tamen ope, ipſum regno deſtinantis, eluctatur: ut ſolet Deus per aſpera, periculoſa & diffi-

difficilia prius exercere, qvem ad magna evecturus eſt. Ubi ad Aaronem Petri pervenit, ei, qvem amicum ſibi credebat, animi ſui mentem exponit. Ille qvoqve fidem, qvæ in adverſis demum ſpectatur, ſed doloſo pectore ſimulans, viſus eſt ejus vicem miſerari & opitulari velle, donec abdita animi elicuiſſet. Hinc ad Magnum-Nicolai in Asboda pergit, eumq́ qvid hîc ſibi faciendum ducat, conſulit. Iſte qvum Guſtavo auxilio eſſe rebus dubiis vel non poſſet, vel non auderet formidine tyranni, tamen eâ animi integritate erat, ut nec nocere vellet. Ideò Aaronem monet, neqvaqvam prodere Guſtavum, ſed à ſe hoſpitalis legis memoriâ inviolatum dimittere, iturum qvò liceat. Ille verò magnam gratiam à Chriſtierno initurus, qværit eum prodere: & ſtatim abit ad Brunonem Benedicti in Sâtra, regium Dalecarlorum præfectum, cui Guſtavi conſilium & inſtitutum manifeſtat. Sed uxor Aaronis maritum, qvum præteriret villam ſuã, ad præfectum ire ſuſpicata, Guſtavum ſibi ab inſidiis cavere, & ad Johañem paſtorem in Svverdſiö, cum qvo Upſaliæ ſtudiorum ſocietas ipſi fuerat, confugere monet, ubi tutius agere qveat. Et ne qvid moræ ſit ad iter, per ſecretum locum dimittens, ſuam ipſi traham & eqvum, qvibus avehatur, tradit fœmina inſigni ante maritum fide. Poſtero die Bruno & Aaron cum viginti lictoribus adcurrunt, ad capiendum Guſtavum & Chriſtierno tradendum. Aaronis autem conjunx eum ſe clam ſubduxiſſe, inveſtigantibus reſpondet. A paſtore Svverdſiöenſi per octiduum bene acceptatus, inde diſcedit ad Rettvvicenſes Dalecarlos, qvibus ſerie tyrannicarum actionum Chriſtierni expoſitâ, perſvadet ſuas ſecum conjungere voluntates, & tantam immanitatem juſtâ ultione caſtigare; modò vicini ſecum facere velint. Idcircò Guſtavus adit Moram, principem ferme iſtius loci parœciam, ut incolas iſtic qvoqve permoveat ad idem inceptum. Interim Henricus à Mylen Chriſtierni præfectus arcis Arhoſienſis, ubi fando accepit, qvid inter Montanos moliretur Guſtavus, metuens, ne cum tempore vires caperet conjuratio & turba coëuntium, initiis prævertere ſtudet, & emittit manum militum ad interimendum vel prehendendum Guſtavum; aut, ſi hoc non poſſit, ad infamandum: ut malè apud eos audiens, minùs obſeqventes aut promtos operæ haberet. Emiſſorum anteſignani erant Siggo Johannis, Chriſtophorus Olai, Epiſcopi Ottonis frater & Bruno Benedicti. Eodem deſtinatur Nicolaus Weſtgothus, homo ſolum ad ſcelus acer, & juratus in caput Guſtavi percuſſor. Sed ille præventus ab Eraſmo Cimbro, qvi Stenoni ante ſervitio & fide ſpectatus, nunc Guſtavo ſe adjunxerat, eum in diverſorio ſuo interemit. In feriis natalitiis Chriſti Guſtavus Morenſes ad profligandum à cervicibus ſuis Chriſtierni jugum hortatur, & ut erat expromtæ facundiæ

rerumqve patriæ peritus, in mentem eis revocat, *qvam indigna cives nuper ſub Chriſtierno, & proximè actis ſeculis ſub extraneis regibus paſſi ſint, & qvidem præter omnem ſuam culpam: ut ipſi dominantes ſuam ſuorumq; avaritiam & libidinem atqve inveteratum adverſus Svecos odium explerent. Inprimis qvam nefanda Ioſſo Erici ſub Erico Pomerano patrarit, ut animus horreſcat referre; nec meliora nunc ſperanda eſſe; niſi atrocibus tyrannorum machinationibus junctis animis manus atqve opes opponant. Si non ſolùm votis, ſed etiam viribus armisq; patriæ libertatem, qvæ nunc ferme animam agat, ſecum tueri velint, fore ut Deus, tam injuſtæ dominationis juſtus ultor, facientes adjuvet. Certè ſibi fixum eſſe, cum illis fortunas omnes & vitam ſuam pro libertate, qvam ingenuus qvisqve vita chariorem habeat, impendere potius, qvàm alienæ libidini, mancipiorum inſtar, obnoxium eſſe.* Morenſes qvidem virilem ac præſentem pro vindicanda in libertatem patria animum Guſtavi prædicant, *nec ſibi ſtudium laboranti patriæ ſuccurrendi deeſſe,* oſtendunt. *Sed viribus adhuc immaturis, & in re tam ancipiti non tutum videri, præcipitare conſilia, nec audere propalam adverſus Chriſtiernum hoſtile qvid moliri, prius qvàm cum vicinarum parœciarum incolis de tanto negotio plenius conſultarint. Interim rogare, ut ſibi tutiorem qværat locum.* Emiſſi enim erant Turdo in Rydſtad & Otto Nicolai in Holm cum centum eqvitibus ad latentem iſtic Guſtavum apprehendendum. Sed cum agreſtium qvidam advenientes conſpexiſſent, ſignis ære campano datis, ſocios ad arma conciverunt. Illud autem hoſtes fallebat, qvum ventus auſtralis ſonitum auribus eorum in adverſum abſtuliſſet. Itaqve dum intrepidè pergunt, ex inopinato armatâ ruſticorum plebe circumfuſi, ferme malè mulctati fuiſſent, niſi blandis verbis plebem deliniviſſent,
1521 & invitos ſe huc tractos, Guſtavo bene velle adſimulaſſent. Guſtavus inde ad occidentales Dalecarlos tendit. Octiduo poſt diſceſſum ejus, Laurentius Olai vir acer militiæ, probatæq; ſub Stenone Sture virtutis, accedit ad Morenſes, eisq; ulterius pandit immanes Chriſtierni actiones: cui in animo ſit, totam cædibus & ſuppliciis exſcindere Svetiam; eòqve in omnibus paſſim oppidis, territoriis & pagis patibula erigi juſſerit: qvod itidem brevi imperaturus ſit Dalecarlis, commeatum regi militibusq; ejus præſtandum. Hoc nuntio perculſos Dalecarlos pœnituit dimiſiſſe Guſtavum, nec ejus conſilium ſecutos eſſe. Laurentius Olai ſvadet eum revocare: tali enim defenſore nunc patriam egere, niſi cum ipsâ cives planè perire velint. Mox etiam advenit nobilis Jonas Michaëlis Nederbyenſis in Trögda, qvi totam Chriſtierni tyrannidis ſcenam accuratius ipſis explicabat, & qvidem cum tanto animorum motu, ut lacrymas eis excuteret, & novos veluti ſpiritus,

ritus, ac mentem revocandi Guſtavum immitteret. Itaqve ablegati ad eum ex conſpicuis præcipuè Engelbertus nomine, qvi rogarent referre pedem ad Morenſes. Ipſos conſtituiſſe Guſtavum ſibi ducem ſumere. Qvidqvid belli fortuna tulerit, cum ipſo ſubire, & nihil non pro fide erga Guſtavum, & pro patriæ ſalute adverſus tyrannum audere. Guſtavus in parœcia Limâ tunc ſubſiſtens, nihil cunctandum, ſed iſtâ animorum inclinatione utendum ratus, cum legatis revertitur ad Dalecarlos in Mora, qvi eum ſibi ducem elegerunt, fidemqve ipſi jurejurando obſtrinxerunt, ſedecim cuſtodibus corporis ex flore juventutis ei appoſitis. Advenere poſtmodò huc nonnulli Scholaſtici Arhoſiâ, qvi eandem famam de tyrannico proceſſu Chriſtierni ſecum tulerant. Hos Guſtavus ſciens apud plebem aliqvid exiſtimationis & fidei habere, coram Dalecarlis ſtitit: qvi eorum relatione magis in propoſito ſuo confirmabantur. Nec minus à qvibusdam inter eos ſenibus, qvi, qvoties Guſtavus cum Dalecarlis egiſſet, aqvilonem ſpiraſſe obſervarant; qvod pro felicis ſucceſſus ſigno interpretabantur. Deinceps auctis indies copiis ad CCCC. & adſcitis belli adminiſtratoribus Laurentio Olai, Johanne Michaëlis, aliisqve, qvi proſcripti & extorres hactenus latuerant, ſub ſigna acceptis, ad Montanos proficiſcitur Guſtavus. Ita nullo externorum ſociorum auxilio, ſed popularium benevolentiâ & fide armatus, rem arduam animosè aggreditur, proſperèq; exſeqvitur. Qvippe fortunâ belli ipſis jam initiis adſpirante, regium præfectum Chriſtophorum Olai cepit, eumqve & aliqvot itidem mercatores Danos bonis exſpoliavit. Prædâ opulentâ factâ, pannum vulgarem inter militem diſtribuit, ſericum ſibi ſervavit; aut inde ſigna militaria concinnari fecit. Ex auro verò, argento, ſale, lupulo aliisqve mercibus hoſti ereptis, vel annuo tributo à civibus penſo, belli ſubſidia ſibi paravit, militemqve aluit. Inde ad mille qvingentos, & mox plures numero militum creſcente, denuo adit Cuprimontanos, & die Dominico, ſacris peractis, Dalecarlos ad patriam à ſervitute Chriſtierni vindicandam hortatur, promtosqve obſeqvio ſibi jurisjurandi fide devincit. Illico literæ in eandem ſententiam ad Helſingos dantur. Sed qvum præſul Upſal. Guſtavus ejusqve pater Ericus Trolle & Benedictus Canuti in Engsöö Senatores regni, eodem ferè tempore ſcripſiſſent ad eos, ſeriòqve exhortati eſſent, nullam tentare defectionem à Chriſtierno. qvod ſi facerent, cum extremo vitæ & fortunarum ſuarum periculo conjunctum eſſe: perplexis animis in diverſa inclinavere, non ſatis ſecum conſtituentes, cujus partibus accederent; donec Guſtavus præſens ipſe eos animaſſet, & ad ſocietatem ſuam adjunxiſſet. Montanis au-

tem in ſua abſentia præfecerat fidum hominem Petrum Svenonis in Wibberboda, qvi reliqvos Dalecarlos ad ſuas partes adduxit. Sed Olaus Bonde occidentales Montanos, Nericienſes & vicinos ſibi adjunxit. Ad Montanos & Dalenſes qvoqve adferuntur literæ à tribus dictis proceribus, qvibus confirmant eos in fide Chriſtierni, ſpe qvoqve Guſtavo benevolentiæ regiæ & publicæ fidei facta, ſi à cœpto motu deſiſterent. Verum hæ literæ, qvæ præferebant nomen Senatorum regni, nulla apud plebem auctoritate, ſed magis probro erant, qvum paucitatem eorum deſpicerent, additâ voce, *Senatum regni jam ad paucos admodum redactum eſſe, cum tres tantum forent.* Ubi Guſtavus Helſingos ſibi apto devinxiſſet alloqvio, illi non qvidem denegant auxilium, ſed ambiguis adhuc rebus, differri petunt, donec eorum maturæ vires eſſent. Eqvidem animos adhuc ſuſpenſos gerebant ab eventu & fortuna Dalecarlorum: inde ſua temporibus applicaturi conſilia. Eos verò opus periculoſæ valdè aleæ contra Chriſtiernum aggreſſuros exiſtimabant. Ab Helſingis abit Guſtavus ad Geſtricios, qvi unà cum civibus Gevalienſibus facili negotio Guſtavo conciliantur, & inter eos egregii bello Petrus Fredagius, Joannes Lupus, cives Stocholmenſes aliiqve à Chriſtierno proſcripti. Dum in hac expeditione Guſtavus eſt, Chriſtierni partes amplexi Guſtavus Trolle, Johannes Bellenachius, Canutus Benedicti, Theodorus, Henricus à Mylen aliiqve, qvod literis & verbis fruſtra conati ſunt, armis experiri decernunt, & ſex mille eqvitum pēditumq; agmen Arhoſiâ eductum ad trajectum Uthſundenſem in parœcia Folcharenſi locant, animo prohibendi Guſtavianos tranſitu. Sed cognitio, ſe ſuperari numero hoſtium, receptui canunt. Sic noſtri tranſitu per amnem aperto perſeqvuti ſunt adverſas partes; qvæ tandē verſis & collatis ſignis tamen à noſtris partim proſtratæ, partim Arhoſiam cum ignominia repulſæ ſunt. Qvidam hîc ferunt, qvum Dani caſtra ſua metati eſſent ad amnem Brunnebeckium, Danicum antiſtitem Bellenachium percunctatum eſſe proceres Sveticos, qvi à Chriſtierni partibus erant, de viribus & copiis iſtius provinciæ bello idoneis. Qvum illi reſpondiſſent: *viginti millia in aciem duci poſſe;* ultra ſciſcitanti, *unde tanto exercitui cibus ſuppeteret?* illos ſubjeciſſe: *genti illi deliciis non adſvetæ ubiq; obvium eſſe cibum: aqvâ, & cortice ex arboribus, vel pane corticeo, ſi neceſſe ſit, vitam tolerare.* Hoc reſponſo accepto, præſulē dixiſſe: *Qvi veſci arboribus & aqvā bibere poſſunt, eos ne qvidē à diabolo, multò minus viris ſubigi.* Poſtqvā Guſtavus ex Helſingia Henemorā regreſſ9 erat, coëgit omnes ſuas copias, & monetam cudi fecit, qvæ ab una parte præferebat imaginem armati viri, ab altera duas ſagittas, velut inſigne militiæ.

Con-

Confluebant autem indies plures ad Guſtavum,qvibus odio ſervitus,& cura libertatis eſſet: ita ut numerus ad qvindecim millia excreſceret. Qvibus recognitis & in duas partes diviſis, duces præpoſuit illis Laurentium Olai, his Laurentium Erici. Inde Petri Uglæ tribuni,qvi hoſtem Kõpingiam usqve perſeqvutus,ibi cum ſuis ſecuritati indulſerat, ſomno vinoq; plenus,excubiarum negligens,ab Andrea Petri Dano, Öreboenſis arcis præfecto occiſo erat,cladem proſperior fortuna penſavit. Qvum Theodorus, qvi cum ſuis copiis urbem Arhoſiam tenebat,accepiſſet Guſtavum appropinqvare,in tutiorem locum & arcem ſe recepturus,mittit ad Johannem Fynboum(cujus curæ Henricus à Mylen,negotii ſui cauſa Holmiam profectus, interea arcem comiſerat) ut portam ſibi aperiat. Sed ille dicto minus audiens eſſe, mandatum Henrici à Mylen cauſatus,qvi juſſerat neminem alium intromittere aut tradere arcem, qvam ſibi ſoli. Ille fremens hanc ſibi injuriam, ut amico, factam, milite ſuo arcem circumdat, eam oppugnaturus, & acceſſum vi facturus,ſi non ultrò admitteretur. Fynbous animadvertens ſeriò rem agi,& ſuũ inde periculum, ſi arx expugnaretur; ipſi arcis portam reſerat. Vix admiſſus Theodorus illum cum ſex ſociis idem ſentientibus capite plectit: qvod non ſponte velut amicum accepiſſent. Sed contra fas & æqvum capitis pœnã ab illis exegiſſe judicabant à ſtudio partium alieni: qvum inferiorum eſſet, ſuperioris juſſa ſeqvi; non interpretari,aut contra qvid facere: ne imperantis exiſtimatio ac imperium, lege mandati temerè ſolutâ, & obſeqvio excuſſo, convelleretur; aut,qvacunq; interpretatione inferiorum permiſſa,ſub ſpecie commodi pernicioſum qvid admitteretur. Guſtavus acie ad Romfertunam bene ordinata, cum toto exercitu movet ad parœciam Balungã, & ſuperato iſtius loci colle,caſtra ad S.Olai ſacellum figit: hoſtem eo die non adorturus, ſed recreaturus exercitum, ut integris viribus cum hoſte congredi poſſet. Attamen hoſtis videns Svedos ſenſi & lentiori gradu progredi, tardum hunc inceſſum formidinem interpretatus, toto impetu in eos cum eqveſtri agmine invehitur. Svedorum pedeſtre agmen,ordine ſervato, lanceis & haſtis adverſis impetum irruentium ita ſuſtinet, ut impreſſionem nullam cruentam facerent, ſed terga vertere cogerentur. In fugam pulſos Svedi perſeqvuntur tam infeſtis telis,ut qvadringenti funderentur. Poſtqvam Guſtavo cum ſuis ſubſeqvutus & vix ad mediũ nemus Balungæ progreſſus, intellexit præliũ cœptum & Sveones ſuperiores factos,admiſſo eqvo ſtatim in primam aciẽ procurrit,conſilio cætera moderaturo ac virtute militi præituro.Qvamvis autẽ à cuſtodibus corporis rogaretur, ne ſe præſenti periculo objiceret, tamẽ pertendit intrepidus inter primos adeqvitans iſto cũ diſcrimine, ut ad

ejus latus hinc inde milites tormentorum ictibus ſternerentur. Hoſtem fugatum tantus inceſſit furor, ut eqvites in proprios ſuos pedites nec absq; noxa effunderentur, qvos Laurentius Olai è veſtigio premens urgensqve intra urbem compellit. Laurentius Erici cum ſuo agmine, compendio itineris in urbem Arhoſienſem facto, hoſtem antevenit, eumqve à tergo invadens, tormenta bellica in foro locata cum omni apparatu militari hoſti eripit & ad Guſtavum traducit. Ubi,qvi arcem obtinebant.advertêre ſuos eſſe profligatos, ignem in urbis tecta ex deſperatione, aut ne qvid ſalvi in Svedorum manus veniat, ſubitò injiciunt. Urbs verò cum æde ſacra in cineres verſa fuiſſet, niſi Svedi maximam ejus partem ab incendio ſervaſſent. Qvidam in vicinum omnem ipſi ſe præcipitant, plures ab aliis eò propelluntur & undis abſorpti pereunt. Qvidam abjectis haſtis armisqve in proximum cœnobium, à monachis remiſſionem peccatorum & animarum refectionem petentes, decurrunt. Ita contemtum hoſtis, qvum jactaſſent, etiamſi per triduum totum in terras cœlo deplueret miles Dalecarlus, tamen ſe eos obtrituros, in ſua capita laceſſiverunt. Qvin Sveones omnem exercitum hoſtilem internecione delere potuiſſent, ſi illum perſeqvi inſtitiſſent; & igne urbis Arhoſienſis exſtincto, plures Montanorum & Dalecarlorum ſecuri hoſtilis regreſſus, non ante debellatum penitus hoſtem, intempeſtivæ prædæ incubuiſſent., nec qvidam ſe vino & poculis oneraſſent. nec qvidam ſe vino & poeulis oneraſſent. Qvum enim ſcirent, tabernas mercatorum eſſe plenas pretioſis mercibus & tabernas vinarias ſub curia & alibi plenas omnis generis vino & cerviſia, regreſſi, effractis januis diripiunt bona & inter ſe partiuntur. alii ſe ita invitant potu,ut ſui compotes non eſſent. Hoc ubi innotuit Guſtavo, ægro animo tulit,reformidans ne hoſtis ſobrius & vigilans ebrios,ſui & fortunæ negligentes,ſubitò obrueret. Qvod & factum fuiſſet,niſi Laurentius Olai cum ſuis fortiter repreſſiſſet hoſtem in foro conglobatum:qvi arce novo præſidio firmatâ,fugâ Holmiam per mare petebat.Dum noſtri in eo erant,ut reſiduos adverſæ partis profligarent,Guſtavus qvosdam ſuorum adhuc vino deditos deprehendens, ipſe ingreditur cellas vinarias, cados & dolia ſua manu ferroq; concidit, & ſatellites idẽ facere jubet.Malebat eqvidem vinum perire,qvam milites ſuos.Si enim hoſtis repente ſuperveniſſet, tam ebrios, & qvi ſe à labore militari invictos præſtitiſſent, nunc à cadis victos ac præ vinolentia ſui impotes, inſtar vinctorum pecorum cædere potuiſſet. Illâ verò victoriâ,de qva paulò ante, partâ,multi Nobilium aliiq; conſpectiores viri fortunã,ut ſolet,ſeqvuti,ab hoſte tranſierunt in partes Guſtavi; inter qvos princeps erat Arvidus Weſtrogothus.

Canu-

Canutus verò Benedicti de Engſiö dux hoſtium in caſtra reverſurus, à milite Svedo glande plumbea transverberatus occubuit. Guſtavus auctis copiis & locis neceſſariis firmatis, ad plura occupanda animũ intendit. Ideò Arvidum Weſtrogothum in Oſtrogothiam cum nonnullis copiis expedit ad hoſtem iſtic infeſtandum, & arcem Stegeburgum expugnandam: qvod feliciter exſeqvutus eſt. Laurentius Petri ad Nycopenſem, Olaum Bonde ad Örebroenſem arcem circumſidendam mittit. Laurentium Erici cum tyronibus Upſaliam deſtinat, qvos ibi armis præpararet, & hoſtis conata adverteret. Ante paucos dies duce Johanne Olai de Redebroo, collectas ex Simthuna & Torſtuna copias Laurentio ſuppetias miſerat. Sed ille caſuum belli vel inſolens vel negligens, deſidiæ ſe tradit; cujus tamen nulla eſt venia, præſertim ubi de ſalute contra hoſtem dimicandum eſt; & Torſtunæ corpus curat, ac in balneo ſudore ac molli otio diffluit; qvaſi omnia circum tuta eſſent. Interim præfectus præſulis Upſalienſis Benedictus Biugge, ignaviâ ducis in occaſionem fortunæ uſus, adeſt, ſua ipſum voluptate debellat & in balneo opprimit: ubi Laurentius præter ſudorem, etiam ſangvinem & ſpiritum, non iſti tamen loco, ſed campo & aciei debitum, ingratiis emittit; militibus ejus itidem proſtratis aut disjectis. Iſte præfectus inde properat Enecopiam ad Laurentium Erici. Ab hoc non balneo ſed caſtris utente pulſus, Upſaliam aufugit. Interea conſcriptis aliqvot territoriorum ad militiam colonis Laurentius Olai & Laurentius Erici ſua caſtra & copias ad Rymningiam jungunt, eas ducturi Upſaliam. Cujus rei rumore monitus Benedictus Biuggius emittit exploratores, hoſtium vires ſciſcitandi cauſa. Illis à Svedo milite interceptis, Canonici & Senatus Upſalienſis ad Guſtavi duces mittunt petitum, ne ipſorum ſolennia in circumferendo ſcrinio S. Erici iſtius temporis more peragenda, turbare velint. Mos ille freqventabatur, ut Pontificiâ adhuc religione hîc vigente, S. Erici ſcrinium argenteum, in qvo oſſa ejus condita erant, in feriis & nundinis Ericianis ex hac ad proximam veterem Upſaliam ſolenni ritu deportaretur, & qvidem in viâ bene ſtratâ, cujus adhuc veſtigia qvædam apparent. Emiſſorum verò petitioni reſponſum eſt, qvum indigenas Svedos, non extraneos deceat hos ritus peragere, ipſos in ſocietatem iſtorum ſolennium venturos. atqve ſic cum omnibus copiis Upſaliam eunt. Sed anteqvam accederent, Biuggius cum ſuo agmine, qvod centum eqvitum & tria ſigna peditum continebat, Upſaliæ tunc deſidens, hoc ludibrio habuit, & qvaſi nihil ei periculi à Svetico exercitu foret, ſplendidum exſtruxit in hortis Archiepiſcopi inter majorem & minorem ejus domum, convivium, dejectis etiam trabibus & ſepto, qvibus

horti

horti cincti erant, ut omnium oculis tanqvam profeſſa & conſpicua pateret lætitia, & qvàm parvi faceret Sveonum militum adventum, palam oſtenderet. Iſtud convivium potando, cantando, tripudiis & ludis perſonans, ad ſummam noctem & lucem ferme producebatur. Verùm hoc gaudium ſubito luctu & clade commutatum eſt. nec aliter poterat in tanta hoſtium ſecuritate & temulentia, pervigiliis & debachationibus qvaſi furioſorum perſtrepente; qva ſe noſtri, præter ſuam virtutem, adverſus ipſos hoſtes muniunt. Qvippe paulò ante diluculum horâ fermè ſecundâ Sveonum agmina urbem ingreſſa, cæſis hoſtium excubiis ſtantibus in campo prope S. Georgii ſacellum, munimentis ante præſulis domum dirutis, & propugnaculis ex adverſo excitatis, anteqvam qviſqvam evigilaret, ſomno ac vino ſopitos opprimunt. Tandem expergefacti qvotqvot poterant in illa trepidatione, Svedos, emiſſis jaculis, ſed absqve vulnere petunt. At Biuggius eos à tergo circumvenire conatus, per porticum qvæ ferebat ab Archiepiſcopi ædibus ad proximum templum, Svedis hoc animadvertentibus, eo conſilio fallitur; dum illi igne immiſſo porticum incendunt. Ignis latius ſerpens, etiam ædes præſulis comprehendit & magnam partem perdidit, adjutus jaculis igniferis à milite tecto injectis. Ubi Biuggius nullam aliam evadendi viam cernit, in fuga ſalutem qværit, & cum ſuo eqvitatu ac peditibus Flôthſundum petit. Sed anteqvam diſcederet, omnes bombardas, nudas qvidem, oneratas tamen, muro impoſuerat, ita apparatas & aptatas, ut igne concepto ſingulæ ſponte & ordine exploderentur. Id eo animo fecerat, ut hoſtes ſuos deluderet, non aliter ſibi, ut putabat, perſvaſuros, qvàm milites iſtic adhuc adeſſe, bombardas iſtas exonerantes. Noſtri tamen, ſive re compertâ, ſive eâ nihil territi, fugientes inſeqvuti, plerosqꝫ in via trucidant. Biuggius dum vadum eqvo tranſire cœpit, telo per medium brachium ad cubitum usqve ictus, poſt paucos dies Holmiæ, non absqve exqviſito cruciatu extracto telo, periit. Guſtavus Arhoſiâ Upſaliam venit, & curatis ibi aliis neceſſariis rebus, ut ſacri ordinis potentiores conſilio potius & ratione, ſi poſſet, permoveret, qvàm vi compelleret ad qvieſcendum, Collegio ſacro convocato, percunctatur à Canonicis, *qvo loco & gente haberi velint, an in Svedis vel Danis; ſimulqꝫ ab illis eorumqꝫ epiſcopis adverſus Svediæ regnum & legitimum ſuum ac indigenam regem ac magiſtratum, Caroli Canuti & utriusqꝫ Stenonis tempore patrata,* illis exprobrat; *atqve ſi à ſimilibus in poſterum facinoribus non deſtiterint, condignam illis moribus pœnam* minatur. Deniqve, *an jusjurandum fidelitatis ipſi præſtare, & ſe, ut veros Svedos ac ſinceros patriæ cives decet, gerere velint,* ultimò qværit. Illi ſe modeſtè excuſantes, hoc ſibi face-

facere integrum eſſe negant, prius qvam cum Archiepiſcopo rem communicarint. Itaqve petunt cum bona Guſtavi gratia fieri, ut ad eum ſuas dent literas, qvibus perſvadeant præſuli, Chriſtierni partes deſerere, & Guſtavum ut domi natum & regni membrum ejusqve fidem ſeqvi. Guſtavus eorum deſiderio adqvieſcit, & eâdem operâ ad præſulem ſcribit, monens eum, *ut commune regni bonum ſeriò qværere, ſecumqve avertere velit ejus oppresſionem, anguſtias & detrimentum, in qvæ per Chriſtierni tyrannidem conjectum ſit.* Has poſtqvam accepiſſet & legiſſet literas præſul, ad Henricum Slaghökium aliosqve circumſtantes ſummo cum ludibrio & contemtu dixit: *Semetipſum Guſtavo reſponſum propediem allaturum.* Et tabellarium apud ſe detinuit, donec collectis qvingentis eqvitum & ter mille peditum Holmia Upſaliam moveret, ab urbe non longius ſeſqvimilliari caſtra metatus. Eodem die duo transfugæ, Sigfridus Svartius & Johannes in Önegård Guſtavum de hoſtis adventu certiorem faciunt. Rex eis fidem ægrè habebat, amicum à præſule reſponſum exſpectans; donec ipſe tabellarius rediens, idem confirmaret. Guſtavi autem exercitus tantùm ſexcentorum peditum & centum eqvitum erat: qvia reliqvi milites cum ejus venia domum regreſſi erant. Poſtero die præſul cum ſuo exercitu intrat Upſaliam. Ubi Guſtavus in colle, qvo nunc arx ſita eſt, oculis deprehendens, hoſtem ſe viribus ac numero ſuperiorem, cum ſuis agminibus in ſilvam Noſtan ſeceſſit. At præſul per Stephanum Henrici duo eqvitum ſigna adverſa mittit Guſtavo, qvi eum ad Lådebyenſe vadum adſeqvuti ſunt: qvod jam Guſtavi pedeſtre agmen maximam partem transmiſerat. Sed qvum vix mediũ vadum Guſtavus ipſe ſuperaſſet, ejus famulus Finno nobilis adſpectu eqvitis hoſtilis effuſo curſu inſeqventis exterritus, ſublato clamore Guſtavi eqvo incautè impellitur, ita ut eqvus cum seſſore in vadum dejiceretur. Qvin Guſtavus ab hoſte circumfuſus, facilè oppreſſus fuiſſet, niſi Dei benignitate militumqve virtute, hoſtem cum ſeptuaginta capitum ſtrage, propulſantium, ſalvus evaſiſſet. Hinc progreſſus ad Rymningiam, inſtauratis viribus & revocatis copiis antea domum dimiſſis, Laurentio Olai & Laurentio Erici mandata dat, iſtas copias in inſidiis adverſus præſulem Upſaliâ Holmiam reverſurum collocare. Qvas non declinaſſet, niſi Stephanus Henrici, inſtar canis venatici, primus in itinere exploraſſet in omnem partem, an viæ inſeſſæ eſſent, aut hoſtis in inſidiis lateret: cujus rei qvaliacunqve, etiam levia veſtigia, ſagaciter inqvirebat. Ex abdomine bubulo in via temerè relicto colligens, hoſtem ibi caſtra habuiſſe, properat ad præſulem & Svedos in propinqvo eſſe indicat. Ad hujus rei nuntium præſul cum ſuis retrocedens,

aliam inſiſtit viam. Qvo comperto, Svedi illos à tergo invadunt & inſultant. Ita converſis ſignis acer conflictus ſtetit, eo eventu ut vix ſextus qvisqve hoſtium vivus Holmiam rediret. Fugatis inſtant Sveones manu ferroqve. Laurentius Olai ferme conto transfixiſſet Archiepiſcopum, niſi capite in jubas eqvi repentè demiſſo, petentis ictum declinaſſet: qvo proximus tamen ei Petrus Johannis Waleſtad percuſſus eſt. Poſt aliqvot dies Guſtavus obſidione cingit Stocholmiam, caſtris ad radices montis Brunconiani poſitis: ubi qvatuor adhuc patibula Svedis hominibus oppleta, Chriſtierni ſævitiæ reliqvias, conſpicatus, eorum corpora inde tolli & terræ mandari juſſit. Interea Laurentius Olai qvatuor ex Svedis transfugas ad urbem usq; perſeqvutus, nihil niſi eorum eqvos, qvos ipſi reliqverant & in profluentem deſilierāt, ne apprehenderentur, & duo in fronte vulnera, ſaxis è turri percuſſus, velut conſpicuas decoris militaris notas retulit. Sveones duobus hoſtium agminibus impares ad pontem Rotenſem repulſi, & iſtic pedem figentes, caſtra poſuerunt. Hoſte excurſionem ſubinde faciente, non levis utrinq; ſtrages edita eſt: donec Stephanus Henrici hoſtium tribunus advertens, Sveones difficulter acie vinci, dolo aggreſſus eſt. Ingentes qvidem copias, oſtentandis viribus & tentando velut prælio, urbe eduxit; ſed majorem mox partem in inſidiis collocabat. Cum qvadraginta ſolùm eqvitibus & aliqvot peditibus ipſe procurrens caſtris Sveonum ingruit, qvaſi ea irrupturus; & cæſis aliqvot ſuorum, Stephanus clamans ſe victum, ſuos fugam capeſſere jubet. At Sveones, ne cogitato qvidem ejus dolo, à ſuo ductore Laurentio Erici jubentur jam fugientem perſeqvi hoſtem & prorſus cædere. Qvum verò illi in planum ex omni ſuo commodo conceſſiſſent, Stephanus regreſſus cum omnibus ſuis copiis, eos opprimit, & plerisq; ſtratis magnam cladem infert. Redintegrantur tamen Guſtavi vires Helſingorum & aliqvot veteranorum militum ex Germania acceſſione; qvorum dux erat Stephanus Saſſius Holſatus. Qvum verò Guſtavus plura in diverſis & longiori ſpatio diſtantibus locis caſtra haberet, proviſione periculi, conſilii copia, cura ſtipendii, commeatus, & ſummæ rerum cautus & intentus, modò hæc, modò illa caſtra adibat, & ubiq; multus aderat: ne qvid per ejus abſentiam ſecus ageretur aut deficeret; vel ubi corpore, non tamen animo & auctoritate aberat. Interea Arvidus Weſtrogothus in Oſtrogothia feliciter progreſſus eſt. Wadſtenenſes primùm amicis verbis monuit, ultrò ſe in Guſtavi fidem permittere. Sed qvum recuſantibus ultima minaretur, deditionem fecere. Inde Johanne Slengewatero Hovâ expulſo, eam qvoq; occupavit. Expulſus, ſuffugium in Munckeboda, epiſcopi Lincopenſis arce, qværit. At qvum homo valde laſcivus in pratis & ſilvis ſub habitu muliebri

fallens

fallens & oberrans, fœminas ad raptum indagaret ac venaretur, ab Haraldi Canuti famulo, cui fraus iſta ſuboluerat, obtruncatus eſt. Sic ei profuit iſta venatio. Poſt Wadſtenas & Hovam, etiam Scheningiam, Lincopiam, Norcopiam & Sudercopiam in fidem acceptas, regreſſus eſt Arvidus ad obſidium Stegeburgi. Qvod impediturus Severinus Norbyus Gothlandiæ præfectus, advenit cum qvindecim navium claſſe & trecentorum militum agmine. Nihilominus Svedi majore animo, qvàm manu eos in fugam & undas repulerunt. Inter Sveones qvidam Benedictus cognomento parvus, inſectatus Severinum ducem Danorum, qvatuor ictus arcu robuſto ipſi incuſſit. Qvo nomine Severinus ipſe prædicavit homuncionem tanti ſpiritus; decem virorum ſtipendia ei pollicitus, ſi ad ipſum à Guſtavo deficere vellet. Sed ille promiſſis nihil flexus, in fide ſtetit. Paucis interjectis diebus Severinus hinc digreſſus, Nicolaum Boethii & Winås, & Holgerum Canuti Svedos eqvites, qvibus parum fidebat, ſecum in Daniam abduxit; & Bernhardum Mylium Germanum arci præpoſuit. Sveci tamen haud cunctanter urgent obſidionem arcis, donec cepiſſent. Ipſe Guſtavus in Orientalem Gothiam profectus, Arvidi ducis & militum merita laude & præmiis ornat. Qvum epiſcopum Lincopenſem Johannem Braſchium accepiſſet in arce ſua hærentem, nulli ferme alii rei qvàm rumoribus ex vicina Dania allatis ſervire, qvibus malè animatos ad motus aut inſidias impelleret, nuntio ei literisqve miſſis Guſtavus edixit: *Niſi ipſe confeſtim accederet & coram, qvo animo erga ſe & patriam eſſet, explicaret, brevi accepturum hoſpites, qvos nollet.* Dictum factum. Guſtavus cum expedito agmine viam ad eum affectat. Qvà re cognitâ, præſul ei obviam properat, & obſeqvii fidem jurejurando renovat. Dum Wadſtenas comitia Guſtavus indicit, ſeptuaginta ferè nobiles eqvites Svedi Calmaria à Severino Norbyo ad Guſtavum tranſierunt: qvum fama accepiſſent, Severinum à Chriſtierno in mandatis habere, ut eos de medio tolleret. Poſtqvam ad comitia Wadſtenenſia cujuslibet ordinis homines ex Oſtrogothia, Smalandia, Weſtrogothia, Wermelandia & Dalia lætis animis conveniſſent, Guſtavo gratulati ſunt de felici ſucceſſu. Ille expoſito diſcrimine, qvo hactenus conflictata patria adhuc magna ex parte teneretur, eorum operam ac ſubſidia ad illud amoliendum, & patriæ libertatem reſtituendam, efflagitabat. Ordines omnes junctis animis & vocibus, non tantum qvidqvid poſſent opum ipſi polliceri, ſed ingentes qvoqve ei habere gratias, qvod patriam à tam immanis tyranni poteſtate vindicare tam bene cœpiſſet: obnixè rogantes, ut idem cum Deo ad finem perducere velit. Neqve ſolam belli, regniq; adminiſtrationem, ut hactenus, ſed ipſum qvoq; im-

Dd 2 perium

perium regio titulo & poteſtate inſignitum in ſe recipere non recuſet. His Guſtavus reſpondet: *Se non cupiditate imperandi, ſed fidorum regni civium ſummo deſiderio juſtaqve commiſeratione ductum, afflictiſſimæ eorum fortunæ, atqve ultimo prope exitio per Chriſtierni immanitatem eis illato, qva datur, antevertendi, omnem inimicorum ſævitiam & vim infringendi, bellum adverſus ipſorum & patriæ hoſtem ſuſcepiſſe. Qvod ſi porrò fidam ſibi, ad liberandam prorſus Chriſtierni & ſociorum ejus furore patriam, opem ferre velint, ſe non eqvidem abnuere ducis imperium: nec civibus ubicunq; poſſet defuturum. Interim de rege creando eos laborare vetabat, donec regnum iſta peſte atq; calamitate publica Dei beneficio expurgaſſet. Tum demum, qvemcunqve regni Ordines ex Svedorum ſangvine bene natũ & idoneum eſſent electuri regem, ſe qvoq; ſuo conſenſu & fide data comprobaturum.* Omnes igitur ore & dextra fidelitatem & obedientiam Guſtavo jurant, & legitimum belli regniq; adminiſtratorem cõmunibus ſuffragiis accipiunt. Iſtis comitiis finitis, Guſtavus expedivit huc & illuc per regni oras agmina ad hoſtis vires profligandas, aut regno totum exterminandum. Nec ſucceſſus & fortuna prorſus defuit. In Weſtrogothiam miſſi arcem Lekoënſem operâ vel conſilio M. Olai Præpoſiti Scarenſis capiunt, & Elfsburgum obſident. In Smalandiam educti milites, ejus qvoq; provinciæ arces & oppida, expulſis inde Chriſtierni præfectis, felici manu occupant. Dum Guſtavus in Oſtrogothia cõmoratur, Chriſtierni tribuni, Theodorus Slaghókius, & Georgius Holſtenius Holmia per lacum Melerum Arhoſiæ etſi difficulter, qvippe Lamberto Matthiæ cum ſuis occurſante, tamen inferunt commeatum & nova præſidia, qvibus arcem, prioribus abductis, inſtruant & firment. Sed avecti dum fretum Koleſundium in reditu tranſire parant, arduum & valde impeditum experti ſunt trajectum. Via enim à Laurentio Petri & ipſius militibus obſeſſa, propugnacula ad utrumqve freti latus excitata, & medium fretum ciſtis ſaxo impletis ac demerſis obſtructum erat. Proinde per totum biduum cum hoſte decertare coacti ſunt, anteqvam iſtinc eluctarentur. In Finnoniam qvoqve copias emiſit Guſtavus adverſus hoſtem. Arvido Nicolai & Henrico Johannis ductoribus. Ad illorum partes non pauci ex numero nobilium & plebe ſe adjunxerunt: inprimis eqveſtris ordinis claræ operæ miles Nicolaus Grabbius de Grabaccha. Iſte cymbis ſuis & vix duodecim hominum manipulo hac illac maris oras & litora pererrans, cuivis occaſioni & dolis invigilans, crebris & non parvis damnis afficit hoſtem qvippe inopinatò incautos invadit, & modò ſopore ſepultos confodit, modò repagulis oſtio obditis ſubjecto foris igne domo clauſos comburit. Si verò hoſtis ad eum vel capiendũ vel cædendum excurrat, ille cum expeditis navigiis ocyus ad Revalienſem

alios-

aliosqve Livoniæ portus avolat. Illis ad ſua reverſis, iterum, inſtar ſubitæ tempeſtatis adeſt, & minimè exſpectantes invadit, ac ſubinde divexat. In Stocholmiæ obſidione Guſtavus totus, eam tribus locis acriter oppugnat, ad meridiem in parœcia Bothekyrkia prope pagum Setra; ad Septentrionem prope Rotebroum ad prohibendum hoſti commeatum, ductore Canuto Andreæ & Stephano Saſſio; deniqve in inſula Loföenſi, ubi nunc Drotningholmia ſita eſt, ductore Petro Fredagio. Copiæ per Finlandiam diſtributæ non qvidem ſuis partibus deerant, nullam tamen arcem aut munimentum vel expugnare vel deditione capere potuerunt, priusqvam Guſtavus Holmiam in fidem accepiſſet. Poſtqvam Nicolaus Arvidi arcem Aböenſem obſidione cinxerat, qvam armis & milite non parum Arvidus iſtius loci præſul adjutabat, excurſione ab hoſte factâ & captis aliqvot Sveonum, inter qvos princeps erat Benedictus Arvidi, Nicolai frater, eum cum reliqvis captivis Thomas arcis præfectus de muro ſuſpendit. Sed qvod in aliis fecerat, in ipſum poſtea qvoqve editum eſt exemplum; qvaſi alieno ſupplicio ſuum docuiſſet; ut infra dicetur. Stegeburgenſis arx tandem Guſtavo deditione traditur à præfecto Bernhardo Mylio, qvi Sudercopiæ duorum menſium ſpatio in cuſtodia habitus, inde dimittitur ſub fide data Guſtavo, ſe ei in poſterum in militiâ operam daturum. Pridie natalis Chriſti ſeſqvi mille hoſtiū Holmiâ cum qvadraginta celocibus & cymbis prorumpentes, caſtra Sveonum in inſula Löföenſi ad unum ab urbe lapidem, adoriri conabantur, jactantes qvomodo Julia (ita feriæ natalitiorum Chriſti Svetica voce dicuntur) cum Petro Fredagio celebrare vellent. Sed qvum Petrus tantis hoſtium copiis par non eſſet, & tamen eorum conſilium haud ignoraret, ingenio debellare aggreditur, qvos viribus deſperabat. Sedecim viros juſtis intervallis diſtantes in montibus & lucis circa ſuum exercitum diſponit, qvorum ſingulos cornua ad exſcenſionem hoſtium inflare juſſerat: ut majorem verò numerum & vires copiarum ſimularet. Qvod ubi feciſſent, hoſtis tot diverſis & diſtinctis cornuum ſonis territus, ſingulis ſuas adeſſe cohortes credit. Interim perculſis & turbatis Petrus qvinqve fermè ſigna adverſa infert, qvæ conferta cum hoſte manu confundunt ordines, & ducentos ſternunt, reliqvis in fugam actis. Eodem tempore arx Nycopenſis tradita eſt Guſtavo ab Henrico Ranzovio & Johanne Olai, qvi regis Chriſtierni nomine tenuerant. At Severinus Norbyus cum claſſe ſua redicit ad arcem Stegeburgenſem novis præſidiis & commeatu inſtruendam, neſcius nec explorans, eam in Sveonum poteſtatem jam veniſſe. Qvare ſuperato difficulter freto, præmittit cum cymba Torſtanum Salomonis Finnum nobilem cum aliis in arcem, denunciatum opem & adventum ſuum: qvi ca-

ſtello approperantes, pileum in argumentum pacis perticæ imponunt. Sed qvidam nomine Henricus, qvi ante Braſchii miniſter fuerat, ex arce glande plumbea transverberat pileum & cymbam: unde intelligunt, qvid de illis ſibi promittere habeant, & qvid de caſtello factum ſit. Niſi ſic præmoniti fuiſſent, Severinus rectà iviſſet in arcem & in Sveonum manus. Tam exiguo ſæpe caſu magna rerum momenta vertuntur. In regreſſu obviam ei ruunt in freto Eeterſundio, ubi acerimè à primo mane ad ſeram noctem cum eo decertarunt, & tandem in fugam cum ſexcentis cæſis dederunt, non amplius tredecim Sveonum deſideratis. Liberatâ ſic arce Stegeburgo, partē copiarum Arvidi evocat ad ſe Guſtavus, eaq; firmat ſua caſtra ad Holmiam. Cum reliqvis copiis Arvidus Calmariam obſidere jubetur. Edictum Chriſtierni ſangvinariū denuo publicatur ad ſingulos militum tribunos & arcium præfectos, ut omnes Svedos nobiles & plebejos qvotqvot in ſua poteſtatete habeant, obtruncent. Tam inexplebilis Svedici cruoris hauriendi ſitis inerat Chriſtierno: ut, ſi potuiſſet, omnes familias ab ſtirpe evertere, & totū nomen Sveonum delere ipſi lubido fuiſſet. Tyranni mandatum præter alios etiam Thomas arcis Aböenſis præfectus ſtrenuè exſecutus eſt. Qvum idem fatum
1522. imineret Erico Flemmingio, fidei erga Chriſtiernum ſimulatione cum aliqvot copiis elapſus, in caſtra Sveonum transfugit: qvod jam in vita Chriſtierni fuſius memoratū eſt. Arx Arhoſienſis, Tynnelſöenſis, & Engsöenſis in Guſtavi poteſtatem ab hoſte traditæ ſunt. Sed hanc fortunam interpellavit Sveonum clades ad Holmiam. Qvum enim Severinus Norbyus novis ex Dania & Gothlandia copiis Holmiam cōmuniviſſet, his animo Danis addito eruptionem faciunt in caſtra Sveonū borealia, qvæ à ponte Rotenſi in Ervam villam propius urbem traducta erant, eosq; viribus inferiores iſtic cædunt. Poſtridie iterum erumpunt, & Svedis, qvi caſtra meridiem verſus ad Setra habebant, fuſis & nō levi clade affectis, urbem eo menſe ab omni obſidione liberant. Inde Severinus in Finlandiam cum claſſe ſua excurrit, & Nicolaum Arvidi arcis Aböenſis obſidione pellit: qvi igne in pulverem ſulphureum in domo lapidea urbis conditum im̄iſſo, tantum excitavit incendium, ut tota fermè urbs deflagraret. Arvidus autem epiſcopus Aböenſis, ſæviſſimi edicti regii fulmen evitaturus, adjunctis ſibi ex Finnonica nobilitate qvamplurimis, eorumq; conjugibus, liberis & opibus in navem collectis, in Svetiam ad Guſtavum demigrare inſtituit. Sed exortâ procellâ prope Öregrundiam ad inſulam Wiggiam, omnes naufragio miſerè perierunt; minus tamen luctuoſo, qvàm ſub tyranni libidine, fato. Inſtauratis denuò caſtris ad Holmiam & Supplemento Dalecarlorum, Helſingorum aliorumqve borealium militum auctis, qvum Gnſtavus animadverteret, ſibi deeſſe claſſem,

claſſem,qva hoſti intercluderet per mare neceſſariorum in urbem invectiones, Secretarium ſuum Sigwardum ab Holten Dithmarſum Lubecam ablegavit,qvi à Senatu populoq; Lubecenſi naves aliqvot bellicas tormentis,milite alioq; belli apparatu æreGuſtavi conduceret. Lubecenſes priori effectu qvo Guſtavum apud ipſos exſulem fideliter proſeqvuti erant, & qvi per ſe hoſtili in Chriſtiernum odio ferebantur ob violata ſuorum privilegia, navesq; & merces ſibi interceptas,qvinq; navium claſſem DCCCC. militibus, tormentis, commeatu bene munitam, rebus omnibus pretio æſtimatis, auxilium Guſtavo mittunt,navarcho Frederico Brunio, & militum duce Johanne Stammelio : qvæ ſecundante vento, pridie Pentecoſtes Sudercopiam accedebat. Non autem adduci poterant milites, qvanqvam Bernhardo Mylio aliisq; alicujus dignationis incitantibus,ut fidem ſuam jurejurando adſtringerent, anteqvam dominum,ſub qvo ſtipendia facturi eſſent, coram intuerentur. Ut eis hanc gratiam faceretGuſtavus,Upſalia Sudercopiam excurrit. Hunc ubi conſpicati, moti dignitate oris & corporis ejus,ſed animi præſtantia magis, cujus primas notas ex regia formâ & alloqvio, qvantũ vulgus militum poteſt;plures de in & majores ex factis colligebant; pro eo ſe vitam & ſangvinem promptè devoturos fidem dant,& in ejus verba jurant. Ex his ſtatim ArvidoWeſtrogotho & Petro Johannis deWaleſtad qvi Calmariam obſidebant, ſubſidium qvingentorum mittit ; reliqvo exercitu caſtra ad Holmiam corroborat. Agmina verò ruſticorum, ut ipſi deſiderarant,ad ſuos dimittit, retentis juvenibus militibus & perſonis ſolutis, eoq; minus domum cogitantibus. Iterum nova acceſſere Lubecâ ſubſidia, Bernhardo Bomhowero &HermannoPlonio ductoribus. Auctis ita Guſtavi viribus, Severinus hoſtium dux jubet Thomam arcis Aböenſis præfectum cum aliqvot bellicis navibus commeatu & milite onuſtis laboranti Stocholmiæ ſuccurrere. Poſtqvam Holmiæ promontoriis ad Furuſundh appropinqvarat,ſpeculatoriam navem exploratum præmittit. Hanc Guſtavianæ claſſis præfectus Ericus Flemmingius, in ſtatione poſt ſinum maris & rupem latitans, intercipit. Cujus præſidiariis per claſſem diſpertitis, eam Sveco milite completam in occurſum Thomæ mittit. Hac conſpectâ, putans in ea ſuos eſſe milites, ad eam feſtinat, ſciſcitans qvo in ſtatu res eſſent. Illis ſatis omnia ſalva eſſe, reſpondentibus ; dum jam conſcendere navem parat, alios adeſſe hoſpites & ſe proditum advertit. Itaqve pedem retracturus, à Sveonibus apprehenditur. Inde eorum claſſis explicatis velis reliqvas Thomæ naves invadit & ſub ſuam poteſtatem cum ingenti copia annonæ aliorumqve bonorum redigit; exceptâ nave Finnonicâ

nica Priitſia dicta, qvæ fortiter à meridie ad veſperam dimicans, non aliter qvàm igne injecto ſubigi poterat. Ad Guſtavum Thomas ductus in cuſtodiam Tynnelsöenſem datur, & qvod Sveones ac Finnos indigniſſimè tractaſſet, è qvercu ſuſpenditur. Ita auctorem facinora repetunt, & ipſe tandem ſuo opprimitur exemplo. Severini claſſis ad Holmiæ promontoria anchoras jacit, in conſpectu fermè Lubecenſium claſſis, Guſtavo militantis: ut hoc velut tacito ſigno ad prælium eos laceſſeret. Sed ubi pugnam averſari ſentit, ad inſulam in portum ſecedit. Eadem nox ſic glacie vallavit ejus naves, ut ad eas non ſolum pedibus, ſed etiam eqvis acceſſum haberent. Si Guſtavo tantum domeſtici militis, qvantum externarum copiarum fuiſſet, haud dubiè, manu conſertâ, victoriæ & hoſtium potitus eſſet. Ericus Flemmingus tamen aliiqve Sveones unà cum Stephano Saſſio & qvibusdam Germanis prælium ſvadere ac ſe invicem in hoſtes incitare; ſed Lubecenſes aut qvicunqve à Lubecenſibus conducti & huc auxilio miſſi erant, longæ conſultationis morâ, ubi facto opus erat, rem trahere, vel, qvod potius, nolle: ut ipſius vox Severini audita ſit: *hanc perfidiam ſocialem, non militiam eſſe.* Qvæ qvamvis, ut hoſtis, diffidentiæ inter illos ferendæ cauſa jeciſſe videri qveat; tamen ſocios hic remiſſiores ad pugnam fuiſſe conſtat; non tam ignaviâ, qvàm ſtudio ducendi bellum & majoris lucri; ut noſtri annales tradunt. Qvidam Sveonum ex alta rupe ingentia ſaxa in ſubjectas hoſtium naves devolvebant: alii ex adverſo eos impetebant; ita ut occaſio ipſa eos ad hoſtem cædendum hortaretur, ſi Lubecenſes hic animum dimicandi habuiſſent. Qvadam nocte excurrenti Stammelio occurrit Thilo Gislo ex hoſtium navibus; ibi conveniſſe de qvieſcendo, ex facto Stammelii patuit: dum militi pugnam ſeriò diſſvaſit. Si enim Severinum debellarent, nullo id eorum fructu fore: qvi domino & ære ſuo deinceps cituri eſſent. Si verò ſalvus elaberetur, bello productio; ſua ipſis ſtipendia nihilominus proceſſura eſſe. Sanè vel hoc cautioni fuerit, ne ita externis nitamur auxiliis, ut non plus domeſticarum & propriarum virium in exercitu habeamus. Præterqvam enim qvod turpe & indignum eſt, ſolo auctore ſocio, ſi validior nobis ſit; de ſummâ belli inire conſilium: & pugnare, cum ipſe, non cum imperator voluerit; etiam externus miles venalem pretio fidem ſæpe circumfert. Poſt biduum orta tempeſtate & glacie per cori flatum reſoluta, Guſtavus ipſe advolans monuit ſub datæ fidei religione ſocios, hoſtem adoriri. Qvod cum animadvertiſſet hoſtis, in ſulæ adverſæ ſuas applicare naves cœpit, unde noſtras impeteret. Guſtavus iterum ſocios monere, ut hoſtis conata anteveniant, & præ occupent iſtam inſulam, ſed fruſtra, Proinde Sveonum ducibus

ducibus adſcitis, ipſe cum ſuis eam occupat, & aliqvot tormentis majoribus inſulæ impoſitis, hoſtis claſſem diverterat. Hoſtis etiam ſuis tormentis vicem reddit, Guſtavum ipſum, cujus vocem audierat, petens, fallente tamen ictu. Tandem claſſis Severini vento ſecundo Calmariam abit. Urbem Stocholmiam deinceps Guſtavus arctiori obſidione premere cœpit, & caſtra ad boream ulterius in parœciam Brummam, & inde in inſulam, monachis ad prædii ruſtici uſum olim donatam, unde & nomen nacta eſt, urbiqve proximam promovit. Caſtra verò ad Setra in ſuburbium auſtrale transtulit. Ponte item mobili ſuper aqvas exſtructo, monachorum inſulam & aliam, qvam longam vocant, cum ſuburbio auſtrali commiſit: ut hoſtibus excurſionem facientibus, omnia caſtra facilius è propinqvo coire & ſibi auxiliares manus præſtare, & hoſtem commodius ſuſtinere, vel auctis viribus depellere poſſent. Sed & ponte ligneo ad orientem facto, ſuburbium auſtrale cum inſula Waldemari conjunxit, ibiq; firmiſſimum exſtruxit propugnaculum, qvo præſidiorum & commeatus ſubvectiones Holmiæ prohiberet. Hâc Guſtavi curâ & ſolertiâ urbs qvatuor partibus tam arctè infeſtata eſt, ut nemo, ſi replicet aut acti nuper temporis, aut priſcam memoriam, urbem unqvam accuratius & preſſius circumſeſſam meminerit; eaqve ratione hoſtium vires non parum acciſæ & in anguſtum redactæ ſunt. Qvum Petrus Fredagius accepiſſet, hoſtem cum omnibus copiis impreſſionem facturum in Sveonum caſtra ſuburbii auſtralis, optimos militum, qvingentos ferme clam abdidit in S. Mariæ Magdalenæ templum: qvibus in prætergreſſum hoſtem à tergo effuſis, pleroſq; profligavit. Obſidionis tempore Holmia gravi fame premebatur: unde multi tam eqvitum qvàm civium ad Guſtavum terra mariq;, victus qværendi cauſa, clam ſe recipiebant. Nonnulli in S. Claræ cœnobio ſuburbii borealis, tutas qværebant latebras. Cæterum antiſtita, facto indicio nocte per lucernam, die per linteum ex feneſtra appenſum eos Gregorio Holſato, ſororis ſuæ marito, prodebat. Qvi deprehenſi ligneis ſerris diſſecabantur, aliiſq; diris ſuppliciis excruciabantur, ut qvidam ſcribunt. certè immaniter tractatos fuiſſe, conſtat. Qvod præter alia qvoqve in cauſa fuit, cur Guſtavus poſteà hoc cœnobium à fundamentis dirui juberet. Ubi duces Chriſtierni majores ſubinde rerum anguſtias fame ingraveſcente ſentiebant, & noſtrorum caſtris tam bene munitis non facile qvid detrimenti adferri poterat, hunc aſtum commenti ſunt. Svedum eqvitem ſibi juratum Johannem Weſtrogothum in caſtra Guſtavi emittunt eo conſilio, ut alicui ducum Guſtavi operam ſuam militarem addicat, & admiſſus clanculum exploret Sveticarum rerum ſtatum, vires & ſub-

ſidia, dataq; occaſione caſtris eorum ignem ſubjiciat, atqve in urbem illicò remeet, ſi poſſit: ſi minus, in Daniam aufugiat, & obſeſſorum fortunâ Regi expoſitâ, nova auxilia ab eo petat. Ille explorator in fidem à Joanne Petri cognomento parvo recipitur, qvi nihil mali, ut à ſuæ gentis homine, ſuſpicabatur. Sed poſt aliqvot dies à duabus aliis urbe excurrentibus Elao Magni & Tordone Baggio proditus eſt, qvi in rei argumentum, veſtibus inſutas occultare ex membrana literas Theodorici Slaghókii & Gregorii Holſati, Johanni Petri ſignificarunt: qvas literas, ſi evaſiſſet, ad Chriſtiernum ferre juſſus erat. Eâ re manifeſtatâ, reus peractus & proditionis ſupplicio plexus eſt. At hoſtes, hoc conſilio ad irritum cadente, inutilem militiæ turbam, exceptis civium uxoribus & liberis, urbe emittunt: ut commeatus in longius tempus ſufficiat. Eo vehementius urbis Holmiæ & Calmariæ obſidionem Guſtavus urget, ne qvidem hieme per Svedos frigoris patientes omiſſam. Germani verò pleriq; ac Lubecenſes ejus intolerantiores, ſive ut hac ſpecie Rex eos ſeponeret, in vicinorum oppidorum hyberna diſtri-
1523 buebantur, procedentibus etiam eorum ſtipendiis. Ineunte anno Guſtavus Bernhardum à Mylen & Laurentium Siggonis cum Germanico exercitu per oppida in præſidiis hîc locato in Scaniam & Hallandiam mittit, ad hoſtem illic atterendum. Sed eluviones remoram injeciſſe cauſati, ultra menſem nullum operæ pretium fecêre. Turonem Johannis, vel ut qvidam, Laurentium Siggonis, cum inſtructis copiis expedivit, qvi Wikiam recuperavit. Severino, viribus ad Calmariam auctis, ſteterat adoriri caſtra Guſtavi ad Calmariam & Holmiam, extremumqve tentare caſum aut fortunam. Sed à Senatu regni Danici certior factus de ſævitia Chriſtierni in Danos qvoqve exercita, & qvod Senatus conſiliis ſpretis, totus à Sigbrita anicula ejusqve filia Columbula, cum qva ſtupri conſvetudinem habebat, penderet, ideoqve emotus imperio, fugiſſet in Belgium; interim novo rege Daniæ Friderico Holſatiæ duce in ejus locum deſtinato; cum ſuis copiis in Daniam reverſus eſt, ſexaginta tantum militibus ad urbis arcisqve cuſtodiam relictis. Qvibus negotium dederat, ut ſi urbem arcemqve diutius defendere non poſſent, civibus interemtis, eorum bonis direptis urbeqve incensâ in Gothlandiam ſe reciperent. Sed hoc cruento conſilio detecto, cives à Guſtavo ad præſtitutum diem petunt auxiliares copias, ſpe deditionis ipſi injectâ. Dicto die Sveticis copiis adventantibus & urbis expugnationem à parte maximè auſtrali ſimulantibus, ut eò præſidia cives averterent, portam urbis borealem illis noctu aperiunt. Urbe occupata, poſtea etiam arcem deditione accipiunt & totam Ölandiam ducto-

ductore Arvido Veſtrogotho. Tentabat itidem Guſtavus Scaniæ, Hallandiæ & Blekingiæ, Chriſtierni partes adhuc ſeqventium, recuperationem, miſſo iſtuc per Bernhardum à Mylen & Severinum Kylium exercitu, ſcriptisqve ad incolas literis, ut jugum, qvo hactenus preſſi fuerant, hac occaſione depellerent, & ſe in libertatem ope Sveonum vindicarent. Bernhardus à Mylen jam armis ſubjecta Blekingia, qvum eodem animo in Scaniam contenderet, occurrerunt ei Claudius Bildius & Axelius Ugerupius, inſtructi poteſtate faciendæ cum ipſo pacis, nomine Scanenſium & Hallandorum. Poſt longam diſceptationem, ita inter Bernhardum & eos convenit, ut res interim integra ſervaretur usqve ad Johannis Baptiſtæ diem, qvo conventus Arhoſiæ à Sveonum, Danorum & Holſatorum legatis inſtitueretur; & cui tunc per juris viam Scania & Hallandia poſſent adjudicari, in eo cæteros conqvieturos. Hac transactione Bernhardus deceptus, ſerò comperit, Svedos jus ſuum cum Danis rarò tam feliciter verbis & pactis, qvàm armis diſceptaſſe. Guſtavi ſecundâ fortunâ, Chriſtierni exilio, & nullâ ſpe ſuppetiarum præſidiarii Stocholmenſes animis dejecti, urbis deditionem certis conditionibus Guſtavo fecerunt, qvæ tales fuere: *Ut Guſtavus ſolveret obſidionem, & omnibus hoſtilibus actionibus abſtinerat. Urbs & arx Holmenſis in manus Lubecenſium traderetur,* qvos ſciebant in fœdere eſſe cum Friderico Duce Holſatiæ. *Ut Lubeca & Gedanum* (ſe ſociantes armis & claſſe contra Danos) *ſolverent militi reſiduum ſtipendii.* Sed Guſtavus his, ut indignis conditionibus, rejectis, obſidionem perſeqvebatur. In comitiis Strengnenſibus, ubi de ſumma reipub. conſultatum eſt, Canutus præſuppoſitus Arhoſienſis primus Ordines in hanc ſententiam Latinè adlocutus eſt: *Regno Svetiæ, qvod ab extranea dominatione tam miſerè hactenus adflictum, nunc hauſtâ novâ libertatis aurâ, aliqvantum reſpirare cœpiſſet, ut tandem integrum ducere ſpiritum qveat, ſummè neceſſarium fore, Regem indigenam dari, qvi patriæ ex animo cuperet, & rebus adflictis opitularetur. Qvum verò Deus incluto huic regno, chariſſimæ omnium patriæ, in ſummo rerum diſcrimine proſperitatem, ſucceſſum & victoriam, adverſus infenſum eorum hoſtem Chriſtiernum ejusqve ſocios per Guſtavum, regni nunc adminiſtratorem, benignè conceſſiſſet; & Guſtavus pietate, prudentiâ ac fortitudine præſtans, divinitus imperio monſtraretur, non aptiorem melioremq; regno repertum iri, qvàm ipſum. Præterqvam qvod ex eqveſtri familia & veteri Regum Sveicorum ſangvine oriundus, regiam fortunam animo & ipſis factis ſit æqvaturus.* Similis argumenti alloqvio idem Ordinibus perſvaſum ivit Johannes Gothus, Legatus tunc Pontificius, nuper huc Româ redux. Ad hæc nobiles & plebeji,

beji, qvotqvot tunc aderant, ſupplices effuſisqve lacrymis orare Guſtavum, *ut faſtigium regium capeſſere, ipſosqve & patriam à Chriſtierni tyrannide in priſtinam libertatem, ut jam feliciter cœpiſſet, porrò adſerere ne detrecta-ret.* Guſtavus contra: *Vaſtam regni molem & pondus, cui ferendo non eſſet, impensè deprecatus ſibi reipub. belliqve juris jam defatigato parci* rogabat. *Qvemcunqve alium ex procerum ac nobilium ordine creaturi eſſent, illum ſe qvoqve pro rege fide data agniturum.* At regni Ordines impenſius idem ſuis precibus flagitant, nec de iis prius remiſſuros ſignificant, qvàm exorarint Guſtavum. Ille tandem pio pertinaciqve eorum deſiderio victus annuit; atqve *non ex ambitione, ſed oppreſſæ patriæ commiſeratione & libertatis ſtudio flexum, eorum votis animisqve morem geſſiſſe,* oſtendit. Ita ſolennibus electionis peractis, & ſacramento utrimq; præſtito, GUSTAVUS Princeps & gubernator Sveciæ ac Gothiæ publica voce proclamatus; & deinde Rex ſolenniter creatus & coronatus eſt. de qva re ſuo loco. Regis & regni Senatores, qvi in partem curarum pub. venirent, creati ſunt præter ſuperſtites, Bernhardus Mylius, Petrus Erlandi, Ivarus & Ericus Flemmingii fratres, Axelius Andreæ, Canutus Andreæ, Petrus Johannis, Bero Claudii & Tordo Bondius. In dictis comitiis etiam deliberatum eſt de ſubſidi s & impenſis belli ex cenſu argenti per totum regnum colligendis. Item ut in publicum ederetur codicillus, juſtas amoti regno Chriſtierni & belli adverſus eum ſuſcepti cauſas explicaturus, ad occurrendum ſiniſtris malevolorum interpretationibus, & potentiorum Chriſtierno ſtudentium ulterioribus machinationibus. Finitis comitiis Strengnenſibus, rex Guſtavus cum omnibus Strengneſiæ collectis Holmiam adit. Ubi obſeſſi cives deditionem paciſcuntur his legibus, qvas eis Guſtavus ex æqvo & bono dicturus eſſet. Illæ tales erant: *Ut ſecuritate pub. corporum ſuorum, uxorum, liberorum & fortunarum, bonisqve ſuis propriis, tam mobilibus, qvàm ſoli liberè utantur fruantur cives, remanſuri Holmiæ; reliqvi in Germaniam abituri, fide publica diſcedant cum tot bonis, qvot ipſis ex gratia indulgeri poſſint. Privilegia civibus pro æſtimatione fidei & meritorum confirmentur. Ut præteritorum oblivio fiat. Urbs Holmia cum arce, omnibus tormentis & reliqvo apparatu bellico, cum omni claſſe Chriſtierni tyranni & Severini Norbyi, item omnes poſſeſſiones, bona & pecuniæ Guſtavi & Erici Trolliorum, Johannis Bellenachii & omnium cum Chriſtierno profugorum aut proſcriptorum tradantur regi Guſtavo in ejus & regni utilitatem. Si qvis contra fecerit, jure mulctetur.* Cum regis Chriſtierni ducibus ac tribunis ita transactum eſt: *cum omnibus miniſtris & militibus*

ſuis

ſuis cujuscunqve gentis, cum ſuis opibus, ſuppellectili & ſarcinis innoxiè abeant, & deducantur neceſſariis navigiis & commeatu Lubecam, Wiſmariam, aliaq; loca ipſis commoda. Sub fide jurisjurandi & exiſtimationis ſuæ adverſus Sveciæ regnum, Lubecam civitatem ejusq; fœderatos intra bimeſtre clam vel palam ſtipendia non mereant. Si qvis cujuscunqve conditionis aliena auferat, capite & bonorum publicatione plectatur. His conditionibus Holmia regi Guſtavo tradebatur, arcis præfecto Petro Hård conſtituto. Pridie feſti S. Johannis Baptiſtæ Guſtavus per auſtralem portam urbis ſolenni pompa ingreſſus, omniumqve plauſu ac lætitia exceptus, Rex Sveonum & Gothorum ab univerſo populo ſalutatur. Proximis diebus Lubecenſes ſollicitant & flagitant præſentem æris alieni ſolutionem pro commeatu, milite, claſſe, armis, qvæ regi contra Danos ſuppetias miſerant; aut illa ceſſante, privilegiorum & pactorum ab ipſis conſcriptorum confirmationem. Qvæ licet Lubecæ & Dantiſco, rem ſuam oppòrtunè agentibus, ingenti futura eſſent emolumento, ſed Svetiæ domeſticis commodis adverſa; ut Rex ipſe fatebatur, tamen, qvum exhauſto continentibus bellis & Chriſtierni expilatione regni fiſco, ſtatim repræſentare debitam pecuniam non poſſet, & inſignium officiorum Regi à Lubecenſibus præſtitorum ac beneficiorum memoria generoſi animi pudorem oneraret, neceſſitati temporis paruit, & Lubecenſibus & ſociis privilegia confirmavit. Erant autem ejuſmodi: *Si Lubeca aut Dantiſcum impetantur bello à Rege Daniæ, Regem Guſtavum illis terra mariqve opitulaturum. Ne pacem vel inducias cum Dano aliove ipſis inconſultis faciat. Occupatis Holmia & Calmaria, merces & bona civium Lubecenſium & Dantiſcanorum, qvæ jurejurando ſua eſſe confirmabunt, ipſis absqve diſpendio reſtituantur, & debita ſolvantur. Detrimentum ipſis à Dano fortè inferendum Rex Guſtavus penſet. ſecundum æſtimationem Senatus loci, ubi detrimentum acceperunt. Per Regis Guſtavi excubitores in mari, navigationis & commerciorum libertas illis non inhibeatur, Lubecenſium, Dantiſcanorum & ſociorum bona per univerſum Sveciæ regnum ab omni vectigali & onere immunia ſint. Quibus tam liberè inter ſe invicem negotiari liceat, atqve civibus ipſis. Nec alii peregrinæ nationi concedatur, niſi illis hîc in regno mercaturam facere, & accolis maris Balthici, qvibuscunqve illi hoc permittent. Nec ulli exterorum præter Lubecenſes Gedanenſesqve liceat jus civitatis in Svetia ſibi acqvirere, vel cum mercibus eò navigare, aut fretum Oreſundenſe vel Balthicum tranſire. Petentibus in regno juſtitia adminiſtretur, nec innoxii noxiorum culpam præſtent. Regni & civitatum incolis ad ſe invicem accedere*

& recedere & commercia exercere communi jure gentium liceat. Merces in regnum invectas præfinito ab incolis pretio vendere, aut invitus ibi relinqvere nemo cogatur. Mortuorum in hoc regno bona eorum hæredibus absqve jactura reſtituantur. Naufragorum bona colligantur & extrahantur absqve diminutione, exceptâ operarum mercede. Si nauta, mercatoris miniſter aut inſtitor merces domini ſui luſu, aleâ, vel alio illicito modo prodigat, vel absqve mandato oppignoret aut vendat, dominus recipiat merces apud qvemcunqve inventas; rei verò corpore & bonis luant. Lubecenſes & Dantiſcani cum ſuis ſociis hic legitimâ defenſione & jure fruantur: adverſantes & lege non contenti non tolerentur. Diſſidio inter hoc regnum & dictas civitates orto, qvatuor regni & qvatuor civitatum Senatores Lubecam conveniant, ut rem ex æqvo & bono dirimant. Si Lubecenſes & Dantiſcani plura deſideraverint, aut in his capitibus aliqvid mutari vel addi voluerint, hoc ipſis integrum erit, omnisqve amicitiæ gratia eis in hoc præſtabitur. Hæc privilegia confirmabantur & ſubſcribebantur à Rege Guſtavo & regni Senatu, excepto Nobili Finnone Canuto Erici de Lauko, Kurkiorum proavo, qvi neqvaqvam ſubſcribere & ſubſignare voluit, ſapienter prævidens, qvid mali ſubſeqvuturum eſſet. qvod etiam factum eſt, poſtqvam pecuniâ ex aſſe ſolutâ, Lubecenſes nihilominus ſtrictè urgebant privilegiorum obſervationem; qvæ res bello inter regem Guſtavum & Lubecenſes cauſam poſtea dedit. Non leve qvoqve negotium regi fecit dimiſſio militum Germanicorum, qvi non contenti cupreâ monetâ, ſolutionem ſtipendii in argenteis nummis poſtulabant: cui commodùm inſerviebat tributum argentarium, ab eccleſiis regni primariis, deſiderante Rege collatum. Reliqvum agmen unà cum Svedis Erico & Johanni Flemmingiis commendatum, in Finlandiam, additis tormentis campeſtribus & aliis neceſſariis, expedivit. Qvi fuſis hoſtibus omnem circa ditionem arcesqve anno exeunte regis in poteſtatem redegerunt. Rex inde legatos Canutum Erici, Beronem Claudii & alios in Moſchoviam miſit, ad fœdus vel pacem ſexaginta annorum tempore Svantonis Sturii M. DX. factam, cum Baſilio Johannis Magno Moſchorum Duce confirmandam. In comitiis Sudercopenſibus actum eſt de literis Friderici regis Daniæ, qvibus ad Ordines regni Sveciæ ſcriptis, ex mente, ut volebat, fœderis ſub Margareta facti, qvo tria borealia regna ſub uno capite rege conjungerentur, rex etiam Svetiæ renunciari poſtulabat. Blekingiam item, & Wikiam in Norvegia repetebat. Ordines regni reſpondent Friderico: *Ipſos ſanctè ſtare velle ſemel ſuſceptæ juratæ electioni Regis Guſtavi, & ut Rex Fridericus abſiſteret propoſito concupiſcendi regnum Sveciæ:*

qvod

quod Rex Guſtavus cum Deo tutaturus eſſet. Ne itidem ſollicitus eſſet de Blekingia & Wikia, quas rex Guſtavus non ipſi, ſed vero ſuo hoſti Chriſtierno armis ademiſſet, & jure belli teneret. Præter hæc in dictis comitiis *Præſul Guſtavus & pater ejus Ericus Trolle, Holgerus Caroli, & alii Chriſtierni aſſeclæ, qui ſolum verterant, pronunciantur hoſtes patriæ; donec regi regnoq́ concilientur.* Sed Holgerus deferens partes Chriſtierni, petitis & impetratis fidei publicæ literis, rediit in patriam & gratiam, fidus regi regnoq; per omnem ætatem civis. Cæterum, ut in poſterum vis & auctoritas eſſet rebus Guſtavi, ipſo volente, Senatus regni ſuis adprobat literis & aſſenſu omnia conſilia & actiones ejus adverſus Chriſtiernum aliosq; regni hoſtes ſuſceptas ad id, aut in poſterum ſuſcipiendas. Literas qvoqve à Rege & Senatu regni dari decernitur ad Fridericum regem de dimittendis Stenonis Sture Junioris vidua aliisq; matronis & virginibus nobilibus à Chriſtierno in Dania cuſtodiæ datis; hoc argumentum & principium ulterioris amicitiæ fore. In iisdem comitiis certum pro tempore pretium definitum eſt extraneis & indigenis mercibus, opificibus & operis: ne pro lubitu ac præter fas id augerent. Argenti, æris, ferri, ſalis aliorumqve foſſilium venas in publicum regni uſum ſcrutaturis, ut promtius indagent, immunitas & præmia promittuntur. Conſtitutum inſuper de exercitus luſtratione ex more regni inſtituenda, certis ei rei dictis moderatoribus. Epiſcopus Arhoſienſis Petrus Jacobi Synnanvveder, Canutus ejusdem loci præpoſitus & Guſtavus Trolle de calumniis atqve conjuratione in Regem Guſtavum appellati, criminis læſæ majeſtatis accuſantur, & ab officio removentur. In qvorum locum Petrus Magni Româ domum revocatus, & Johannes Gothus ſufficiuntur. Qvum Guſtavus totam Finnoniam recuperaſſet, ut ante dictum, & vires ejus non parum invaleſcerent, Fridericus rex Daniæ verebatur, ne Scaniam iſta hyeme Guſtavus tentaret; qvod tamen in animo non habebat. Nihilominus hoc ſuſpicatus, rem ſpecie colloqvii de pacis fœdere interim trahere conſilium ipſi erat, ut ea Guſtavi molitiones vel interpellaret, ſi pax perpetua conveniſſet, vel, ſi temporaria, diſtineret. Eo fine legatos huc Holgerum Gregorii, & Achatium Bragdium mittit, qvi mandato expoſito confeſtim cum Guſtavo de tempore & loco colloqvii agant. Nec id ingratum erat Guſtavo, ut eâ viâ ſiniſtræ ſuſpicionis aut adverſæ voluntatis ſenſus tolleretur. Eoqve Wadſtenis diem comitiis dicit, qvo rex, legati & ſenatus regni conveniunt. Sed ubi legati de Blekingia & Wikia regno Daniæ reſtituendis agitant, ad qvod Sveones haud proclives erant, res irrito incepto in aliud tempus prolata eſt. Vidua verò Stenonis Sturii junioris cum matre & aliis fœminis

minis nobilibus, ut fidem dederant Legati, carcere Danico liberatæ, domum incolumes reverterunt. Poſt abitum legatorum, in iiſdem comitiis decretum eſt de expeditione Guſtavi in Gothlandiam ineunte vere ſuſcipienda; ut ea provincia in veterem poſſeſſionem regni Svediæ, qvò jure pertineret, aliqvando redire, & Severini, qvi tunc nomine Chriſtierni eam tenebat, in præpedito navigationis & commerciorum iſtic curſu, machinationes prohiberi poſſent. Idem Braſchius epiſcopus Lincopenſis, cujus non parum intererat Gothlandiam Oſtrogothiæ diœceſi, ſub qva ante fuerat, reddi, maximopere urgebat. Omnes verò pollicebantur, hanc expeditionem adjuturos copiis & pecunia. qvi verò mallent pecuniam, qvàm militem conferre, illis optionem liberam fore, viginti ſelibris argenti pro qvolibet armato milite pendendis. Deniqve actum de moneta argentea cupreæ Chriſtierni ut viliori ſubſtituenda: qvæ eſſet commodioris inter indigenas & exteros commercantes uſus. Præterqvam qvod Dani iſtud æs qvadratæ formæ in Dania nuper abrogatum, huc affatim importarant, omnibus locis eo refertis, etiam optimas regni merces, pro exiguo pretio emtas ſecum extulerant, Svedis grave æs reliqverant. Permiſſum à rege tunc regni Senatui Vadſtenis officinam monetariam aperire, & propriam cudere monetam, ſed ſub nomine & titulo regio, Sudercopiæ rex edictum edidit, de recognitione armorum eqvitumq; etiam inter Nobiles, ſi immunitate ſua frui vel-
1524 lent. Seqventi anno Fridericus res Daniæ petebat auxilio aliqvot copias Calmariæ præſidio impoſitas à Rege Guſtavo, ad firmandum ſuas vires in obſidione Malmogiæ, qvàm unà cum Hafnia Chriſtiernus ea tempeſtate adhuc tenebat. Eas ab Guſtavo accepit, illarumq; ope Malmogiam expugnavit. Sed illis parum gratiæ relatum: dum in caſtris malè accipiebantur, & domum revocatæ ad expeditionem Gothlandicam à coacto in via Danico agmine pars cædebantur; & reliqvi vix evaſiſſent, niſi vim vi oppoſuiſſent. Præter hoc regiarum Guſtavi navium aliqvot ad Scaniæ oras jacturâ, bona & arma in illis vel diſtracta erant, vel detenta ab Achatio Brahe illius provinciæ præfecto. Guſtavus datis ad Fridericum literis, *ſeriò increpabat hujus facti reos, eosq; ex merito plecti, ſibiq; ſuum reſtitui deſiderabat; ne hoc offenſionis & diſcordiæ cauſam præberet; qvum tamen Guſtavus nollet aliud, qvàm qvod faceret ad bonæ vicinitatis, amicitiæ & pacis conſervationem.* Qvod ipſa etiam re oſtendebat, dum eum inſtructa claſſe decem (qvidam ſeptendecim habent) navium ad occupandum Bornholmiam, uti petierat, adjuvit. Comitia Iônecôpenſia, fruſtra eò exſpectatis Danicis legatis & dilationem ob comitia Hafniæ eodem tempore indicta deſiderantibus, non

pro-

proceſſerunt. Mox etiam allatæ Friderici Regis & Senatus Danici literæ ad Regem Guſtavum & Senatum Sveticum: qvæ ſignificabant *negotium publicum de comitiis proximo die Pentecoſtes inter duos Reges & Senatum Svetiæ, Daniæ & Norvegiæ, ut & Vandalicas civitates, habendis, in qvibus ageretur de trium horum regnorum commodis & proſperitate. Ut hæc tria regna & Vandalicæ civitates ſe adverſus omnes rerum caſus mutuo fœdere & pace velut communi ſalutis præſidio munirent. Ideò rex Fridericus amicè rogabat regem Guſtavum iſtis comitiis dicto die & loco haud gravatè intereſſe; vel ſi rex ipſe advenire neqveat, qvatuor aut ſex ex Senatu plenis mandatis inſtructos huc mittere ad peragendum qvæ è re trium regnorum & Vandalicarum civitatum eſſent.* Ad has literas Guſtavus nihil aliud reſpondebat, *qvàm ſimulac à Lubecenſibus accepiſſet, num illi ad hæc comitia viſere conſtituerint, ſe mentem ſuam de illis ulterius explicaturum. Sibi tamen mirum ac inſolens accidere, qvod rex Fridericus hujusmodi comitia ediceret, qvæ ad tria hæc regna pertinerent, anteqvam cum ſingulis de iis egiſſet aut conveniſſet, uti par erat. Qvam parum ex dignitate & ſecuritate Guſtavi futurum eſſet, in alienum ſe conferre regnum, ad hujusmodi poſtulata, cuivis facile dijudicatu fore: præſertim qvum Dani aperto Sveonum hoſti Severini Norbyo Gothlandiam tunc obtinenti, clam ſuppetias ſubmiſiſſent, ſex navigia commeatu onuſta, qvorum duo à Bernhardo Mylio nuper intercepta eſſent, reliqva evaſiſſent. Undè ſatis poſſet colligere, qvid fiduciæ in Danis ponendum eſſet; qvamvis illi hoc diſſimularent.* Sed reapſe hoc agebant, ut Guſtavum hac morâ diſtringerent, ejusq; expeditionem in Gothlandiam, donec æſtas rebus gerendis aptior elapſa eſſet; velut in hieme factum erat dilatione comitiorum Iônecopenſium. Severinus Norbyus autem nec in regis Sveciæ Guſtavi, nec in Friderici regis Daniæ partibus, pro Chriſtierno Gothlandiam ſe tueri ferebat, utens titulo *Dei amici, & omnis mundi hoſtis*, non absqve ſingulari faſtu. Evulgabat qvoqve ſuam monetam, in cujus uno latere ejus nomen, altero Gothlandorum inſigne, agnus cum vexillo, exſtabat. Qvum armata claſſe & celocibus benè inſtructus eſſet, mare Balthicum piratica infeſtum habebat, *hoc optimum vitæ ſuæ oblectamentum eſſe* jactans: *mercatorum ſarcinas & merces excutere odoremqve ex olentibus aromatum ſaccis ſpirantem naribus haurire.* Nemini parcebat, ſive Belga, ſive Scotus, Anglus aut Weſtphalus eſſet; maximè tamen Lubecenſibus inſidiabatur, omnem prædam in urbem Wisbyenſem devehens, dimidium inter milites ſuos diſtribuebat, reliqvum ſibi retinebat. Unde civitas pannis, aromatibus, vino, cerevíſia, cupro, ferro, ſale redundans inſigniter qvæſtum ſuũ exercebat; mercatoribus exteris contra magno detrimento affectis, qvi nil niſi vacuas

 naves,

naves, ſed plenos mœrore animos, domum reducebant; etiam cum probro dimiſſi, juſſiq; cumulatius redire. Lubecenſes hoc ægerrimè habebat; nec tamen auſi per ſe ſoli contra Severinum arma ad ùlciſcendum iſtas rapinas eo tempore ſumere: qvod ſuis viribus & fœderatorum animis non ſatis fiderent; Severini verò potentiam & aſtus reformidarent. Ut autem Guſtavum regem adverſus eum concitarent, miſerunt legatum ſuum Hermannum Iſraëlem in Svetiam, qvi fusè blandèq; Regem & Senatores ad eripiendam iſti piratæ Gothlandiam, & regno Svetiæ, qvò antiqvitus pertineret, hac opportunitate recuperandam hortabatur. Suos cives & Senatum cum Friderico rege Daniæ qvoqve egiſſe, ut iſtam Severini inſolentiam & vim in mari cohiberet. Fridericum etiam literis hominem monuiſſe, ut tantam vim abſtineret. Sed Severinum ejus interdictum nihili feciſſe, omnibusq; infeſtum eſſe pergere. Cæterum Guſtavus rem illam non tam inceptu facilem eſſe, ut videretur, reſpondebat: *qvum regnum Svetiæ ſuperioris belli ſumtibus exhauſtum, & ingenti ære alieno Lubecenſibus obſtrictum eſſet; prudentiæ non fore, novo ſe implicare bello, anteqvam difficultates iſtas ſuperaſſet. Nec ita reſpiciendam eſſe Gothlandiam, ut in diſcrimen amittendæ Svetiæ deveniatur. Certè non aliter poſſe, qvin ex hoc bello nova odii & gravis inimicitiæ inter duo regna materies exſurgat: qvippe Danis certam Gothlandiæ poſſeſſionem; nec incerto injuſtove, ut ſibi perſvaderent, titulo tenentibus. Si verò Dani, variante belli fortuna, Svecis eriperent Gothlandiam, ſe ignorare qvinam belli expenſas ei refuſuri eſſent.* Ad iſtæc Hermannus: *Si Regi placeat hoc bellum Gothlandicum capeſſere, ſenatum populumq; Lubecenſem æris alieni ſolvendi dilationem in multos annos, & qvidem absqve ullis uſuris, æqvo animo toleraturum eſſe. Si verò Rex filiam Friderici Regis Daniæ uxorem expetat, Lubecenſes has ei nuptias conciliaturos eſſe, & ut dotis nomine Gothlandiam accipiat, effecturos: uti jam inter Fridericum & Lubecenſes ea de re conveniſſet. At ſi periculum amittendæ iſtius provinciæ præter exſpectationem interveniat, Lubecenſes dimidias belli impenſas præſtituros, nec unqvam commiſſuros, ut iſta res ei fraudi ſit. Omni deniqve ope conniſuros, ut Gothlandia Severino ademta in Sveonum poteſtatem redeat.* Guſtavus reponit: *Si hæ conditiones, qvas obtuliſſet, ratæ haberentur, & literæ ac data fides (qvæ in hoc captioſo & fallaci mundo ſæpe proh nefas! violentur, nec diutius ſerventur, qvàm ex uſu & re contrahentium ſint, ab illis, qvorum intereſſet, confirmarentur, & ſervarentur, ſe pro virili qvod poſſet facturum.* Hoc audito Hermannus proferebat literas fiduciæ, & ſanctè adfirmabat jurabatqve, *omnia, qvæ nomine juſſuqve magiſtratus ſui promiſiſſet, firma ac rata habitum iri.* Atqve

qvæ ſi vel minimum eorum haud impleatur, ſe huc reverſurum & in cuſtodia regis fore. Nihilominus Guſtavus ad aliqvot dies ſpatium deliberandi ſumit, anteqvam tanti momenti rem aggrediatur. Qvum tamen antea in comitiis Vadſtenenſibus ex uſu regni viſum fuerat eſſe, & decretum de Gothlandia armis repetenda, ac Severini inſolentia reprimenda, nec pauci Senatorum regni hoc ipſi perſvaſum iverant, Rex non ſemel ex animi dolore movebat caput; differens aut negans illis conſenſum ſuum. Illi verò ſuſpicati hoc ex timida mente proficiſci, ad majorem perſvadendi vim adduxerunt exemplum Stenonis Sture ſenioris; cujus præter alias virtutes, non tam timidum, ſed præſentem & cordatum animum laudarunt. Rex reſpondit: *Se nunqvam, ut degeneres & ignavi, formidoloſum fuiſſe, nec tamen ſecurum, animo præſentire, nec poſſe verbis diſſimulare, hoc inceptum parum feliciter eventurum regno Sveciæ, ſed ipſi incommodo, oneri & ſumtui futurum,* qvod etiam accidit. Inſuper Guſtavus verebatur, *ne fieret, qvod habet tritum ſermone proverbium, ut, qvum duo canes de uno oſſe contendunt, tertius ſuperveniens illud abriperet.* Qvum tamen adeò inſtarent, tandem nolens volens conſenſit, & ex decreto priori Vadſtenenſi ad bellum illud ſe paravit, facta & collecta ſibi pecunia, ubi ærarium non ſufficiebat, ex propria ſuppellectile argentea; milite, commeatu & claſſe bene inſtructis: cui præponebat Bernhardum à Mylen. Rex ipſe cum claſſe ſolvebat Holmia, petebatqve Calmariam; ubi opperiebatur adhuc aliam claſſem ex Finnonia, Lubecenſem ex Germania. Veſpera Pentecoſtes tota claſſis conjuncta excurrit Calmaria in Gothlandiam: ubi exſcenſione facta ſelectus miles ad octo millia univerſam iſtam provinciam occupat, arce & urbe Wisbya exceptis, qvam ad duos menſes arctè terra mariqve obſidebat. Eam poſtea duo ſacerdotes ex Svetia oriundi Auguſtinus in Marteboo, & Petrus in Cutemo tentabant prodere Svedis. Sed re detecta in vincula dati ſunt, ut fame enecarentur. A Lubecenſibus urbe poſtea potitis liberabantur. Dum Guſtavus Calmariæ ſubſiſtens expedit agmina ſua in Gothlandiam, iterum à Friderico rege Daniæ adferuntur literæ, in qvibus excuſat dilata comitia Hafnienſia, ob conventum Hamburgi inſtituendum in diem Johannis Baptiſtæ. Sed qvum Rex Guſtavus parum tunc ſpei haberet de amica inter ſe & Danos compoſitione, qvi Severino clam ſuppetias ferrent; non ei animus erat iſtæc comitia per ſe aut legatos hac vice adire. Verùm literis Lubecenſium edoctus, illos Thomam à Wichten & Bernhardum Bonchavverum eò civitatum nomine miſſuros; per literas rogat, dicto die huc Ienecopiam ad ſe colloqvii cauſa excurrere. Rex Guſtavus eodem cum Senatu

natu venit. Et paulò pòſt duo legati Daniæ Albertus Jacobi & Axelius Bragde, in qvorum comitatu erant Vandalicarum civitatum oratores Bernhardus ſenator Roſtochienſis, Nicolaus SmiterloviusConſul Stralſundenſis, qvi à regis Friderici coronatione die S. Laurentii Hafniæ habita huc acceſſere, omnes efflagitantes, ut placeret regi Guſtavo ad amicum venire con greſſum cum rege Friderico & regni ſenatu legatisqve Vandalicarum civitatum Hafniam aut Malmogiam. Iſti oratores ſummam conferebant operam ad omnes ſuſpicionis & diffidentiæ cauſas à radice, ſi poſſint, exſcindendas, eoqve majori fructu ſtabilem amicitiam inter Regem Guſtavum & Fridericum inſtaurandam; inprimis ut fœdus inter hæc tria regna & Vandalicas civitates iceretur: qvo junctis viribus animisqve ad Chriſtierni ejusqꝫ ſociorum, hoſtium communium, vim arcendam idonei ac pares eſſent. Sed Dani hoc fieri non poſſe exiſtimabant, niſi rex Guſtavus ſoluta obſidione urbis Visbyenſis revocaret inde militem, & reſtitueret Blekingiam & Wikiam Daniæ & Norvegiæ. Qvod ſi nollet, cogi Fridericum & Danos ſuccurrere Severino Norbyo in Gothlandia: qvandoqvidem ille renunciata fide Chriſtierno, Friderico fidem & obſeqvium juraſſet; & Wisbyam pro eo tutaretur. Svedi reſpondent: *Hæc non facere ad amicam transactionem & conventum, uti deſideratum fuerat. Nec tam facile eos poſſe dimittere provincias armis hoſti ereptas, nec ſolvere obſidionem magnis impenſis factam, intuitu boni publ. tam regni Daniæ & Vandalicarum civitatum, qvàm regni Svetiæ. Qvippe Severinum non leve indies damnum adferre Svedis, Danis & civitatibus ex nido ſuo Wisbyenſi, prædationum ejus receptaculo. Sed & Gothlandiam ad Svediæ coronã pertinere, licet ad tempus inde alienata & vi poſſeſſa fuerit. Atqve ſi favente fortuna eam rex Guſtavus recuperarit, non detrectare jure cum rege Daniæ de ea experiri.* Qvamvis autem civitatum oratores multum laborarent, ut Blekingia & Wikia Danis reſtituerentur, & obſidio tolleretur, uti Dani avebant, nihil tamen effecere. Sed res ex conſilii ſententia in conventum Malmogienſem Kal. Septemb. inſtituendum rejecta eſt. Sic imperfecto negotio & diſſoluto congreſſu, Danici & Germanici legati Ienecopia in Daniam revertebantur. Circa idem tempus ex Germania Ienecopiam advenit Johannes Comes Hojenſis; qvi Guſtavi animum ita ſibi conciliabat, ut fide prius jurata rex ei arcem Gothiæ orientalis Stegeburgum clientelæ jure ad vitæ tempus concederet, ſororemqꝫ ſuam Margaretam Joachimo Brahe antea nuptam, viduam ei in matrimonium promitteret. Qvum, uti deſiderarat à Danis, cautum eſſet Guſtavi ſecuritati datis obſidibus & fidei publicæ literis, ea fuit regis modeſtia, pacis & amicitiæ ſtudium, ut Malmogiam in litore Daniæ ſitam ipſe ex convento ire non inferius ſe duceret, comitibus Thurone Johannis, Lauren-

ren-

rentio Siggonis, M. Laurentio Andreæ Cancellario, aliisq; nonnullis ex Senatu. In via ſæpe monuit rex Thuronem, ut, tanqvam princeps procerum & ſapientiſſimus, cautè, fortiter & ex fide in jure Sveciæ de Gothlandia tutando verſaretur. Qvod ſe ſedulò facturum promittebat. Sed ſimulac Rex advenerat Malmogiam, Dani hanc artem Thuroni os occludendi repererunt; uti fertur, ut ipſi clam per ſuos denunciarent, ſe omnibus ſuis in Dania & Norvegia poſſeſſionibus hæreditariis, everſum iri, ſi multum niteretur pro Guſtavo & Svedis in propugnando jure Gothlandiæ. Qvum ergo conventus initium in æde ſacra faciendum, & poſt amicas ſalutationes res ipſa tractanda eſſet. Thuro verba pro ſuo rege facturus, præ tuſſi ac ravi, vocis viam, uti præ ſe ferebat, obſtruente, velut obmutuit; certè ſermo impeditus & obtuſus redditus eſt. Nonnulli tamen ex compoſito hoc factum volebant; ne, ſi pro Guſtavo nimis laboraret, prædia ſua in Dania & Norvegia amitteret. Hoc ſi verum eſt, documentum ſit, qvod, ubi reſpectus rerum privatarum obſidere cœpit animos, malint publico qvam ſibi deeſſe: metusq; proprii damni aut periculi lingvam & mentem ſæpe præcludat. licet ille ſe bonum civem profiteretur. Itaqve ejus vicem regis Cancellarius loqvebatur, cujus ſermonem Rex ipſe poſtea excepit. Inde auctoritati & canitie venerandus regni Daniæ Senator Ancreas Bildius, petita dicendi facultate, ſic orſus eſt: *Vos ſereniſſimi Reges & cæteri proceres, ſi verum fateri velitis, haud inficias ire poteritis, vobis iſtæc antiqva regnorum negocia præſertim de Gothlandia parum comperta eſſe. Viri enim juvenes omnes eſtis, qvi non longè retrò meminiſtis. Noſter Rex Fridericus in Holſatia educatus, non diu in hoc regno ætatem egit, ideoq; harum rerum vel exiguam vel nullam habet cognitionem. Nec Rex Svetiæ Guſtavus iſtorum ſciens eſſe poteſt; qvum adhuc ſit juvenilis ætatis. Sanè pro vero adfirmaverim, neminem hic adeſſe, cui rectius hæc perſpecta ſint, qvàm Turoni Johannis & mihi.* Guſtavus ſtatim interpellans ait: *Qvid ais Andrea, & qvid hoc colore uteris? Juvenis diligenter ſciſcitando tam in præterita redire, qvam ſenex ea comperiendo & memoriâ conſeqvi poteſt.* Qvo reſponſo conſternatus Andreas, non habebat qvod regereret. Inde diſceptatum acriter eſt de jure Gothlandiæ, qvod Fridericus à ſe rejecit, ut parum ejus prudens. Qvamvis autem Svedi literis aliisqve documentis probatum irent, Gothlandiam verum eſſe Svetiæ membrum, & proprietatis jus ipſis competere; tamen fruſtrà nulloqve profectu diſceptarunt, neutris cedere volentibus. Itaqve hoc tempore ſic convenit, *ut Guſtavus, nec minus Severinus exercitu ſuo Gothlandiam vacuefaceret, & juris in eam, ut & Wikiam deciſio hactenus indefinita, delectis Vandalicarum civitatum arbitris eorumqve judicio anno proximo Lubecæ com-*

committeretur. Res interim utriqve in integro eſſet, & ſecuritas à Severini prædationibus omnibus qvorum intererat, & reſarciendi damni cautio fieret. Qvod decreto Malmogienſi ulterius declaratum eſt. Fœdus item inter duos reges Svedorum & Danorum ictum *de communi regnorum ſalute tuenda, & Chriſtierno exule junctis viribus excludenda. Ut regna ſuos limites, uti hactenus, tenerent. Ut Blekingia Daniæ reſtitueretur, cives utriusqve regni ſolita commercia & amicitiam colerent, hoſtes & transfugæ non receptarentur. Ut cujusvis regni Nobilibus prædia & poſſesſiones in hoc vel illo regno juſtè acqviſitæ, nec à majoribus alienatæ, incolumes eſſent. Qvicunq; Regum Calendis Septemb. occuparet arcem & urbem Wisbyenſem, retineret eam usqve ad ulteriorem deciſionem arbitrorum Lubecæ inſtituendam; & qvæ plura hujusmodi erant. Si qvis contra hæc pacta faceret, centum mille aureorum mulctâ plecteretur.* Hac captioſa transactione Guſtavus Blekingiâ & Gothlandiâ tantùm non exutus fuiſſet; ſi fœderi ſtatim ſubſcripſiſſet, nec prius tempus ulterius domi rem deliberandam ſumſiſſet. Lubecenſes verò, qvi antè præcipui auctores fuerant Guſtavo obſidendi Severinum in Gothlandia, iidem nunc adjutores fuere, ut ea obſidio ſolveretur illis conditionibus, qvibus poſteà non parebant. Nec ſemel compertum, Danos Gothlandiam conventu, pactis aut ſententia non dimittere. Proindè opera ſumtuqve itineris incaſſum impenſis, Guſtavus etiam ob perfidiam Bernhardi â Mylen & Severini clandeſtinas cum eo molitiones, poſteà propriam arcem Calmariam expugnare & præfectorum ab hoſte corruptorum manibus vi extorqvere, cum non exigua ſuorum jactura, neceſſe habuit; ut ſuo loco dicetur. Qvum rex indignabundus excederet curia Malmogienſi, in via ſtantem Hermannum Iſraëlem, qvi huc à Lubecenſibus miſſus egerat cum Guſtavo de ſuſcipiendo bello Gothlandico, conſpicatus & ſeverè alloqvutus, qværit ex eo: *ubi nunc ampliſſimorum promiſſorum fides eſſet, qvam liberis fiduciæ, gravibus diris caput ſuum devovendo & jurejurando firmaſſet? ubi nunc reſtitutio ſumtuum belli Gothlandici & dos apparerent, cujus ſpem ipſi oſtendiſſet? pœnas aliqvando hujus perfidiæ daturum.* Et ira percitus, arrepto pugione Rex eum percutere minabatur. Sed Cancellarius & alii comitantes prohibuere, ne manus ei inferret. Hermannus muliebri fletu conteſtabatur, *ſe culpam hujus rei præſtare non poſſe, nec qvid vellent aut nollent Lubecenſes, in ſua manu eſſe.* Rex indè Malmogia domum diſcedit, Deo gratias agens, qvod incolumis in regnum rediiſſet, ſanctèqve adſeverans, ſe nunqvam in poſterum pedem extra regni fides moturum. In Vadſtenenſibus comitiis Rex exponi jubet, *qvid in Dania actum & Malmogiæ decretum, & quomodo id pacis & concordiæ tuendæ cauſa, â Svecis implendum ſit,*

ſit, unà cum aliis regni negotiis cum Senatu pertractandis. Re conſultatâ, viſum eſt, *ad deſtinatum iſtic conventum mittere Johannem Hoienſem Comitem & Johannem Gothum præſulem Upſalienſem. Et qvum in eo conventu ex pacto agitandum eſſet de Gothlandia, Wikia & Blekingia, conqvirendas eſſe ex omnibus arcibus, templis & cœnobiis antiqvas literas inſtrumenta & documenta, quotquot de illis inveniri poſſent: qvibus juris ſui in iſtas provincias momenta probarent.* In iisdem comitiis actum eſt *de regis coronatione & nuptiis; ita ut omnibus è re videretur qvàm primum inaugurari Regem, ob varias cauſas, & ut hoc honorificarum nuptiarum non leve momentum eſſet. Intereà regem ſecum meditari poſſe, ad cujus nuptias animum ex uſu regni applicaturus eſſet. Sibi tamen haud alienum videri, cum exteris conſvetudinem & arctius vinculum, quoad ejus fieri poſſet, minus contrahi, propter incommoda non ſemel indè regno ſuborta.* Qvia verò Rex, priusqvam ad coronationem aut nuptias accederet, certus eſſe volebat de poteſtate adminiſtrandi ſecundum leges bona regni & beneficia aut feuda, ut vocant, diſpenſandi, ea de re conſuluit illos. Reſponderunt Ordines: *Neminem aliter adfirmare poſſe, qvin Regi plena poteſtas eſſet ex lege regni regendi provincias, arces & caſtella, diſpenſandiqve ex publico bono regni opes. Ideoqve curaret inqviri, & in rationarium referri omnes regni proventus ac reditus, item numerum prædiorum coronæ, nobilium & colonorum cujuslibet territorii: ut inde rex omnes coronæ fructus, & qvid ei proprium, qvid minus eſſet, in numerato haberet, & liqvidius dignoſcere poſſet.* Exqviſivit inſuper Rex, *num Ordines Comitem Hoienſem in regno ferre poſſent, antequam ejus nuptiæ cum ſorore regia ratæ fierent; & ut ipſi clientelæ jure aliqvod caſtellum concederetur:* qvod, qvum de regno Rex bene meritus eſſet, ipſis haud invitis fore credebat. Ordines repoſuerunt: *qvamvis leges regni alienigenas ad Senatoriam dignitatem aut provinciam vel arcem adminiſtrandam admitti vetarent; non tamen ipſis nolentibus, meritorum regiorum æſtimatione, fore, ut Comiıi de beneficio regni dignè proſpiceretur, nec ſe dubitare, qvin rex ſibi tàm ab ii ſo quàm aliis de fidelitate ſatisdari faciat: ne Svedis uſu veniat, qvod ſæpiùs a teà, ſi regi qvid accideret. Providendum qvoqve, ne plures extranei in regnum ſpe clarorum conjugiorum aut majorum poſſeſſionum allectarentur; ut invidiæ ac motuum irritamentis.* Tandem in dictis comitiis decretum eſt; *ut judices provinciales ac territoriales obſervarent præfinitos dies, qvibus jus ab illis dicendum eſſet, nec eam rem neglectui haberent. Si qvi deficerent in iſto munere, legum prudentes eſſe ſufficiendos: ut rex parcius tot qverelis & ſupplicationibus obtunderetur. Nullius acti nem eſſe admittendam, niſi qvi legitimè ad regem regniqve Senatum provocaſſet. Ut prætoribus interdiceretur mercatura, nec permitterent eam à*

qvoqvam

qvoqvam alio regionatim vicatimq; fieri, ſub definita mulcta. Ut omnes ſolutæ perſonæ & opifices in urbem cogerentur, nec ruri cuiqvam opificium ſuum, niſi qvi lege diſertè exceptus eſſet, exercere permitteretur. Iisdem alio tempore certum laboris pretium poſuit. Antea memoratum eſt, qvomodo Guſtavi exercitus ſub ejus ditionem redegerit univerſam Gothlandiam, excepta urbe & arce Wisbyenſi, arctè tamen terra mariq; circumſeſſa. Qvod maritimæ urbes lætis animis acceptantes, commeatu juvere milites. Eorum dux Bernhardus à Mylen duobus primis menſibus officii ſui partes maſculè & fideliter implevit, hoſtem effuſum aliqvoties haud cladis expertem depulit. Sed poſtea mutavit mentem, incertum cujus inſtinctu. qvidam hoc uxoris impulſu factum volebant: uti ſolet iſte ſexus, ſi ambitioſus aut avarus ſit, animum mariti ſuis delinimentis avertere. Sanè hæc mutatio ſtatim ab ejus acceſſu in Gothlandiam accidit. Deinde Severini Norbyi doloſis pactis & ingentibus promiſſis corruptus, inducias cum hoſte facere, conviviis indulgere, pro Severini infante ex concubina in baptiſmo ſpondere; clam cum ipſo in fraudem Regis & Sveonum conſpirare. Simul enim urbe exceſſerat, inducias cum Severino ſolvebat, inſcio & incauto milite; ita ut Severinus excurſione facta cæderet militem in ſuis caſtris, anteqvam arma adverſa caperet. Inde, qvid Bernhardus molitus eſſes, facilè ſentiebant. qvæ perfidia peſſimè habebat Svedos, eamqve Regi per literas indicare conſtituerant. Sed Bernhardus inſidiosè præpediebat, eis perſvadens fore ut Severinus arcem urbemqve propediem traderet. Cauſam verò brevis moræ nullam aliam eſſe, qvam qvod inter ipſos de conditionibus nondum convenire poſſet. Interea Friderici regis Daniæ legati ad Severinum, ut neutiqvam arcem & urbem in Sveonum manus tradat, hortantur; ſed nectat moras, donec ei Dani opitulantes, Daniæ illam ſubjiciant. Ingentia etiam beneficia aureiqve montes ei promittebantur, ſi eorum deſiderio ſatisfacere, eisqve & patriæ ſuæ fidus eſſe pergeret. Severinus ab ea re non alienus, per Ottonem Andreæ Ulfeld, in regis Friderici fidem ſe permittebat. Poſt paucos dies adveniunt aliqvot regni Daniæ proceres in Gothlandiam à Friderico emiſſi, qvi cum præfecto claſſis Bernhardo & Svedis blandè, ſed aſtuto pectore agunt, *& pacem inter duos reges factam à Svedis violatam eſſe* contendunt: *qvod armis Gothlandiam incurſaſſent. Sveonibus domum eſſe revertendũ, donec res juris diſceptatione vel amica compoſitione Lubecæ ex utriusqve regis placito diſcreta eſſet.* Horum ſententiæ claſſis præfectus inconſulto Rege aſſentiens & ſubſcribens, inſtante hyeme cum exercitu ſuo ex inſula decedit. Ipſe verò non auſus regi ſe li-

ſe ſiſtere, qvippe malè ſibi conſcius, Calmariam, cujus præfecturam tunc à
rege Guſtavo habebat, abit eamqve communit. Unde qvid animi ipſi eſ-
ſet, in proclivi erat divinare. Severinus autem regis Friderici legatis, con-
ditionibus utrinqve conventis & ratis habitis, urbem & Gothlandiam tra-
dit, & cum ſuis theſauris in Daniam ſe recipit. At Fridericus arci Wisby-
enſi Hemmingum ab Alefeld præficit. Hoc eodem anno, rex Guſtavus
arduum at ſalutare reformandi eccleſias in ſuo regno, & religionem tradi-
tionibus humanis & ſuperſtitionibus corruptam, emendandi conſilium ce-
pit, amore cœleſtis veritatis ipſi divinitus inſpirato; & Sveticorum eccleſiæ
doctorum Laurentii & Olai Petri fratrum, Lutheri ac Melanchthonis diſ-
cipulorum, & Laurentii Andreæ Cancellarii aliorumqve fidâ inſtitutione
confirmatus, à ſe & ſua orſus aula, primus Evangelicam doctrinam ample-
ctitur. Hac verbi divini luce per meram Dei benignitatem accensâ non
ſolùm tenebræ diſpellebantur, ſed & ipſe Rex ac poſtea populus ejus ex-
emplo rectius edocti, in veram ſalutis viam ducebantur: fruſtra renitenti-
bus & reclamantibus epiſcopis & doctoribus, Pontificiæ religioni addi-
ctis, præſertim Johanne Gotho præſule Upſalienſi, Johanne Braſchio epi-
ſcopo Lincopenſi; & Petro Gallo profeſſore Theologo. Sed & plebs ab
illis concitata, novam fidem aut hæreſin intrudi, clamabat. Qvæ qvum
in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sveogothica Bazii fuſius deſcripta ſint, eò lecto-
rem remitto. Fanatici qvoqve doctores Anabaptiſtæ, qvorum principes
erant Melchior Ringius & Cnipperus Dollingius, ex Germania cum Hol-
landicis navibus huc trajicientes, Holmiæ eccleſiam turbabant. Sed mox
Rege ex Dania reduce, compreſſi & ex regno proſcripti ſunt: de qvo mo-
tu eadem hiſtoria Eccleſiaſtica fuſius agit. Petrus Jacobi Sunnanweder, 1525
& Canutus, ille epiſcopus, hic præpoſitus olim Arhoſienſis, antea ob ſua
facinora dignitate emoti, de qvibus ſup. ad annum MDXXIII. Dalecar-
los ad ſeditionem commoverunt, obtentu qvaſi rex Guſtavum Trolle, ho-
ſtem ſuum & patriæ, ad priſtinam dignitatem reſtituturus eſſet. Ob has
& alias cauſas Guſtavus vocato Holmiam regni ſenatu, oſtendit iſtos pro-
ditores ex mera invidia adverſus ipſum, & ſtudio res novandi turbandiqve
populum ad motus excitaſſe. Qvamvis autem rex malo avertendo Dale-
carlos literis monuiſſet, *ut hos perfidos audire nolint, ſed aliqvot ex ſuis ſub fide
pub. illis danda ad ſe mittant, qvi qvid rex contra illos, aut illi contra regem habe-
ant, coram explorare poſſint*, tamen dicto minus audientes erant. Sed & re-
gni Senatus ad populum Dalecarlenſem ſcripſit, graviter adhortatus, *ne in
ſuis oris ferrent diſcordiæ & ſeditionis auctores: unde ſibi ipſis malum & perniciem*

facile creare poſſent; ſed in fide erga legitimum ſuum regem conſtanter manerent. Si ſecus facerent, nullam favoris aut defenſionis ſpem de regni proceribus ſibi promitterent, ſed ſeveram & factis ſuis dignam animadverſionem opperirentur. His motibus & illud accedebat; qvod Guſtavus ex fide dignorum fama & literis acceperat, Chriſtiernum omnibus ſuis viribus eniti, ut ope Cæſaris & aliorum amicorum in hæc tria regna reponeretur! qvæ ſæva peſtis ſi rediiſſet, omnia funditus evertiſſet. Proinde rex non potuit dimittere exercitum, ſed augere, ad neceſſariam regni defenſionem neceſſum habuit. Regni autem fructus, tuendis belli ſubſidiis deſignati, non parum imminuti erant, argentariis & ærariis fodinis ac ſecturis per diuturnos intra patriam motus, & bella otioſè jacentibns. Itaqve ad ſolitum exhauſti ærarii refugium, nova tributa decurſum eſt. Sed qvum veteribus multum gravati, novis non ſufficerent; tandem viſum eſt cum minori onere populi fore, ſi neceſſitate ſic imperante, unius anni decimæ eccleſiaſticæ vel duæ earum partes in uſum publicum converterentur; reliqvus triens miniſtrorum eccleſiæ ſalariis ſervaretur. Bernhardo à Mylen Calmariâ ad Regem evocato, & juſſo eam regi tradere, mittitur Nicolaus Erici, Erici Thuronis in Benhammar filius, qvi in fidem nomine regis eam accipiat. Qvum Nicolaus Erici Calmariam veniſſet, literas regias in curia, evocato qvoqve eò Bernhardo, publicè recitari juſſit; uti qvidam referunt. Bernhardus recuſaſſe dicitur in Curiam ex arce deſcendere, ſed ſi qvid negotii Nicolaus à Rege ad ſe haberet, eum cupit in arcem venire. Nicolaus ſecuritate itus & abitus ſibi datâ, aſcendit in arcem, Regis mandatũ ei exponendi cauſa. Ibi à Bernhardo ſummâ humanitate & opiparo convivio, ſed in ſpeciem, exceptus eſt; depoſitis vino & Germanicâ cereviſiâ non ſolùm domino, ſed ejus qvoq; miniſtris; & ſic ex arce dimiſſis. Sed mediâ nocte non obſcurè patuit, qvantus dolus ſub amicitiæ & humanitatis ſimulatione lateret; de qvo mox fuſius. Cæterum alii ſcriptores aliter referunt, & qvidem veriſimilius. Qvippe Bernhardus à Mylen tunc non erat in arce Calmarienſi, ſed inde evocatus ab offenſo rege, Holmiæ erat; qvum Nicolaus Calmariam dicti negotii cauſa adveniret, ut antea memoratum eſt, qvod etiam alii annales confirmant, & ita rectius habent: Qvum Nicolaus Erici Calmariam accedens, juſſu regio vellet ſibi tradi arcem, frater Bernhardi, Henricus à Mylen id abnuit, donec Bernhardus priſtinæ ſecuritati redditus eſſet. Rex non parum irâ concitus, ſe à ſuis miniſtris in ordinem redigi, jubet per literas & tandẽ ipſum Bernhardum & Joannem Olai, acceptâ ab illis fide, eò miſſos permittere arcem & urbem fidei Nicolai Erici, aut malè excipi. Sed ſurdis narratur

fabu-

fabula. Proinde Bernhardus rogans intromitti in arcem ſpecie agendi cum fratre de arcis deditione & mox inde revertendi, ægrè hoc à Nicolao Erici contra regis interdictum, tandem tamen, interpoſitis ſponſoribus & obſidibus, obtinuit. Ex arce rediens milites ait obfirmaſſe animum de eâ non dedenda, prius qvàm ipſe in integrum reſtitutus eſſet; ſe tamen adhuc ſemel admitti ad colloqvium in arcem rogat, ſedulò laboraturum, ut eorum animos expugnare poſſit, & intra qvinqve horas ſub data fide rediturum. Nicolaus ſemel ab ipſo ſervata revertendi fide & ſponſoribus datis ſecurior factus, locum dat ejus petitioni. Admiſſus in arcem, eam milite ex Ölandia noctu clam accito munit, & ſeqventi die caſtro egreditur, id ex promiſſo qvaſi dediturus, & in urbem ad Nicolaum Erici rediturus, Sed vix in pontem arcis deſcenderat, qvum milites eum ſubſeqvuti, ſimulatâ vi retrahunt; qvaſi dolo diſſolveretur jusjurandum; poſteraqve nocte, qvæ erat prima Pentecoſtes, centeni arce effuſi in urbem, Nicolai Erici domum aggredi juſſi, fores pulſant, nec intromiſſi, glandibus plumbeis eam impetunt. Hoſpes autem fidus cum ſuis miniſtris eos lapidibus & aliis obviis arcet, donec Nicolaum Erici cum ſuis ſomno excitarent. Hoſpes qvoqve CCCC. ferme ſuccidias lardi collocari juſſerat poſt fores domus, ut globi plumbei & jacula penetrantia januam, in iſtis obhærerent, nec intus domui aut hominibus noxæ eſſent. Ea vi usqve ad diluculum exercita, Bernhardus revertitur in arcem. At Nicolaus Erici properat ad Regem, totâ Bernhardi perfidiâ ei detectâ. Interim fidei jusjurandum ab omnibus in Smalandia militibus exigit Bernhardus, & ut ſibi ſub eadem fide ſervent arcem Calmariam, qvam à rege Guſtavo ſibi ſuæqve uxori loco dotis donatam fingebat; nec ulli hominum, ne qvidem ipſi Regi tradant, priusqvam ex Germania redeat. Hoc jusjurandum ei temerè præſtant milites, parum memores aut obſervantes arctioris vinculi, nimirum religionis ac fidei Regi ſacramento antea devinctæ: qvæ ſemel data ſanctè ſervanda erat. Qvum item à Senatu populoqve Calmarienſi poſtulaſſet, illi recuſarunt. Tandem Bernhardus cum fratre & uxore, convaſatis auro, argento aliisqve alicujus pretii, relicto arcis præfecto Henrico Iuta & Nicolao Stenonis, abit in Germaniam animo ſibi qværendi vires apud Albertum Ducem Mechlenburgenſem aliosqve, ad arcem ulterius communiendam & reſervandam Chriſtierno. Hanc perfidiam Bernhardi Rex admodum offenſo tulit animo. Nec id mirum: qvum ante alios, etiam indigenas, à rege elatus, exercitus & arcium præfectura & honorato conjugio Annæ in Winſtorp filiæ Margaretæ ornatus, aliisqve præmiis cumulatus, tam indignam ei referret gratiam. Ipſe rex

cum delecto agmine Calmariam profectus, in obſeqvio fidos & conſtantes vidit cives: qvi ſtatim ipſi urbem aperuerunt, & Regem, uti par erat, honorifice exceperunt. Dum ille cum ſuis circumeqvitat arcem, experturus qvid moliantur præſidiarii milites, qvidam ſenex calvus, Arvidi Weſtrogothi, Regem eſſe ratus femur glande plumbea transverberat. De iſto fama vulgarat ſe diabolo mancipaſſe, ut certo ſemper & deſtinato ictu feriret, qvemcunqve petiturus eſſet. Rex in arcem mittit, qvi ejus nomine imperet militibus deditionem. Illi reſpondent: *ſe nullum alium dominum præter Bernhardum à Mylen agnoſcere, & malle ultima pati, qvàm arcem alii dedere.* Proinde Rex nullam aliam qvàm vi occupandi arcem viam cernens, munimentis inter cœnobium & arcem exſtructis, eam tormentis graviter qvatit & oppugnat. Primum impetum aggredientium ita exceperunt obſeſſi, ut continenti jaculorum & ſaxorum grandine obſidentes depellerent. Rex oppugnantium ignaviam increpans, ipſe armis indutus, *vel arcem ſe expugnaturum, vel animam profuſurum ait.* Sed exercitus ſupplex rogat Regem, *ſuæ ſaluti conſuleret, nec iſtud dedecus illis inferret, ut inſtar gregarii militis ipſe oppugnationi miſceatur, & præſenti periculo tantùm caput objectet. Se pro virili dimicaturas, etiamſi omnibus occumbendum ſit.* Rex laudata animorum promtitudine, muros arcis ad ſeptentrionem tentare jubet. Secundus impetus verè virorum & tam ardens certamen fuit, ut prius vita, qvàm vallo cederent & ex qvadringentis ſclopetariis tantum qvatuor, ex Petri Fredagii agmine nemo evaderet, qvin ipſi agminum duces Petrus Fredagius & Johannes Petri aliiqve cadebant. Hac tot fortium virorum clade Rex ita affectus eſt, ut etiam lacrymis teſtatus dolorem, ſtatim, receptui cani juberet. Sed & præceps in noctem dies ulteriorem oppugnationem vetabat. Obſeſſorum dimidia pars obtruncata, reliqvi faucii, minima pars intacta cæde aut vulnere fuit. Obſeſſi ad tam paucos redacti, ideoqve deſperantes ulterius arcem tueri, poſtero die certis conditionibus paciſci qværunt. Sed rex, ſpretis conditionibus, infidos & pertinaces ſe victoris arbitrio permittere jubet, qvod ubi fecere pleriqve ultimo ſupplicio afficiuntur. Ita vi receptam arcem committit fidei Arvidi Weſtrogothi. Calmariæ tamen recuperatæ fortunam aliqvantum turbabat navis tormentis & inſigni apparatu bellico onuſtæ jactura, & incendium arcis Stocholmenſis, qva deflagravit regium conclave & argentea ſuppellex. Severinus Norbyus adhuc Gothlandiæ incubabat & pro lubitu dominabatur, nulla habita ratione pactorum Malmoenſium. Non tamen aliter adſimulabat, qvàm ſe paratum eſſe de Gothlandia cum rege Guſtavo tranſigere, & in Svetiæ regno fortunarum

ſedem

ſedem figere, ſi ſibi comodus in Finnonia locus daretur. Sed rex facile ejus machinationes advertebat: ſe, ſi hic admitteretur, nihil niſi diſcordiam inter Svedos, Danos & Germanos excitaturum; & plebem, præſentibus vitæ comodis ſua plerumq; metiri ſvetam, in factiones ſciſſurum. qvippe multitudini jam per ſuos emiſſarios clam inſuſurrari curarat, ſi ipſe rerum potiretur, effecturum, ut minoris pretii eſſent ſal & lupulus ſalictarius, eorumq; uberior copia, qvàm unqvam antea fuiſſet. Eo enim tempore magna annonæ caritas erat, præſertim ſalis tam in Germania qvàm Svecia, propter bellum inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. regem Galliæ, qvi hoc anno à Cæſare in captivitatem redactus erat. Ut levato velo proderet animum ſublimia ſpirantem, cæpit Severinus ambire nuptias Chriſtinæ Stenonis Sture junioris viduæ, ſpe magnæ fortunæ ipſi liberiſq; ejus facta, qvibus promiſſis fermè circumventa non abſq; motus periculo fuiſſet. Supra iſtæc clam conſpirabat cum Bernhardo à Mylen; qvum adhuc arcem Calmariam teneret, ut ante ſuo loco dictum, & cum Petro Sunnanweder ad Dalecarlos profugo aliiſqve. Ut regem Guſtavum apud peregrinos ſuſpectum & inviſum redderet, vario rumore differebat, qvaſi rex cum ipſo fœdus adverſus Danos & Germanos feciſſet. Ea cauſa Rex Johannem Thuronis & Iuſtum Qvaditium ad Fridericum regem Daniæ & Lubecenſes mittebat, ad ſe purgandum, & exqvirendum de conventu proxima æſtate Lubecæ habendo; & num rex ob alias occupationes regni eo eximi non poſſet. Ad conſultandum de his & aliis regni negotiis Arbogæ, & inde ob incendium urbis Arhoſiæ Senatum & Ordines convocat. In horum conventu rex graviter expoſtulabat *de variis calumniis & mendaciis inter plebem de ſe diſſeminatis & malè confictis, ut & de tentatis in caput ſuum inſidioſis machinationibus à Severino Norbyo, Petro Sunnanvveder, M. Canuto & aliis proditoribus; qvi motus in regno & ſeditiones ciere, & per eas regem emovere regno conarentur.* Significabat itidē, *ſi qvid eſſet, qvod in ejus imperio deſideraretur aut diſpliceret Ordinibus, ſe paratum eſſe ſponte imperium deponere: ne reſpub. per ipſum qvid incommodi pateretur.* Ordines regni precabantur à Rege, *ne imperiū & ipſos deſtituere, ſed, ut hactenus, eis præeſſe vellet. Omnes agnituros & veneraturos regem, qvalem Strengneſiæ elegiſſent; cui fidem & obſeqvium, vitam & ſpiritum omniaq; qvæ poſſiderent, addicere promtiſſimi eſſent; qvippe ſe regis innocentiā & integritatē ſatis cognitam habere, qvidqvid etiam obganniret calumnia: qvæ nec culminibus rerū parcat. Cæterum ſcire ſe, regiū eſſe, ut ille dicebat, benefacere, & male audire; ſed apud malos. Non poſſe nō improbis ob diſſimilitudinem morū diſplicere. Satis, qvod Deo, conſcientiæ & bonis placeat.* Fidē inſuper dabant, *omnes & pro ſe qvemq; conniſuros, ne inſidiarum ſtructores uſpiam in regno tolerentur, ſed ut proditores, aliis in*

 exemplum

exemplum & terrorem, ſibi in perfidiæ mercedem, ſeverè plectantur. His eorum precibus, promiſſis & fide Rex adductus retinuit imperium, iterum pollicitus illis ſedulam regni & populi curam & defenſionem, etiam cum propriæ vitæ diſcrimine, ſi neceſſe fuerit, conjungendam. Actum eſt in iisdem comitiis *de annuis ſubſidiis ab ordine Eqveſtri in recognitionem poſſeſſionum ſuarum vel hæreditariarum vel clientelæ jure acceptarum, ex lege & regni conſvetudine, ſecundum æqvam fructuum æſtimationem præſtandis.* Rex Johannem Comitem ab Hoia & Johannem Gothum præſulem Upſal. ad conventum Lubecæ cum Friderico rege Daniæ & Vandalicis civitatibus ex pacto Malmogienſi celebrandum mittit. Verùm qvum terrâ iter facere, Severino Scaniam armis infeſtante, non poſſent, mari fecerunt. Sed adverſo vento retenti, ad dictum diem non adfuerunt. Unde Legati Danici adventum eorum præſtolari detrectantes, abierunt Lubecâ. Nihilominus Legati Svetici literis ad Fridericum regem Daniæ & legatos ejus moram ſuam ex ſontica cauſa excuſantes, rogant eos reverti & deſtinatum negotium unà cum ipſis peragendum; ſed fruſtra. Qvum ergò ſeptem hebdomadas Lubecæ morati eſſent, ſcripto conſignatam adverſus Danos conteſtationem ſenatui Lubecenſi tradunt: & pacis ac commerciorum fœdus ineunt cum Vandalicis civitatibus & Hollandis; qvi pollicentur ſalem, vinum, pannos & alia neceſſaria ſe regno illaturos. Conventum etiam, ut tam intra qvàm extra regnum liber eſſet commerciorum uſus. Poſtqvam Guſtavus cognoverat Petrum Sunnanweder & Canutum apud Montanos, contra fidem Arhoſiæ datam, latere & foveri; proficiſcitur ipſe ad Dalecarlos, inqviſitum cauſas, cur pactis Arhoſienſibus non ſtetiſſent. Ubi Tunæ populum coëgerat, & eo nomine graviter objurgarat, omnes veniam ſupplices rogant, fide ſcriptis & ore data, *ſe in poſterum cautius acturos, nec unqvam hujusmodi proditores recepturos, ſed pro virili perſeqvuturos, & omne detrimentum à regno amolituros: denique, uti deceat bonos cives, in fide & officio fore.* Sic Rex deprecantibus & ſaniorem mentem promittentibus ignovit. Sed dicti proditores in Norvegiam aufugiunt ad ſecuritatem iſtic petendam, fingentes qvaſi à Rege Guſtavo proſcripti eſſent, qvod Lutheranam religionem amplecti nollent. Fide publicâ à ſenatu regni Norvegici illis indulta, rex Guſtavus hoc moleſtè fert, & contra pacta Malmogienſia admiſſum datis ad eos literis expoſtulat, cupitqve huc ad judicio ſiſtendum remitti. Qvod tamen non niſi ſeqventi anno factum eſt. Primo vere Severini Norbyi tribunus Otto Siggonis, cum ingenti agmine incurſat Scaniam. Alius ejus tribunus Severinus Brunnius una nave armata & duabus celocibus ingreſſus ſinum Calmarienſem, exſcenſum in urbem

Cal-

Calmariam ſuos facere & bidui qvietem & commeatum iſtic pro juſto pretio petere jubet. Sed tales hoſpites, alienum ſolum cum maleficio & injuria peragrare, malaqve fide pro victu ſolvere ſveti, non admittuntur; nec tranſitus per iſtas oras, regi Daniæ noxius futurus, illis contra utriusqve regni fœdera permiſſus eſt. Qvare verſus auſtrum excurrentes in Lyſtriam exſcendunt, Sölfſsburgum & Ahuſiam aliaqve caſtella vaſtant. Ipſe Severinus inſeqvutus Landscronam & ferme totam Scaniam occupat, excepta Malmogia; Blekingios & Scanios in ſua verba nomine Chriſtierni adigit. Achatium Bragdium cum uxore capit, & pro lubitu graſſatur, donec Johannes Rantzovius Eqves Holſatus cum Friderici & Vandalicarum civitatum conjunctis copiis adventas, ingenti eum clade ad Londiam in Scania adficeret, qvinqvies mille hoſtium cæſis. Inde Landscrona obſeſſa & expugnata, pacem cum Severino facit ea lege, ut Gothlandiam Friderico Regiæ Daniæ traderet, ſibi Sölfſsburgum ad ultimum vitæ diem haberet. Ita Gothlandia ſub Daniæ poteſtatem rediit. Prohibetur hoc tempore in Svetia evectio argenti facti vel infecti; ut major copia bonæ monetæ ad pacis & belli præſidia ſuppeteret. Rex Friderico Regi Daniæ adverſus Chriſtiernum qvinq; navium claſſe tribus regnis borealibus per Nicolaum Cniphovium vim & arma intentantem, deſideratas ſuppetias promittit. Anno ſeqvente conventu regni Vadſtenas indicto, actum eſt *de coronatione Guſtavi properanda: ut certo rege & in ſede ſua firmato, pravæ extraneorum qvorundam cupiditates facilius reprimerentur. Item de nuptiis Guſtavi earumq; ſcriptis pactis: de utriusq; tam coronationis qvam nuptiarum impenſis: de ære aliono regni præſertim Lubecenſibus ſolvendo ex duabus decimarum partibus*, ut ſuperiori anno in comitiis Holmenſibus decretum erat. Sed huic decreto fraudem faciunt Epiſcopi & reliqvus ſacer ordo, dum, ante ejus publicationem, præcipiunt ex granariis Eccleſiarum integrum ſuum ſalarium, & plebi clam auctores ſunt redimendi decimas pro exigua pecunia, ſpecioſo prætextu, ne deficeret ad ſationem frumentum. Contra eos & hoc & anno M D XXIIX. edictum regium publicatum eſt. Præſules itidem Upſalienſis, Scarenſis & Strengnenſis agitabant animo conſecrationem ſui & inaugurationem à Pontifice absqve Regis Guſtavi conſenſu petendam: ut ita ſoli Pontifici, non Regi obnoxii eſſent. Itaqve rex eos monet majori fide boni pub. curam agere: niſi dignam in ſe animadverſionem expetere velint. In dictis comitiis Rex ordinis Eqveſtris privilegia confirmavit, & peculiariter de mulctarum exſolutione à colonis eidem præſtanda. Gripsholmiam, deſerto ab Monachis ejusdem monaſterio, cujus incertam & litigioſam poſſeſſionem tueri neqvierunt, Rex

1526

ad ſe

ad ſe jure hæreditario retraxit & vendicavit. Hac hyeme & anteactis Johannes Gothus ducentis eqvitibus aliorumqve miniſtrorum nobilium & plebejorum longo ordine ſtipatus, viſitabat eccleſias, tanto cum apparatu & pompa, tanqvam Princeps qvidam ad militiam aut recognitionem exercitus proficiſceretur. Vincentium vicariam ipſi operam præbentem, adminiſtrare qvæ ad ſacra peragenda facerent, jubebat, ipſe verò presbyteros interim expilabat. Hoc enim ferme erat eâ tempeſtate epiſcoporum artificium, ita viſitando circuire diœceſes, ut ſub titulo recognitionis & cenſuræ Sacerdotum, inſpicerent & decerperent eorum fortunas, ſacræqve dignitatis decus in avaritiam & turpem qvæſtum verterent; ſed ne talis videretur, honoris & moris colore obducebant. Dein ex Norlandiâ redeuntem ad ſe rex vocans percontatur; *qvænam genuinæ Epiſcoporum eſſent partes? num Chriſtus Dominus noſter juſſiſſet Apoſtolos aut ſucceſſores eorum tanta uti pompa ac vanitatibus? anne majora & graviora illis injunxiſſet?* Sed præſul parum aut nihil ad rem reſpondebat. Rex porrò, *ſe in S. Literis legiſſe ait; Chriſtum juſſiſſe eos docere populum Dei voluntatem, & qvid credere de Deo, qvid ſentire de ſeipſis deberent: ut, qvando hinc diſceſſuri ſint, tranqvillâ conſcientiâ & beato fine decedant: & ut præeant eccleſiæ piâ & inculpatâ vitâ, libroſq; populari ſermone ſcribant edantqve: ut ab omnibus intelligi & cum fructu legi poſſint. Tale qvid in aliis rebuspublicis & regnis exerceri. Germanos utiqve, Gallos, Britannos & Bohemos ſacrum Codicem aliosqve utiles libros patrio lingva verſos habere; ſed hic in Svetia nullos planè codices in vernaculam lingvam translatos exſtare, niſi memorabilia S. Mariæ, ut vocant, qvibus multa contra S. Scripturæ mentem detorta ineſſent.* Addebat rex, *epiſcopos, canonicos, presbyteros & monachos pigros eſſe ventres: populum non ſæpius ad conciones ſacras vocare, & publicè verbum Dei docere, qvàm qvum ſolennes & majores Miſſæ, decantarentur. Qvid ergo mirum eſſet, ſi populus ad Dei notitiam venire, modum ritè Deum colendi & ſalutis viam diſcere neqveat? Non poſſe non ſibi perſvadere, qvin hæc præcipua fuerit cauſa tot anguſtiarum & malorum, qvibus patria toties adflicta fuerit.* Antiſtes Johannes Gothus reſpondebat, ſed ficto animo, *ſe cum ſuis ad meliorem mentem rediturum, omnemqve operam daturum, ut Biblia Svetico ore & ſermone donentur, & qvidem à ſe Novum, ab aliis ex ſacro ordine Vetus Teſtamentum.* Hunc laborem qvamvis aggredi viderentur, tamen profundo otio immerſi, aut per imperitiam nihil confectum dabant, ſolam Hieronymi verſionem ſeqvuti, nec tamen opus inchoatum perſeqvebantur. Feriis Ericianis Rex cum bis mille eqvitum & magna manu peditum veterem Upſaliam ingreditur, & cum Uplandis, iſtuc ad concionem evocatis agit primò *de emendanda religione, &*

ne, & ſacrorum adminiſtratione, dein *de civilibus regni negotiis*. Super alia conqveritur, *in regno nimium ignavorum & inutilium eſſe Sacerdotum & monachorum, quibus omnia cœnobia referta eſſent; qvi nihil ferme aliud agerent, qvàm ut inſtar noxiorum animalium annonæ populatorum, terræ fruges & medullam conſumerent.* Ideò ſciſcitabatur, *num illis non conſentaneum videretur: ut delectu eorum habito, doctis & ad ſacra idoneis de commodo victu proſpiceret, reliqvis verò inutilibus terræ ponderibus monaſteria purgaret, & ad labores in ſudore vultus ex Dei inſtituto tolerandos compelleret, aut in eorum locos ſufficeret peritos & probos ludimagiſtros & doctores, qvi juventutem in Chriſtiana doctrina, bonis literis & moribus erudire & educare poſſent. Ex reſiduis ſumtibus, egenos, ægrotos, cœcos, claudos & alio vitio corporis inſignes, qvi ipſi per ſe vitæ tuendæ non ſufficerent, aut ſubſidia ad eam tolerandam non haberent, alendos eſſe.* Plebs & ruſtici ſtatim reclamant, *ſe monachos expelli nolle: qvum ipſi, ſi excludantur, eis alimenta præbere debeant.* Rex animadvertens, adhuc cruda acrius moveri non è re fore, ea tempori ſervat. Et ad ludicra, animi relaxandi cauſa, verſus, Johannem Magnum præſulem Upſalienſem, vernalem Comitem, uti appellant, creat, redimitum ſerto ex variis floribus plexo: qvo læti temporis inſigni præſul venuſtè ornatus incedebat. Die Pentecoſtes pro hoc honore ſibi habito Regem ad ſplendidas epulas invitans, eum in prima ſede ſeorſum collocat, ipſe autem alterum ſuperiorem locum ex adverſo capit; ne infra Regem, ut videtur, diſcumbat. Abacum poculis argenteis & cyathis inſtructiorem oſtentat, qvàm regis abacus vel tholus erat. Regem inter epulas poculo adventitio excipiens, hac utitur in præbibendo allocutione: *Noſtra gratia* (ipſa pono verba) *veſtræ gratiæ propinat ſalutem.* Qvæ frigida præſulis urbanitas & faſtus, antiſtite ſacrorum indigniſſimus, omnium riſu & probris excipiebatur. Poſtmodò, in conventu ordinis Eccleſiaſtici, cui rex ipſe qvoqve intererat, fervidè de eccleſiæ privilegiis & immunitatibus diſceptatur. Rex Petrum Gallum percontatur, *unde iſtæc privilegia, libertatem & opes habeant?* Reſpondet Gallus: *A Cæſaribus, Regibus & Principibus, Nobilibus & populo hæc omnia donata eccleſiæ & miniſtris ejus, & confirmata eſſe regiis literis: ut æterna eorum auctoritas eſſet.* Rex inſtari qværendo: *Annon Regibus & Principibus etiam hujusmodi privilegia & immunitates pro temporum genio, & eccleſiæ conditione mutandi poteſtas eſſet? qvia majores, decepti monachorum ſermonibus de purgatorio, & pro redimenda facultatibus ſuis animarum ſalute, aliisqve hujusmodi vanitatibus, ea temerè donaſſent.* Ad hæc tacentibus Petro Gallo & Johanne Gotho, Regis offenſam laceſſere verito, Georgius Thuronis eccleſiæ Upſalienſis præpoſitus in

 tus in

tus in his diluendis valde deſudabat, qvamvis incaſſum; hoc tamen unicè urſit, *iſthæc eccleſiæ conceſſa privilegia neqvaqvam absqve magno ſacrilegio & perpetuo ſacrorum interdicto, æternæq; ſalutis jactura, poſſe reſcindi aut infringi.* Rex æqvo animo eum audiens, *hæc Dei verbo ipſum probare jubebat, ita ſe libenter adqvieturum. Se tamen haud inficias ire poſſe,* ajebat, *qvin boni & utiles eccleſiæ doctores, qvi Dei honorem & gregis ſibi commiſſi ſalutem qværerent, duplici honore & honeſtis vitæ ſubſidiis digni eſſent. Reliqvos verò in Domini vinea deſides, qvi nec doctrinâ nec vitâ Deo aut hominibus uſui eſſent, nihilqve aliud poſſent, qvàm in templis & cœnobiis qvasdam miſſas ac preces, velut qvosdam absqve mente aut judicio ſonos demurmurare, tanqvam ignaviæ & ventris mancipia, excludendos nec publico ſtipendio alendos eſſe.* Qvum hic præſules & reliqvi eorum collegæ verbi divini auctoritatem pro ſe ſtare, qvam expreſſam reperire non erat, ne qvidqvam contenderent, decretum eſt, *ut eorum privilegia ſub juſto Regis arbitrio deinceps ponerentur.* Inde comperto, præſulem Upſalienſem Johannem non ſeriò rem agere de vertendo in lingvam Sveticam ſacro Codice, ut promiſerat, & in Pontificia religione animoqve ſuo pervicacem, eccleſiæ emendationem negligere; nihil interim de ſpiritibus ſuis, pompa atqve ambitione remittere; Rex ejus molitiones juxta potentiam periculoſiores, exemplo deceſſorum ejus, fore ratus, eum ſacrâ dignitate remotum excedere regno jubet. Ille ſimulans apud ſacrum ordinem, magnam ad exteros principes, inprimis ad Sigismundum regem Poloniæ, nuptiarum cauſa à Guſtavo ſibi creditam legationem, & conqverens de naufragio rerum ſuarum, à credulis & ſpe remunerationis ac beneficiorum lactatis, haud exiguam vim opum colligit. Qvibus omnibus, unà cum patriæ monumentis & annalibus, qvotqvot habere potuit, hinc abit Gedanum, inde in Italiam, Venetias, & tandem Romam. Ubi ſummâ operâ & induſtriâ conſcripſit hiſtoriam patriam, vix habens unde viveret, in domo S. Spiritus, uti appellant, anno milleſimo qvingenteſimo qvadrageſimo qvarto deceſſit. Rex Danis auxilium contra novas octo millium copias à Chriſtierno in Friſia conductas & Daniæ vim parantes expetitum mittit: modò à Severini Norbyi hoſtilibus in fines regni Svetici excurſionibus ſibi ab illis iterum caveretur. Friſiis mercatoribus ad triennium liberam in Svetiam navigandi & commercandi facultatem permittit. Proximis diebus ad Regem Guſtavum advenere literæ à Friderico Rege Daniæ, cum Erico Brokenhuſio, qvi coram expoſuit *hoſtilia Severini Norbyi conſilia, & confictam in Guſtavum ab eodem criminationem, de editis ad ipſum inter ſe & Fridericum actis; Sed confictam invidiæ*

Guſtavo

Guſtavo faciendæ cauſa. Plura itidem retulit *de inſidiis ejus adverſus Svetiæ regnum pro ulciſcenda vi Sveonum & direptione navis ejus ad ſinum Calmarienſem ſcopulis illiſæ, viginti millibus aureorum abreptis, Severino Brunnio aliisq; captis*: de qva re ipſas Severini literas ad Fridericum datas in veri fidem exhibuit. *Fridericum verò pro viribus vafras Severini molitiones ex lege fœderis Malmogienſis propulſaturum. De Wikiæ item vexatâ lite componenda & injuria ſuorum in miniſtros Friderici iſtic prohibenda Guſtavum cogitare monebat.* Rex Guſtavus gratias agit Friderico regi Daniæ, *qvod erudiiſſet eum de Severini pravè conſultis adverſus ſe & regnum ſuum. Guſtavum & Severinum ita ex diverſo cognitos*, addit, *ut nollet ſperare illi fidem Fridericum habiturum ejus de ſe calumniæ, præſertim fraudum ſatis ante comperti. Si verò Severini navis exſpoliata, & qvidam ſuorum capti eſſent, qvid novum, ut mutua armorum vice in ſe experiretur, qvod ipſe prius in direpta Guſtaviana navi cupro onuſta ad Blekingiam feciſſet? Tantam verò pecuniæ vim ipſi abreptam, merũ videri commentum: qvum de navi ſua ſpoliata ad regem ſcribens, nullam iſtius pecuniæ mentionem injecerit. Nunc id excogitare ſpecioſo obtentui machinationum adverſus Regem. Gratum ſibi fore, ſi qvod maximè, junctâ manu inſolentiam Severini comprimi. De Wikia ſibi idem placere qvod Friderico: ſi pacatè paciſci qveant. Injuriam ſuorum in Wikia, ſi ejus convincantur, ex merito punitum iri.* In comitiis Holmenſibus iterum actum eſt de maturanda coronatione Guſtavi, anteqvam tamen ille nomina publica prius expedienda atqve æs alienum regni perſolvendum urgebat: ne inimicos caperet illos, qvi regnum pecunia, milite & commeatu, dum liberabatur à tyrannide Chriſtierni, juviſſent, aut mali nominis notam publicè contraheret. Ordines re deliberatâ in medium pro ſe qvisqve conferre promiſerunt, qvod debito expungendo ſatis eſſet. De fœdere commerciorum cum Hollandis ibidem actum eſt; qvamvis invitis Lubecenſibus, qvi id ſuis privilegiis officere credebant; & prius mare Balthicum, qvàm aliæ exteræ gentes Belgæ, Galli & Britanni navigarant, indeq; opibus & potentia creverant. Fœderis leges cum Hollandis hæ erant: *Sveticam monetam tam apud illos qvàm hîc in uſu fore, ad commerciorum curſum eò commodius promovendum. Sveonum naufragorum in Belgio bona ipſis pro æqvo extractionis pretio ſalva fore. Sveonum merces in Belgio pro ære alieno non eſſe attinendas; niſi iſtic in loco contractum eſſet. Si qvem noſtratium delicti accuſare poſſent, ab illis hic in jus vocandum; niſi in delicto iſtic perpetrato deprehenſus eſſet: Ut Svedi qvid eximii in vectigali iſtic pendendo præ aliis haberent, ſi non integra immunitate frui poſſent.* Cauſa fœderis præcipua ferebatur, ut minori emerentur ſal, vinum, pannus, aromata. qvorum pretium nimis auxerant

Vandalicæ civitates. Cum Germani mercatores hîc in regno commorantes & tabernas in publico habentes, pretium mercibus ſuis, qvantum vellent, ponerent, & minoris æſtimarent regni monetam, majoris ſuam; atqve omnia hîc dicta factaqve rimarentur ac foras efferrent: qvod cum non exiguo regni detrimento conjunctum erat; ſtatutum eſt, *ne ultra præfinitum tempus hîc morarentur; niſi Sveones apud eos immunitatem à vectigalibus adipiſcerentur, & regni moneta in juſto illis pretio eſſet.* Severinus Norbyus ſua claſſe mare iterum ingreſſus, tam Danos qvam Svedos contra datam Friderico fidem invadit. Unde junctis ab utroqve copiis profligatur, & profugus in Moſchoviam à Baſilio Magno Duce capitur. Sed Chriſtierni interpoſitione apud Carolum V. & Caroli apud Baſilium, cuſtodiâ liberatur. Carolo V. ad tempus militans, in obſidione Florentiæ pilâ trajectus, periit. Hac æſtate Lubecâ venerunt Holmiam oratores Lambertus Beckerus & Hermannus Iſraël petitum reſidui debiti ſolutionem. Rex ipſe cum ſenatu regni in oratorum præſentia recognoſcebat libellum rationarium; ita ut omnibus accuratè putatis, de ſumma aliqvid deduceretur, qvod Regi regnoqve præjudicio fore credebatur. Hoc anno Uplandiæ viæ, itinera ac nemora latrociniis infeſta erant. Guſtavus emittit agmen, qvod per manipulos rectâ & ex transverſo perluſtrat ſylvas; ut obvios vel conqvirat, vel fuga ſalutem qværentes proſternat. Ita purgata prædonibus provincia, tuta & qvieta Guſtavi curâ redditur. Circa finem anni ſponſalibus inter Johannem Thuronis & viduam Stenonis Sture junioris Upſaliæ celebratis, Guſtavus ad Senatum regni Norvegici ſcribit, *de tradendis ſibi Petro Sunnanvveder & M. Canuto.* Sed cum innocentiam ſuam apud dictum ſenatum profeſſi eſſent, & ſe ab inimicis ſuis delatos, ad cauſam hîc in regno dicendam venturos, ſi literas fidei pub. nanciſci poſſent: eas à rege impetrarunt. Itaqve ab archiepiſcopo Nidroſienſi Olao huc miſſus eſt Canutus, & poſtea Petrus; qvippe tunc morbo correptus. Ubi Canutus ſiſtitur judicio, primò in diſceptationem venit, num literæ ſecuritatis ipſi à Rege datæ impedimento eſſe poſſent, qvo minus in jus vocaretur, & lege cum ipſo ageretur. Inſpectis fidei pub. tabulis, cognitum eſt, cum hac conditione ſcriptas eſſe, *ut, ſi rei ſuam innocentiam probare poſſent, nullam vim timerent, ſed ſalvi in Norvegiam redirent; ſi minus, lege cum illis ageretur.* qvare judices haud perplexè hinc collegerunt, eos fide pub. contra vim & offenſionem, non contra legitimum judicium & ſententiam munitos eſſe. Nec habuit Canutus qvod contra exciperet. Itaqve causâ cognitâ, partim ſcriptis ſua manu literis, partim propriâ confeſſione convictus, proditionis damnatur. Poſt eum huc

etiam

etiam traductus Petrus Sunnanwáder, peculatus, ſeditionis & perduellionis accuſatur, & reus peractus, velut Canutus, uterqve, capite rotis impoſito plectitur. Ad Guſtavi manus pervenerunt literæ qvædam à Johanne 1527
Braſchio epiſcopo Lincopenſi ſcriptæ ad Georgium Thuronis præpoſitum Upſalienſem, Petrum Gallum & Ericum Gelingium; ex qvibus cognovit, *qvomodo Evangelica doctrina Pontificiorum ſermonibus pro hæreſi circumferretur; & Guſtavus novam religionem & novatores fovere diceretur.* Qvæ non alio fine jactabantur à malevolis, qvam ut vulgum adverſus regem ad ſeditionem inflammarent. Ea cauſa Rex ad ſuam exiſtimationem & publicam qvietem tuendam diploma promulgavit, qvo ſubditos monuit, *vanis hujusmodi de ſe rumoribus non temerè fidem habere: qvibus eorum auctores qværant turbare ſtatum regni, & plebem adverſus ſe ciere, inprimis exterorum dominationi, ut tempore Chriſtierni, viam in regno patefacere. Se novæ & falſæ religioni, ut adverſarii calumnientur, non favere: ſed ſuæ & populi ſalutis curam, ut fidum populi rectorem decet, habere. Hoc tamen ſibi vitio dari non poſſe, ſi nolit collum ſubmittere jugo Pontificio, & epiſcoporum ambitioni ac nimiæ poteſtati; qvæ potentiæ Regum & principum nervos ita incidant, ut ſe ſuosq; contra alienam vim tueri neqveant. Eidem inſtituto repertas indulgentiarum Rom. nundinationes, obtentu ſubſidiorum belli adverſus Turcam ſuſcipiendi: ſed revera, ut his opibus eosdem ſubruant, qvibus per fraudem extorſerunt: ut immorigeros excommunicationis aut ſacrorum interdicti telo percuſſos, in ordinem redigant, ac totum mundum ſibi vectigalem, ſupplicem & obnoxium faciant. Hæc & alia in Concilio regni propediè indicendo, ita ut par eſt, à peritis ex verbo Dei diſcuſſum iri: ſeq; effecturum cum Deo, ut vera religio, pax & tranqvillitas publica, modò ipſi qvieſcant, illibatæ ſerventur.* His ad tempus compoſitis, alius & major motus apud Dalecarlos oritur, excitatus à plano qvodam, ultimæ ſortis homuncione, obſcuræ & tenuis in parœcia Biórchſtadenſi fœminæ incertiqve patris filio: qvi Canuti Andreæ Stabularius fuerat, furto ei auferens qvæ poterat, & aufugiens venit ad Nicolaum Krumme eiqve ſervivit, ſed ab eo absq; venia diſcedens, ex egeſtate, ſpe improba & audacia rerum novarum, ipſiusqve adeò imperii cupidine, Dalecarlorum vulgi ſtudiis incitatus, ſe pro Stenonis junioris magno natu filio Nicolao ferebat; etiamſi ex Stenone verè natus Nicolaus, id temporis adhuc in vivis eſſet, & in aula Regis Guſtavi degeret, proximâ æſtate defunctus, & in æde Upſalienſi ſolenni funere humatus. Sed iſti veteratori non mala erat corporis forma, expedita & inverecunda lingva, prompta fallendi vulgum inſtrumenta. Ad Dalecarlos, qvos ex iis præſentiſcebat fallaciis ſuis opportunius ineſcari poſſe, credulos eoq; ad no-

va faciles ſe conferebat. Inprimis in Mora, Orſa & Lixanda colonis perſvadebat: *Guſtavum ſe, ut à patre proximum regnoqve deſtinatum, ferre non poſſe; qvoties ejus conſpectui occurrat, manu ad gladium ipſi mortem minari.* Spargebat inſuper in ſermone, *Regem, Chriſtiana fide repudiatâ, Lutheranum aut paganum factum eſſe*; præter alia, qvæ falsò jaciebat in Guſtavum, famæ ejus apud Dalecarlos onerandæ cauſa. Ad qvamcunqve Stenonis Sture, qvem patrem ſuum dicebat, mentionem effuſè flebat & cum eo Dalecarli. Qvamvis autem ad oſtentationem doloris efficťæ eſſent lacrymæ; tamen, qvod tam promtè & calidè manarent, tanqvam veri & flagrantis ergà defunctum deſiderii fidem apud Dalecarlos habuere: vel qvod molles adverſus mœrorem, tanta veri ſpecie fictum, animi eſſent, vel qvod memoria Stenonis ad parem pietatis, ut videri volebat, affectum eos permovit. Nec ſegniter ille fallendi artifex iſto animorum plebis motu & affectibus porrò in rem ſuam uſus, & ſcenæ commodè ſerviens, in medio ſæpè alloqvio, qvaſi à ſe exiiſſet, rogare per Deum circumſtantes, *ingenua procumbentes precari pro parentis ſui anima, Gratias deniqve magnas illis habere pro tanta ipſorum erga patrem ſuum caritate, & obſecrare, partem ejus, ſibi, ut filio, non invidere.* Ut paucis dicam, tam libentes eos reddidit, ut eadem facere & pati ſive cum illo ſive pro illo non alieni, ſatellites ipſi adjungerent & opibus juvarent. Ejus partes Petrus Grom fidus ante miles, & Petrus Oſtrogothus foventes, poſtea condignè plexi ſunt. At cæterorum Dalecarlorum animis fruſtra pertentatis, abit in Norvegiam: ubi præſulem ſimulato Sturii nomine & ſangvine haud parum æſtimatis circumveniens, ducentorum ab illo militum manum elicit, & ejusdem commentatione, ab Ingride, præcipuæ nobilitatis matronâ, filiæ ejus nuptias cum dono aureæ catenæ ad crura uſqve dependentis impetrat. Qvum enim, qvod volebat, facile crederet ſimplex matrona, à nebulone iſto circumventa, ſperabat filiam ſuam Svetiæ reginam fore. Et ſic deceptis aliis primariæ iſthic dignitatis viris, cum dicto agmine reverſus ad Dalecarlos, eos ſibi, ut opibus firmiori, magis addictos fore credebat. Sed pleriqve immotæ fidei, reliqvos in eum inclinantes deterrent, niſi malum habituros. Hi fluctuantes, ſpatium inqvirendi de ejus familia, menſem petunt. Interim literas à Stenonis vidua accipiunt, qvibus de liberorum ejus nominibus & numero, deq; hujus fraude ac mendaciis erudiuntur. Has cum ei prælegiſſent, ille, more fallentium, ſtrenuè impudens & mendax eſſe pergit: *matrem*, ait, *erubeſcere palam ipſum profiteri filium ſuum, qvem ante nuptias in lucem edidiſſet.* Sed Dalecarli, qvi judicio valebant, hoc indignè accipientes, negabant tale qvid de tam generoſâ matrona

trona

trona ſuſpicandum eſſe. Iisdem Rex, ut ipſi petierant, ſubſidio miſit aliqvot copias adverſus ſeditioſos. Cum utrinqve velitationibus aliqvot æqva manu dimicaſſent, colloqvium de pace, datis qvindecim fidei obſidibus, placuit. Inter illos præcipui erant Petrus Svenonis in Wibberboda, Magnus Nicolai in Asboo, & Andreas Petri in Rankhytta. Hic præbuit ſe Magnus Nicolai ut fidum erga patriam civem, dum *ſe ultro offerens ad vincula usque ad rei inveſtigationem, ab illis fruſtillatim concidi non abnuebat, ſi iſte qui ſe jactabat Sturium, legitimus, non falſus Stenonis filius eſſet.* Objurgabat idem *eorum imprudentiam & levitatem in fidem habendo hujusmodi perfido erroni. Nihil jam aliud conſilii ſupereſſe, qvàm ut ſceleſto excluſo, veniam admiſſi peterent, aut extremam ſui internecionem à præſentibus copiis exſpectarent.* Dalecarli eos, qvi à partibus regis erant, è circulo paulum ſecedere jubent, donec in conſilium de ſumma rei eatur. Qvo facto revocant eos, & qvibus ſe gravatos à Rege putent & remedium qværant, exponunt, ſcriptoqve conſignata ad eum mittunt. Qvorum capita præcipua erant, *de gravi ære ſignato minus commodo abrogando, minuta argentea moneta Arhoſiæ cudenda. Qvod onerentur tributis ſupra modum. De hybernis & æſtivis equitum in emporiis, monaſteriis & apud Clericos non tolerandis. De annonæ caritate minuenda. Ne rex velit tot monaſteria & templa ſolo æqvare. Nec diſſectas tolerare veſtes. Famam ferre, motum hunc Guſtavi Trolle cauſa excitatum eſſe. Ruſticos nolle præliari contra ruſticos. Prætores ipſos vicatim exercere negotiationes, aliis permittere contra interdictum. Lutheraniſmum, novam religionem, nova ſacra & lingvæ Sveticæ cantilenas abrogãdas eſſe.* Qvamvis autẽ Rex cum rebellibus, non conditionibus, ſed jure agere potuiſſet; tamen accenſis animis, in præſens non è re fore judicans, ignem ulterius fodere, tempori paret, & ad eorum deſideria ſic reſpondet: *Ponderoſiores ex ære nummos conflari, neceſſitatem belli in ſolutionem ſtipendii militum, moram non ferentium, imperaſſe; ea ceſſante, majores nummos ex argento renaſcentibus ejus venis aliave copia, & uſitatis locis percuſſum iri. Se non impoſuiſſe illis extra ordinem tributa, niſi cum adſenſu procerum & populi, atqve uſu publico ſic exigente, ob æs alienum regni ſolvendum, cui ordinarius cenſus non ſufficeret. Hoc anno ob Chriſtierni tyranni, Severini Norbyi & aliorum hoſtium ſubitas impreſſiones, non potuiſſe eqvos paſſim in prata aut remotas oras longius emitti; ſed neceſſe fuiſſe in promtu & expedito habere: atqve ſic ingratiis urbes, cœnobia & ſacrum ordinem eis onerare. Sed otio & qviete publica reſtitutis, & rebus regni refectis, hoc qvoqve onus ſublatum iri. Si probari poſſit, ſuâ aut ſuorum incuriâ annonam flagellari ſe ultrò culpam emendaturum & facile remedium inventurum.*

venturum. Se tamen hoc ſibi non perſvadere, qvum ſemper ſoleat in nundinis edicere honeſtam & æqvi pretii negociationem, & porrò edicturum. At ſi aëris intemperies aut temporum viarumqve difficultas annonam incendat, ejus rei cauſam in ſe conferri non poſſe. Se ſperare, cum pace & itinerum commoditate ac ſecuritate laxiorem annonam redituram. De dirutis à ſe tot ædibus ſacris & monaſteriis famā veritati non reſpondere; Niſi qvod prædiumGripsholmenſe invito patre ſuo in monaſterii uſum converſum ſibi jure hæreditario adqviſiverit, & ex uſu ſuo repararit. Si jus ſuum in rebus ſuis uſurpet, neminem ſibi crimini dare poſſe. Morem diſſectarum veſtium ſe non minus qvàm ipſos extra aulæ ſepta in civibus & aliis improbare, & abrogationem ejusdem cum illis optare. Sed contra communem paſſim aularum conſvetudinem & civilem cultum faciendi ſibi neceſſitatem aut legem à ſubditis imponi nolle. Se facile famæ credere de motu à Dalecarlis qvibusdam Guſtavi Trolle aut Chriſtierni cauſa facto: qvum ſint ejusdem notæ ac factionis. Atq; ſi alter eorum in regnum per inteſtinorum motuum occaſionem, qvod facile fieri qveat, revertatur, alterum ſimul ſecum adducturum aliosqve extraneos hoſtes: id agitare ſacrum hic Pontificiæ ſectæ ordinem ſuis conſiliis, ad qvæ plebem nolit tam proclivem eſſe. Colonos adverſus colonos arma capere nolle fas & laude dignum eſſe. Nulla enim arma & vim civium adverſus cives juſtam eſſe, niſi contra vim ſubitam & injuſtam, qvæ aliter repelli neqveat. Nundinationes vicatim à prætoribus aliisve inſtitutas, ſi probentur, ſeriò mulctatum & in poſterum prohibitum iri. De Lutheraniſmo ſe non aliud habere qvod reſpondeat, qvàm qvod purum Dei verbum & Evangelium Holmiæ doceri curet; qvod novitatis titulo ac nomine imperiti & male voli falsò & impiè interpretentur: qvum veritas cœleſtis ſit antiqviſſima, à Deo manifeſtata. Sed humanas traditiones & commenta eſſe nova; aut ſi vetera non tamen àDeo ſed diabolo & inſtituto hominū profecta, qvibus nonnulli ſub ſanctitatis opinione ſimplici plebi ventris cauſa imponere, conſcientiis ſubditorum & ipſorum regnū laqveum injicere cupiant. A qvibus cum expurgari velit regnum, & viam æternæ ſalutis à probis verbi divini miniſtris monſtrari, gratis animis agnoſcendum, nec temerè illis judicium ferendum eſſe de rebus qvas non capiant, alio loco debitoq; modo & tempore decidendis. Eccleſiæ hymnos ſacros lingvâ patriâ decantari, qvam omnes intelligant, longè præſtare, qvàm Latinâ plerisq; ignotâ. De reliqvis cognitione vel auctoritate regia dignis negotiis ſe ulterius coram in freqventi Senatu populoqve propediem Arhoſiæ acturum. Ideoqve eò res proferre, & tumultu amoto, qvem nihil opus ſit domi à civibus excitari; qvum ſatis negotii & motuum foris ab hoſte tentetur, animisqve ſedatis qvieſcere jubet. Proximo poſt S. Erici ferias die Rex cum populo Uplandico in collibus ad veterem

Upſa-

Upſaliam communicat de tumultu Dalecarlorum,& qvid illi de eo ſentiant,exqvirit. Re ultrò citròqve perpenſa, decernitur aliqvot ex iis regio mandato inſtructos ad Dalios eſſe mittendos, qvi eos facinoris contra obſeqvii legitimo ſuo Regi debiti & fidei ſemel datæ religionem admiſſi feriò moneant; & ut ſuos oratores ſub fide publica ad proxima comitia Arrhoſienſia mittant, qvi ipſorum deſideria Regi & Ordinibus regni exponant, & qvid eos ad hujuſmodi tumultum permoverit. Qvod ſi hoc eorum conſilium admittere nolint, cogitent, ſe, ut partes aut ſejuncta membra à republ. ſua culpa ſeparatos, ſibi non leve incommodum & ſupplicium acceleraturos. Emiſſi ad Dalecarlos nihil aliud reſponſi ab illis domum referebant, *qvàm qvod renunciare fidem vellent perſonato iſti Sturio & conqvieſcere, ſi ipſi tutò excedere regno & abire, qvò velit, liceat, ſi cum ipſo conſpirantibus gratia delicti fiat, & præterita aboleantur. Ne illis nova aut Lutherana religio obtrudatur. Ne veſtium conciſarum & verſicolorum uſus in aulam tunc receptus promiſcuè permittatur. Ut omnes, qvi die Veneris aut Saturni carnem comederent, ad ignem damnarentur, aut alio ultimo ſupplicio afficerentur.* Rex *capite primo & ſecundo deſideratis annuit. Sed de religione & ab eſu carnis præfinitis diebus abſtinentiâ eos curam mittere, & peritioribus relinqvere jubet. De veſtium aulicarum uſu reſpondit, ut ſuperiori loco.* Circa hoc tempus Turo Trollius in Alboënſi territorio Smalandiæ exacturus à colonis nomine regio tributum, æri alieno regni expungendo deſtinatum, à ſicario qvodam in denſo nemore latitante ex inſidiis telo transfixus eſt, vel ex compoſito, ut ſeipſos hoc onere ſolverent, vel proprio latronis ſcelere. Magni Ducis Ruſſiæ Legati huc advenientes & auditi, à Rege Guſtavo regnoqve Sveciæ *pacis & fœderis confirmationem petunt, atqve litis de limitibus diremtionem, injuriarum itidem cum Rege à nonnullis Sveonum ad limitem Rusſiæ habitantibus magno Duci ſubditis illatarum juſtam ultionem.* Agunt etiam cum rege *de continuando commerciorum uſu inter Svetiam & Rusſiam, ex priſco more; & ne rex velit permittere Kexholmenſibus illegitimam negociationem cum Svetiæ colonis in Bothniam uſqve.* Rex qvod cupiunt, *de confirmatione pacis* lubenti animo accipit. *Limitum diſtinctionem in commodum utriqve tempus differt. De cæde, vi & inſolentia ſuorum in Ruſſos exercita apud præfectos inqvirit.* Sed qvum culpã alter in alterũ conferret,negaretq; ſuæ adminiſtrationis tẽpore facinora iſtæc perpetrata fuiſſe: incertis auctoribus,nulla damni æſtimatio læſis præſtari poterat. Sed in futurũ ita cautũ & utrinq; conſtitutũ eſt, *ut cuicunq; in poſterũ ad limitem damnum aut vis inferretur, idq; ad judicis proximi curiã devolutam legitimè probaretur;*

reusqve convinceretur, præfecti fore partes, ſtatim exſeqvi pœnam aut mulctam, & ut damnum eodem menſe, qvo facinus commiſſum eſſet, lueretur; aut ipſe præfectus lueret. Freqventari utrimqve ex more commercia, placuit Regi. *De Kekholmenſibus* ita decretum eſt; *qvia Svedis eſſent graves & regno detrimento per optimarum iſtius loci mercium evectionem, hanc de cætero licentiam illis refrenandam eſſe, jubendosqve ex lege adire emporia, & iſtic commercari.* Comitia Arhoſiam indicuntur, qvibus cum ſe regni Ordines ſtitiſſent, Rex eos ſplendido invitat epulo. Sed accubitus & ſeſſionis modum innovat, ita ut regni Senatum & proceres proximos à ſe collocaret, indè Epiſcopos, & poſt eos, eqveſtrem ordinem, hinc presbyteros, cives & colonos: qvum anteà epiſcopi regis latus clauderent, ac rege abſente, aut regni adminiſtratore præſente, archiepiſcopus principem obtineret ſedem, & reliqvus ſacer ordo proximum à Senatu regni locum occuparet. Sed Guſtavus nimis ambitioſos eorum ſpiritus, qvibus nuper etiam Johannes Gothus præſul adverſus ipſum in convivio uſus fuerat, coërcere qværebat: ut in ſe deſcendere & modeſtius de ſe ſentire diſcerent, nec altiora, qvàm fas eſſet, ſpirarent. Poſtridie omnes Epiſcopi cum univerſo ſacro ordine conveniunt in ædem S. Ægidii, ubiqve clauſis foribus in occulto conſultant, qvorſum ſpectet iſta inſolens ordinis & ſeſſionum mutatio, pridie à Guſtavo inſtituta. Johannes Braſchius epiſcopus Lincopenſis reſpondet, *hoc ſatis liqvere, nimirùm, ut Rex eos honore primum dejectos, poſteà etiam opibus & arcibus exueret; imò ad humilem infimæ ſortis presbyterorum conditionem redigeret, ne caput unqvam efferrent.* At Petrus Arhoſienſis & Magnus Strengnenſis antiſtes ſubjiciebant, *ſe æqvis animis qvamcunqve ſortem ex arbitratu Regis ſubituros: exiguo ſalario, exiguos etiam ſumtus faciendos.* Iſtud verò reſponſum Lincopenſis præſul indignè accipit, & *ſtolidos eſſe*, ait, *ſi hoc permittant. Si lubet*, inqvit, *regi noſtra nobis vi eripere, rapiat. Nobis certè volentibus & conſentientibus nunqvam faciet: niſi ſanctiſſimum patrem Pontificem Romanum graviter offendere velimus. Si ſecus fiat, integram eum incuſandi coram Pontifiee facultatem habemus. Multi Reges & principes olim, qvod hic, aggreſſi ſunt; ſed diris Pontificis percuſſi deſtiterunt, & eccleſiaſticæ perſonæ, recepto ſuo, ab illis non ultra fuerunt vexatæ. Si verò deficiamus à Pontifice, qvi eſt extremum fortunarum noſtrarum perfugium, & ſacra noſtra anchora ac tutela, ignem & flagella undiqve habebimus: à Pontifice ſacris prohibebimur: à Rege ad mancipiorum vilitatem redacti, pro libertate eccleſiæ ne hiſcere qvidem audebimus.* His moti reliqvi omnes in ejus ſententiam deſcendunt, & jurejurando ſe adſtringunt, *ad perma-*

nendum

nendum in fide Pontificis, nec ullum Lutheranæ religionis caput, dum vivant, approbandum. Qvantum tamen poſſint in hoc rerum lubrico ſtatu, ſe medios tenere velle: donec Pontificia religio & ſacra, qvod ſperent, in integrum reſtituantur. Id multis conteſtationibus ſub pavimentum templi abditis & poſteà repertis firmarunt. In comitiis Arhoſienſibus Rex capita inſtituendæ conſultationis à Cancellario Ordinibus proponi jubet, in hanc ſententiam: *Gratiis Senatui populoqve actis, qvod promti & freqventes adeſſe voluerint, Rex illis in memoriam revocat faciem initi ſui imperii; & qvomodò tunc eos Dei ope à præſenti interitu & ſæva dominatione Chriſtierni, extrema regno intentante, liberavit. Deindè qvum adeò preſſa respublica paulum erecta eſſet, convocatis ad comitia Vadſtenenſia atqve iterùm Strengneſiam Senatu regni populoqve ad paucos, tunc proh dolor! redactis, ob imminentes adhuc graves regno tempeſtates exhauſtum viris & opibus regnum, mobiles vulgi animos, diſſenſioni, turbis, factionibus & mutationi principum ante pronos, aliasqve graves cauſas, clavum imperii à ſe ad alios translatum iverit. Sed qvum nemo civium ſuccedere voluerit, omnibus deprecantibus, & obteſtantibus de non deſerenda tam benè cœpta provincia, tandem accepiſſe, eâ ſpe, ut populus tot adverſis & fermè propinqvo excidio, qvæ ſub Chriſtierno paſſi erant, nunc monitus, in poſterum magis ſibi caveret ab inteſtina diſcordia, inſidiis & facili præſentium mutatione. Sed qvomodo hoc à nonnullis obſervatum ſit, in aperto eſſe. Vix enim reſtituta regno priſtina libertate, cœptas adverſus regem conjurationes, extra omnem tamen ſuam, qvantum ſibi conjcius ſit, culpam, primum à Petro Jacobi & Canuto, dein à Dalecarlis, peſſimum nebulonem, alienæ ſe familiæ falſo inſerentem, imò ſceptrum affectantem impunè foventibus; mendaciis, calumniis & inſidiis adverſus legitimum ſuum Regem pertinaciter indulgentibus. Qvin jactare audeant; ſe Regem impoſuiſſe faſtigio ſuo: dum poſt Deum primi fuerint vel auctores vel adjutores victoriæ Arhoſienſis adverſus Chriſtiernum; qvum tamen re ſolùm cœpta, nondum perfecta domum pleriqve recederent; & omnes regni arces à Guſtavo non ſolùm cum eorum; ſed totius regni viribus, adhuc hoſtium manibus extorqvendæ eſſent. Vulgum tamen Dalecarlorum ſibi perſvadere, omnia ſuis armis & ingeniis parata eſſe, ideoqve pro ſuo arbitrio qvemcunqve extollere & emovere regno velle. Si qvis ergò plebem ad ſeditionem ſollicitare velit, pronam & facilem iſtic eſſe viam. Qva ratione nemini ſit lubido imperio præeſſe, ſi in perpetuo mutationem metu periculoqve verſari debeat. Præter illud conqveri illos, ſe nimiis tributis onerari, & minis ac tumultuando ſe ab illis liberatum ire; qvum tamen non plus ab illis exactum ſit,*

qvàm regni tot bellis & difficultatibus conflictati neceſſitas poſtulaverit, omniumqve conſenſus admiſerit, ad publica onera levanda, & fidem de ingenti ære alieno, qvo regnum hactenus Lubecenſibus obſtrictum, aliqvando liberandam. Suis autem ſeditionibus nihil aliud eos efficere, qvàm miſcere patriam, ſeipſos præſenti capitis & famæ diſcrimini exponere, aliosqve in contagionem publici mali ſecum trahere. In Regem inſuper conferri culpam annonæ, qvaſi ipſe Deus ſit, & in ſua manu habeat vim cœli & temporum fata. Sibi itidem crimini dari, quod metationibus onerentur emporia & cœnobia: qvum id tamen auctoritate & neceſſitate publica factum ſit, ut ſupra dictum. Item monaſteria & templa ab eo ſpoliari & dirui: qvum ſolùm inde ſubſidia qvædam in publicum uſum, cum procerum conſenſu, deprompta ſint. Novæ religionis ſe conditorem dici, ſi ſuperſtitioſos eccleſiæ ritus & flagitia monachorum exſtirpari, potentiam epiſcoporum intolerandam, qvæ olim Regibus inſultarit, & externos principes Sveonum cervicibus graves induxerit, minui, & incorruptum Dei verbum propagari velit. Se rem commiſſurum veræ religionis peritorum, à ſtudio partium, alienorum, & omnium Ordinum judicio; ut, qvæ pars ſanam amplectitur doctrinam, vincat, confirmetur & defendatur ab omnibus, & omnis diſcordiæ occaſio in poſterum præcidatur. Significatum inſuper Ordinibus de regno opibus exhauſto armis & deprædationibus hoſtium, ambitione & avaritia potentium & præſulum, atqve metallicorum fructuum, per tot civiles motus in cultu; novis ſubſidiis ad belli vires, aulæ, legationum, refectionis arcium, nuptiarum regiarum impenſas, in beneficiorum & præmiorum in nobiles aliosqve bene meritos conferendorum copiam neceſſariis. Ab emporiis primariis qverelas ad regem ſæpe deferri de illegitimis per provincias commerciis. Qvæ ſi rex ex lege, ut decet, corrigat; qvasdam provincias obſtare. Si verò conniveat, urbibus & publico hoc detrimento eſſe; ipſiqve regi imputari: qvæ qvàm gravia ſint juſto imperio animum intendenti, ipſos facile videre. Sed maximè metuendum eſſe, ſi ita cives contra ſeipſos diſſentiant & diſcordiâ civili collidantur, ne exteris dominandi cupidis faciliorem viam ad ſpes pravas aperiant. Hæc incommoda ſeriò ventilata & in animum admiſſa annon juſtum ſatis ipſi momentum ad imperium deponendum, Senatui verò populoqve, ad ejus difficultatibus medendum, ulterius ſeduloqve ponderandum committere. Qvum Rex urgeret reſponſum, ſilentio facto; Johannes Braſchius epiſcopus Lincopenſis primus ſic verba fecit: Nos qvi in ſtatu eccleſiaſtico ſumus, haud diffiteri poſſumus, qvod ſanctiſſimo patri Pontifici Romano ſacramenti religione addicti ſimus; ita ut nihil in doctrina aut aliis ſacris ipſo inſcio aut invito mutare nobis integrum ſit. Niſi qvid minutarum ſuperſtitionum à monachis aut presbyteris inſti-

tutum

tutum ſit, qvod eorum antiſtites non approbarint. Nihilominus etiam juratâ fide, ſubjectione & obſeqvio præſenti noſtro Regi devincti ſumus, ſi modò nihil præcipiatur nobis, qvod decretis & conciliis Pontificum adverſetur. In noſtra itidem manu non eſt, aliqvid ſponte noſtra reſignare vel alienare de bonis ſoli vel mobilibus eccleſiæ; qvæ Pontifex nos, ut ſanctum patrimonium, religioſè tueri juſſit. Ad iſtæc, Rex Senatum & Nobiles rogat, *num rectè reſponſum ſit?* Turo Johannis regni magiſter aulæ, & ejus Socii, *ſe non aliter animadvertere poſſe* ajunt, *qvin appoſitè reſponſum ſit; licet nondum ſatis ad omnia capita.* Hic Rex admodum commotus: *Sibi non placere, hoc modo eorum regem eſſe. Se modeſtius ab illis reſponſum exſpectaſſe. Sed ſe jam nihil mirari, ſi plebs inſaniat & cornua regi obvertat: qvum tales habeat auctores & duces: Facta ſua criminationem, qvum decus & laus deberet, ſeqvi. Si cœlum ſit ſiccum aut nubilum; ſi fames aut lues ſæviat, in ſe culpam conjici. Hoc nimirum eſſe præmium indefeſſæ ſollicitudinis, & vigiliarum regiarum pro communi regni & omnium civium ſalute. Qvosdam illorum optare, ſecurim capiti ejus incuſſam eſſe, licet nemo manubrium apprehendere velit, ut eſt in proverbio Svetico. Tali mercede & cura æqvè ſe atqve alium qvemcunqve facile ſuperſedere poſſe. Eqvidem qvum illorum caput & Rex conſtitutus ſit, plus laboris & moleſtiarum qvotidiè ſibi pro patriæ rebus ſubeundum eſſe, qvàm qvisqvam eorum cogitare qveat. Et tamen illos vel ſupra vel juxta ſe attollere conari præſules; presbyteros, monachos & id genus alios Pontificis clientes & mancipia. Ut verbo dicat, omnes in ſe, tanqvam ipſis obnoxium, imperium & cenſuram exercere, neminem fermè dicto audientem eſſe cupere. Proinde ſciant, ſe hac lege regnum nolle, ſed planè abdicare; contentum qvem velint regem eligere, & in votis habere, ut talem nanciſcantur, qvi illis ſemper & per omnia placeat. Hoc tamen præcauto, ut ſe bona fide liberent regno, atqve ſibi dependant in præſenti pecunia omne ſuum patrimonium, aliaqve qvæ ex propriis in regni uſum expendiſſet. Hoc poſtqvam factum fuerit, ſe fidem de repentino abitu ex regno daturum, & nunqvam huc rediturum.* Hæc dictis Rex oculos lacrymis ſuffuſus, ex comitio ſtatim in arcem vadit. Inde Cancellarius alloqvutus ordines, *eos in tanto negotio, in qvo totius regni ſalus vertatur, Deum ſalutare conſilium rogare, & concordes in medium conſulere* monet. *Ex duobus unum eligendum eſſe, ut vel exorent Regem eiq; pareant; vel ſi videatur alius eligendus, Guſtavo de omnibus expenſis publicis ſatisfaciant, ut ex ipſo audiverint, aliam viam non dari.* Sed omnes attoniti ſedere & inter ſe muſſitare, donec declivi die ſolverentur comitia. Turo Johannis prævio tympano & tubarum concentu ferox ingreditur hoſpitium ſuum, in via jactans:

à nemine ſe ethnicum, Lutheranum aut hæreticum hoc anno redditum iri. Poſtero die cum redirent Ordines in conventum, in contrarias adeò ſententias ibant, ut planè non congruerent, ſed magis alienarentur animi. Qvin populus Senatum ac proceres urget absqve ſtrepitu & tumultu in rem conſulere, & regi nihil indignum poſtulanti obtemperare, niſi malum experiri velint. Sed qvum turbas & murmura paſſim miſcerent, ſilentio tandem facto, Magnus Sommerus Epiſcopus Strengnenſis ita Ordines adfatur: *Qvum ſalus & incolumitas regni nunc maximè in dubio ſit, illis ſeriò perpendendum eſſe, utrum duorum in medio poſitorum expeditu facilius ſit. Unum, recuſare Regem Guſtavum & alium ſibi qværere, qvàm malè illis eventurum ſit, vel puerum, nedum viros penſitare poſſe. Alterum, exſolvere regi patrimonium & omnem impenſam, in hac rerum difficultate, illis arduum factu aut impoſſibile fore. Turonem qvidem laude dignum eſſe, qvod eccleſiam catholicam ejusq; antiſtites tam ſtrenuè defenderet. Sed ſi nimis aſperè ageret, periculum fore, ne plus inde mali qvàm boni redundaret. Non benè publicæ rei conſultum iri, ſi ita pro cauſa ſua pugnent, ut totius inde regni ſecuritas in diſcrimen vocetur. Satius eſſe cedere tempori, & obliqvato ſinu paulum velificari, qvam obſtinatè renitendo publicæ ſalutis jacturam facere. Meliora paulatim, inſtaurato nunc regni ſtatu, ſperanda eſſe. Si verò, qvod Deus prohibeat, rex eſſet diſceſſurus, non diu ab hoſtium huic regno qvavis occaſione imminentium inſidiis tutos permanſuros: qvin exitio præſenti ſubjectam fore rempublicam, ut navim rectore deſtitutam.* Ad hujus ſententiam non pauci acceſſerunt ex populo clamantes, *ſi proceres ultra obnitantur, ſe Regis Guſtavi ope eorum pervicaciam ulturos.* Ita nobiles, inprimis Weſtrogothi mitius agere cœperunt; & inter eos Magnus Bruntonis ad moderatiora conſilia animum Johannis Turonis induxit; niſi ultima pati vellet. Plerisq; ſententiâ populi victis, atqve re ſatis diſcuſſâ ſtetit, mittere conſpectioris dignitatis viros ad Regem placandum & revocandum. Sed rex immotus ſtetit. Tandem tamen humilibus & toties iteratis eorum deprecationibus ſe moveri paſſus, qvarto die rediit in comitium. Iſtic decretum de præcipuis conſultationis capitibus editum eſt in hanc mentem: *Ordines Regem & regnum ab omnibus inſidiis & conjurationibus, præſentemq; ſtatum pro virili defenſuros. In perduelles & proditores, ubicunqve deprehendantur, ſeverè animadverſuros. Fructus regni diminutos, & ad epiſcopos & reliqvum ſacrum ordinem ex ſuperfluo translatos, ab iisdem ad Coronam unà cum arcibus revocandos eſſe. Qvæ verò ſint oppignorata, à veris hæredibus ex lege redimi fas fore. Nimias opes, ut otii, luxuriæ & rebellionis materiam, præſulibus accidendas, honeſta vitæ ſubſidia relinqvenda eſſe. Controverſias re-*

ligionis à peritis Theologis ventilari & decidi, purum Dei verbum in eccleſiis ſonare, & contra malè animatos defendi è re fore. Reſiduum tributorum, ſolutioni æris alieni deſtinatum exigendum eſſe, Wikiæ & Gothlandiæ negotium integrum ad Legatorum ex tribus regnis conventum & transactionem remittendum. De perſonato Sturio, à Dalecarlis regi tradendo. De illegitimis negociationibus prohibendis. Hæc deinceps exſeqvutioni mandata ſunt, præſertim de ſupervacuis præſulum opibus ad Coronam retractis. Præter arces enim, tredecim millia prædiorum, qvæ epiſcopi & eccleſiaſtici à tempore Caroli Canuti R. vel venditione vel donatione alienata, poſſederant, ad Coronam & ordinem eqveſtrem redierunt: reditibus in ſortem computatis, ac in ſolutum acceptis; qvum regnum & nobiles vix tertiam partem bonorum, comparatione poſſeſſionum ſacri ordinis, antea tenerent. Ex Dania Legati Holgerus Georgii & Axelius Vigrupius nomine Friderici ſui Regis, *auxilium à Guſtavo Rege petunt contra Ferdinandum Imperatorem Caroli V. fratrem: qui armis Holſatiam infeſtare agitabat, & in regnum Daniæ reponere Chriſtiernum. Ne Guſtavus arte Ferdinandi à fœdere cum Friderico dimoveri vellet. Ut conventus publicus de arduis trium regnorum negotiis ex decreto Malmogienſi propediem inſtitueretur. Ut Wikia à Guſtavo reſtitueretur Friderico.* Guſtavus Rex *auxilium Friderico promittit, & de fide ſua dubitare vetat. Se & ingenio & tot exemplis doctum, non tam pronum eſſe ad fidendum hoſtium artibus & dolis, qvàm illi ad utendum iis eſſe posſint. Chriſtierni immanes actiones nondum animo ejus excidiſſe. Seq; facile providere, ſi in Dania novum belli incendium ab ipſo excitetur, etiam in vicinam Sveciam illud brevi tranſiturum. Itaqve fœdus & amicitiam ſibi cum Friderico ſalvam & fidam fore, modò ipſe pro ſe ſatis iſthæc ſervet. In nonnullis haud ſatis videri ex fide egiſſe; dum Severinum Norbyum non confeſtim ex pacto Malmogienſi Wisbyo exegerit, ſed detrimenta non levia regno Sveciæ inferre paſſus ſit, à Friderico jure ipſi reſarcienda. Si enim ejus promisſis de expellendo Severino fidem non adhibuiſſet; ſe Gothlandiam ei non tradidiſſe. Friderici Legatos qvoqve neglexiſſe Lubecæ transactionem & diſcusſionem de Gothlandia, uti convenerat. Et poſtmodo ſe inconſulto nova iniiſſe pacta de eadem provincia cum Lubecenſibus. Tormenta itidem & alia inſtrumenta bellica ſibi ex pacto non reſtituta eſſe; nec Nobilibus Svetiæ poſſesſiones & prædia in Dania. Nec ſervatam eſſe à Friderico pactionem de non tolerandis proditoribus unius regni in alterius regno: dum præter alios, iſte ex dolis & mendaciis conſutus falſus Sture in Norvegia tolleretur. Hæc emendari fœderis & amicitiæ conſervandæ cauſa ſe expetere. Conventum trium regnorum ſibi qvoqve volenti fore: modo tempus & ſingulis accommodus locus à*

Fri-

Friderico deſignarentur. De Wikia ſe prioribus literis mentem ſuam declaraſſe, & de eadem in dicto conventu ulterius agi ſibi non diſplicere. Cum hoc reſponſo & literis ſecuritatis publicæ hîc in Svetia pro ſe obtinendæ, ut petierant, ſi Ferdinandus Daniam incurſaret, legati di-
1528 mittuntur. Ad freqventes civium obteſtationes & deſideria, Rex tandem coronationi ſui conſentit, his tamen conditionibus: *ut tumultus apud Dalecarlos prius ſedaretur. Si qvid nævorum aut malorum occurreret, qvod in poſterum motus dare poſſet, hoc in tempore regem monerent, anteqvam ſe intelligaret imperio.* Qvod & factum eſt, & Regis inauguratio proximis à
12. Jan. die trium Regum, ut vulgò vocant, feriis, ſolennibus auſpiciis ac ritu inſtituta eſt. Eqvites à Rege creabantur Laurentius Siggonis, Ericus & Ivarus Flemmingii, Joannes Turonis, Turo Erici, Birgerus Nicolai, Carolus Erici, Nicolaus Olai, Canutus Andreæ, Magnus Johannis, Magnus Bryntonis, Petrus Durus, Benedictus Nicolai. Epulæ publicæ præbitæ, ludi eqveſtres habiti, omniaqꝫ ad feſtam lætitiam & applauſum comparata fuêre. Poſt inaugurationem Rex aggreditur regni negotia, & Senatum ponderare jubet reſponſum ſuum Legatis Daniæ nuper datum. Illi penſitatâ re, rectè à rege reſponſum ajunt, *tempus autem conventus publici trium regnorum proximam æſtatem, vel qvod opportunius videretur Friderico, & locum commodum Ladoſiam aut Kongellam decernunt. Si Vikiâ cedendum ſit, impenſas in Gothlandiam regno reſtituendas eſſe. Et ad Norvegos ſcribendum de non ferendo iſtic proditore Sturio.* Rex de his Fridericum Regem Daniæ certiorem facit, & ſimul eum rogat de turbis nuper in Norvegia contra Sveciam, *num ipſo conſulto motæ eſſent?* A Friderico reſponſum, *ſe prorſus inſcio hoc factum, & nunc ſeriò monuiſſe Norvegos, ut nullum iſtic reciperent ex Svetiâ profugum aut proditorem. De loco conventus idem ſibi placere.* Sed tempus ad S. Laurentii diem dilatum eſt. Hîc qvidam annales ferunt, Guſtavum viduis & virginibus nobilibus, ſi conditionem nuptiarum ſibi parem, ob penuriam Nobilium virorum à Chriſtierno magnâ parte ſublatorum, invenire non poſſent, aliis honeſtis viris, etiam ſi nobili loco nati non eſſent, nubere permiſiſſe: qvos, ubi rectè factis & virtutis ſtudio mererentur, honoribus ornare vellet. Inter illos fuiſſe Jonam, cognomento ſcribam, qvi ex molitore natus, & regis impenſâ literis in Scholâ Arhuſienſi informatus, poſteà ex occaſione commemoratâ Magni Grenii viduam uxorem claro ſibi adjunxit matrimonio. Rex inſuper illum nobilitatis inſignibus, dignitate Prætoris arcis Arhoſienſis & opibus

bus auxerat. Sed huic homini uſu venit, qvod illis, qvi poſtqvam diu in obſcuro delituerunt, qvum ſubitò in lucem prodeunt, ejus impatientiores eſſe, & facilè offendere ſolent. Ita iſte tenebrio ex umbra in honoris lucem, & ex humili loco in altiorem fortunam à Rege productus, dum eam reverenter habere negligit, ſeipſum tandem præcipitavit. Etſi Rex eum prioris ſuæ ſortis monuerat, & ut modeſtiæ ſtuderet; inprimis ut DEI reverens, ab elato animo ſibi caveret. Sed ille oblitus regii moniti, & qvalis antea fuiſſet, intuitus ſolùm præſentem fortunam eâqve inflatus; qvum dein ex qvolibet Wesmanniæ territorio decem ad Regem cum illis de qvibusdam negotiis acturum, exciti eſſent; eò ſuperbiæ progreſſus eſt, ut eos ad ſe qvaſi dictatoriâ auctoritate vocaret, & qvomodo erga Regem ſe gerere deberent, erudiret. nimirum ut Regi gratias haberent, qvod etiam ſubditos ſuos conſulere & audire dignaretur, nec omnia ſuo unius arbitrio, ut hactenus, agere vellet. Præter hoc, qvod Rex in animo haberet qværere conjugium in exteris terris, oportere ſapientes regni ſubditos hoc, ut intolerabile, disſvadere, nec unqvam permittere: qvum è re regni futurum non eſſet; & tot generoſæ matronæ ac virgines intra regnum reperirentur, qvæ Regi vel genere vel opibus ceſſuræ non eſſet; & tot generoſæ matronæ ac virgines intra regnum reperirentur, qvæ Regi vel genere vel opibus ceſſuræ non eſſent. Adeò faſtus & imprudentia ejus animum inceſſerant, ut qvaſi cenſuram in Regis actiones ſibi arrogare non vereretur. Eo facto ad regias aures delato, perduci juſſus eſt ad Regem, qvi hominem ſeverè objurgans interrogavit, *num ei nuptias ex ſuo ſummè intelligenti porcino capite procurare vellet?* Ita excluſus à Regis conſpectu, in diuturnum carcerem traditus eſt, ex qvo tandem, ingenti uxoris ſuæ ære dimiſſus & liberatus, continuo animi mœrore & ſex menſium morbo confectus, in ejus prædio Ekeby deceſſit. Licet de publica re non malè ſentire videri vellet, tamen non eo loco aut munere fungebatur, ut in publicum conſulendi ſibi partes ſumeret; nec ea moderatione, qvicqvid ſentiret, proferebat, qva decebat: nec eum honorem Regi, fortunæ qvoq; ſuæ auctori, habebat, qvalem debebat: hoc eum præcipitem dedit. Ad comprimendã inſolentiam Dalecarlorum, Rex cum expeditis copiis proficiſcitur, qvos Tunæ collectos, coronâ militũ cinctos, & ob tumultum denuò concitatos ſeverè objurgat. Illi primò ſe purgare, deinde convicti, culpam fateri. Interponente ſe regni Senatu, auctores factionis ad ſupplicium traditi, & in ipſo circulo decollati ſunt. qvâ re conſpectâ, reliqvi attoniti, lamentantes & ſupplices coram Rege, culpam deprecantur; qvibus gratia facta eſt; ut & Helſingis & Goſtriciis depre-

cantibus. Sic iſte motus componebatur, quieſcente tunc populo. Occaſio etiam regem alliciebat ad ulciſcendum Norvegorum imprimis Vincentii præſulis Nidroſienſis & ſociorum factiones & conjurationem cum proditore regni, Sturii nomen & genus mentiente; niſi fœderis cum Friderico rege Daniæ reſpectus pacatiora conſilia dictaſſet. Ad factioſos tamen in Norvegia ſcripſit, ut, niſi ſceleratum iſtum hominem ipſi plecterent, aut ſibi traderent, ſe hoſtes ſuos, ubi deprehendere poſſet, perſeqvuturum. Hac denunciatione belli territi præſul & ejus amici faceſſere juſſerant proditorem, qvi Roſtochium profugus, ibi à Senatu urbis, regiis literis perſvaſo, in vincula conjectus, capite pœnas perfidiæ dedit. Inde Rex, ut ſveverat, ipſe obit, re ſic exigente, provincias, & movet ad Helſingos, Medelpadios & Angermannos, cauſamqve contumaciæ adverſus præfectos & exactores tributi percontatur. Illis ſupplicibus & offenſam regis deprecantibus Guſtavus exorabilis ignovit, paucis in carcerem conjectis, ſed mox dimiſſis. qva ſua præſentia auctoritatem ſibi conciliavit, & auctoritate motus civiles repreſſit, ac ſeveritate clementia mixtâ effecit, ut eum in poſterum magis revererentur, qvàm formidarent. Helſingis etiam, data fide officii & promtæ militiæ, qvoties opus eſſet, vetera privilegia confirmavit. Hoc anno magna frumenti penuria & fames Uplandiam affligens, non paucos abſumſit. Plebs mali pœnam mutatæ religioni acceptam retulit, ab epiſcopis & ſacerdotibus ſic edocta. Sed tàm ſacer ordo, qvàm populus intra ſe mali culpam hærere, nullo peccati expertè non recordatur. qvæ plures neci datura fuiſſet, niſi Rex ingentem frumenti copiam, in Livonia & alibi coëmtam, circumſpectè primò in unum territorium, deinde in alterum; in unam parœciam, & deinde alteram dividi & divendi pro æqvo certoqve pretio, nimirùm tunnam pro unâ marcâ viritim curaſſet: ne qvis pro ſuo lubitu, auctoqve pretio in fraudem & cum onere egenorum venderet. Ea re Rex publicam inopiam ita ſublevavit, ut etiam tributo regi pendendo ſubditi ſufficerent. In conventu Ladoſienſi Fridericus Rex Daniæ per ſuos Legatos exceptiones movet ad reſponſum, ad reſponſum à Guſtavo præterito anno Holmiæ ad Friderici poſtulationes datum: Primò agit gratias Guſtavo Regi Svetiæ pro conſtantia amoris & fœderis inter ipſos. Dein de damno ipſi à Severino Norbyo illato reſarciendo negat ſe teneri: cum ex ejus perfidia plus damni ipſe acceperit; & dum eum perſeqvutus foret, evaſiſſe ait. Cognitionis de Gothlandiâ negligentiam non ſibi aut ſuis, qvi præſtolati ſint ad tres hebdomadas adventum Legatorum Svetiæ, ſed Regi Guſtavo & ejus Legatis, qvi ad dictum diem ex pacto non advenerint, imputandum eſſe; & mulctam

C. M.

C. M. aureorum ab ipſo ea de cauſa ex ejusdem pacti lege præſtandam. Nova ejus pacta cum Lubecenſibus de Gothlandia non fore præjudicio Guſtavo, nec fraudi pacto Malmogienſi. Tormentorum Guſtavi jacturam ſe præſtare non poſſe, qvum ejus incuriâ non perierint; ſed ad Lubecenſes pervenerint: qvi nullam de iis ſatisfactionẽ ſubire velint. Ad qverelam de prædiis Nobilium Svetiæ in Dania nondum reſtitutis, reſpondet: Guſtavum ſatis ſcire, qvibus conditionibus pactum de reſtituendis certis prædiis in Dania factum ſit: qvod jam impletum credat, aut ſi nondum impletum ſit, ſe effecturum ut exitum brevi conſeqvatur. Idem ſe deſiderare à Guſtavo in reſtituendis certis prædiis Svetiæ ad Nobiles Daniæ pertinentibus. Ex Svetia profugis in Norvegia non tolerandis ſe ſæpe ad iſt9 regni proceres ſcripſiſſe, & illam fallacem Sturium jam Norvegiâ exterminatum, Roſtochii morari: cujus loci Senatus à Guſtavo de tradendo aut puniendo reo ſit monendus. Vikiam regno Daniæ ex pacto Malmogienſi reſtituendam eſſe: qvia à Legatis Guſtavi transactio de ea negligenter habita ſit. Ad has Friderici exceptiones Legati Guſtavi reponebant: Excuſationem Friderici de Severino ſuo Regi non ſatisfacere: qvum non contraxerit cum Severino, ſed Friderico & Senatu regni Daniæ, qvorum pacto ſtare velit, & horum auctoritatem fidemq; ſeqvi. Non poſſe ullâ ratione probari, Sveticorum Legatorũ incuria diſceptationem de Gothlandiâ prætermiſſam eſſe, etiamſi Lubecæ non eodem temporis momento, qvo præſcriptum erat & ipſi optarant, adfuerint. Qvippe loca, per qvæ terrâ transeundum, hoſte repleta periculoſum iter feciſſe. Maritimo verò itineri diuturnum adverſum ventũ remoræ fuiſſe. Qvod qvum caſu contigerit, humanitatis hîc rationem habendam, nec tam præciſè cum illis agendum eſſe. Qvin eo tempore adveniſſe, qvo negotium de Gothlandia & aliis controverſiis adhuc integrum commodè tranſigi potuiſſet; niſi aliud qvàm ſimplex jus ſpecioſo prætextu qvæſitum, & legatis Danicis remanendi animus fuiſſet. Sed hæc Deo & conſcientiæ ipſorum ſe committere. Interim deſiderare, ut Gothlandia, qvam rex Daniæ incognita cauſa poſſideret, Svetiæ, cui jure debeatur, cum multæ dictæ ſolutione ſine longiori mora reſtitueretur, vel ab incorruptis judicibus res definiretur. Si verò juris via ſibi præcludatur, nec magis reſpiciantur amicitiæ & vicinitatis officia, qvàm hactenus; ſibi de alia, nimirùm facti via, qvamvis invito cogitandum eſſe. Sed ſe moderatiora, non tàm verbis, qvàm re ipſa præſtanda, ab illis exſpectare: qvæ etiam pari affectu ſit remuneraturus. Vikiam usqve ad cauſæ cognitionem de Gothlandiâ & ipſa Vikiâ ſe bona fide retenturum. Qvum de his hinc inde incaſſum diſceptaretur, in alium commodum

conventum res producta, & fœdus amicitiæ mutuiqve auxilii adverſus Chriſtiernum ejusqve ſocios redintegratum eſt. Conventum eſt inter regem Guſtavum & Nobiles regni Sveciæ, de decem marcis ex cujuslibet prædii beneficiarii, ut vocant, fructibus & proventu pendendis ad ſolutionem æris alieni coronæ: de armorum recognitione eqveſtri proxima hyeme inſtituenda. Qvum Legati Danici abiiſſent Ludoſiâ, regni negotiis qvantum pro tempore poterant peractis Rex voluit, ut, qvum ipſe aliis juſtitiam adminiſtraret, ſibi qvoqve lege frui liceret, & ut Senatus regni jus redderet in lite inter ſe & Ingeburgis Stenonis Sture ſenioris viduæ hæredes de qvibusdam rebus ſoli, qvas Rex ſuo parenti vi extortas qverebatur, in qvarum poſſeſſionem Ingeburgis hæredes jam venerant. Ille autem deſiderabat, eas ad veros hæredes, qvi illis diu extra ſuam culpam caruerant, ex lege iterum redire: qvum non legitimo titulo & uſu captum revocari poſſet. Causâ ſatis dictâ cognitâqve Senatus non aliter judicare potuit, qvàm qvod tertia pars bonorum ſoli hæredum Ingeburgis Regi jure deberetur. Hoc Turonem Johannis causâ cadentem admodum pungebat: ut libenter vindex injuriæ, uti putabat, à Guſtavo ſibi factæ fuiſſet; ſed irrita abſqve viribus ira erat. Seqventi tamen anno non parum ſeditionis excitavit in Weſtrogothia &
1529 Smalandia, ut ſuo loco dicetur. Ineunte anno rex concilium Orebroæ inſtituit, habitum ab eccleſiæ antiſtibus & eruditis viris de inſtauratione ſacrorum & ceremoniarum: ut in omnibus eccleſiis earum ſimilis uſus eſſet, diſcordia ſopiretur, concordia ſtabiliretur. Hoc concilium qvum extet in hiſtoria eccleſiaſtica Sveogothica Bazii hîc ſolùm tangere placuit. Hoc anno ferunt, Guſtavum I. ob exhauſtam civibus præcipuis urbem Holmiam tyranni de Chriſtierni, edicto publico huc evocaſſe alios regni incolas Sveticos & primarios ex aliis urbibus cives, ad transferendam huc domicilii ſedem, & augendam populo commerciisqve urbem, eamqve privilegiis donaſſe. Rex per ſuos Lubecam ablegatos agit de ſolutione æris alieni & rationibus ejus purgandis; qvamvis ob moram Lubecenſes pecuniæ ſummam auxiſſe dicerentur. Cum iisdem transactum eſt de mutatione qvadam privilegiorum ipſis à Rege ante aliqvot annos Strengneſiæ conceſſorum: qvum regnum inde nimium caperet detrimentum. Convenit inter eos hoc modo: *Ut nulla alia civitatum Vandalicarum qvam ſola Lubeca frueretur immunitate à vectigalibus in hujus regni emporiis, Holmia, Calmaria, Sudercopia & Aboa; ita tamen, ut mercium domini qvotannis in dictis urbibus coram præfecto regio literis juratis probarent,*

rent iſtas merces ad ipſos, veros cives Lubecenſes, non alios pertinere. Si ſecus deprehenderetur, eas fiſco regio addicendas eſſe. Nec aliter exonerandas & deponendas, qvam inveteratus mos ante indulta hæc privilegia obtinuiſſet. Poſt concilium Orebroënſe publicatum, Rex aliqvot idoneos Evangelii concionatores à ſe auditos ſingulis cathredalibus eccleſiis & earum epiſcopis commendavit, ut eos probatos gregi præponerent, & adverſus vim tutarentur. Sed ad Scarenſis eccleſiæ epiſcopum miſſus ita excipiebatur, ut mox fuga ſalutem qværeret. Nec meliori fortuna uſus Scholæ ibidem rector, qvi cum Evangelium Matthæi adultis ſcholaſticis extra ordinem interpretari cæpiſſet, ab iiſdem lapidibus obrutus & Scholâ exactus, Vadſtenas confugit. Hujus petulantiæ auctores fuerunt iſti ex proceribus gente Weſtrogothis Thuro Joannis, Nicolaus Olai, Thuro Erici, Magnus Bryntonis & epiſcopus Scarenſis Magnus. Qvi ob nullam aliam cauſam, qvàm Pontificiam religionem antiqvatam, in Regem conjurabant; exutâ omni fidei & jurisjurandi regi anteà præſtiti reverentiâ. Thuro Johannis dux & caput hujus conjurationis & poſteà ſubſeqvutæ ſeditionis, juratus Chriſtierni cliens, qvippe proditorem animum occultè ſub pectore gerere credebatur, tres ſuos filios in Uplandia degentes, Johannem, Laurentium & Georgium præpoſitum eccleſiæ cathredalis Upſal. literis hortabatur ad arma & vires ſecum contra Guſtavum jungendas. Sed Johannes & Laurentius fratres tam conſtantes in fide erant, ut literas patris non reſignatas de manu in manum Regi traderent, rogantes *ne ipſis malo eſſet prava patris adverſus regem molitio. Sed pro Regis ſalute vitam & omnia ſua devoturas.* Sed Georgius præpoſitus Upſalienſis alia omnia ſentiebat, in prædio ſuo Bórnóónſi parœciæ Frötunenſis ex colluvie ſceleratorum centum militum manum cogebat, patri ſuppetias laturus. Rex per literas eum monebat qvieſcere, nec patris machinationibus ſe cum periculo capitis & fortunarum immiſcere: ad ſe ſub fide pub. venire, & patrocinio regio, ut reliqvi ejus fratres, frui. Idem monuere ipſum fratres & cognati fruſtra. Qvocunqve progrediebatur, patris literas, qvaſi fecialis ejus plebi ſignificabat, qvarum ſententia erat: *Se Lutheraniſmum & templorum ac monaſteriorum vaſtationem ulturum*; qvo plebem in ſuas partes ductabat, eamqve obſeqvium Regi qvaſi hæretico detrectare impellebat. Si qvis Sacerdotes Evangelium ritè docere comperiret, eos verberibus æde ſacra expellebat. In Helſingiam pergens, Regis prætorem Olaum Martini perſeqvitur & die Dominica in æde ope Sacerdotis iſtic captum cum miniſtris carceri tradit; qvi tamen mox curâ presbyteri in No-

rata liberatur, miniſtris præpoſiti eorum vicem iterum incluſis. Sed ipſe præpoſitus è cœnaculo proſpectans adventantes, per poſticum in ſylvam clam evaſit. Noralenſes veſtigiis inſeqvuti hominem & fruſtra qvæſitum in nemore, tandem in lacum tacitis remis provecti, in lintre ſedentem à tergo invadunt, & ubi deprehenſum ſe ſentit, in lacum ſe projicere conantem corripiunt. Ille deſperatione fugæ, an metu, ne ob aurum ſuum obtruncaretur, catenas aureas & annulos, qvos ſecum habebat, in profluentem abjicit. Illi verò hominem Holmiam abducunt, ubi carceris incola per ſeſqvi-annum, poſtea tamen à Guſtavo dimiſſus eſt. Noralenſes pro Bollenäſenſibus apud regem ſe interponunt; & ipſi noxam faſſi gratiam facinoris ſupplices petunt, & impetrant. At Thuro Johannis, & reliqvi conjurationis ſocii ad malè conſulta non ſegnes & remiſſi, Smalandorum partem ad ſeditionem concient. Hi autem ſibi legunt conſulem Ienecopenſem Nicolaum Arvidi. Ille qvidem integritate erga regem inconcuſſa tamen ſimulatâ facinoris ſocietate majorem fidem apud conjuratos nactus, occulta principum rebellionis facilius elicit, & Regi cuncta aperit, unaq; literas conjurationis interceptas ei transmittit: unde Rex eorum flagitioſa conſilia diſcit. Smalandenſes qvatuor regis præfectos trucidant. Regis ſororem Johannis Comitis Hoienſis conjugem, qvæ nuper ex Saxonia nuptiarum pro Rege conciliandarum cauſa redierat, unà cum Secretario regio Wolfgango Gulero & aliqvot civibus Ienecopiæ captivam abducunt. Qvos ægrè poſteà raptorum manibus Rex liberavit. Iidem ſub ſigillo civitatis Ienecopenſis ad Oſtrogothos aliosq; ſcribebant, qvomodo reſignata Regi ſubjectionis fide, conſtituiſſent armis perſeqvi iniqvum regis imperium. Hoc enim obtentu utebantur: uti ſcelus, qvum juſtam ad ſui patrocinium rationem non habet, à vano prætextu præſidium qværit. Itaqve eos ſecum ut vicinos facere, & idem velle cohortabantur. Parem in modum Thuro Johannis Montanos & Dalios literis ad defectionem allectabat, & ad Guſtavum conjunctis viribus ob Lutheranorum hæreſin, qvam foveret, regno exterminandum. Se ſibi alium qvæſituros regem, imperio magis parem & ſubditis æqviorem. Qvæq; alia hujusmodi indigna, non tam ex obſtinata animi malitia, qvàm præpoſtero & inconſulto vindicandæ ſuæ religionis ardore ſcripſerat. Sed ne molitiones conjurationis ſociis ſecundum ſua vota provenirent, & Rex improvisò opprimeretur, pleræq; omnes conjuratorum literæ ſingulari Dei nutu in manus regis devenerunt; unde cogitata facinora perduellium edoctus, malo ſuo tutius occurreret. Montani qvoqve & Dalecarli reſpondebant Weſtrogothis & Smalandis, monebantq; ut ipſo-

ipſorum exemplo diſcerent eſſe cautiores: dominationem qværentium improbâ conſvetudine abſtinerent, conqvieſcerent & captivos dimitterent. Si verò prava facinora mallent, facerent ſuo periculo; & ſcirent, ſeditionem, ut incendium, facilius excitari, qvàm exſtingvi; & in eam involutos potiſſimum adurere. Se in fide manſuros, & omnes in caput Regis conjurantes vi & armis perſeqvuturos. Ut conjurati firmius haberent adverſus ſubitas hoſtium impreſſiones munimentum, mille militum copias ſub Tivedia ad Hovam locant, ductore Nicolao Hualſtadio: qvi ex prætore ſacerdos, ex ſacerdote iterum tribunus militum factus erat; ad qvemvis fortunæ habitum aptus; aut potius inſtar turbinis circumactus. Ad eum mittunt literas, ex occaſione, ad qvos datæ erant, bene curandas. Sed accidit ut juvenis, civitatis Holmiæ apparitor, Johannes, cognomento Audax, qvod ad omnia audenda promto eſſet animo, Weſtrogothus eo mitteretur, conjuratorum actiones exploraturus. Is per avia contendens in Weſtrogothiam, hoſtium caſtra & excubias fallens latensqꝫ, apud ſuos aliqvamdiu commoratur. Inde ad caſtra hoſtium redit, & à cuſtodiis ſe non invitum capi paſſus, ad tribunum ducitur: qvi tanqvam exploratorem ex Uplandia huc miſſum increpat, & arctè cuſtodiri jubet. Ille verò, ut more exploratorum noſceret, non noſceretur, per qvadriennium ſe Uplandiam vidiſſe negat; hactenus in Weſtrogothia moratum, ſanctè adfirmat. Mox qvatuor militibus cuſtodiendus traditur: qvos ut deludat, poſt aliqvot dies morbum ſimulans, tuſſit, ſcreat, vomitum moleſtè & laborioſè minatur; qvaſi ſtomachum intemperantiâ gravem exoneraturus. Familia domus hominem miſerata, lectulum ei ſternit, & valetudinem ejus utcunqve curat. At excubitores malè habentis tædio, an qvod infeſtam veri morbi vim crederent, ſecuri tandem ſolum relinqvunt: id qvod ille unicè qværebat. Dum enim illi abſunt, & nemo ex familia intus eſt, occaſione captâ, ſcrinium in angulo temerè locatum arripit, & literas conjuratorum in eo reperit. Mox ſuo loco reponens, lecto morboqve ſuo ſe reddit, & corpore ſe peſſimè affectum fingit; voce, geſtu, ſuſpiriis ægroti dolores ingenioſâ & occultâ fraude imitantibus. Proxima nocte ſurgens, literarum capſulam ſecum aufert, & clam ſe domo proripiens, lecto vacuo & mendaci morbo relictis, qvâ venerat viâ, Upſaliam revertitur, & literas velut opima ſpolia ad Regem adfert. Imò qvavis prædâ chariores Regi fuerunt iſtæ tabellæ, dum conſilia conjuratorum tam ſecurè ſibi commiſſa, ſed tam imprudenter & negligenter ſervata, Regi qvovis indice fidelius enunciabant. Ubi Weſtrogothi ad Larvæ convalles ex edicto Thuronis Johannis

nis & Magni epiſcopi Scarenſis conveniſſent, in lucem productum eſt, qvod clam ante animis verſarant. Populum enim ſibi jurejurando adſtringere & proclamare regem Magnum Brynthonis conſtituerant; eiq; regium honorem habere cæperunt. Thuro Johannis alloqvutus Weſtrogothos, gratias eis egit, qvod ſe ut primum procerum omni honore & benevolentia proſeqvuti eſſent. Qvum verò rex, qvem nunc habeant, à vera religione defecerit ad Lutheri ſectam, & novam populo invito obtruſerit fidem, à fundamentis demolitus ſit & exſpoliarit templa & monaſteria, & in ſacramento coronæ præſtito prudens præterierit caput de Ordine eqveſtri & ſacro, eorumq; bonis tuendis, non minuendis; atqve ſic fidem coronæ & populo debitam violarit, ipſos qvoqve non obligatos eſſe vice mutua ſervare fidem ſacramenti ipſi præſtitam, ſed è re fore publica ſibi alium eligere regem. Si ergo velint amovere Guſtavum, ſe proſpecturum illis alium probum regem, qvi ipſis cordi futurus ſit. Eqvidem ſe non ſemel cognoviſſe, qvod boni Weſtrogothi Lutheri ſectam abhorreant odioq; habeant: & in antiqva & avita perſeverare religione, Pontifici R. Cardinalibus & Epiſcopis morem gerere, atqve ab eorum doctrina neutiqvam divertere velint. Epiſcopus Scarenſis Magnus addebat: Pontificem R. habere poteſtatem eos abſolvendi ſacramento fidelitatis Regi Guſtavo hæretico præſtito, & hoc ſe facile procuraturum. Cæterum Weſtrogothi, in corruptis erga Regem animis manifeſtè ſentiebant, illis improbâ cupiditate & inconſultâ temeritate transverſos agi. Proinde penſo melius conſilio, duos ex concione pro ſe reſpondere jubent: Se nullo modo poſſe incuſare Regem Guſtavum, ſed potius ſummo beneficio ipſi devinctos eſſe, pro liberatis ejus induſtria & virtute Sveonibus & univerſo regno à crudeli dominatione Chriſtierni, & defenſa patria adverſus omnem vim ac injuriam, in otio & pace adminiſtratâ cuilibet juſtitiâ. De religione verò ipſorum non eſſe judicare. Hoc tamen ipſos videre, periculoſæ aleæ opus eſſe, ſæpè mutare reges: raro in melius verti: nihil magis præſtare, qvàm ſtabile imperium. Si tam ſtolidi eſſent, ut eorum conſilium ſeqverentur, fore ut ſe, liberos & poſteros in diuturnas turbas, & in præſens diſcrimen ac perniciem, hujusmodi turbarum comites, præcipitarent. Proinde ſibi tutius & magis ex uſu videri, in fide ſemel Regi jurata conſtanter perſeverare. Dicentis verba omnis concio erectis manibus & communi aſſenſu comprobavit. Hic multum attoniti conjurationis principes, ſecus qvam cogitarant rem evenire, metu multitudinis ſecuritati ſuæ conſulere cœperunt, rogantes qvatuordecim dierum ſpatium de pacis & amicitiæ regiæ commodiori ratione cogitandi, plebem

& mox

& mox qvoqve exercitum ſuum dimiſerunt. Militum dux Hvalſtadius rogatus, *qvid de literis conjurationis ad amicos ſcriptis feciſſet?* reſpondit: *ſe cremaſſe, qvum ſentiret ex voto conata non proceſſiſſe, nec vias, per qvas mittendæ erant, ſatis tutas eſſe.* Sic illi conqvieverunt, ignari literas interceptas eſſe. Dum verò ſinguli, deſtinatione animorum irritâ, capiti ſuo metuunt, Nicolaus Olai, Thuro Erici & Magnus Bryntonis, exilium grave & morti ferme æqvandum rati, conſtituerunt in regno permanere & Regis favorem experiri, vel juri ſe permittere. Spem enim illam fovebant, neminem ipſos facinoris alicujus convicturum, epiſtolis conjurationis, ut putabant, exuſtis. Cæterum Thuro Johannis & Magnus Scarenſis non audebant ſe committere Guſtavo & patriæ, ſed rebus optimis convaſatis, abibant in Daniam, & inde in Germaniam; ubi, loco, non animis mutatis, adhuc prava machinabantur adverſus regem Guſtavum & regnum; donec ad Chriſtiernum in Belgium veniſſent, & unà cum Guſtavo Trolle ipſi auctores fuiſſent movendi cum exercitu in Norvegiam, uti poſtea memorabitur. Simulac Rex comperit motus Smalandorum & primorum aliqvot Weſtrogothiæ, malo, ne morâ vires caperet, in principio occurrendum arbitrans, patentes emiſit literas; qvibus eos monuit, *non venire in ſocietatem hujus tumultus, ſed omnia in meliorem accipere partem, & qvieti publicæ conſulere. Sibi animum eſſe, primâ occaſione regni Senatum & Ordines convocare, ut exqvirat cauſas hujus ſeditionis, & remedia, qvibus hi motus absq; Chriſtiani ſanguinis effuſione componi poſſint. Omnibus notum eſſe, qvanto cum labore & vitæ discrimine patriam à vi & manibus hoſtium vindicarit; & qvomodo ipſi ſua ſponte ſe Regem, tale qvid non expetentem, ſed aliqvoties recuſantem, elegerint. Se nihil cœpiſſe, tractaſſe aut decreviſſe in religionis, epiſcoporum, monachorum, monaſteriorum aliisve negotiis, niſi cum conſenſu procerum & Ordinum. Teſtem DEum & conſcientiam ſuam appellare, ſe nunqvam voluiſſe aut in poſterum velle aliter regnum, tot ante tempeſtatibus exagitatum, qvàm in pace & concordia ad populi ſalutem moderari, ſi per ipſum ſtaret, nec inqvieti homines aliò mentes ſuas dividerent. Si qvi nævi aut offenſiones in republica exſtent, præſtare eas conſilio & æqvi juris viâ leniter ſanare; qvam vi & armis inflammare. Nulli eqvidem uſui & decori eſſe Svecis bellum civile, qvo in propria membra & reipublicæ perniciem graſſentur; ſed eorum hoſtibus lætitiæ & incitamento fore, ad eos diſcordiâ feſſos opprimendum, & Regem, velut prædam in medio poſitam, occupandum. Proinde caverent cujusqvam literis aut molitionibus à ſe deflecti, ſed in fide ſemel ipſi data, ut bonos & non degeneres patriæ cives deceret, immoti perſiſterent. Si nullam occaſionem prætermiſſurum, qvæ eorum commodis & bono ſtudere poſſit.* Ejusdem fermè argumenti literas

ad Ordines regni ſcripſit Senatus, qvibus eos ad qvietem & fidem hortatur. Rex inſuper Gudmundum Petri præfectum arci Holmenſi & Andream Simonis conſulem Holmenſem in Oſtrogothiam miſit, plenâ facultate inſtructos agendi cum Holgero Caroli, Magno Johannis, cum ſacro ordine Lincopenſi & Senatu cujusvis urbis Oſtrogothiæ, & de tumultu Smalandorum aliorumqve ſedando. Hi cum pluribus operam ſociantes, primò tentarunt animos populi: à qvo ad duces factionis remiſſi, cum illis hoc modo tranſegerunt: *ut armis poſitis & captivis dimiſſis, præteritarum injuriarum oblivio ſanciretur. Ut hæreſis nulla in regnum introduceretur, ſed vera religio cum receptis ritibus defenderetur. Ut cives de redintegranda fide ſua & exiſtimatione regia literis caverent.* Hæc utrimqve à Rege & populo rata habita & ſubſcripta, pax ac concordia reſtitutæ ſunt. Thuronem Johannis & Magnum epiſcopum rex blandis literis & ſpe gratiæ in regnum revocare, ſed fruſtra conatur: qvum negarent *ſe decreto Arboſienſi, cujus in literis mentio facta eſſet, parere & acqvieſcere poſſe.* Sed Nicolaus Olai, Thuro Erici & Magnus Bryntonis ſe literis ad Regem excuſatum eunt, petuntqve comitiis ad ſe purgandum ſiſti. Comitia Strengneſiæ, ut deſiderarant, inſtituuntur, ad qvæ proceres cum Rege & Senatu accedunt. Rex *ſeditionis illos absq; cauſa motæ, patriæ turbatæ & læſæ majeſtatis accuſat.* Sed Thuro & reliqvi conjurationis participes, ad excuſandum motus ſui cauſas, *Regem incuſabant pravæ religionis, violatæ jurisjurandi fidei in non defenſis eccleſiaſticis perſonis & bonis, ad Coronam & Nobiles translatis, qvorum cupiditate religionem mutaſſet; in expulſis regno epiſcopis & monachis, exſpoliatis cœnobiis & templis. Item de facta mutatione miſſarum, ut vocant, Sacramentorum, jejunii, cœlibatus clericorum. De civibus nimio tributo oneratis; peregrinis in Senatum & arcium cuſtodiam contra fidei & legis obligationem admiſſis Conjugium regem cum extranea virgine Principe, in civium oppreſſionem, à peregrinis, ſponſam huc comitantibus, metuendam, inire conſtituiſſe.* Rex ad iſtæc reſpondet: *Animo ſuo maximè ægrum fore, ſi aliud hîc in regno doceretur, qvàm qvod Deus ipſe juſſit, nimirum purum Dei verbum & Evangelium; idq; decreto Arboſienſi confirmatum eſſe, cui ſententiam ſuam ſubſcribat. Et tamen ob enatas in religione diſcordias nihilominus ad generale Concilium ejusq; rectum judicium provocet: eoq; tanqvam hæreticus inſimulari non poſſit. Se ſatis recordari, ſibi poteſtatem à Deo commiſſam eſſe ad patrocinandum bonis, & plectendum malos. Qvod qvum jurarit & hactenus impleverit, & porrò intuendo eccleſiam & ejus membra, id eſt Chriſtianos regni cives, implere paratus ſit, ſe violati in hoc ſacramenti argui non poſſe. Si verò ſecundum nonnullorum mentem dictum ſacramentum de epiſcopis, præſulibus & ſacerdotibus ſit accipiendum, & violatum*

exiſti-

exiſtimetur in eorum poteſtate civili & nimiis opibus diminutis, id approbatum eſſe à regni Senatu & populo in comitiis Arboſienſibus, ob graves clericorum, uti appellant, abuſus & motus civiles non ſemel ab illis adverſus Regem excitatos: qui ſi frænentur, & injuriarum in populum occaſio materiesq́; amputetur, ſe exiſtimare rectè defendi eccleſiam ejusq́; membra. Si contra tuendi eſſent Clerici in peſtifera ſua potentia & injuriis, qvas aliis inferunt, illud fore opprimere eccleſiam, non defendere & tutari, ut jusjurandum vult. Regem non eos exegiſſe regno, ſed ſe ipſos: qvum ad turbandum regnum hinc conceſſerint ad exteros Principes, uti Guſtavus Trolle, Magnus Scarenſis, Johannes Lincopenſis & alii. Se verò mirari, litem cum epiſcopis & eorum facultatibus, poteſtate & privilegiis, novæ religionis cauſam ab illis fingi, qvum ante eam receptam deceſſoribus ejus non minor cum illius temporis præſulibus, qvàm ſibi contentio fuerit. Itaqve ſe non aliter videre, qvàm quod religionem prætexant proterviæ, ambitioni & avaritiæ ſuæ, veris improbarum molitionum adverſus Regem cauſis. Opes nimias & immunitates, in dominatum & rebellionis anſam male uſurpatas, illis aliqvantum eſſe acciſas; nec injuriâ: qvum ex propriis eorum decretis, privilegio & beneficio dignus ſit ut privetur, qvi eo abutitur. Monachos verò exceſſiſſe monaſteriis, partim ob licentiam & luxum eorum refrenatum, & abundantes eorum reditus in meliorem regni, eccleſiæ & ſcholarum uſum ex ordinatione Arboſienſi verſos; partim ob fictæ ſanctitatis larvam à ſanioribus deprehenſam. Cœnobia & templa ſe non ſpoliaſſe, ſed ſub imperii ſui primordia, cum conſenſione procerum neceſſaria inde bello ſubſidia prompſiſſe, qvæ regno, planè à Chriſtierno opibus exhauſto tunc aliunde non ſuppetebant. Ritus eccleſiæ qvosdam non à ſe, ſed peritis Theologis eſſe in melius, ut ſperat, mutatos, nec ſine exemplo exterarum eccleſiarum: nec defore, qvi illud verbo divino, in qvod ipſi nulla ſit poteſtas, defenſuri ſint. Si ſecus, ſe invito factum. Tributis negat ſe gravaſſe regnum ex ſua auctoritate, ſed regni Ordinum, & ex neceſſitate uſuqve reipublicæ: cujus rei rationem reddere paratus ſit. Legem de peregrinis ad Senatoriam dignitatem & arcium præfecturam non adſciſcendis, ſibi videri interpretandam de hujusmodi extraneis, qvi huic regno, non ducto hic uxore & liberis ex ea ſuſceptis, tanqvam fidei obſidibus, haud eſſent obſtricti. Matrimonio verò domeſtico hic innexos, videri regno tam bene velle, qvam indigenas. Nec illam legem ſe exiſtimare tam ſtrictam eſſe, qvin cum regni Senatus conſenſu qvandoqve ad uſum publicum diſpenſari poſſit. qvod nec prorſus inuſitatum olim fuerit. Affinem ſuum Comitem Johannem de Hoia (qvi hîc maximè tangeretur) in multis negotiis regno non parum profuiſſe & adhuc prodeſſe. Si ergò res cum inſigni commodo nec detrimento regni conjuncta ſit, legem non ita interpretandam eſſe, ut regni commodum ea re poſthabeatur. Conjugium cum

 extra-

extranea Virgine Principe ſibi nulla lege prohibitum, & à regni proceribus comprobatum, nulla ratione ſibi poſſe exprobrari. Sed & oppreſſionis civium, qvæ hinc timeatur, nullum fore periculum: qvum tales principes fœminæ non plures miniſtros qvàm illis permittatur, ſecum adducant. Si verò ſperare talem ſe geſſiſſe erga ſuos, ut eorum non perniciem, ſed curam & ſalutem qvæſierit, & porrò ſibi eam ſupremam legem eſſe velit. Rex causâ peroratâ jubet regni Senatum ſedulò momenta negotii hujus ponderare & dijudicare, num jure, num ſecus ſeditioſi feciſſent, num decreto & pacto Arhoſienſi paruiſſent aut minus. Ejusdem decreti cauſæ & ulterior declaratio atq; confirmatio circa hoc tempus publicatæ ſunt. In reos, licet fide dignis teſtimoniis, propriis literis & ipſo facinore indicarentur, tamen à Rege & Senatu toties ſpe mitioris ſententiæ de ingenua confeſſione monitos, ſed culpam obſtinatè disſimulantes, ultimi ſupplicii acies ex lege perduellionis ſtringebatur. Magnus Bryntonis in fuga præſidiũ vitæ poſiturus, ex conclavi, in qvo cuſtodiebatur, in ſubjectos ſcholæ Strengnenſi hortos deſilire tentat: captansq; pyri ramum, qvo ſaltum innoxium juvaret, ſed fruſtrante niſu, decidit in terram & crus frangit. Inde in agrum vicinum ſiligineum ægrè prorepens, poſtero die iſtic ferme ſemianimis reperitur, & ex fuga reprehenditur. Thuro Erici ad matris ſuæ Gunilæ Erici Thuronis in Benhammer viduæ, probæ matronæ, tot ſupplices preces & lacrymas vitam ingenti vi pecuniæ redemit. In Senatorum ſupplicio affectorum locum Magnus Johannis, Benedictus Nicolai de Eka, & Jonas Nicolai de Hakeſtad ſuffecti ſunt. Iſto motu ſedato, non longè abfuit alius. Ut enim fluctus fluctum in mari ventis agitato, ita tumultus excipit tumultum in turbato ab ambitioſis & inqvietis ingeniis regni ſtatu, nec dum ſatis confirmato. Qvippe Thuro Johannis & Magnus epiſcopus Scarenſis in Dania contra legem pactorum Malmogienſium tolerabantur, & Weſtrogothiam per ſuos prædones, inprimis villam Matthæi Kafuel diripiebant: qvod pravis eorum conſiliis obſtitiſſet. At Guſtavus hoc ægrè tulit, & Fridericum regniq; Daniæ Senatum *de fœderis lege ex fide ſervanda, nec ferendis iſtic patriæ perfidis* commonefacit. *Si vellet pro amico facere, huc eos transmitteret: non ut vi, ſed lege cum illis ageretur.* Hoc Fridericus noluit, ſed interponere ſe & conciliare eos Regi obferebat. Verùm id Guſtavus recuſavit, Thuronis levitatem haud ignorans. Tandem tamen, ne Guſtavum prorſus offenderet, eos & unà Guſtavum Trolle ex regno ſuo proſcripſit. Illi dein Lubecam, & ibi non recepti, in Ducatum Mechlaburgicum profugerunt, ubi fidem publicam nacti, Sverini, Wiſmariæ & Roſtochii ſubinde verſabantur: donec ad Chriſtiernum confugerent. Ab eo ſe

patriæ

patriæ dignitati & fortunis ſuis beneficio auxilii, qvod à Carolo V. præſtolabatur, reſtitutum iri ſperabant. Sed fruſtra. Thuro ſæpe jactabat, ſi bis aut ter mille milites in expedito haberet, ſe totam occupaturum Svetiam ob partium in regno factiones, qvarum favorem ſibi pollicebatur. Interim Guſtavus Civitatem Holmenſem privilegiis ornat, ad urbis & commerciorum incrementa pertinentibus; qvæ poſtea à ſucceſſoribus vel mutata ſuis locis, vel aucta ſunt. Regis Daniæ Friderici filius Chriſtianus dux Holſatiæ cum agmine movet in Norvegiam ad electionem ſui ex jure regni hæreditario capeſſendam; qvamvis infecto negotio, dum loci præſul & alii ex Norvegicis obnitebantur. Inde fama circumfertur de Vikia ex occaſione armis à Chriſtiano occupanda, ſi amicè non liceret. Qva re Guſtavus etiam in procinctu fuit & cum inſtructis copiis in Weſtrogothiam conceſſit, non ignarus, mutuo metu hoſtes contineri. Nec qvicqvam hac vice tentatum. Poſtmodo miſſus à Friderico in Svetiam Jeſperus Brocmannus, regius Secretarius, de Vikia ex pacto Malmogienſi reſtituenda, & qvinqvaginta millium aureorum mulctatitia pecunia. Sed qvum rex Guſtavus de utroqve, ut anno ſuperiori, Legatis Danicis in conventu Ladoſienſi, reſpondiſſet, nihil ultra actum, ſed negotii deciſio in conventum Wardbergenſem dilata eſt. Circa finem hujus anni ſic ſævire cœpit transmarinus morbus, *Sudor Anglicus* dictus, qvod in iſto ſolo primùm ortus, inde vicinas oras ac Germaniam pervagatus, huc tandem qvoqve penetravit. Iſte morbus tam vehemens ac peſtilens erat, ut, dum qvis optimâ valetudine uti videbatur, improvisò invaderet eum frigidus ſudor. Qvo correptus, niſi ſtatim lectum peteret, & benè tectus, ita ut ne minima qvidem aura corpus ejus adflaret, ac inſomnis per viginti qvatuor horas virus exſudaret, intra duas aut tres horas extingveretur. In comitiis Upſalienſibus tractatum inter cætera eſt 1530
de reliqviis nominum aut debiti, qvibus Svetia nexa erat Germaniæ, inprimis Lubecæ, ſolvendis. Qvum verò iſtæc nomina & æs alienum ad univerſum regnū pertinerent, decretum eſt, ex ſingulis regni templis, qvæ qvatuor aut qvinq; æris campani nolas haberent, depromere maximæ proximam ad eorum ſolutionem: idq; cum minori populi onere & moleſtia fore, qvàm ſi ex proprio penſitare tributum neceſſe foret. Incolæ Vikiæ in Norvegia tumultuantes obtruncant aliqvot regis Guſtavi miniſtros, inſtinctu Danorū, ut putabant; qvod omni ſtudio ferrentur ad Vikiam qvocunq; modo recuperandam. Jacobo Crumio Vikiæ præfecto munus ſuum reſignanti ſubſtituitur Achatius Claudii. Qvo cum ita rex contraxit, ut ad arbitrarium tempus Vikia unà cum fructibus ejus & reditibus pro ſexcentis ſelibris argenti qvotannis ad diem Michaëlis pendendis frueretur, & ſimul inde aleret tot

milites, qvot opus eſſe crederet ad arcem loci Caroloburgam nomine Guſtavi tuendam. In conventu Wardbergenſi oratores Regis Guſtavi urgebant, ut antea, penſationem mulctæ & damni à Severino ex Gothlandia regno Svetiæ factâ pace dati, à Friderico rege Daniæ præſtandã; item tormentorum ad Blekingiam & Lyſtriam tempore pacis Svecis ademtorum, expenſarum in Norvegia factarum, & prædiorum in Dania Svecis propriorum reſtitutionem. De Gothlandia litis cognitionem & alia ex pacto Malmogienſi & Nyloſienſi ſuſcipi apud oratores Danos ſeriò contenderunt, hoc fructu, ut ſe obligarent Dani ſolennibus literis ad hæc pacta: *Ut Rex Guſtavus Vikiam, qvam Chriſtierno tyranno jure belli ademerat, cum adjunctis ejus poſſeſſionibus, ſalvis plebis & ordinis eqveſtris ordinario cenſu, jure, & privilegiis, à die S. Laurentii ad ſexennium adhuc teneret, eoqve elapſo ex fide reſtitueret Friderico regi Daniæ aut ejus ſucceſſori; ſublato, irrito & caſſo omni prætextu & poſtulatine pecuniæ mulctatitiæ aut reſtitutionis damni. Jus tamen de Gothlandia, ſi qvod haberent, Svedis integrum eſſet, usq; ad cauſæ cognitionem; ut & prædiorum in Dania & Norvegia ſitorum, qvotqvot eorum eſſent, recuperationem impetrandam. Incolume qvoqve fore & omni parte ratum fœdus pacis & mutui auxilii inter Reges Svetiæ & Daniæ.*

1531 Örebrogæ iterum in conventu Regis & Ordinum agebatur de una cujuslibet ædis campana, ut vulgo vocatur, ubi plures eſſent, maximæ proximâ, aut æſtimatione ejus præſtanda; ubi verò hæc non ſufficeret, illius anni decimis ſuppleretur ad creditæ pecuniæ adhuc reſiduæ ſolutionem. Exigendi hujus ſubſidii cauſa emiſſi ſunt viri moderati, regio mandato inſtructi: & à plerisqve lenitate & ratione perſvaſis obtinuerunt, qvod petitum venerant; exceptis qvibusdam Dalecarlis in Lixand, Alia & Gagnef; qvi à metallorum redemtoribus, qvos vulgò *montium viros* vocant, inſtigati, æris campani nolas unctas & conſecratas ad profanos, ut ſibi perſvadebant, uſus tradere religioni ducebant, & ſemet exactoribus earum opponebat, auctoribus præcipuis Magno Nicolai in Asboda, Andrea Petri in Rankhyttan, ante qvidem qvieto & fido, ſed nunc opibus & felicitate elato ac rebelli. Hi coacto agmine, duce Nicolao in Söderby, procuratores & exactores regios indignis modis & verberibus excipiebant. Incolas Tunæ, Torſenſis agri, vulgò Torsåker, Snåffningæ & Akerboæ qvoqve ſollicitabant ad parem motum. Regiam domum in Hedemora & Thuronis Erici prædium in Råfvelſtad diripiebant. Hoc qvum ad Regis aures acceddiſſet, duos modeſtos viros Stephanum Henrici Conſulem Upſalienſem, & Beronem Holmenſem miſit ad Dalecarlos cum poteſtate tractandi cum eis, & rectius eos hoc negotium ejusqve cauſas docendi.

cendi.

cendi. Sed paulò longius ad Hedemoram progreſſi, à ſexaginta militibus per Nicolaum in Söberby & Magnum Nicolai in Asboda emiſſis viaſqve paſſim obſervantibus intercepti fuiſſent, niſi aliâ ac tutiori viâ Holmiam rediiſſent. Ubi Regi illorum molitiones expoſuiſſent, *illis jam inſaniendi, ſed ſibi ſuo tempore vindicandi ſpatiũ fore*, reſpondit. Mox Upſaliæ comitia indicit animo cum civibus præſertim Dalecarlis & vicinis agitandi de turbis denuò apud eos ortis, & commodâ compeſcendi eas ratione. At ſeditioſi Dalecarli, præſertim ultra Longheediam colentes, non ſolùm non acceſſerunt, ſed contra, literis ad regni Ordines, datis ad Arbogenſem conventum ſub ultimi ſupplicii minis ſatis pro imperio eos convocarunt: *uti memores aviti fœderis & fraternitatis, in unum conſentirent, & de controverſiis religionis, demolitione templorum & cœnobiorum, & novis oneribus ſibi impoſitis prius communicarent, qvàm regiis juſſis ſatisfacere poſſent.* Sed Ordines regni præſertim Helſingi reſponderunt; *ſe qvidem meminiſſe fœderis & fraternitatis majorum, ſed pacis & qvietis publ. non turbarum cauſa factæ.* Hortantur eosdem *ad fidem regi integram ſervandam, & unà cum ipſis tolerandam collationem æris campani ad ſolutionem nominum regni perqvam neceſſarii; niſi bello cum exteris implicari, & mari occluſo præcipuis victus adjumentis carere velint. Si qvid offenſionis adverſus regis præfectos haberent, id jure, non tumultu, ſibi & patriæ noxio, perſeqverentur. Se verò nolle conventui iſti Arbogenſi, ut factionis incendio, intereſſe.* Sic iſte conventus, ſociis in diverſa tendentibus, diſſolutus eſt. Sed ad concionem Upſal. ſub dio in colle veteris Upſaliæ Rex verbis factis oſtendit: *Fidem eorum ferme in dubium apud ſe venire, & num pro amicis aut hoſtibus habere debeat, non ſatis certum eſſe, alio motu ſuper alium excitato.* Rogati porrò, cur ad conventum Arbogenſem invitati non comparuerint? *Sibi iſtic nihil negotii fuiſſe*, reſpondent. Inde cauſas exactionum nolarum illis exponit, nimirum, *ut fides regni tandem liberetur, reſiduum debitæ pecuniæ integrè perſolvatur, & incommoda longioris dilationis, à potentium creditorum impatientia, vi & bello metuenda declinetur. Se nihil inde in ſuos uſus verſurum, ſed per honeſtos viros liqvidam accepti ſolutiqve æris rationem redditurum. Qverenti verò Regi, cur in tam neceſſario negotio tam pervicaces & difficiles eſſent, non habebant, qvod jure obloqverentur.* Erant tamen, qvi ne qvidem à maledico ore ſibi temperarent. Inde Rex incenſus iræ, eqvum retorqvere, gladium ſtingere, & ſe non verbis more ignavorum, ſed armis adverſus rebelles certare, ſi non aliter velint, paratum oſtendens, ad pugnam & fortunæ periculum faciendum præſentes laceſſere. Qvamvis autem ad vim & arma, velut præſens iracundiæ & vindictæ refugi-

fugiū, decurrere,& eqveſtri agmine,qvo ſuccinctus erat,ſi caloris impetū & ſtrictæ ultionis occaſionem ſeqvi voluiſſet,iſtos rebelles circumfuſos occidione delere in proclivi fuiſſet: tamen animi ſui potens iræqve moderatus, ſupplici & deprecanti multitudini ignovit. Pleriqve verò ſaniores denuò ſe verbis & ſcriptis obſtringunt adverſus omnes ſalutis & qvietis pub. hoſtes, ad exſtirpationem alienæ perfidiæ & fidei ſuæ conſtantiam erga regem, & reſiduum imperati tributi ſolvendum. Rex, finitis comitiis, ſeditionem Dalecarlorum præcipuè factionis principum ita diſſimulabat, ut obliviſcenti, qvàm vindicaturo propior videretur. Sed ille dilatis ſeditioſis, rebellionis memoriam animo, pœnam occaſioni ſervabat; ut poſt biennium patuit. Ne tamen interim dilatio ſupplicii partium duces metu ſuſpenſos in deſperationem veniæ ſic adigeret, ut malum reipub. novum cuderent, ille omnibus proviſis ſedulò præcavebat. Dalecarli verò ſocietate facinoris, qvod plures eſſent, ſe tutos rati, hoc ſolùm in conſilio habebant, qvòd, dum in armis & excubiis erant, labores qvotidiani, qvibus ſibi ſuisqve victus qværendus erat, neglecti jacerent. Itaqve conſultare cœperunt de capeſſanda qviete, ſi Rex his conditionibus ſecum paciſci, privilegia eorum, & hæc duo præcipuè confirmare velit: *Ne tranſeat Brunsbēckum, ubi trajectus in interiores Dalecarlorum oras patet, ipſis inſciis & abſq; fide publica. Ne rex illis alios qvam ex ſua gente præfectos & judices præponat.* Leges pacis Regi tanqvam domini & auctores, non ut ipſi ſubjecti, imò rebellionis pœnam meriti, ponunt: ne qvid pudori reliqvum faceret inſolentia. Unde & factionis duces hæc ante tempus, tacitâ conſcientiâ ſuâ prædamnati, ad Regem eliminare vetant. Nihilominus tamen ſacerdos Tunenſis regi per literas patefacere, eumqve rogare, *ut Dalecarlis præfectum Ingellum Johannis in Gylla, iſtic natum, conſtitueret: ſic illis facilioribus uſurum.* Rex etiamſi tunc ſeverius cum illis agere jure potuiſſet, tamen de adventu Chriſtierni certior factus, indulget tempori: ſi forſan die & qviete ſanentur, qvi ratione non poterant; & ſimul illis deſideratum præfectum concedit, ſilentio transmiſſis cæteris, Rex Daniæ Fridericus miſit duas epiſtolas Regi Guſtavo, qvorum unam Thuro Johannis eqves, Guſtavus Trolle præſul olim Upſalienſis, & Magnus epiſcopus Scarenſis ad Chriſtiernum tyrannum profugi, ſcripſerant ad Johannem Andreæ epiſcopum Othonienſem, alteram ſolus Thuro Johannis dederat ad Petrum Lyckium præfectum Nyburgenſem, de recipiendo ſine ſangvine Chriſtierno in regnum Daniæ; qvum Cæſar & ejus fœderati

tenta-

tentarent copiis & armis ejus reſtitutionem promovere. Qvæ res etiam movebat Fridericum, ut auxilium maritimum ex lege fœderis à Guſtavo per Axelium Ugrupium peteret. Etſi hac tempeſtate ob motus inteſtinos & ſuſpectam fidem præſulis Norvegici, juſtæ copiæ domi habendæ eſſent; tamen, ſi qvid Chriſtiernum adverſus regnum Daniæ terra mariqve moliri certò conſtaret, in ipſius uſum auxilium fore paratum Guſtavus promiſit. His peractis Laurentius Petri Scholæ Upſalienſis rector, antiſtes Upſalienſis electus eſt, de eccleſia præclarè meritus. Proximâ æſtate Rex emiſit claſſem magnificè inſtructam cum aliqvot proceribus Laurentio Siggonis, Birgero Nicolai, Guſtavo Olai & aliis, & cum nobilibus aliqvot matronis ac virginibus, adductum huc ſponſam regis, Ducis Saxoniæ Magni filiam. Qvæ cum paulò ante feſtum Michaëlis cum illuſtri ſuo comitatu huc proſperè adveniſſet, Rex cum ea ſolennes nuptias ipſo die Michaelis celebravit. Circa idem tempus conſtitutio regia lata eſt de illicitis regni portubus; & qvomodo in licitis commercia exercenda ſint. Guſtavus Trolle corrogat ſuppetias à duce Megapolitano, Marchione Brandeburgenſi, & in Norvegia à Præſule & cæteris epiſcopis, qvas Chriſtierno transmittit. Chriſtiernus copiis & pecunia adjutus à Cæſare & Belgis, cum decem millium claſſe & comitibus Thurone Johannis & Magno Scarenſi epiſcopo ex Hollandia petit Norvegiam, hæc tria regna borealia recuperandi propoſito. Sed vix in altum provecto, tanta ex euro procella oborta eſt, ut per illam tota ejus claſſis adflicta diſſiparetur & elideretur, undecim ſolùm ſalvis. Cum his ingreſſus Norvegiam, ad ſe vocat Guſtavum Trolle ibi deliteſcentem, & in publicum literis edit: qvibus exponit adventum ejusqve cauſam de repetendis tribus ſuis regnis. Qvi ultrò ſe in fidem ejus dederant, illis præteritorum veniam & benevolentiam ſuam promittit, ſecus rebellibus. Ita in fidem ſuam cives Opsloæ accepit, & Sacramento adegit. Thuro Johannis primos Daniæ & Svetiæ ac Dalecarlos blandis ſuis literis, in melius flexum Chriſtierni animum, ſpem ſingularis ejus clementiæ & libertatis publicæ promittentibus, ad defectionem permovere neqvicqvam conabatur. In Vikiam Chriſtiernus cum mille ducentorum agmine movet, & Caroloburgum arcem obſidione cingit; qvam etſi Svetica præſidia ſtrenuè defenderent, tamen cæſo eorum duce Achatio Claudii, tandem expugnat & incendit. Ubi rex Guſtavus Chriſtierni ſucceſſum in Norvegia cognovit, Fridericum regem Daniæ literis admonuit de obviam properando Chriſtierni progreſſibus, & tutando Norvegos. Se pro virili ex pacto fœderis ſuccurſurum. Ita Rex Laurentio Siggonis,

Holgero Caroli, & Canuto Andreæ ductoribus pedeſtres & eqveſtres copias Oſtrogothorum & Weſtrogothorum Ladoſiam expedivit: ut Weſtrogothiæ adverſus vim hoſtis præſidio eſſent. Jacobus Weſtrogothus & Petrus Johannis cum agmine ad Dalios obſervandos &, ſi qvid moverent, reprimendos emiſſi ſunt. Tordo Petri & Olaus Martini cum juſtis copiis Helſingiæ præſidio mittebantur. Rex Laurentium Siggonis per literas monebat, *ut omni ratione prudenter & circumſpectè ageret, ne inopinato hoſtis ſuperventu opprimeretur. Ut re communicatâ cum Danis, intentus eſſet eorum conſiliis & molitionibus. Se mirari, cur Chriſtierni fortunam in Norvegia tam ſecurè contemnerent. Qvare ſe nolle ſua agmina magis qvàm Danorum in diſcrimen adduci. Temeritatis eſſe, cum hoſte manus conſerere, ſi opportunitas non alliciat, aut vires noſtræ ei pares non ſint. Si verò Dani ſeriò in hoſtem adverſum ire & ſigna conferre velint, ſe qvoqve ut fœderatum deceat, ſuis partibus haud de-*
1532 *futurum.* Luſtratas Arbogiæ Uplandorum, Weſtmannorum, Sudermannorum copias rex Weſtrogothis auxilio miſit, hortatus, *ut militem ultrò reciperent, & commeatu juvarent. Præſtare enim illos ad tempus alere, qvi ipſos contra vim hoſtis tutaturi eſſent, qvam hoſtili deprædationi omnia exponere.* Legatus ex Daniâ Chriſtophorus Othonius nomine ſui regis auxilium contra Chriſtierni incurſiones à Guſtavo ex fœdere deſiderat ac impetrat. Uterqve Rex ſuos & vicinos in fide confirmant. Guſtavus autem duos Legatos in Daniam mittit Petrum Hård, & Svenonem epiſcopum Scarenſem, cum hoc mandato: *Ut Regi & Senatui Daniæ ob oculos ponerent periculi à Chriſtierno tribus regnis intentati magnitudinem: qvæ ſecuritatem & remiſſas manus non ferat. Qva occaſione tam facile in Norvegiam ſit admiſſus, ſe ulterius doceri cupere. Non ſe videre cauſam juſtam, cur Guſtavus Trolle in Norvegia tamdiu à Friderico toleratus ſit, & nomine Chriſtierni cum populo iſtius regni agendi licentiam habuerit; præſertim cum epiſcopis loci, qvi non parum ſuis & eccleſiæ opibus tyrannum ſublevarint, qvod proceres qvosdam Daniæ, non ſolùm Svetiæ, inſidioſis literis impune corruperit, & ad Chriſtierni partes traduxerit. Præterqvam qvod cum Germanicis qvibusdam Principibus & civitatibus de modo ipſum in horum regnorum ſedem & poſſeſſionem reſtituendi convenerit; ſibi mirum accidere, cur Fridericus, auditis his molitionibus Chriſtierni, & amicorum ejus, non ſtatim expediverit agmina in Norvegiam, ad prævertendos Chriſtierni conatus & impreſſiones. Si verò nunc occupatâ à tyranno Norvegiâ Danicæ copiæ proximo demum vere eſſent adverſus Chriſtiernum mittendæ, periculum fore, ne vires interim hoſtiles cum exiguo Norvegorum emolumento corroborentur. Sibi utiqve in tanto diſcrimine non cunctandum videri. Qvod ulterius illis cogitandum*

& unà

& unà cum ſuis deliberandum relinqvat. Si verò non deſtiturum ſuâ ope, copiis & impenſis Fridericum, nec pro illis arces, aut terras mercedis loco poſcere, veluti nec Fridericus idem vellet. Se jam Ladoſiam transmiſiſſe ſuum exercitum, ubi reſponſum & ſuppetias exſpectet. Abſente Friderico rege in Holſatia, Senatus Danicus conſultavit cum legatis Sveticis de viribus terra mariqve ad exigendum Norvegiâ Chriſtiernum conjungendis. qvæ tamen tardius proceſſere. Peditum agmen ſub tribuno Gulielmo Svedis ad Ladoſiam auxilio mittebant; qvod tamen hoſte ne qvidem conſpecto, mox receſſit, haud absqve populatione. Exercitus eqveſtris Sveonum trium millium benè inſtructus excurſionem fecit Ladoſiâ Hiſingiam, in hoſtem rectà iturus. Poſtqvam Chriſtiernus, qvi tunc Kongellæ tendebat, eos contemplatus eſt, ad Thuronem Johannis converſus: *Tu me profectò*, inqvit, *egregiè circumveniſti, negans ullum in Svetia eqvitatum eſſe. Qvinam ergò hi ſunt? num muliebre agmen?* Itaqve tam graviter ea re offenſus eſt Chriſtiernus, ut poſtero die primo mane Thuro Kongellæ in viam abjectus amputato capite reperiretur: & mali conſultoris, ſed pejoris patriæ proditoris condignam mercedem ab ipſo hoſte ferret. Adverſus Svedos miles hoſtilis egreſſus, viribus inferior, ſed loci beneficio & arte ſuperior fuit. Qvippe dux hoſtilis agminis loci peritior, qvam Svedi, ipſos qvoqve animoſius qvàm cautius impetum in agmen hoſtile facientes, in amnem glacie, ſed ob rapidum aqvæ curſum minus firmâ concretum elicit: in qva pars eqvitum merſi, pars vertentes terga, cum per objectum fretum ulterior in hoſtem non pateret progreſſus, excepti ab hoſte tormentis, cladem qve, non tamen inulti, paſſi ſunt. Dum enim Chriſtiernus prope Bahuſiam in parœcia Skiplandiæ caſtra metatur ad commeatum ſuis copiis curandum, qvi jam deficere cæperat, Sveones ipſis intercludunt commeatum, aut advehentes eundem vel inqvirentes, hoſtem velitationibus aut capiendo obvios ita atterunt, ut pauci ſupereſſent, ac ſuperſtites fame contabeſcerent. Idcircò inde caſtra movens Aslojam, vix duo millia in exercitu numeravit. Guſtavus autem literis exprobrat Friderico, *qvod tam remiſsè opem ſibi tuliſſet. Si ſeriò manum auxiliarem præſtare ſibi voluiſſet, jam debellatum fore Chriſtiernum.* Hac re motus Fridericus claſſem aliqvot navium Danicarum & Lubecenſium adverſus hoſtem emiſit, ad opitulandum Magno Gyllenſtiern præfecto arcis Akerhuſiæ, qvæ ab hoſte circumſeſſa erat. Hæ optimas naves qvinqve Chriſtierno, virtute & induſtria Friderici Brunii Lubecenſis præfecti eripuerunt. Qvod qvum Guſtavus ex relatione Axelii Julii regii Secretarii ex Dania huc miſſi comperiſſet, læto

gratoqve animo accepit, & deſideranti Friderico navem prætoriam & claſſem ſuam ſubſidio promiſit, ſimul ac armis neceſſariis inſtructa eſſet. In conventum inſuper Hafnienſem operam & legatos ſuos condicit. De Wikia pro mille ducentis aureis Friderico cedenda, cum præfecto Bahuſiæ Claudio tranſigit. Jemptiis hoc petentibus rex ſuppetias mittit agmen ſelectorum militum, tribuno Petro Nicolai, & ſimul eos hortatur ad conſtantem erga Fridericum regem fidem, ſi ipſius amicitia & libero in Helſingia commercio frui velint. Rex Fridericus & Vandalicæ civitates iterum adverſus Chriſtiernum claſſem inſtructiſſimam armarant ducibus Canuto electo epiſcopo Othonienſi & Erico Gyllenſtiern & Reinholdo Heidenſtorpio Germanorum militum tribuno, qvæ appulſa in ſinum Asloënſem, igne in claſſem Chriſtierni immiſſo, totam incendio perdit. Inde qvum jam ferme conclamatæ eſſent res Chriſtierni, & commeatus inopiâ utrimqve laboraretur; legati ex caſtris Danicis ad Fridericum regem mittuntur, qvi qvo loco & fortuna res eſſent, regi exponerent, & nova mandata ab eo acciperent. Dum legati abſunt, Canutus Gyllenſtiern & ſocii in colloqvium, qvod expetiverat, cum hoſte deſcendunt, & regis Friderici nomine pollicentur ei fidem publicam; ut armis poſitis ipſe coram cum Friderico patruo de conditionibus pacis ageret; & transactione forſan exitum non habiturâ, tutò rediret in Norvegiam aut Germaniam. Sed cum acceſſiſſet in Daniam, poſt qvinqve dierum ſpatium abducitur Hafnia Sunderburgum Holſatiæ arcem, ubi per viginti ſeptem annos cuſtodiâ detentus, in eadem tandem deceſſit: de qvibus in vita Chriſtierni, & hiſtoriæ Danicæ ſcriptores plura. Guſtavus hanc transactionem non æqvo ferebat animo, qvippe *ſe inſcio & imprudente contra fœderis leges factam,* de qva re ad Fridericum ſcripſit; & ſimul *de toleratis in Norvegia Guſtavo Trolle & Magno Scarenſi epiſcopo, manifeſtis Svetiæ perduellibus. Eos ſibi transmitti cupit juri ſiſtendos, vel iſtic includi: ne in perfidis molitionibus adverſus patriam impune graſſarentur. Qvamvis enim cuſtodiæ in Norvegia traderentur, mox tamen dimiſſos & in Dania iterum verſatos, melius qvam digni eſſent, in libera cuſtodia & gratuito victu haberi.* Itaqve rex Guſtavus indignante animo cum rege Friderico & Senatu Danico expoſtulavit, *hanc ignominiam ſibi pro labore, auxilio & impenſis præſtitis in debellando unà Chriſtierno illatam. Nec eſſe qvod Magni epiſcopi Scarenſis inſidias ſimplicitatem interpretarentur, & vulpi veſtem ovillam induerent: qvum ſatis per ſe noſceretur. Vel ſibi dederent iſtos perduelles, vel ipſi plecterent.* Sed Fridericus ex Daniâ dimiſit, qvò vellent abituros. Sic illi ad Albertum Ducem Mechlaburgicum aliosqve infen-

infenſos hoſtes Svetiæ ſe receperunt, perfidis uſi non ſolùm adverſus Guſtavum, ſed & Fridericum animis. In colloqvio, qvod Guſtavus Svetiæ & Fridericus Daniæ reges, ut & Vandalicæ civitates per ſuos oratores de ope maritima Chriſtierno ab Hollandis lata, ejusqve rei compoſitione Hafniæ & deinceps Amſtelodami inſtituerunt, ſuo pro ſe qvisqve honori, ut ſolet, æſtimationi damni dati & ſecuritati conſuluerunt. Armorum inſpectio- 1533
ne & delectu virorum Arhoſiæ facto, rex clam habet, qvo agmina ducturus ſit, ut ſolus arcani conſcius imparatos invadat; & ſe præeuntem ſeqvi jubet. Qvum demum appropinqvarent Montanis, ducibus & tribunis, ut parati eſſent, aperit; *ſe rebellium toties Dalecarlorum effrænatam inſolentiam aliqvando compreſſurum: ne mali labes ad plures manaret.* Rex ſimulac advenit, Andream Petri in prædio ſuo Rankhylliano ſtatim comprehendi curavit, & inde Magnum Nicolai in Asboda, carbonariis ſuis tabernis, in qvas confugerat, extractum. Ita ducibus nudatam plebem ex Tuna, Lixanda, Mora & alia nolentem volentem, & unà presbyterum in Lixanda Petrum, Edvardum in Cuprimontanis & Petrum in Wika, qvi cum Magno Nicolai conjurarant, adeſſe jubet, & milite circumdatos, per ſuos amicos Laurentium Siggonis, Ivarum Flemmingum & Joannem Olai in Haakeſtad, ſeverè compellat. Maximam tamen partem Rex ipſe ſeverè alloqvitur, percunctatus: *Num meminiſſent pacti ante ſexennium cum ipſo initi, & qvam prompta fide illud adfirmaſſent, tam malè ſervaſſent. Qvamdiu ipſum pro ludo habere velint? Sed nunc finem ejus fore. Se malle nullos, qvàm immorigeros cives, & provinciam incolis vacuam, tectis ſolo æqvatis, qvàm hoſtilem; aut ſe ita repurgaturum, ut ne canis qvidem & gallinaceus relinqvatur.* Mox rogat eos, *ubi profectionis terminos ipſi definituri ſint, an ad Brunebeckum, uti Magnus Nicolai & ejus ſocii vellent, an alibi? num Regi non liceat tranſire Brunebeckum, niſi prius ab illis veniam ac fidem publicam emendicaverit? num qvis nobilium vel plebejorum unqvam fando audiverit, in hoc vel alio qvoqvam regno conſvetudine vel uſu receptum, aut populos tam projecto pudore fuiſſe, ut ad ſuum ingenium & arbitrium in ordinem cogerent regem & dominum ſuum; eiqve legem de modo & terminis itineris dicerent, cui jurata fide & reverentiâ ſint obſtricti, velut hi jam conarentur.* Omnes reſpondere: *Nihil abſurdius eſſe, qvàm Regi ſubjectos Regi deſignare limites itineris in ſuo regno, & legem fidei pub.* Sed qvid cauſæ fuerit, inſtat Rex percunctando, *qvod Steno ſenior & junior & Svanto Sturii nunqvam auſi fuerint tranſire Brunebeckum, niſi ex pacto & præſcripto, atqve impetrato à Mon-*

tanis libero commeatu? Illi ſubjecere, *in cauſa fuiſſe ſuſpicionem, proterviam & inſolentiam rebellium Ultramontanorum adverſus legitimum ſuum magiſtratum, & divini ordis contemtum.* Hanc autem inſolentiam, ferociam & licentiam illis pepererant opes & potentia ex metallicis fructibus. Juſſi profiteri auctores ſeditionis, nominarunt Magnum Nicolai, Andream Petri, Nicolaum Söderbyenſem, Ingellum Johannis. Illi accuſantur & capitis damnantur, bonis eorum publicatis: qvæ tamen illorum hæredibus Rex iterum ex clementiâ conceſſit. Reliqvæ promiſcuæ multitudini, qvæ ſupplex veniam delicti rogabat & ad ſaniorem mentem ſe redituram pollicebatur, gratia facinoris facta eſt, ita tamen, ut qvæ opibus metallicis & privilegiis inſolentior reddita eſſet, æqvali deinde cum cæteris regni civibus conditione eſſe, & omnia ſubjectionis officia Regi præſtare cogeretur. His motibus domi ſedatis, foris novi à Lubecenſibus orti ſunt, qvi cum fœderatis civitatibus mare viginti qvatuor navium claſſe infeſtabant, ad prohibendum Belgis in mare Balthicum & regna Septentrionalia antea inſolitas nunc freqventes navigationes, ipſorum & aliarum Vandalicarum civitatum commodis, ut expoſtulabant, haud parum adverſas. Iſti claſſi præpoſuerant Marcum Meierum, qvi ex humili loco (faber enim ferrarius Hamburgi antea fuerat) poſtea militiam ſecutus, & ſuis artibus emergens Lubecæ conſul tandem factus eſt. Hujus favore & conſilio Georgius Wollenweber, paulò ante ſenator, & intra menſem conſul ac collega ei additus eſt. Hi duo, homines audaces, rerum appetentes, pravè facundi, rempub. pro ſuo arbitrio, ſpretâ ſenatus auctoritate, Lubecæ adminiſtrantes, huc ſuos ablegabant, qvi à Guſtavo auxilia contra Belgas deſiderarent, vigore privilegiorum ante decennium illis à Guſtavo datorum (de qvibus ſup. ad annum MDXXIII.) & inter illa hujus qvoqve: *ne alii exteræ nationi, qvàm Lubecenſibus in Svetia mercaturam facere liceret.* Aſſeverabant inſuper, Regem Daniæ qvoqve in ſocietatem hujus belli venturum, ut ante annum illis promiſerant, ſed non præſtiterant Dani, interventu mortis Regis Friderici. Cæterum qvum Guſtavus jam ex fœdere cum Hollandis facto (de qvo ſup. ad annum MDXXVI.) Hollandos, ex cauſis ibidem allatis, in regnum ſuum navigantes & commercia exercentes admiſiſſet, nec ſi in Balthicum fretum à Danis intromitterentur, à ſe repelli poſſe, oſtenderet, illis auxilia denegavit. Inde conſul Wollenweber cum aliis ſuis ſociis nimis inconſultâ & ſuperbâ voce jactavit: *Seſe velut Guſtavum ad regni faſtigium extuliſſent, ita vicisſim inde deturbaturos eſſe.* Tantam eorum inſolentiam Rex amplius ferre non potuit, qvæ non ſolùm gravem regiæ famæ

ac ho-

ac honoris obtrectationem, ſed etiam inſidias præ ſe ferebat. Qvin cœleſtis providentiæ auſpicia, Guſtavianæ virtutis merita, & conſentientia Svedorum ſuffragia in creato rege, inſolentes iſti homines poſthabentes & qvaſi proculcantes, ſibi regii faſtigii fortunam & arbitrium, inuſitato faſtu, ex ope Guſtavo, nondum regi, qvondam in anguſtiis ejus latâ, arrogabant; ideò Rex illos hoſtium loco habuit. Et qvid mirum? qvum Principes juxta cum vitâ, niſi ſupra eam, æſtiment famam ac dignitatis ſuæ incolumitatem: qvod ea non ſolùm ad ipſos, ſed etiam rempublicam, qvam adminiſtrant, pertineat. Qvotqvot Lubecenſium hîc in regno negociabantur, cuſtodiæ tradi, merces eorum omnemqve immunitatem, qvam maledico ore corruperant, Rex eis adimi juſſit. Hoc iſtius Thraſonis Wollenweberi & qvicunqve alii cum eo faciebant, intemperantia lingvæ & faſtus efficiebat. Manifeſto exemplo, ut uno vel paucis prudentibus & moderatis rectoribus tota civitas fruitur; ita unum vel paucos ſtolidos & feroces, ſi ad clavum ſedeant & auctoritate præpolleant, toti civitati detrimento & calamitati eſſe: qvod etiam præſentia & ſeqventia tempora plus ſatis docuerunt. Qvamvis autem Lubecenſes naves & merces Sveonum in urbe ſua qvoqve detinuiſſent; tamen Guſtavus poſtea captivos hîc Lubecenſes, à culpa ſe purgantes, dimiſit. Sed qvum poſt emotum dignitate Wollenweberum, præcipuæ culpæ reum, Lubecenſes privilegiorum ſuorum reſtitutionem ſedulo urgerent; & ad controverſiam inter Regem & ipſos, ſive jure ſive per arbitros finiendam, ultrò ſe offerrent; tamen *immunitates ſuas difficilimis temporibus obtentas, nunc verò ab ipſis malè uſurpatas, à ſe & ſuis non amplius indulgeri tolerariq; poſſe*, Rex contendebat. in qvo etiam tenax propoſiti perſeverare pergit; *etiamſi meritis ſuis iſta privilegia deberi, regererent. Pro qvibuscunq; enim ſubſidiis ſibi à civitate ſupeditatis, ei ſufficienti ſolutione ſatisfactum eſſe*, Rex reſpondebat, *ſuppreſſâ etiam ab Hermanno Iſraele octo millium & octoginta marcarum ſummâ; etſi ignaris creditoribus: qvum in accepti tabulas relata non eſſet. Item ſibi potius gratias deberi à Lubecenſibus, qvod toties eis non absqve ſuo diſcrimine, & cum proprii commodi neglectu ſuccurriſſet in occupatione Bornholmiæ, qvam ad tempus bene longum ipſi poſſediſſent; in expugnatione & direptione Helſingôræ; in bello contra Severinum Norbyum, communem utriqve tunc hoſtem. Sed qvid detrimenti attulerint ei Lubecenſes in bello Gothlandico, ſatis in comperto eſſe. Ejus damni ſe potuiſſe expertem eſſe, ſi miſſis factis Lubecenſibus opes & vires militares in regni uſum impendiſſet.* Gliſcentibus hinc inter Guſtavum & Lubecenſes odiis, Johannem Comitem ab Hoia, principem regis amicum & affinem per Hermannum Mõllerum à rege Guſtavo in ſuas partes adduxerunt

runt. Qvum ille obtentu diuturnæ febris curandæ ſe Revaliam iturum ſimulaſſet, ſecedit Lubecam, & fruſtra revocante Guſtavo, dux copiarum Lubecenſium conſtitutus eſt. Sed & conſilio Marci Mejeri, Svanto, Stenonis Junioris, regni qvondam Gubernatoris filius, in aula Magni Ducis Saxoniæ uſus civilis cauſa tunc vitam degens, dolo interceptus, Lubecam abducitur: prætexto, qvod uti Guſtavus cives Lubecenſes eorumqve miniſtros Holmiæ in vincula condidiſſet, & facultatibus mulctaſſet, ita Lubecenſes, ubicunqve poſſent, qvemcunqve Svedum apprehenſuros. Svantonem verò facile inductum iri ſibi perſvadebant, ut more levium juvenũ, qvibus natura profundit cupiditates, & in magna fortuna natorum, nec minorem qvibuscunqve artibus appetentium, promtis Lubecenſium opibus adjutus, ſpe regni Svediæ, qvod ipſius pater & avus olim tenuiſſent, in Guſtavum & patriam hoſtis eſſet. Itaqve ſubornatus à Mejero civis Lubecenſis nomine Ludenius Møllerus, ad Svantonem ſub amici perſonâ venit, & læto nuncio eum exhilaraturus, Claudium Biſterfeldium conſulem Nycopenſem, qvi nuper ex Svedia adveniſſet, à matre ad ipſum literas, eqvos, nummos habere, ejusqve adventum Mollæ opperiri ſignificavit. Simul, ne qva inſidiarum ſuſpicio in Ducis Magni animo ſuboriretur, ab eo petit liberi itineris literas ad Guſtavum Regem in Svediam, qvò ſe propediem cogitare dicebat. Svanto facile credulus, præſertim deſiderio & fide eorum, qvæ ipſe à matre expetiverat, it Mollam. Sed ibi nullum à matre nuncium, nullus tabellas reperit. Poſt paucos dies intempeſtâ nocte Meierus & Møllerus acceſſere, turmâ eqvitum comitati. Seqventi mane fingunt nuncium adveniſſe, & multis blanditiis atqve ingentium honorum pollicitationibus illicere juvenem tentant, ut Lubecenſibus obſeqvatur. Qvod cum nollet, invitum Lubecam abducunt. Dum ibi attinetur, illi literas ſuo & Svantonis nomine & adulterino ejus ſigno impreſſas, qvod ille neſciebat, ad nonnullos, qvos ſperabant rerum novarum cupidos, in Svediam ſcribunt; conſilio, etſi irrito, ciendi contra Guſtavum motus. Tandem qvum Svanto, ad recta eductus, nullis artibus aut promiſſis à fide erga Guſtavum dimoveri poſſet, & qvamprimum dimitti, vel cauſas detentionis ſuæ doceri cuperet, reſponſum accepit, ſe non Lubecenſium ſed Meieri & Mølleri captivum fuiſſe. Juſſus ipſis ſcripto cavere de non expoſtulando aut vindicando hanc injuriam, amicorum ſvaſu hoc ipſis denegavit, adfirmantibus ſe eorum captivum non fuiſſe. Sic ipſi integrum fecere, qvò ſibi placeret, abire. Atqve ille recta Leoburgum ad Magnum Ducem rediit. Hoc anno exeunte dies Luciæ vel

vel XIII. Decembris Ericum principem, primum Guſtavi filium, difficili matris per triduum nixu, in lucem dedit. Regius medicus, qvi etiam aſtrologus erat, qvum in reginæ cubiculi atrio inveſtigaſſet, ecqvid procederet partio, & reſponſum tuliſſet, nondum enixam eſſe reginam, cum doloribus luctantem, *Ergò*, inqvit, *omnes precemini DEUM, ne illud in hoc temporis articulo fiat; ſi enim nunc in lucem edatur, infelici ſidere naſcetur, & vobis totiqve regno doloris filius evadet.* Vix effato medico, naſcitur infans & acerbè flere auditur. Qvidam volunt etiam in utero materno ſemel lacrymaſſe. Sanè utramqve ejus manum clauſam ſangvinem tuliſſe conſtat, certo cruenti qvondam ejus imperii omine, à matre etiam prædicto. De natalibus tamen ejus multum ſibi gratulabatur regnum, qvod certo ſucceſſore, & ſi bene educaretur, meliori ſpe imperii; pravæ aliorum molitiones adverſus regem ſupprimerentur & qvieſcerent. Ex Dania Legati Trudo Ulfſtrandius, Nicolaus Lungius & Axelius Julius cum Guſtavo & regno Svetiæ nomine Senatus & regni Danici fœdus mutui auxilii adverſus communes hoſtes pacis & commerciorum initum venerant. Rex Guſtavus & Ordines regni illud ultrò approbarunt, & mutuæ amicitiæ, fidæ vicinitatis conſervandæ & ſtatus publici amplificandi cauſa feliciter pepigerunt. Qvod cum anno M D XXXVII. inter Guſtavum Regem Svetiæ & Chriſtianum Regem Daniæ, nonnullis mutatis, renovatum ſit, eò referri ſatius erit. Actum eſt & confirmatum eodem tempore de jure & reſtitutione prædiorum, qvæ Nobiles Sveci in Dania aut Norvegia adhuc poſſiderent, ſed à Rege Johanne ad Nobiles Danos alienata & translata eſſent, à duodecim arbitris cognoſcenda & abſqve mora determinanda; interim fructus illorum in fide ſeqveſtra eſſent. Actum inſuper & decretum de bonis naufragis in alterutro horum regnorum, & navibus recipiendis pro æqva extractionis & ſervationis mercede. Qvum rex ſatis edoctus eſſet de Lubecenſium literis ad Comitem ab Hoia Johannem datis, & qvomodo ſuis eum adverſus Guſtavum regem machinationibus involvere cogitarent, Rex ab eis ſeriò Comitem avocare conatus, ſub fide publica & amicitiæ redintegrandæ ſpe huc reverti monet. Ille verò ſurdus ad hæc monita, cum uxore & liberis abſqve regis venia excedens Wiburgo Revaliam, ubi reliqvit ſuos, inde Lubecam abit, prætexto, qvaſi anno milleſimo qvingenteſimo vigeſimo nono fidem ſuam tunc, ad Lubecenſes Legatus, interpoſuiſſet; niſi ad dictos dies æs alienum penderetur, cum triginta eqvitibus ſe illis militaturum, donec

1534 (margin, beside "Ex Dania Legati")

omne debitum eſſet exſolutum: Sed hic merus erat fucus: qvum hoc tempore jam ſatisfactum eſſet Lubecenſibus. Aut, ſi nondum plenè ſatisfactum fuiſſet, tamen adſtrictiori nexu juratæ prius fidei Comes obligatus erat regi Guſtavo & regno Svetiæ, qvàm Lubecenſibus; nec implere poſterius promiſſum, ſi tale fuiſſet, inconſulto & invito Rege, poterat. Itaqve qvum meliora ſibi de eo non polliceretur Rex, arcem Wiburgum ab Erico Flemmingio & Nicolao Grabbio juſtis copiis obſideri & expugnari jubet. Cujus tamen Johannes Gerſtenbergius ultrò deditionem mox facit. Qvum Senatus regni Daniæ Guſtavo regi operam ſuam obtuliſſet ad amicam compoſitionem inter ipſum & Lubecenſes, ſi vellet; hanc conditionem Rex accepit, miſſis in Daniam legatis ſuis Guſtavo Olai in Torpa & Johanne Olai in Hakeſtad, pleno mandato inſtructis, modò in Dania, vel alio loco qvàm Lubecæ tractatio ſuſciperetur; nec ipſi fraudi eſſet pax domus Burgundicæ cum regno Daniæ & Norvegiæ, Ducatu Holſatiæ & Lubecenſibus facta, qva ipſe excluſus erat. Qvum Lubecenſes vocati in Daniam non adeſſent, ſed protracto tempore arma pararent contra Danos, legati re infecta domum redierunt. At Lubecenſes, lecto ſibi duce Chriſtophoro Comite Oldenburgico, cum qvatuor mille peditum & ſexcentis eqvitum armis invadunt Holſatiam, nullo indicto bello: qvum Comes paulò ante ſcriptum publicaſſet de hac expeditioue ſuſcepta ad liberandum ſobrinum ſuum regem Chriſtiernum cuſtodiâ, & regno reſtituendum. Lubecenſes etiam in animo habebant adoriri mari regnum Svetiæ; & abſq; omni belli indictione. Literis tamen pub. ad omnes Civitates Anſeaticas editis, graviter expoſtulabant de rege Guſtavo: qvod per eum non liceret privilegiis & immunitatibus ſuis in hoc regno frui, ideoq; vellent fœderis ſocios ſuperſedere advectione rerum neceſſariarum in Svetiam. His cognitis Rex, ne præverteretur, arma adverſus eos terra mariqve adornabat. Convenit etiam inter regem, Senatum regni & nobiles de claſſe aliqvot navium & celocibus in belli uſum ſua impenſa parandis. Prompti enim erant patriam adverſus vim hoſtilem ſuis etiam opibus tutari; aliosqve exemplo ſuo incitare. Senatus & Ordo eqveſtris in Uplandia navem centum qvinqvaginta amphorarum, benè inſtructam expedivit. Idem in Finlandia & Weſtrogothia factitatum. Subitâ irruptione in Holſatiam occuparunt hoſtes Eutinum epiſcopi arcem, Tritoviam & Billenam fluvium & Plônam oppidum. Inde Segeburgum, præcipuum Holſatiæ munimentum, diripiunt, & ad Dravi oſtium excurrentes in Daniam trajiciunt, invaduntq; Môonam, exurunt & ſpoliant prædia nobilium, & occupant Sialandiam, Fioniam, Lalandiam, Falſtriam &

alia

alia loca: qvo tempore Bernhardus Mylius in partibus Lubecenſium erat, Cives Malmogienſes mira inſolentia, inſtinctu Georgii Mynteri conſulis, capto Magno Gyllenſtiern arcis præfecto, ſolo æqvant arcem. Trudonem Gregorii & Claudium Podebuſch regni Danici Senatores Hafnia Malmogiam venientes, & harum rerum ignaros, in novem hebdomadarum captivitatem abſtrahunt. Chriſtophorus Comes cum claſſe Lubecenſium petit Roſcildiam: ubi Georgius Cocus ex urbe Malmogia cum centū eqvitibus Comitis partibus accedit. Ibidem cives, ne diriperet urbem, ſacramentum dicunt Comiti; qvi Guſtavum Trolle donat epiſcopatu Roſcildenſi. Qvum verò Lubecenſium naves in anchoris ſtarent ad Helſingōram, prohibendi tranſitus ex Scania in Sialandiam cauſa, & poſteà in Hafniam exſcenderent in ſolum, Chriſtianus Dux Holſatiæ & Senatus Daniæ ſedulò auxilia petierunt à Guſtavo Rege adverſus Comitem Oldenburgenſem, Lubecenſes eorumq; ſocios. Rex, ut fidus amicus, Chriſtiano affini ſuo ex lege fœderis opitulatur, & abſq; mora qvatuor alas eqvitum & qvatuor ſigna peditum Nicolao Olai & Nicolao Boethio ducibus in Daniam auxilio mittit, unà cum decem navium claſſe, præfecto ejus Arvido Trolle, qvi non levem cladem inferunt Lubecenſibus in ſinu Revalienſi. Suis etiam literis Rex Hallandos, Scanios, Sialandos, Blekingios & Hafnienſes ad fidem erga Chriſtianum conſtanter tuendam hortatur. Sed qvum Hafniam, poſt octidui oppugnationem à Johanne Urn præfecto, Chriſtophorus Comes & Lubecenſes in deditionē accepiſſent, irrito negotio, magnisq; impenſis fruſtra factis, Guſtavi agmina domum remiſſa ſunt. Mox Comes Sialandiâ totâ absq; difficiliori negotio potitus eſt, qvum caput provinciæ cepiſſet. Hinc in Scaniam traducto exercitu hanc qvoq; in fidem ſuam Chriſtierni ſuoq; nomine cogit. Qvin ſe pro rege acceptare, compellit. Qvod Guſtavus indignè ferens, Eqveſtrem ordinem in Jutia & Fyonia literis admonet fidei Chriſtiano Duci Holſatiæ de facta electione debitæ, nec minus admiratur ſubitam nec ſumma neceſſitate extortam deditionem arcium & urbium in Sialandia & Scania. Chriſtianum verò confirmat de auxilio prima tutaqve occaſione tàm in nummis, qvàm copiis ſub cautione, & ne ſe inſcio ac præterito pacem cum hoſte faciat, præſtando. Qvod etiam, qvum hortatu Guſtavi Jutia & Fyonia jurata fide regem Chriſtianum deſignaſſent, Guſtavus ipſa re præſtitit, Tretorio pecuniæ acceptandæ cauſa huc miſſo, & verè certum amicum in rebus Chriſtiani incertis & ancipitibus ſe præbuit. Copias etiam bis mille eqvitum & ſexcentorum peditum ducibus & præfectis Johanne Turonis, Laurentio Siggonis, Holgero Caroli, Carolo Erici, Petro Duro, Birgero Nicolai &

 Turone

Turone Trollio ipſi ſuppetias miſit. Dum Oldenburgicus amori & voluptati ſe tradit, rerum belli ſecurus; qvod commutationis fortunæ prævium argumentum erat; Sveci totam Hallandiam & Scaniam ſtrenuâ manu in gratiam Chriſtiani occupabant, exceptis Malmogiâ & Landscrona, qvas hoſtis adhuc tenebat. Interim rex Guſtavus firmatum ivit copias in Scania. Qvum autem ejus amici Bernhardus Dux Mechelburgicus & Albertus Dux Pruſſiæ ſæpe ſuis literis & legatis ſollicitaſſent Regem ad auxilia maritima & naves Chriſtiano mittendas; eiqve ſpem feciſſent de nautis, ſociis navalibus, militibus & viris belli maritimi peritis, ejus claſſi ſubminiſtrandis, Rex expedivit hac ſpe, licet irritâ, claſſem. Sed vix altum ingreſſa, ingenti tempeſtate percellitur, & paſſim ſpargitur. Ivarus Flemming ſuis recollectis enavigat in Pomeraniam cum tabellis & mandatis Regis ad Ducem Mechelburgicum, ſed Ericum, navarchum ad littus Pruſſicum adverſâ tempeſtate delatum petere liberum commeatum à Dantiſcanis & ibi exponere merces, reficere naves, ſibiq; occurrere jubet. Impetratis liberi itineris literis per Petrum Petri, ſub conditione de nullo intra Gedanenſium oras maritimas infeſtando; qvod neſcius, aut neglectui habens Ericus, in ſinu Dantiſcano qvatuor naves intercepit, & deinceps alias atq; alias, qvotqvot potiri datum eſt. Ea re graviter commoti Gedanenſes, armis ultionem qværunt. Svecos in mari captos & abreptos in urbem malè tractant, naves eorum & bona apud ſe ſiſtunt & detinent. Tandem res curâ Alberti Pruſſiæ Ducis, rogati à Guſtavo, ut hic ſe interponeret, ad compoſitionem vel compromiſſum deducitur, ſed non ſine probro & incommodo Regis; donec tandem per Chriſtianum regem Daniæ amicè tranſigeretur. Inter Chriſtianum & Lubecenſes, contemplatione Holſatiæ non Daniæ, pace, conciliatoribus Henrico Duce Mechelburgico & legatis Haſſicis, Luneburgenſibus & Hamburgenſibus, initâ, reliqvum exercitũ in Daniam Chriſtianus traducebat cum copiis, qvas à Guſtavo acceperat, & plures opperiebatur. Lubecenſes etiam ſuas in Daniam vires expromunt, inde perrecturi in Svetiã & deturbaturi regno Guſtavum, & Albertum Ducem Megapolitanum in ejus locum repoſituri, ut ferociter & vanè jactarant. Sed Svedi eis in itinere atq; Scania occurſantes, ſtrage datâ,
1535 inſolens eorum inceptũ turbarunt. Johannes Comes de Hoia literis dehortabatur Trudonem Ulfſtandium à dedenda arce & urbe Vardberga Svedis, Se mox illis præſidio venturum & ſatis parem fore Svedis, ante virium periculum factum, temerè gloriabatur. Sed Trudo & ejus collega Claudius Bilde has literas, qvod Senatus regni Daniæ ſigillo non eſſent obſignatæ, nõ tanti fecerunt, easq; Johanni Turonis exercitus Svetici imperatori oſtendentes, ſe Comitem, ut hoſtem excepturos, eidem confirmarunt. Itaq; Comes

mes duodecim ſignis peditum obſedit Halmſtadium, cui cum bis deditionē imperaſſet, hoc à Jacobo Bagge obſeſſorū præfecto reſponſum accepit: *quia à vero domino & rege ſuo Guſtavo tàm perfidè absq; omni juſta cauſa defeciſſet ad regni Sveciæ infeſtos hoſtes Lubecenſes & eorum fœderatos; ſe Regis ſui nomine non obligatum ipſi eſſe ad aliud, qvàm armis infeſtis excipiendum.* Cum tertia vice Comes tubicinem ſuū cum literis ad eum miſiſſet, literas acceptare noluit, ſed juſſit eum abire nec reverti. Hoc indignatus Comes, oppugnare cœpit urbē. At Svedi hoſtes tentantes murum, primò veteribus qvibusdam tormentis ſalutarunt: qvæ ſtudio pulvere pyrio nimis onerarant, ut rupta diſſilirent & hoſtē propius allicerent: qvod ita qvoq; accidit. Hoſtis enim majoribus copiis eruptionē fecit. Hic Svedi non amplius proluſere, ſed omnibus tormentis majoribus & minoribꝰ exoneratis hoſtilia agmina ita excepere, ut majorē parte fuſa, hoſtis cum ignominia deſiſtere obſidione cogeretur. In eadē oppugnatione Bagge glande plumbea in femore percuſſus, ſed non lethifero ictu, animoq; invictus, militem ad ſtrenuè hoſtem ſubmovendum, ſi ſecundùm oppugnaret muros, hortabatur. Qvū verò Svedi, qvi obſidebant Vardbergam, comperiſſent, Bagge eſſe vulneratum, properarunt Halmſtadium ad ſuccurrendū obſeſſis. Hoſtes inde Vardbergam contendebant: qvos è veſtigio inſeqvuti noſtrates, qvanta potuerunt illos clade affecere, & Engelholmiam receptum petivere, qvo eqveſtris ordo Scaniæ Joſephum Falſterum & Chriſtophorum Ottonis miſit, qvi icerent fœdus æqvū cum Svedis adverſus hoſtes, nomine Chriſtiani. Eâdem causâ renunciato jurejurando Chriſtophoro Comiti, ſacramento dicunt Svedis. qvi pertendentes expugnant Helſingoburgū, diripiunt & incendunt, captis conſule Lubecenſi Marco Meier, Michaele Blek, Chriſtophoro Hoeck & aliis. Nec ſuis partibus defuit Tycho Crabbe, arcis præfectus, ſtrenuè ejaculans in hoſtem pilas ex tormentis, primoq; ictu ſternens qvatuordecim milites. Unde reliqvi terrore conciti, fuſi vel capti ſunt. Mille ſe ultrò fidei Sveonū permiſerunt. Qvi unius menſis ſtipendiū facere pro redemtionis pretio juſſi, per reliqvum tempus menſtrua æra meruere De Marco Meiero non ſatis conveniebat inter Svetos & Danos. Illi ſuum volebant eſſe captivum, qvum comprehenſus, Danis non Svedis manum & fidem dediſſet. Tandem ſtetit ſententia, mittere Vardbergam in cuſtodiam ad Trudonem Ulfſtandium, donec Reges, qvid de hoc fieri vellent, ipſi decernerent. Inde Svedi curſum victoriæ perſeqventes, Lundam, Malmogiam, Coroniam (Landscronam vulgò vocant) obſident. Qvum Scaniæ ordo Eqveſtris reſignaſſet jusjurandum Chriſtophoro Comiti, ut ante dictum, ille expiaturus hanc injuriam, proceres & nobiles in Scania & Fyonia comprehendi facit, qvotqvot poterat, & eorum arces ac prædia diripi.

ripi. Lubecenſibus autem pro ope & opera ſibi præſtita, fiduciario jure conceſſit Gothlandiam, Helſingoburgum, Anconam, Falſtriam, Monam, Bergas Norvegiæ, & vectigal öreſundenſe. Qvum hoſtes terra mariq́ ſuas vires auxiſſent in Sialandia, & Rex Chriſtianus absqve militari claſſe ſatis inſtructa copias ſuas trajicere non poſſet, ipſe cum Senatu Cimbrico miſit ad regem Guſtavum legatos ſuos Ovvenum Langium & Ivarum Julium, qvi Lubecenſium machinationibus detectis, Regem ſibi cavere monent, opemqve in claſſe & pecunia ſuppeditandis, & ut hactenus, ſinceram fidem continuare obteſtantur. Rex Guſtavus, fidei obſervans, non ex ingenio verba dantium, & majora qvàm pro re, ſui ſolùm commodi cauſa, promittentium, ſed qvod pollicitus erat, præſtat; & nunc illi octingentas ſelibras argenti, mox trecentas, poſteà etiam copias & claſſem ſubmittit. Alius ex Dania Legatus acceſſit Claudius Bild Regis Daniæ Mareſchallus, qvi nomine Senatus ferme in eandem mentem cum Guſtavo egit, rogavitq́ pro ſolita fide conferre operam: ut Chriſtianus ab illis legitimè electus & Rex appellatus, regno Daniæ tandem potiretur. Marcus Meierus, de qvo jam anteà, Vardbergæ captivus, à Trudone Ulfſtandio non malè habitus, hoc gratiæ refert hoſpiti, ut corruptis pecunia & ſpe majori aliqvot ejus miniſtris & militibus urbis, arcem Vardbergenſem Trudoni præriperet; & qvidem hac arte: Milites conjurati ſibi conficiunt ſcalas plagiarias, qvibus noctu clam enitebantur in arcis murum, ſupra qvem Meieri cubiculum erat. Ille verò funiculo per feneſtram demiſſo ſcalas attrahebat; & cruribus earum ſupernè firmiter affixis, milites octoginta commodè aſcenderunt, qvos in conclavi ſuo condidit, donec Trudo mane deſcenderet ex arce in urbem, ad inſpiciendam & conſiderandam navem iſtic fabricari cœptam. Sed abſente Trudone Marcus cum ſuis manipulis in arcem deſcendit, obvios cædit, portas arcis occludit. Trudo reverſus, & qvid rei ſit intelligens, effringere portas aggreditur. Sed à miniſtris in turri ſtantibus admonitus excurſionis hoſtium ex urbe jam arci appropinqvantium; ne in eorum manus incideret, arrepto eqvo fugam capeſſit. Tali fraude Marcus capit arcem, & in ea conjugem Trudonis & ſex liberos. Facultates ejusdem diripit, & Axelii Göiæ aliorumq́ Nobilium nummos, metu belli iſtic depoſitos, ſex millia aureorum. Uxorem tamen & liberos Trudonis, ad Chriſtophorum Comitem ſcribens, hac conditione ſolvendos captivitate recipit, ſi Wolfgango Gylero, qvi à Guſtavo Rege ad ipſum transfugerat, uxorem & liberos, exoratâ à rege veniâ, reſtituere Holmiâ incolumes poſſet; qvod impetravit. De iſta arcis Vardbergenſis occupatione Senatus regni in Scania Guſtavum ſtatim facit certum, & hujus rei utile conſilium ab eo petit. Rex

illis

illis reſcribit, *ſibi ingratum eſſe infauſtum rei nec opinatæ nuntium, monetq́; in poſterum ope divinâ magis, qvàm ſuâ ſapientiâ & virium fiduciâ nixos, diligentius agere, fidos ſibi deligere milites, nec promiſcuè qvibuscunqve fidere,; & tutiora potius, qvàm ſpecioſa ſectari. Si Meierus ex ſuo conſilio ad ſe miſſus fuiſſet, fortè infectum fore, qvod nunc factum eſſet. Alioqvi qvantum in ſe eſſet, pro virili illis ſubventurum. Jam procinctam in portu ſtare claſſem, modò vires ſuas conjungant ex fide promiſſi Dux Pruſſiæ aliiq́; & ex Cimbria accipiat ſocios navales naviculariam facere ſvetos, atqve aliqvot peritos militiæ maritimæ, qvibus præfectis claſſis uti poſſit. Hic enim hujuſmodi virorum, qvot opus ſit tantæ expeditioni, copiam omnem haud haberi poſſe.* Cives verò Wardbergenſes initio ſtabant à Meiero, & pari ferocia exſpoliabant prædia nobilium, donec Svedi milites obſeſſa Wardberga, eos præmonerent mali, niſi ſponte deditionem urbis facerent. Ita fide Meiero renunciata eoq́; hoſte declarato, urbem in Svedorum fidem tradunt. In hac obſidione qvatuor ſigna militum à Chriſtiano miſſa ſunt ad firmanda caſtra Guſtavi, & ſacramento ſibi obliganda, ut ante convenerat. Sed compoſitò & fraude aliorum, denegarunt fidem Guſtavo, qvam Chriſtiano jurarant; licet Guſtavi ſtipendio jam ad qvinqve menſes alerentur. Poſteà Rex abnuit ulterius pendere ſtipendium ſibi nullo fidei pignore auctoratis. Sed & nummi ejus unciales ex bonæ notæ argento, ad ſolutionem ſtipendii militum emiſſi pro tribus ſolùm marcis Danicis acceptati ſunt. Deinceps æqvum fœdus cum Rege Guſtavo à Chriſtiano confirmatum eſt: & ne alterutro ſociorum inconſulto pax cum qvoqvam hoſtium iniretur. Guſtavus claſſem undecim navium præter frumentarias & liburnas præfecto Magno Svenonis in Weſterby, contra hoſtes mare tunc ingenti claſſe pervagantes, auxilio mittit affini ſuo Chriſtiano. Hæc Danicæ & Boruſſicæ claſſi conjuncta ſe mutua fide obligat ad communem fortunam ſubeundam, prædamq́; ex æqvo à qvatuor cujuslibet claſſis viris partiendam, aliaq́; ex formulis & præſcripto legum nauticarum peragenda. Solventes orâ, primò petunt Öreſundam. Inde cognito, claſſem hoſtilem ad Bornholmiam ſtare, eodem contendunt. Propius in conſpectum hoſtium delati, illis venti commodum intercipere conabantur; etſi fruſtrà laborarent, ingenti orta procella. Mox navis prætoria Sveonum aggreditur claſſem hoſtium, decertandi conſilio. Sed hæc curſum avertit Hafniam. Nihilominus Svetica prætoria navis expeditè & citatis velis navigans, hoſtilem adſeqvitur; qvæ, ut vulpes canibus ceſſim ſe ſubducens, occaſionem fortunæ captabat. Noſtra, omnia tormenta in hoſtilem exonerans, dum navali prælio decernere conatur, illa ictu tormenti dejicit noſtris ſpa-

ſiparium. Qvod ubi adducere illi tentant, hoſtis interea plenis velis abit. Noſtrates tamen illicò conſectantur, & tormentis ita perforant navem prætoriam hoſtium, ut fermè depreſſa ſubſideret. Exinde cum reliqva claſſe congrediuntur & fortiter dimicant. qvod ſi Danicæ & Boruſſicæ naves paria feciſſent, nec eos nox oppreſſiſſet, ea die ſuperiores evaſiſſent. Poſtero die viginti ferme navium hoſtilium partim onerariarum, partim militarium majorum & minorum prælio ſubactarum aut deditione captarum noſtrates ad Wismariam, Dravæ oſtium atqve Suineburgum potiuntur. Chriſtianus verò pluribus in Sialandia arcibus & munimentis occupatis, in Fyoniam progreſſus, terreſtri prælio ad Aſneſum facto ſex millia hoſtium fudit, in qvo, præter alios alicujus nominis viros, Comes Tokelaburgenſis in acie cæſus, Johannes Comes de Hoia captus, & mox, dum deſcendit eqvo, ab Holſato Nobili Detlevo Reventlovv ex inveterato odio interfectus eſt. Guſtavus Trolle graviter vulneratus, brevi poſtea Grottorpii deceſſit. Hæc nobilis victoria Fyonenſes & Scanios fidem ſubjectionis Chriſtiano jurare perſvaſit: qvi paulò pòſt etiam Hafniam claſſe Svedorum adjutus obſedit. In Svetiam ipſe Chriſtianus profectus, & magnificè exceptus, *ampliſſimas gratias coram egit Guſtavo, pro verè fraterno auxilio in rebus arctis ſibi præſtito, in eodem affectu affinem perſeverare rogat, & adhuc aliqvo ſubſidio pecuniario ad expenſas belli ſublevare. Se ſatis ipſi daturum pro omni credita pecunia, & debita fide, ſtudio & amore tantam Guſtavi beneficentiam qvavis occaſione proſeqvuturum.* Præter hæc aperit Guſtavo arcanum conſilium Caroli V. de Friderico Electore & Comite Palatino, qvi Chriſtierni tyranni filiam Dorotheam ex Caroli ſorore natam in matrimonio habebat, ad tria hæc regna, qvantum per ipſum ſtet, evehendo. Qvod conſilium ſeqventi anno ſe prodidit. Cum Guſtavo renovat fœdus ante pactum. Qvi ipſi ſuppeditat qvatuor millia ſelibrarum argenti & tredecim millia numorum uncialium, pro qvibus Chriſtianus ei oppignerat Bahuſiam, Akershuſiam & Wikiam in Norvegia. Octiduo poſt abitum Chriſtiani Holmiâ honorificè dimiſſi, Regina Catharina, prima Guſtavi uxor morbo lethifero correpta, deceſſit. Dum Lubecenſis claſſis in ſtatione ad Hafniam, defendendi urbem & prohibendi Svetici auxilii cauſa, ſedet, Svedi & Dani circumfuſa illis à tergo ſua claſſe ita clauſum mare tenent, ut nulla hoſti ſpes inferendi commeatus eſſet. Qvin eadem occaſione qvinqve præſtantes naves militares intercipiunt, qvas Henricus rex Angliæ Lubecenſibus ſubſidio miſerat ex lege fœderis, & ſpe regni Daniæ, ut nonnulli volunt, ipſi facta: qvaſi in ipſorum poteſtate jam eſſet. Croneburgum Svedi, dum vim in naves ipſorum ad urbem

bem ſtantes & nautas exercitam ulciſcuntur, ad deditionem compellunt, tutam ibi ſtationem nacti. Qvum noſtri conſtituiſſent octo majores naves in altum ad urbem Hafniam demergere, ut oſtium portus, & exitum hoſti obſtruerent, Hafnienſes contra emiſere qvasdam naves hoc prohibituras. At Svedi noctu plures conficiunt crates terrâ aggeſtâ completas, qvibus pro munimento ad oram littoris uſi, & tribus colubrinis in eo locatis, prætoriã navem impetunt ac deprimunt. In qvam ſcaphis & lintribus impetu facto, cædunt capiuntq; obvios, ac tormentis ac reliqvo inſtrumento bellico exuunt navem. Hoc ubi Lubecæ percrebuit, cives expediunt octodecim armatas naves, præfecto claſſis Georgio Wollenvveber: qvibus Svedos facile debellari, & portu aperto urbẽ copiis & commeatu juvari poſſe credebant, ſi præfectus Svedos à tergo, Lubecenſes, qvi Hafniam obſederant, à fronte eos invaderent, & ſic utrinqve circumſiſterent non evaſuros. Sed ubi Svedi hoc conſilium accepere, ut antevertant, claſſem ſuam in duas partes dividunt, unâ ad Hafnienſia caſtra præſidio relictâ, alterâ adverſus Wollenvveberum expedita. Sic in alto concurrentes præliantur à meridie ad ſolis occaſum, eo ſucceſſu, ut Svetica claſſis hoſtilem in fugam ageret. Inde Svedi receptum & hyberna in portum Coroniarium petunt. Ubi annonâ laborantes, eam fruſtra à Danis deſiderant; qvamvis illi profugos ſpe hujus aliaq; mercede allectarent. Tandem tamen neceſſariis à Guſtavo milites ſublevabantur. Croneburgum ope tormentorum ex nave Sveonum prætoria Danis uſui datorum à Chriſtiano expugnatur, ut & Wardberga; qvæ cibi penuria fermè ad ultimum redacta, & ab Alberto Peltſchero arctâ obſidione preſſa deditionẽ facere coacta eſt. Marcus Meier, qvi arcem illam dolo recuperatam, ut ante dictum, hactenus tenebat, captus, & in qvatuor partes diſſectus, totidẽ rotis ad Helſingôram impoſitus eſt. Eodem ſupplicio afficitur ſocius ejus Georgius Wollenvveber. Qvum enim vi pœnalis mandati, uti vocant, Cameræ Imperialis, emotus eſſet officio Conſulis, & ſpecie honeſtioris ex urbe diſceſſus, præfecturam Bergerdorpenſem ad Bilenum fluvium recepiſſet, indeq; iter faceret Bremam, ab epiſcopo Verdenſi captus, & ad ejus fratrem Henricum Ducem Brunſvicenſem in arcem Lycaonem (vulgò Wolfferbytum) transmiſſus eſt. Ubi poſt diuturnum carcerẽ, ipſis qvoq; Lubecenſibus eum accuſantibus, qvod bello non neceſſario contra Guſtavum Svetiæ Regem, & Chriſtianum Holſatiæ Ducem ex merâ libidine moto, abdicatoq; Senatu, & ſe novisqve ſuffectis, aliisqve ſeditioſè admiſſis, non parum vexaſſet rempublicam, tandem ſeqventi anno dictam pœnam dependebat Ita homines inflati, turbidi & inqvieti, dum tranqvilla miſcendo qværunt emergere, & ingenio non niſi ſuo utentes, multa non neceſ- 1536

ſaria injuſtaqve agunt; etiam patiuntur,qvæ jure meriti erant. In comitiis Arbogenſibus decretum eſt de militia eqveſtri, claſſe & copiis maritimis ſupplendis ab ordine Eqveſtri & præcipuis provinciis: de ope Chriſtiano regi Daniæ ulterius adverſus communes hoſtes, & novum inimicum Fridericum Electorem Heidelbergenſem,Norvegiæ regnum auxilio Caroli V. & præſulum in Norvegia ambientem,ferendâ: qvum vicinum incendium, niſi in tempore occupetur ac ſupprimatur,facile proximas partes corripere qveat. Hæredes Johannis Comitis de Hoia literis ad regem Guſtavum ſignificarunt ſe jure ipſum convenire velle de interfecto Comite,& ut arces,qvas hic poſſederat, ejus hæredibus reſtituerentur. Sed Rex reſpondit, *ſe nullam ejus morti vel defectioni cauſam præbuiſſe. Qvidqvid incommodi & perniciei hoc ipſo cepiſſet, id acceptum referret & Lubecenſibus, qvi eum in ſuas partes traxiſſent; & ſibi ipſi, qvi incerta hoſtium promiſſa certæ Regis amicitiæ, affinitati, fidei, beneficiis prætuliſſet. Arces verò ipſi non donatas, ut jure dominii ad hæredes ſuos eas transmitteret, ſed ut jure clientelæ & ad tempus vitæ cum fructibus earum teneret: uti literæ conceſſio evidenter docerent. Se tamen non recuſare, qvin relictam Comitis viduam & liberos, ſi in regnum & fidem ſuam redire velint, omni favore amplectatur.* Immanis conjuratio, jam ante biennium cum Regis Guſtavi Secretario Germanico, Wolfgango Gyler contra Guſtavum agitata, hoc anno detecta eſt. Hæc aliqvot Germanos Holmiæ, qvàm non germanos cives, qvin diabolum & malitiam ipſam, contra caput à Deo inſtitutum & tàm bonum Regem, auctores habebat. Conjurarant Regem vel pulvere ſulphureo ſubter regium ſedile in æde ſacra defoſſo, vel ſica vel veneno de medio tollere: qvo perpetrato, arcem,proceres,magiſtratum urbis & cives Sveticos exſcindere, eaqve vaſtitate omnibus illata, vacuum imperium & urbem tradere Anſeaticis civitatibus. Qvidam nauta nomine Johannes Windranck ad immittendum pulveri nitrato, qvo rex delendus eſſet, incenſum funiculum conductus erat. Ille à ſociis largè invitatus hoc per vinolentiam aperit vicinæ ſuæ, hæc marito, maritus arcis præfecto Girmundo Sveonis, hic Regi. Sic re enunciata, examinata, convicta & confeſſa, rei omnes capitis & rotæ ſupplicio affecti ſunt, bonis eorum publicatis. Ad petitionem tamen Reginæ Margaretæ, relictis pleraqve hæreditas à Rege reſtituta eſt. Equidem juſtâ Dei, cui Regum à ſe proximorum ſalus cordi eſt, ultione, dum vitam infando parricidio Regi ſuo & patri patriæ ereptum eunt, pro qva tuenda ſuam honeſtè vitam profundere obſtricti erant, eandem infami ſed condigno ſupplicio ipſi perdiderunt. Hujus proditionis, & ultra metuendi periculi cauſa, præſertim qvod

Rex

Rex Chriſtianus Hamburgi inſcio Guſtavo & contra datam fidem, cum Lubecenſibus & Vandalicis civitatibus pacem feciſſet, claſſem ſuam & copias ex Dania Rex domum revocavit. Sed Chriſtianus miſſis legatis Holgero Ulfſtandio & Axelio Ugrupio excuſat ſe Guſtavo, *quod principibus & amicis ſuaſoribus, ipſaque neceſſitatis vi victus pacem cum Lubecenſibus & eorum fœderatis iniverit: ut Burgundicæ domus conſiliis & machinationibus de Friderico Comite Palatino in Daniæ regnum introducendo commodius obviam iret. Hanc pacis compoſitionem ſibi non parum gravem fuiſſe, dum Lubecenſibus & ſociis civitatibus ſua in regno Daniæ privilegia & immunitates confirmare, inſulæ Bornholmiæ uſumfructum ad annos adhuc quinquaginta pro ope eorum & impenſis belli adverſus Chriſtiernum geſti concedere; atq; ſi Albertum Ducem Megapolitanum & Chriſtophorum Comitem Oldenburgenſem è Daniæ regno intra ſex hebdomadas abducere poſſent, quindecim mille aureos promittere neceſſe habuiſſe, præter alios prioris compoſitionis Lubecenſis irritæ factæ, & belli jam in tertium annum tracti ingentes ſumtus. Regem Guſtavum, Albertum Ducem Boruſſiæ, Comitem de Hoia, Bernhardum Mylium, & alios Chriſtiani amicos hac pace quoque comprehendi; ita tamen ut Guſtavus Lubecenſibus privilegia in Svetiæ regno ſalva relinqueret; & de controverſiis cum illis ac hæredibus Comitis de Hoia & Bernhardo Mylio coram rege Chriſtiano in Dania intra ſemeſtre jure experiretur. Quod ut facilius poſſet, ſe præſtantem ei Juriſconſultum & pragmaticum daturum, qui cauſam ejus expeditè ageret. Si verò amicæ compoſitioni vel latæ à Chriſtiano ſententiæ Guſtavus adquieſcere nollet, Danos ad opem illi contra adverſarios ferendam obligatum non iri.*

Contra ea Guſtavus: *Se inſcio nec opinato adverſus tot tabellis & ſignis expreſſam & firmatam fidem, nec conſiliis actisque ullis intra quatuor menſes ſecum communicatis, initam cum Lubecenſibus à Chriſtiano pacem ſibi admodum adverſam* ſignificabat. *Imprimis quod Chriſtianus recepiſſet, ſe nulla ope Svedis adverſus inimicos ſuos ſubventurum, ſi jure vel amicè inter ipſos & Lubecenſes convenire non poſſet. Quod ſi iniquas adverſarii ferrent conditiones, num illis vellet, videntem & prudentem, quaſi captum oculis aut mente, ſubſcribere? Equidem ſe auxilio Chriſtiani deſtitutum & ſolum, fidum tamen hactenus ipſi amicum & affinem, novi belli periculis expoſitum iri. In quo non tantum magna ipſi fieret injuria, ſed etiam directò contra fœderis inter ipſum & Chriſtianum leges pugnaret. Se verò cauſæ ſuæ fiduciâ in controverſiis cum Lubecenſibus, Comite de Hoia & Bernhardo Mylio incorruptum ſubire judicium eſſe paratum, atque ſi fidum advocatum ex promiſſo Chriſtiani habere poſſet. Interim ſe dilationem in annum & ſemeſtre cauſæ melius inſtruendæ petere. Si cum Lubecenſibus inire pactionem pacis voluiſſet, uti nunc feciſſet Chriſtianus, ſe confeſtim*

initio hujus belli hoc potuiſſe, præſertim ipſis Lubecenſibus ad iſtud ſe offerentibus, & qvibusdam regis amicis ſe interponentibus. Qvippe Lubecenſes per Legatos ſuos ſollicitaſſe ſecum fœdus adverſus Hollandos, Ducatum Holſatiæ & regnum Daniæ, ſpe compenſationis Hallandiæ & Scaniæ, poteſtati regni Sveonum ſubjiciendæ. Se verò noluiſſe deſerere Chriſtiani partes, ut ille nunc ipſum deſeruiſſet, ſed ex fide tueri fœdus tam ſanctè pactum. Legati Danici qvocunq; poſſunt honore verborum regis cauſam excuſantes, & Guſtavi animum placantes, *non hanc eſſe mentem dictæ compoſitionis*, ajunt, *ut Chriſtianus Guſtavum deſerat, ſed in fœdere perſiſtat. Si legatos ſuos Hafnienſi conventui ſiſtere velit, omnia ſibi integra fore in manibus, & exitum cauſæ, qvalem ipſe exoptet.* In hoc reſponſo Guſtavus adqvievit. Qvin excuſanti Chriſtiano ceſſionem Akerhuſiæ, Bahuſiæ, & Wikiæ arcium hactenus ob ſeditionem præſulum in Norvegia dilatam, & petenti claſſem Guſtavi in Daniam adverſus vim domus Burgundicæ remitti, tam æqvus & moderati animi erat Guſtavus, ut reſignatâ Akerhuſiâ, contentus pignore arcis Bahuſienſis & Wikienſis, qvatuordecim ipſi naves armatas mitteret. Qvæ ubi Calmariæ portum ingreſſæ eſſent, fama de traditâ Chriſtiano ob commeatus inopiam Hafniâ allata eſt. Lubecenſibus in Svetiam, ad interpoſitionem Chriſtiani, ſub certa lege libera navigatio, dimiſſis Teutonibus hîc detentis, iterum conceſſa eſt. Rex Guſtavus à Chriſtiano deſiderans cohortem militum poſt recuperatam Hafniam exauctoratorum ſibi ſtipendia ex mutui fœderis pacto facere, miſit eâ cauſâ in Daniam Georgium Linthener. Sed rumor etiam inter conſpicuæ dignitatis viros & qvosdam ex Senatu divulgabatur in Dania, qvaſi Rex Guſtavus illis militibus ad Scaniam invadendam uti vellet: veluti potentiæ æmuli ad qvoscunqve de ſuſpectis rumores accipiendos ſæpe proni ſunt. Qvod tamen Guſtavo nunqvam in mentem venerat, ut taceret. Nihilominus qvidam tribuni militum Danicorum, præſertim Conradus Penning contra fas gentium inhumanius tractari & compedibus vinciri dictum Linthenerum jubet. Nonnulli etiam ex Senatu & ordine Eqveſtri dein ad cuſtodiâ ſolutum ſcripſere, ne plures ducentis qvinqvaginta educeret milites, niſi hoſtile qvid ab illis exſpectare vellet, & cum illis è regno faceſſeret. Qvod ægerrimè ferens Guſtavus graviter expoſtulavit, *tam malam gratiam ſibi referri pro benefactis*. Hæc foris. Sed domi Guſtavus ſecundas nuptias cerebravit cum illuſtri Virgine Margareta, Erici Abrahami in Laholm Eqvitis aurati & Weſtrogothiæ gubernatoris, regni Senatoris filia. Poſt nuptias ſuos Legatos ex conventu Hafniam ad Chriſtianum, jam regem

Daniæ

Daniæ miſit, Laurentium Siggonis regni Marſchallum, Birgerum Nicolai in Wienås, Guſtavum Olai in Torpa & Chriſtophorum in Schällerydh regni Cancellarium cum mandato, de confirmando inter utrumq; Regem fœdere, de expoſcenda ſatisdatione pro mutuò data à Guſtavo ingenti vi pecuniæ Chriſtiano, & lite de bonis inter trium regnorum Nobiles controverſis terminanda; qvæ pleraqve feliciter peracta ſunt. Inſtrumentum enim fœderis Rex Chriſtianus & Senatus regni Daniæ ſua ſubſcriptione & ſigillis ſolenniter firmarunt. In mutuæ fidei & gratitudinis ſignificationem Guſtavo ſe Chriſtianus obſtrinxit ad ſubſidium claſſis duodecim navium mille qvingentis viris & aliis neceſſariis inſtructæ, & mille eqvitum, qvingentorum peditum auxilium, re ſic exigente, qvinqve menſium ſpatio conficiendum & præſtandum. Cavit etiam Guſtavo de proventibus Wardbergæ, Bahuſiæ & Wikæ arcium percipiendis, donec debitam pecuniæ ſummam ipſe vel hæredes ejus in ſolidum ſolviſſent. Verùm contra hunc contractum vel mutuum pignoris uſum excepit Guſtavus, & admittere velut iniqvum noluit: qvum credita Chriſtiano pecunia viginti qvinqve millium & centum aureorum Rhenanorum ſummam expleret; fructus autem oppigneratarum arcium vix qvadringentos octoginta qvinqve aureos qvotannis æqvarent. Nec in contractu expreſſum erat, an iidem in vicem uſurarum, an verò ſortem imputandi aut deducendi eſſent. Si verò ex credita XXVMC. aureorum ſumma annuæ uſuræ pendendæ ſint, eas non fore minores MCCLV. aureis, qvinqve pro centum æqvis uſuris computatis. Qvum ergò Guſtavo Chriſtianus Bahuſiam & Wikiam pignoris vel hypothecæ loco tradere vellet, & ſolutionem æris alieni differret; cupiebat Guſtavus dictas uſuras mille ducentorum qvinqvaginta qvinqve aureorum qvotannis ſibi Holmiæ ad diem S. Johannis pendi, donec caput ipſum aut ſumma ſibi ſolveretur. De lite poſſeſſionum ordinis Eqveſtris in tribus regnis adhuc indefinitâ convenit, eam Halmſtadii S. Olai die per duodecim arbitros finiri. Num Linthener tam indignè in Dania conſcio Chriſtiano tractatus fuerit, ut fama ferebat, ſcire Guſtavus expetit. Sed qvid ad iſtæc à Chriſtiano reſponſum ſit, in Annalibus ſiletur. A Guſtavo Rege editis utilibus aliqvot 1537
ſanctionibus, legati in Ruſſiam ad Magnum Ducem Johannem Baſilidem mittuntur Canutus Andreæ de Norrenäs, Eqves auratus, & Bero Claudii de Köppas. Poſt ſolennem Magni Ducis ſalutationem, Legati noſtri rogantur, *num qvid donorum adferrent, qvibus Principem honoraturi eſſent?* Traditis donis, in aliud palatium introducuntur, ubi Senatus illis datus eſt.

Negotiorum ſumma hæc erat: *Regem Guſtavum deſiderare novam qvinqvaginta annorum pacis confirmationem, tabulis nuper ab oratoribus Gunmundo & Matthia Laurentii ſubſcriptis, nunc reſcindendis: qvum mandati fines in eis Gunmundus exceſſiſſet. Cognoſcendam & tollendam vim deprædationum, ac inſolentiam Ruſſorum in finibus Finlandiæ. Commerciorum in Ruſſia modum & loca Magnum Ducem Svecis mercatoribus certò definire velle. Suos autem pravæ monetæ in Svetiam invectione abſtinere. Fundos in Narvia Sveonum proprios à Sveonibus ex more priſco coli.* Re maturè utrinqve conſultata, reſponſum & decretum eſt, *ut fœdus antiqvato priori ad ſexaginta annos renovaretur. In conventu Sabolinenſi de fœderis confirmatione & limitum terra mariq; diſtinctione ageretur ſecundum regis Magni & Ducis Novogardiæ Georgii tabulas & ordinationem: ita ut limites ducantur à mari per Syſterbeck & inde per omnes finium terminos usq; ad lacum Cajanenſem. Qvæcunqve injuſtæ actiones & lites inter utrumqve jure absqve dolo malo & ſine armis terminentur: Svedorum lites à præfecto Notheburgenſi & Kexholmenſi; Ruſſorum à præfecto Wiburgenſi. Profugi ex Svetia in Novogardiam aut ex Novogardia in Svetiam, ſive ſervus ſive ancilla, debitor aut fidejuſſor cum omnibus abreptis bonis ſuo qvisqve territorio reſtituantor. Viæ, portus, itinera ſingulis utrimqve legatis & mercatoribus tuta liberaq; ſunto. Si bellum inter Ruthenos & Polonos vel magiſtratus Livoniæ oriatur, Guſtavus & regnum Svetiæ hic contra Moſchum nullam opem ferat* (ſed ne ex diverſo Rutheni Svetiæ hoſtibus ſuppetias ferrent, incuriâ Legatorum prætermiſſum erat.) *Pravæ monetæ invectio in regnum Svetiæ etiam ſub pœna vetita eſt, ſalvo interim fœdere pacis.* Laurentius Siggonis, Holgerus Caroli & Johannes Turonis in Smalandiam cum exercitu miſſi ſunt ad domandum iſtic incolas rebelles & pervicaces, inprimis Mórenſes & Verendos, qvi in bello Lubecenſi adjutaſſent Scanios Regis hoſtes commeatu, abnuiſſent tributa & decimas, vendicaſſent ſibi domos in Nobilium prædiis exſtructas, velut hæredes illorum, homicidia impunè aliaqve inſolenter patraſſent. Fagos & qvercus exſtructis earum loco villis pro lubitu & contra interdictum cum magno regni & nobilium detrimento ſuccidiſſent, qvibus jus non eſſet. Recenſebatur eadem tempeſtate omnis exercitus Lincopiæ, civibus urbis, & Vadſtenenſibus temporariâ immunitate à rege donatis. Decernebatur itidem, militiæ eqveſtris operas, pro ratione redituum ex prædiis in certos codicillos referendis, citra fraudem eſſe præſtandas. Sorore Guſtavi I. Margareta Johannis Comitis de Hoia vidua Revaliæ defunctâ, filius ejus Petrus Brahe domum ad bonorum ſuorum in Svetia poſſeſſionem revocatus eſt. Rex Guſtavus Laurentium Siggonis regni Mar-

Marſchallum & præfectum Oerebroenſis arcis, Birgerum Nicolai Præfectum arcis Leckóenſis, Guſtavum Olai de Torpa, & Chriſtophorum Andreæ de Hedåker miſit Hafniam ad transactionem qvandam inter Comitis de Hoia hæredes, Bernhardum Mylium & Lubecenſes inſtituendam, cui interpoſiturus erat ſuas partes Chriſtianus Rex Daniæ, ut ante convenerat. Ericus Comes de Hoia poſtulabat *fratris ſui Johannis liberos ad maternorum bonorum hæreditatem admitti, & ad Wiburgi & Novi caſtelli vel parium poſſeſſionem, ut parens eorum poſſederat.* Reſpondere Legati: *Guſtavum Comiti Johanni non dominii & hæreditario, ſed fiduciario jure dictas arces conceſſiſſe, nec aliter vi legum Svetiæ potuiſſe. Regem tamen erga eos boni ac fidi avunculi animo ac favore regio fore, ſi modò ipſi ſe dignos eo præſtarent, nec patris veſtigiis in turpi & ingrati animi defectione inſiſterent. Unum etiam filiorum ſe ad maternam hæreditatem admiſſurum, ſed ea lege, ut Chriſtianus Rex Daniæ & Ericus frater Comitis caverent de fide ejus erga Guſtavum. Alteri filiorum in Comitatu paterno victum, qvo ſe toleraret, proſpiciendum eſſe; ita tamen ut ſumtus alimentorum ex regia diſpenſatione & dignitate utriusqve fratris, æqvaliter decernerentur.* Bernhardus Mylius *deſiderabat immitti in poſſeſſionem uxoris ſuæ bonorum in Svetia, aut æſtimationem qvindecim millium aureorum ſibi præſtari.* Ad hæc reſponſum: *Regem nihil ipſi præſtare aut reſtituere velle, qvum tam perfidè adverſus ipſum & regnum egiſſet, cum tot impenſarum & bonorum virorum jactura. Præterqvam qvod famoſis ſuis libellis & mendaciis laceraſſet regium nomen & famam.* Lubecenſes adhuc urgebant *reliqva æris alieni, & ne jure privilegiorum legitimè ſibi in Svetia qvæſito obtentoqve deturbarentur; neve Svedis permitterentur tranſitus ac navigatio per fretum Öreſundenſe.* De his qvum diu utrimqve ſed incaſſum diſceptatum eſſet, & Guſtavus honeſtis atqve æqvis non indignis conditionibus pacem cum civitate Lubecâ paciſci vellet, tandem qvinqve annorum induciæ inter illos convenere. Dani qvædam in medium protulere, qvibus ſe gravari à Svedis qverebantur: nimirum *de novo & inuſitato Nyloſiæ vectigali, & de Bahuſiæ recepto vectigali, de commerciis Wardbergæ & Halmſtadii in Svetia recuſatis.* Hæc ad æqvam deciſionem, receptum uſum & juſtam moderationem facilè reducta ſunt. Sed majoris difficultatis erat lis toties recocta inter Nobiles Svedos & Danos de prædiis avitis Svedorum in Dania & Norvegia, & Danorum in Svetia. Hujus litis componendæ cauſâ delecti utrimqve arbitri Halmſtadii convenerunt. Ibi Nicolaus Petri de Akeröö à Tychone Crabbe repetitum ibat avi materni Nicolai Claudii de Wyk bona, qvæ Tycho à rege Daniæ Johanne emerat. Sed Tycho contra contendebat, *Svedos*

dos ſe olim obligaſſe Regi Daniæ Johanni in ſuis fidelitatis literis, ut ſi qvis ſe opponeret Regi aut filio ejus, famâ & bonis exueretur. Qvod cum Svedi feciſſent, eôrum bona fiſco coronæ Danicæ ſub Johanne jure addicta fuiſſe, à qvo ille Nicolai Petri prædia iſtæc emiſſet. Sveticis arbitris cupientibus, ſibi copiam fieri iſtarum literarum, Dani binas exhibuerunt, unas anno milleſimo qvadringenteſimo nonageſimo nono eâ ſententiâ, qva dixi, publicatas, de qvibus egi ſuperius in vita Johannis, alteras anno milleſimo qvingenteſimo qvinto Calmariæ editas, qvarum argumentum etiam in vita Svantonis Sture ſenioris fuſius enarravi. Continebant autem Sveticorum & Germanicorum aliqvot legatorum regniq; Daniæ & Norvegiæ Senatorum ſententiam de publicandis qvorundam Svetiæ procerum Calmariam evocatorum, ſed contumaciter, ut putabant, abſentium bonis; inprimis de Stenonis Sture ſenioris & Svantonis Nicolai, Svetiæ qvondam gubernatorum, Nicolai Claudii, Stenonis Chriſtierni, Petri Turonis, Achatii Johannis, Trottonis Magni eqvitis, & Antonii Erici prædiis: qvæ ut vacuas poſſeſſiones Nobiles Dani juſto emtionis titulo ſibi adqviſiviſſent. Ad primas literas Svetici arbitri reſponderunt: *Qvum Svedi Regem Johannem elegiſſent, hoc ſibi jus ſervaſſe, exemplo etiam Danis uſitato, ut, ſi fidem jurisjurandi Rex populo præſtitam prior violaſſet, impunè à pactis populo qvoqve recedere liceret. Renunciationem ergò fidei Johannis ex juſtis cauſis factam, Svedorum obligationem ſolvere.* Ad alteras reſponderunt: *In pluribus comitiis à tempore ſententiæ Calmariæ latæ, præteritas offenſiones perpetua oblivione deletas eſſe. Velut etiam in pactione Chriſtierni II. & Chriſtinæ Stenonis junioris viduæ & civitatis Holmenſis, anteqvam Chriſtierno arx & urbs traderentur, factum eſſet, cum promiſſa reſtitutione omnium bonorum in qvocunqve horum trium regno ſitorum. Sed iſtam pactionem poſtea non à Sveonibus ſed Chriſtierno ruptam eſſe: dum cum Svecis tam immaniter egerit, & non ſolùm vitam & fortunas, ſed etiam omnes literas & documenta illis ademerit. Ut ergò Sveci bonis ſuis hæreditariis in Dania & Norvegia privarentur, contra omne fas & æqvum eſſe.* Qvum Dani repoſuiſſent: *Literas pactionis Chriſtierni nullius ponderis & efficaciæ eſſe, qvum tam injuſtæ fuerint ejus actiones;* ſubjecere Sveci: *Si literæ qvibus Svecis fidem ſuam obſtrinxiſſet, eſſent reſcindendæ; pari ratione diplomata ejus, Danis nomine bonorum emtorum & oppigneratorum data, nullas vires habitura eſſe.* Qvum Nicolaus Petri, Magnum Chriſtierni conveniſſet de bonis maternis in Dania & Norvegia ſitis; arbitri Danici reſponderunt: *Eadem bona dictæ ſententiæ fuiſſe ſubjecta.* Sed Sveci reponebant: *Si maritus damnatus fuiſſet bonorum ſuorum,*

qvod

quod tamen haud factum eſſet; non uxorem eidem culpæ ſuccubuiſſe. Dani: *ſi non aliter, tamen jure belli fuiſſe deperdita.* Sveci: *Eandem rationem fore bonorum Nobilitatis Daniæ in Svecia.* Porrò ſciſcitati Sveci; *cur Nicolai Haqvini & Nicolai Brahe uxorem bona in fiſcum regni Daniæ addicerent, qvum in majori culpa fuiſſent?* Ad hoc regerebant Dani: *Eorum uxores regni Daniæ incolas eſſe.* Sveci percontabantur: *Num aliam legem pro alienigenis, aliam pro indigenis haberent?* Ad qvæ Dani ſiluere. Tandem Sveci arbitri, *ſententiam illam, cui tam preſſè inſiſterent, iniqvam & naturæ legi contrariam eſſe,* dixerunt, *ut tam innocentes viduæ & pupilli, qvàm viri in impari culpa parem ſubirent pœnam.* Qvod ulterius Danorum conſcientiæ permittebant, & ſimul eis in mentem revocabant Guſtavi & Nobilitatis Sveticæ beneficiorũ præterito bello in illos collatorum memoriam. Scribit eadem de re rex Guſtavus ſuas ad Tychonnem Grabbe literas; qvibus ei exprobrat *acres illas contentiones de obligatione Svecorum erga Johannem Regem Daniæ, qvibus qværat contaminare Nobilitatis Sveticæ nomen & famam; qvod tamen ei non ſucceſſurum ſperat. Hujusmodi obligationem regnis inuſitatam vi, neceſſitate & diffidentia erga Svecos per Regem Johannem poſt obtentum pactis regnum & firmatum, civibus extortam fuiſſe. Notas etiam eſſe inſidias Johannis adverſus Stenonem Sture & alios proceres paratas; nec minus peregrinorum præfectorum in populum dominationes. Inprimis hoc ſatis eluxiſſe ex filii ejus Chriſtierni tyrannico imperio & fallacibus promiſſis. Si rex Johannes ſperato eos favore complexus fuiſſet, effecturum ut ejus clementia civium fidem provocaſſet. Sed qvum in diſcrimen adduci ſuam & ipſorum ſalutem cernerent, inexpugnabilem neceſſitatem, qvæ etiam ferrum frangere dicitur, ſecuritati ſuæ qvocunqve modo conſulere coëgiſſe. Qvod præter iſtæc exprobret Svecis, eos Calmariam in jus à rege Johanne, in qvorundam Germaniæ Principum legatorum conventu, vocatos abfuiſſe, ſe dijudicandum omni Chriſtianæ & prudenti cognitioni relinqvere, num obligati fuerint hoſtium ſuorum judicio ſe ſiſtere: qvi non ſolùm bonorum ſed & capitis eos damnare potuiſſent; & haud dubiè ſic conſtituerint. Cur ipſe Tycho noluerit ire ad Chriſtophorum Comitem Oldenburgenſem; Hafniam ipſum evocantem; cur? qvod hoſtis ejus eſſet. Eqvidem ſi qvis non certus vitæ ſuæ & ſalutis, vel centies ab hoſte vocetur, non tamen, niſi planè demens ſit, ſe ejus manibus commiſſurum. Se non induci poſſe ut credat, ideo Tychonem velle bonis ſuis in Dania privari, qvod ejus vocationi non paruerit.* Monet ergo Tychonem cum reliqvis collegis *in ſeipſos deſcendere, nec nodum in ſcirpo qværere; ſed ita rem moderari, ut qvilibet ad juſtam bonorum ſuorum poſſeſſionem redeat, nec penitus obliviſci meritorum, nec ſtrictè nimis agendo, communem concordiam turbare.*

bare. Hîc ex occaſione ſilentio non transeundum, qvod, qvum anno milleſimo qvingenteſimo trigeſimo qvinto rex Chriſtianus ad regem Guſtavum Holmiæ viſeret, inter alia fidem ei dedit de recipiendis hæreditariis in Hallandia poſſeſſionibus, qvas olim Reges Daniæ fiſco ſuo addictas aliis Nobilibus regni vendiderant. qvin hoc confirmavit Guſtavo patentium literarum fide. Elector Saxoniæ, Johannes Fridericus, Philippus Haſſiæ Landgravius & alii nonnulli Germaniæ Principes Evangelici & civitates, qvum Guſtavi conſtantiam in religione, fidem in amicitia, potentiam in armis perſpexiſſent, per legatos & literas ſuas fœdus religionis cum eo expetunt. Idem Daniæ Rex Chriſtianus per ſuum legatum Axelium Bragd. regi ſignificavit, & ex uſu fore putavit iſti fœderi nomen ſuum, ut ipſe dediſſet, qvoqve dare; ad qvod negotium provehendum ſuas etiam curas obtulit. Guſtavus legatis Germanicis honorificè exceptis reſpondit: *In omnibus, qvæ ad Chriſtianam fidem, & veram Evangelicam doctrinam promovendā ac tuendam facerent, ſe talem præbiturum, ut nihil in ſe deſiderari facilè poſſit.* Sed regi Chriſtiano hoc reſponſum dabat: *Si prius edoceri poſſet, qvibus conditionibus ad iſtud fœdus nomen ſuum profiteri velit Chriſtianus, ſe propenſum adeò idem, ut deceat, fore; amicè petens, ut in hoc & aliis in rem ſuam conſulere velit, uti ſibi de ipſo fraternè polliceatur. Se par pari qvavis occaſione relaturum.* Chriſtiani legatus etiam in mandatis habebat agendi cum rege Guſtavo *de argento & pecunia, qvam Chriſtiano proximo bello mutuo dederat, qvid de ea fieri vellet, num ejus ſolutionem ad certi temporis terminos prorogari vellet.* Ad prius reſpondebat Guſtavus: *Chriſtianum antea hac de re ejus mentem accepiſſe. Se non qvidem adeò deſiderare annuas uſuras, ſed malle caput & ſortem creditorum nummorum recuperare. Veruntamen cum ipſi hoc tempore commodum non eſſet illam exſolvere, ſe bono & amico animo deſignatas uſuras remittere, & ſortis nimirum viginti qvinqve mille & centum aureorum ſolutionem in qvatuor annos proferre paratum eſſe: ita ut qvotannis ſex mille ducenti ſeptuaginta aurei dependantur, donec totum exſolveretur. Id Chriſtiano fore tolerabilius, qvàm expreſſas uſuras annuas præſtare: qvibus uti poſſit in ſubſidium ſortis expungendæ.* Ad poſterius: *Æqvum eſſe, ut dictum fœdus non ſolùm à Chriſtiano approbetur & ratum habeatur, ſed etiam in propria perſona ad illud obſtringatur. An verò illud fœdus ultra pœnali obligatione ſtabiliendum ſit, qvum Chriſtiana & regia fide, ut ſanctè ſervetur, jam confirmatum ſit, ſe ejus arbitrio permittere.* Ante biennium ex Moreæ Auſtralis in Smalandiâ ruſticis coorti ſunt latrones & graſſatores, qvorum dux erat Johannes Andreæ. Hi pervagati ſilvas interfecerunt aliqvot Regis præ-

prætores & miniſtros, inprimis Matthiam Mogium. Rex plebem eos perſeqvi &, ſi poſſent, corripere hortabatur. Sed illi in Blekingiam transfugientes, tutum ubi receptum habebant. Proinde Rex Guſtavus Axelium Bragd, Axelium Ugrup & Mauritium Olai per literas monuit, *ut memores iſtius capitis fœderis de non recipiendis hoſpitio aut ferendis in uno alterove regno latronibus & aliis ſceleratis, Johannem Andreæ & ſocios apprehendi & in arcem Calmarienſem transmitti curent, ut memoratum fœdus ſanctè ſervetur.* Secunda Guſtavi conjunx Margareta primo filii Johannis, poſtea regis Svetiæ, partu, exeunte anno, a. d. XXI. Decembr. S. Thomæ die, felix erat. Rex Holgerum Caroli & Chriſtophorum Andreæ in Norvegiam 1538
miſit ad litem in Conventu Opsloenſi dirimendum inter Trudonem Gregorii Daniæ & Johannem Thuronis Svetiæ regni Senatores de litigioſis aliqvot in Norvegia poſſeſſionibus, & tradendo ex fœderis lege ad ſupplicium Berone, qvi regii miniſtri Nicolai Jeſperi fratrem occiderat, & in Norvegiam transfugerat. Qvædam naves Roſtochienſes hic auctoritate regia attinebantur ad ſatisfaciendum Norcopiæ & Vadſtenarum mercatoribus pro direptis eorum navibus & mercibus, poſt Hafniam Chriſtiano regi Daniæ deditam. Qvum Rex cognoviſſet, colonos Smalandenſes novas villas in ſylvis glandiferis exſtruxiſſe cum detrimento publico, deſolatis antiqvis prædiis ac fundis; qvi redigerentur in paſcua, nemora & alias commoditates ad prædia antiqva pertinentes, eas prohibuit & dirui juſſit. Si qvi verò priſci & vacui fundi reperirentur, qvi fructiferis ſylvis non eſſent incommodo, & vivis teſtimoniis aut ſcriptis documentis probari poſſent, in illis ædificari permiſit Rex *prædia tributaria*, ex qvibus definita & æqvalis annua penſio præſtaretur. qvi verò deſtituerentur evidentibus hujusmodi fidei faciendæ argumentis, in fundis exſtruerent villas in emolumentum Coronæ & regni, unde & *coronaria prædia* appellarentur. Johannes Andreæ latronum ductor, de qvo ſupra, Lubecam ex Blekingia profugit. Iſtic Ericus Comes de Hoia & Bernhardus Mylius donis aliqvot oneratum in Blekingiam ad motus iſtic ciendos remiſerunt. Ei ſe adjunxit Nicolaus Dack in Blekingia natus, in territorio, qvod *regium* dicebatur, habitans, homicidii & inceſti reus; cui ad ſupplices literas propinqvorum & amicorum, qvi opulenti erant, pœnæ capitis gratia facta eſt, ſed hactenus, ut vadibus datis, ingenti mulcta vitam ſuam redimeret. Is cum majori parte mulctæ præſtita, reliqvæ pendendæ vel non ſufficeret, vel ex protervia ſolvere nollet, exigentibus acrius prætoribus, vadimonio deſerto, & omni ſpe melioris vitæ abjecta, ſylvas petebat, & cum Johanne Andreæ aliisq; latrocinia in obvios exercebat; donec opibus factionis confirmatis, anno milleſimo qvingen-

mo qvadrageſimo ſecundo apertam ſeditionem, ex eaqve *bellum* faceret, *Dackianum* ab auctore dictum; qvod non niſi poſt triennium magnâ cum difficultate repreſſum qvievit. In conventu Arbogienſi præter alia decretũ eſt, *ut, qvum ſedulò vigilandum & ad qvorumcunq; hoſtium vim arcendam qvaſi in ſpeculâ ſtandum ſit, in ſingulis in poſterum provinciis armorum & exercitus reco-*
1539 *gnitio inſtitueretur. Ut argenteæ monetæ evectio interdiceretur.* Regis Chriſtiani III. legati ex Dania Wodislaus Wobiſſer, conſiliarius & præfectus Draxholmenſis, & Axelius Urn Secretarius, Regi Guſtavo ſignificarunt de itinere Brunſvicenſi Regis Chriſtiani, & qva ratione in rem Guſtavi nihil aliud effeciſſet, qvàm ut Bernhardus Mylius Lubecâ decedere, nec in ſuſpectis locis verſari juſſus eſſet. Ex colloqvio verò cum legatis Guſtavus eos ſuſpectos habere cœpit, qvaſi eâ causâ huc ſolùm miſſi eſſent, ut elicerent arcana regis conſilia, & vix aliud negotium haberent. Sed cognito, Saxonem & Haſſum Principes & qvosdam Bernhardi Mylii amicos & cognatos Brunſvigæ Chriſtianum ejus nomine conveniſſe, & expoſtulaſſe tanqvam de injuria Mylio à Guſtavo in denegatis uxoris ſuæ bonis illata; Rex irritatus reſpondit: *Se ſpem bonam cepiſſe de affine ſuo rege Chriſtiano, ut juſtam ipſius cauſam ſibi commendatam haberet, publicam innocentiam tutaretur, & rem eò deduceret apud amicos ſuos, ne ab hujuſmodi perfido, perjuro ac proditore tam indignè, contumelioſè & infamibus mendaciis & calumniis apud Evangelicos Principes ejus exiſtimatio laceretur. Qvamvis autem Rex Chriſtianus & Dani cum Rege Guſtavo & Svedis fœdus iniviſſent, tanqvam fidum & æternum, qvod ſervarent Svedi; & de Danis non niſi fiduciam bonæ vicinitatis, pacis & concordiæ haberent; ei tamen fœderatorum animos non reſpondere; qvod non unis documentis didicerit. Danos enim hoc fœdus ſuâ magis qvàm communi utilitate metiri & ſervare. Qvippe ſi illi ab hoſte aliqvo petantur, Svedos ſtatim poſci opem terra mariqve. Si Svedi ſollicitent Danos de auxilio ſibi præſtando, parum hoc præſto eſſe. Ab iisdem recipi Svetiæ capitales hoſtes Bernhardum Mylium, Olaum Brômſium, Wolffgangum Gylerum & alios plures, eorumqve perfidas & injuſtas actiones foveri; contra Guſtavi & Sveonum juſtas & æqvas purgationes & defenſiones ſupprimi, & in deterius præter omnem ejus culpam explicari. Lubecenſes in nupero conventu Hafnienſi haud dubiè cum Guſtavo amicam pactionem aut pacem feciſſe; niſi deterruiſſent eos Dani; qvo alio conſilio? qvam ut Svedos intra anguſtias contineant, & pro ſuo arbitratu tractent. Regem Daniæ miratum eſſe hic in regno æqvari qvasdam vias; qvaſi hoc ipſi periculo futurum eſſet. Hanc verò non levem adverſæ ſuſpicionis ſignificationem eſſe. Nuper etiam Hafniæ Regis Guſtavi præfecti miniſtrum Georgium Johannis, qvem*

quem privati negotii cauſa eo miſerat, pro exploratore habitum & excuſſum eſſe, ſi fortè literas qvasdam occultaret. Promiſſa Chriſtiani de ſolutione æris alieni Guſtavo præſtanda, non magis qvam alia apparere. Regem Chriſtianum & cives ejus talem de Guſtavo ſparſiſſe apud Germanos & Danos famam, qvaſi fœdus ferire cœpiſſet cum Imperatore contra regem Daniæ & Evangelicos Principes. Unde non aliud colligere poſſet, qvam eum velle ſe in ſiniſtram opinionem apud exteros adducere, & qvot poſſet inimicos adverſus ſe excitare. Qvod num juſti fœderis aut fidi vicini ſit, qvemvis facile dijudicaturum. Hinc nata mutuæ diffidentiæ ſemina, ſuſpicionibus, fama & rumoribus aucta, ſic Guſtavi mentem adverterant, ut vicinorum actionibus & conſiliis animum ſtudioſius intendere ſvaderent. Qvum regius præfectus Georgius Johannis judicium territoriale in Wesbo inſtitueret, & duo ejus miniſtri vadimoniũ caperent à colono iſtius loci, qvi boves & eqvos contra regis edictum in Daniâ vendiderat, ruſtici hoc ſolum nomine eos occiderunt. Qvoties præfectus eò juris dicendi cauſa redibat, ruſtici armati in forum veniebant minantes ipſi & miniſtris mortem; qvaſi ipſi jus in vi & armis haberent. In tributis pendendis ſe difficiles & contumaces præbebant. Inter illos nonnulli ſacrilegi & facinoroſi pari inſolentia interminabantur eidem direptionem & incendium prædiorum. Rex Guſtavum Olai de Torpa aliosqve nobiles in Smalandiam miſit inveſtigatum facinoris auctores, & juſta ultione punitum vim in regios miniſtros exercitam. Inde ad Gedanenſes ſcribit de Olao Brömſio iſtic in urbe à Nicolao regio Secretario deprehenſo, qvi tam perfidè adverſus Regem cum ingenti pecuniæ jactura egerat, ſibi dedendo ac transmittendo, vel iſtic judicio ſiſtendo: Sic Regem remiſſurum actionem adverſus ipſos & diſſidium. Ad ſextum diem Junii naſcebatur Regi filia Catharina, poſtea Edzardo Comiti Friſiæ orientalis nupta. Qvum Regis & regni bona tributaria hoc tempore non parum acciderentur & alienarentur, dum ea Nobiles, ubicunq; poterant, ad ſe emptionis titulo transferebant; ſed & in finium inſpectione inter Nobiles & tributariorum prædiorũ poſſeſſores inſtituta, plerunqve modò hic modò ille Coronæ fundus Nobilibus favore arbitrorum ut Rex expoſtulabat, adjudicaretur, idqve in fraudem cenſus regii, à qvo Nobiles immunes erant, & directè contra legem fieret, Rex ſeverè interdixit: *Ne qvisqvam Nobilium, Clericorum, prætorum aut civium ſub offenſa & vindicta regiâ auderet contra mentem legis emere, pignori capere, aut pro mulctis ſibi vendicare ulla bona aut prædia cenſualia. Limitum verò inter Coronam & Nobiles litigioſorum inſpectioni Rex in poſterum ſuos delegatos ſcripto mandato inſtructos intereſſe voluit. Si qvis contra*

 faceret,

faceret, in eum ex lege animadverſum iri. Interdictum qvoqve Rex publicavit *de majoribus feris non promiſcuè à qvovis nec omni tempore & loco contra legem cædendis aut capiendis.* Idem iterarunt Reges Johannes, Carolus, Guſtavus Adolphus, Chriſtina ſua ætate, & Carolus. Rex in autumno gravi, lento & deploratæ fermè ſpei morbo correptus, tamen Dei beneficio convaluit. Ex Daniâ Legati Canutus Gyllenſtiern & Birgerus Ulfſtand petebant Regem ipſum in limite velle ad colloqvium cum affine ſuo Rege Chriſtiano accedere: ut iſtic ageretur de utriuſqve regni bono & ſtabili ſtatu ordinando, cui petitioni Rex locum dedit. Ad negotia verò peculiaria Legatorum regis reſponſum hoc erat: Ad primum caput, *Scaniis commerciorum uſum in Svetia citra veterem conſvetudinem interdictum fuiſſe; qvæ tamen Svedis in Daniâ libera eſſent,* repoſuit Rex: *Sibi hoc ignotum eſſe, nec facile credere poſſe, Scanios abſqve gravibus cauſis commerciorum hîc in regno uſu prohibitos fuiſſe. Qvod ſi inveſtigatum deprehenderetur, ritè emendatum iri.* Ad alterum caput, *Famam paſſim ferre, inter regem Guſtavum, & ſe omnem vicinitatis & amicitiæ neceſſitudinem exſtinctam & intermortuam eſſe: qva re utriuſqve hoſtibus animi magis creſcant,* reſponſum: *Se pro certo tenere, Regem Chriſtianum coram Deo vel hominibus juſtam conqverendi cauſam non habiturum, ſe in culpa cujuſcunqve diſſenſionis aut exiſtimatæ diſcordiæ fuiſſe; ſed ſe erga vicinum & affinem ſuum, in rerum anguſtia adverſus hoſtes ejus verbis & factis fidum, opibus & copiis promtum hactenus fuiſſe. Sed qvid auxilii conſiliive contra ſuos adverſarios & manifeſtos transfugas, proditores & perjuros à Chriſtiano ſibi vicisſim præſtitum ſit, hoc ſe ejus conſcientiæ ponderandum dare. Qvin ſe ab illo, nullo ſuo merito, in ſiniſtram vocari ſuſpicionem, & plus fidei haberi vago & fallaci plebis de ſe rumori, qvàm teſtatis & publicis regiæ beneficentiæ documentis. Et fortè ſe apud alios Chriſtianos Principes non abſqve regii nominis dedecore malè audire, qvaſi omnia vicinitatis, fraternitatis & adfinitatis jura & fidem conculcare, omnem propinqvitatis conjunctionem & amicitiam obliterare velit. Qvod ut in poſterum ſilentio prætereat feratqve, ſibi nimis arduum & moleſtum fore: ſi pro benevolo ſuo affectu non niſi malæ exiſtimationis notam mereri debeat.* Ad tertium caput, *de qverelis ſibi à rege Guſtavo non uno ſcripto inſinuatis, qvibus ut in colloqvio & conventu ſolenni ſatisfiat, ſe operam daturum*, ita reſponſum: *Se non poſſe diſſimulare, qvomodo toties de juſtitia adminiſtranda, & jure poſſeſſionum ſuarum tot ſcriptis ac promiſſis firmato, tandem exſeqvendo, à Nobilibus imploratus eſſet. Qvod ut fieret, ſe impensè cupere, ut tot flagitationibus aliqvando liberetur, & cuiqve jus ſuum reddatur.* Ad qvartum caput: *Regem Chriſtianum cum reliqvis*

ſuis

ſuis cognatis ita ſe apud Germanos aliosqve gesſiſſe, ut nemo jure eum inſimulare poſſit, & nolle ſe regi Guſtavo cauſam de injuria ſibi facta expoſtulandi dare, reſpondebatur: *Qvum nullius alterius nationis mentione in ſuis tabellis facta, Guſtavus proprias ſuas difficultates Chriſtiano bona mente modeſtè & maturo conſilio ſignificaſſet, hujusmodi aculeatis verbis parum opus fuiſſe. Si tamen, qvæ literis & ſigillis ſibi ac populo promiſſa ac firmata ſint, & alia qvæ Chriſtianam & propinqvam neceſſitudinem deceant, nec uni parti emolumento, alteri detrimento ſint, bona fide ſerventur, rata habeantur & præſtentur, ſe non habere de qvo conqveratur, aut æqvas conditiones reſpuat.* Ideoqve de illis tranctandi animo per ſe & legatos ſuos commodo utriqve loco & die compariturum. Lubecæ oratori Sebaſtiano Erſamo huc miſſo ubi ſenatus dabatur; *Gratias egit Regi de fide publica Lubecenſium Legatis data ad agendum de pace. Senatum populumqve Lubecenſem excuſavit de legatione non ampliore huc miſſa, ob alienum anni tempus; numerum ſenatus nondum ſuppletum; & qvorundam adverſam valetudinem. Ne Rex gravius in ipſos conſuleret propter nuper motus adverſus ipſum à Marco Meiero & Georgio Wollenvvebero concitatos, qvorum culpam nolit luere novum Senatum & multos bonos cives innoxios, qvibus hoc nolentibus eſſet.* Petebat inſuper, Regem ipſum ſuæ præſentiæ copiam facere velle: ut commodius & majori cum fructu de pace, concordia & ſocietate veteri inſtauranda & renovanda coram agi poſſet. Qvod ſi Regi commodum non eſſet, ſe pro tempore minora negotia Senatui aperturum, donec ad caput rei deſcenderet. Illa eſſe hujusmodi: *ut rationes æris alieni inter Regem & Lubecenſes ad liqvidum deducerentur, ut detentio vel areſtum mercium Lubecenſium hîc relaxaretur, & civibus ſua nomina abſqve noxa & remora exigere liceret.* Ad iſtæc à Senatu, qvum rex ipſe, propter corporis imbecillitatem oratorem audire non poſſet, hoc reſponſum accepit: *Regem Lubecenſibus nullam cauſam ad nuperum bellum præbuiſſe, ſed ipſos ex mera inſolentiâ Regis & civium ſuorum navibus in libera Imperiali civitate, contra vicinitatis & amicitiæ fœdus manus injeciſſe; Regem injuria & inſigni probro affeciſſe. Qvibus ad juſtam defenſionem impulſus, ingentes belli expenſas feciſſet: qvas cum omni damno dato Lubecenſes ipſi ſarcire tenerentur. Qvod autem orator negaret, novum Senatum tunc in tumultu urbe pulſum, in crimen vocari poſſe ob improborum aliqvot civium culpam; Senatum tamen non poſſe per privatam ſuam innocentiam excuſare, qvod publica civitas aut populus admiſiſſet. Nec enim inficias iri poſſe, qvin pars Senatus aut vires ſubminiſtrarit improborum audaciæ, aut conſilio conſenſuqve eos juverit; eaqve ratione ſe alienæ culpæ participem fecerit, ac*

jure

jure ad expenſas teneatur. Ut autem Rex Guſtavus illis illorum creditoribus ablata & non neceſſario bello moto perdita reſtitueret, ſe nulla lege naturæ cogi poſſe. Quippe ex vulgato dicto: neminem propriam culpam aliis objectare poſſe. æquum ergo eſſe, ut ex damno ſua culpa dato ipſi obligentur. Regem tamen ut pacificum Principem nolle honeſtas pacis conditiones repudiare, ſi orator plena poteſtate de pace agendi inſtructus eſſet. Reſpondit orator: *In hoc ſummam rei & legationis ſuæ verti, ut ſi Rex vetera illis privilegia reſtituere, & civitates Hanſeaticas ad mare Balthicum ſitas iisdem ornare velit, æternam, æqvam & ratam pacem utrinqve facile ſint inituri.* Monitus orator, ſi aliam poteſtatem haberet nomine Hanſeaticarum civitatum agendi, easqve ſimul includendi, præter fiduciæ literas illam Regiis Senatoribus exhiberet: ne qvod uno die decretum eſſet, altero irritum fieret. Ille regerit, Lubecam caput eſſe Hanſeaticarum civitatum: qvæ, niſi cum illis ea de re conveniſſet, ipſi in mandatis non dediſſet. Poſt aliqvot dies orator Lubecenſis ab ipſo Rege auditus, hoc reſponſum retulit: *Notum Lubecenſibus & aliis eſſe, qva ratione regnum Svetiæ antea magnâ diſcordiâ agitatum fuerit; interdum inter Regem & populum, interdum inter ſacri & civilis ordinis homines, nonnunqvam cum vicinis Principibus. Unde Reges Svetiæ neceſſitate circumventos, niſi inſtar juvencorum ad mactandam duci vellent, coactos fuiſſe ex conſilio præſulum & aliorum, ad Lubecenſium deſideria, qvæ regni fuerint detrimenta & libertatem ejus venalem fecerint, rata habenda & confirmanda. Lubecenſes vero, una cum hujus regni præſulibus ſtatim à coronatione regia huic rei velut leones prædæ inhiaſſe, ſibi perſvadentes, Regem ipſis mancipio fore; qvod tamen illis Dei beneficio non provenerit: ſiqvidem DEI virtute & gratia populum ſuum & regnum à cruentis hoſtium conſiliis & ſæva dominatione vindicarit, & gladio ac viribus armatis ſuos à Lubecenſium jugo ac vi liberarit, & eripuerit Svetiæ regnum excidio ac turbis, & inqietum ſtatum ac pacem repoſuerit. Ideò ſe non poſſe coram Deo & hominibus excuſari, ſi regnum ſuum, armis recuperatum, Lubecenſibus velut ſpolium objectaret, & reſtitueret illis nunc culpâ ſuâ amiſſas, & antea dolo extortas immunitates ac privilegia: qvod bellicoſum Principem non deceret nec jure ac conſvetudine receptum eſſet. qvippe Regis privilegiis hanc tacitam cautionem, qvod ſine fraude eius fiat, naturaliter ineſſe. Qvapropter ſibi ſpem facere de illis, ut qvi Chriſtiani ſint & Evangelici audire velint, non tam impenſe ipſius & regni detrimentum ac perniciem ſui commodi cauſa, ſed potius, ut DEUS eos docet, vias & compendia tam proximo qvàm ſibi ſalutaria qværant. Qvod ſi fiat, ſe ritè & honorificè ſuas qvoqve partes expleturum.* Ne verò legatus, qvi pleniori poteſtate agendi de pace non

erat

erat inſtructus, diutius impendente hyeme itineri incommodâ, detine-
retur, regni Senatus eum cum hoc reſponſo dimiſit: *Regem etſi gravi inju-
ria à Lubecenſibus affectum, tamen publicæ tranqvillitatis majori ſtudio, qvam
acceptæ injuriæ memoria, paratum eſſe cum illis amicam pacem redintegrare,
ſed illis conditionibus, quæ juri majeſtatis, libertati & regno non eſſent detri-
mento. Nec tamen velle prius ullas conditiones accipere, qvam ſibi pro dato
damno, belli ſumtibus & injuriis ſatisfactum eſſet: qvum non ipſe, ſed illi bel-
li cauſam dediſſent. Cætera amicè cum illis & omnibus vicinis tranſacturum,
regia tamen auctoritate & eminentia, regniqve libertate ſalvis.* Hoc reſpon-
ſum Balthaſar Funck, comitatus oratorem Lubecam, ſenatui Lubecen-
ſi tradere jubebatur. Oerebrogæ Senatus & proceres regni, rerum 1544
momentis ſerio diſcuſſis & qvantum in Principum regno deſtinata ſtirpe
ſit reipublicæ ſtabilimentum, & qvanto promtius tutiusqve cooptetur jam
certus ſucceſſor, qvàm qværatur incertus; æſtimatis verò maximè Gu-
ſtavi meritis, juſto, benefico & proſpero ejus imperio, in regia Familia
ejusqve continua ſerie regnum fecerunt hæreditarium. Cujus ut rata ma-
gis fides eſſet, digitis ſtricto Regis gladio impoſitis, jurejurando & ſacra-
menti uſu firmarunt. Ritus autem ante præmiſſum à proceribus juran-
dum, ab ipſo rege adhibitus talis erat: Cum Senatores & eqveſtris ordo
collocaſſent in ſtricto regioqve gladio digitos ſuos, Rex his verbis velut
ſacro carmine prævit: *In nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen. Ex omni-
potentis Dei divina vi & poteſtate mihi & omnibus meis regiis hæredibus ac Prin-
cipibus conceſſa, vobis & omnibus mihi ſubjectis imperandi, extendo hunc juſtitiæ
gladium ſuper vos in teſtimonium.* Mox juſſit eos ſolenne jusjurandum præ-
ſtare. Et præſtitum eſt in præſentia Regis & duorum ejus Filiorum Erici &
Johannis Principum, à regni Senatu, proceribus & epiſcopis. Idem poſtea
Nyloſiæ in conventu publico ab Ordinibus regni confirmatum & ſignatũ
eſt. Ibidẽ regni Conſtitutio à Cancellario Conrado à Phy ex Regis juſſu de
juſtitia rectè adminiſtranda, bonis publicis & caſtellis fideliter admini-
ſtrandis, contractibus & commerciis integrè exercendis, militia juſta &
diſciplina militari tuenda, tributis pub. communi conſenſu approbatis,
ſincerè exſolvendis, & felici imperii ſtatu conſervando publicata eſt. qvæ
adhuc in regni archivo adſervatur: præter alias regno utiles conſtitutio-
nes à Rege editas. Seditio Laurentii Johannis in Oſtrogothia contra No-
biles & alios, qvi Evangelicã fidem amplectebantur excitata, mox factionis
ducibus capite plexis conqvievit. Inde in conventu Calmarienſi inter Sve-
cos & Danos Legatos definitum eſt de ære alieno cum æqvis uſuris qvinq;

pro centum Nyloſiæ proximo anno a. d. XVI. Februarii ſolvendo; vel ducentis eqvitibus, ubicunqve placeret uſqve ad plenam ſolutionem alendis; aut immittendo Regem Guſtavum ejusqve nomine delegatos in poſſeſſionem arcis Bahuſiæ, Akerhuſiæ & Wikiæ; aut ſi immiſſio iſtic ceſſaret, regni Daniæ delegatos & Senatores qvotqvot ad hoc legerentur, ſub exiſtimationis ſuæ periculo obligatos fore cum qvinqve eqvis & miniſtris Nyloſiæ convento loco ſe ſiſtere, nec inde digredi, donec Guſtavo Regi ſatisfactum eſſet. Ibidem de Gothlandia & qva ratione ad Svetiæ regnum redire poſſit, ſed irrito conatu, agebatur; resqve in ſeqventis anni comitia Calmarienſia unà cum aliis de prædiorum in utroqve re-
1541 gno & fœderis jure controverſiis differebatur. Unde princeps legationis Conradus à Phy Cancellarius Regis offenſam incurrit, qvod non tam accuratè & prudenter negotium egiſſet, atqve Rex juſſerat. Cœcilia regis filia vertente anno in lucem edita, & poſtea in matrimonium Chriſtophoro Marchioni Badenſi elocata eſt. Hic annus in primis felix fuit inæſtimabili theſauro, Bibliorum in lingvam Sveticam nunc primò verſorum editione. qva hactenus deſtituta Svetia demum à Guſtavo primo donata eſt, dum Regis beneficio ac impenſa, Laurentii Petri Nericienſis, Upſal. Præſulis tanqvam primarii interpretis, & aliorum ſocio labore Upſaliæ à Georgio Rickholffio typis excuſa, & in lucem emiſſa eſt. Ob annonæ penuriam hic ad tempus prohibetur evectio frumenti, boum & aliorum ad victum pertinentium: ut domeſticæ neceſſitati ſerviret domi natum; donec uberiori annona etiam in exteros aſportari ac divendi poſſet. Æris alieni ſumma, nimirum triginta unus mille nonaginta ſeptem cum dimidio nummi unciales Nyloſiæ perſoluti ſunt regio nomine Senatoribus aliqvot regni à Guſtavo eò miſſis per amicos Chriſtiani, qvi etiam ab illis in ſolutionis fidem receperunt omnia chirographa & ſignatas obligationes, cum dictæ ſummæ apocha. Conſtitutio à Guſtavo edita eſt; *Ut prædia tributaria* (Cenſitica aliàs dicta) *ſarta tecta facilius habeantur, impenſam tertia aut qvarta parte penſionis annuæ deducendâ ſublevari. Recognitionem ædificiorum ſub pœna publicationis prædiorum ſtatis temporibus inſtitui. Qui majorem partem prædii tributarii poſſideret & maximè idoneus eſſet ad poſſidendum, illi facultatem fieri redimendæ reliqvorum hæredum partes pro æqvo & uſitato pretio. Nec ulli poteſtatem fore dicto aut facto contra illam eundi.* Qvod eo conſilio fiebat, ut unum prædium ab uno poſſeſſum majori cura haberetur, commodius inſtrueretur & melius coleretur, nec plures de eo contendendi & rixas fovendi locum haberent: nec tributo regio à pluri-

pluribus unum commune prædium colentibus fraus fieret. Item edictum publicatum Upſaliæ *de ſacro ordine non onerando hoſpitiis, niſi volente, & pro æqvo pretio; exceptis regni miniſtris literis commeatus ſub ſigillo regio inſtructis; ut tamen neceſſario victu contenti ſint.* Ad comitia Calmarienſia rex mittebat Legatos ex Senatu Conradum à Phy, Stenonem Erici, Laurentium Siggonis, Johannem Thuronis, Birgerum Nicolai, Magnum Johannis & Georgium Normanum cum hoc mandato & poteſtate, ut congrederentur cum Danico Senatu in limite Brômſebroënſi, animo decidendi controverſias inter utrumqve regnum intercedentes, qvæ proximè elapſis comitiis Calmarienſibus huc dilatæ erant, donec ambo Reges ipſi convenirent: ne interea tempus inutiliter tereretur, & Reges longa aut in ani diſceptatione diu fatigarentur; ſed pax, concordia & qvies ocyus utrimqve ſanciretur. Dicti regis Svetiæ Senatores & Legati cum regis Daniæ Chriſtiani Senatoribus & Legatis Axelio Bragd, Trudone Ulfſtand, Canuto Gyllenſtiern, Birgero Trolle & Jeſpero Brocman congreſſi, de his capitibus egerunt: *de jure Gothlandiæ Svedis debito. De octingenties mille thalerorum damno reſarciendo, qvo affectus eſſet Guſtavus in nupero bello, pro regni Daniæ & incolarum ejus defenſione & ſalute ſuſcepto. Ut prædia in Dania & Norvegia, quotqvot iſtic ſibi vendicant Sveones, illis abſqve impedimento reſtituantur; & ſententia de illis in Dania lata tradatur Guſtavo, & caſſa & irrita pronuncietur. ut caput decreti Hamburgenſis, qvod loqvitur de regis Guſtavi & Svetiæ regno, Comitis Johannis hæredibus, Bernhardo Mylio & Lubecenſibus, reſcindatur. Ut diſſidium inter regem Guſtavum, Ducem Pruſſiæ ac Dantiſcanos componatur. Ut Guſtavus in fœdus Evangelicum recipiatur. Ultimò de utriusqve regis conventu agatur.* Capita priora de Gothlandia, & Sveonum bonis in Dania & Norvegia, remiſſa ſunt à Legatis Danicis ad arbitros utrinqve à ſtudio partium alienos eligendos. Reliqvis verò poſterioribus à Chriſtiano ſatisfactum iri, fidem dederunt. Poſtea reges Guſtavus & Chriſtianus obſidibus utrimqve datis in utriusqve regni limite Brômſebroenſi convenientes pacem qvinqvaginta annorum & fœdus adverſus qvoscunqve hoſtes renovarunt his legibus: *Ut paribus animis & fide commune bonum procurarent, malum arcerent. Eosdem hoſtes, niſi pax interveniat, haberent; & ſocii ſtipendio, tempore belli, aut deficientibus cibariis, nec ſtatim ſuppetentibus, ab altero ſocio pro æqvo pretio juvarentur. Ut bellum, & pax cum hoſtibus de trium regnorum ſententia decerneretur; nec qvid temerè aut in fraudem ſocii fieret. Leges militares litibus finiendis, & qvæ exercitui pro norma vitæ actionum eſſent, conderentur. Terreſtri bello Svedi Danis & Nor-*

vegis prima compellatione & expeditione ſubvenirent, duabus equitum, ſex peditum centuriis. Dani & Norvegi Svecis totidem equitibus, ſed octo peditum centuriis; ſecunda expeditione, ſi majores hoſtium vires eſſent, qvater mille qvingentis militibus, aut pluribus, ſi neceſſe foret. Maritimo bello inſtructa claſſis utrinqve præſto eſſet. Locus aut provincia in ſocii ſolo hoſti erepta, ſocio bona fide reſtitueretur, cujus ante fuerat, ſi verò caſtella aut munimenta hoſtilis terræ occuparentur, ea vel ſolo æqvarentur, vel ſocio milite ac præſidio communirentur. Pars bello laceſſita dimidium rerum ab hoſte captarum obtineret: qvia ſumtus belli vel ſolos vel præcipuos feciſſet, pars auxiliaris tertiam partem teneret, donec ipſi belli expenſæ reſtituerentur. Si verò pares utrimqve ſumtus facerent, ex æqvis partibus bona hoſtilia capta dividerent. Si unum horum trium regnorum tam gravi bello infeſtaretur, ut ſolum ei ſuſtinendo diutius non ſufficeret, alterum regnum obligatum erit ſuccurrere infeſtato regno, nulloqve modo illud deſeret, ſed finiet bellum victoria aut pace adjutabit. Si verò qvietum regnum bello adflictum non ulterius uſqve ad pacis aut belli finem adjutare poſſet, aut pacem pecunia venalem redimere & conſummare nollet, & oppreſſa pars pro ſe pacem ex neceſſitate facere cogeretur, hoc ipſo non faciet contra fœderis legem, ſed illud nihilominus firmum ac ratum erit: Regnum tamen ad pacem faciendam compulſum, maximè operam dabit, ut alterum regnum eadem pace comprehendatur. Sed ſi Dei omnipotentis providentia (qvod utraqve pars indies à Deo precabitur) & amicorum interpoſitione cum trium regnorum hæreditariis hoſtibus æterna pax iniri poſſet, unum regnum ſe non ſejunget ab alio, nec ſolum, ſed reliqvis conſultis & conſentientibus pacem faciet. Pace verò irrita ſocietas tamen & mutuum auxilium ſtabunt. Nullum horum regnorum fœdus, amicitiam aut contractum cum qvoqvam Principum aut republ. inibit; aut privilegia & immunitates promittet, in fraudem alterius. Si unum ex his regnis adverſus qvosdam ſuorum hoſtium ſeorſum bellum facere velit, & ſocio tale, ut minus neceſſarium, viribus juvare commodum non ſit, illa pars, qvæ contra alterius conſilium nihilominus bellum urget, de auxilio, qvod non abnuendum, cum ſocio ſeorſum aget, libero utrinqve tranſitu. Omnis rebellio ac ſeditio utrinqve communibus opibus reprimetur: Si inter hæc tria regna lites de privilegiis, ſive jure alterutrius regni, ſive alia cauſa oriantur, ſex aut duodecim arbitri ſecundum negotii naturam, communi conſenſu & juſſu eligentur, & ſtato commodoqve utriqve loco plenâ cum poteſtate convenient, veritatis inveſtigandæ, juſti injuſtiqve cognoſcendi cauſa. Qvod ubi factum fuerit, ſub Chriſtiano honore, fide & conſcientiâ obligati erunt inde non digredi, prius

di, prius qvàm absqve omni privato affectu & cunctatione negotium illud vel jure deciderint, vel amicè compoſuerint. Et qvod ita cognoverint & pronunciarint, ſcripto conſignatum expromment, ea integritate, qvam Deo & hominibus probare poſſint. Si lis aut diſſidium oriatur inter qvosdam trium horum regnorum Nobiles, Equites alioſve incolas de rebus ſoli, proprietate, homicidio aliaqve cauſa, ſex vel octo pro re nata boni, non ſuſpecti arbitri conſenſu juſſuqve communi conſtituentur, qvi litem ſecundum loci, in qvo res controverſa ſita aut delictum admiſſum eſt, ſtatuta dirimant aut amicè componant. Si qvidam horum regnorum eqveſtris ordinis viri aut alii incolæ fortè falsò accuſentur & deferantur ad ſuum dominum vel regem, eoqve nomine ejus offenſam mereantur, & proſcribantur ex ſuâ patriâ; atqve ſe recipiant in aliqvod horum regnorum, ibi tolerabuntur & fide publica ac patrocinio, prout fas & jus eſt, non cum alterius regni adversâ voluntate aut probro, fruentur, donec in jus vocentur aut ad amicam transactionem. Si eorum cauſa tam juſta ſit, ut jus & judicium admittat, octo arbitris à ſtudio partium alienis, qvatuor ex uno & qvatuor ex altero regno ſiſtentur, qvi eorum cauſam ventilent & examinent, eam jure vel amicè, ut ante dictum eſt, decidant; & qvidqvid illi pronunciarint, actor & reus ratum habebunt. Si verò cauſa rei manifeſtè injuſta ſit, ut ſi ille qvid inſidioſum aut hoſtile machinatus ſit adverſus Regem ſuum aut patriam ſcripto aut ore, verbis aut factis, atqve ſic ei lege frui non liceat, neqvaqvam in aliqvo horum regnorum feretur in præjudicium aut injuriam alterius; ſed ut profugus & facinoroſus juſta perſeqvutione & damnatione afficietur. Si Nobilis alicujus aut alterius miniſter fugiat ex uno regno in aliud, nec à domino ſuo, cui ſervitutem ſervivit, cum bona gratia & literis commeatus dimiſſus ſit, à nullo iſtic detinebitur, aut in ſervitium recipietur. Si verò in mandatis aliqvid habuerit, & aufugerit cum codicillis rationum, absqve domini ſui apocha; detinebitur in carcere vel ſub idonea ſatisdatione ab illis apud qvos deprehendetur: donec hujus facinoris arguatur & promeritam pœnam ſubeat. Omnibus inconſultis & temerariis diſſidiis occurretur; concordia & pax reſarcietur & ſtabilietur; ſalvo tamen ſingulis Regibus eorumq́; poſteris ac hæredibus ſuo jure, regalibus, privilegiis & libertate, ſalva etiam pro regnorum, temporum, ſeculorum ſtatu & fato addendi, augendi, mutandi, detrahendi huic fœderi, ex communi conſenſu, & facultate. Singula fœderis capita, ſub pœna vel mulcta C. M. numorum uncialium cum expenſis damni dati inviolata ſervabuntur. Secundum ſuperius fœdus, decretum inter utrumqve Regem factum eſt in Rotneby Blekingiæ in hanc ſententiam: *Si Rex Guſtavus, Lubecenſes & alii in decreto vel receſſu Hamburgenſi comprehenſi coram rege Daniæ aut arbitris ejus litigaturi ſententiæ*

latæ parere nolint aut æqvam inſiſtere viam, ſed Regem Guſtavum & Svetiæ Coronam infeſtent, Chriſtianus rex ei contra eos auxilio & conſilio præſto erit. Si Elector Saxoniæ & Landgravius Haſſiæ aliive qvocunqve modo juverint & promoverint Bernhardum Mylium ad moliendum qvid hoſtile contra Regem Guſtavum & Svetiæ regnum, pari modo Chriſtianus Rex ſubveniet reg Guſtavo. Si verò Chriſtianus Guſtavo cavere pro Bernhardo, & iſte per jugulum revocare velit calumnias & famoſos codicillos in Guſtavum editos, ſe ter mille daleros ex dote uxoris, aliaqve in publicum addicta, laturum. Si Dux Pruſſiæ à Chriſtiano Rege corrigi nolit, aut Regi Guſtavo tradere profugos ex Svetia Wolffgangum Gylerum, Olaum Brömſium, Fridericum Widmannum Johannem Wittium, & plures alios, ſed minimum qvid machinetur adverſu Regem Guſtavum & regnum Svetiæ, Chriſtianus ex lege fœderis Guſtavo opitulabitur. Dantiſcum cum rege Guſtavo amicè conciliabit, qvod ſi non poſſit, fœdus nihilominus ſervabitur. Statim poſt hoc fœdus Chriſtianus occludit Hollandis tranſitum Öreſundæ, inſcio Guſtavo, eosqve ſibi inimicos reddit. Dum Guſtavus eſt Calmariæ, Legatus Chriſtophorus Richerius à Franciſco Valeſio Rege Galliæ, tunc bellum adverſus Carolum V. parante, ad eum venit, ſocietatis & amicitiæ contrahendæ cauſa. Qvod tam gratum fuit Regi Guſtavo, ut per Legatos ſuos Stenonem Erici, reginæ fratrem, Conradum à Phy, Canutum Andreæ Eqvitem auratum & Gregorium Normannum ad Regem Galliæ miſſos, cum eo fœdus, ùti pluribus munimentis inſiſteret, confirmaret his conditionibus: *Ut alter alteri ſuppetias veniat cum ſex mille militum copiis, præter claſſem & arma, qvum ab ipſo poſtulabitur; Sed impensâ poſtulantis. Si majore ope opus ſit, invicem ſibi ſuccurrant cum viginti qvinqve millium militum exercitu, & qvinqvaginta navium armatâ claſſe adverſus qvemcunqve, exceptis, qvi huic fœderi eſſent incluſi, nimirum Regibus Daniæ, Scotiæ, Borusſiæ Duce, Geldriæ & Cliviæ, item Rege Angliæ, ſi intra ſemeſtre ſuum ad hoc fœdus nomen det. Si Rex Scotiæ qvibusdam copiis auxiliaribus Franciæ eguerit, Regem Svetiæ ea cauſa compellatum Gallis claſſem ſex mille virorum impenſis Scotorum expedire paratum fore. Parem operam & auxilium Regem Scotiæ ex Gallia in Svetiam expromturum. Si qvis fœderatorum Principibus hujus fœderis, velut Regi Svetiæ vel Galliæ bellum facerent, Gallos obſtrictos fore Svedis talem opem ferre, qvalem Svedi ipſis ferent. Civibus utriusqve Regis libera fore jura commerciorum in utroqve regno absqve ullo interdicto. Milites emiſſos tam tuto commeatu fruituros in eo regno, in qvod devenirent, qvàm in proprio, modò qvieti eſſent.* Has conditiones jurejurando & patentibus literis

teris firmabant. De Nyloſia cum Elfsburgi arce majoris præſidii ergo conjungenda decernitur. Qvod tamen poſt triennium demum effectum eſt. 1542 A Ferdinando Primo, Legatus Johannes Georgius Baumgartner huc ad Regem Guſtavum acceſſit, de cenſu, ut vocant, Turcico in bellum contra Chriſtiani nominis hoſtem, etiam à Rege Guſtavo deſiderato. Sed Guſtavus ærarii bellis inteſtinis & qvorundam tyrannide exhauſti ærisqve alieni difficultate civiliter hoc excuſabat, aut ſi qvid opum ſupereſſet, adverſus vicinum hoſtem Ruſſum, non fermè minus qvàm Turca ſit, infeſtum, impendendum eſſe. Se tamen, ſi Chriſtiani Principes & membra Imperii cum cæteris Chriſtianis Regibus & Ordinibus jungere ſuas vires & animos contra Turcam velint, ſuis qvoqve partibus non defuturum, cum ſpe cautionis Ferdinandi de pari ope & animo in qvovis neceſſitatis articulo. Circa hæc tempora Nicolai Dack ſeditio, ut tabes, morâ & ſucceſſu aliqvo creſcit, & plures corripit; ita ut primò centum, inde aliqvot millia factioſorum exciret; & à cædibus ac rapinis vires ſumens, ægrè comprimeretur. In Moringia auſtrali regium miniſtrum Nicolaum Andreæ cum tribus ſervis Dackius trucidat. In VVartorpio Nicolaum Laurentii territorio præfectum & Arvidum VVeſtgothum virtute bellica elatum capit, ejus prædium exſpoliat: inde veſtibus exutos arbori alligat & telis transfigit. Gudmundum Slattam Nobilem virum ſocii ejus impetunt, prædium ejus Gråskiålenſe diripiunt, in morbo jam biennium decumbentem, & in extremis ferme agentem, tribus glandibus plumbeis Dackii commilitones aut potius ſicarii transverberant, beneficium rati, ſi mortem ipſi feſtinarent. Ne qvidem à ſacris prædones manus abſtinent. Qvid enim illi divini aut humani juris fœdus curarent? qvibus nihil ſanctum erat, qvod eorum avaritiæ & rapinæ obvium eſſet. Ex æde Wekelſongenſi rapiunt Magnum Petri de Liema cum Magno Holm, qvi ſcribæ operam poſtea Dackio locavit. Colonis iſtius parœciæ pro ejus ſangvine ingenti vi pecuniæ redimendo fidem ſuam interponentibus, nihilominus prædam in ejus villa faciunt, qvam in Blekingiam abripiunt ibiqve partiuntur. Ut rex accepit, qvomodo ſeditioſi iſti receptu & viribus à Blekingiis, inprimis conſule Rotnebyenſi juvarentur, ad Chriſtianum primò ſcripſit de puniendis eorum receptatoribus. qvod & Chriſtianus promiſit, ſed nullo fructu atqve exſecutione. Guſtavus, ne vires ſeditionis nimis augeſcentes tandem remedium ipſum ſuperarent, primam qvamqve & commodiſſimam ſupprimendi ejus flammas rationem qvæſivit. Smalandenſes literis monuit, ut memores juratæ fidei & obſeqvii in

Regem, qvieſcerent, nec ſe miſcerent factioni reliqvorum, nec eos domo aut menſa reciperent. Adverſus ſeditioſos coëgit armatam manum, ut qvi molliori via nollent, vi coërcerentur, Guſtavo Olai & Severino Kylio ducibus. Interim Dack Svantoni Sture arcis Stegeburgenſis præfecto, ſi ducis partes capere & avitæ eos libertati permittere velit, nimis feroci ſpe ac ſpiritu obtulit regnum & cum ſuis obſeqvium; qvaſi, qvi vix ingreſſus limen regni; jam ſummâ rerum potiretur, & nutu ſuo partiri ſceptra & poteſtates valeret. Sed qvid ſibi non promittit effrenis & armata militia? Svanto perfidum inceptum averſatus, ſua ſorte contentus & fidei integer manſit. Armorum ferias, qvas cum eo Guſtavus Olai & Severinus Kyle pacti erant, non ſervavit Dacke, nullius fidei homo; Thuronis Trolle aulam Berqvaram deprædatus, uxorem ejus à puerperio recentem lecto exegit. Duos prætores regios occidit. Magnus Princeps Regi Guſtavo hac tempeſtate natus, poſtea Dux Oſtrogothiæ & Daliæ factus eſt. Incendium ingens Upſaliæ ortum majorem urbis partem abſumſit. Suſpicionem incendii hoſtilis haud dubiam fecerunt reperti intra tecta incenſi funiculi cum fomite. Rex Daniæ Chriſtianus invitat Regem Guſtavum ad colloqvium in regni limite & conſilium de novis inſidiis à Chriſtierni liberis & horum tutoribus contra tria regna cogitatis. Sed Guſtavus ob domeſticos Dackii motus & aliorum hoſtium vicinorum Ruſſorum, Mekelburgenſium, Lubecenſium, Cæſarianorum, Palatinorum & Chriſtierni fœderatorum, abeſſe non poterat. Qvippe domi in perpetua cura adverſus eorum machinationes excubabat,& ad vim arcendam paratus, copiis in patria foriſqve apud amicos Principes conductis & in expedito ſtantibus, ab hoſte externo magis formidabatur, qvàm laceſſebatur. Dum Dacke inteſtinus hoſtis aut verius latro graſſari pergit, Petrus Brahe, nepos ex ſorore Guſtavi I. Laurentius Siggonis Sparre & Johannes Turonis in Smalandiam excurrunt, aliis cum agmine in Oſtrogothiam miſſis, ne agricolæ forte vicini mali contactu ibi qvoqve tumultuarentur. Bina militum ſigna à Guſtavo Holmiâ, ducibus Bothvido Laurentii & Petro Hannobero emiſſa, dum ad Guſtavum Olai & Johannem Turonis firmandi copias eorum cauſa, tendunt, in Kindiâ, inter prærupta montium & ſylvarum, qvum, itineribus dejectu arborum ſeptis, alia via non pateret; deprehenſi & circumfuſi cæduntur; haud tamen inulti. Qvippe mox trecenti Dackianorum ad pagum Haddetorpium in parœcia Slaka ab Abrahamo Erici

& Bot-

& Botvido Laurentii partim ſomno graves exuſti, partim in acie trucidati ſunt, qvatuor ſolùm noſtrorum deſideratis. Mox clades clade, & qvidem juſta, ut in perduelles; cumulatur, dum Laurentius Siggonis, non ſolùm titulo, ſed & virtute dux, ſceleris duces Johannem cum qvadringentis militibus, Jonam Hanium cum trecentis & Nicolaum Scarfvium cum centum fudit. Hac ſtrage aliqvantum domiti Dackani, paciſci cum Rege Guſtavo deſiderant. Qvin Rex, ut malo & ſangvini civium finem qvocunqve modo faceret, pactiones cum illis inivit. Agreſtes & plebeji, obtentui, ut ſolent, motibus civilibus ſumto, *qverelis de injuſto imperio, de injuriis ſibi factis, jure à dominis & prætoribus denegato, nec fide promiſſorum ſervatâ, de ornamentis non uni ædi ſacræ detractis & ceremoniis veteribus ſacrorum abolitis, de invidia cultiorum veſtium & ædificiorum illis facta: de armis ademptis, de interdicto cædendi fagum, de nimio tributorum onere aliaqve ad regem deferebant.* Qvorum etiamſi qvædam vera eſſe poſſent, tamen qvaliacunqve conjurationem adverſus Regem ſuum & arma civilia non excuſabant. Nihilominus Rex, ſi qvieſcerent & parerent, nec inteſtino tumultu ſeipſos aliosqve ad exitium usqve fatigarent, illis eorum, qvæ hactenus ignorarat & remedio digna videbantur, emendationem promiſit. Qvin graviter eos alloqvutus, *præſenti ſtatu, qvem pravi homines inconſultâ audaciâ permiſcerent aut turbarent, contentos eſſe* jubet: *& dum ad veterum temporum ſortem iterum aſpirando, priſtinæ libertatis imaginem & qvas non immunitates ſibi ſomniarent, viderent, ne inani ſpe ac deſiderio præſentem felicitatem temerè permutarent. Nec enim omnia priſca regno ſalutaria; nec annis, ſed ratione & uſu hominum inſtituta metienda eſſe. Qvin novum hoc magis in rem patriæ fore, ut pacis tempore de bello qvoqve cogitetur: ne ſubitò exorti motus imparatos opprimant; ideoqve regnum majoribus & concinnius armatis copiis, inſtructiori claſſe & armis, qvam ante, præmuniatur. Ad luculentiorem autem & neceſſarium belli apparatum majores etiam ſolito expenſas & tributa reqviri. Qvod tamen à vulgo parum penſi habeatur, veteres ſubinde mores reſpiciente, nec qvid noſtrorum temporum necesſitas jubeat, aut utilitas regni ſvadeat, æſtimante. Nihilominus plebem à vi hoſtium per Regem ſuum defendi, tutelâ armorum & ſecuritate publicâ frui cupere; ſed qvàm minimo ſuo impendio; &, ut proverbium habet, caleſcere velle, ſed integrâ ſalvâqve lignorum ſtrue: qvaſi commoda abſqve onere qvodam & impenſa eſſe posſint. Poſt fidos & cordatos cives, regni præſidia eſſe arma, claſſem, fiſcum; qvibus maiorum ætate non ſatis ſuppe-*

ditantibus, non unam nec levem cladem & calamitatem accepiſſe patriam. Qvantos autem ipſe ſumtus fecerit in extrahenda jugo Chriſtierni patria, & aliis deinde hoſtibus vicinis aut domeſticis debellandis, cui ignotum eſſe? & tamen modica ſubditis tributa imperaſſe. Quæ ſi nunc paulum augeantur, annona ingraveſcente & creſcentibus rerum pretiis, nihil mirum aut inſolens fore. Si tamen cum ſuperiorum temporum & nuperæ ætatis adflictâ fortunâ contendantur, levia & pene nulla eſſe. Etſi enim major tunc frugum ubertas & rerum vilitas, qvàm hodie fuerat, tamen fructus regni graſſantium qvorundam Principum & præſulum avaris & violentis manibus prædæ fuiſſe. Qvod verò intolerabilius, vitam, facultates & corpora tyrannorum libidini, conſcientias alienæ dominationi, & animas æternæ ſalutis diſcrimini obnoxias fuiſſe. Nunc verò patriam DEI ope & Guſtavianâ curâ non ſolùm à ſæviſſimi tyranni manu, ſed & ſuperbo Epiſcoporum regno & animorum periculo exemtam, verâ libertatis & tranqvillæ pacis aurâ reſpirare. De qvo ſibi cives maximè gratulari, in qviete & fide eſſe, nec malevolorum pravis ſermonibus aut factionibus auferri, fas & pietatem erga Regem poſtulare, publicæ & domeſticæ proſperitatis intereſſe. Bis mille Dalecarli armati ſuppetias ivere Regi contra Smalandos; ſed pactione cum rebellibus facta, domum remiſſi, & laudata eorum fide promptaqve opera, alii occaſioni parere juſſi ſunt. Rex Guſtavus iterum per Daniæ Regem Chriſtianum, ablegato Georgio Corpero, à novis Chriſtierni tyranni cognatorum & fœderatorum adverſisqve molitionibus ſibi cavere monitus, ad colloqvium de junctis viribus contra communem hoſtem parandis invitatur. Patentes ab eodem literas accipit, qvas Rex Daniæ ad Smalandenſes deſtinarat, ſi Guſtavo ſic placeret, hujus ſententiæ: *Si Rex ipſorum gravis eis fuiſſet; ſe hanc viam initurum cum Guſtavo, ipſis volentibus, ut remedium huic rei aptum inveniretur.* Sed qvò hæ literæ valerent, Guſtavus ſuſpicatus, in manus Smalandenſium devenire noluit: ne his velut claſſico qvodam, aut nova ſpe ad majorem rebellionem accenderentur. aut qvas vellent, pacis leges Guſtavo ferrent. Itaqve literas iſtas in Daniam remiſit. Chriſtianus inſuper per Secretarium ſuum Guſtavo ſignificabat, ſe tranſitum per Daniam aliqvot Germanicis copiis, in Svetiam ſtipendii ſub Guſtavo merendi cauſa euntibus dediſſe. Se propediem plures auxilio ſubmiſſurum. Guſtavus Cancellarium ſuum Chriſtophorum Andreæ in Hedåker & Georgium Normannum in Daniam, comite qvoqve Chriſtiani Secretario, expedit, ut regio nomine cum Chriſtiano conſultarent de modo procellis mótuum

tuum belli ac ſeditionis foris occurſandi; & de auxiliaribus copiis ex lege fœderis ab eodem capiendis. Qvia verò ſuis Legatis Guſtavus mandata dederat, ut poſt negotium Regi Daniæ expoſitum ſejungerentur, & Normannus diverſus iret in Pomeraniam, à ducibus Barnimo & Philippo liberum iſtic recenſendi militis à Guſtavo conducti ſpatium & tutum iter petendi cauſa; Chriſtophorus autem in Dania ſubſiſteret, ad reſponſum à Chriſtiano accipiendum, cum qvo ſtatim huc terreſtri itinere reverti juſſus erat; ille, incertum qvâ mente ſibi inſpiratâ, illic remanſit, nec reſponſum remiſit. Revocatus domum non paruit, ſed ſpecie valetudinis curandæ, uxorem ac liberos cum pretioſis qvibusq; in Germaniam adduci fecit, atq; iſtic commoratus, animum redeundi, ut feræ beſtiæ ſolent, amiſit; non tamen ex dignitate muneris & fide patriæ debitâ. Guſtavus fœdus religionis, ad qvod ante à Chriſtiano allectus erat, cum Saxone & Heſſo ferit, publicæ ſecuritatis & eccleſiaſticæ qvietis communibus opibus tuendæ cauſa. Dacke autem, ut ad illum redeamus, obduratæ perfidiæ homo, pactis haud diu ſtetit. Prædatione in ſpeciem prohibitâ & pace indictâ, mox tamen ad ingenium redit, cœtus in Sunnerbo & Wexionia cogit, agreſtes denuò concitat. Qvidam tamen eorum, qvi Laurentii Brômſii prædium exſpoliarant, à Guſtaviano milite, in confiniis Smalandiæ & Weſtrogothiæ adverſus tumultuantes excubante, capti pœnæ ſervantur. Dacke autem magis ſtimulatur literis Alberti Ducis Mekelburgici ad eum miſſis per civem Roſtochienſem Johannem Pflugium, qvi factioſa etiam colloqvia cum eo ferebat. Poſtmodò in Daniam digreſſus & literis liberi commeatus à Dackio inſtructus, in qvibus nomine ejus mutato Laurentium Johannis ſe appellabat, iſtic captus & capite plexus eſt. Paulò ante mortis ſupplicium, ut Chriſtianus Guſtavo per literas indicarat, faſſus eſt: Albertum ſcripſiſſe ad Dackium, *ſibi compertum, qvomodo cum Smalandis adverſus Guſtavum conſpiraſſet, & per emiſſos obtuliſſet Chriſtiano regnum Svetiæ; qvod ille tamen recuſarit, & copiis Guſtavum contra ſe ſuosq; juverit. Verùm ſi Dackio ejusq; aſſeclis placeat, ſe regem eorum fore, ac ducem ad profligandum regno Guſtavum; ita tamen, ut pecuniâ conducendo militi, & ope ſua ipſi præſto eſſet.* Dackium reſpondiſſe: *Se jam Regi Guſtavo conciliatum, ſperare fidem promisſi ſibi ſervatum iri; qvod ſi Guſtavus faciat, ſe meliorem ſibi Regem haud expetere. Si minus, adeſſet Albertus, ſed benè nummatus. Ita nec ſuam ei operam clauſurum.* In peſſimo deinceps inſtituto progreſſus Dacke, à Rotnienſibus receptum & comerciorum libertatem expetit. Sed illi, donec Regis animũ de hac re diſcerent, abnuunt. Inde odio inteſtino ex ſævitia in ſuos orto, qvod ad conſensũ factioſorũ diſſolvendũ & vi-

res ſeditionis diſtrahendas pronum eſt, dum magnum Hanium Smalandenſem colonum gente non obſcurâ natum obtruncat, & ſenes aliqvot ruſticos duris compedibus conſtrictos abripit & crudeliter tractat, in ipſius vitam non pauci factioſorum coire & conſpirare cœperunt. Hiſce mox acceſſere Nobilium aliqvot familiæ: qvum Georgii Erici prædium exuſſiſſet, Johannem Kyle ſenem, Johannem Nicolai & Jacobum Andreæ in Oelandia trucidaſſet. Qvum ergo ſe non ſatis tutum cerneret, ad Magnum Johannis, Petrum Brahe (qvi antea à Rege Chiliarcha factus, fortiter adverſus hoſtem egerat, eoqve notæ famæ erat) & Georgium Erici regni Senatores ſcripſit: *agerent cum Rege de ſua ſecuritate & prædiis aliqvot ſibi concedendis; ex qvibus Regi centum milites ad tuendam Smalandiam alere poſſet.* Homo impudentiſſimæ audaciæ pro maleficiis beneficium repoſcit; ſed qvi arma & militem in manu ſua habebat; & fiduciâ Cæſaris, Alberti Ducis Meckelburgici, Bernhardi Mylii, Archiepiſcopi Johannis Svvineſot, Olai Beronis & Lubecenſium, opem ipſi contra Svetiam & Daniam, ut non ſemel ipſe palam jactarat, promittentium, arrogantior factus, qvidvis petendi, ac, ſi negaretur, ſuo ſibi arbitrio ſumendi facultatem eſſe credebat. In
1543 eandem ferè ſententiam ad ipſum Regem ſcripſit. Rex ipſum ad ſe evocatum it ſpe tuti aditus, ſed ille tantorum facinorum conſcientiâ Regi non fidens, abeſt & ſeditioſas actiones urget, agricolas immunitatis præmio ſibi addictiores facit, cædibus & direptionibus incumbit. Rex comitiis Örebrogæ indictis, cum procerum conſenſu ex omnibus regni oris contrahit Vadſtenas militem: ut juſtis armis Dackio & factionis ſociis, ne nimis creſcant, obſiſtat; & duces ſuis expeditionibus & hoſtis conatibus per certos fidosqꝫ homines explorandis intentos eſſe jubet, & inde ſua inſtituere conſilia, progreſſus & actiones. Dacke verò Moringiam auſtralem populando pervagatus, Calmariam tendit, & duobus caſtris ad Haſnoum & Kleckebergum eam obſidet. Sed à Germundo Svenonis arcis præfecto cæſis amplius centum ſtrenuè repulſi Dackiani, Stegeburgum aggrediuntur. Inde qvoqve à Svantone Sture arcis præfecto rejecti, unius menſis inducias paciſci cæperunt. Easdem à Svantone obtinebant his conditionibus: *ut tormenta & eqvos ſibi ablatos reciperet, & inprimis aqvam recentem: qva obſeſſis tunc maximè opus erat.* Inſertum etiam pactis, *ut dux eorum in gratiam & fidem Regis Guſtavi reciperetur.* Svanto Sture in Tiuſtiam, Johannes Thuronis & Laurentius Siggonis conjunctis copiis in Kindiam & vicinas oras moventes, Dackii milites & ſocios partim in fidem ac deditionem accipiunt, partim internecione delent,

Dackio

Dackio etiam in utroqve femore graviter vulnerato. Sic, ut conſue-runt adverſa plerumqve vulgi mobilis animos & fidem commutare, pleri-qve ſuperſtites diſſipantur & fugam capeſſunt, extremam cum Dackio for-tunam non laturi; niſi qvos illius falſus rumor de ſævitia Sveonum victo-rum in qvosvis, etiam inermem ſexum, ad ſeditionem evocarat. Ipſum verò præcipuè animabant promiſſa & literæ Alberti Mechleburgici, Cæſa-ris, Electoris & Magni Epiſcopi Scarenſis, poſteà interceptæ. Ex qvi-bus inter cætera qvoq; cognitum eſt, qvod Cæſar Nicolao Perenotto Gran-villano intimo ſuo Conſiliario in mandatis dederat, proficiſci aut ſcribere in Svetiam Comitis Palatini cauſa, & civibus perſvadere: uti ſub fide reli-gionis & privilegiorum confirmationis, Comitem Palatinum pro Rege ſuo acceptarent. Inter Cæſaris mandata etiam reperta ejusdem ſyngrapha, & præter alia hæc verba: *Et nos de gente Gothorum ſumus.* Literis Magni E-piſcopi Scarenſis incluſæ erant Electoris ad Dackium, qvibus ipſum horta-tus ad inſtitutum ſuum provehendum, confirmat de inſignibus nobilitatis, honoribus & præmiis. Itaqve reſumens vires, cædibus & rapinis obvia depopulari pergit. Contra eum expedita nova agmina ducibus Axelio Erici, Jacobo Bagge Germundo Svenonis, qvi rebelles armis cæſos, vel ſupplicio affectos, vel deditione acceptos perdomuerunt. Tandem etiam ipſe Dacke à Raphaële Petri ejusqve ſociis in Blekingiæ ſylva Rödebyenſi circumventus, qvum vivus capi non poſſet, telo transfigitur & Calmariam abducitur: ubi in qvatuor partes diſſectus, rotis impoſitus eſt, capite ejus cuprea corona inſigni, qvidam captum & in crucem actum perhibent. Ta-lis iſtius immanis perduellis fuit vitæ exitus; qvi ſub velo mutatæ veteris religionis & concuſſæ libertatis in integrum reſtituendæ, omnem licen-tiam, vim & protherviam, latrocinia & inceſtas libidines, legum & pudoris habenas nihili faciens, exercuerat, & à regis Guſtavi hoſtibus & in-vidis ad turbandum & penitus evertendum regni ſtatum inſtigatus erat. Sed & ſocii ejus dignas conjuratione pœnas ſuo tempore perſolverunt. Conradus à Phy, vel ut qvidam vocant, Pyhy, vero nomine Peutin-gerus dictus, Jurisconſultus, qvi Lipſiæ, invitis parentibus, Johannis Unberdii filiam Catharinam uxorem ductam, & per Germaniam ac Bel-gium ſecum tractam, homo vagæ libidinis, qvaſi impedimentum itine-ris aut ſarcinam abjiceret, iſtic deſeruerat, & in egeſtate ac miſeria re-liqverat. Hinc in Svetiam comite concubina profectus, Regi Guſtavo ope-ram ſuam offert, ingentia de ſe pollicitus: qvod promtæ lingvæ & verſuti ingenii eſſet, magnis honoribus, etiam Cancellarii dignitate ornatur, Sed

malæ cupiditatis, utilitatis privatæ ſtudio & avaritiâ muneris decus fœdans, in legationibus in Galliam pravè verſatus, & officii mandat qve leges parum obſervans, cum Principibus & exteris, ab iisdem largitione & pollicitationibus captus, arcana conſilia, inſcio Rege & collegis, agitarat. Ottonem Ducem Brunſvicenſem ſpe ſummi militaris muneris in Sveciam illexerat. Qvi cum ſe offerret, ſi qvo uſus operæ eſſet, Rex eâ ſe non adeò indigere oſtendebat. Et tamen, ne virum Principẽ ignominioſè rejiceret, cum annuo eum ſalario dimiſit. In Dania, Gallia & alibi magnam pecuniæ vim, octoginta qvinq; millia, ſexcenta & ſexaginta ſex nummorum uncialium, intra qvinqvennium, inconſulto Guſtavo, mutuò ſumſerat & interverterat. Unde carceri incluſus, imminutæ exiſtimationis pœnâ expilationes & fraudes ſuas luere cogebatur. Rex Guſtavus ulciſci Ducis Alberti inſidias in hoc regnum non ſemel tentatas ſubita incurſione in ejus Ducatum cogitabat,
1544 niſi hyems interveniſſet. Ineunte anno Arhoſiæ comitiis habitis, Rex ipſe Ordines regni alloqvitur in hanc ſententiam: Præmiſſis ſolennibus, illis recognoſcendum dat, *qvomodo arduum illud imperii ſolo amore patriæ ſuſcepti onus hactenus ſuſtinuerit, regnum, qvod valde qvaſſatum, ſervitute ferme oppreſſum & viribus exhauſtum acceperat, nunc qvietum, liberum, opibus firmatum, & contra vim externam internamq; munitum reddiderit, atq; in otio & pace per viginti qvatuor annos tutatus ſit. Nec ſolum civilem regni ſtatum benè fundavit, ſed etiam, ut deceat fidum Regem, animarum & ſalutis æternæ ſuorum ac populi curam egerit, ſublatisq; erroribus & ſuperſtitione, de ſanâ & Chriſtianâ doctrinâ & bonis verbi divini miniſtris animarumq; cuſtodibus cogitarit & conſtituerit. Qvamvis eo nomine à qvibusdam non magnam gratiam inierit; qvum tamen non pro ſe & ſuo arbitrio, ſed in publicis conventibus, cum bonorum virorum utriusqve ordinis ſacri & civilis conſilio, religionis emendationem inſtituerit. Se mirari, qvid adeò, ſuperſtitioſos eccleſiæ ritus abolitus & pontificios Epiſcopos iterum deſiderent, ejusq; rei cauſa turbas dent? qvum ſatis conſtet, eos plus detrimenti, qvàm commodi regno attuliſſe, & in cauſa fuiſſe, ut nonnulli veterum Regum & regni Adminiſtratorum tam indignè regno expellerentur, nonnulli bello & tumultu tam acerbè conflictarentur. Qvid uſu venerit ætate Caroli Canuti, notum eſſe; qvum Johannes præſul eum abqve omni honeſta ratione regno exterminaret. qvid incommodi præſtiterit ſenex antiſtes Jacobus bono Principi Stenoni Sture ſeniori; & nuper archiepiſcopus Guſtavus bono principi Stenoni Sture Juniori; qvid jam agitet præſul Scarenſis Magnus in hujus regni perniciem, in recenti memoria verſari. Non ergò eſſe, qvod adeo votis expetant tales animarum & ſalutis prædones potius, qvàm præſules ac cuſtodes. Qvod verò illos pro ſuo lubitu graſſari non*

permi-

permiſerit,nolle ſe perperam feciſſe videri. Ut paucis omnia complectatur, ſe egregio publico ſemper pro viribus ſtuduiſſe ; de qvo ad cujusq; viri boni conſcientiam & teſtimonia provocare velit. Sed qvid præmii reportarit à qvibusdam, in propatulo eſſe. Qvin qvo plus beneficii illis præſtiterit,eò minus gratiæ retulerit. Ut niſi Dei & conſcientiæ ſuæ fiducia,ſimilibusq; bonorum principum exemplis ſe erigeret, iamdudum ob tantam ingratitudinem ſe abdicaſſet regno. Jam verò convocaſſe Ordines,ut certior fiat de cauſis motæ nuper ſeditionis. Si qvarumcunqve offenſionum ſe inſimulare easq; probare poſſint,ſe paratum eſſe emendare. Qvod etiam per literas ſignificarit Smalandenſibus ad comitia Oſtrogothica evocatis ; ſed illos adventum ejus opperiri noluiſſe. Se ſibi perſvadere non potuiſſe,Rege tam benigno, imperio tam juſto, cives ferrum & arma in ipſa patriæ viſcera defixuros ; qvum nihil vi opus fuerit,ubi jure agitur : Qvin irreparabilem jacturam vitæ, facultatum, ſangvinis hac fœda ſeditione patriæ illatam eſſe. Regni fructus & opes per multos annos publico bono & adverſus externum regni hoſtem tam impensè collectas, nunc adverſus proprios cives conſumtas eſſe. Præterqvam qvod hoſti motibus iſtis inteſtinis ad pravas molitiones contra regnum janua ſit aperta. Se qvidem & propriis & fœderatorum viribus ſatis valuiſſe ad inſolentiam juſtis armis tam ſeverè vindicandam,ut liberis poſterisqve eorum terroris & cautionis exemplum in reliqvum tempus ederetur. Sed ex ſingulari gratia & commiſeratione erga ipſos & amore ac ſtudio erga patriam, ſuiqve officii memorem, qvum ſciat ſe Regem ſervandis civibus non perdendis datum eſſe, ſe promeritæ pœnæ temperaſſe ; ut adhuc ſpatium regreſſus ad ſanam mentem ac meliorem ſtatum, & juratam ſibi fidem inſtaurandi facultatem haberent. Si verò domi nihil niſi malevolentiam & turbas exſpectare, & tamen hoſtiles inſidias foris imminentes propellere debeat (qvod non poſſit, niſi rebus domi pacatis & tutis) alia ſibi conſilia neceſſariò capienda eſſe. Nec enim Chriſtierni tyranni cognatos & amicos,aliosq; hoſtes,ut qvidam opinentur, altum ſtertere,ſed in regni excidium,ni Deus prohibeat, ſatis vigilare. Proin ſe ſcire velle, qva ratione,qvibus & qvot copiis & auxiliis regnum adverſus infeſtos patriæ hoſtes tueri deſtinarint. Et ut reſiduam factioſorum turbam ſeriò reprimant,eorumq; auctores juſto ſupplicio damnent, cæteros in fide contineant, junctis animis & viribus adverſus omnem vim & metum opus fore. Qvod ſi ſponte ex uſu publico fecerint, ſe nullos imperii labores detrectaturum, eamqve viam inſtituturum, ut ipſi, eorum familiæ & poſteri regium amorem & animi propenſionem jam verbis declaratam ipſa re experiantur. In iisdem comitiis Arhoſienſibus Svetiæ regnum, qvod ſuffragiis & electione antea deferebatur, hæreditarium factum, & ancipiti, incertæ & ſæpe pravis aliorum cupiditatibus ac turbis opportunæ eligendi rationi tollendæ, & maximè inſignibus ac fermè incomparabilibus Guſtavi I. Regis erga regnū ac patriā meritis remunerandis inſtituto modo, ad fa-

ad familiam Regis Guſtavi ac mares ejus hæredes ac poſteros ſolenni lege & pacto, qvod *Unionem hæreditariam* vocant, alligatum & adſtrictum eſt. Qvum regis Guſtavi major natu filius Dux Ericus idibus Januarii Rex Svetiæ diceretur, undecim annorum erat. Eadem hora conſpiciebatur in prædenſa nube arcus cœleſtis. Non uno diſcrimine & minis tempeſtatum tunc impendentium adverſus Svetiam ab Comite Palatino & aliis Chriſtierni hæredibus, & à noſtris vicinis Alberto Duce Mechlaburgico, Ruſſis & pluribus aliis, diſcuſſa & decreta ſunt, indictis comitiis Arhoſienſibus, ſeqventia capita: *Ut ordo Eqveſtris & nobilitas per indicem libellum Regem certiorem faciant, qvot milites & eqvos pro modo facultatum & poſſeſſionum ſoli expedire poſſint, ſi qvid adverſi accidat regno. Ut arces prudentibus præfectis ſub obligatione fidei, & veterano, fido ac perito milite, qvi ante in præſidiis fuerit, inſtruantur. Si regnum ab hoſte ex mari occidentali, Scaris, ſi in Smalandiâ, Vadſtenis conveniant; qvæ vallo, foſſa & aggere adverſus ſubitam hoſtis incurſionem cingantur. Milites in numerum referendos eſſe: ut de ſupplemento in tempore cogitetur. Civitates in proximis nundinis Diſſenſibus Regi ſignificent, qvanta manu ipſi regnoqve opitulari velint. Præfecti provinciarum ad primas Regis literas, unà cum magiſtris eqvitum & tribunis militum cogant exercitum. Si ab hoſte nimis potente ſtrages noſtris inferatur, ut nova ſubſidia & vires in promtu ſint, ex Smalandia qvintus, ex aliis provinciis ſeptimus qvisqve delecti in procinctu ſint, ſed extrema neceſſitate viritim agmina ſcribantur. Holmiæ octingentorum militum præſidium imponatur. Arx Holmenſis & Gripsholmenſis tormentis, annona, milite aliisqve neceſſariis ita muniantur & inſtruantur, ut obſidioni tolerandæ, ſi ingruat, ſufficere poſſint. Ædes ligneæ urbis Holmiæ deſtruantur, triremes validæ exſtruantur, arcendis hoſtibus & excurſionibus inter Stocholmiam & Gripsholmiam idoneæ. Ut nemo Holmenſium in civium numero ſit, niſi unius anni annonâ inſtructus. Ut Bothnienſes & Finlandi primo vere commeatum Holmiam advehant, oris littorum & portubus Finlandiæ & Stocholmiæ adverſus ſubitas impreſſiones, & pro tuto itinere vel tranſitu noſtratium bene munitis & cuſtoditis. Ut viæ militares & regiæ purgentur. Ut duo vel plures, ſi neceſſe ſit, ex Senatu qvot menſibus Regi præſto ſint, ne ſolus indies nimiis negotiis oneretur.* Reliqviæ factionum & ſeditioſorum Dackii militum paſſim in ſylvis latitantium aut vagantium exſtirpantur. Georgius Lyckius ex Dania Legatus, *ſui Regis nomine pecuniam Conrado Peutingero & Chriſtophoro Andreæ creditam, tormenta Chriſtiani Stenoni Erici utenda data & dein oppignerata, & æs alienum Guſtavi militum mercenariorum, qvum per Daniam huc in Svetiam iviſſent, contractum repetebat.* Sed Guſtavus *ad nummos dictis perſonis creditos ſolven-*

ſolvendum ſe obligari negabat: *qvum partim injuſſu ejus mutuò ſumti, partim in rem ejus converſi non eſſent; aut ſi verſi eſſent, ſibi non liqvere; qvod ſe prius exploraturum & inde Chriſtiano ſatisfacturum. Tormenta dicta uſui à Chriſtiano accepta & oppignerata inficias ibat Steno Erici. Militibus mercenariis, anteqvàm pedem extra regnum poſuiſſent, ſatisfactum eſſe, ut eorum apochæ teſtarentur. Hoc ſi monitus fuiſſet ante eorum abitum, maluiſſe Danorum bono creditum de ſumma deducere, qvàm illis ſolvere. Sed jam ſerum eſſe. Reliqvam victus impenſam non oportere Chriſtianum tam rigidè exigere, qvum in ejus uſum pars iſtorum militum ſuſtentata eſſet.* Rex Guſtavus à Chriſtiano Rege Daniæ comprehenſus eſt fœdere pacis, interpoſitione qvorundam Regum & Principum, cum Carolo V. Chriſtierni nomine factæ, ſed hactenus, ut intra ſemeſtre ratum haberet. Qvod tempus æqvo brevius Guſtavo videbatur, non absq; ſuſpicione feſtinationis à Chriſtiano injectæ, ut hac occaſione ſolutus, & ſejunctarum hîc partium eſſet à Guſtavo. Sed ille jam ab aliis hoc reſciverat. Hac æſtate cœlum valde pluvium erat, & ager inde tam madidus, ut periculum calamitatis frugibus adhuc in ſolo exſtantibus eſſet. Ideò Guſtavus ad deprecandum à Deo meritas delictorum pœnas, hoc anno, octo dierum & deinceps qvotannis qvatridui ſupplicationes publicas, pio & ſalutari inſtituto, indixit; ſeriò hortatus populum ad fugiendum verbi divini contemtum, luxum, crapulam, jurisjurandi abuſum & levitatem, homicidia, ſtupra, adulteria aliaqve delicta, plagarum publicarum cauſas: earum verò remedium optimum ratus, ſerias ad Deum preces, & ad meliorem mentem receptum. Ex Moſcovia legatis expoſtulantibus de vi & moleſtia Svedorum 1545
in limite Ruſſiæ habitantium, Rex regeſſit, longè majorem inſolentiam, prædationes & incendia exerceri in Svedos à Ruthenis. Et qvum iſtæc emendari utrimqve per arbitros & ex æqvo & bono vel per ſententiam dirimi in finibus proxima æſtate vellet, Rutheni hoc cum indignatione & minis accipientes, infectâ re abierunt. Albertus Dux Meklaburgicus, qværens aliqvo malo afficere Svedos, huc miſit profugos ex Svetia Olaum in Grelleſtadh, Matthiam Caroli & Carolum Biurium. Hi Stralſundia excurrentes in Blekingiam, iſtic nacti literas fidei publicæ à Wernero Paſſebergio præfecto Blekingiæ, & in fines Svetiæ evagati, trucidant præfectum regium Cronebergæ, Georgium Joannis, qvum ad judicium Kongehæredenſe proficiſceretur; & mox receptum in Blekingiam petunt. Rex accuſari reos in foro Rotnebyenſi, qvod eſt Blekingiæ, curavit; ſed criminantes eos, ſævis dictis à ruſticis repulſi ſunt. Poſt tamen Trotto Makius unus la-

tronum captus & capitis ſupplicio ad Wexioniam affectus eſt, de Alberti Ducis Megapolitani tentata incurſione in Smalandiam, exhibitis ejus literis, profeſſus. Die S. Viti naſcitur in arce Holmenſi Regis Guſtavi filia Anna, poſteà Comitis Palatini Georgii Johannis uxor. Rex auctor civibus non ſolùm mare Balthicum, ut hactenus, ſed etiam mare occidentale navigandi erat: qvia civitates ad mare Balthicum ſitæ nimium hîc qvæſtum exercerent; cujus æqvas partes ipſi ad ſe derivare poſſent. Cives navibus onerariis exſtructis, Regis conſilium cum non exiguo ſuo compendio ſeqvebantur. Regni monetæ evectio ſub pœna capitis vetita eſt, ob nummariam difficultatem & alias cauſas ante ſuo loco memoratas. Qvum per occultos Guſtavi inimicos & invidos atqve per extorres qvosdam Svedos libelli in Regem maledici in Germaniâ & alibi paſſim ſparſi eſſent, Rex ad ſuam exiſtimationem & regium nomen à calumniis vindicandum, in lucem edidit prolixiorem Apologiam, cujus ſumma capita & ad hæc brevia reſponſa ſeqventia erant. Ad primum calumniantium caput, *qvod regnum Svetiæ injuſto titulo posſideret, qvum absqve legitimâ vocatione ſeipſum regiæ dignitati ingesſiſſet*, reſpondit ex hiſtoria Chriſtierni II. Daniæ regis, *qvomodo ille regnum Svetiæ vi & armis ſub jugum ſervitutis redigere tentarit: qvod qvum non poſſet, leoninæ pelli vulpinam adſuiſſe, & in proceres ipſumque regis Guſtavi patrem ac familiam, ac in regni cives promisſis & fidei ſimulatione circumventos immanisſimam ſævitiam, variis innocentium ſuppliciis, duro carcere, cædibus, rapinis, violentis fœminarum ſtupris & aliis atrocitatis exemplis exercuiſſe. Unde cives non ut adverſus Principem ſuum, ſed ut communem patriæ hoſtem publicum, qvi totius regni excidium qværeret, arma juſta, ipſo Guſtavo duce, ſumſerint. Tyranno autem regni finibus expulſo, & libertate patriæ reſtitutâ, ſibi tanqvam libertatis per Dei opē vindici & patrono omnes regni Ordines ex divina providentia, per legitimam electionē liberaqve ſuffragia, quamvis non ſemel renitenti, regnū & imperium detuliſſe.* Ad alterum caput, *Qvod in Chriſtianam religionem inuſitatas & Chriſtianæ fidei contrarias mutationes invexerit*, ita ſe explicat: *Se errores qvosdam in religione, rituum abuſus & ſuperſtitiones ex verbo Dei per orthodoxos Theologos ſatis refutatas, juſtâ moderatione tolli, & eorum vicem talem religionis emendatæ & ceremoniarum formam introduci curaſſe, quæ verbi divini normæ & puritati fidei eſſet congrua: qvo nomine etiam ad generalis Concilii cenſuram ulterius provocare velit. Epiſcopis, qvi regiis opibus & ambitione, faces tot motuum inteſtinorum fuiſſent, fortunas æqvo ampliores animosqve minimè Apoſtolicos aliqvantum depresſiſſe, eosqve, juſtis & honeſtis ſtipendiis aſſignatis, ad eccleſiaſtica munia fidelius obeunda remiſiſſe. Unde qvidam ultrò ſe abdicantes officio & ſpontaneum*

neum eligentes exilium in exteris locis per ſibi deditos domi clientes & factioſos homines non deſierint turbare patriam. Ad tertium caput, *Quaſi clandeſtinas ſocietates cum quibusdam Regibus & Principibus in aliorum Principum & Imperii Romani perniciem iniviſſet, quo ſibi Imperatoris & Germanicæ nationis odium & ſiniſtras ſuſpiciones peperiſſet;* reſpondet; *Se quidem cum vicinis & aliis Regibus & Principibus fœdera feciſſe, non tamen in fraudem ullius, ſed juſtæ defenſionis adverſus injuſtam exterorum hoſtium vim, pacis & quietis publicæ conſervandæ, amicæ conſuetudinis & commerciorum cauſa, ſalvis aliorum Principum & Rerumpub. eminentiâ ac libertate: quod publicis documentis probari poſſit. Talia autem fœdera jure naturæ & gentium ſemper licita fuiſſe.* Ad quartum caput, *Quod pecuniarum ſubminiſtratione, inquieto ingenio, & occultis ſuggeſtionibus exterorum Principum & Rerumpub. pacem & quietem turbarit, motusque inter Chriſtianos excitarit,* reponit: *Se Deum teſtem vocare poſſe, quod in ſua regia functione, quæ ad Dei gloriam, nec ſolùm ad patriæ, ſed etiam, quantum in ipſo eſſet, ad aliarum Chriſtianarum Rerumpub. ſalutem, pacem & concordiam facerent, ſectatum eſſe. Nec immiſcuiſſe ſe rebus alienis, quum ſatis ipſi negotii in ſuis eſſet. Se verò opes, non nimias quidem, quæ tamen honeſtè partæ, nec ſibi pudori, nec aliis graves, & aulæ ſtatui neceſſariæ eſſent, clam vel palam ad permiſcendas aliorum Respublicas impendiſſe, neminem amicorum vel inimicorum unquam probaturum.* Ad reliqua capita: *Quod erga fœderatos, bene meritos, vicinos & miniſtros ſuos præſertim exteræ nationis, haud ita, ut deceat, ſe geſſerit,* ita regerit: *Quod ipſi exprobretur ſe Fœderum leges violaſſe, eo nihil aliud calumniam ſtruere, quàm ut omnes Chriſtiani Principes & Respub. ipſi adverſæ reddantur, nec apud quenquam in poſterum aliquid honeſtæ opinionis aut fidei retineat. Cæterum in hoc ſe appellare non modò ſuam, ſed & ſociorum conſcientiam, qua fide & integritate in Fœderibus & pactis verſatus ſit. Benefactorum merita, quantacunque etiam jactentur, pari vice, ſi non majori compenſaſſe. Nec meminiſſe ſe unquam difficiliorem fuiſſe, niſi quid ab eo expoſtularent, quod contra communia jura & omnem æquitatem pugnaret, aut cum publicæ utilitatis ac libertatis damno conjunctum eſſet. Miniſtros ſuos, etiam exteræ gentis, ſi fidi eſſent & publico magis quam ſibi ipſis conſulerent, ita ornaſſe, ut potius cauſam ipſi grates agendi, quàm expoſtulandi haberent. Si infidi non parem gratiam meruerint, de ſeipſis, non alio querantur: uti nuper Conradus Peutingerus Cancellarius, qui per peculatum & ſordes indignum ſe Regis favore fecerit.* Ultimò *rogat Imperatorem, Principes, Reſp. aliosque, quum omnibus placere in nullius poteſtate ſit, calumniis de ſe & mendaciis non temerè credere, nec exiſtimationis regiæ obtrectationi faciles aures præbere, priusquam adverſus eam ſe juſtè defenderit. Et quemadmodum ipſe non tulerit quemcunque extraneum, cujuscunque loci & ordinis ſit, à ſuorum quoquam infami ſermone*

 differri;

differri; ita ſuam innocentiam & honeſtam famam apud extraneos & ſuos laborare ne permittant. Hoc ſe omni amicitiæ, vicinitatis & favoris officio remuneraturum. In comitiis Arbogienſibus ſuper alia regni negotia, conſultatum
1546 eſt de regni hoſtium & exulum proditorum apud Danos,Lubecenſes,Palatinos, Mechlaburgenſes receptu, in Regis & regni invidiam contra fœderis leges facto inhibendo: de Caroli Holgeri itidem liberatione,qvi à rege Guſtavo cum literis & mandatis ad Romanum Imperatorem miſſus, Wormatiæ, ubi tunc Cæſar morabatur, media luce per qvosdam Germanos,qvi Regis Guſtavi olim miniſtri fuerant, proditur, ex calumnia defertur, atqve à Nicolao Haſtedio captus abducitur, interceptis omnibus regiis literis. Iſte Haſtedius præterita æſtate ſingulari beneficio à Rege affectus, dum pro eo ſolverat ter mille nummos unciales, malum Regi pro bono rependit; ex peſſimo hominum genere, qvos demerendo non devincias, ſed irrites. Sanè hìc compertum eſt, qvod beneficia in ingratos, improbos ac perfidos collata, non ſolùm, ut ſemen in ſterilem terram jactum, pereant, ſed etiam inſolentiæ, odii noxæq; materia ſint: ut verè benefacta malè locata, malefacta, non dantis, ſed accipientis culpâ, dicas. Actum inſuper de Chriſtophoro Andreæ regni olim Senatore & Cancellario nunc exule & qvid de eo faciendum eſſet. Dicebatur ad annum milleſimum qvingenteſimum qvadrageſimum ſecundum, qva ratione Legatus in Daniam miſſus, emanſerit. *Iſtius* emanſionis cauſam vi & injuriæ ſibi tanqvam à Guſtavo illatæ adſcribebat, eoq; non leviter in ſuis ad Regem Daniæ literis illum tetigerat. Nunc autem in his comitiis Senatus regni & Nobiles permoverunt Regem,ut ipſum literis tuti reditus in regnum revocaret. Qvod & fecit, easq; literas per fratrem ejus Ericum Witebergam, ubi tunc erat, transmiſit; adjunctis inſuper Senatus literis, qvibus eum ad reditum in patriam hortabantur, & de integra juris via adverſus qvoscunqve certum faciebant. Qvod ſi recuſaret, offenſam publicam & legis rigorem experturum. Sed velut ſurdo omnia dicta; donec biennio poſt, Lubecæ decederet: ubi in primaria æde ſacra qvam Dominicanam vocant, conditur, tumulo ſic inſcripto. *Anno Domini M D XLVIII. die XXV. Martii obiit nobilis ac ſtrenuus vir D. CHRISTOPHORUS ANDREÆ Weſtrogothus, artium liberalium Magiſter, Eqves auratus, regni Svetiæ Senator.* Hoc anno Lubecenſibus privilegiorum reſtitutionem à Rege ſedulò, ſed fruſtrà, flagitantibus, indulſit Guſtavus inducias ad decennium hoc modo: *ut cui parti iſtæ nod placerent, hoc alteri, anno prius, qvàm exſpirarent, ſignificaret. interim pacatè agerent, donec controverſiæ inter illos componerentur.* Conſultatum inſuper eſt de publicandis iterum

tum legibus aulicis; & de remediis arctioris annonæ jam per qvadriennium in regno ingraveſcentis. Poſt maturam deliberationem leges annonariæ Upſaliæ & Gripsholmiæ editæ ſunt: qvæ non modò præſenti malo mederentur, ſed etiam pari futuri temporis timori utiliter occurrere poſſent. qvarum præcipua capita hæc erant: *Ut ſeges demeſſa & in granariis condita majori pretio non ematur aut vendatur, qvàm in Nundinis Diſenſibus Upſaliæ proclamatum & omnium conſenſu approbatum eſt. Ut qvisqve colonus pro modo facultatum agriculturam ſedulò faciat, non unam partem incultam ſterileſcere ſinat, alteram colat, ſed totum agrum excolat. Exuſtis ſuperfluis nemorum partibus, fundos ſegetis patientes reddat; pecuariæ majorem curam, qvàm hactenus, habeat, novas villas ac prædia commodis locis exſtruat: ut ita agri eorumq; fructus inde locupletentur, & ſubditis penſio annua victusq; copia ſuppetat. Deſidibus pœna, gnavis & induſtriis immunitas ab oneribus publicis ad tempus promittitur. Non tamen plus agrorum pauci occupent & inſtruant, qvàm qvibus benè excolendis ſufficiant; atqve aliis, novas villas citra ipſorum detrimentum inſtruere volentibus, id non invideant aut obſtaculo ſint. Reos qvadraginta marcis mulctandos, vim facientes ex lege puniendos eſſe. Coloni filiorum ſuorum qvosdam honeſtum aliqvod opificium diſcere curent, & ad triturandam ſegetem ruſticis operam ſuam locent, pro pecuniæ æqva mercede, non certis frumenti modiis, qvibus deinde pro majori lucro venditis, rem faciant, agricolas exhauriant, & annonam incendant. Luxus in veſtitu, cibo & potu prohibetur, modicus & avitus corporis cultus ac frugalitas præcipitur tam in oppidis qvàm ruri. Qvisqve jubetur rem ſuam in qviete agere & ſeditionibus abſtinere; ad qvas antea reprimendas copiis militaribus tam externis qvàm indigenis opus fuerit: qvæ regni fructus abſumſerint, terras & agros depopulatæ ſint; bonam monetam evexerint, annonæ charitatem auxerint. Vicatim & paganatim mercari, in fraudem emporiorum interdicitur, prima vice ſub pœna XL. marcarum, alterâ vice ſub jactura mercium, tertia vice ſub pœna capitis. Propoliis etiam annonam incendentibus interdicitur emporiis, & coëmtione rerum venalium pro alieno ære, qvaſi ſuum eſſet, cum exiguo ſuo, ſed ingenti peregrinorum hîc æs eo fine ſuppeditantium lucro, & majori civium incommodo, ſub pœna paulò ante expreſſâ; ſalvis tamen licitis contractibus & commerciis.* Chriſtiernus ad interpoſitionem Imperatoris Caroli V. & aliorum Principum dimittitur ex cuſtodia arcis Sunderborgenſis hac conditione, ut renunciato omni jure in Svetiæ & Daniæ regnum, & præteritorum oblivione ſancita, in arce Koldingenſi regio cultu & victu à Chriſtiano Rege Daniæ haberetur, ex regno autem Svetiæ Friderico Palatino Electori & Carolo Duci Lotharingiæ dos, qvam ſo-

crui ſuæ deberi putabant, tribueretur. Hoc qvum Chriſtianus Guſtavo per Legatum Claudium Urn ſignificaſſet, Rex id remiſit ad comitia Strengnenſia. Ubi decretum eſt à regni Ordinibus: *Nullam dicere vel dare dotem Chriſtierni filiabus; qvum ipſi tantam vim & immanitatem à tyranno paſſi, & optimâ, poſt pietatem, reipub. dote, libertate ferme in totum exuti fuiſſent; niſi per Guſtavum Regem avertiſſet Deus. Si verò poſtulata à Chriſtierni generis & hæredibus forſan armis qværantur, armis paratos eſſe ſe tutari.* Recitatur in iisdem comitiis Ordinibus R. Guſtavi Teſtamentum, cujus ſumma hæc erat: *Enarratis ſuperiorum temporum calamitatibus, inſignem Dei favorem in imperii ac purioris religionis reſtitutione deprædicat. Eidem Deo animam ſuam, corpore, tempore mortis, emigraturam, commendat; ſed telluri corpus, in majori Upſaliæ templo. Maximo natu filio Erico ſe regnum & coronam relinqvere oſtendit eâ lege, ut veram religionem tutetur; fratres, ſorores, ac cives fraterno amore & gratiâ proſeqvatur. Johanni filio Finlandiam, Magno Oſtrogothiam, Carolo Sudermanniam, Nericiam & Wermelandiam ſe fiduciario jure legare: ſic ut à fratre Rege recognoſcant, regnoqve ſint auxilio. Singulis tamen cautum velle, ut deficientibus maſculis hæredibus, bona ſua ſoli ad proximos hæredes transmittant. Principatus autem & ditiones ſibi attributas, à regno diſtrahi, oppignorari vel qvocunqve modo alienari non permittant. Principes, ſalva ſingulis in ſuis ditionibus legitimâ jurisdictione, de rebus ad univerſum regnum ſpectantibus, nihil ſuo arbitrio, & absqve conſenſu publico acturos. Sorores ipſorum non elocatas, in fratrum poteſtate fore; regio tamen more educandas, dignoqve matrimonio elocandas. Singulis præter cimelia & mundum muliebrem, ſe dotis nomine centum millia dalerorum adſignare. Concordiam & veræ religionis ſtudium fratribus propria & perpetua bona fore. Lites forſan exortas à domeſticis componendas eſſe arbitris, nec ad ullum extraneum forum devolvendas. Scholis & Xenodochiis ingentem pecuniæ ſummam legari jubere.* Hoc teſtamentum ab Ordinibus regni approbatum, & anno MDLIX. Holmiæ confirmatum eſt; ut ad dictum annum memorabitur. Regi Guſtavo nata eſt filia Sophia, Magno Saxoniæ Duci nuptui data.

1548 Hoc anno Guſtavus arcem Vadſtenenſem & Upſalienſem fundare cœpit. Rumor ex vicinis regnis de variis adverſus eum molitionibus, ipſum ad arma, ſi neceſſe foret, paratiorem fecit: qvibus compertis, occulti hoſtes qvieverunt. Rex Daniæ Chriſtianus cœpit uti trium Coronarum inſigni, qvod Svetiæ regni vetus ac proprium eſt, Nec ipſe antehac, nec ejus parens Fridericus uſurparat. Sed, qvam annales Svetiæ cauſam perhibent, regno Svetiæ nuper hæreditario facto, & ſpe huic inhiandi ſibi & ſucceſſoribus præcluſâ, ut tamen ſpeciem qvandam juris in illud retineret, & ex occaſione diſceptare & reſuſcitare poſſet, qvod hactenus

ſopi-

ſopitum fuerat, ex qvorundam amicorum inſtinctu illud ſuum qvoqve facere voluerat, obtentu fœderis & conjunctionis trium regnorum à Margareta cœptæ, & qvaſi regni Daniæ hæreditarii tituli. Qvum tamen ſatis conſtet, dudum ante iſtam conjunctionem Reges Svetiæ eo ut regni veteri & vero Inſigni uſos fuiſſe. Eâ causâ qvum Rex Guſtavus cum Chriſtiano non ſemel & graviter expoſtularet, tamen operam luſit; donec res in apertum ac maturum bellum, præter alias etiam ob hanc cauſam, inter Ericum Regem Svetiæ & Fridericum Regem Daniæ erumperet; de qvo ſuo loco dicetur. Monetæ Sveticæ digna & vera æſtimatio contra exteros contemptui habentes, & exinde pretium mercium augentes, ſub gravi mulcta regio edicto adſerta eſt. Liber *Interim* inſcriptus & Caroli V. auſpicio in Germania edi- 1549
tus atqve huic qvoqve regno obtruſus, ex cenſura ſacri ordinis rejectus eſt; de qvo plura in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Eliſabetha, regia filia, Guſtavo nata, Chriſtophoro Duci Mechelburgico poſtea nubit. Edvardus VI. Rex Angliæ per Legatos ſuos Joachimum Gundelfingerum & Thomam Camertanum commerciorum fœdus cum Rege Guſtavo petit, & peculiaria qvædam pri- 1550
vilegia & libertatem tam in mediterraneis & ſuperioribus, ut à ſitu vocant, qvam maritimis urbibus negociandi. Rex Guſtavus, fœdus illud ſibi qvidem placere reſpondit, ſed qvum non absqve magnis impenſis merces terrâ in ſuperiores & campeſtres urbes transvehi poſſint, peregrinis mercatoribus parum è re futurum, etiamſi hujuſmodi privilegiis fruantur. Præterea Svedos cives iſtis domi imunitatibus & ſcriptis ſtatutis frui: ut nulli extraneorũ alibi qvam in maritimis urbibus negotiari liceat, qvibus Rex nec poſſit nec velit eos privare. Ad fœdus utriqve commodum feriendum Andreas Olai J.C. & Joh. Laurentii in Angliam miſſi ſunt cum hac regia admonitione: ut diſcordiam, ex æmulatione prudentiæ inter noſtrates interdum naſci ſvetam, fugerent: eâ enim res præclaras & negotia publica eos vel turbare vel demorari. Sed iſtud negotium mox in irritum cecidit, exſtincto Edvardo, ut ſuſpicio erat, veneno aut alia violenta morte, & valde qvaſſato regni Anglici ſtatu. Mox alii Legati Georgius Normannus R. Senator, & Olaus Laurentii Secretarius Elfsburgo Bruxellas ad Carolum V. Imperatorem à Guſtavo de pace & libero commerciorum Germaniæ uſu miſſi, proximo autumno, rebus feliciter confectis, redierunt. Qvum Lubecenſes urgerent privilegium retrahendi ad ſe & urbes ad mare Balthicum ſitas Sveonum merces ac navigationem, non verò in regna & urbes ad mare occidentale ſitas, inter cives & mercatores Svetiæ, hoc indignè ferentes, in nundinis Strengnenſibus convenit, navigando non adire Lubecam & reliqvas maris Balthici civitates, ſed, qvum Guſtavus cum exoticis regnis

pacem

pacem & fœdus commerciorum inverit, navigationem & negotiationem cum majori commodo divertere in Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Belgium, Ruſſiam & alias remotiores terras: qvod, cum aliis de Evangelica religione & perpetua fide Regi ſervanda pactis, à Rege Guſtavo confirmari petierunt & impetrarunt. In Nylandia qvoqve Rex Helſingforſium exſtrui fecit: ut iſtic mercium ex Ruſſia & Belgio ſedes eſſet. Ita mercibus in dictis oris à prima manu emtis, qvas Lubecæ & in vicinis urbibus à tertia vel qvarta manu mercari neceſſe habuerant, non exiguam rem & qvæſtum fecere Svedi. Qvod vulgus Lubecenſium, qvotqvot tunc Holmiæ erant, ægris animis accipiens, inſidias in urbem, arcem, & navalia parabat, ut ferunt annales Svetici; qvæ tamen accuratis excubiis, induſtriâ & curâ proviſæ & prohibitæ ſunt. Sed & Ducis Mechelburgici Georgii Alberti F. Marchionis Brandenburgenſis, Alberti & Palatinorum incurſiones in Svetiam, interdicto eis à R. Chriſtiano tranſitu per Daniam, & Guſtavi R. cura &
a. d. apparatu militari ceſſarunt. Regis Guſtavi natu minimus filius Carolus
IV. Holmiæ in lucem editus, & cum cura ac feliciter, ut Principem decebat,
Oct. eductus eſt. Qvum Carolus V. cœpiſſet victor eſſe Electoris Saxoniæ & Landgravii Haſſiæ; Rex Guſtavus tempori ſerviens, æqvè ac R. Daniæ, ſuos ad Cæſarem legatos Magnum Johannis, Georgiū Normannum & Andream Olai Auguſtam Vindelicorum miſit de novo cum Palatina & Lotharingica domo pacto per eum faciendo, de commerciorum in Belgio fœdere feriundo; & nupera pace rata habenda. Pax qvidem à Cæſare rata habita eſt, ſed novum illud pactum negabat Carolus abſq; conſenſu domus Palatinæ & Lotharingicæ; qvarum inprimis intereſſet, ſecum ſeorſum iniri poſſe. Fœderis commerciorum in Belgio tractationē remiſit ad Mariam ſororem, Belgii tunc gubernatricem. Lubecenſes circa idem tempus qverulum & ſupplicem libellum Auguſtæ tradebant Carolo Imperatori per Syndicum ſuum Johannem Rudelium JC. in qvo expoſtulabant cum Rege Guſtavo *de denegato ſibi commerciorum in Svetia & privilegiorum uſu; qva tamen à majoribus Guſtavi & Ipſo facultatibus ſuis, ſangvine & ſudore ſibi peperiſſent: petentes ut Imperator illos tueri, & ad conſervanda dicta privilegia opē ferri velit.* Legati Regis Guſtavi contra ſcripto codicillo docuerunt: *Lubecenſes non jure repetitum ire privilegia, qvæ dudum ſuâ culpâ amiſiſſent; & facere contra inducias Calmarienſes, & amicum in iis pactum.* Margareta Regina Svetiæ mortem obiit. Eodem die, qvo deceſſerat, ſol lumine defecit, qvaſi in conſenſum doloris. Birkarenſes & aliii incolæ Bothniæ Borealis, qvi ex piſcatura in mari occidentali vitam tuebantur & mercaturam faciebant, conqverebantur coram Guſtavo de interdicta ſibi à

1551 (margin, beside "do; & nupera pace")

præfectis

præfectis Norvegiæ libera piſcandi in occidentali oceano, & cum Norvegis vel Svedis, Lapponibus & Finnonibus maritimis negotiandi facultate; qvod tamen ipſis jus ex inveterata majorum conſvetudine liberè uſurpatum dudum fuiſſet. Rex cauſâ cognitâ, patentibus literis eis dedit liberum piſcandi jus, absqve ullius interpellatione & impedimento ſub gravi pœna vetito, in oceano occidentali in poſterum, ut ante, exercendum, ita tamen ut Svedis, Finnonibus maritimis & Lapponibus in lacu, diverticulo aut fundo maris eorum prædiis vicino nullam remoram aut præjudicium facerent, ſed in aperto mari, ut alii, piſcarentur. Ut itidem cum Norvegis & aliis liberè & honeſtè commercarentur, aut etiam piſces ſuos in Svetiam pro æqvo pretio divendendos adveherent. Finnones autem ad mare colentes & Lappones regiis literis adverſus vicinorum Ruſſorum aliorumve vim & omne illegitimum tributum, præter ordinarium Regi debitum, protexit. Guſtavus 1552 tertias nuptias cum illuſtri virgine Catharina Guſtavi Olai de Torpa, Eqvitis aurati & gubernatoris Weſtrogothiæ filia, Reginæ Margaretæ Sobrina, vel defunctæ uxoris ſororis ſuæ filia facere inſtituit. Sed anteqvam dicta Virgo ſolenniter ipſi conjungeretur, ſcrupulo conſcientiæ ejus injecto, ſententia præſulum & epiſcoporum tunc Vadſtenis congregatorum à Rege exqviſita eſt, num hujusmodi matrimonium, ut licitum, ex jure divino probari poſſet. Qvum antiſtites hac ſuper re non parum perplexi dubiiqve eſſent, qvid reſponderent; tandem poſt maturam negotii diſcuſſionem, mentem ſuam ita expoſuerunt: *Hoc matrimonii genus in S. Scriptura conceptis verbis vetitum non eſſe. Sed ut Rex propitio Deo, & tranqvilla conſcientiâ in Chriſtiano conjugio degeret, nec è publica re foret, eo tempore apud exteros diſpicere ſponſam, nec aliam legendi qvæ placeret Guſtavo facultas eſſet, permiſſum videri hoc matrimonium, nec offenſionem inde facilem metuendam. Accedere, qvod ea qvoq; ratione regiorum hæredum & univerſi regni bono, qvieti, dignitati, internæ conjunctioni, paci & concordiæ conſuli poſſet. Ex qvibus cauſis ante à Pontifice & Evangelicis, Chriſtianis Cæſaribus, Regibus & Principibus conceſſum fuerit, etiam in propinqviori cognationis vel affinitatis gradu, ſi utilitate publicâ adverſus ſubditos penſari poſſet. Qvum ergo ex tali neceſſitate & reſpectu aliis ſublimibus perſonis uſurpatum, nec tamen inde commune ſcandali exemplum præbitum ſit; & Guſtavus ex patriæ & regni ſalute ſacrum Dei verbum & Evangelium tam fideliter & gnaviter promovit & tuitus ſit, poſt regios filios & Principes, etiam Præſules, unà cum regni Senatu, Eqveſtri ordine & Nobilitate unanimes decernere, ut Regi in nomine S. Sanctæ Trinitatis qvietâ cum conſcientiâ dictum matrimonium ingredi liceat. Illud ſeſe contra aliorum*

qvorumcunq; diſſenſum aut impugnationem pro virili, verbis & factis defenſuros
eſſe. Gravi incendio ex tabernis in ædificiis ligneis Holmiæ exorto, in-
poſterum ligneas ædes Holmiæ exſtruere prohibitum eſt. Exercitus re-
cognitio & cenſus ordinis eqveſtris per univerſum Svetiæ regnum inſti-
1553 tuitur. Sinus Wedöenſis perfoſſus, purgatus & ſeptus eſt : ut inde fa-
cilior & tutior tranſitus, qvàm ante, per mare Stocholmiam verſus pate-
ret. Qvum Lubecenſes minacibus literis immunitatum, & damni mercium
in Lubecenſi bello hîc amiſſarum reſtitutionem atqve reſidui debiti pro
ope Guſtavo contra Chriſtiernum præſtita ſolutionem expoſcerent, Rex
ad eos miſſo Olao Laurentii Secretario, *ſe nihil eis ultra debere ſimpliciter &*
abſqve ambagibus reſpondit ; *Si Lubecenſes qvid hoſtile tentarent, ad ar-*
ma & defenſionem paratum eſſe. Laurentius Siggonis R. Marſchus, ut vo-
1554 cant, vel ſupremus militiæ præfectus vir domi belliqve clarus obiit. Fer-
ri evectio hoc anno prohibita eſt, qvod vilioris æſtimationis apud exteros
eſſet. Pretium ejus inſuper auctum, ne, velut abjecta aut improba merx,
extraneis ultra puteret. Conventus Elfsburgenſis inter Svedos & Danos
habetur, *de regni finibus, de difficultatibus inter duo regna à tempore pa-*
ctorum Brömſebroënſium intervenientibus ; earumqve remediis, aliisqve ne-
gotiis. Svedi contra legem fœderis à Danis factum contendebant in receptu, ſub-
ſidio, venditione prædæ, & tuto commeatu, peſſimo perduelli Dackio in Blekingiâ
conceſſis, aliisq; injuriis ; de qvibus qvum jure agi in foro Blekingenſi, & ſententias
exſecutioni mandari poſtulaſſent ; vel jus non dictum, vel ſententiarum exſecutio-
nem à corruptis judicibus protractam aut intermiſſam fuiſſe. Item manipulos ali-
qvot ruſticorum ex Bleckingia effuſos in Svetiam, & limitem regni transgreſſos in
ſylvis hujus regni cecidiſſe arbores, venatos, ac in vicinis lacubus piſcatos eſſe : Cæ-
des, rapinas in oris Svetiæ & finibus proximis non ſemel exercitas, & qvidem per-
miſſu aut indulgentiâ præfecti Blekingiæ Werneri Pasbergii. Parem vim & inſo-
lentiam ex Hallandia, ex territorio Bahuſienſi noſtratibus illatam, & in ſylvis pro-
pinqvis cæſum aliqvoties, aut in mari occidentali & ad Gothlandiam piſcationem
à Norvegis & Danis prohibitam non fuiſſe ; Lagone Truttonis Hallandiæ, Clau-
dio Bilde Bahuſiæ, Chriſtierno Huitfeld Norvegiæ aliisq; præfectis conniventibus
ac permittentibus. Præterea de furibus aliqvot ex Norvegia profugis, & in Da-
niam contra fœdus receptis, de cive Gevalio Magno Olai à civibus Wardbergen-
ſibus attento, æris alieni Lubecenſibus debiti nomine, qvi tamen ad jus, ſed fruſtra
provocarit. Item de navis Johannis Thuronis in Daniâ detentæ relaxatione aut
ſatisfactione promiſſa nec præſtita expoſtulatum, & emendatio ad omnia ex lege
fœderis & jure amicitiæ deſiderata eſt. Danici autem oratores hîc tergiverſan-
tes,

tes, culpam à regno Daniæ in privatas perſonas aut reos rejiciebant. Inde literis à rege Daniæ de gravi paratu bellico qvorundam vicinorum hoſtium adverſus Daniam acceptis, domum revocantur, ideoqve proferre hæc negotia in aliud tempus & congreſſum qværunt. Sed Svedis oratoribus ex adverſo conteſtantibus, tandem convenit de congreſſu alio ad diem Philippi & Jacobi ex utriusqve regis voluntate inſtituendo, ut interim res differretur, & cujuscunqve jus de finibus aliisqve difficultatibus in integro eſſet, velut hactenus absqve controverſia ab utroqve rege uſurpatum ſit. At Guſtavus graviter in ſuis literis ad Senatum regni Sveciæ Gripsholmiæ datis expoſtulabat de pacto à ſuis oratoribus cum Danis inito, præſertim ſuper articulo de finibus, qvem omni ſano ſenſui repugnare ajebat: qvia omnis injuria Svedis in finibus, à modò dictis præfectis Danicis illata eſſet proximis annis & utriusq; regis imperii tempore, nec antea. Proinde Svedos legatos ad hoc ſe literis & manu obligaſſe, ut rex Guſtavus nihil aliud ab illis exſpectaret vel reciperet, niſi qvod antea ſemper absqve diſceptatione poſſediſſet. Jam autem in confeſſo eſſe, non opus fuiſſe literas & ſigilla dari de rebus extra controverſiam poſitis, ſed litigioſis: in qvo illi imprudenter errarint, prout ipſæ actiones & verba liqvidò doceant. Danorum autem mentem eſſe, ut absq; lite retinerent, qvod præterito anno de regni Svetici finibus decerpſiſſent, & de aliâ inſolentiâ exercitâ non convenirentur. Qvum rex Guſtavus non meminiſſet aliqvid ab ſuâ parte eſſe commiſſum adverſus Danos, malè ipſum habebat, legatos Sveticos in fine negotii tam duram ſibi legem dici paſſos eſſe, & qvidem his verbis: *Sed qvæcunqve admiſſa aut peccata ab alterutra parte, interim ſummâ cum diligentiâ emendabuntur: ut omnis amicitia, concordia & bonæ vicinitatis officia inter regna & incolas eorum colantur & conſerventur. Et qvando de aliis qvibusdam admiſſis aut difficultatibus ulterius erudimur, maxima cum induſtria inſinuabimus eas R. Mti Svetiæ, Domino noſtro clementisſimo, nec dubitamus, qvin Rex, qvoad fieri poteſt, & fas eſt, ſit eas ſanaturus.* Qvia verò altera pars, nimirum Dani, talem obligationem non præſtiterint, ſed nudam ſolùm dilationem, ut ſatis ex eorum literis pateat; non itaq; neceſſe habuiſſe Svedos ita in anteceſſum ſe obligare ad id, cujus rei non eſſent. Unde ſatis eſſet colligere, Danos abundè ſuis comodis conſulentes, ad amuſſim ſua exegiſſe, nec remiſiſſe vel minimum de ſuo jure. Rex itaq; excandeſcebat, legatos non cautius egiſſe, ſed comodã occaſionẽ, qvæ ſemel, ut avis, è manibus dimiſſa, non facile redit, temerè neglexiſſe: qvũ tamẽ legatis Principis aut Reip. incumberet opportunitati ſeriò intentos eſſe. In primis, uti rex monebat, ut negotia publica prudenter & ſcitè tractare ſciant, & ſi qvæ voce, manu aut ſcripto comprobanda ſunt,

ſedulò prius recognoſcant & ſingula verba ad rationis judicium bene penſitent: ne callidè qvid vel ambiguè ab adverſa parte dictum aut conſignatum approbent, qvod poſtea pœnitendum, minus excuſandum, aut Principe vel Repub. indignum, aut publico damnoſum ſit: & absq; imprudentiæ notâ vel difficulter emendari, vel prorſus non qveat. Magni Ducis Moſchoviæ præfectus Novogardienſis Demetrius Fridericus Paleſcovius huc miſit tabellarium Michitam Kuſninum cum literis ad Regem Guſtavum datis, in qvibus accuſabat Regis præfectum Bothniæ Septentrionalis, qvod excurſione facta in territorium Murenſe usqve ad caſtellum Warthovienſe, vi abripuiſſet Magno Duci Ruſſiæ decem parœciarum cenſum, qvaſi ſuo Regi præſtandum. Regem qvoqve deſtinaſſe direptionem cœnobii ad Warthoviam arcem ſiti. Dictus autem Michita in itinere, præſertim Wiburgi, non aliter præ ſe tulerat, qvam ſe miſſum à Magno Duce Moſcoviæ de pacis negocio. Unde ad limitem ſecuriores redditi, nihil mali ſuſpicabantur; ſed qvum iſte Michita interiora regni ingreſſus eſſet, Demetrius præfectus Novogardius contra pacis fœdus absqve ulla belli denunciatione in Finnoniam copias qvasdam emittit, qvæ non pauca in limite Regni loca diripuerunt, magnâ populatione factâ. Proinde Sveci eos in Ruſſiam repellere coacti, in ipſa velitatione reperiunt qvasdam literas dicti Demetrii, qvæ ferebant juſſiſſe Magnum Ducem Moſchoviæ Nobiles prope limitem habitantes incurſionem facere in Svetiam. Unde Rex non aliud qvàm Michitam magis explorandi qvàm alterius negotii cauſa huc miſſum, ſuſpicatus, eum detineri juſſit usqve ad factam utrinqve compoſitionem. Ad literas verò Demetrii Guſtavus reſpondebat: *Se nunqvam fando audiviſſe nomen aut ſitum Murenſis territorii & Warthovienſis arcis, priusqvam ex Demetrii literis didiciſſet. Qvare vel inde ſatis conſtare, ſe non in animo habuiſſe ulla hujuſmodi loca aut cenſum ibi diripere; nec ſibi veriſimile videri, tale qvid patraſſe præfectum ſuum Bothnienſem; aut ſi feciſſet, injuſſu ſuo feciſſe.* Rex autem ex veteri conſvetudine juſſerat exigi tributum usqve ad Kolam, qvod Birkarenſes per aliqvot annos ſuppreſſerant & inter ſe partiti erant. Kola autem alio nomine Wathofva vocabatur; qvod Rex ignorabat. Ruſſi præcipiti anno iterum impreſſionem faciunt in Finnoniam & populantur usqve ad Rithamam, magna vi ſiligenis abrepta. Rithamam autem ad magnum Moſcoviæ Ducem pertinere ajebant, non ad Finlandiam; qvod tamen non ita erat: qvum literæ limitum teſtentur, omnia, qvæ cis has regiones à Syſterbeckio usqve ad lacum Aå ſita ſunt, ad Svetiæ, non Ruſſiæ ditionem pertinere. Hæc Ruſſorum impreſſio magnis motibus, & dein aperto bello inter Ruſſos mo-

men-

mentum fecit. Qvod ut ſopiretur, Ruſſi novam limitum diſtinctionem ſe-
cundum Ducis Georgii & R. Magni literas, de qvibus ante ſuo loco dictum
in vitâ Magni, urſere. Sed hanc finium deſignationem non fore è re Sveo-
num, ſatis erat divinare: qvum Ruſſi ejus beneficio partem Finlandiæ ad ſe
transferre conarentur. Itaqve reſponſum illis, *literas Georgii & Magni igno-
rari; nec animum eſſe Svecis innovandi fines; ſed ſervandi præfinitum & jam ultra
ducentos annos uſurpatum limitem, qvi eſt in Syſterbeckio, & inde excurrens ad O-
ceanum Occidentalem. Si verò Svetia non alia via poſſet retinere qvietam ejus poſ-
ſeſſionem & uſurpationem, adverſus vim cum Deo defendere paratam eſſe.* Hic
tumultus cum Ruſſis R. Guſtavo non parum ægrè erat; cujus tamen nullam
ille culpam, ſed ipſi Ruſſi primâ in Svetiæ fines impreſſione dederant, & qvi-
dam imprudentes Regis prætores, inprimis Andreas Nicolai in Kiffveneb-
ben, qvi Rege inconſulto & invito populatione qvadam vexarant fines Ruſ-
ſorum, ulciſcendæ vaſtationis eorum in Finlandia cauſa. Qvod tamen ma-
gis ex avaritia ipſorum & propria utilitate, qvam in rem Regis ac regni fie-
bat, ut poſtea dicetur. Magiſter ordinis Livoniæ Henricus à Galen per le-
gatum ſuum inſtigabat Regem ad bellum contra Ruſſos, ſpe armorum eidem
à ſe inferendorum, & auxilii Guſtavo præſtandi. Sed ubi ad rem ventum eſt,
mutavit animum, & promiſſo non ſtetit. Dum Ruſſi obſidere cœperant Wi- 1555.
burgum & vicina populari, poſt triduum confluunt in æqvor Råſvehanden-
ſe, in glacie conſilium de ſumma belli inituri; depreſſa glacie omnes pro-
fundo hauſti perierunt. A Sigiſmundo Rege Poloniæ legatus Machovius
Vadſtenis à Rege Guſtavo auditus, offert ipſi ſui Regis nomine amicitiæ
fœdus & opem adverſus Ruſſum, communem utriusq; atqve hæreditarium
hoſtem. Rex Guſtavus hæc qvidem grato animo accipit, ſed ea conditio-
ne, ſi tutus interim eſſe poſſit ab inſultu vicinorum ad mare Balthicum: qvi
qvamvis nondum ſe pro hoſtibus profeſſis gerant, tamen ex occaſione, præ-
ſertim ſi regnum viribus & copiis adverſus Ruſſos emiſſis, & cum Sigiſmun-
do conjunctis, nudatum ac velut inerme foret, hoſtilia tentaturi & ſubitam
impreſſionem facile facturi ſint: qvare copias ſuas revocare cogeretur, non
abſqve levi utriusqve regni incommodo. Nec ſe videre, qvomodo tam lon-
gè diſſito utroqve regno Svetico & Polonico, junctis viribus commodè ag-
grediendus ſit Ruſſus; niſi Rex Poloniæ qvasdam opportunas hujus rei vi-
as apud Magiſtrum Ordinis in Pruſſia & Livonia reperire poſſet. Hoc autem
ſe ulterius cogitandum illi committere, cum ſpe, tam prudens ab eo conſi-
lium datum iri, qvod maximè ex uſu utriusqve futurum ſit. Inter alia

 pacis

pacis negotia Rex publicavit conſtitutionem de domeſticis mercibus utiliter divendendis. Edictum inſuper edidit de cauſis egeſtatis plebis & fructuum coronæ diminutionis, earumqve remediis; Qvorum ſumma erat, *ne coloni paſſim oberrarent per ignaviam, aut fortunæ deſperationem ex uno prædio in aliud demigrantes, illudqve ſecum & aliis perderent; Sed fixum domicilium haberent, & manuum ſuarum labore vitam ſedulò tolerarent. Ne prætores, largitione corrupti, frugi & induſtrium colonum prædio dejicerent. Ne diſtraherentur in partes prædia tributaria, ſed qvi plus poſſideret, aut poſſet cæteris cohæredibus, eorum portiones ex convento redimeret, & omnem agrum rectè coleret, ut bonum patrem familias deceret. Ut fodinæ metallicæ ſedulò recolerentur, & novæ præmiis allicerentur; & qvæ plura hujuſmodi erant: qvibus fructus uberiores & penſiones annuæ leviores ac promptiores redderentur.* Eqvidem Rex totum reipub. corpus, cujus cauſa ſe caput eſſe noverat, ita curat, ut, qvantum in ſe, non ſolùm illud vivat, ſed & valeat. Vadſtenis ad præfectos Weſtrogothiæ & Smalandiæ ſcribit monetqve ſedulò invigilare adverſus Danorum molitiones: qvi novum regem Fridericum ad nova contra hoc regnum, non habitâ ratione fœderis, ſtimularent. Qvippe ipſum palam jactaſſe, ſe cum tempore regni ſui fines longius, & qvidem huc Holmiam usqve proferendi viam inventurum. Eundem in annulo ſignatorio uti trium coronarum inſigni: qvæ non fidæ conjunctionis argumenta eſſent. Inprimis jubet Rex Guſtavus intendere animum præfectos in limite habitantibus, & cum Danis commercia ac conſvetudinem, qvandoqve etiam factionem colentibus, eamqve prohibere. Qvâ ſi nolint abſtinere, ad ſe mittant hujuſmodi ſocios, ut illis plebs, tanqvam corpus noxio humore purgatum, minus mutationi aut motui ſit obnoxia. Ruſſi iterum cum copiis XXXM. irruptionem faciunt in Finnoniam & Bothniam Orientalem, incendio, cædibus & rapinâ fœdè graſſati, donec ultra mille eorum à noſtratibus cæſi, reliqvi metu fugati ſunt. Poſtea majoribus copiis paratis, Jacobus Bagge cum claſſe præmiſſus eſt Wiburgum: qvi rebus & ſitu loci, excurſione triremium ad Nievam flumen & colloqvio cum nobilibus aliqvot Ruſſis habito, ſatis exploratis, Regem, qvi Aboam ipſe cum juſto exercitu venerat, per literas & Olaum Scottum eò miſſum de omnibus docet. Sed iſte Olaus plura qvam juſſus erat Regi referens, & falſa veris placendi ſtudio miſcens, ait, *Baggium inopiâ commeatus conſtituiſſe in Ruſſiam movere, copiis ſatis munitum, nimirum viginti millium*, qvum vix eſſent qvatuor millia. *Fortunam non defuturam, qvum omnes nobiles Kexholmenſes inclinarent in partes Guſtavi, & arces Ruſſiæ faciles occupatu fore*

ab

ab alacri & bene armato milite, Ruſſis contra morte Magni Ducis Moſcoviæ conſternatis; qvæ tamen falſa erant. qvibus Rex facile credens, permiſit Baggio irruptionem facere in Ruſſiam, ſed cautè & cum conſilio. Baggio jam imminente Ruſſiæ finibus, Ruſſi concrematis circumqvaq; pagis, commeatum in tutiora deportant; ita ut Svecis nihil ad victum reliqvi facerent. Terreſtres copiæ ducibus Henrico Claudii de Kankas, Nicolao Boëthii de Gennås & Claudio Chriſtierni de Åminna, primo occurrentium Ruſſorum agmine fuſo, Nôteburgum arcem animo eam obſidendi petunt. Ubi verò propius acceſſere, deprehenderunt, arcem expugnationi non eſſe oportunam ob firmiſſima propugnacula, & rapidiſſimi fluminis Nievæ, qvo circumfunditur, impetum. Sed & ab una parte propius ſeptingentis paſſibus, ob paludes interjectas, admoliri tormenta non poterant: qvod ſpatium nimis remotum eſſet. Ab altera parte non niſi inſula in medio flumine arcem alluente ſita erat, qvo nec tormenta ob vehementem fluvii curſum absqve periculo traduci poſſent. Deniqve vicino agro per Ruſſos vaſtato, res frumentaria nulla ex propinqvo ſuppetebat. Itaqve tot difficultatibus objectis, relicta obſidione Wiburgum regreſſi ſunt: qvum in reditu copias Ruſſorum eos impetentes terra mariq; ſtrenuè repuliſſent. Rex Guſtavus ipſe Wiburgum cum ingenti claſſe & copiis accedens, omnia ſapienter ordinat, & ſuâ præſentiâ animam rebus, ſpiritum militibus addit. Inſignibus qvoqve militaris prudentiæ monitis ſuos inſtruit, ut tutius ab ipſo, qvam hoſte diſcerent; aut qvi jam uſu, rerum etiam militarium magiſtro, didiciſſent; tanta auctoritate confirmatiores redderentur. Duces & tribunos militum cum conſilio rem aggredi monet. Copias non longo intervallo diſparare, ſed prope in ſubſidiis habere, qvoties uſus veniat: ut ſi vel cedendum ſit majoribus hoſtis viribus, vel in pares impetus faciendus; breviori ac propiori ſpatio melius ordines ſerventur. Ubicunqve impreſſionem facturus eſſet hoſtis, ad occurſandum ei non nimis incitato curſu ruere, ſed prius per ſpeculatores & velitationes explorare ejus iter, agmina & vires. Atqve ſic integros, aut qviete refectos conjunctis copiis, & oportuno loco invadere Ruſſorum itinere feſſorum agmina. Ne verò temerè diſcrimini objiceretur exercitus, ut prius hoſtē exciperent tormentis, & interim ſubſiſterent eqvites peditesq́; conſulebat. Poſtea eū ex occaſione, & pro viribus adorirentur. Qvod ſi junctim & cautè in unū agmen Ruſſorum (ut ſolent agmina partiri) ſuas effunderent copias, faciliius illis detrimentum allaturos, qvam ſi confertæ eſſent cohortes hoſtiles. Si enim unum agmen in fugam conjici poſſit, reliqvos mox etiam exemplo

emplo territos, aut metu pudorem ſuperante, pariter terga verſuros; ut ſo lent iſti populi ſtragem aliqvam paſſi. Monendos etiam in tempore incola Savolaxiæ & alios ad limitem colentes, ut ſemper in procinctu eſſent, & com meatu ad menſem aut longius è re natâ inſtructi. Ex omnibus oris, qva tranſiturus eſſet Ruſſus, ſegetem, fænum, & alia ad annonam pertinentia ave henda eſſe: ut hoſtis inopia ejus longius progredi non poſſit. Concæde arbo rum etiam hoſti tranſitum intercludendum eſſe; ita tamen ut prope viam non ſtatim adventantibus in conſpectum daretur, ſed â latere & aliqvanto remotius â primo obtutu. Si verò jam conſtaret de adventu hoſtis, facile poſſe cæſis arboribus oppleri & obrui viam in fronte aut fine concædis, pro ut opus eſſet. Ordine verò collocandum eſſe noſtrum militem cum juſtis armis ad ſeriem concædis: qvi ex illa velut ex oppoſito propugnaculo adverſum peteret hoſtem, uti Rex in charta delinearat. Qvum autem hoſtis eqvite, pedite, tormentis, & alio apparatu potentior eſſet, haud acie cum eo decernendum eſſe: niſi conjunctis omnibus noſtratium copiis. Atqve ſi neceſſitas prælium imperaret, ſole & vento ſecundis, non adverſis, pugnare auctor erat, & in iis locis, unde, hoſte forſan victore, tutus eſſet receptus. Sed nec velitaribus pugnis hoſtem laceſſendum eſſe, niſi omnibus rerum momentis ſatis exploratis, atq; ſi pares ſint hoſti. Non enim eſſe morem militiæ, ut pars imbecillior provocet ad prælium valentiores; ſed qvi plus poſſunt, viribus minores velitationibus elicere, & carpere eorum agmina, donec ad manus deveniatur. Non autem ſatis eſſe, maturè rem deliberare, anteqvam eam aggrediaris, ſed in tempore qvoqve patrandum. Conſilium enim abſqve facto, eſſe velut nebulam absqve pluviâ in magnâ ſiccitate. Ruſſi ſubſeqventi hyeme multò majoribus copiis Finnoniæ fines invadunt, & omnibus pagis inter Wyburgum & regni limites in cinerem redactis, ita cædibus paſſim & immanitate graſſantur, ut ne qvidem inermi ſexui parcant. Infantes in fornacem flammis uſtulandos conjiciunt, aut ſepibus ſuffigunt. Poſt modò Wyburgum obſidione cingunt, muros tormentis qvatiunt, etſi cum exiguo obſeſſorum detrimento; qvia mox vano terrore perculſi deſeruerunt obſidionem. Dum enim noctu è vicino horreo certatim convectatur omne fænum in arcem, ne forte Ruſſis prædæ eſſet; ſtrepitu rotarum in ligneo arcis ponte gravem ſonitum edente, qvi in caſtris etiam hoſtium per totam noctem audiebatur, hoſtes rati aliqvot millia eqvitum in urbem admiſſa eſſe, caſtris motis abſcedunt; relictis tamen aliqvot millibus ſuorum, qvaſi adhuc præſentium, ne fugæ ſpeciem præbuiſſe viderentur. Bagge cum ſuis ex urbe ſe proripiens, & terrore divinitus hoſti incuſſo

cuſto adjutus, omnes adverſas copias pellit, eo ſucceſſu, ut ad pacem tandem proclivior eſſet hoſtis; præſertim qvum ad Novogardiæ præfecti literas ſtolidæ ferociæ plenas Senatus regni in abſentia Regis ex vero reſpondiſſet, & uti meritus erat, iterum perſtrinxiſſet. Itaqve ſemeſtres induciæ factæ ſunt, ut interim de pace commodius ageretur; ad cujus conciliationem etiam operam ſuam offerebat Sigiſmundus Rex Poloniæ, etſi exiguo cum fructu. Qvin Rex ipſe Guſtavus, qvi pacis & ſiſtendæ ſangvinis effuſionis ſtudio tenebatur, ad Magnum Ducem Moſcoviæ de amicitia reconcilianda, ſalvis jure finium & libertate regni, literas dabat. Interim tamen, ne ex deſperatione fortunæ arma detrectare videatur, aut hoſti pacem nolenti ſe imparatum invadendi occaſionem præbeat; vires, qvot poteſt, ex Svetia & Finlandia colligit. Finlandiæ Principatus, ditio Aboënſis & Alandica cum ſubjectis territoriis Duci Johanni ejusqve maſculis hæredibus eodem tempore ad ſe ex dignitate tuendum concedebatur; ſed ſub fiducia reſtituendi Coronæ, ſi absqve maribus hæredibus decederet: qvod literis ſuis ulterius firmavit. Rex Guſtavus ad Regem Daniæ mittit legatos Johannem Axelii & Johannem Ritberg cum literis, qvibus ſignificat: *qvomodo bello cum Ruſſis invitus culpa Magni Ducis Moſcoviæ ſit implicitus. Qvum autem Angli novum & inuſitatum per mare glaciale, ut vocant, iter in Moſcoviam ad portum S. Nicolai ſibi aperuiſſent, prætervecti Norvegiam; qvod omnibus circumjacentibus regnis, ſed & maris Balthici accolis ac civitatibus inæſtimabili damno futurum ſit, dum omnis generis vetita bellica inſtrumenta & arma ad Ruſſos deportarent, qvibus contra Chriſtianos nimis muniri, & ad exemplum potentiæ Turcicæ per Aſiam & Africam elatæ, etiam imperium in Europam qværere poſſent. Proinde ſe amicè deſiderare, ut Rex Fridericus & ſuo emolumento tuendo, & aliorum Chriſtiani nominis membrorum ingenti detrimento amoliendo, iſtum navigationis curſum Anglis præcludere velit.* Eodem & communium commerciorum nomine ad Reginam Angliæ miſit. Sed ab ea reſponſum accepit: *Se ſibi ſubjectis libertatem navigandi, qvò velint, ex privilegio nactis, inhibere non poſſe. Velle nihilominus armorum invectionem in Ruſſiam prohibere.* Qvod tamen factum non eſt. Nec de mutuis commerciis certi qvid reſponſum. Guſtavus miſſis in Ruſſiam legatis Stenone Erici fratre Reginæ, Laurentio Petri Archiepiſcopo Upſal. Michaële Agricola Epiſcopo Aboenſi, Benedicto Gyltio, Canuto Canuti, & Laurentio Laurentii Secretario, pacem cum Ruſſis inſtauravit, qvæ conſvetis ſolennibus & religione, ſeqventi anno confirmata eſt. Eodem fere tempore etiam fœdus commerciorum inter regnum Svetiæ & Comitatum Orien-

talis Friſiæ contractum eſt, per legatos Arnoldum Roſenbergium & Martinum Helſingium; licet, ut teſtatur Ubbo Emmius in hiſtoria Friſicâ, adventus eorum præcipua cauſa fuerit tractatio matrimonii inter Gubernatricis majorem natu filium Edſardum, & Regis filiam Catharinam; cujus negotii initium fecerat Franciſcus Lawenburgius Saxoniæ Princeps, utriqve domui propinqvus. Sed hæc cauſa tunc vulgò latebat, dum alia ferebantur, nimirum de fœdere commerciorum. Martino Helſingio etiam inſidioſæ molitiones exulum Svedorum, ut appellari volebant, item Lotharingorum, Palatinorum, Civitatum Hanſeaticarum & Conradi Uxkyl Nobilis Livoni adverſus Svetiæ regnum, uti ferebantur, ab Arnoldo Warwicio in Fri-
1557 ſia detectæ ſunt; qvæ tamen divinâ ope diſſipatæ in ventos abierunt. Pax inter Svedos & Ruſſos ad qvadraginta annos facta eſt his legibus: *Ut limites utrinqve expurgarentur & renovarentur. Itinera tuta & commercia utrimqve libera eſſent. Captivi utrinqve dimitterentur.* De uſurpatione Inſignis trium Coronarum Guſtavus in ſuis ad Chriſtianum, & ſeqventi anno ad Fridericum ſucceſſorem literis expoſtulavit. Sed hi parum hoc moti, reſponderunt, ut antea. Rex edictum publicat de fugiendis gravibus delictis, maledictis, exſecrationibus, homicidiis, adulteriis, ſtupris, heluatione aliisq; vitiis: de meliori vita agenda, de concordia, & obedientia erga Regem exercenda, de tumultu & turbis vitandis. de fructiferis arboribus non cædendis, hortis lupuli ſalictarii in uſum & commodum rei familiaris inſtru-
1558 endis. Livonis à Ruſſo truci bello infeſtatis, Gothardus Ketler Ordinis Livoniæ magiſter & Revalienſes mittebant ad Ducem Johannem in Finnoniam petitum pecuniam, milites & commeatum, pro certis Livoniæ poſſeſſionibus ei oppignerandis. Qvod Dux Johannes, ut juvenis & cupidus potentiæ, lubenti animo accipiebat; ſibi perſvadens ſe hac occaſione Livoniæ parte potiturum. Sed ſimul illud innotuit parenti ejus Regi Guſtavo, planè ipſi diſplicuit, & ab hoc ſeriò dehortatus eſt filium Johannem his rationibus: *Si enim ſummitterentur eis auxilia pro oblato pignore, periculum fore offenſæ & novi belli Magni Ducis Moſcoviæ, tanqvam ob violatum per hoc paci fœdus. Sed & inimicos Svetiæ hac cauſa fore Imperatorem Romanum, Regem Poloniæ, Regem Daniæ, qvi omnes ſibi jus in Livoniam aliqvod vendicarent; aliisqve ex Vandalicis civitatibus occaſioni belli intentis. Si verò contingeret, Svedo parte Livoniæ potiri, hoſtes malle, ipſum diabolum eam tenere, qvàm Svedos qvietè poſſidere. Præterqvam qvod pignus fortè non reſponſurum ſit capiti vel ſorti Satius itaqve eſſe, tueri & firmare propria à DEO conceſſa, qvàm appetere aliena nec ſpe ac deſiderio incertorum, certa in diſcrimen danda eſſe.* Stockholmiæ Gu

ſtavu

ſtavus iterum edictum publicavit *de ſerio pietatis cultu, concordia, fide & integritate ſervanda, malis & confuſis dolis ac machinationibus, ut regni & patriæ turbamentis & peſte fugiendis. De fructiferis arboribus claſſi exſtruendæ & paſcendo porcorum gregi utilibus non cædendis, hortis lupuli* (vulgò lupuletis) *plantandis.* Princeps Ericus fiduciæ titulo accepit, tuendæ vitæ aulæqve cauſa, Smalandiam, arcem Calmariæ, & Ölandiam cum adjunctis territoriis. Ille ſe ſcripto & verbis obligavit ad ea, qvæ filius & Princeps patri, regnoqve jure debet, præſtanda. Ingreſſus Smalandiam, Eqveſtrem ordinem adigit ſibi Sacramento, qvod abſonum parenti viſum: qvum ſatis ipſi de ſecuritate antea cautum eſſet. Qvin etiam tributa indigenis imperat, qvod directè contra Cautionis formulam erat, eosqve ad rebellionem contra patrem excitat. qvod patrem non modò malè habuit, ſed etiam ſe munivit novis præſidiis & cuſtodiis corporis. Imò ob hanc inſolentiam ejus, libidinem & malitiam pater electionem ejus antiqvare & jus ſucceſſionis ipſi præcludere in animo habebat; niſi frater deprecatus fuiſſet. Rex purgabat mare, qvâ alluit Svetiæ territoria, inprimis ad Nylandiam piratis aliqvot Revalienſibus Ruſſos exſpoliantibus: qvibus tutum per Svetiam iter ex fœdere pollicitus erat. Ericus electus Rex & ſucceſſor regni Svetiæ, efflictim ambire cœpit nuptias Eliſabethæ Reginæ Angliæ per Legatos Stenonem Erici, Nicolaum Gyllenſtiern Cancellarium, Carolum Geram, Guſtavum Johannis & Carolum Mornæum diverſis temporibus in Angliam miſſos, ſed nullo fructu. Habebat etiam in Anglia perpetuum Legatum Dionyſium Beurerum Gallum, qvi coràm iſtas nuptias ſollicitaret. Hic placendi Erico animo, ſæpius tempora colloqvendi & molles acceſſus Eliſabethæ captans, ſi qvod ab eâ commodum excepiſſet verbum, ſtatim ad Ericum ſcribebat. Aliqvando omnem reginæ ſermonem, qvem cum ea habuerat, literis ad regem conſignabat, tam ridiculè, acſi duo amantes inter ſe verba feciſſent; qvæ tamen regina ut ſubitò effuſa, penſi non habuerat. Sed Ericus vanâ ſpe, blandoqve verborum honore lactatus, patris ærarium ingentibus & inutilibus ſumtibus non parum exhauſit. Ad R. Guſtavi manus non unæ literæ ex diverſis locis venerunt, qvibus monebatur ſibi cavere à molitionibus Chriſtierni tyranni familiæ & hæredum, qvi magnas ſibi vires colligebant, & proxima æſtate vel autumno impreſſionem in hoc regnum minabantur, fortunæ ſuæ toties fruſtra tentatæ, nunqvam tamen animo penitus dimiſſæ, periculum denuò facturi. Nec Danis ſatis tunc fidebat Guſtavus, ob contumelias & alia fœderi communi adverſa ſibi il-

lata. Proinde cogitavit de ratione terra mariqve regnum contra qvoſcunqve infeſtos hoſtes tuendi, & in Vadſtenenſibus comitiis eâ re ſatis diſcuſſa, decretum eſt, *primò de pedeſtribus & eqveſtribus copiis augendis, & ut ſinguli ex Nobilium ordine in triennium aut qvadriennium ſe pro ratione cenſus prædiorum eqvis & armis juſtis inſtruerent. Deinde, ut munitionem Elfsburgi tanqvam portus & clavis orarum maris occidentalis, ſedulò perſeqverentur, ope ſubjectorum ei territoriorum. Ut itidem propugnaculum Naglmeeſundenſe, velut tranſitum & viam regiam inter Daliam, Weſtrogothiam & Norvegiam, atqve amœnam commodamqve ſitu, exſtruendum aggrederentur, ope Daliæ, territorii Wenæ & Aſæ. Et qvia jam bonum initium factum eſſet caſtelli Jenecopenſis, ſitus ſatis opportuni pro Oſtrogothis, Smalandis, Weſtrogothis & Nericienſibus, & unius viarum publicarum, nec incommodi loci recenſendo exercitui deſtinati adverſus vicinos Danos, aut aliam occaſionem; majori induſtria, qvàm hactenus, urgerent.* Præterea decretum erat de locis conventus, *ut ex Uplandia, Sudermannia, Nericia & Oſtrogothia milites convenirent Lincopiæ & Vadſtenis, ex Weſtrogothia, Wermelandia & Dalia Falcopiæ, Smalandenſes Calmariæ & Jenecopiæ. Deniqve, ut omnes viæ publicæ ac regiæ à Dania ad fines regni per Smalandiam, & Weſtrogothiam ferentes & peculiariter deſignatæ qvamprimùm pronuncientur, & poſtea deligantur aliqvot manipuli bonorum militum, eorumqve decurio unus vel alter, qvi æqvaliter obſervent vias, & per eas digredientes vel accedentes peregrinos tam à fronte qvam tergo, regiis præfectis indicandos.* His ita ordinatis, aliqvot perſpectæ fidei & moderationis viri conſtituti ſunt, qvi cum Nobilitate per totum regnum in qvalibet provincia tranſigerent de præſtandis militiæ eqveſtris operis, pro modo & numero prædiorum. Qvia verò aliqvot ruſticorum filii inter Nobiles reperti ſunt, qvi per matrimonium adepti erant qvædam prædia, nec immunitatem eorum ſibi adqviſiverant, ut lex Svetiæ jubet; Rex reſpondit: *Spectandum cujusqve virilem animum & famam, ut lex vult, id eſt, prius explorandum, num ad immunitatem adqvirendam ſit idoneus; qvod ſi factum fuerit, tum demum judicandum eſſe, num ea dignus ſit. Virtutem enim, prudentiam & fortitudinem claros & nobiles facere.* Claſſem etiam bene paratam, armis, commeatu & milite ſatis inſtructam ad fines regni expedit, ut adverſus incurſionem qvorumcunqve hoſtium procincta ſtaret. Qvin Rex qvotannis non abſqve magnis expenſis in armis erat. Unde factum, ut Dei ope & perpetuâ ejus curâ, vigilantiâ & ad vim arcendam promtitudine hoſtis abſterritus, nihil contra eum moveret. Magiſter ordinis Livonici & Revalienſes iterum mittunt ad Johannem Ducem Finlandiæ, & inde ad Guſtavum ipſum Regem, de ope præſertim militari & pecu-

pecuniaria contra Ruſſum & ſufficiens pro ea pignus offerunt. Se etiam
luculenta auxilia à Cæſare, principibus Germanis, Polonis, Lithuanis ex-
ſpectare ferebant. Rex *etiamſi calamitatem vicinorum miſeraretur, ægrè ta-
men illis opitulari poſſe* reſpondebat, *ne retractaret & violaret leges pacis cum
Ruſſo, atque ſic novi belli materiam daret. Auxilia à Cæſare & Germanis, bel-
lo Turcico diſtrictis fruſtra exſpectari. A Polonis, & Lithuanis ſe quoque ma-
gna ſperare non poſſe, qvum ante vanis eorum promiſſis deceptus eſſet, ſpe auxilii fa-
cta, ſed nulla ope præſtita. Si tamen arcem Revalienſem cum aliqvot munimen-
tis Livoniæ ipſi cum certa cautione oppignerare vellent, ſe non alienum fore ab ipſis
ita juvandis, ut ſibi decorum, & Livonis utile foret.* Ad hoc reſponſum O-
ratores *negabant ſe poſſe mentem ſuam aut ſuorum explicare, qvum nihil tale in
mandatis haberent; ad referendum tamen accipere.* Hac æſtate navis one- 1559
raria ex Dania huc accedens, in puppi præferebat Inſigne trium Corona-
rum, qvod Johannes Dux Finlandiæ tunc Holmiæ præſens exſcindi & qvod
illicitè impoſitum cenſebat, licitè detrahi jubet. qvippe tunc communis
fama eſſe ferebatur, qvaſi illud Rex Daniæ Fridericus ſucceſſor Chriſtiani
patris, ad arrogandum ſibi jus aliqvod in Svetiæ regnum uſurparet: qvum
ejuſmodi inſignia regia eſſent regni veri aut prætenſi in id juris ſigna vel ar-
gumenta. Proinde Rex Guſtavus ad Fridericum R. ſcribit, & memoriam
meritorum erga patrem & avum ſtrictim repetens, *ut Chriſtianum & mode-
tum Principem hoc velut magni præjudicii incepto deſiſtere* monet. *Se pari præ-
textu poſſe uſurpare Daniæ & Norvegiæ inſignia. Sed qvale hoc amicitiæ ſta-
bilimentum futurum ſit, ipſum per ſe facile penſitare poſſe. Non ſe dubitare, qvin
multi optent & laborent inter hæc duo incluta regna diſſenſiones ac diſſidia naſci,
velut lupus & vulpes lætis oculis adſpiciunt, leonem & urſum de præda concertare,
ſpe ſuæ qvoqve partis inde capiendæ. Ita nonnullos deſiderare ut utraqve regna
diſcordiâ divellantur, uti eò commodius pravas cupiditates explere poſſint. Qvum
verò nihil magis in votis habeat, qvam ut hæc regna in mutua amicitia & animo-
rum conjunctione perſeverent, eò ſe percupere, ut R. Fridericus idem ex ſua parte
præſtare velit & efficere, uti diſſidia & offenſæ de tribus Coronis reapſe tollantur &
amputentur. Reliqva ab utriuſqve populo in finibus aut alibi admiſſa poſtea fa-
cile corrigi poſſe, ſi utriuſqve arbitri commodo loco ac tempore conveniant.* Sed
hæ literæ & admonitiones parum loci apud eum habuerunt, donec poſtea
ad arma cum Erico ex hac & aliis cauſis deventum eſt. Qvum R. Guſtavus
de honorifico aut regno Svetiæ utili ſucceſſu negotii Anglici deſperaret, &
nihil niſi pecuniæ profuſionem progredi cerneret, Erico filio ſvaſit, tam in-
certam ſpem non tanto pretio mercari, nec tam ſollicitè rem dubiam urge-

re, ſed Dei providentiæ committere, eumqve ſibi ſalutaria rogare. Sed Ericus hîc pertinax, fratri Johanni perſvadet, in Angliam ad rem elaborandam ire: ut ſi minus ex animi ſententia ſuccederet, eum qvem alioqvi oderat, criminandi majorẽ inde anſam, & ex occaſione è medio tollendi arriperet, ut annales Svetici loqvuntur. Qvamvis pater iſti profectioni annuere nollet, tandem, Johannis precibus victus, conceſſit. Johanni Principi Steno Erici, R. Senator, comes adjungitur. Hæc tam illuſtris legatio qvantos ſumtus hauſerit, non facile dictu eſt. Sola expeditio Ducis Johannis bis centum millibus aureis conſtabat. Qvum ille itineri jam accinctus eſſet Rex filium paternè monuit, ut nihil fœderis aut pactorum iniret, qvod Svetiæ regno, lege ſucceſſionis, juri & libertati patriæ fraudi aut incommodo eſſet. Qvod cum patri promiſiſſet, velis & vento ſecundo diſceſſit. Edſardi Friſiæ orientalis Comitis nuptiæ ſolenniter cum virgine Catharinâ filiâ Guſtavi Regis, centum millibus nummorum uncialium, præter alia dotatâ, Holmiæ celebrabantur in præſentia Franciſci Ducis inferioris Saxoniæ, Johannis ab Hoia epiſcopi Oſnabrugenſis, & ſponſi fratris Johannis Comitis Friſiæ orientalis. Ille annuâ penſione, & hic dono mille aureorum, cum qvindecim mille ſub ſpecie mutui exſpectaſſet, ornati, & novos conjuges affines comitati abierunt; qvamvis epiſcopus animo non ſatis æqvo & fido; qvod poſtea in bello Danico & Elfsburgenſi obſidione, cui qvoqve intererat, patuit. In itinere Rex Ericus Edſardi fratrem Johannem, ob qvam cauſam incertum, qvamvis non tanti fuiſſe conſtet, Vadſtenis capi & in Uplandiam in cuſtodiam Örebyenſem abſtrahi curavit: qvæ protervia Erici animum Guſtavi ita vulneravit, ut præ dolore lacrymas ei eliceret. Edſardus qvoqve regreſſus, non prius excedere regno voluit, qvam fratrem ſecum reduceret. Legati ex Anglia redeuntes vana ſpe nuptiarũm ducunt Ericum, uſqve ad ipſius in Angliam acceſſum. Hoc anno fœdus amicitiæ & commerciorum renovatum eſt inter R. Guſtavum & Franciſcum II. Regem Galliæ, & privilegia peculiaria Svedis in Galliâ conceſſa ſunt. Ingruente hyeme R. Guſtavus ad tempus ſubſtitit Upſaliæ, inde abiit Strômsholmiam, qvò Steno Erici ex Anglia profectus eſt ad Regem, & qvid ſpei eſſet de nuptiis inter Regem Ericum & Eliſabetham, retulit. Strômsholmiâ pergit Rex Ulfveſundiam, Arbogam & Juletam, ubi morbo & febre ardenti corripitur, donec ardore remittente convaleſceret. Viribus Regis ita confirmatis, ut aëris patiens eſſet; petit iterum Ulfveſundiam & inde Melerum lacum, partim corporis reficiendi cauſa, partim ex conſvetudine ſua circumiens, devenit Eſkilſtunam. Eò

circa

circa veſperam qvoqve Dux Johannes ad Regem acceſſit, redux ex Anglia, læto & lubenti animo à patre exceptus. Enarrans patri negotii ſui ſucceſſum, ſpem injecit nuptiarum Eliſabethæ; etſi, ut docuit eventus, patris Guſtavi & fratris Erici animi magis lactandi ſtudio, qvam certæ rei affirmatione. Licet enim Johannes omnia egiſſet, ut nuptias ad optatum exitum duceret, aſſiduè apud Reginam procando, ſumtus & largitiones in proceres Angliæ effundendo, etiam infimorum benevolentiam captando, inter qvos argenteos ſubinde nummos ſpargebat, dicens fratrem, ubi advenerit, aureos plebi diviſurum; tamen operam ludebat. qvippe obſtabat præcipuè Eliſabethæ animus à nuptiis abhorrens, etſi adſimulabat, & tot procos deludebat: ut non minus verè qvàm venuſtè Lundino ad Parmenſem Principem de Eliſabetha ſcriberet Bernhardinus Mendoza: *Reginam ſingulis annis ſponſam eſſe, nunqvam verò nuptam.* Accedebat Regis Daniæ æmulatio, non paſſuri, qvantum in ipſo erat, Svetiam & Angliam in unum fœdus his nuptiis coire, & Svedos ſupra, qvàm vicino tutum eſſet, creſcere. Qvo fine Fridericus II. Rex Daniæ patruum Adolphum Ducem Holſatiæ excitaverat, ut ille qvoqve nuptias Eliſabethæ ambiret, & cum Erico vel ſperatas vel cogitatas interturbaret; ut refert Gulielmus Camdenus, hiſtoriæ Eliſabethæ ſcriptor. Holmiæ comitia ſolennia, & qvidem ultima, à Guſtavo inſtituta ſunt. In iis Regis Guſtavi Teſtamentum publicatum & ab Ordinibus Regni confirmatum eſt; noſtra tamen ætate ex parte mutatum ab Ordinibus Regni, in Ducatibus regni Principibus hæreditariis non attribuendis: ne regni corpus in partes diſtrahatur. Actum ibidem Erici ſucceſſione, nuptiis & deſtinato itinere in Angliam. Qvum de eo diu ultrò citroqve disceptatum eſſet, eorum tandem obtinuit ſententia, qvi nuptias eas è re regni fore contendebant: ideoqve, neceſſariis itineri paratis, profectionem maturandam eſſe ſvadebant. His ita confirmatis, Rex non ſatis corpore valens, in concionem ſe deduci juſſit. Ubi non pauca præfatus *de imperii ſui primordiis, curis & diſcriminibus, qvibus qvadraginta prope annis variè jactatus fuerit, poſtmodò de præſenti regni ſtatu verba fecit, qvemadmodum eccleſia ab errorum tenebris DEI ope repurgata ſit, & qvam bene ſe habeat reſpub. pacis præſidiis & rerum neceſſariarum copia undiqvaqve inſtructa & munita.* Inſeruit etiam *nonnulla de corporis ſui imbecillitate, qvam ex tot tantarumqve rerum mole contraxerit; oſtenditqve ſibi vitæ finem impendere: qvem non invitus excepturus ſit, rebus ad motum, diſcordiam & ſimultates inclinantibus.* *Etiamſi*, inqvit, *non deeſſe ſciam, qvi me ut nimis ſeverum habendiqve avidum ſermoni-*

bus

bus ſuis differant, eoqve me repente obire velint; & qvidem propinqvum eſſe ultimum vitæ hujus meæ diem prævideo: à qvo, ſi illi ipſi Regem Guſtavum redimere poſſent, ex imis eum terræ viſceribus vel ipſis dentibus ſuis, qvibus eum roſerant, alacriter aliqvando retrahere vellent. Qvum enim omnia mea conſilia, qvantum in humanis viribus eſt, ad Dei gloriam, eccleſiæ ejus ædificationẽ, & patriæ commoda amplificanda ac tuenda ſemper intenderim, non poſſum non bonâ conſcientiâ niti. Si qvibus verò in hac regia mea functione aut vehementior, aut gravis, aut ad exigendum, qvæ regno deberi judicavi, nimis rigidus viſus fuerim, per Dei miſericordiam rogo, ut mihi parcant, ſibi ipſi autem melius ſapiant. Imminet mihi ſuprema dies forte cras vel hodie. nihil mecum ablaturus ſum, omnia vobis, meâ induſtriâ & ſudore parta, relicturus. Utimini fruimini tam in Dei honorem, qvam veſtri veſtrorumqve tutelam, emolumentum & pacem perennem. Si qvi contra nunc ſunt aut in poſterum futuri ſunt, qvi qvantum ego de hoc regno & patria mea meritus ſim, intelligunt aut intellecturi ſunt, eos obteſtor, ut non minus famæ meæ qvam factis faveant: qvæ duo poſt fata mea ſuperfutura ſunt. Tandem omnibus gratias habet pro præſtitâ ipſi fide & obedientiâ, qvam regiâ gratiâ ſe proſeqvuturum promittit. Ad parem fidelitatem & obedientiam Erico filio & ſucceſſori ejus præſtandam Ordines regni hortatur. Ita fore, ut legum reverentia ſervetur, & concordiæ vinculum non diſſolvatur. Ultimò *univerſis & ſingulis Deo commendatis; ſe eos non amplius hujusmodi conventibus oneraturum, non ſine lacrymis profitetur.* Et ſic eis ſupremum vale dicit atqve comitio excedit. Verbis exprimi non poteſt, qvantus ejus abitum & ultimum alloqvium, ex animi mente profectum, Ordinum fletus, ejulatus & ſingultus ſubſeqvutus ſit. In Erici verò abſentia, Johanni Finlandiæ Duci vicaria regni adminiſtratio, ſi qvid interim humanitus accidat Regi Guſtavo, committitur. Finitis dictis comitiis, Rex Ericus (qvum Eliſabetha præ ſe tuliſſet, ſe nihil ante adventum Erici de nuptiis decernere poſſe) properabat iter in Angliam, & expediri claſſem aliaqve neceſſaria curabat. Rex autem Guſtavus neqvaqvam eum à ſe prius dimittere volebat, qvàm ſolenniter regno caviſſet, ſe nolle ullum fœdus aut pactum inire cum Anglis, qvod Svetiæ regno incommodo aut præjudicio eſſet. Itaqve à parente ipſi qvædam capita propoſita ſunt, ad qvæ comprobanda Ericus initio difficilior erat, nec ſine patris offenſa. Mox tamen in gratiam rediit, qvum nihil aliud Rex deſideraret qvam qvod æqvum & conſentaneum erat. Regis Erici cautio patri & regno præſtita talis fuit: *Si Deus providiſſet ut corona & imperio Angliæ potiretur ſe parenti & conſangvineis, patriæ, regnoqve Svetiæ bono ac præſidio pro ſumma facultate fore adverſus omnes eorum hoſtes; & adlaboraturum, ut idem præſta-*

retu

retur ab Anglis. Si negotium ejus nuptiale in Anglia non ſuccederet, duris fortè conditionibus intercedentibus, ſe omnes expenſas in ſe & ſuam partem recepturum quæ ipſi in diviſione bonorum mobilium inter fratres & ſorores, ſecundum parentis teſtamentum cedere poſſet. Se nullum bellum inſcio & inconſulto parente facturum. Nec abſqve ejus conſenſu ullum pactum confirmaturum aut ſubſcripturum, quod parenti, familiæ, regnove qvocunqve modo, qvoad jura majeſtatis, ſucceſſionem, ſtatuta aut libertatem, fraudi aut detrimento eſſet. Neu foris hujus regni nomine ſe contra alia potentia regna aut reſpublicas obligaret ad ſuppetias claſſis, militis aut pecuniæ, ſupra hujus regni vires, & re prius cum patre non deliberata. Si etiam Svetiæ regno aliqvod bellum aut periculum obveniret à Ruſſis, Germanis, Danis aut aliis, ſe regno pro virili ſuccurſurum. Si Deo placeret ipſum ad Angliæ regnum extollere, ne extra Svetiam in Angliam exportaret omnem præſentem pecuniam, nec aulæ tuendæ majorem vim opum deſideraret, qvàm pro paterna indulgentia. Ne oppigneraret aut qvocunqve modo diminueret qvidqvam ex regni poſſeſſionibus, arcibus, urbibus aut prædiis, patre, fratribus & regni ordinibus inſciis. Ne inutiles ſumptus faceret, ne mutuò ſumeret magnam vim æris alieni, huic regno non tolerandi. Nec privilegia aut immunitates extraneis urbibus aut mercatoribus de integro daret, aut vetera confirmaret abſqve conſenſu patris. Ut pro ſe & ſuis poſteris qvam validiſſimè confirmaret & ratas haberet donationis paternæ literas conſignatas de fratrum Ducatibus, reginæ & ſororum rata portione liberè & integrè ex lege pactorum utendis fruendis. Maximoperè allaboraret, ut Svetiæ Corona non ſolùm incolumia conſervaret ſua jura & vetera beneficia, Regalium & trium coronarum inſignia, qvæ Dani abſqve omni jure & æqvo, per vim ſibi arrogarent; ſed etiam eorum molitiones adverſus patriam pro virili prohiberet. Denique fidem daret de omnibus his capitibus ſincerè ſervandis, inprimis de unione hæreditaria: ne fratrum ſucceſſioni ullo modo fraus fieret; & ut Chriſtianum Principem aut Regem deceret, & Deo omnibusqve bonis gratum eſſet, ita ſe gereret. Navem Rex exſtrui curarat nomine Elephantem, qvæ vix parem ante habuerat, & Erico in Angliam vehendo deſtinata erat. Qvam cum ingreſſus eſſet Ericus, & patri ſuo jam valedixiſſet, Elfsburgum excurrens, mox revocatus eſt ex itinere, ſubito patris Regis morbo & exceſſu. Corporis ægritudine & ardenti calore augeſcente, Stenonem Erici & Olaum Laurentii Secretarium ad ſe vocat. illisqve ſe, regni laboribus feſſum & exhauſtum, morti vicinũ indicat, Se qvibusdam regni negotiis adhuc infectis & publico bono aliqvamdiu ſupereſſe, ſi ita Deo placeret, optabat. Adſtantes, cum vires Regis ſermone debilitari cernerent, ſibi & valetudini ſuæ parceret, rogabant. Ille verò converſus ad eos, fida ſua conſilia to-

ties ex occaſione promta illis ſeriò commendabat. Qvum ultima jam inſtarent, ad ſe filios ſuos accerſit, eosqve monet, *ne ſe teme è ſupervacuis & peregrinis negotiis miſceant, ſed ſua ſedulò & ex fide curent. Seipſos noſſe diſcant; nec majora viribus aggrediantur. Hoc non ſolùm animos tranqvillaturum, ſed etiam vitæ ſuæ & publicum regni ſtatum qvietum præſtiturum* credebat. Inde ordinat de ſuperſtitis uxoris Reginæ Catharinæ, Ducis Caroli & filiarum bonis ac fortunis. Tandem mente ad cœlum erecta, mundanorum curam prorſus animo excludit, & animam ſuam, ſimul ac corpore ſit exitura, Dei manibus credit. Qvibuſdam ei ſpem de hac vita & recuperanda valetudine facientibus, noluit auſcultare, nec qvicqvam de exceſſu excuſavit; qvippe certus longè meliorem & beatiorem ſibi vitam paratam eſſe. Ita ſpe cœleſtis gloriæ & inexpugnabili patientia vim morbi mortiſqve ſuperans, ipſo Michaëlis die è vita placidè migravit, qvum LXX. annos, menſes IV. dies XVIII. vixiſſet, & imperium tot procellis inteſtinis & externis, Dei ope gratiaqve feliciter ereptum, & heroicâ virtute partum, non in otio aut voluptate tranſegiſſet, ſed utilibus patriæ inſtitutis ac legibus, diſciplina civium aliisqve pacis belliqve præſidiis auctum & locupletatum cum inſigni pietatis, juſtitiæ, prudentiæ & animi magnitudinis laude triginta novem annos adminiſtraſſet. Qvamvis autem in ſenili ætate à nonnullis nimis ſeverus & ad rem attentus, more multorum ſenum, argueretur; tamen hoc in extremâ ad Ordines Regni oratione, jam morti proximus, ubi veræ voces eximendâ rebus humanis perſonâ, & manente re, ex animo proficiſci ſolent, ipſe ſatis, ut paulò ante audivimus, diluebat. Upſaliæ in templo primario cum duabus conjugibus S. Thomæ die regiis exeqviis & omnium bonorum deſiderio & memoria, certâ boni Regis exſtincti ſignificatione honoratus eſt. Eqvidem qvod regnum ab occaſu reſtituerit & ſervitii jugo liberarit, illud denuò condidiſſe jure dici poteſt. Si non alia nomen ejus immortalitati conſecraſſent, vel ſola religionis & libertatis inſtauratæ

conſervatæqve gloria, & qvod in ſui ſangvinis hæredibus ac

poſteris ſua virtute ſtabilivit regnum, hoc

præſtare potuiſſent.

HISTO

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. VII.

ERICUS XIV.

IUs ſucceſſionis Regni Svetici in Guſtaviana familia fundatum, qvod in patre bene cœperat, in grandiore natu filio Erico ſorte naſcendi continuatum eſt. Juvenis Princeps Parentis cura non ſegniter educatus, ac liberalibus diſciplinis, lingvisq; exoticis, præcipuè Latinâ & Gallicâ à præceptore Dionyſio Beurero Gallo imbutus eſt. Qvin & Aſtrologiæ cognitione eruditus erat; ſed majore curâ, qvam Principi conveniret, ad regiæ fortunæ cultum inprimis formando. Qvem tamen etiam non neglexit; præeunte magni Parentis longo uſu, imperandi militarisqve diſciplinæ gnari, exemplo. Cæterum exiguo vitæ ejus & patriæ fructui erat, pravis cupiditatibus eum indiverſa rapientibus. Pater qvidem cum venia juvenilis ætatis, filium conſtantiorem animum in virili ætate induturum ſperabat. Sed hæc ſpes eum fallebat: qvum non recta mens homini ineſſet, aut qvicqvid bonæ mentis dextrâ educatione firmatæ, ineſſet, malorum hominum conſvetudine & improbis conſiliis in Rege jam facto, uti poſtea memorabitur, depravaretur. In adoleſcentia ludis nimis deditus, maximè pilæ palmariæ & trocho, qvum à præfecto morum parcius ludicris, & magis ſeriis, ac publicè qvondam ſalutaribus operam dare moneretur, falsè ridens, reſpondit: *Erici pilam & trochum aliqvando ſcribis aulæqve miniſtris aurea fore poma.* Alludebat nimirum qvæſtum & commoda, qvæ ex nimiâ Principis animi remiſſione & incuriâ imperii, ad aulicos, rerum ſuarum interim ſatagentes, fluere ſolet. Qvum imperio primum non abſqve laude præeſſet, ante 1561
ſui inaugurationem, aulæ leges dedit: ut miniſtri ejus in obſeqvio non ſolùm continerentur, ſed etiam ipſi officiis aliqvando adhibendi felicius aliis moderari poſſent, ſi ſeipſos continere didiciſſent. Deinde fœdere cum Rege Galliæ facto, habitisqve Arbogiæ comitiis, cum Ordinibus regni Svetiæ egit *de Eliſabethæ Anglorum Reginæ conjugio, de Livoniæ ſubactione*

tentanda, & de ſui inauguratione propediem inſtituenda; de militum ob militiam abſentium immunitate ab oneribus publicis, & protectione regia uxorum & familiæ illorum; de non exportandis promiſcuè ad exteros regni fructibus & pecoribus, vel monetâ Sveticâ, de diverſoriis paſſim, ad minuenda ac levanda veredorum onera, aperiendis; qvæ ab Ordinibus approbata ſunt. Ibidem per diviſionem paternæ hæreditatis ex teſtamento Guſtavi I. Ericus à ſe ſeparavit fratres ſuos & ſorores. In iisdem comitiis Rex fratribus ſuis Johanni, Magno & Carolo ſtatuta qvædam & pacta præſcripſit de aſtrictâ magis, qvàm Parens ultimâ voluntate definiverat, eorum jurisdictione in Ducatibus ſuis. qvæ ab eo ſibi obtruſa, ſuæ ſolùm dominationis amplificandæ, & ipſorum auctoritatis minuendæ, ac fraternæ concordiæ diſtrahendæ cauſa, illi conqverebantur, eoqve ægrè ſubſcribebant. Eorum ſumma hæc erat: *Qvicunq; Princeps convinceretur maleficii aut inſidiarum adverſus Regis aut liberorum ejus vitam ac ſalutē, etſi non ſubſeqvuto actu, Ducatu ſuo & jure hæreditario regni excluſum iri. Subditi in eodem Ducatu ſoli Regi jurati eſſent, ſalvis Duci eorum tributis. qvi ſecus jurarent, vitâ & facultatibus privarentur. Qvicunq; cujuscunq; conditionis aliqvid clam vel palā Regi adverſum moliretur, ei à Regis præfecto, Duce non contradicente, manus injiciendas eſſe. Principem illū, qvi negligenter, aut minorē qvàm pro Regni aut temporis neceſſitate exercitum aleret, obnoxiū fore pœnæ ſubducentis ſe militiæ regni; tempore pacis pro eo ſufficientem pecuniam pendendam eſſe. Si verò deeſſent Principi vires alendi in uſum Regni milites, Regem eos ſub ſua ſigna vocaturum. Si Princeps ad aulam comitatior qvàm centum eqvitibus accederet, reliqvos ab aulæ magiſtro ſemovendos; immorigeros ex legibus aulæ damnandos eſſe. Nulli Principi uno atq; eodem tempore licitum fore convocare Ducatus ſui populum, bellum capere, pacem inire, pacta contrahere cum extero Principe, Rege inſcio. Ad extraordinaria tributa, lege Regni expreſſa, tam Ducis qvam Regis ſubditos ſub capitis pœna obligatos fore. Regis edictis de religione, agricultura, navigatione, mercatura, ſive qvibuscunq; aliis; tam Ducis qvam Regis ſubditos parere oportere. Nulli Duci fas fore nobilitare aliqvem, aut concedere alicui bona in perpetuam proprietatē aut peregrinum præficere majori dignitati, aut regni ſecreta ei credere, aut emendo ſibi acqvirere, tributarium Coronæ, cœnobii, Epiſcopi vel Eccleſiæ prædium, niſi duplo hæreditariorum bonorum plecti velit. qvod tamen Regi integrum foret. Qvisqvis Princeps monetam cuderet, Regiæ monetæ pondere & bonitate non reſpondentem, eum ejusqve hæredes poteſtate cudendi monetam exutum iri. Nec Principi in ſuo Ducatu integrum fore vectigalia ſupra conſtitutum à Rege augere, nec Epiſcopos aut Judices provinciales eligere, nec decimas exigere; ſed hæc ſoli Regi reſervatum iri. Nulli denegatum iri facultatem appellandi à Principe ad Regem. Re-*

gium Judicium inqviſitorium qvolibet triennio tam intra qvam extra Ducatum habendum eſſe. Regi ipſi & regiis miniſtris, regni negotiorum nomine, liberum fore tranſitum & commeatum per Ducatum. Arces & caſtella ipſi ejusq; populo ibidem pro rei uſu aperta fore. Nulli Principi ullam jurisdictionem fore in Nobiles Regis, in Ducatu poſſeſſionem aut ſedem habentes; nec ullum iſtic fovere fas eſſe, qvi contra Regem aut ei ſubditos fecerit, vel absq; venia ſervitio Regis exceſſerit. Breviter; *Principes eorumqve poſteros Regi omni honore, reverentia & obedientia, tam in his qvam aliis rebus hîc non expreſſis, in teſtamentis & donationibus addictos fore; contentos jure Svetico, & nulla niſi ad Regem accuſatione aut provocatione permittenda.* Regis inauguratio VIII. Kalend. Sextil. ſolennibus coronationis, jurejurando & obligatione à Rege, Principibus & Ordinibus Regni ſibi invicem atqve regno præſtitis, regiâqve pompâ Upſaliæ celebrabatur. Ubi, revocato veteri more Comitum creandorum, Petrum Brahe amitinum ſuum, Svantonem Sture & Guſtavum Johannis, Patris ſui conſobrinos, Comites creavit. Baronum autem inſignibus ornavit novem Regni Senatores, Guſtavum Olai Stenbock in Torpa, Stenonem Erici Leionhufvudh in Gráfsnás, Birgerum Nicolai in Wynás, Gabrielem Chriſtierni Oxenſtierna in Mórby, Laurentium Flemming in Sundholm, Carolum Holgeri Gere in Biórkewyk, Georgium Holgeri in Alóó, Claudium Chriſtierni Horn in Åminna, præter XXIV. Eqvites auratos creatos. Regis Polon. Legatus Comes Tanskyus Holmiam venit, agens cum Rege *de fœdere cum Polonis adverſus Ruſſos, & bis centum millibus dalerorum mutuò accipiendis, item de nuptiis inter Johannem Principem ac Regis Polon. ſororem.* Ad qvæ Rex Ericus *abnuit fœdus: quod non tam Ruſſos, qvàm Ordinis Teuton. magiſtrum hoſtem haberet; annuit de pecunia, ſed ſub hypotheca Dynemundæ, Wolmariæ & Wendæ mutuò danda; ut & de dictis nuptiis.* Aderant etiam Hanſeaticarum urbium Legati, privilegiorum, qvæ dictarum urbium cives, in Svetia mercaturam facientes olim à majoribus, præſertim parente Erici, acceperant, confirmationem petendi animo & deſiderio. qvod illis Rex non qvidem abnuebat; ut tamen aliqvantum reſtringeret & arctius redigeret Lubecenſium immunitates; uti ſuo loco pluribus dicetur. Contra civitatis Revaliæ petitioni promta voluntate locum dabat. Hæc urbs, Harriæ in Livonia princeps, una cum Eqveſtri Ordine Harriæ & Wiriæ, renunciato fidelitatis jurejurando Livoniæ magiſtro, Erici Sveticiq; Regni patrocinio ac imperio ſe ſubjecerat ante annum: qvum Ruſſis Livoniam pervagantibus, & ad ipſas usqve Revaliæ portas excurſionem facientibus, præſente vi atqve armis urbi intentatis, in ultimo diſcrimine, nec ab Imperio Romano, qvod ante agnoverat, nec à Cæſare

Ferdinando, tum bello Turcico diſtrictis, aliisve auxilium aliqvod afferretur, nec à propriis viribus ullum ſalutis præſidium in promtu eſſet. Regis Poloniæ verò aut alterius, qvàm Regis Svetiæ imperio, licet ſollicitata, ſe ſubmittere nolebat: qvod ab hoc, qvàm illis, paratiora ſubſidia in hoc neceſſitatis articulo, majoraqve commerciorum commoda, præſertim ſpe navigationis Narvâ Revaliam transferendæ ſalvorumq; privilegiorum ab Erico factâ exſpectabat. Nec illa eos exſpectatio fefellit. Qvippe non ſolùm, qvod per ſuos delegatos Johannem Peperſack, urbis Conſulem, Johannem Schmedemannum & Joachimum Bellholdt, ſenatores expediverat, immunitates & privilegia ei Ericus confirmavit, ſed etiam magnam vim pecuniæ, militem, commeatum & omne inſtrumentum bellicum abundè ſuppeditavit. Inſuper cum Ruſſis commercia & navigationem Narvâ, qvæ olim urbs Stapulæ, vel ſedes emporii & mercium Ruſſicarum fuerat, Revaliam tranſtulit. Pacem cum Moſcho à patre Guſtavo factam & hactenus fideliter ſervatam, porrò firmari, & Revalienſes eâ comprehendi ſatagebat. Cæterum, cum Revaliam ab Erico in patrocinium admiſſam, & novas conditiones, qvas Guſtavus non deſiderarat, paci adjungi Moſcus indignè ferret, per ſuos ad eum legatos, Nicolaum Krumme, Ericum Falck, Epiſcopũ Lincopenſem, & Nicolaum Ryning hoc excuſatum ivit, eâ prætextâ causâ: ut prædationes cohiberet à magiſtro Ordinis Teutonici in Sveones exercitas. Sed cum Ruſſo, indignationem ad tempus diſſimulante, vix de biennii induciis conventum eſt. Qvum verò magiſter Ordinis Livonici Gothardus Ketler & cum eo Epiſcopus Rigenſis, Nobilesq; iſtic, ab Imperio Rom. deſerti, in Regis Poloniæ Sigiſmundi Auguſti manum ejusq; tutelam Livoniam adverſus Ruſſorum & aliorum vim tradidiſſent, Ericus Rex non minus juris, qvàm Polonus, ſibi vendicabat ad Livoniam defendendam: in qva jam partem poſſideret, & reliqvæ Livoniæ tutelam Imperatorem Ferdinandum ſibi literis commendaſſe adfirmaret, ac præterea Sveonibus incommoda mari à claſſe piratica Ketleri illata penſari qværeret. Itaqve Claudium Chriſtierni Horn in Åminna, qvi Wiburgo præfectus antea fuerat, militiæ præfectũ & Laurentium Flemming, & poſt eum, Svantonem Sture Revaliæ præpoſuit: ut conciliatis ſibi civium animis, eam adverſus Polonorum impreſſiones & arma tueretur, atq; occaſioni plura Livoniæ, ſi poſſet, occupandi invigilaret. Qvod Claudius ſtrenuè peregit, dum non modò Caſparum Oldenbrok Polonorum Ducem Revaliâ repulit, ſed etiam cœnobium Padenſe, qvod ad Magni Holſatiæ Ducis ditionem pertinere dicebatur, inde Habſalam, Lehalum, Parnoviam arcemqve Wittenſtenium, à magiſtro Ordinis Teutonici regi Poloniæ ceſſas, Polonis inde ejectis aut fame au-

me auxiliiq; inopiâ debellatis, expugnatione aut traditione cepit. Hac re Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ, & Fridericum regem Daniæ, cujus frater Magnus ditionem Oeſilienſem ex traditione fratris Friderici R. Daniæ, ad qvem tranſtulerat Johannes à Mönichuſen, & Revalienſem diœceſin, obtentu veterum à Regibus Daniæ privilegiorum ipſi conceſſorum, & Friderici proteſtationis, ſibi vindicatum ibat, haud parum offendit, & ad arma, præter alias cauſas, de qvibus mox plura, concitavit. Lubecenſibus autem ſociisqve eorum exemptionum ſuarum & privilegiorum in Svetia confirmationem, ut antea memoratum eſt, flagitantibus, talem dedit: *ut Svedi Lubecæ, ſic Lubecenſes per totam Svediam, præcipuè tamen Stocholmiæ, Calmariæ, Sudercopiæ & Aboæ immunes à vectigalibus eſſent. A navigatione verò Narvenſi & Ruſſicis ibi commerciis prorſus abſtinerent. Revaliæ & Wiburgi cum Ruſſis in poſterum negotiaretur.* Has conditiones qvum Lubecenſes nulla ratione admittendas eſſe cenſerent, communicato cum reliqvis Hanſæ civitatibus conſilio, decreverunt adire Regem literis, & verbis prius, minori periculo, qvam armis diſceptare. In literis ſuis *nova hæc, prioribus inter Svetiæ Reges & Hanſeaticas urbes pactis ac conventionibus ignota omitti, & vetera ſibi privilegia confirmari* petunt: *qvæ pro ampliſſimis ipſorum in regnum Svetiæ meritis in compenſationem à deceſſoribus data, vim contractus non revocandi haberent. Commercia cum Ruſſis civitates Hanſeaticas ab immemoriali tempore exercuiſſe, & jure communi gentium tam illis, qvàm aliis populis, licere per mare Balthicum navigare qvò vellent, & utilitate ſua frui, ſi modò innoxia eſſet. nec prohibitæ merces eò veherentur: quod hactenus ſtudioſe præcaviſſent.* At Ericus reſpondit: *Ex priorum Regum contractu, qvatenus regno ſuo noxius eſſet, ſe non obligari, & beneficiis ſuis, qvem vellet, modum præſcribere poſſe. Se non ademiſſe Lubecenſibus ſua privilegia, ſed ex uſu regni publico in nonnullis duntaxat determinaſſe. Commercia qvidem Civitatibus Hanſeaticis, & ſeorſum Lubecenſibus ſemper fuiſſe cum Ruſſis libera; non tamen illis licuiſſe novos & inuſitatos portus pro lubitu, præſertim Narvam, adire. qvod ſi permittendum illis eſſet, toti ſuo regno, & ſpeciatim Revaliæ magno fore detrimento: id verò minimè ſibi ferendum eſſe. Se etiam ſibi perſvadere, ſe ex regia jurisdictione & auctoritate, non minus qvàm alii Reges & Principes in ſuis regnis & regionibus, ex utilitate publica, mare Balthicum, qvatenus ſub ejus ditionibus fluit, navigantibus vel aperire vel claudere poſſe.* His ita diſceptatis, præmonuit Lubecenſes, ne Narvam navigarent; niſi præſens periculum incurrere vellent. Qvum illi nihilominus antiqvam ſuam & commerciorum libertatem prætendentes eo navigaſſent, eorũ naves Narvâ redeuntes vi apprehenſas Holmiam abduci, mercesqve publicari curavit, facti ſui cauſis ad

ad Ferdinandum Imp. & Electores perſcriptis. Hoc armis ulturi Lubecenſes, ſed viribus minores, eas cum Danorum Rege, ab Erico Sveonum Rege antea irritato, jungere tentarunt. Et Fridericus eorum conjunctionem haud invitus accepit, dum adverſus Ericum, finitis induciis, meditabatur bellum: qvod, conjunciis viribus, ſperabat felicius fore. Sed anteqvam bellum inchoaret, per literas & occultos nuntios omnes Sveonum Ordines, præcipuè Nobiles ad rebellionem ſollicitaſſe fertur, libertatem illis perpetuam & omnium onerum immunitatem promittens, atq; transfugis protectionem offerens, uti qvidem aliis hoc ſilentibus, refert Petrus Marcilius Biturix Gallus, qvi hiſtoriam cauſarum belli inter Svecos & Danos ab anno MDLX. ſuſcepti, ſed hactenus ineditam ſcripſit. Idem addit, Fridericum præſentem regni Svetici ſtatum & adminiſtrationem vituperaſſe, ſe verò talem in Svetia fore pollicitum eſſe, qvalis S. Ericus & Steno Sture ſenior fuiſſent; & qvæ alia hujusmodi. Ad Friderici Regis literas exſtare Sveticæ Nobilitatis reſponſum, dictus auctor teſtatur; qvod ipſe adducit hujuſmodi: *Qvod Majeſtas V. nobis eam libertatem & privilegia offert, qvibus Danica Nobilitas utitur, nos illis tantà bona gratulamur, neqve ea illis invidemus Atqve utinam illi viciſſim noſtram (qvam illi vocant) ſervitutem non inviderent, neqve magis noſtra appeterent, qvàm ſua ambimus, tum profectò minus eſſet in nos ante tempora qvædam ſævitum, minus eſſet ſangvinis Svecani effuſum. Verùm qvoniam videmus eos non tantùm vivere, ſed etiam eſſe in prima apud M.V. auctoritate, qvi noſtrorum majorum & fratrum ſangvine exhauſto, nondum ſunt exſatiati (ignoſcat nobis M.V. qvod ex juſto luctu verba nobis erumpunt) qvi ſitibundis faucibus ad noſtrũ ſangvinem totum exſugendum, qvi filii & fratres olim mactatorum ſumus, toti anhelant, poſtulamus, M.V. apud ſe reputet, qvàm juſtas habeamus cauſas tales ſcopulos refugiendi. Forum Holmicum cruore noſtrorum parentum adhuc tepet, lugent adhuc ex illa miſerrimà carnificina tot viduæ; eoſdem qvi prius erant aucupes videmus, & eandem audimus fiſtulam canentem, qvâ allecti noſtri amici & conſangvinei permiſerunt ſeſe in leonis ſpeluncam deduci. Nonne totus orbis nos meritò ſtolidos & ſtipites dicat, niſi ad laqveos à nobis præviſos declinandos, ad tales cantus aures obturemus? Deinde cum antehac tam beneficum, tam clementem & liberalem, imò monſtrorum ſive ejuſmodi in nos ſævientis tyranni domitorem Regem habuerimus, cujus ſucceſſorem filium paternarum virtutum hæredem in ſolio paterno à Deo verè conſtitutum ſummâ veneratione proſeqvi juravimus, qvis qvæſo, ſi ab illo hoſtibus noſtris prodito deſciſcamus, infamiam nomini noſtro non inurat? Itaqve à M.V. petimus obnixè, nobis conſulat, utrum ſatius ſit, per ignominiam & infamiam aliqvod tempuſculum vitæ redemptum, carnificis gladio & excogitatis tormentis illud finire; an potius ad libertatem & nominis no-*

nis no-

nis noſtri dignitatem tuendam quæcunq, pericula ſubire. Deum juſtiſſimum judicem ſcimus noſtram cauſam judicaturum; Speramus etiam ita brachia & humeros noſtri Regis & noſtros corroboraturū, ut omnia nobis impoſita onera ferendo ſimus. Poſtremū quod M.V. dicit, ſe velle nos liberare ab eâ tyrannide, quam quadraginta annis perpeſſi ſumus; ſi M.V. quidãConſiliarii nobis ſcripſiſſent ſe de morte cogitantes, ſuorum flagitiorum pœnitudine ductos, velle ſatisfacere de illa in noſtros exercita ante quadraginta tres annos tyrannide & inaudita multis ſeculis immanitate, cujus ipſi fuerunt conſiliarii & veri auctores, quam etiam veluti ad ſe nihil attinentem ſuis ſcriptis toti orbi patefecerunt, nobis certè fuiſſet gratiſſimum, ut quibus conſtet, eos veniam ſuorum ſcelerum nunqvam conſecuturos, niſi hoc prius faciant. Verùm cum hoc videamus cudi, ut qvod reſtat nobis ſangvinis in Svetiâ, illud uno veluti hauſtu abſorbeatur, non potuimus hæc ſine incredibili, ſed tamen juſto noſtri animi dolore ad M.V. ſcribere; idqve non criminandi ſtudio, ſed qvod eorum artes nobis incipiant innoteſcere, qvi M.V. certum exitium cum noſtra internecione conjunctum ſciunt, & omnibus modis & adhibitis machinis accelerare moliuntur.

Tandem bellum feriò adverſus Svecos ſuſcepturus, illius iſtas ferebat cauſas: *quod fœdus inter Guſtavum Svetiæ & Chriſtianum Daniæ Regem anno M DXLI. factum, ab Erico & Svedis violatum eſſet, in uſurpatis ab ipſo Regni Daniæ & Norvegiæ inſignibus; trium verò Coronarum inſignibus puppi navis Danicæ exciſis* (qva de re in vita Guſtavi primi ad annum M D LVIII. & M D LIX.) *quibus tamen non Svetiæ, ſed Daniæ regni cauſa hæreditario jure uteretur; in direptis ab Erico quibusdam Magni Regis Daniæ fratris, in Livonia poſſeſſionibus. præter hæc ſollicitatum ab ipſo Magnum ad defectionem ſpe matrimonii aliisq, promiſſis Oeſiliam ſub Svetiæ poteſtatem redigendi. turbatam maris per prædationes ejus ſecuritatem, clandeſtinas machinationes ſtructas eſſe, qvibus Scaniam & alias vicinas Daniæ provincias Ericus ſibi quæſiverit.* Ericus verò contra expoſtulabat cum Friderico, *de dicto fœdere ab ipſo potius & Danis rupto, in receptis ex Svetia in Daniam profugis ſeditioſis, in pace cum hoſtibus, excluſis Sveonibus, facta, in fœdere cum aliis adverſus Ericum, in violenta & injuſta trium Coronarum, regni Svetiæ priſcorum & propriorum inſignium, uſurpatione; quam ſi Fridericus non intermitteret, ſe quoque non ceſſaturum uti ejus regni inſignibus. Nihil Magni in Livonia, ex occaſione belli latius graſſantis, direptum fuiſſe, niſi quod in Erici ditionis Livonicæ partibus ſitum eſſet. Revalienſes verò fermè exhauſtos & ab omnibus deſertos ſe deſerere noluiſſe, ſed contra vim Ruſſi, etiam vicinis metuendam, jure protegere. Magnum à ſe ad defectionem non ſollicitatum, ſed de honeſto inter ipſum & Erici ſororem conjugio actum fuiſſe, & Oeſiliam adhuc in poteſtate Magni permanere. Non ſe turbaſſe mare piratica, ſed contra vim & perſecutionem Danorum ſe defendiſſe. Jus Sveonum in Scaniam, Hallan-*

Hallandiam & Blekingiam vetus eſſe. His ita diſptatis, tamen Ericus honeſtam pacem ancipit bello præferendam eſſe exiſtimans, in Daniam miſit Stenonem Erici avunculum ſuum, *animo renovandi cum Friderico pacem & amicitiam inter utriuſqve parentes initam. Aut ſi Fridericus ab hoc alienior foret, firmam in tres annos pacem cum eo paciſceretur; integro tamen priori fœdere.* Fridericus qvidem pacis triennalis leges ſcribi juſſit; ſed qvum Erico partim indignæ viderentur, partim ambigui ſenſus eſſent, ab eo rejectæ ſunt. Tandem tamen *de annuâ pace* inter utrumqve convenit. Sed qvum Ericus Daniæ & Norvegiæ inſignia ſuis qvoqve apponi feciſſet, Fridericus, *inſignem hanc injuriam ſibi factam, annali fœderi, qvo omnis innovatio interdicta eſſet, directè repugnare, præterqvam qvod ſuſpicionem alieni regni affectati præ ſe ferret,* expoſtulavit: *vel hanc juſtam belli cauſam fore.* Contra Ericus: *In annali pace de inſignibus regni nihil actum eſſe. Se nihil aliud eorum uſurpatione affectaſſe, qvàm ut jam currentem trium annorum præſcriptionem interrumperet hac via.* Legato Svetico ex Dania cum ſpe pacis vix dimiſſo, Ruſſorum & Polonorum legati ſocietatem adverſus Ericum, tanqvam communem hoſtem, à Danis petitũ advenerunt: qvod pacem inter Ericum & Fridericũ modò cæptam non parum impedivit, contrario inter illos adverſus Ericum pacto fœdere. Subſeqvuta hyeme Ericus Rex, nuptiis Eliſabethæ Reginæ Angliæ, & Mariæ Reginæ Scotiæ per legatum Comitem Petrum Brahe, fruſtra tentatis, & provocato ad duellum Ruberto Dudleo, Comite de Lyceſtria, qvaſi impediente dictas nuptias, Stenonem Erici, Gabrielem Chriſtierni, Arvidum Guſtavi, Georgium Finkium in Haſſiam legatos mittit, ut negotium de matrimonio filiæ Landgravii Philippi antea inchoatum ad optatum finem perducerent, vel, ut alii ferunt, fœderis cum Germanicis Principibus ineundi cauſa. Dum Daniam & in ea primariam urbem Hafniam non impetrata prius fide publica, poſtqvam novi fœderis annus elapſus, nec Danicorum inſignium renunciatio facta erat, rebus ad hoſtilitatem ſpectantibus, tranſire conantur, à portæ cuſtodibus prohibentur. Illi cum ſtomacho liberiora in eos dicta effundentes, à Cancellario Regis tum abſentis, Johanne Friſio, in hoſpitia ſua reduci & vadimonio iſtic detineri jubentur. Hoc Ericus, tanqvam contra jus gentium factum expoſtulans, graviſſimè tulit: & animis utrimqve incitatis, jam ad belli minas omnia vergebant. Interea Johannes Finnoniæ Dux, Erici frater, in Poloniam profectus, Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ Regis ſororem Catharinam Pontificiæ religioni addictam, in matrimonium, firmioris qvidem inter utrumqve regnum Svetiæ & Poloniæ conjunctionis & amicitiæ con-

filio, ſed ex aliis cauſis præſertim diverſæ religionis, de qva poſtea, regno Svetiæ infelix atqve grave, duxit. Nuptiis Vilnæ in Lithuania ſolenniter celebratis, cum conjuge ſua per Livoniam in Finnoniam revertitur. Qvamvis autem dotis ipſi à Rege Poloniæ promiſſæ ſolutio protraheretur, nihilominus Johannes ei LXXXM. ut ipſe ad Ericum ſcripſit, uncialium (qvidam CXXV. millium ſummam ponunt) mutuo dedit. Pro qvibus & dote maternaqve hæreditate conjugis Johannis Sigiſmundus illi ſeptem arces & præfecturas in Livonia, Wittenſtenium, Karchiſam, Trichatum, Helmutum, Ermiſinm, Ruiam & Bortwicum oppigneravit aut hypothecæ obligavit. Etiamſi Ericus in fratrem Johannem jam à pueritia tam acerbo animo eſſet, ut nullis illius officiis placari poſſet; tamen majus ex hac cauſa inter Ericum & Johannem fratres odium ac diſſidium ortum eſt. Ericus enim ſibi perſvadebat, fœdus contra ſe à Polono cum Dano, Johanne conſcio ac participe, ictum fuiſſe; qvum tantum pecuniæ Polono non temerè ſuppeditaſſet, & ſibi (Erico) de iſto fœdere & hoſtilibus adverſus Svetiæ regnum molitionibus nihil ſignificaſſet. Accedebat, qvod Johannem affectati ex conjugio Polonico regni Svetici ſuſpectum habuit: qvum regulas nuptiæ ipſi ad majora adſpiranti gradus qvidam viderentur. Qvum ante in literis ſuis ad Johannem fratrem a. d. XXII. Octob. datis ipſi hoc negotium gratulatus eſſet, & felicem ejus ſucceſſum optaſſet, aliiſqve literis Regi Poloniæ ipſum commendaſſet, nunc illud ob dictas cauſas, & qvod interim Polonus ejus hoſtis factus eſſet, improbabat; adeò ut eum proſcribendi, bona ejus publicandi & jure hæreditario regni Svetiæ excludendi impetum tandem caperet. Qvin accepta à Sigiſmundo in Livonia caſtella, de qvibus ante, ſub ſpecie defenſionis contra vim Ruſſi ſibi tradere Ericus compulit, fruſtra deprecante Johanne. In comitiis Holmiæ habitis decretum eſt extra ordinem tributum duarum unciarum argenti à ſingulis pendendum pro itinere Erici, qvod in Angliam ipſe, nuptiarum cauſa, parabat; & ut qvilibet tributarius ruſticus qvotannis penderet duas marcas, qvilibet Nobilium ruſticus unam marcam, & qvilibet Coronæ colonus dimidium marcæ: ut liberaretur angariarum onere. Nobilibus autem impoſitum eſt, ex bonis allodialibus aut propriis, ad æſtimationem CCC. marcarum, eqvitem in militiæ uſum armare: ut tamen Nobilis uno, Baro duobus, Comes tribus prædiis liberè & non computatis in eandem ſummam, frueretur. Seqventi anno Ericus ad Ruſſum legatos mittens, duorum annorum inducias iterum impetravit, cum hac 1563
conditione, ut in Livonia non plus occupatum iret, qvam hactenus occupaſſet.

paſſet. Ad Regem Daniæ ſcribens de Lapponibus in Weſtrobothnia, præſertim Lulæ Lapmarchiæ, ad Titisfiårdum inter Warangriam & Tornam habitantibus, qvod ad multos annos Svetiæ regno ſubjecti fuerint, eiqve æqvum ac annuum tributum ſolverint; nunc autem à Regis Daniæ præfectis contumaces factos, nullum ſibi tributum præterito anno pendere voluiſſe, expoſtulat. Hac re in poſterum abſtineri cupit, ne majoris offenſionis ultionisqve materia inde naſcatur. Poſt hæc rumor exivit de rege Daniæ, qvod bellum adverſus Svedos pararet. At Ericus præ ſe ferebat, qvaſi parum in animum admitteret: ne illud reformidare videretur, neve, qvid contra agitaret, hoſtes reſciſcerent. Eqvidem mercatores, qvi ex Svetia Lubecam euntes, de belli apud Svedos præparatione percontantibus nihil referendum habebant; rogati, qvid Ericus Rex ageret, reſpondebant, ipſum interdiu pilâ ventoſâ, ut mos ejus erat, ludere: adeò cuncta in aulâ ad qvietem & otium compoſita videbantur. Sed Ericus aliud animo condebat, & qvid facturus eſſet, ipſe ſecum aut cum paucis intimæ admiſſionis conſtituebat; qvod tempus rei perficiendæ idoneum aperuit; qvamvis nonnulla per ſecordiam neglexiſſe exiſtimaretur. Ad bellum tamen neceſſaria paravit, de militia eqveſtri, in eaqve merentium officiis & obligatione ſtatutis conditis. Commerciorum ſtatum intra regnum ſtabilivit. Argenteæ monetæ æſtimationem, à peregrinis mercatoribus auctam, ad æqvum modum & pretium redegit. Promiſcuam argenteorum nummorum evectionem, conſtitutis in limite regni & urbibus maritimis collybi menſis, interdixit. ſed & domeſticæ ſegetis nimiam evectionem prohibuit, ad avertendam annonæ flagellationem. atqve ne ſeges demeſſa & adhuc in agro exſtans continenti pluvia corrumperetur, ſiros vel conditoria, ſiccando frumento idonea, ad exemplum Finnonum & Livonorum, exſtrui edicto juſſit. Inſuper vetuit atrocia delicta, capitis pœnam merentia pecuniâ luere. Proximo vere duodecim navium armatarum claſſem in portum Roſtochienſem ad Varni oſtium præfecto claſſi Jacobo Bagge emittebat, prætexens qvaſi ea in Germaniam Regis legatos & per eos ſponſam Erici, Landgravii Haſſiæ filiam, in Svetiam adductura eſſet. Legatorum princeps erat Georgius Gera ad Landgravium Haſſiæ de dicto negotio miſſus, cujus principia ſe bene ipſi dabant, patre virginis ad iſtas nuptias propenſo. Cæterum qvum Danus totus eſſet in apparando contra Ericum bello, & tamen Ericus virginem, velut ſtatim cum ea nuptias facturus, huc abſqve mora tranſmitti voluiſſet, Haſſus cautior non filiam, ſed legatos ſuos in Svetiam ire iubet, per qvos nuptias in pacatiora tempora ac tutius

iter

iter differri cupiebat; & niſi de nuptiis, uti par erat, ſatis ante conveniſſet filiam mittere ſibi neqve fas neqve decorum fore oſtendebat. Verùm hæc in civilem modum prætexebat Haſſus. Vera non tam dilati, qvàm tandem denegati iſtius conjugii cauſa erat: qvod, dum negotium de eo maximè fervere videbatur, à Rege Daniæ literæ, in oceano occidentali interceptæ, ad Haſſum miſſæ erant, ab Erico ad Eliſabetham Angliæ reginam ſcriptæ (qvidam ſub Erici nomine fictas fuiſſe ſuſpicantur) in qvibus de ejus animo in Eliſabetham conſtanti, diverſum verò de Haſſici Principis filiæ nuptiis, & qvod Virgini ludibrio eſſet, continebatur. Ea re Landgravius ſe ludificari ſentiens, adeò commotus eſt, ut Erici legatos, etſi hujus rei neſcios, infecto negotio ante ſolem occaſum urbe excedere juberet. Virgo autem nihilominus regiæ ac Sveticæ adfinitati ac propinqvitati deſtinata, poſtea in matrimonium Adolpho Holſatiæ Duci elocabatur. ex qva ille, præter alios liberos ſuſcepit filiam Chriſtinam, uxorem Caroli IX. Regis Svetiæ, matrem Guſtavi Magni. Illâ ſpe nuptiarum dejectus Ericus, mox temerarium & inſanum facinus in Johannem fratrem cogitabat. Qvum enim ex ante capto odio ſuſpicaretur, Johannem etſi Svetia extorrem, tamen, dum ipſe bello Danico diſtrictus eſſet, non qvieturum, ſed vel in Finnonia ſuâ, ſibi addictâ provinciâ, vel Livoniâ, ubi jam aliqvot arces & oppida ſub hypothecâ poſſidebat, aliqvid moturum, Andream Sigfridi in Finnoniam, incolis ſibi antea jurejurando occultè obſtrictis, cum mediocribus copiis mittit, ut expugnata Aboæ arce, Johannem cum uxore & ſuis vivum aut mortuum Holmiam duceret. Johannes trimeſtrem ſuſtinens obſidionem, exſpectato fruſtra auxilio, ſe dedere cogitur. Qvidam ſpe amicitiæ fraternæ juvenem circumventum, deditionem feciſſe, ſed cum vitæ periculo, ſcribunt. Qvendam enim in mandatis ad Erico habuiſſe, ut ſub ſpecie ſalutationis eum confoderet. Et mucronem jam clanculũ Duci intentantem, Nicolaum Boë, Eqveſtris dignitatis virũ, repreſſiſſe. Sed vitam morte acerbiorem ſervabat Princeps Johan. Nam fratrem Ericus, ad duodecim ex proceribus, ſtudio partium non addictorum judicium, ſecundum Guſtavi I. Teſtamenti tabulas, neqvicqvam provocantem & fidem publicam poſtulantem, apprehendi cum conjuge fecit, & publico ſimplicis multitudinis, qvam Ericus ſuo nutu ac arbitrio regebat, judicio accuſatum, ſed inauditum & abſentem, perjuris & falſis teſtibus adhibitis, uti Johannes in ſuis ad Ericum literis Gripsholmiæ datis qveritur, qvaſi perduellem aut in Regis caput conjurantem, & qvi contra fidem ſibi datam ac

 jusjuran-

juſjurandum fecerit, capitis & fortunarum damnavit. Anteqvam verò ſententia ferretur, nonnullos ex præcipua nobilitate intra obſeratas arcis portas & fores conclavis adhibitâ cuſtodiâ, Magnumqve Oſtrogothiæ Ducem ſubſcribere coëgit. Magnus qvod, miniſtros ipſius Ericus in carcerem trudi juſſerat, qvaſi contra ſtatuta ejus feciſſent, & hoc inprimis, qvod ſententiæ in Johannem latæ invitus nomen ſuum ſubſcripſiſſet, ex animi mœrore emotæ mentis morbum accepit. Fanaticus qvidam Johannes Bartholdi prænunciarat, regis Erici imperium die Michaëlis terminatum iri, idqve ſe ex ore Principis Johannis audiviſſe conſtanter adfirmaverat. qvod tamen putidum mendacium erat: uti Johannes ipſe in ſuis ad Ericum literis a. d. VII. Maji datis, qvibus nomen ſuum ac innocentiam defendebat, ſatis oſtendit, additis his cordatis ac Principe dignis verbis: *Etiamſi omnes diabolos mihi adverſos haberem, DEI tamen ope ad extremum uſqve ſpiritum exiſt:mationem ac dignitatem meam tuebor.* Holmiam Johannes cum conjuge ſua, atqve inde Gripsholmiam ductus, in cuſtodiam tradebatur, plurimis ejus miniſtris capitis ſupplicio affectis. Qvin ipſum Johannem etſi capitis damnatum, & aliqvando neci per qvendam Andream Nicolai deſtinatum, tamen poſtmodò carceri tradi & bonis ac jure ſucceſſionis in regnum privari contentus, manus ab eo, majorum motuum metu abſtinuit. Claſſis Svetica ab Erico emiſſa ſub ſpecie adducendæ ſponſæ Haſſiacæ, ut ſupra dicebamus, ſed ex occaſione, uti videtur, pertentandi vires & molimina Danicæ claſſis, qvæ ad Bornholmiam ſtabat, maris cuſtodiendi cauſa, & ut in Svetiam navigaturos tranſitu prohiberet. Ipſo Pentecoſtes die ſibi obviæ ambæ fiebant. Qvum neutra claſſis alterius gratia velum demittere dignaretur, utrimqve ſe acriter tormentorum ictibus excipiebant; donec prætoriæ navis Danicæ malus decuteretur, & ipſe præfectus claſſis Jacobus Brokenhuſius cum prætoria Danica, Hercule, circumactu difficili, & duabus aliis Cervo & Hectore præter aliqvot Lubecenſes, multisqve tormentis bellicis atqve ſexcentis amplius claſſiariis militibus, cum aliis ex nobilitate, captivis in univerſum M. ſtrenuo claſſis Sveticæ præfecto Jacobo Bagge in poteſtatem Sveonum veniret. Captivi die Petro & Paulo ſacra, juſſu Erici per urbis pontem, & inde ferrarium forum in arcem albos baculos manu tenentes, detonſis capillis, prævio Regis Erici fatuo & præludente illis, aut potius illudente, cum ludibrio minus decoro, ducebantur. Iisdem præferebantur ſigna complicata

cata & obverſa. De Brokenhuſio tradunt Annales Svetici, qvod qvum ſuperiori anno cum Corvitio Canuti Ulfeld legatus in Svetiam fuiſſet, ampliſſimis verbis & jurejurando Svedis confirmatum iverit, ipſis nullum à Danis periculum, ſed firmam cum iſtis pacem fore. Nunc verò primum in Svedorum manus incidentem, documentum fraudis, proprium auctorem ferientis, fuiſſe. Svedi qvatuordecim fermè diebus ad Warnum fl. conſidentes, nullum Danorum, præter modò dictos, impetebant. Ericus enim pacem & amicitiam cum Danis ſimulans, ſuos claſſem Danicam adorturos fuiſſe negebat, niſi ab ea hoſtilem in modum laceſſiti fuiſſent. Inde ſublatis anchoris in Svetiam redeuntes, feriò terra mariqve tam à Danis qvam Lubecenſibus apparatum bellum acceperunt. Rex enim Daniæ Warburgi in Hallandia fermè qvatuor millia eqvitum & viginti qvatuor millia peditum coëgerat, adornata claſſe XLIV. navium, præfecto ei Petro Schramio, cum qvâ Lubecenſes XIII. naves conjunxerant. Fridericus rex Daniæ jam rebus accinctus, Erico Regi Svetiæ bellum pridie Kalend. Sextil. literis per fecialem indicit. qvem Ericus tutò admittit dimittitqve; *qvamvis* ut ajebat, *longè diverſam de ſuo cognato, nunqvam à ſe læſo, ſpem foviſſet*. Lubecenſium autem fecialem ad conſules & Senatum Stocholmiam dimittit, verbis his adjectis: *Reges regibus, cives ac ruſticos civibus ac ruſticis bellum denunciare oportere.* qvod Lubecenſes ægrè tulere. Danus prid. Non. Sextil. Warburgo cum copiis XXX. vel XLM. & claſſe movens, Elfsburgum arcem & portum Svediæ, per qvem in occidentalem oceanum exitus patebat, obſidione cingit, oppugnat & muri partem dejicit, in qvam irruptionem minatur. At Ericus Kagge arci præfectus, ſubſidii penuriâ illud hoſti tradere cogitur: dum Ericus & arcis & patriæ ſalutis negligens, arma in hoſtes ſuos vertenda, domi in fratrem ſuum Johannem, proceres aliqvot regni & cives crudeliter ſtringit. Inter hæc Elector Saxoniæ & Landgravius Haſſiæ Roſtochii conventū de tractanda inter utrumqve Regem pace inſtituerunt. Sed exſpectatis per multas dierum hebdomadas Erici legatis, qvibus Danicus claſſi præfectus tuti commeatus literas eo, qvo deſiderarant ſibi dari modo, denegaverat infecta re & ſoluto conventu abierunt. Poſtqvam autem Erico non tantum à Danis & Lubecenſibus, ſed etiam à Poloniæ rege bellum indictum erat, & Ruſſus idem minari videbatur, irruptionibus in Livoniam factis, ille ſatis animadvertens, ſe tot ſimul hoſtibus imparem viribus fore, prius aggreditur Danum, fortunæ periculum cum eo facturus. Triginta ſignis peditum & decem eqvitum cum XLV. tormentis per Weſtrogothiam in Hallandiam

diam ductis, Halmſtadium iſtic oppidum coronâ cingit & ſtrenuè oppugnat, impigrè tamen id defendentibus ei præfectis Chriſtiano Manteufel & Joſua à Qvalen. Dein viribus Danorum auctis, acie decernitur: in qva plurimis eqvitum cæſis, ipſo qvoqve tribuno peditum Weſtrogothorum Linnarto Torſtenſonii in Forſtena, avo Comitis ipſi cognominis, ſtrenui noſtra ætate ducis, Svedi campo ceſſerunt, tormentis etiam hoſtium factis. Hanc cladem ut ulciſcerentur Sveones, denuo erumpentes Lichoviam, Överſeam & oppidum Sundeby deditione ceperunt. Domum redux Ericus & in hyberna concedens, qvâcunq;, etiã hactenus fortunâ, tamẽ cum Polono pacem fieri deſideravit: ut contra reliqvos hoſtes Danos, Ruſſos, Lubecenſes, magis valeret. Itaqve cum fratre Johanne, ſpe liberationis à vinculis ipſi facta, agi fecit, ut tanqvam ſuo nomine & conſilio literas ad affinem ſuum, Regem Poloniæ, de pace cum Erico tractanda, daret. Johannes hoc lubenti animo acceptavit, qvantum è re regni poterat, accuratè ad Sigiſmundum Aug. ſcripſit, & cum eis Svenonem Elai Secretarium in Poloniam miſit. Sed ille in itinere per Curlandiam, Ketleri Livonici ordinis magiſtri juſſu, in arce Boutzenſi ultra triennium detinebatur, interpoſita cauſa, qvaſi præter Johannis Finlandiæ Ducis, etiam Regis Erici mandata qvædam in Germaniam & alias oras haberet: adverſus qvæ nulla excuſatio aut qvæcunqve exceptio qvidqvam proficiebat. In Norvegia qvieſcentibus incolis, Rex tamen ductoribus Comite Petro Brahe, Canuto Haraldi & ſeqventi anno Claudio Collarto, Jemtiam & Nidroſiam occupavit; etiamſi ab Eduardo Bille prorege iſtic mox, noſtris expulſis, recuperarentur. Iterum ab Erico Rege mittebatur ad Regem Poloniæ Comes Petrus Brahe. Sed nihil apud Polonum, Revaliam & alia Livoniæ loca ab Erico occupata repetentem, obtinere potuit. Ideò poſtea cum aliis deſtinabatur Legatus in Daniam, poſtqvam Ferdinandus I. Cæſar, Maximilianus Rex Bohemiæ, Fridericus Rex Daniæ, Sigiſmundus Rex Poloniæ, Elector Saxoniæ, Duxqve Brunſvicenſis legatos ſuos Roſtochium miſerunt ad componendum inter Svediæ, Daniæ & Poloniæ Reges bellum. Illi in dicta urbe bimeſtre amplius Svedorum adventum fruſtra præſtolabantur. Tandem redeunte è Svetia Chriſtophoro Minqvitz Cæſaris legato, qvi ad Ericum cognoſcendæ ejus mentis de pace cauſa, miſſus erat, hoc tulere reſponſũ ab Erico: qvia de conventu Roſtochii inſtituendo nihil ei in tempore ſignificatum ſit, & priſco more invaluerit, ut ſi qvæ inter Svediæ & Daniæ Reges controverſiæ exortæ ſint, de iis componendis ad utriusq; regni limitẽ

legati

legati mittantur, neminem ſe Roſtochium miſſurum. qvod ſi ad regni fines convenire velint, ſuos etiam iſtuc acceſſuros. Qvæ verba animum à pace alienum arguere Cæſari videbantur. Mox ad arma revertit Ericus, & Elffsburgi recuperationem obſidione trium menſium, ſed irritâ tentat. Ne verò nihil ageret, excurſionibus in Hallandiam factis, ibi Halmſtadium circumſidet, animo expugnandi urbem, ſed paucioribus tormentis inſtructus & à claſſiariis deſertus, intermittere expugnationem neceſſe habuit. Circa Laholmum tamen & Engelholmum jacentia populatus eſt. Inde movens ad fines Norlandiæ, cæſo Eduardo Bille cum ſuis captoqve, ſed mox ad pacta à Claudio Chriſtierni temerè dimiſſo, Jemtiam, Herdaliam, & in Norvegia Steenvvikshelmum & Nidroſiam occupat. Urbem tamen Dani, poſt paucos menſes, ignaviâ præfecti, recuperarunt. Bahuſiæ autem natura & arte 1564
munitæ obſidio, re infectâ, ſoluta, ſeqventi anno iterum, ſed inani conatu tentata eſt, præfecto exercitui Petro Brahe. qvi, qvum à rege juſſus eſſet aliqvot copias eqveſtres & pedeſtres rupi Bahuſiæ imponere, & abductis cymbis ac lembis, hoſtium manibus miſerè obtruncandas objicere, niſi arcem oppugnare vellent; ille hoc & indignum & impoſſibile ratus, qvippe tormentis & pulvere pyrio deſtitutus, iſto conſilio ac incepto deſtitit. qva re tamen Regis offenſam incurrit. Irruptio in Nidroſienſem & Aggershuſianam regionem ductoribus Matthia Tôrne, Mauritio Stake, Petro Nicolai & Erico Henrici & copiis eorum igne ferroq; obvia perdentibus, felicius ſucceſſit. Hæc terrâ. Sed mari Danica & Lubecenſis claſſes cum Svetica primò inter Ölandiam & Gothlandiam per integrum diem manus conſeruerunt hac fortuna: ut præfectus claſſi Danicæ Franciſcus Bille in navi ſua prætoria tormenti ictu interemtus occumberet, Sveticæ verò naves S. Ericus & Elephantus non parum lacerarentur. Inde ſe Bornholmiam conferentes, per triduum ſummis viribus ac obfirmatis animis decertarunt. Tandem poſt vehementem conflictum, hoſtes aggreſſi ſunt navem prætoriam Sveticam Martis nomine inſignem; *Makalôs* nomen Sveticum etiam acceperat, qvaſi *nulli parem* dicas. Tanta enim ejus moles erat, ut nullam ſibi magnitudine æqvatam in mari Balthico habuiſſet; armata CXXV. majoribus tormentis, ducenta Chytræus habet, minoribus cum majoribus haud dubiè computatis. Illa ſola ſe hoſtium claſſi objectare auſa, undiqve ab illis impetebatur. Qvum Lubecenſes auro in eorum, ipſis ſecundum, noſtris adverſum, mutante, eam adorti eſſent, depreſſit tamen illorum majorem qvinqve malorum navim. Sed ſubſidio ſociarum navium deſtituta, ſolis Elephanto & Cygno Finnonico eam inſeqventibus, & ab hoſte conti-

nuis centum fermè ictibus tormentorum verberata atqve oppugnata, tandem decuſſo gubernaculo,& pulvere nitrato fortè in ea inflammato, ignem concipiens,cum aliqvot vicinis navibus ſimul incenſis & hominibus deperditis, in profundum cum omnibus tormentis ivit,Bagge præfecto & aliqvot aliis nobilibus in hoſtium poteſtatem devenientibus. Alia Svetica navis Accipiter, cui præfectus erat Andreas Beronis (aliis Esberni) qvum ad Warnemundam intra Roſtochienſem portum ad tempus ſtetiſſet, eam adduci propius urbem ſenatus loci ſvadebat: ut à Danis ei ingruentibus tutior eſſet. Præfectus,ne ullam metus aut fugæ ſuſpicionem præbere videretur,hoc recuſabat. Mox à Danis circumfuſus,qvum per aliqvot horas ſe ſuosq; gnaviter tutatus eſſet,tandem perforata hoſtilibus tormentis nave, & omni ſpe ſalutis depoſita,ignem in pulverem pyrium immiſit; & cum nave conflagrare,
1565 qvàm in hoſtis manus venire maluit. Ericus refecta claſſe ſua,tres archithalaſſos,Claudium Flemming,Nicolaum Gryp,& Petrum Baner,honeſtæ æmulationis inter ſe cauſa ei præpoſuit;ſed qvum hujuſmodi poteſtas æqvalibus imperiis diſcors eſſet,pares obſeqvium ſibi invicem denegabant,aut inter ſe non ſatis conveniebant, uno hoſtem aggrediendum jubente,altero reclamante & abnuente; militibus etiam ignaris, cujus imperium præcipuè audire ſeqviq; deberent.Sunt tamen qvi ſcribunt,Claudium Flemming ſummam imperii in claſſem tenuiſſe: tandem ad Claudium Chriſtierni translatam eſſe; qvi tres Danorum naves ad Gothlandiam cepit ac diripuit. Ericus autem ſuperiorem jacturam paulatim reſarcire cœpit.Qvippe XXIV.Lubecenſes naves,Ruſſicis & Narvicis mercibus,& aliqvot Hollandicas ſale onuſtas intercepit.At Achatius Benedicti in Blekingia oppidum Rotneby & arcem Lyckam expugnavit,cæſis qvatuor ſignis militum, uxoribus & liberis vitæ incolumitate data,conſule urbis Birgero cum aliis aliqvot captis.Inde juſſus obſidere Bahuſiam & Elfsburgum,rem parum feliciter & ex voto geſſit, ſtrenuè reſiſtentibus Danis. Ille tamen à Rege ab officio remotus eſt, qvaſi rem ſeriò non egiſſet; & in ejus locum receptus Petrus Comes,ibidem nihil cum fructu efficere potuit, de qva re alibi plura dicuntur. In Comitiis Upſalienſibus Ericus Rex cum Ordinibus regni de auxilio militari ſibi ſubminiſtrando, & indigenâ uxore ducendâ egit,ſi cum alienigenâ, præſertim Renatâ Ducis Lotharingiæ ſorore (fruſtra etiam expetitâ) non ſuccederet negotium. Item de Caroli Ducis proximo ſucceſſionis jure, excluſo Johanne,& præterito Magno, mentis non ſatis compote. De his poſterioribus nihil ab Ordinibus regni decretum eſt; ſed de ſubſidio militari ſuppeditando. Qvia verò pauci Nobilium ex Ordine Eqveſtri Comitiis Upſalienſibus

ſibus intererant, qvi Regis mentem coràm intelligerent, præſertim de operâ militiæ eqveſtris ab illis præſtandâ, publicum de eâ Edictum ad eos promulgavit. In Livoniâ talis armorum fortuna fuit: Parnoviam urbem & arcem, ante triennium à Svecis captam, Poloni Germanorum, qvi ſub Erico Rege antea ſtipendia fecerant, proditione, & qvidem Ducibus ac auctoribus Cyriaco ab Hartz eqvitum magiſtro & Bernhardo Brendes occuparunt; qvod ita accidit: Ex dimiſſis ab Andrea Petri in Faredaal, arci & urbi præfecto, poſt ſtipendia ſoluta eqvitibus, qvidam in dicto loco remanentes, cum reliqvis, qvi ad Poloniæ Regem & Curlandiæ Ducem transfugerant, paciſcuntur, ut apertâ à ſe urbis portâ, 11. Kal. Maji intra urbem admittantur. Proditores autem diſceſſum ſimulantes, amicis convivium in ædibus ſenatoris urbis portæ vicinis, qvi claves ejus adſervabat, veſperi præbent. in qvo tum aliis, tum ipſo hoſpite ſenatore, vino ſomnoqve gravi, clavibus portæ ſurreptis, cæteros eqvites, qvi pridiè duodecim milliarium itinere confecto, jam aderant, citra pugnam intrò accipiunt. Illi, confeſtim Germanis omnibus, ſi qvieſcant, ſe vitæ gratiam facturos denunciantes, Svedos enecant. Arx, qvam Svedicum præſidium adhuc XL. amplius diebus tuebatur, pridie Pentecoſtes cum omnibus tormentis bellicis hoſti dedita eſt, præfecto arcis capto & in Curlandiam miſſo. Moſchus, hac Germanorum perfidiâ compertâ, veritus ne pari dolo Dorpatum amitteret, Germanos inde omnes in Moſchoviam abſtraxit. Milites autem Polonorum, in Parnoviæ præſidio locati, recenti fortuna elatiores, ad Revaliæ mœnia excurſionem faciunt: ubi in qverceto urbi proximo caſtra metantes, à Svedis Duce Henrico Nicolai, oppreſſi & in fugam verſi ſunt. Ex Livonia redimus ad bellum Sveo-Danicum. Ad portum Stralſundenſem, per dimidium anni qvædam Danorum & Lubecenſium naves excubabant, ut omnem ex Stralſunda urbe pulveris nitrati & reliqvi apparatus militaris ſubvectionem in Svediam intercluderent. Sed in medio vere XLVIII. navium Sveticarum claſſis, præfecto ei Claudio Chriſtierni Horn in Åminna, inopinatò ſe ei ſuperfundens, omnes profligavit. Ita purgato ab hoſtibus mari, ſexaginta ferè naves onerariæ, pannis, vino & omni inſtrumento bellico refertæ, nobilioribus Pomeraniæ urbibus, Stralſunda, Gryphisvvaldia, Wolgaſto, Colbergâ ſolventes, in Svediam incolumes iverunt. At Svetica claſſis militaris ad urbis Lubecæ portũ & Travæ oſtiũ acceſſit. Ejus ingreſſu fruſtra tentato, in altum reverſa, ſupra Mœnam & Falſterboam, mox ſub conſpectu Hafniæ & Malmogiæ, aliqvot dies ſtationem habuit, & à Belgicis aliisqve peregrinis navibus iſtac tranſeuntibus vectigal exegit; donec claſſis

Danica armis & commeatu ſatis inſtructa adveniret, & ſe cum Lubecenſibus navibus conjungeret. Accedente enim propius Hafniam Svetica claſſe, & qvidem ipſo die Dominico, qvo ſacra in templis peragebantur, tanta conſternatio populum invaſit, ut effuſus templis, in præſenti urbis diſcrimine Lubecenſium opem qværeret. Ex illorum navibus una, Angelus dicta, igne à nautis indiligentius habito conflagravit, XX. ſolùm hominum elapſis. Alia verò *Styr Sveden*, qvaſi *Svediæ domitrix* ſuperbè à Lubecenſibus dicta, ad Travemundæ portum ſtabat. qvam qvum Sveones abreptum irent, illa conſpectis eminus eis, vadoſam ſtationem, ut magis ſibi tutam, petit: qvò Svetica navis illam non adſeqvuta, & crebris globis ex Lubecenſi claſſe urbisq; præſidio petita, in pelagus revertit. Mox grave & vehemens prælium inter Svedos, Danos & Lubecenſes ad villam Svvarteråå initum, in biduum trahebatur. Prætoria Danica Venator nomine mille centumq; militum, à ſex Svedicis undiqve cincta, qvum ſe ſtrenuè defendiſſet, tandem claſſiariis omnibus aut cæſis aut vulneratis, præfecto claſſi Herlevo Trolle interfecto, eiq; ſuffecto Ottone Ruth, cum eo in Svedorum poteſtatem venit. Danica verò navis, Chriſtophorus dicta, tormentorum ictibus perforata altoq; demerſa eſt. Alia Danorum navis Philomela, cui præerat Petrus Huitfeld, cum tribus minoribus incuriâ nautarum incenſa fertur. Lubecenſes prætoriam Maurum appellatam, etſi qvinqve Sveticis navibus, alia poſt aliam ſuccedente, circumdatam & acriter oppugnatam tamem acriter tutantes, multis eorum cæſis & trecentis vulneratis, ſalvam reduxerunt: qvidam tandem depreſſam eſſe ſcribunt. In iſto prælio qvatuor Svedorum naves, Leo, Gryphus, Cygnus Finnonicus & Hercules peribant. S. Georgiana cum milite à Danis capiebatur. Sed una navis Sveonum Troilus dicta, tormentis & LXX Finnonibus ac Svecis benè munita, fortiter ſtetit. Finnones telorum ſuorum vim inſtar grandinis in hoſtem effuderunt. Prætoria Danorum navis tormentis Sveonum malè lacerabatur, præfecto ejus etiam interfecto. Sveones autem maris poſſeſſionem ex tempore retinuerunt. Interim Pomeraniæ Duces per Legatos ſuos Jacobum à Sitzvvitz, & Andream à Borck, & poſtea Rex Galliæ per Legatum ſuum Carolum Dancæum, pacem inter utrumq; Regem, ſed inaniter, qværunt. Qvin ipſè Rex Daniæ ad Ericum Regẽ Svetiæ ſcripſit, ſe à pace non eſſe alienum, ſi de ejus conditionibus inter utrumq; convenire poſſet. Ericus, re cum præcipuis regni Ordinibus deliberata, decretas pacis conditiones ipſi transmiſit, qvarum hæc erat præcipua: *ut; ad detrimentum & injurias qvalicunq; modo ſarciendum, Erico regnoq; Svediæ reſtitueret, qvæ gladio occupaſſet, qvæq; veteri iure ad regnũ Svetiæ pertinerent.*

Sed

Sed hæc Dano nolente, bellum, licet geſtis Stocholmiæ & in toto ferme regno ſæva graſſaretur, redintegratũ eſt. Ericus igitur cum copiis ſuis in Weſtrogothiã (cujus occupationem Dani qværebant) movet, ſuis in Elfsburgi obſidione laborantibus ſuppetias laturus: qvos ubi incuria ducis, & qvod cum hoſte confligere tergiverſarentur, diſſipatos eſſe intellexit, ne ſine operæ pretio diſcederet, ad Hallandiæ oppidum & arcem Warbergam cum Carolo fratre ſe confert. Oppidum, igne immiſſo, impetu capit, & direptum ſolo æqvat. Interim ab Ordinibus regni decretum eſt, Regi perſvadere, ut domi permaneat, ſummâ belli peritis ducibus delegatâ. Perſvaſere verò ſpecie dedecoris, ſi Rex ipſe adverſus hoſtilem ducem Danielem Ranzovium, Nobilem ſolùm, in acie ſtaret; ſed revera, ut abſtraherent eum ſummæ rerum: qvibus rectè gerendis ſæpe præcipiti ſuo conſilio remoræ aut noxæ fuerat. Arx Warbergenſis difficilior occupatu erat, arte naturaqve munita. Qva ſeptentrionem & orientem reſpiciebat, excelſa rupe & vallo qvinqvaginta pedes alto adſurgebat, nullumqve expugnandi compendium aut vim admittebat. Ad occidentem vaſtum & apertum mare erat, ut nec illa ex parte expugnationi locus eſſet. A littore maris præalta & contigua rupes latus arcis orientale tegebat. Reliqva pars inter meridiem & orientem muro & turri claudebatur. Eam partem Rex machinis, qvas murales vocant, qvatere ſuos juſſit: eâqve dejectâ expugnationem aggredi. Triduo ad oppugnationem neceſſariis paratis, qvàm primum illuxit, milites inſigni dexteritate & agilitate murum qvaſſarunt: ita ut ſeqventi die circa veſperam utrumqve & ad orientem & meridiem porrectum muri latus diffringerent & diruerent, aperto ſatis ad expugnationem ſpatio. Proinde Svedi obſeſſos deditionem, tubicine ad Joh. Holke miſſo facere jubent. Nonnulli qvidem civium deditionem volebant; ſed alii eorum & Scoti illam abnuebant, ac tubicinem convitiis & jaculis contra fas & morem militiæ excipiebant: qvo conſpecto, noſtri partem hoſtium per mœnia diſcurrentem, & ſimiorum aut cercopithecorum inſtar ſubſultantem, cluneſqve noſtris per ludibrium obvertentem, pilis tam dextro ictu petebant, ac ſi aves in propinqvo ferirent, eosqve in mediâ ſaltatione & fœdis geſtibus præcipites dejicerent. Tandem, fuſis prius ad Deum pro felici ſucceſſu precibus, mox ſigno tubis dato, tormentisqve vehementer diſploſis, nongentis & uno die, & ſeqventi MCCC. ictibus numeratis, arcis expugnationem ab illa muri parte, qvæ ante disjecta fuerat, aggrediuntur; ubi per duas horas acerrimè concertatum eſt, donec majore præſidii parte cæſa, reliqvi, utut antea feroces & inſolentes, animos deſpondere, & ſtationem paulatim deſerere cœperunt. noſtri contra audentio-

res, mœnia occupare, obvium qvemqve ſternere; ut tamen imbelli ſexui parceretur; interiora arcis perrumpere paſſimqve ſtragem infligere, ipſamqve arcem in poteſtatem ſuam redigere, ductoribus inprimis Nicolao Boethii, Jacobo Henrici militiæ præfectis, Andrea Sigfridii, Claudii Rhalamb, nunc regni Senatoris, avo, rei tormentariæ præfecto, Ivaro Magni legionis ſecundæ duce & Stephano Petri primæ cohortis tribuno; qvorum hîc maximè conſpicua virtus fuit. Eorum qvi majoris dignitatis erant; aliqvot metu mortis, ut fertur, in gynecæum ſe abdiderant; qvibus in matronarum & virginum nobilium ejulantium & deprecantium gratiam incolumitas vitæ data eſt. Ipſe Holke, arci præfectus, etſi ſtrenuè eam defenderat, tamen captus eſt, & cum eo Claudius Claudii Tott de Hiulberg, & Chriſtophorus â Dona, Baro. Ingentem autem ex arce prædam retulerunt milites, qvum pleriq; omnes Hallandi, tam nobiles qvam plebeji, ferme ſuas facultates iſtic tanqvam in tuto & inexpugnabili, ut credebant, loco condidiſſent. At Ericus Rex, exuſto oppido, arcem majori præſidio & commeatu firmat, muros reficit, & cuſtodiæ arcis Carolum de Mornay præponit. Qvamvis autem Dani arcem recuperatum irent, tamen cum intellexiſſent, novas Svedorum copias adventare, obſidionem ſolvebant & ad Svarterâ fluvium tendebant, vadum iſtic qvoddam tranſituri: qvod pons ad Falkebergam, qvâ alioqvi tranſeundum fuiſſet, reſciſſus erat. Noſtri, anteqvam prorſus evaderent hoſtes, eis obviam procedunt, & conſilio habito, num ea die & occaſione dimicandum, an verò caſtra figenda eſſent, ſaniores & prudentiores, hoſti fugienti vel diſcedenti etiam viam ſternendam, ut dici ſvevit, ſvadebant. At eqvitatus & incondita turba hoſtium paucitatem contemnentes, omninò præliandum eſſe clamabant, veteris præcepti militaris parum memores: cum hoſte deſperato pugnandum haud eſſe. Decernitur tamen pugna, ucies XVI. turmarum eqveſtrium, & duarum legionum cum prætoria cohorte inſtruitur: ſicut à dextris eqvites, à ſiniſtris pedites ſtarent. Eqvites in tres partes diſtincti erant, qvarum ſingulæ qvinqve turmas continebant; eo conſilio ut duæ partes primò in hoſtes impetum facerent, tertia triarios tegeret; in cornibus autem eqvites Germani eſſent. Legiones ita ordinatæ erant, ut octo cohortes ex prima legione in fronte phalangem conſtituerent, qvatuor in triariis unà cum cohorte eſſent collocatæ, qvæ bombardarios, ut vocant, ad latus habebant. Velites & expediti milites inter primos & triarios vel eos, qvi tertii ordinis erant, (hac ſignificatione ſcriptor rerum anni MDLXV. accipere videtur) collocabantur. Secunda legio incompoſito agmine ad ſubſidia ſervabatur. Tormenta in opportuno colle ante agmina diſpone-

diſponebantur. Hoſtilis acies, ſex turmarum eqvitum & qvatuordecim cohortium peditum, ita ordinata erat, ut pedites à dextra parte fluvium tenerent, à ſiniſtra tribus turmis eqvitum à fronte, & tribus à tergo tegerentur. Ubi arma contulere, cœpere Svedi vehementer in hoſtem tormentis tonare. qvi licet etiam machinis ſuis exoneratis reſponderet, tamen noſtri plus damni ei attulerunt, ut ſuis cum copiis aliqvantum referre greſſum, & intra vallem declivem ſe recipere cogeretur. Hoſtis conſternatus, mox tumultuanti propior, niſi in Svedos duceretur, fugæ conſilium initurus videbatur. Daniel Ranzovius, imperator exercitus Danici hoc animadverſo, primò velites emittit, machinas noſtras invadere juſſos; inde univerſas copias in noſtras educit. qvi velitibus etiam in hoſtem præmiſſis, mox qvinqve eqvitum turmis ſubſidio venientibus, magno impetu in hoſtem invecti, prius cum eo in prælium deſcenderunt, qvam pedeſtria agmina ſubſeqverentur. Eqvites Germani fugam facere cœperunt: qvum eò excuſatum ibant, qvod poſt aciem inutiliter locati eſſent, qvum latiorem phalangem haberent. Tres autem turmæ, licet ex longo itinere eqvi feſſi, & ipſi eqvites à ſociis deſerti eſſent, hoſtium tamen impetum ſuſtinuerunt. Jacobus Henrici, eqveſtribus copiis præfectus, poſtqvam cognovit Germanos fugiſſe, cum qvinqve turmis hoſtem à latere adoriri nititur. Sed ibi pars eqvitum, reliqvorum exemplo in fugam qvoqve inclinat. niſi qvod qvidam Germanorum fortiter in illa pugna ſteterunt; inprimis eqvitum magiſter Johannes Buntingius inſigni ardore in hoſtem provectus & obvios cædens, ubi per paucos ipſum ſeqvi vidit, *ſe deſtitutum à ſuis commilitonibus* exclamans, *Regi ſuo ſe ad mortem usq; fidum fore* profeſſus eſt. Ad fugam autem dictorum eqvitum & irruptionem in latus hoſtile fruſtra tentatam, noſtrorum impetus langveſcere cœpit: ita ut ſex turmæ hoſtium noſtras tres reliqvas in fugam conjicerent. Inter poſtremos, qvum laborantibus ſuccurrere debuiſſent, non conveniebat. Uplandenſes & prætoriani pugnam, cæteri fugam malebant: qvam etiam, vincente terrore, omnes arripuerunt. Primæ tamen & ſecundæ legionis pedites ac velites, ne hoſtis à latere eos invaderet, acriter obſiſtunt, aciem perrumpunt & magnam partem hoſtilium peditum clade afficiunt, atqve vexilla machinasqve hoſtiles jam involant. Sed ſuperfundente ſe noſtris exercitu hoſtili, victoria ferè parta, noſtrorum manibus erepta & hoſtium facta eſt: qvi Svedis in fugam pulſis, etiam XXX. tormentis eorum potiti ſunt; qvamvis non absqve inſigni ſuorum clade. Qvippe Danorum MM. DC. occubuiſſe feruntur, & in his circiter qvinqvaginta nobilibus familiis orti; inter primarios erat Steno Roſenſpar, Chriſtophorus

phorus Lunſe, Caſparus Munck, Johannes Scheel, Laurentius Roſencrantz, &c. In captivitatem redacti ſunt præcipuæ nobilitatis viri, Laurentius Broch, Mauritius Podebuſch, Georgius Ulſtand, Chriſtophorus Urne, Elardus Krafze, Henningus Tornau, Nicolaus Toth, Johannes Skogard, Chriſtiernus Skeel, Nicolaus Kabbe. Noſtrorum M. C C C C. & inter nobiles Ericus Gyllenſtiern, Canutus Haqvini, Lindormus Petri, Claudius Stenonis, Johannis Petri in Wolſtad, Steno Erici in Stenſnäs & Ericus Canuti, viri fortiſſimi, ceciderunt. Rex Nicolaum Boije cum Nicolao Sture, Andrea Sigfridi & juſto exercitu inſtrumentisqve bellicis mittebat ad iterum circumſidendam & expugnandam Bahuſiam. qvod fruſtra erat, tam valido caſtello, & fame non paucis militum exſtinctis. Ericus verò in culpam ductorum trahebat, & Nicolao Boije, meritorum ac ſenectutis æſtimatione parcens, Nicolao Svantonis Sture, qvi honeſtè & fortiter rem geſſerat adverſus patriæ hoſtes, hanc contumeliam fecit, ut primò carceri incluſum, dein vili jumento impoſitum, ocreis & corona ſtramineis ſcilicet ornatum, per urbem circumduci, & patriæ proditorem, tam illuſtrem & fidum virum proclamari juberet. Qvidam aliam hujus ignominiæ cauſam vel prætextum produnt, qvod nefariis Erici juſſis morem non geſſiſſet, nimirum de occidendis aliqvot centum Germanis eqvitibus, qvos odio habebat, & de populandis absqve cauſa aliqvot Weſtrogothiæ territoriis. Verùm hæc ignominia in dedecus vertit injuſto auctori, in gloriam verò inſonti, cui illata erat; poſtqvam victrix cauſa ejus famam & exiſtimationem publicè vindicavit & aſſeruit, Erici verò furioſum ac ſævum animum prodidit. Qvippe præcipitata ex odio erga Sturianam familiam, in innocentem ſententia, pœnitudine mox ductus, interdixit publicè ſub pœna capitis, hoc Nicolao exprobrari: tam mobili & adverſo ſibi animo erat. Dum Ericus Iönecopiæ ſubſiſtit, Regis Galliæ legatus Dancæus à Rege Daniæ pacis conditiones adferebat hujusmodi: *Ut Ericus ſe huic bello cauſam dediſſe agnoſceret, ideoqve Elffsburgum Weſtrogothiæ, Verendiam Smalandiæ & Livoniæ partes Regi Daniæ cederet; eidem arces, oppida, caſtella, naves & tormenta bellica cum impenſis militiæ reſtitueret. Rex verò Daniæ Regni Svediæ inſignia tres coronas, tantiſper inter ſua retineret & uſurparet, donec in exteris Academiis ſatis diſputando deciſum eſſet, qvod eis jure uti non poſſet,* & qvæ aliæ indignæ Erico viſæ pacis leges: qvibus Rex Daniæ ſatis oſtenderet, ſe bellum qvàm pacem malle. Proinde ad illud
1566 fit utrinqve regreſſus. Johanni fratri ſpe liberationis à carcere facta ab Erico, eidem ille ſinceram perpetuamqve amicitiam & fidem ſanctè promittit his verbis, qvi ex propriis Johannis literis ad Ericum latinè ab eo ſcriptis ex-

cerpta

cerpti ſunt: *Majeſta em Veſtram magnopere & obnixè iterum atque iterum obſecro, ut quam citiſſimè rem ad effectum perducere dignetur, meque in priſtinum fraternum amorem, dignitatem & gratiam recipiat atque reſtituat. quapropter M:ti V:æ perpetuum gratum animum amicitiamque inviolabilem pro tenuitate mea promittam non ſolùm jurejurando, literis & ſigillo, verùm etiam ſolenni ſacramento euchariſtiæ confirmabo.* Item in literis ad eundem ſeqventi anno a. d. 10. Novemb. datis adſeverat: *Se nunqvam qvocunq; modo verbis aut factis qvidqvam moliturum, qvod Erico poſſit eſſe fraudi aut perniciei.* Johanni Principi Sigismundus filius è conjuge ſua Catharina in carcere natus eſt. Svedis iterum cum Danis prælium inter Gothlandiam & Svediæ fauces, per qvas Holmiam iter patet, æqvâ ferme fortunâ fuit. In hoc tamen feliciores fuere Sveones, qvod præter vectigal exactum, C C. naves peregrinas, ut qvidam ſcribunt, ſale onuſtas in mari cepere. Sed & fortuna Svedis victoriam absqve ipſorum certamine ac labore dedit. Qvum enim Dani & Lubecenſes claſſem ſuam junctim ad oppidum Gothlandiæ Wisby anchoris fixam collocaſſent, inſulæ præfecto fruſtra præmonente, ne in vadoſo portu naves ſiſterent; exorta repente tempeſtas, pro Svedis qvieſcentibus adverſus hoſtem qvaſi prælians, horribili procellæ ventorumqve vi ita adflixit, laceravit & disjecit utramqve claſſem Danicam & Lubecenſem, ut eam cum novem millibus ferme hominum atqve ipſis præfectis claſſi, Johanne Laurentii Dano & Bartholomæo Tinnappel Lubecenſi conſule, funeſto naufragio perderet & profundo maris mergeret. qvæ calamitas hoſtes per reliqvum anni in luctu & otio tenuit. Qvi verò Weſtrogothiam populationibus terreſtribus pervagabantur, eos domum cum præda reverſuros Carolus Mornæus Sveticis copiis ita excepit, ut mille qvingentis profligatis, DC. carpenta ſpoliis referta in caſtra reduceret. qvibus mox peſte infectis, ſatis habuit regni limites ab hoſtium incurſione defendere. Sed deinceps ſive ſecurus, ſive hoſti impar, in Ranzovii manus cum Jacobo Henrici venit. At Claudius Chriſtierni laborantibus opitulaturus, in Oſtrogothia ex peſte obiit, rebus non absq; mœrore publico: qvippe de patriâ ſuâ, maritimo præſertim bello, præclarè meritus. Ei ſucceſſit Boëthius Gryp, qvi direptâ Hallandiâ, in hiberna ivit. Sveci duce Johanne Siggonis, in Norvegia ad Aggerhuſianam usqve ditionem populando graſſabantur; irrita arcis iſtic ſatis præſidio & annona munitæ obſidione. In Livonia cum Nicolaus Kurſel Svedorum dux, præſidium Polonicum in pago Ligenſis diœceſis Lemſalio oppreſſiſſet, inſigni præda facta, Nicolaus Tolivenſius Polonici exercitus dux hoc ulturus, in Wichiæ finibus Svedos adortus, Henrico Nicolai de Kankas Revaliæ præ-

fecto & Kurſelio cum ſuis ſtrenuè ſed infeliciter repugnantibus, qvum Poloni viribus præpollerent, inſignem de illis victoriam retulit, bis mille cæſis & captis plerisqve, atqve inter eos Revalienſibus ſignis. Maximilianus Imp. per Legatos ſuos Fridericum Electorem Palatinum & Pomeraniæ Duces, atqve Fridericus Rex Daniæ per Henricum Ranzovium, Holſatiæ Vicarium, belli iſtius, qvod commerciorum vigorem non parum turbabat, ſopiendi rationem fruſtra iterum aggreſſi ſunt: qvum Ericus ad agendum de pace nondum proclivis, ſe Legatos ſuos ad deſtinatum locum, vel de qvo utrimqve conveniretur, mittere non poſſe, ſuperbè & præfractè, ut antea, prioris anni hoſtili excidio inſolentior factus, reſcripſiſſet. Itaqve bello continuando in Norvegiam ad Aſloiam irruptionem fecit, & arcis Aggershuſianæ expugnationem, ſed irritam, imperito duce, molitus eſt. Præterqvam qvod præfectus arci Magnus Svvale oppidum Aſloiam ipſe facibus immiſſis incendit: ut obſeſſoribus, qvantum poſſet, detrimentum adferret, & prædæ ſpem minueret. Svedi tamen in monte ad Aſloiam non paucos hoſtium cædebant, vix octo ſuorum, ut ſcribunt, amiſſis. Interim advenientibus Hafnia ſeptem millibus copiis arx obſidione liberata eſt. Dani verò in Smalandiam & Oſtrogothiam irruentes, obvia igne & ferro perdebant. Principi Carolo, qvi tunc in Norby erat, inſidias qvoqve tendebant, ut eum improvisò opprimentes caperent. Sed hoc à transfuga detecto, tamen caſtra Svedorum, ſecuris præfectis, diripuerunt, & centum viginti ſuorum captivorum liberatos ſecum abduxere. Dani aliqvot velitationibus ter mille qvingentos perdiderunt. Ericus non ſatis habens, tot hoſtes ſibi foris ciere, domi etiam ſibi alios fecit. Principibus fratribus, præſertim Johanni, affinibus & cognatis ipſe per ſe & alios inſidiabatur, eosqꝫ oppreſſum ibat: qvod Motalam amnem ſiſtentem portendiſſe ferunt. Varia decreta & pacta inter ſe fratresqꝫ ſuos facta, nomine Ordinum regni præſcripto, publicabat, ſpecie ſtatus publici bene ordinandi; re ipſa tamen, ut his velut poſterius latis, derogaret jurejurando ſuo & obligationi Regno in coronatione ſui datæ, ipſiusqꝫ patris ſui teſtamento, legibus & moribus patriæ; qvorum æterna tamen erat auctoritas; ſuisqꝫ edictis, tanqvam plagis, Principes & regni Ordines caperet. Cives primarios peculiari tabellâ conſignatos vel jugulare vel proſcribere, bonis & famâ privare, perditisqꝫ hominibus, ejus libidini ſervientibus, illorum facultates, ut vulturibus cadavera, tradere, dominationi ſuæ ſtabiliendæ utile fore duxit. Inuſitata judicia inſtituit, qvæ novis ejus ſtatutis & arbitrio, qvam legibus patriæ accommodatiora erant. Inprimis ſupremum ex Senatu regio ac Nobilibus tribunal aperuit: qvod ſententias ad Regis nutum ac voluntatem, etiam non audi-

audito reo, ſæpè ferebat. Unde qvidam adſeſſorum nomine Johannes Ingemari de Ornæs, Cuprimontanus Nobilis, à pio homine rogatus, qvanam fronte aut conſcientiâ tot innocentes, cauſa plerumqve indicta, capitis damnare poſſet? hilari vultu reſpondit: *Hoc ſibi minoris negotii eſſe, qvam ſi panem butyratum devoraret.* In hoc foro cauſam dicentes, tantis difficultatum nodis impediebantur, ut inde ſe raro explicare poſſent. Si non vitæ, tamen exiſtimationis aut fortunarum jactura facienda erat: ut tutius eſſet, qvidvis injuriarum pati, qvam ſangvinarium illud judicium ſubire; in qvo ipſa accuſatio pro damnatione erat. Si qvis de ſummo jure qvid remitti peteret, in eum omne indignationis & acerbitatis virus Rex evomebat. Hoc etiam inſtinctu ſui Georgii Petri, qvi omnia in aula erat, excogitarat, ut qvi primus detuliſſet alium, cujus caput & facultates periclitabantur, is pro indicio dimidiam partem fortunarum damnati caperet, altera pars Georgio Petri & Olao Arvidi addiceretur. qvod qvid aliud, qvàm conceſſa prædatio fuit? Unde qvot & qvanta innocentium ſaluti & bonis pericula ſtruerentur, facile cogitatu eſt. Qvomodo enim non creſceret, & non minus ab innocentibus, qvàm noxiis, timeretur improbitas delatorum & calumniatorum, ubi præmiis invitabatur? Veteres parentis miniſtros bene meritos, etiam conſpectiores, loco movebat; ſceleratos, adulatores, ſcurras & calumniatores adſciſcebat: qvi ex humili elati, ſibi ignoti, inſolentes, aliisqve graves erant. qvibus tamen facilius, qvàm ſapientibus & rerum peritis, aures præbebat. Magnam ſumtuum & fructuum regni partem in ſcorta, delatores & leves homines profundebat; interim militibus & miniſtris ejus neglectis ac eſurientibus. Si qvos, poſt trium, qvatuor, qvinqve annorum moram neceſſitas de ſalario Regem ſupplices convenire cogeret, eos ad Fiſcum remittebat: in qvo ſi non, qvantum volebat, reperiretur, ab ipſo inutili impenſa exhauſtum, in præfectos Fiſco vel Cameræ Regiæ adminiſtratores, qvaſi expilatores ejus, culpam transferebat ſeverèqve animadvertebat. Germanis eqvitibus in Livoniâ ſtipendium ſuum petentibns, tormentorum ictibus ſolvere deſtinabat; niſi ſibi caviſſent. Eminentioribus, nobilioribus & civibus libertatem amantibus fidere nolebat: qvod eos ſuæ cupiditati obſtare credebat. Ut eis nervos potentiæ incideret, vel prorſus ſibi obnoxios faceret deprimeretqve, crebris conventibus, longis itineribus, continuis bellis illos exhauriebat, & intolerabili impenſa eqvis merere cogebat: qvam ſi qvi abnuerent aut deprecarentur, illos qvaſi contumaces & immorigeros plectebat. Verùm qvum nondum hîc adqvieſceret, anxius futurorum curâ, qvam divinandi vanitas ipſi augebat, Dionyſius Beureus Gallus, ejus

olim præceptor ei ſvaſor & auctor fuiſſe fertur de ſangvinis procerum & Nobilium aliqvot miſſione. Ut enim corpus humore & ſangvine redundans evacuari ſolet, ne in graviorem incidat morbum; ita tollendos exiſtimabat, qvi præter modum augeſcere ipſi videbantur; licet alii aliter. de qva re poſtea ſuo loco, ubi de morte ejus agitur. Hæc inter cæteras cauſa Erico ſæviendi in principes ex nobilitate fuiſſe perhibetur. Ut tamen animadverſionum atrocitas qvandam juris ſpeciem habere videretur, ad comitia Upſaliæ indicta Nobiles & reliqvos regni Ordines arceſſit, obtentu inqvirendi & peragendi reos. Qvendam Petrum Saſtroum mercatorem Colbergenſem, ſcelus hominis, unà cum ſuo Georgio ſubornavit, ut ſibi à Pomerano qvodam Nobili, cui nomen Joſua Ienevvitz eſſet, in Germaniâ detectum eſſe diceret, Nicolaum Svanthonis & alios ejus propinqvos & primos ex nobilitate cum Rege Daniæ feciſſe, magna eis pecuniæ vi ſuppeditata; ut in necem Erici Regis conſpirarent, eumve regno deturbarent. Ne verò, dum hæc in ſpeciem cognoſcenda erant, rei elaberentur, Svantho Sture Comes de Stegeholm & Weſtervvik, cum filio Erico Svanthonis, & Stenone Erici, Barone de Greffsnâs, Abrahamus Guſtavi de Torpa Baro, Ivarus Ivari de Strômeſtadh, Eqves auratus, in carcerem primò Svvartſöenſem & inde Upſalienſem conjiciebantur. Miniſtri verò eorum aliiqve improbi, ſpiritus è ſiligine vel hordeo eliciti (vinum aduſtum vulgò nuncupant) largo potu vel invitabantur vel torqvebantur; promiſſis inſuper onerati: ut, qvod Rex cum Georgio in carceri incluſos molitus eſſet, ipſi in eorum capita confiterentur. Qvod ubi factum, in crimen conjurationis, cujus ne unum qvidem caput probari poterat, vocabantur. Satis enim Regi erat ad ſupplicium, dici eos perduelles, etiamſi non eſſent. Sententia capitis lata, plebi, metu ſævæ dominationis Regis, contra mutire non auſæ, in comitiis Upſalienſibus ſubſcribenda & ſubſignanda traditur. Atqve ſic qvidam publicè, qvidam in carcere immiſſis percuſſoribus trucidantur. Infelici ſuo fato Nicolaus Sture Svanthonis filius, regis conſangvineus, & ſemper ei fidus, legatione ſua & negotio Erici apud Cæſarem & Lotharingiæ Ducem ex animi ſententia, ut ſperabat, confectis, hoc ipſo tempore ex itinere domum, & Upſaliam ad Regem redit; ac ſtatim in vincula conjicitur. Qvin rex in ipſo carceris cubiculo eum pugione transfigit; qvem ille vulnere eductum Regi cum oſcul veneratione reddit. Mox eum ſicarius transfoſſo per oculum capit & Regis ſatellites penitus obtruncant. His truculentis facinoribus Ericu ipſe ſibi viam ad ſtatus ſui everſionem ſtravit. Nefas autem fera æſtimatio ne penſitans, & haud dubiè conſcientiâ exagitatus, ſilvam fuga petit; ne

tame

tamen ſe ipſum fugit. Beureus, dum eum è nemoris latebris reducere nititur, & , ut alii tradunt, Regem rogat, ne permittat ita clam occidi proceres iſtos, ſed in publico, ſi re prius cognita, ita meriti eſſent, plecti. Ad qvæ Rex: *audite, audite, hic quoque unus proditorum eſt;* & cum dicto rex eum transfodi juſſit. Hæc non videntur cum eo convenire, qvod Typotius ſcribit, Beureum antea Regi conſilium de mittendo procerum ſangvine dediſſe; niſi poſtea ex pœnitudine conſilium mutarit. In æde ſacra Akerôenſi deinde terræ mandatus eſt. In ſilva ad parœciam Nââſenſem per aliqvot dies ſolus Rex vagatus, jubet in furore ſuo reliqvos omnes proceres in carcere necari. Vix autem qvisqvam eum, tam agilis & pernix pedibus erat, currendo adſeqvi poterat. Qvarto die in ædibus Paſtoris in Onſala repertus, qvaſi mentis impos, ruſticoqve habitu indutus, tandem qvorundam admonitu in prædium Svvartſôenſe reverſus eſt. Iſtic receſſum petens, per omnem ferme æſtatem delituit, & publico abſtinuit, dolore facinorum, ſed jam peractorum, concitus. Svanthonis occiſi viduæ in reconciliationem obtulit, qvicqvid vel illa deſiderare, vel ipſe ſine regni incommodo dare poſſet. Illa verò nihil aliud deſideravit, qvàm ut publico ſcripto occiſorum honorem & innocentiam teſtatam faceret; & pœna illis irrogaretur, qvorum pravis ſuggeſtionibus, & mentis ſuæ infirmitate hæc perpetraſſet. qvod & factum eſt, & literarum Regis exemplum, cum veſtimentis interfectorum cruore reſperſis, poſt exſeqvias ciſtæ incluſum, in eorum ſepulchris ſervatur. Qvin regius præco in exſeqviis ipſorum innocentiam publicè proclamavit, Regis vindictam interminatus, ſi qvis ſiniſtri qvid in illos diceret. Cæterum nondum ſatiato rege tot illuſtrium virorum ſangvine, poſt iſtæc atrocia latrocinia, Georgius & Chriſtiernus Petri in animo habere dicebantur, cum manu militum ire Gripsholmiam, ibiqve, niſi Deus benignè prohibuiſſet, interficere Johannem Erici fratrem & Reginam ad Ruſſum mittere, à rege ſic juſſi, ut ipſe Georgius in judicio palam confeſſus erat. Aliqvando in caſtris ad limitem regni, qvum ingenti tormento globus emitteretur, Rex: *utinam*, ait, *ille medium diſcerperet ænobarbum*, Johannem fratrem innuebat. Iſtæc adſtantibus Martino Helſingio Secretario & Georgio Petri, verba iræ plena effudit. At Martinus reſpondit: *Abſit hoc ab integerrimo Principe Johanne malum, & potius ſit capiti Georgii Petri, novæ diſſenſionis aliorumqve malorum auctoris & conſultoris peſſimi.* Hoc reſponſo Rex efferatus, arreptam furcam focariam per ingvina Martini adegit: ex qvo vulnere ille poſt paucos dies exſtinctus eſt. Tandem, præcipuis è Senatu & ipſa Erici pellice, ut qvidam volunt, annitentibus, magis tamen qvod diffideret ſuis, ſibiqve timeret, niſi

fratrem cuſtodiâ ſolveret, Principem Johannem carcere, in qvo qvatuor annos & duos menſes fuerat, dimiſit his conditionibus: *ut Johannes jusjurandum Regi in coronatione præſtitum bona fide ſervaret, conſtitutionem Arbogenſem non violaret, regia protectione gauderet, offenſas omnibus qvi ei injuriam intuliſſent condonaret, etiam Georgio Petri; niſi proditionis in regem convinci poſſet. Ipſe regem in militiam ſectaretur.* His in Svarſiö ſubſcriptis literis, dimiſſus & Ducatui ſuo reſtitutus eſt. Poſtqvàm Carolus princeps Johannis frater & Magnus Saxoniæ Dux eum juſſu regis comitantes advecti cymbis in terram exſcenderant, & portam arcis littori vicinam tranſiverant, Rex Ericus fratri Johanni obvius genua ſubmittens, non ſolùm veniam delicti poſcit, ut qvidam ſcribunt, ſed etiam *Regem* eum appellat; non abqsve præſagio, qvaſi fratrem ſibi, ut indigno, ſucceſſorem deſtinaret. Ad iſtæc Johannes non parum obſtupefactus, etiam ad genua ejus accidit, atqve regium titulum à ſe removens, Ericum pro ſuo & omnium Svedorum Rege agnoſcit. Extemplo ſe invicem complectentes ita mutuorum officiorum & modeſtiæ ſpecie certant, ut neuter ſibi regium nomen deberi velit. Ericus tamen ſimulandi artifex, Johannem hoc ipſo pupugiſſe videtur, qvaſi de appetito regno aut brevi ad eum deferendo ſuſpectum habens: qvo animo etiam reconciliationis literas ab eo revocatum ivit, & num ſecum an cum rege Poloniæ faceret, aperire ſibi voluit. Johannes è re ſua fore non exiſtimavit, diu apud regem commorari, ſed fide ſecuritatis ipſi ab Erico per principes & Senatum præſtita, in ſuum caſtellum Wentholmenſe ſe recepit. Poſtea regni Senatus in curiam Holmenſem vocato urbis ſenatui & civibus ſignificavit, Ericum & Johannem jam reconciliatos eſſe. Diſſidii verò prioris inter fratres & turbulentarum Erici actionum maximè in Georgium Petri, qvi regius Procurator & Secretarius erat, mali imperii peſſimum inſtrumentum, culpa collata eſt. Idcircò ad tertium diem à Senatu regni in jus vocatus, tanqvam proditor capitis, exiſtimationis ac fortunarum damnabatur, Erico de eo ſententiam latam fruſtra poſcente; qvi etiam illum mox qvaſi rectè feciſſet, ut de eo prædicare ſolebat, majori dignitati reſti-
1568 tuit. Interea Dani duce Ranzovio, per fauces viarum anguſtas, vulgò cavas dicunt, ingreſſi ſunt Svediam tanta celeritate ac ſilentio, ut adeſſe eos prius haud innoteſceret, qvàm adveniſſent, & populando paſſim Smalandiam, etiam Iönecopia, Oſtrogothiam, Wadſtenis, Lincopia, Sudercopia inflammatis, pervagati eſſent. qvo evulgato Petrus Brahe Comes, & Hogenskildius Bielke militiæ præfecti curarunt, ut

ſuccisis

ſuccifis arboribus aliisqve munitionibus viæ obſtruerentur : ne hoſtis ulterius progredi poſſet, vel receptus ipſi à noſtris præcluderetur. Ericus Georgii in ſuis annalibus hîc de dictis præfectis absqve ratione ſcribit, qvod, graſſante dictis locis Dano, tanqvam ignavi & otioſi ſpectatores deſederint ad Norby in Oſtrogothia & Motalam. Cum enim Ericus rex in ſeceſſu ſuo Svartſiö deliteſcens, curam regni depoſuiſſet, & majorem exercitus partem domum revocaſſet, illi verò nullum mandatum in hoc negotio à rege alioqvi ſuſpicari haberent, ac neceſſe illis foret cum ſuis intra defenſionis fines ſe tenere : ne hoſtis omnia abriperet, excuſandi erant, ſi hoſti cum minoribus viribus occurrere non poſſent. Hoſtis qvidem interim laxamentum & ſpatium elabendi nactus eſt; etſi non absqve detrimento aliqvo ab inſeqventibus noſtris ipſi illato, vaſtatisqve Gödingenſi territorio ac Hallandia. Erico Holmiam reverſo, præter veterem de Eſthoniæ prætextu ſimultatem, novum ipſi negotium advenientes ex Ruſſia legati faceſſebant; qvod tale erat. Promiſerat Ericus conjugem Johannis fratris adhuc vivi & ſuperſtitis Magno Duci Ruſſiæ, belli Ruſſici morandi, pacis & amicitiæ conſervandæ cauſa, in manum tradere. qvod ex qvibus initiis profectum ſit, operæ eſt hic commemorare : qvum præter alia, cauſam bello Ruſſico, ſub Johanne rege demum erumpenti, dederit; ut in ejus actis & vitâ oſtendetur. Moſchorum tyrannus Johannes Baſilius ambiverat Catharinæ Sigismundi Auguſti regis Poloniæ ſororis nuptias. Sunt, qvi promiſſas illi Virginis nuptias, inter pacis leges fuiſſe perhibent. Alii ferunt, pro virgine Moſcho miſſum fuiſſe album eqvum vel jumentum purpureo ephippio, & phaleris aureis ornatum. Certè Moſcho prælatus eſt Johannes rex Svediæ. Ericus verò nuptias iſtas Johannis ex certis cauſis vel potius ſuſpicionibus (de qvibus ante dictum) approbare recuſans, creſcente adverſus fratrem odio, cum Moſcho amicitiam pacturus, inter alia receperat, ſe Johannem ob conjurationis ſuſpicionem ſublaturum, aut vivo abreptam uxorem ejus ipſi traditurum. Hoc promiſſo inductus Moſchus Legatos ſuos ad Ericum miſit, deſideraturos fidem promiſſi, qvod pro ſingulari honoris & amicitiæ teſtimonio eorum princeps acceptaſſet, impleri. Cæterum Ericus re , qvam Ruſſus ſtolidè expetebat, at ille ſtultius promiſerat, nunc ſaniori judicio perpenſæ, qvippe prorſus impiæ & abſurdæ, pœnitentiâ & pudore ductus, pollicitis ſtare nolebat. Anxius tamen

men animi hærebat, qva ratione hoc facinus excuſare & fidem ſuam absqve offenſa Magni Ducis liberare poſſet: qvem amicum habere malebat, tot ſibi jam ante comparatis hoſtibus. Tandem conſilium ſtetit, periculum facere apud Legatos, ſi ſponte ſuis poſtulatis diſcedere velint: qvæ ipſi per ſe inhoneſta eſſe ſatis intelligere poſſent. Idcirco rex in mandatis dedit aliqvot ex Senatu delectis, nimirum Comiti Petro Brahe Gabrieli Chriſtierni Oxenſtierna, Nicolao Gyllenſtiern, Benedicto Gylta: ut eo nomine agerent cum Legatis Ruſſicis. Senatores omnem operam dederunt, ut amicè transigerent cum legatis; aut cedere iniqvè cupitis perſvaderent. Qvod enim Erico non eſſet decori promittere, hoc à Legatis non urgendum eſſe. Nec principi ipſorum honori ac laudi fore, ſi illorum deſiderio locus relinqveretur in iſtis, qvæ flagitioſè implerentur. Verùm à Legatus nulla ratio admittebatur, obſtinatè contendentibus, Regem Ericum ſua ſponte, non rogatum per viros præſtantes ampliſſimis & ſolennibus verbis hoc illorum Imperatori obtuliſſe, qvi fiduciâ promiſſi non exiguam in hoc impenſam feciſſet. Nec ipſos eſſe pueros, qvi ſpe vana deluſi, tantum iter & moleſtiam ſuſcipere vellent. Atq; ſic nullo fructu negotium iſtud relictum eſt, detentis per annum ab Erico Holmiæ illis Legatis. Poſt iſtæc Ericus miſit ad Johannem Principem, qvi tunc Eſchilstunæ apud fratrem Carolum erat, ut hoc grati animi officium ipſi pro liberatione ſui præſtare & literis ac nuncio perſvadere velit affini ſuo regi Poloniæ, ut libertatem commerciorum inter Svedos, Gedanenſes & Livonos permittat. Johannes rem ad paucos dies deliberandam ſumit. Interim adferuntur literæ nuptiales Erici regis ad utrumqve fratrem Johannem & Carolum. Illi ſe adfuturos nuptiis polliciti erant, ſed aliud animo verſabant, qvum cognoviſſent, Ericum eos, ſi adveniſſent, in cubiculo ſuo forſan obtruncaturum. Anna Princeps ex Johannis Principis uxore ult. Maji nata eſt. Ad diem IV. Julii rex Ericus cum concubinâ ſuâ Catharina, vili & humili loco nata, qvippe qvæ lictoris, ut qvidam volunt, ut alii, decurionis inter præſidiarios milites, filia erat, nuptias faciebat; vel ſpe legitimandi ipſam & filium ante nuptias ex ea natum, & ſucceſſorem ſuum faciendi, vel ex deſperatione nuptiarum Elizabethæ Anglorum Reginæ, Scotæ Landgravii Haſſiæ filiæ, & Lotharingæ, qvas fruſtra ambiverat; vel ut fratribus ſuis ægrè faceret. qvo tamen ſuo nomini majorem ipſe maculam adſpergebat, populiqve contemtum ſibi creabat: qvod tam imparem ſociam regio lateri applicaret; qvæ regiæ dignitatis nomen vilitate generis obſcurabat; ut annuli decus ac ſplendorem vitrum, pro adamante ei inſertum, minuit. Sed & exiſtimationi publicæ regniqve

tam

tam indigna conjugii fortuna non parum detrahebat; qvod rex ſuæ patriæq; dignitatis vel oblitus vel negligens, ad iſtas ſe ſordes abjiceret. Sponſam in æde ſacrâ publicè ſibi jungi, & poſtridie ſolenni ritu tanqvam reginam coronari curat. Eodem die ſorori ſuæ Sophiæ cum Magno Duce Saxoniæ nuptias fecit: in qvibus regis filia obſcuri miniſtri filiæ, non absqve indignatione fratrum Sophiæ, poſtpoſita eſt. Dum pro more etiam in nuptiis iſtis Inſignia regni, vulgò Regalia vocant, à præcipuis regni Senatoribus, ad regiam menſā apparētibus, manu tenebātur ac Regi præferebantur, accidit ut regni Cancellarius Nicolaus Gyllenſtiern, fortè ex impotentia diutius ſtandi, vel qvocunqve alio caſu, animo linqveretur, & hoc ipſo corona manibus ejus decideret. Unde clam ſermones in populo oriebantur, lapſum coronæ dejectionem Erici ex imperio, vel alium gravem caſum portendere. Qvicqvid hujus rei ſit, hoc tamen certum erat, brevi nimirum ipſo Michaëlis die, graviſſi- 29.
mum ipſi caſum ac fortunæ commutationem accidiſſe: dum ex poten- Sept.
ti & felici rege infelix carceris incola factus, ipſoqve regno tandem dejectus eſt. Fratres ejus ne nuptiis tam indignis intereſſent, inprimis ut evitarent inſidias ipſis ab Erico ſpecie feſtivitatis cogitatas & paratas; & interim deſtinata perficerent, ante paucos dies urbe exceſſerāt. Inde rumor ſpargebatur, eos deceſſiſſe regno. Sed hunc fama mox verior & conſtantior excepit, eos intra fines regni conſtitiſſe, & occaſioni ſuæ intentos, occupaſſe arcem Vadſtenenſem in Oſtrogothia, præſidia paſſim per Smalandiam, orientalem & occidentalem Gothiam diſpoſita ſibi jurejurando adſtringere cœpiſſe, & ſemeſtribus induciis prius cum Dano factis, bellum Erico, ut publico hoſti, decreviſſe: qvod eidem mox Vadſtenis denunciarunt. Ibidem conſilia communicata ſunt cum proceribus & Nobilibus regni tunc præſentibus de removendo à regni adminiſtratione Erico, qvi poteſtate regia abuſus, contra divinas, naturæ & juratas regni leges toties feciſſet, monitusqve emendari nollet; & ſcriptis ad reliqvos Nobiles & parochiarum præfectos literis, atq; conſiliorum ſuorum cauſis expoſitis, eos admonuerunt, ut ab ipſis in præſenti inſtituto ſtare velint. Qvibus auditis, Ericus ſtatim Achatium Benedicti, qvem nuper in nuptiis ſuis Eqvitem auratum creārat, & Georgium Gera, ad Principes fratres ablegat cum mandato ad eos, ut abſiſterent hujusmodi incepto, & cum rege in gratiam redirent. Sed regis Erici conciliationi ſe fidem habere negabant; & cum exercitu jam ſibi jurato propius urbem Stocholmiam movebant. Johannes ad Ericum ex caſtris ad Soltunam pagum, urbi propinqvum, & ex caſtris ad Stocholmiam ſcripſit, *ſe dubitare de omnium Ordinum regni erga ipſum fide. propediē ipſi oſtenſuros, qvo animo erga eum ſint;*

 nimirum

nimirum qvod eum non amplius regem, nec liberos ejus ſucceſſores agnoſcere velint: qvum tam indignè & flagitioſè imperio præfuerit: facta ejus ſatis teſtimonii de ipſo perhibere. Hæc Johannes eò ſcribebat, ut Ordinum regni de eo ſententiam eum docens, qvod per eos pactis cum Erico factis ſtare non poſſet, excuſaretur. Non prius verò qvieſcebant, qvàm Upſaliæ in regio prato copiis ſuis luſtratis & recognitis, Holmiam adveniſſent, obſediſſent & occupaſſent. Qvum fratres cum exercitu ſuo urbem aggrederentur, Ericus cum Georgio Petri in turri trium coronarum, ut vocant, Holmiæ ſtans, copias non absqve lacrymis adſpectavit. Ibi Georgius ad regem dixiſſe fertur: *Si rex conſilium meum ſeqvutus, Principi Johanni, qvum eum in noſtra poteſtate haberemus, caput abſcindi curaſſet, mortuus non amplius morderet*, ut dici ſolet. Ad qvæ Rex: *Non eſt de nihilo Georgi, qvod dicis; ſed deperditum conſilium pro nullo eſt.* Prælio in monte Brunconis cum exercitu Erici feliciter commiſſo, & Stocholmia urbe fratribus Principibus dedita, Georgium Petri, conſiliorum Erici tam turbulentorum & crudelium auctorem, ſibi qvoqve dedi voluerunt. qvi permittente rege & ſperante, eo tradito, fratrum animos placatum iri, in caſtra miſſus, duabus rotis iſtic circumductus, amputatis auribus & furcæ adfixis, ipſe vivus unam ferme horam in patibulo pendens, tandem depoſitus, pedibus & brachiis contuſis, in qvatuor partes diſſectus & rotæ impoſitus eſt. Ante ultimum ſupplicium ipſi illatum, *ſe, prius cœlum, qvàm regem Ericum ruiturum, ſeqve ab illo ita deſertum iri, ſibi perſvadiſſe*, dixit, *monuitque circumſtantes, à ſe exemplum caperent magisqve Deo qvàm Regum & Principum favore niti, nec more ejus facerent qvi multos inſontes in Regis gratiam læſiſſet.* Inde Johannes Princeps urbem Holmiam feſto Michaëlis die ſolenniter intravit, Carolo fratre & Magno Saxoniæ Duce comitatus. Milites in præſidium urbis vocati direptioni Ruſſorum Legatorum, de qvibus ante dictum eſt, ædes & facultates deſtinaverant exiſtimantes ſe eo gratum facturos Principi Johanni, ob allatas etiam ſuperius cauſas. Sed ſimulac innotuit hoc Carolo Johannis fratri, arrepta bipenni properat ad Ruſſorum diverſoria, & milites à prædando arcet, Legatisqve omnia ſibi direpta ex aſſe reſtitui curat. Cum fratre verò ſuo eorum cauſa agit, ut illis tutò revertendi in Ruſſiam libera facultas concedatur. qvo nomine Ruſſi Carolum multùm laudarunt & illius beneficii gratiam miniſtris ejus in Ruſſia retulerunt. Urbem Holmiam deditam Steno Erici ex Leonini Capitis, ut vocant, familia, præſidio munire & regem à ſuis militibus comprehendi facere juſſus, cum ſociis ab Erico deditionem amicam ſimulante in majore foro (ut ferunt qvidam

dam, in cœmiſterio, qvum Ericus templo egrederetur) ita exceptus eſt, ut adacta ab ebrio regis ſatellite per ventrem bipenni, lethali vulnere fauciaretur, ex qvo poſt ſextum diem obiit. Andreas Sigfridi & Pontus de la Gardie itidem vulnerabantur, Erico in arcem fugiente. A meridie Dux Carolus & Magnus arcem deditione capiunt, duabus militum cohortibus præſidio impoſitis. Præcipui autem Ordines regni cum Johanne Rege & Carolo Magno Principe, regniqve Senatu, per Petrum Brahe, Erico; qvod jusjurandum præſtitum ſubditis, & regni leges perfidè violaſſet, atqve propter tot crudelitatis exercitæ exempla, aliasqve cauſas ſuperius enumeratas, & peculiari ſcripto publicè edito comprehenſas, atqve liberis ejus, ob vile ac inhonorum maternum genus, regni Svetici im- 1569
perium renunciarunt, & ſigillis literisq; qvibus ſuam fidem antea Erico obligarant, diſcerptis & in ignem conjectis, perpetuo carcere Ericum damnarunt. Itaqve captus primò in conclavi arcis Holmenſis, inde Aboam, Aboâ, ob periculum excurſionis Ruſſi in Finlandiam & liberationis Erici, ex compacto de traditione Svetiæ aut partis ejus, ſi liberaretur, in caſtellum Gripsholmenſe, & inde in Aroſienſe retractus, tandem in caſtello Örebyenſi in cuſtodiam traditus eſt. Tam parvis diviſa intervallis regium ſolium & carcer erant. Ipſe ſibi vitæ finem in carcere fore, ex aſtris, qvorum notitiam profitebatur, divinaſſe fertur. niſi forſan ex ſuperſtitioſo qvodam præſagio poſtea hauſerit. Si enim præſciviſſet hunc vitæ exitum, cur, ne talis ipſi obtingeret, non præcavebat, nec à pravo maloqve ad meliorem animum revertebatur? Eqvidem dum ſanâ mente, & amicis recta ſvadentibus uſus eſt, ejus res & imperium proſpera fuere. Sed poſtqvam adminiſtrationem regni ex ſe magis, qvàm utilitate publica æſtimari voluit, & impendens fatum, qvod rectâ viâ noluit, ſævitiâ prævertere conatus eſt: dumq; præter pravorum hominum conſilia & improbas artes ipſi ſuggeſtas, inſtigabatur in crudelitatem adverſus eminentes viros, & immania facinora, qvibus ſe populo inviſum maximè reddebat, ad alia atqve alia flagitia, qvæ plerumqve non ibi deſinunt, ubi cœperunt, tanqvam voluntario qvodam furore & ſpiritu vertiginis abreptus eſt. Suſpiciones & offenſæ ex frivolâ cauſâ vel delatorum ſermone ortæ, vel prorſus vanæ, tam altè ejus animo inſidebant, ut nec ratio, nec dies eximere poſſent. Unde re non accuratius inveſtigatâ, & vim ejus inſtigantibus pravis conſultoribus, facilè odium etiam adverſus innoxios & benè meritos capiebat: uti ſuſpicio credulitatem alere, & ad deteriorem partem ſæpe proclivis eſſe ſolet. Qvum maximè hilari

 &pla-

& placido eſſe vultu, & optima qvæqve promittere videbatur, tunc maximè malum animo coqvebat: ut non aliud certius atrocis exitus ſignum, velut
1577 in Domitiano, eſſet, qvàm ſimulata ejus lenitas. Poſt novem annorum cu-
24. ſtodiam, mortalitatem in carcere, Chriſtiano exceſſu, uti ſcribunt, explevit.
Febr. Licet qvidam de mortis genere aliter. Arhoſiæ in templo Cathedrali exſeqviæ ejus inſtituebantur. qvæ qvum Carolo Fratri parum honorificæ viſæ fuiſſent, ad Johannem Fratrem, tunc Regem, ſcripſit hoc modo: *Etiamſi Ericus vitiis ſuis non caruiſſet, unctum tamen Regem fuiſſe, & bene imperium adminiſtraſſe, anteqvam in prava rueret, idcircò honoratioribus exſeqviis dignandum fuiſſe. Tam indignè ſepeliri, cognatis dedecori fore, nec glorioſum, defunctum perſeqvi corpus. Cum exſtincto, admiſſorum memoriam exſtingvendam eſſe. Si ergo fieri poſſet, corpus ejus potius Upſaliæ aut Holmiæ honorificè humandum eſſe. Si ſecus, ſe à probroſis hominum ſermonibus excuſatum iri.* Relictum tamen Arhoſiæ in ſepulchro ſuo corpus Erici fuit. Ad proximum ſepulchro parietem, ſuſpenſis inſignibus regiis, hæc verba ſunt appoſita: *Translatum eſt regnum, & factum fratris mei; à Domino conſtitutum eſt ei.* Hoc Ericum ſibi feciſſe volunt. Eqvidem non multum abit ab ipſi tandem ominoſa, ut exitus docuit, monetæ inſcriptione, qva vivus & Rex utebatur: *Deus dat, cui vult.* Sanè Ericus exemplum juſtæ Dei iræ fuit: qvi propter gravia Principum delicta, ſumma imis mutat, & in qvem ipſi placet, regnum transfert.

JOHANNES III.

Qvum adhuc in patriâ aulâ degeret, & ad mores ac vitam Principi viro convenientes formaretur, rarius ludicris & animi laxamentis, impenſius literarum, lingvarum & artium ſtudiis operam dedit. Pater in puero eximiam indolem, & ad alta natam, induſtriam & animi vigorem exoſculatus, pluris eum, qvàm Ericum faciebat: unde principium invidiæ odiiqve adverſus Johannem fratrem ortum in Erico fuit. Majores tamen, qvàm volebat pater, ſpiritus in filio Johanne increpabat. At in virili ætate carceris calamitas, etiamſi animum, eâ infractum, non adimeret; certè rerum humanarum vices expertum, modeſtiæ magis admonebat. Utriusqve verò ita vel regebatur vel mutabatur fatum, ut ab Erico Johannes carcere liberatus, ad regium faſtigium populi ſtudiis adſcenderet; & ſimul Erico par pari referens, eum ſupremo gradu dejectum carceri redderet, hujusqve faſtigium infimo loco ſubitò verteretur. Qvod non ſolùm Da-

Iecar-

lecarlus qvidam Erico, Johannem dimiſſuro adſtans, his verbis prænunciaſſe fertur: *Rex Erice, ſi fratrem dimittis, te cuſtodiæ includet;* ſed & ipſe Ericus non diſſimulavit. qvum enim Johannes ipſum facinora ſua excuſantem, & neſcio qvæ alia abſurdè loqventem, inſanire dixiſſet: *Imò,* inqvit Ericus, *tunc me inſaniiſſe dicas, qvum te cuſtodiâ dimittebam;* indicans ſe exemiſſe fratrem vinculis, ut eſſet, qvi ipſum rurſus in carcerem condi faceret, & in regium ejus locum ſufficeretur. Qvum tamen Johannes non tam in fratrem, qvàm hoſtem patriæ ſigna moviſſet, dixiſſe eum ferunt: *Si Danus à tergo inſtitiſſet, ſe ſigna ſtatim converſurum.* Johannes, Rex factus, ut oſtenderet, ſe Reipubl. conſervandæ cauſa fratri ſucceſſiſſe, imperii ſui initium à ſtatu regni inſtaurando & ſtabiliendo fecit: in Eccleſiâ in ſanâ & verâ religione diſciplinâqve tuendâ, in tramitibus juris & æqvi ſecundum leges & mores regni obſervandis: in privilegiis civium ac Ordinum, præſertim Nobilium, confirmandis & amplificandis; in pace cum hoſtibus, Ruſſo, Polono, & Dano, honeſtâ ineundâ. Ruſſo per literas & nuncium ſignificavit, *qva ratione carcere & pravis Erici fratris adverſus ſe molitionibus liberatus, ad regni faſtigium evectus, Ericum captivum teneret. Qvamvis autem nihil ipſum pejus habuerit, qvam Ruſſicorum Legatorum hic negotium de avocanda regno dilectâ ſuâ Conjuge; qvo qvid aliud, qvàm maritum ab uxore, matrem à liberis divellere, & Reginam indignè habere deſtinatum eſſet? ſe tamen in Legatos ob hoc male conſulere noluiſſe: qvum ſibi perſvadere non poſſet, hoc tam impudenter à Czare deſideratum, qvàm ab Erico ei oblatum fuiſſe, proinde ſe qvantum in ipſo, ad pacem cum eo proclivem eſſe.* Reſponſum à Ruſſo, ſed ex ſubdolo animo profectum, accepit: *Se gratulari ipſi regiam dignitatem. Non aliter credidiſſe, qvam ejus uxorem in carcere viduam factam & imprudem fuiſſe; qvam ex Ruſſia in Poloniam ad fratrem miſſurus eſſet. Si ſecum pacem vellet, legatos Ruſſicos dimitteret, ſuos ad tractandum in Ruſſiam mitteret.* Regem Poloniæ de fortuna ſua tam luculenter mutatâ certiorem faciens, *disſidia ejus cum Erico, fœdere inter ſe & affinem fraterno, disſimulatum ac deletum iri ſperabat.* Rex Poloniæ gratulabundus amicè illud accepit. poſtqvam verò Legati Thuro Bielke & Georgius Gyldenſtiern, qvos ante ſui inaugurationem ad Regem Daniæ pacis cum eo tractandæ cauſa miſerat, domum reverſi eſſent, & has pacis conditiones attuliſſent: *ut trium Coronarum inſigne ab utroqve Rege uſurparetur. Ut Elfsburgum pro Warberga commutaretur, ut Dux Magnus Regis Daniæ frater Sonneburgam in Öſilia, qvam Svedi tunc tenebant, & alias qvasdam arces, caſtella & urbes in Livonia, ipſi ad-*

 emtas

emtas, reciperet. Ut Svedi Danis pro damno illato, ducenta millia thalerorum, uti vocant, uncialium penderent. qvam tamen pecuniam poſtea Rex Daniæ remiſit ea lege, ſi cætera pacta à legatis ad ratihabitionem promiſſa ſervarentur; Rex Johannes Legatos non adeò clementer excepit, atqve è re regni haud fore cenſuit, ea pacta rata haberi, præſertim caput de reſtituendis caſtellis & præfecturis Magno Epiſcopo Öſiliæ, Principi hæreditario Daniæ: veritus ne iſtæ regno Daniæ tandem perpetuò ſubjicerentur, & qvidem in regni Svetiæ detrimentum; aut qvod nullum hîc impenſarum & laborum belli pretium fructumqꝫ laturus eſſet. Licet alii conditiones non prorſus rejiciendas eſſe ſvaderent, Johannes tamen in ſententia ſua perſtitit, in eadem communi Ordinum conſenſu in comitiis confirmatus. Ideò ſpe pacis irritâ, diſſidium inter utrumqve Regem ac regnum, & inde bellum continuatum eſt; uti mox pluribus commemorabitur. Inaugurationis ſolennibus Johannes Upſaliæ Rex Sveciæ coronatus eſt. In eadem coronatione Comes Petrus Brahe, paulò ante R. Drotſetus factus, populi nomine Regi gratulatus eſt. Ebba, Stenonis Erici vidua, qvum maritus ejus, ſubito exceſſu Comitis honore ex merito frui non poſſet, illis inſignibus ornata eſt. Baronum verò inſignibus donabantur Nicolaus Gyldenſtiern, Hogenſchildius Bielke, Claudius Flemming, Eqvitum auratorum titulo Ericus Guſtavi, Guſtavus Baner, Pontus de la Gardie, Canutus Poſſe, Steno Baner, Johannes Kyle, Andreas Petri in Fordaal ornabantur. Dani ſe mari terraqve ad hoſtilia contra regem parant. Portum Revalienſem, hactenus à direptionibus immunem improviſò ingrediuntur, ac triginta circiter naves, omni genere mercium onuſtas inde ſecum in Daniam abducunt: Ubi rex Fridericus militem in terram expoſitum ad Warbergenſis arcis, qvam Svedi adhuc poſſidebant, oppugnationem mittit. Rex verò Johannes caſtra ſua locarat ad Marbeckum cis Bogeſundam, animo repellendi Danos obſidione Warbergæ; qvod tamen, tempore iſtic trito, fruſtra tentatum eſt. Sed ad oppugnationem dictæ arcis, præcipui caſtris Danicis præfecti, & fortitudinis laude clari, Franciſcus Brokenhuſen, Daniel Ranzou & Boëthius Gryp arcis præfectus occubuerunt. Tandem Dani Warbergâ potiti ſunt, præſidio morte præfecti arcis perculſo & animo qvaſi diminuto. Dani porrò in Smalandiam excurrentes, urbem & templum Wexionenſe combuſſerunt. Rex Johannes Moſchi ſubdolis literis, pacificum ejus animum præferentibus (de qvibus paulò ante) permotus, Ruſſicos Legatos, muneribus ornatos, Holmiâ dimiſit; & unà ſuos, M. Paulum Juſtum, Epiſcopum Aboënſem, Broderum à Kiſa, Antonium è Tiuſterby, Matthiam Schubertum, legatio-

nis

nis Secretarium & Engelbertum interpretem. Illi in mandatis habebant, ut præcipuè pacis confirmationem qværerent; aut, ſi ea obtineri non poſſet, induciarum ad ſedecim aut viginti annos prorogationem; ſalvis Regi hactenus in Livonia occupatis. Pactum verò pacis oſculo crucis non per Caſtellanum Nogardenſem, ſed ipſum Ruſſiæ Principem firmari urgerent, qvod nullo jure denegare poſſet: qvum aliis Europæ Regibus idem officii genus præſtare ſoleret; ut nupera cum Erico Sveonum & Sigiſmundo Polonorum Regibus pacificatio teſtatum faceret. Si autem hoc ſuperbè abnueret, ideò ſpem pacis non abrumperent. Cæterum Ruſſorū tyrannus, ſuis Legatis tandem recuperatis gaviſus, Sveticos non ſolùm non audivit, ſed etiam rebus ſuis nudatos, in arctiſſimam conjecit cuſtodiam. in qvâ eos per tot annos, menſes, dies & horas attinuit, qvot ejus Legati in Svetia ante detenti fuerant. Longè tamen inhumanius Svetici Legati habiti ſunt, ſolo pane & aqvâ cibati, & nullâ horâ de vita tuti. Poſt exactum illud tempus Legatos Sveticos Baſilius remiſit ad Caſtellanum Nogardenſem, ut cum eo agerent de pace vel bello. Johannes Rex in literis, *injuriâ ſibi ſuisq; Legatis à Ruſſo factâ prius expoſtulatâ, præcipuè tamen qvod eos ad audiendum admittere noluerit, ſed rejecerit ad Nogardiæ præfectum, ſe male habere* oſtendit: *qvum conſtet ex vetuſtis regni annalibus, Reges Sveonum iſto ſolum tempore cum Caſtellano Nogardenſi pacis vel belli negotia tractaſſe, qvo Nogardenſes ſui erant juris, non alieni, ut hodiè: qvapropter magis ex utriusqve tam Regis Svetiæ, qvàm totius Ruſſiæ domini dignitate fore, utrumq; per ſe vel tranſigere vel confligere paratum eſſe.* Ad has Johannis Regis literas Johannes Baſilius Magnus Ruſſorum Dux prorſus ſuperbum, imperitum, barbarum & impudens reſponſum dedit, qvod hujusmodi erat: *Se mirari, cur Rex Johannes, qvum eſſet ex humili genere in prædio qvodam Smalandiæ natus, ortus ſui non memor, adeò ſe extollat, ut cum Novogardenſium Caſtellano, ex illuſtriſſima Principum familia oriundo, & qvi illum dignitate longè ſuperaret, pacis negotium tractare nollet. Fruſtra Svecum ſperare pacem, niſi eam Finnonum nomine, cum Caſtellano iſto, & Livonorum nomine, cum Magno, Livoniæ Principe, faceret. cujus pater non ita pridem Svetiæ Dominus fuiſſet,* (Chriſtianum Daniæ Regē innuebat) *& Jaroslaus Georgius olim ante annos C. Novogardiæ, Finlandiæ, Sveciæq; imperio præfuiſſet. Idcircò honorificum fore, tam ignobili Svecorum Principi cum illuſtribus adeò viris pacis fœdus inire. Nec ſe tanti facere, qvod Cæſar & Gallus aliive Principes Europæ ipſi cum Sveco pacti eſſent, nec, qvod Johannes eſſet Poloni affinis: cum qvendam olim in Ruſſia ſtabuli Ducalis Magiſtrum, ſororem Jagellonis Lithuaniæ & Poloniæ domini, in matrimonio habuiſſe, compertum ſit.* Tandem ita claudit Epiſtolam: *Se literas tuti commeatus Legatis Sveticis Novogardiam daturum, deinde*

deinde etiam ſuos in Svetiam miſſurum cum mandato, ut Rex Johannes coram illis oſculo crucis pacta pacis firmaret, & regni Archiepiſcopi ſigillis ea ſtabiliret. Hoc enim, non alio modo horrendum Ruſſi vultum placatum iri. Subjecerat etiam Epiſtolæ prorſus indignas pacis conditiones. Qvum Johannes Rex nollet tam inſolentem epiſtolam reſponſo dignari, eoqve diſtuliſſet illi qvicqvam reponere, Baſilius hoc inſolentior factus, Regi minatur bellum, *niſi ſuos Legatos Novogardiæ ante Kalendas Februarii haberet, & per hos ſibi gratiam compararet.* Illud intolerabile Baſilii ſupercilium majus funeſti belli incendium mox excitavit; & ne Magnus ille Dux ſe nimis magnum faceret, atqve Regem, qvaſi tanto faſtigio indignum, aut ſibi ſubjectum, qvi ab offenſo gratiam emendicare deberet, adeò præ ſe contemneret, Rex exiſtimationis ſuæ intereſſe putavit, ei tandem anno ſeqventi reſpondere, & qvidem prolixis literis, qvarum ſumma hæc erat, ut putida ejus mendacia & calumnias retunderet. Inprimis oſtendit: *Se à potentiſſimis ac vetuſtiſſimis Europæ Regibus ac Principibus tàm maternum qvàm paternum genus continua ſerie ducere. Chriſtianum verò Daniæ, non Sveciæ Regem fuiſſe; & Iaroslavum Novogardiæ Principem, generum Olai Skotkonung Svetiæ Regis, nunqvam Svetiæ gubernatorem fuiſſe. neqve Iagellonis ſororem unqvam magiſtri ſtabuli Ducalis uxorem fuiſſe*, liqvidò probabat. Pacis verò conditiones potius exſibilabat Rex, qvàm ut dignas reſponſo judicaret. Tandem Baſilium ſeriò monebat, *armis, non calumniis, more anicularum, ſecum certare.* Hæc qvidem tempore paulùm diſtincta, ſed ejusdem rei ſerie connexa hìc conjungere viſum. Ut autem ad ordinem priorum redeamus, Johannes Duve de Fyre & Elardus Kruſe de Kelles, Livoni Nobiles, jurati Magno Duci Ruſſiæ, Revaliæ commorantes: urbis cives ſpe pacis, tranqvillitatis & inſignis optandæqve libertatis, ad deficiendum à Svetiæ Rege, & in Ruſſi partes tranſeundum fruſtrà hortati ſunt; tam conſtanter in fide Revalienſes permanebant. Arx verò Revalienſis hac occaſione in Magni, Holſatiæ Ducis poteſtatem venit. Nicolaus Kurſel eqvitum præfectus, cum aliis Germanis ac Livonis, à Magno corruptus, qvum ſibi plurium menſium ſtipendia à Svetiæ Rege deberi, nec ſolvi prætexeret, in caſtellum à præſidiis nihil mali ſuſpicantibus intromiſſus, arcem ſe in ſua poſſeſſione pignoris vice retenturum ſignificat, donec ipſi & eqvitibus ſuis Rex ſatisfeciſſet. Qvin Gabrielem Chriſtierni Oxenſtierna, Baronem in Mörby, arci præfectum, inopinatò oppreſſum eò compulit, ut qvum æs illis ſolvendum non ſuppeditaret, arcem ad Pentecoſten usqve ſibi ſervare permitteret; interea de exſolvendo ſtipendio apud Regem laboraret. Sed hic merus Corſelii prætextus erat, vera cauſa, ut eam

Magno,

Magno, nomine Ruſſi, vel Dano per occaſionem ſpe ingentis præmii traderet. qvod etiam factum eſt. At Gabriel & Senatus civitatis, de hujusmodi perfidia cum Kurſelio graviter qvidem expoſtulabant; ſed qvum pro tempore non eſſent ſolvendo, qvod urgebat Kurſel, tempori & neceſſitati cedere cogebantur, donec occaſionem recuperandi arcem nanciſcerentur: qvod ſolertiâ Gabrielis præfecti arcis, & arte operaqve Nicolai Dubblare, ad id à Gabriele conducti, effectum eſt. Nocte enim ante diem Paraſceves proxima, dum ille cum duobus in arce homicidii cauſa detentis, Laurentio Siggonis, Sveco, & Chriſtiano Anclam conſpirans, pecuniam illis donat aleâ ludendi cauſa: de cujus lucro dividendo ſi inter eos non convenire poſſet, in medium ad compotandum conferre placuit. Illud ex ſententia ſucceſſit, vigiliarum qvoq; præfecto aliisq; ad hoc invitatis, & ad mediam noctem bibentibus, atq; vino ita depoſitis, ut ſui compotes non eſſent. Mox occaſione arrepta, Nicolaus cum trecentis Sveticis militibus adeſt. qvos per cloacam arcis, foras projectam, immiſſis ſcalis cannabeis, Laurentius Siggonis, ejusqve ſocius adduxerunt. Milites paucis obviis trucidatis, cæteros inermes, aut ſomno & potu ſepultos, cum arce in ſuam poteſtatem redegere. Præcipui in cuſtodiam conjecti, cæteri vadibus datis dimiſſi ſunt; qvorum tamen pleriq; rupta fide ad Moſchos transfugerunt. De Nicolao Kurſel, Framholdo Dyker, Henrico Hak & aliis captis defectionis auctoribus, ſupplicium capitis ſumebatur. Henrico Kurſel autem, Nicolai fratri, Georgio Axelio de Padenum, & Erneſto de Vitinckhave in Sveciam abductis, ad Caroli Ducis Sudermanniæ deprecationem, criminis gratia facta eſt. Qvum verò Magnus Holſatiæ Dux ſpe Livoniam aſtu occupandi excidiſſet, ad vim apertam novaqve conſilia ſe præparat, & præſidiis in limite relictis, Dorpato ad Moſchum in Ruſſiam tranſit. Ibi obtenta Livonorum captivorum liberatione, ab ipſo Czaro Ruſſiæ Regis Livoniæ titulo in ſpeciem & nuptiis ſobrinæ ejus decoratus eſt. Ruſſus enim ſibi perſvadebat, Livonos Germanicæ aut Danicæ gentis Principem facilius qvàm alium accepturos dominum: & hac ratione ſe fraude, qvam jure non poſſet, ac minori negotio occupaturum Livoniam; qvapropter ſibi ſolum Protectoris & ſpecioſum titulum reſervabat, ipſa re dominationem agitans. At Magnus dolũ minus animadvertens, ei credulus & viginti qvinq; millium Ruſſorum exercitu munitus, in Livoniam redit. Mox prope Revaliã caſtra metatur, miſſis ad urbis cives literis, qvibus *ſe iſtuc acceſſiſſe jactabat, ut Livonos, juris Germanici populos, Svedorum ac Polonorum jugo eriperet, & armis miſere diſcerptas provincias ſub unius Germani Principis* (qvo ſeipſum innuebat) *imperium redigeret. Imperatorem enim Ruſſorum, cujus viribus adjutus venerit,*

nerit, ſolenni diplomate, crucis oſculo firmato, ſibi & ſuis hæredibus, aut iis deficientibus, Coronæ Danicæ unive ex Holſatiæ Ducibus, Livoniam regio titulo ſemper poſſidendam conceſſiſſe; nec qvicqvam ſibi juris in eam provinciam præter Protectoris nomen, reſervaſſe, qvod pro viribus tueri velit. Idcircò ſe cum juſtis copiis ab eo huc miſſum eſſe, ut Svedos Livoniâ, tanqvam injuſtos poſſeſſores, expellat. Monet inſuper Revalienſes, *ut ſe ipſi, tanqvam Principi Germaniæ, ſponte ſubjiciant, ſpe amplisſima immunitatis ipſis facta, aut, ſi hoc detrectent, præſenti inevitabilis excidii metu.* Qvibus addebantur Johannis Duve & Elardi Kruſe, de qvibus ſup. aliorumq;, qvi Moſcho militabant & ſtudebant, aſſiduæ obteſtationes & hortatus. Sed his Gabriel Oxēſtierna de Mórby, urbis & arcis præfectus, & cum eo Senatus ac cives Revalienſes infracti, qvum ſe ad ultima qvæq; prius ſubeunda, qvam Ruſſo aut Magno ſe dedendũ, paratos oſtenderent, obſidionẽ ultra ſemeſtre terrâ mariq; Svecorum viribus adjuti, ſtrenuè tolerarunt, donec ſeqventi anno à Magno & Ruſſis obſidio ſolveretur. Interea finis bello ad Ulfsbáckum fruſtra ante tentatus, inter Svediæ & Daniæ Reges per octo continuos annos geſto, tandem arbitris Cæſare, Rege Galliæ, Electore Saxoniæ, Duce Pomeraniæ & aliis impoſitus, atq; Stetini pax facta eſt his præcipuè legibus ac conditionibus: *Poſt præteritarum injuriarum oblivionem ſecura, firma, perpetua & irrevocabilis pax, amicitia & vicinitas approbata, erecta & confirmata eſto, & perſeverato in poſterum. Alter de altero benè & amicè ſentito, honorato, promoveto, moneto, defendito. Qvod alterutriùs perſonæ, imperio, regno, ditioni eiq; ſubjectis impedimento, perniciei & diſpendio fuerit, pro viribus alter amoveto & prævertito; alterius honori, exiſtimationi ac utilitati, velut propriæ, non minus facto, qvàm verbis fideliter & animosè invigilato & conſervato. Sigillatim verò alter alterius regno ſubditis in ſuo regno & ditione, ſi qvando ſuper hac re ſollicitatur, adverſus qvoscunq; ſuæ jurisdictioni ſubjectos convenienter & absqve cunctatione juſtitiam adminiſtrato. contra omnem illegitimam vim, decentem protectionẽ atq; ſecuritatem præſtato. Bellici ſumtus utrinqve remittantur. Trium coronarum inſignia uterq; Rex, incolumi ſingulis jurisdictione & imperio, uſurpato; donec controverſia de illis, Cæſaris, Saxonis & Brandenburgici Electorum, Brunſvicenſis & Anhaltini Principum, in qvos utrinqve compromittant, interventu & cognitione utriusqve partis documentorum, & qvæ potiori jure nitantur, ad finem deducatur. Omni juri & actioni in Svediam Danus renunciato, & vicisſim Svedus omni juri in Daniam, Norvegiam, Gothlandiã & adjacentes provincias. Jemptiam & Herdaliam in Norvegia cum omni jurisdictione eccleſiaſtica Dano reſtituito. Limites utriusq; regni immoti & iidẽ permanento, qvales tempore Guſtavi I. & Chriſtiani Regũ fuerunt, & antiqvitus inter Svediæ, Daniæ & Norvegiæ regna conſtituti ſunt.*

ſalvo

ſalvo quorumlibet limites accolentium jure, priſca poſſeſſionũ iſtic uſurpatione & præſcriptione, reditibus ſervitutibus in piſcando, venando aut aliis utilibus juribus, omni turbatione & impedimentis remotis. Captivi utrimqve absque pretio dimittantur. Elfsburgum cum omni ditione & bellicis tormentis ac munitionibus, qvæ in ea expugnationis tempore fuerunt, Svedo Danus reſtituito. Sed Svedus Dano octo naves bellicas tempore belli ablatas reddito, & CLM. (alii CCM.) *thaleros unciales exſolvito. Rex Svetiæ qvæ in Livonia poſſidet, Cæſari & Imperio, velut ſupremo Magiſtratui & domino cedito. De qvibus diœceſin Revalienſem & Öſilienſẽ, Padis, Sonnenburgam & Habſel Daniæ Regis tutelæ Cæſar ſtatim ſubjicito. Urbs verò Revalia & Wittenſteinum tantiſper in Regis Sveciæ poteſtate manento, donec Imperator cum eo Imperii nomine, de belli ſumptibus, in defenſionem Revaliæ impenſis, tranſegerit. Navigatio Narvenſis ex more priſco libera permittitor. Omnes libelli famoſi ſub pœna capitis prohibeantur & aboleantur. Qvæ de exſecutione hujus Transactionis præſcripta ſunt, religiosè ſervantor. compoſitio disſidentium ab utriusq; regni delectis Senatoribus aut arbitris ſuscipitor*; de qvibus in ipſa Transactione ab aliis jam publicata fuſius. Hanc pacẽ magis Danis, qvàm ſibi profuiſſe Svedi qverebantur. qvamvis antea Rex melioribus conditionibus eam obtinere potuiſſet, ſi ipſe voluiſſet, ut ante dictum eſt. Verùm pertinaciã tunc ejus conſiliis obſtitiſſe cauſabantur, & nunc qvalemcunq; pacem tempora urgere, rebus in Finnonia & Livonia turbatis, & Magno Duce Holſatiæ iſtic graſſante: qvem Danus non parum viribus, in detrimentum Svedorũ, juvare potuiſſet, niſi hæc pax interveniſſet. Inter Regem Svetiæ Johannem & Lubecenſes circa idem tempus pax qvoq; convenit, cujus hæc capita erant: *Obliteratis utrinq; ſimultatibus & odiis pax & benevolentia ſtabiliatur. Belli ſumtus utrinq; compenſantor. Lubecenſium privilegia in Regno Svediæ ſecundum formulã a delegatis ſubſcriptam, à Rege quoq; & Senatu regni Svediæ confirmata liberè deinceps exerceantur. Pro ære alieno Guſtavi, Erici & Johannis, navibusq; in faucibus Aloenſibus anno MDXVI. laceratis, & anno MDLXI. & LXII. cũ mercibus detentis, Rex Svediæ LXXVM. thalerorũ uncialiũ Lubecæ civitati, intra ſeptennii ſpatiũ, initio facto à Johannis Baptiſtæ die anni MDLXXIV. quotannis XM. ultimò XVM. ſolvito. Chirographa & obligationum inſtrumenta dictorum Regum Lubecenſes, ſimulac præſens pacificatio à Johanne Rege confirmata & ipſis tradita fuerit, reſtituunto. Nomina ſua in univerſo Svediæ regno à privatis debitoribus exigere ipſis facultas eſto. Johannes Rex Lubecenſiũ creditoribus pro Erici ære alieno ſatisfacito. Regi ſubjectis debita ſua Lubecæ flagitare fas eſto. Qvidqvid ex naufragis bonis ad præfectos vel ſubditos Svediæ pervenerit, repetere civibus Lubecenſibus jus eſto. Duæ naves cum tormentis in Pomerania attentæ Lubecenſibus redhibeantur. Navigatio Narvica ſeu cum Ruſſis commercia priſco more libera ſunto; ita tamen,*

ut qvicqvid Cæſar cum Imperii Ordinibus de iis decreverit, Lubecenſes ſubeant,
caveantq; ne Moſchos commeatu & armis in fraudē Imperii & Livonorū juvent.
Natis in poſterum inter Svedos & Lubecenſes diſſenſionibus, una pars alterā officii
ſui admoneto. qvod ſi non proficiat, à parte qvalibet qvatuor arbitri controverſias
amicè vel ex æqvo & bono componunto. Captivi utrimq; absq; pretio dimittantur:
Interea Ruſſi Wittenſtenium obſident, Hermanno Flemming id fortiter pro-
1571 pugnante, cæſis iſtic & ad Revaliam novē millibus hoſtium. Anno ſeqventi,
fœdus inter Johannem & Fridericū Regem Daniæ de tuendo mari Balthico
adverſus piratas, ex Belgio præſertim iſtuc concurrentes, initū eſt. Qvum Jo-
hanni Regi cum Ruſſis bellum eſſet, Lubecenſibus libera in portum Narven-
ſem importandi merces facultas interdicta eſt, & tandem Narvâ occupatâ, in
Svedorum poteſtatē conceſſit. Inter Regē Svediæ Johannem & Ordines hu-
jus regni transactum eſt de futura ſucceſſione Sigismundi Johannis filii in
patris defuncti locum, eoq; nomine literæ fidelitatis præſtandæ ſcriptæ, con-
firmatæ, & in Poloniā majoris cautionis ergò miſſæ ſunt. Qvum Johannes ini-
tio regni ſui Evangelicam religionem profeſſus, ad qvam etiam pro ſe & po-
ſteris ſuis ſervandam, per Deum & animæ ſuæ ſalutem ſe obligarat, poſtea
paulatim & velut latente incremento Pontificiam religionem in regnū Sve-
tiæ introduci & propagari curaret, ordinatione Eccleſiaſtica jam reformata &
publicata, ſacro ordini viſum eſt cum Deo providere, ne Eccleſia qvid detri-
menti caperet. Ideò Upſaliæ Synodus ab univerſo Sveciæ Eccleſiaſtico ordi-
1572 ne habita eſt. Ejus ſumma & decretum erat, *qvod in vera Chriſtiana doctrina,*
prout in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis continetur, unanimiter & conſtanter per-
ſiſtere, eamq; in omnibus ſuis articulis & partibus, absq; omni commento humano &
ſuperſtitione retinere & propagare velint, in Dei honorem, Eccleſiæ ædificationem
ac ſalutem. Contra fugere, abrogare & avertere omnem falſam & hereticā doctri-
nam, per qvam vera & ſana doctrina corrumpatur & impediatur. Uſitatas cere-
monias absqve novatione & mutatione retinere, nec admittere alias, qvæ Eccleſiæ
ſcandalo eſſe poſſint. Idem repetitum Nicopiæ anno M D LXXIX de qvibus hi-
ſtoriæ Eccleſiaſticæ conditores plura. De tribus Coronis controverſia, ex pa-
cto Stetinenſi, in limite utriusqve regni convenientibus aliqvot bonis viris
Sveciæ & Daniæ, amica compoſitione tentata eſt. Dicto hoc anno Upſalia in-
cendio conflagravit, auctoribꝰ à Ruſſo, ut tradunt, emiſſis, & poſtridie Eneco-
pia. Niſi verò Rex iſtis incendiariis in tempore obſtacula poſuiſſet, excubiis in
qvalibet urbe conſtitutis, plus detrimenti intuliſſent. Seqventi hyeme Ruſſus
per ſuos irruptionē in Finnoniā fecit: qvod ſe ab Erico & Johanne fratribus, ob
iniqvè de Johañis conjuge poſtulata & denegata, de qvibus in vita Erici plura,
deluſum crederet; hoc armis ultū venit. Satis nimirū belli cauſæ, jus in viribus

&ferro

& ferro gerenti videbatur, injuſta ſibi denegari. Impunè verò tunc iſtic populatus eſt, nulli ſexui & ætati parcens, & ingenti præda domum reportata, liberè receſſit: qvum noſtri in Livonia hyeme ac gelu detenti, Finnonibus opem ferre non poſſent. Hoc anno Rex edictum de Decimis in tempore Sacerdoti præſtandis promulgavit. Idem anno M D LXXV. repetiit, etiam hoc addito, non habendam eſſe rationem priorum literarum regiarum de immunitate à dictis Decimis. Item interdictum edidit de non promiſcuè vendendis bonis ſoli cenſualibus, niſi prius earum emtio Coronæ offerretur. Calendis Januarii Moſchus bellum, hactenus per legatos ſuos geſtum, ipſe aggreſſus, cum duobus filiis, & majoribus copiis octoginta millium militum in Livoniam regreſſus, arcem Wittenſtenium præſidiis nudatam hyeme nivoſa & glacie ad Pentecoſten usqve perſeverante ſecurisq; incolis, poſt ſextum obſidionis diem vi expugnavit. Hanc fuiſſe primâ arcem, qvantum conſtat, qvam Ruſſi expugnarint, annales Svetici produnt. In victos tam immanem ſævitiam exercuit, ut, præter fœdam corporis contumeliam fœminis, & promiſcuam cædem virili ſexui illatam; etiam Johannem Boy militiæ præfectum, & Svedos ac Germanos, qvi in arce erant, veru alligatos & ad ignem toſtos lentâ horrendaq; morte conficeret. Reliqvæ ejus copiæ ad Lodam omnia diripientes, caſtellum Kockenhuſium capientes, ope divina, & Claudii Achatii Sveonum Ducis militumq; virtute debellatæ ſunt. Eqvidem, qvod admiratione dignum erat, ſexcenti eqvites & centum pedites Sveonum, ſedecim millia Ruſſorum ſuperarunt, ſeptem millibus cæſis, reliqvis in fugam actis; mille hoſtium trahas raptarunt, magnâ prædâ occupatâ. ſanè, qvod belli documentis compertum eſt, Ruſſi, licet alioqvin audaces & ſatis armati, tamen in campo & expugnatione urbium parum viri ſunt. non enim adeò animis aut viribus ſuis, ſed magis occaſione, aſtu, inſidiis, minis, vi ac terrore vincere ſveti, multas ſæpè urbes ac caſtella ceperunt. Qvi audent illis, etſi viribus minores, repugnare & fortia opponere pectora, iis inſiſtentibus facilè cedunt. Qvod verò in caſtellis cuſtodiendis & retinendis ſtrenui & inexpugnabiles ferme ſunt; niſi ſeriam aut majorem vim experiantur; inde adeo fit, qvod laboris, inediæ & exigui victus tolerantes ſunt; atqve ſi caſtellum ſponte metuve dedant, illud, non absqve gravi dedecore, capite luere coguntur: unde extrema pati; qvàm cum nominis & vitæ diſcrimine domum reverti malunt. Hoc anno piè diſceſſit Laurentius 1574.
Petri Nericius, Archiepiſcopus Upſalienſis, primus hic poſt reformatam religionem, de eccleſia Chriſti optimè meritus. Ante mortem ſubmiſsè rogavit Regem, *ne puram & claram in regno religionem ullis hæreticorum nebulis ob-*

ſcu-

ſcurari ſineret. Claudius Achatii & Pontus de la Gardie, Svetici exercitus præfecti cum Germanicis & Sveticis copiis, qvinqve ferme millibus, qvi priori anno Revaliam venerant, ad recuperandam Weſenbergam, medio inter Revaliam & Narvam itinere ſitam, ſe contulerunt. Qvum ibi tres menſes, interim hoſti ſpatio ad ſe præmuniendum dato, conſediſſent, oppugnatione arcis fruſtra tentata; tandem in caſtris inter Germanos & Scotos orta eſt ſeditio & motus militaris: cujus cauſa & exitus hic erat, ut Scoti pedites à Germanis vario ludibrii genere proſciſſi, eos ad pugnam excirent, auctore & duce Archibaldo Comite Ruduino Scoto; in qvâ M D. Scoti, & XXX. ſolum Germani occubuerunt. Ita malè conſulta & effrenis militum inſolentia, viribus ſuis & offenſis effera, inter ſe ſibi hoſtes & cladem facit; qvaſi foris deeſſent adverſus qvos pugnarent. Imò reliqvi Scotorum ad Ruſſorum partes tranſiverunt; Svedi verò & Germani, occaſione rei adverſus hoſtem gerendæ hoc tumultu corruptâ, infectis rebus Revaliam reverſi ſunt. Reliqvum tempus Ruſſi pervagando Harringiam, (Harriam) usqve ad urbem Revalienſem, liberumq; ei commeatum præcludendo, & obvia diripiendo tranſegerunt. Nec eqvites Livoni à ſuæ nationis vicinis ruſticis manus ac vim abſtinuerunt; tanqvam communium ſpoliorum fructus ad indigenas & amicos potius, qvàm extraneos & hoſtes pertinerent. In Svediâ & ipſa Johannis regiâ à Scotis militibus ære conductis & huc miſſis novus motus excitatus eſt: dum ſuſpecti habebantur inſidiarum Regi Johanni ſtruendarum ſub ſpecie perſonatorum: qvi inter nudos gladios in honorem Regis choreas edituri, & ex occaſione Regem peremturi dicebantur, atqve Ericum carcere liberatum, in regnum reſtituturi. Sed re detecta, nec admiſſis iſtis ſaltatoribus, conſilium inſidiarum evanuit, auctoribus earum mortis ſupplicio ſublatis.
1575 Johannis Regis eqvites, Nobiles Livoni & Germani, arces & oppida Habſalam, Lodam & Lealum, qvæ Svedi ipſis pro ſtipendiis nondum ſolutis ante ſesqviannum oppigneraraant, Daniæ Regi pro octoginta millibus aureorum ad Johannis Baptiſtæ diem ſolvendis, & ſecuritate de Ruſſis, cum qvibus pacem & fœdus Rex Daniæ tum habebat, ipſis promiſſa, vendunt, & Nicolao ad Ungern regio in Öſiliæ præfecto tradunt; qvæ qvum Rex Johannes contra transactionem Stetinenſen & cautionem Friderici R. Daniæ hoc anno ſibi datam admiſſa contenderet, atqve dicta caſtella Regno Svetiæ vel reſtitui, vel debito modo ſatisfieri, non ſemel urgeret, fruſtra tamen fuit. Öſiliæ verò arcem Sonneburgum, à Svedis militibus captam, & Magno Saxoniæ Duci à Rege Johanne conceſſam, præfectus Öſiliæ, Magno in Sveciam reverſo, iterum

rum obſedit & incendio fortuito in ea orto, recepit. Qvum Svetici delegati ad limitem regni Seſterbeckium à Rege, cum Ruſſo de induciis agendi cauſa, miſſi eſſent & feriò tractaſſent, Ruſſus illis è re ſua inducias biennii, excluſis Revalienſibus, dedit, & qvidem callido conſilio, ut liber ab aſſultu Sveonum in Finnonia eſſet, dum Parnoviam obſidere in animo habebat. Verùm inducias iſtas non diutius, qvàm ipſi commodum videbatur, ſervavit, & Finnoniam ante elapſum biennium invaſit atqve paſſim diripuit. Holmiam Legatus à Rege Galliæ Henrico III. advenit. qvale ejus negotium fuerit, annales Svetici ſilent. Sed ex Thuano patet, Pontificem Romanum & qvosdam Societatis Jeſuiticæ Gallo ſvaſores fuiſſe, ut ad Johannem mitteret Legatum cum literis regiis, incitandi ejus cauſa ad amplectendam Romanam religionem: qvò jam inclinare ipſis videbatur. Qvin ab ipſo Pontifice Clemente poſtea cum arcanis mandatis Antonium Poſſevinum, tractando huic negotio maximè idoneum, ad Johannem miſſum fuiſſe, & non parum profeciſſe conſtat. Idem Poſſevinus perſvaſerat Regi Johanni, ut Svetica juventus, ſtudiorum cauſa peregrinatura, nullas alias Academias, qvàm Jeſuiticas, adiret & freqventaret: qva de re Regis Edictum etiam publicatum erat. Poſſevinus inſuper, hinc diſcedens, ſecum abduxit è Svetia adoleſcentes, Pontificia religione imbuendos; qvam huc redeuntes, ubicunqve occaſio illis patuit, in plures occultè ſparſerunt, ulterius per illos propagandam; niſi hoc Deus benignè prohibuiſſet. Præterqvam, qvod ipſe Johannes fratri conjugis ſuæ Sigiſmundo, in contracto cum ea conjugio, & ipſi conjugi fidem dediſſe fertur de amplectenda & propaganda ſuo tempore Pontificia religione, præſertim ſi Rex Svetiæ futurus eſſet. Ille verò, ne re inviſa ſubitâqve, majori tumultui occaſionem dare videretur, à ſalutari, ut ferebat, emendatione rituum Eccleſiaſticorum initium fecit, inde ad religionem Pontificiam paulatim invehendam, à ſectatoribus ejus ſtimulatus: qvo nomine ipſi etiam poſtea Poſſevinus, & ipſe Rex Poloniæ gratulati ſunt. Ad eam qvoqve ſedulò inſtigarunt Regem Stanislaus Hoſius Cardinalis, Johannes Herbeſtus, qvi Reginæ à ſacris erat, Laurentius Nicolai Norvegus, qvi Holmiæ docebat Theologiam, Adamus Fechtenius aliiqve: & qvantum potuerunt, in hoc regno diſſeminarunt. Hujus ſeminis peſtilentem fructum mox prodiiſſe, conſtat, qvum poſt nuperam mortem Laurentii Petri Nericienſis, Archiepiſcopi, orthodoxæ religionis inſtauratoris & vindicis, primò reformatio Ordinationis Eccleſiaſticæ, fucatâ ſpecie pietatis tincta, & captioſis verbis concepta, uti Exegeſis Svetica eam deſcribit: & hanc mox excipiens, liber Liturgiæ ede-

ederetur: unde variæ turbæ in regno enatæ ſunt. Illum vulgò librum *rubrum* appellabant, qvod pluribus in locis rubri coloris characteribus & typis inſignis, aut involucro rubro intectus & compactus erat. Sed recte informatis ipſa re *niger* & odioſus erat: dum ceremonias inſtitutioni Chriſti & Apoſtolorum uſui contrarias continuit; velut orthodoxi Theologi in peculiari Confeſſione, ex Dei verbo & pura primitivæ Eccleſiæ antiqvitate probarunt; à qvibus etiam iſte liber non receptus & ſubſcriptus eſt; de qva re Baazius in hiſtoria Eccleſiaſtica iſtius temporis fusè. Nec tamen ceſſavit Rex Johannes cuilibet ordini tam inferiori qvàm ſuperiori, tam ſacro qvàm civili eum obtrudere. In Wakſala Upſaliæ vicinâ parœciâ aliqvando convocatam plebem ruſticam monuiſſe fertur, ut acceptarent iſtum librum, tanqvam Eccleſiæ utilem. qvod niſi facerent, ipſis uxores auferendas eſſe minatus eſt; vel qvod ita ſentiret, vel ut potius animos eorum tentaret. qvidam conſtantiores, uxorem potius & alia bona relinqvenda eſſe dicebant, qvàm ritus Eccleſiæ & religionem, verbo DEI conformes alii rei chariſſimæ amittendæ metu vacillantes, Regi parendum, & librum iſtum rubrum admittendum eſſe clamabant. Refutantes autem vel rejicientes eum ſacerdotes, qvales non pauci fuere aliiqve plures pro proditoribus & turbatoribus pacis Eccleſiæ, reis contumaciæ ac læſæ Majeſtatis à Rege & ejus aſſeclis habebantur, & remotione ab officio, carcere, exſilio plectebantur. Qvi verò ſubſcribebant & acceptabant eam, honoribus & muneribus à Rege cumulabantur; qvorum principes erant Laurentius Petri Gothus, Archiepiſcopus factus, Eraſmus Nicolai Arhoſienſis epiſcopus, Andreas Laurentii Gothus, antea Epiſcopus Wexionenſis, poſtea
1576 Archiepiſcopatu ornatus. A Rege Johanne ad Carolum ejus fratrem Nicopiam mittebantur Johannes Gera in Aldenöö, & Ericus Sparre in Sundby, cum his mandatis: *ut Liturgia, qvam Rex ad DEI honorem & pietatis incrementum concinnari & publicari curaſſet, & ante aliqvod tempus in comitiis Holmenſibus cum ſacro ordine communicaſſet, velut alibi in regno, ita qvoqve in Ducatu Principis acceptaretur: ut ita conformis ordo in ceremoniis ubiqve obſervaretur, & ſacra ſecundum ejus normam adminiſtrarentur. Regem ſibi ſoli reſervare velle auctoritatem & jus inſtituendi judices provinciales in Ducatu Principis, qvos idoneos crederet. Regem etiam conſtituere aut certè confirmare iſtic velle Epiſcopum Strengnenſem, qvoties opus eſſet, virum ad id muneris aptum. Regem judicium inqviſitorium, ut vocant, qvoties uſus exigeret, ipſiqve placeret, in Ducatu per omnes provincias Caroli habiturum.* Ad iſtæc Carolus ita

ore

ore & ſcripto reſpondit: *Quod ad novas Eccleſiæ ceremonias attineret, ſe non tam repente ac facile poſſe eas approbare & admittere: qvum tam ille qvam cæteri ejus fratres & ſorores in beati & laudatisſimi Patris Teſtamento, tam ſeriò & accuratè admoneantur ſibi cavere à ſuperſtitione, traditionibus humanis & aliena doctrina. Non eſſe liberum Principi propter paternum Teſtamentum qvidqvam in religione mutare; neqve in ejus poteſtate eſſe, cogere conſcientiam ſuorum ſacerdotum, ut deſerant Evangelii doctrinam, ultra qvinqvaginta annos in patria receptam & uſitatam; & nupera Synodo, ſigillis & ſubſcriptionibus confirmatam. In reliqvis tribus capitibus, nimirum de Epiſcopi & Judicis provincialis electione atqve conſtitutione, & de Judicio inqviſitionis per Ducatum Principis, qvod Rex vellet, mirum & alienum ſibi videri: qvum non dubitet Regi ſatis conſtare, qva ratione in paterni Teſtamenti ordinatione & literis fiduciariis, ut appellant, expreſſè cautum ſit & ſancitum: Regem (Guſtavum I.) filio Carolo tradere enumeratas iſtic provincias & territoria cum omni jurisdictione, prorſus ut ipſe olim tenuerit, nullo excepto. à qvibus qvod Rex ipſum excludere velit, ſe ſuſpicari non poſſe. Sibi etiam perſvadere, Regem non oblitum eſſe promisſi & jurisjurandi Patri p. m. præſtiti in ſcripta Cautione, qvam ei dederit ante acceptas à patre literas fiduciarias Ducatus Finlandiæ: nimirum ſe fideliter ſerioq; tuiturum paterni Teſtamenti ordinationem & literas Ducatuum, tam ipſi qvam fratribus in ſubſidium vitæ & aulæ conceſſorum. Pugnaturum id cum Regis literis confirmationis ipſi de Ducatu ſuo datis, ſi Rex in hujuſmodi iniqvis poſtulatis perſeverare velit. Itaqve ſe ſperare, Regem hujuſmodi incepto deſtiturum.* In ea ſententia, licet aliqvoties de eadem re à Rege conventus, conſtanter permanſit Carolus, præſertim in tuendis & fovendis Theologis, qvi perfugium ſub eo qværerent; qvorum primi erant Petrus Jonæ, M. Martinus Lincopenſis M. Olaus ejus filius Scholæ Nycopenſis Rector, poſtea Archiepiſcopus Upſalienſis factus. Ruſſi in Livonia Habſalam, Lodam, Leaum & Padiſium commeatu, præſidiis & armis ſatis inſtructas arces & oppida, ignaviâ & perfidiâ præfectorum, deditione ceperunt & occuparunt. Qvum rumor ex Livonia qvoqve invaleſceret, qvod in eam cum L M. militum exercitu Moſchus iterum irruptionem usqve ad Rigenſem tractum feciſſet, & Revaliæ obſidionem minaretur, Rex qvantum potuit, urbi neceſſaria bello ſubmiſit. Ex Polonia Legatus à Rege Poloniæ Stephano Bathorio Johannes Herbrotus de Fulzin advenit Holmiam, *renovatum amicitiam & ſocietatem cum Rege, & deſideratum, Re-*

valiam à Svecia Poloniæ ex certa conventione permittendam in portum & ſtationem navium Polonicarum, ad prohibendum Ruſſo commeatum in oppidum Narvam; & tormenta quædam aliaqve inſtrumenta bellica pro certo pretio concedenda. Rex Johannes *amicitiam & fœdus cum Rege Poloniæ non abnuebat, in qvantum Moſcho communibus viribus reſiſtendum eſſet; Salvo tamen cuiqve arbitrio & tempore pacis aut induciarum, & ut, qvæ ſinguli occuparent, jure belli occupantibus cederent. Cætera verò de Revalia, navibus & tormentis cedendis civiliter recuſabat. Illâ, qvum tanto conſtitiſſet Svetiæ & tot hominum ſangvine, carere non poſſe; his verò ipſi Regi regnoqve domi foriſqve opus eſſe, tam in Finnoniâ qvàm Livoniâ adverſus hoſtem Ruſſum uſurpandis.* Ruſſus autem cum filio ſuo & Magno Holſatiæ Duce, qvo, tanqvam illice ad Germanos in Livoniæ oppidis & arcibus ineſcandos utebatur, Livoniam ingreſſus, qvicqvid ad borealem Dunæ ripam in diœceſi Rigenſi fortuna reliqvum fecerat, occupavit. Mox Revaliam acri obſidione preſſit, & integras ſex dierum hebdomadas, ſed infelici molimine, oppugnavit. Qvippe præfecti arci & urbi Henrici Nicolai de Kankas, periti artium militiæ, ejusqve filii Caroli Senatusqve urbis curâ & diligentiâ, ſubſidio annonæ in annum, propugnaculorum & tormentorum copia, vigiliisqve urbs ſatis inſtructa & munita, obſidionem fortiter ac feliciter ſuſtinuit. Qvia verò hoſtis crebro ignitorum globorum jactu urbem infeſtabat, juſſi ſunt obſeſſi ſub ſeverâ pœnâ omnem materiam concipiendo igni aptam ſub cellis & fornicibus ædium condere, & perpetuis excubiis per urbis regiones diſpoſitis obſervare, qvo deciderent iſti globi, ut ſtatim exſtingvi poſſent; & qvum ſpe lucri maximè vulgus incitetur, ſingulis, qvi talem globum urbis præfecto adferre poſſent, præmii loco tres marcæ dabantur. Ita multi iſtos globos decidentes certatim perſeqvebantur, ut pueri turbinem ſub verbere volitantem ſolent, non absq; riſu ſpectantium. Qvamvis etiam majoribus tormentis urbem hoſtis continuè fermè diverberaret, tamen parum illis detrimenti intulit: qvum muri altis vallis & propugnaculis ſatis præcincti eſſent. qvin obſeſſi hoſtilibus caſtris freqventi excurſione & ictibus ſuorum tormentorum plus damni attulerunt. Itaqve Ruſſi irrita oppugnatione obſidionem Revaliæ ſolverunt & Pleſcoviam petierunt. Rex edidit edictum de conſcriptione militum, ex veteri Sveciæ more, inſtituendâ; ut tamen ab ea liberi eſſent coloni proprium fundum ac prædium poſſidentes; item debiles ac mutili; viduæ

non plures qvam duos filios aut unum ſervum habentes; ſenes, & juvenes XX. annis minores, & qvi ſtipendia ad XL. annum jam meruiſſent. Seqventi anno Rex vetuit, Nobiles ſub prætextu immunitatis aut libertatis eqveſtris, retinere partem penſionum ſibi & Coronæ ex lege debitarum, aut decimas Sacerdotibus ſolvendas; aut mulctas à ſuis colonis, nomine capitalium delictorum, & inſcio rege, exigere. Sveci ductoribus Carolo Duce Sudermanniæ, Georgio Boye in Gynes & 1578
Claudio Beronis in Gammelgård, Wendam accedunt, qvam, præter Oberpaliam, Ruſſus invaſerat, nec omnia ſolùm in urbe diripuerat, ſed etiam in imbellem & muliebrem ſexum omne crudelitatis ac contumeliæ genus ex inſolentia militari, ſtuprando & obtruncando exercuerat. qva trecentæ nobiles perſonæ, præſertim virgines & matronæ, territæ, ſuppoſitis arci Wendenſi qvatuor cadis pulveris pyrii, ſeipſas cum arce comburere, qvàm in tyranni manus ac immanem vim incidere maluerunt. qva re Ruſſi ſævitia in utrumqve ſexum magis irritabatur, fœminis obtruncatis, viris aut conciſis aut ad veru toſtis. Wendâ ab octodecim millibus Ruſſorum obſeſsâ, & tandem, ut ante dixi, occupata, Sveci cum Polonorum auxilio Ruſſos pellebant & ſex millibus partim cæſis, partim diſſipatis, viginti tormenta majora minoraqve eis eripiebant. Sveonum & Polonorum non ultra centum cædebantur. Alii 1579
verò noſtratium per urbem Wiburgum in Ruſſiam excurſionem fecerunt, & rapiendo, urendo, vaſtando valdè iſtic graſſati ſunt. Johannes Erici de Brinkala cum ſuis Revalia effuſus inter Narvam & Novam arcem in Ruſſiam conceſſit, ibiqve multa templa, villas & pagos exſcindens, ingentem prædam campanarum & ornatus templi, pecoris & ceræ ſecum exportavit. Eadem tempeſtate peſtis, qvæ Rigæ præterito autumno cœperat, etiam in Svediam ſerpens ita invaluit, ut in ſola urbe Stockholmenſi à S. Jacobi usqve ad S. Thomæ diem ultra duodecim millia iſtâ lue exſtingverentur. Benedictus Severini Sveticæ claſſis præfectus navibus aliqvot Narvam Livonicam adortus, ſuburbium & inde Ivvanogorodam Ruſſiæ funditus exuſſit & pluribus iſtic Ruſſis cæſis, ampla ſpolia & naves variis mercibus refertas ingentiqve pretio æſtimatas Revaliam & Holmiam adduxit. Narvam verò urbem obſeſſam Svedi relinqvere coacti ſunt, tam continuâ pluviâ, qva militum veſtes madefactæ putruerunt, qvàm nimiâ claſſis, rem tormentariam, & commeatum advecturæ morâ: unde tanta fames caſtra invaſit, ut ea

mille qvingenti milites contabeſcerent ac perirent; & præterea Tartari omnem annonæ copiam Svetico exercitui præriperent. Johannes Rex Svetiæ ſeqventi anno interdictum publicavit de monopoliis, propoliis, & mercibus vicatim aut regionatim emendis ac vendendis. Legatos ſuos & Rex Daniæ ſuos, ad limitem regnorum inter Ulfsbäck & Knäröd, miſerunt, componendi diſſidia qvædam inter ipſos exorta cauſa: qvæ jam minacibus literis increpare cœperant. Dani expoſtulabant, *commerciorum uſum ſibi non tam liberum in Svecia, qvàm Svecis in Dania eſſe: dum neceſſarias merces in publicis nundinis venales exponere ipſis interdiceretur; ab iisdem Holmiæ vectigal, qvod nolint Sveci vectigalis nomen mereri, tamen qvod ipſis oneroſum ſit, exigi. Silvas & terras à Svecis ultra limites in ditione Warbergenſi incinctas & occupatas eſſe. Vim à Svecis in Blekingia factam: ruſticum in propria domo occiſum, & poſtea cum villa combuſtum fuiſſe. Navigantes à Svecorum navibus in mari excubantibus apprehendi in fretis Danicis. Incurſionem à Svecis in Öſiliam factam; Arenſburgi deditionem poſtulatam. Tormentorum ac navium reſtitutionem, unà cum ſumma pecuniæ pro redemtione Elfsburgi, longè ultra dictum terminum Danis protractam fuiſſe. Sonneburgam pro dotalitio Duci Holſatiæ Magno literis confirmatam, & Mönam à Svecis occupatas, Regem Daniæ ab ipſis ludibrio exceptum. Danicas mercatorum naves* (qvod maximè querelâ aggravabatur) *in Narvicis undis interceptas, nec à Danicis militaribus navibus vim prohibitam fuiſſe. pro bonis Danorum direptis nondum ſatisfactum eſſe.* Sveci contra expoſtulabant: *Vectigal de mercibus Sveticis in freto Öreſundico ſumtum fuiſſe. Sveticos reditus in Lapmarchia à Danicis præfectis exactos fuiſſe. Jus cædendi arbores & piſcandi Danos in Sveticis nemoribus & lacubus uſurpaſſe. Sveticos Nobilium ruſticos in Bahuſienſi & Warbergenſi ditionibus, oneribus & ſubvectionibus, ſupra Danicos agricolas, gravatos fuiſſe. Svecos vectigali & novis contributionibus in Dania & Norvegiâ oneratos fuiſſe. Sveticas naves in amne ad Bahuſiam accedentes & recedentes ſpoliatas; navigantes in undis Sveticis & ipſis faucibus ſcopulorum Svecicorum comprehenſos à Danicis armatis navibus, & ex Sveticis ſignum Danicum tormentis datum fuiſſe. Principis Caroli, Regis Svetiæ fratris, & conjugis ſuæ ex Germania reducum, omniumq; comitantiũ navibus manus à Danis contra fidem publicè datam injectas, à recto curſu ad aliqvot milliaria deflexas fuiſſe, & ad ſiparia demittenda coactas. Danicas & alias peregrinas naves literis liberi commeatus à Rege Daniæ ad Sveti-*

cos portus inſtructas, Regis Sveciæ hoſtes Ruſſos Danicis navibus & annona ab eodem adjutos fuiſſe. Hapſalam, Lodam, Lealam clandeſtinis inſidiis, Sonneburgam hoſtili ſubitaqve oppreſſione Svecis ereptas; famoſa carmina tormentis ex ære à Svecis in ſolutum pro redemptione Elfsburgi dato in Dania fuſis inſcripta fuiſſe. qvæ omnia qvàm conſentanea fœderi pacis eſſent, Danis cogitandum relinqvebatur. Delegati utrimqve de his convenientes diſceptabant. qvædam diverſis modis excuſabantur, qvædam ad priora pacta remittebantur, plura gravaminibus, ut vocant, & qverelis penſabantur. Navigatio Narvam verſus, & Danicæ merces direptæ maximam difficultatem pariebant. Sveci ſibi perſvadebant, Danicis dictam navigationem non aliter in pactis promiſſam fuiſſe, qvam verba pactorum *à priſca memoria* vellent: qvod ita intelligendum eſſet, ut qvemadmodum navigatio Danis olim permiſſa pacis tempore, ita prohibita belli tempore fuiſſet, velut ex hiſtoriis probari poſſet; ita Stetinenſium pactorum menti conſonum fore, ut Dani tempore belli navigatione Narvenſi ſuperſederent, nec Sveonum hoſtis vires eâ ſic firmarent, veluti compluribus annis factum eſſet, non habita ratione ejus, qvod dicta Pacta unam partem alterius commodis, ut ſuis, conſulere juberent. Dani verò ad hoc adduci & perſvaderi non poterant, nec ſpem amicæ compoſitionis præbebant; niſi navigatio ad Narvam ipſis permitteretur. Tandem Sveci de rigore juris aliqvid remittebant, & finem controverſiis utrinqve tàm Sveci qvàm Dani amicâ conciliatione imponebant hoc modo: *Direpta bona Danica dominis dicto tempore ac termino ſolvenda eſſe. Navigationem ad Narvam Danis absqve impedimento permittendam eſſe. Novum vectigal & onus tàm pro Svecis in Dania, qvàm Danis in Svecia prorſus abrogandum; omnes exorbitationes in limitibus, de ſilvis, terris, piſcationibus ac reditibus, candidorum virorum cognitione & judicio emendandas; omnia impedimenta, prædationes, vim & ludibria in utriusqve navibus tollenda: liberum & tutum iter ac tranſitum Svecis per Daniæ, ac Danis per Sveciæ oras & freta permittendum eſſe. His modis decernebant omnia disſidia, controverſias ac diſſenſiones, inter utrumqve regnum hactenus enatas, penitus aboleri; bonam vicinorum affectionem, fidam amicitiam & benevolentiam, & mutuum communis boni ſtudium verbis & factis in illarum locum reſtaurari, & omnes vias confirmandæ Stetinenſi transactioni ſervientes, qværi ac promoveri.* His ita compoſitis, Rex Johannes ingentes copias, Ponto de la Gardie, Hermanno Flemming in Willnäs, Georgio Boye & Carolo Henrici ducen-

tibus, in Ruſſiam ad obſidione cingendam arcem & urbem Kexholmiam, adhuc perſiſtente in Svetia peſte, emiſit. In primis illud in mandatis dederat Georgio Boye; qvi qvum per totam hyemem in Finlandia cum exercitu otioſus ſederet, Rex Ponto integro & ſtrenuo viro, cui filiam ſuam naturalem Sophiam nuptui dederat, eumqve ſupremum copiarum militarium ductorem crearat, illud injunxit. Urbs Kexholmia, qvam antea Svedi fruſtra majoribus tormentis, velut inter latos & rapidos amnes ſitam, attentarant, nunc candentibus globis emiſſis, igne, qvia tota lignea erat, exuſta eſt: qva occaſione bis mille Ruſſorum ſtrati ſunt, plures in amnem ſe conjecerunt. Extrema fame victum Padiſum
1581 caſtellum expugnarunt. Inde oppidum Weſenbergam & arcem monti impoſitam, Ruſſis incolumitatem vitæ & bonorum, qvæ aſportare poſſent, paciſcentibus ac ſe dedentibus, Pontus capit, & qvatriduo poſt Tolsbergam. Proxima æſtate, dum Stephanus Poloniæ Rex ad Pleſcoviam in Ruſſia obſidendam cum exercitu movet, Svedi forti ductore Carolo Henrici, Revalia emigrantes, provinciam Vichiam à Moſchis recuperant. Lodia arce ſatis munita, ſed præſidiis firmis deſtituta, poſt qvatridui obſidionem potiuntur. Hoc accepto, Ruſſi non parum perculſi, Parnoviam properant; ſed inflammata iſtic arce iterum diſcedunt: qvos eqvitum Sveticorum nonnulli obvios in itinere conciderunt. Fortuna ſic favente, Svedi inde Ficheliam & Lehaliam petunt ejusqve portam candentibus globis disjiciunt. Sed incendium vento adjutum reliqva ædificia lignea corripuit, adeoq; crevit, ut extingvi neqviret. Ideò Ruſſi, obtenta diſcedendi facultate, dedunt arcem. Habſaliam qvidem Svedi tormentis verberare, cæperant, ſed Moſchi initio ſtrenuè & ferociter tutantes, centum Sveticorum cæſis, tandem tamen, deſperata arcis defenſione, Svedis eam tradunt. Narva qvoqve, ductoribus Ponto de la Gardie & Flemmingio, poſt aliqvot hebdomadarum obſidionem, ſpe facta militibus per XXIV horas direptionis urbis, & viginti qvatuor tormentis noctu diuqve ad triduum qvaſſata, muroqve dejecto, vi expugnata & V M. Ruſſis in ea proſtratis, in Svedorum poteſtatem pervenit. At arx certis pactis ſe Svedis dedit. Hæc jactura Ruſſo valdè gravis accidit, qva non ſolùm Ruſſiæ, ſed etiam Chriſtiani orbis nobile emporium ad mare Balthicum amiſit. Qvum Ruſſi educerentur urbe ad fines Ruſſiæ, per medios hoſtes tranſeuntes, vel odio eorum vel pudore ſui, neminem adſpicere voluerunt, ſed vel demittentes in terram oculos, vel cœlum ſuſpicientes, more ſuo cruce ſignabant vultum, pectus & utrumqve humerum.

rum. In arce varii generis annona & ſex tormenta reperta ſunt. Eodem fortunæ curſu Ivvangorodam, Iamam, Novam arcem, Coporiam Ruſſiæ arces & provincias, in Livonia Wittenſtenium & in Carelia Carelogorodam Svedi, dictis ductoribus, inprimis Ponto, occuparunt. Eqvidem fortuna hoc anno adeò adſpiravit Svedis, ut Stephanus Rex Poloniæ, qvamvis Ruſſo urbem Polodſciam, arcem Socollam & alia caſtella præripuiſſet; præter aliqvot mille cæſos aut captos, tamen ad Pleſcoviam ſedens, *dum ipſe plagas & retia cuſtodiat, à Svedis apros capi* diceret. Qvum appeteret hyems, & Pontus animo conſtituiſſet militem ſuum in futurum ver dimittere, comperit Polonica caſtra inopiâ pulveris nitrati & glandium plumbearum laborare, atqve Farensbachii milites paſſim tabe extingvi: proinde ex jure fœderis offerebat Polonis ſubſidium pulveris nitrati & tormentorum, unà cum milite ſuo, alioqvi dimittendo. Sed illi hoc ſibi ignominiæ fore rati, ſi eò neceſſitatis adacti viderentur, ut auxilium accipere cogerentur ab eis, qvibus hoc beneficium debere nollent; arroganter & faſtidioſè reſpuebant, & cum Ruſſo qvalemcunqve inire pacem malebant, qvam Svedorum ope indigere videri. Si verò pactum fœdus continuare & oblatum adjumentum admittere voluiſſent, Ruſſum, jam ante debilitatum, mox Tartarorum impreſſione graviter vexatum, ad extrema redigere, certè facilius Pleſcoviam occupare potuiſſent. Verùm ex invidiâ ſucceſſus Svedorum in Livonia contra Ruſſos, optimam rei feliciter gerendæ occaſionem negligebant, &, ut mox dicetur, pace cum Ruſſis facta, Svedos, parum memores beneficiorum ab ipſis acceptorum, excludebant. Iſta verò pax Ruſſo, qvam Polonis, utilior erat: dum tutior de terrarum ſuarum poſſeſſione, & aliis ſuis hoſtibus magis par factus erat. Sed & plus acceperat à Polono, qvàm Polonus ab illo, præterqvam qvod caſtella Livoniæ denudarat tormentis & annona. Rex Johannes Eliſabetham, minimam natu ſororem, Guſtavi I. filiam, Chriſtophoro Alberti F. Duci Meklenburgenſi in matrimonium locabat, nuptiarum ſolennibus Holmiæ celebratis. In comitiis Holmenſibus à Johanne III. indictis, inter alia actum eſt *de Principis Caroli Ducali auctoritate & jurisdictione imminuenda, qvæ Regi nimia, ejusq; eminentiæ fraudi eſſe videbatur.* Hoc obtentu, acciſa fratris poteſtate, *liberum uſum Liturgiæ, à plerisqve Senatorum & non paucis ordinis ſacri receptæ*, ut ajebat, *à Principe in Ducatu ſuo non impediri* qværebat. Qvin Rex haud obſcurè in ſermone jactabat, *niſi Dux in accipienda Liturgia ipſi morem gerere vellet, fortè Ducatu ſuo privari poſſe.* Ordines tamen ipſi nihil contra Carolum decreverunt. At ille de in-

juriæ

juria ſibi à fratre facta publico ſcripto conteſtatus, poſtea tamen ad Regem, ne adverſus ſe concitaret, de compoſitione miſit, de qva ſuo loco prolixius.
1582 In dictis comitiis confirmata eſt ſpes ſucceſſionis Sigismundi in regnum Sveciæ. Inter Stephanum Poloniæ Regem & Ruſſos ad Zapolchiam decem annorum pax vel induciæ initæ ſunt, ſed excluſis ex invidia Svedis, ut paulò ante referebatur. Unde & conditionibus pacis inſertum eſt, ut, ſive Polonus ſive Ruſſus à Svedis Narvam recuperaturus eſſet, alterutri integrum foret, fortunam ſuam contra eam experiri, ſalvâ tamen pace aut induciis. Sed & hoc inter leges pacis erat, ut Moſchus Polono univerſam cederet Livoniam, Velicoluka verò & aliæ nonnullæ arces, qvas Stephanus nuper occuparat, ei à Polono reſtituerentur. Inde Rigam ingreſſus Stephanus, literas ſuas & Legatum Dominicum Alemanni Italum, culinæ regiæ magiſtrum in Svetiam ad Johannem Regem miſit, *animo deſiderandi eam Livoniæ partem, qvam Johannes, Polono ad Velicolukam & Pleſcoviam belligerante, à tergo ſuo*, uti ſcribebat, *ceperat: qvum præter loca ante juri ejus ſubdita, tota Livonia jam Polonicæ Coronæ ſubjecta eſſet, nec fœdus cum Rege Johanne eo animo feciſſet, ut bellum conjunctim in Livonia, ſed hoſtili ſolo gereret. Se* (Regem Poloniæ) *laboraſſe qvidem, ut Rex Svetiæ ſimul includeretur paci, ſed Ruſſum recuſaſſe. Se verò coactum cum illo pacem inire, anteqvam Rex Johannes ulterius progrediens potiretur locis ad Polonos pertinentibus.* Addebat & illud Legatus: *Si non aliter Johannes vellet, ſaltem pro æqva impenſæ reſtitutione Stephano dictam Livoniæ partem cederet: ne inter utrumq; affinem ſimultatis inimicitiæq; materia inde naſceretur.* Cæterum Chriſtophorus Varſevicius, alter Polonicus Legatus, majoris dignationis, qvi priorem mox ſubſeqvutus erat, moderatius agere videri volebat. *Regem Johannem ſe Regis Poloniæ deſiderio accommodare, nec à Livonis, mobili*, ut ajebat, *gente ſe circumagi pati* ſvadebat. *Cum ſuo Rege potius junctis viribus eos exſcindere* auctor erat, *ut tandem levi populo liberarentur.* Rex Johannes Varſevicium, ut Legatum, magnificè, ſed Dominicum, tanqvam culinæ præfectum, tractari curavit; pro qvo Regem Poloniæ non honoratiorem miſiſſe, plurimi mirabantur. Non diu tamen eos detinuit, ſed cum gravi & acri reſponſo dimiſit. Qvippe Poloni deſiderium pro iniqviſſimo habens, non absqve animi commotione in hanc ſententiam reſcripſit: *Regem Poloniæ ſatis meminiſſe, qva ratione ſibi uxorique ſuæ non ſolùm dos promiſſa, & inſuper ingens nummorum vis à ſe Regi Sigismundo mutuò data ſit, ſed adhuc hæreditariæ conjugis ſuæ facultates ſibi ex regno Poloniæ & Lithuania debeantur: quæ per totos jam viginti annos ingenti cum moleſtia & impenſa popoſciſſet; Regem Poloniæ verò pro illa pecuniæ ſumma ſibi oppigne-*

oppigneratas arces & caſtella jam ſuæ poſſeſſionis feciſſe. Se ſibi perſvaſiſſe, Regem Poloniæ ſibi potius æs alienum eâ, qva par eſt, fide exſoluturum, qvàm Sveticæ ditionis partes nullo jure ad ipsū pertinentes iniqvè & non abſqve minis poſtulaturum eſſe: quod ipſi planè inopinatò & contra affinitatis atqve amicitiæ fidem acciderit. Quod autem Rex Poloniæ dictitet, dum ipſe totus in Pleſcoviæ obſidione eſſet, Svedos à tergo ſuo Narvam aliasqve arces ac propugnacula cepiſſe, reſpondit Rex Johannes: Se non à tergo, ſed à fronte, non furtim, ſed aperta virtute Moſchos hoſtes aggreſſum eſſe. Sed & ſæpius antea cum literis tum per legatos Regi Poloniæ ſignificaſſe, omnia ex convento & jure armorum fore occupantium; ac ſe retinere ac tutari velle, quæ hoſti legitimè ademiſſet. Præter hæc multos jam annos, antequam Stephanus de petendis bello Moſchis cogitaſſet, ſe totius belli molem contra eos ſolum ſuſtinuiſſe. Qvum verò Polonus obſidione cingeret Polociam, ſe qvoqve Narvam oppugnaſſe: ubi ne verbo qvidem ditionis ibi ſuæ meminerit; qvin etiam per literas Ponto de la Gardie de recuperatis in Livonia gratulatus ſit. Qvod verò occupaverit Habſalam, Lodam & Lealum, qvum ex iis Ruſſus regno Svetiæ non exiguum intulerit detrimentum, neminem ſibi vitio vertere poſſe, ſi perſeqvutus ſit hoſtem ſuum ubicunqve potuerit. Præter iſtæc ſe & majores ſuos plus impendiſſe pro Livonia conſervanda, qvàm unqvam Poloni. Niſi verò Revaliam pro munimento à tergo habuiſſet, & unà cum ſociis opitulatus eſſet Wendæ, Livoniam dudum in Ruſſi manum Polonorum culpa incidiſſe; pro qvo tamen beneficio parum ipſi gratiæ referatur; ita ut etiam tormenta ejus ad Wendam retenta ſint. qvæ qvidem patienter tulerit, non tamen qvod jus ſuum reticuerit aut remiſerit. Se exiſtimaſſe, Regem Poloniæ qvi pro prudenti militiæ Principe habetur, amicè cum ipſo conventurum. Qvippe ipſum ſatis ſcire, qvod inter ſe pacti eſſent de communibus utriqve contra Ruſſum commodis & incommodis. Se verò non doctum eſſe Ungaricas & Italicas exceptiones, conditiones, reſervata & interpretationes, nimirum pactum aut fœdus de Ruſſi hæreditario ſolo, excluſa Livonia, accipiendum; nec id ullâ literâ probari poſſe. Proinde nihil ſibi immodeſtius ab illo obvenire, qvàm ut deſideret iſta, qvæ jam gladio devicerit. Sed ut illi mentem ſuam rotundè aperiat, ſe non modò ipſi vel latum pedem non ceſſurum, ſed ſibi ſolvi velle dotem cum mutuò data pecunia & uſuris: ſi ſecus, vel totum mundum coram DEO non improbaturum, ſi ſuum aliâ viâ repetat. Annon Rex Poloniæ fando legendoqve acceperit, Cimbros & Gothos in Italiam effuſos eam ſibi ſubjeciſſe, Romam devaſtaſſe, & multis fortiter geſtis virtutem eorum enituiſſe. Iſtius nationis ſe jam Regem eſſe, & dictos Gothos exiguam ſolùm partem regni fuiſſe, ſe verò Dei gratia univerſum regnum poſſidere. Eundem animum, eosdem ſpiritus, qvi majoribus ejus, ineſſe populo ſuo: qvi hactenus nihil vel Polonis vel Moſchis conceſſerit. Hoc reſponſum

ſponſum ægrè qvidem faciebat Polonis, ſilentio tamen diſſimulabatur. Qvum Stephanus ejusdem argumenti literas eodem tempore ad Reginam Svediæ, perſvadendi Regis mariti ſua cauſa, dediſſet, illa Stephano ſic reſpondit: *Regem Johannem, maritum ſuum dilectiſſimum, tanto ſemper in Regem regnumqve Poloniæ affectu fuiſſe, ut ſuâ perſvaſione ad præſtandum Regi Poloniæ, ſi æqva & juſta peterentur, non indiguerit. Qvum verò nunc compererit, ea à Rege ſuo poſtulari, qvæ ad Majeſtatis ipſius dedecus, ad regni & poſterorum detrimentum vergant, nulla ratione poſſe à marito ſuo deſiderare, ut Polonorum poſtulationi gratificetur. Rogare autem, ut Rex Poloniæ æqviora conſilia capeſſat; ita fore, ut ipſius negotium lubentius & felicius apud maritum, qvantum in ſe ſit, procuret.* Qvum Svedi bellum Ruſſicum perſeqverentur, Ponto de la Gardie ipſorum duce in Svetiam proficiſcente, vicarius ejus Nötheburgum iniqvo anni tempore obſidere cœpit. Sed dum hîc mandati ſui fines tranſit; Deus ſucceſſum negavit. Rex Johannes ad Conſules & ſenatum Upſal. ſcripſit *de retando & expurgando Sala fl. ut navigia in ipſam urbem, velut olim, cum non levi civium commoditate & uſu appelli poſſint.* Ad hanc verò rem eò melius & citius perficiendam, præter alios, jubet colonos parœciarum Ulleråker, Bålingh, Norunda, Waxala, Rasbo, Tyerp & Vendela, qvi qvotannis penſionem in ſegete, & frumentum aliaqve vedenda per urbem ad ripam trans Salam cymbis deportanda devehere ſoleant, in compenſationem
1583 qvandam hujus beneficii, diurnas operas & palos præmuniendæ contra vim fluvii ripæ, conferre. Tandem induciæ trium annorum inter Johannem & Ruſſos convenerunt, his conditionibus: *ut Johannes occupata retineret, & intra ſuos limites, ſtantibus induciis, ea tranqvillè poſſideret, captivi verò utrinqve dimitterentur.* Regina Catharina, Johannis III. Regis Sveciæ conjunx unius filii Sigiſmundi & unius filiæ Annæ ſuperſtitum mater, vitam
1584 mortalem explevit, cujus corpus deinde Upſaliæ in majori ſacrario templi cathedralis ſeptentrionali honorificè terræ mandatum eſt. De inſigni monumento, Reginæ memoriæ ibidem poſito, & carmine epitaphio, qvod Gabrielem qvendam Svecum, Poëtam non contemnendum, ut obſervat Meſſenius, habet auctorem, fuſius Schefferus noſter in Upſaliâ ſuâ. Ante mortem ſuam, à Jeſuitis perſvaſa, decem millia uncialium Gymnaſio Brunsbergenſi legavit. pro qvibus fundos in Boruſſia Profeſſores emerunt: ex qvorum annuis proventibus partim ſeipſos, partim non paucos ex Svecia Studioſos aluerunt, ut in Scondiâ illuſtratâ ſcribit Meſſenius, eorumqve numero ſe ad ſexennium convixiſſe fatetur; atqve ita ex qvorum Scholâ prodierit, non diſſimulat. Johannes Rex non unum promulgavit

edi

edictum *de ſublevatione ruſticorum à nimio præſtandorum veredorum onere. Præcipuè ne qvisqvam eis abſqve pretio uteretur, niſi peculiaribus commeatus literis à Rege inſtructus eſſet. Et ut plures tabernæ diverſoriæ ad vias publicas exſtruerentur: in qvibus eqvi & victus viatoribus pro æqvo præberentur.* Qvum induciæ inter Svedos & Moſchos ad finem decurrerent, Johannes ad limitem regni miſit legatos de perpetua pace cum Moſcho acturos. Sed qvum de legibus pacis inter eos non convenerit, Ruſſis in Livonia & Ruſſia à Svedis occupata repetentibus, Svecis verò non ſolùm hæc denegantibus, ſed & ſumtus belli à Ruſſis, velut ejus auctoribus & cauſa, repoſcentibus, induciæ qvadriennii factæ & ratæ habitæ ſunt. Regis Svediæ legati erat Nicolaus 1585
Achatii, Pontus de la Gardie, Nicolaus Bielke, Chriſtiernus Gabrielis, Thuro Bielke & Carolus Henrici. Qvum reverſuri in Svediam, Narvam veniſſent, vetus navigium, à Ruſſis qvondam exſtructum, cum omni comitatu conſcendunt, & machinis vel tormentis, ex qvibus dum in medio fluvio, militaris lætitiæ plauſu, pilas ejaculabantur, navis rupta ac diſſoluta octodecim homines naufragio perdidit. Inter eos aliqvot Nobiles, & præter plebejos, etiam conſul Revalienſis Bartholomæus Rotert, perierunt. Reliqvis proceribus præſentem mortem evadentibus, aqvis ſuffocatus eſt illuſtris heros Pontus de la Gardie Gallus, nobili loco in Petrecoriis natus. qvem Rex Johannes præfecerat militiæ, & Baronis honore, meritorum bellicorum cauſa, ornarat, & filiam ſuam naturalem ei in matrimonium collocarat, Qvippe per omnem vitam Regi ſuo fidus & induſtrius, laborū belli tolerans, in periculis animoſus, in conſiliis ſagax, & omnibus actionibus providus, proſperoqve ſucceſſu erat: qvod Livonia & Ruſſia ſatis loqvuntur. Etiamſi verò indigno claritate rerum ab ipſo geſtarum exceſſu vitam clauſerit, & ſpiritum undis tradiderit; tamen virtutis tantæ decus nec aqva ſubmergere, nec ulla mors exſtingvere valuit. Johannes Rex ad ſecundas nuptias tranſivit, & Gunilam, Johannis Axelii Bielke de Herſeter, Eqvitis aurati, regni Senatoris & Oſtrogothiæ Gubernatoris filiam, materteræ neptem, illuſtrem Virginem, pietate, ingenio & forma præſtantem, nuptiis Arhoſiæ celebratis, domum duxit. Legati à Johanne ad Moſchorum fines 1586
de æterna cum ipſis pace facienda, aut prorogandis induciis miſſi ſunt. Qvum enim Stephanus Poloniæ Rex à Theodoro Magno Moſchoviæ Duce Smolencenſem & Severienſem Ducatus repeteret, aut armis ſe eos recuperaturum jactaret, Moſchi pacem cum Svedis inire ſtudioſius laborare videbantur. Qvum verò Ruſſi, non niſi recuperatis Iwanogorodia, Jammogorodia, Coporia & Kexholmia pacem facere cum Rege Johanne cupe-

rent; eundem ad vicarium Novogorodiæ, vulgò Nogardiæ, de pace tractandi cauſa remitterent; Rex Johannes hoc ægerrimè tulit & Magno Duci Moſchoviæ ad ſuas literas cordatè ſatis in hanc mentem reſpondit: *Etiamſi, Friderice* (imò Theodore) *Ivvanovvitz, tuæ ad Nos literæ, pluribus contumelioſis verbis conſtent, tamen ea tibi reddentes, contenti ſumus illis, quæ Legati noſtri ad iſtæc reſponderunt. Hoc te duntaxat ignorare nolumus, nos te non pluris facere, qvàm tu nos: qvum nec te, nec ullum alium nobis ſuperiorem agnoſcamus, præter ſolum Deum. Illud verò nobis ſatis notum erat, anteqvam nobis in memoriam revocares, imò priusqvam natus eſſes, qvod majores tui hanc Regibus Svetiæ contumeliam fecerint, ut eos compararent tuo vicario; licet illud nunqvam ab ullo Cæſare aut Rege factum ſit. Proinde deſiſtas ab iſto Ruſſico & imprudenti more, qvo ad exemplum majorum tuorum uteris; niſi velis noſtro vicario iterum componi. Qvod ſcribis te in noſtris Legatis ulturum, niſi tibi placentia reſpondeamus, hoc qvoqve Ruſſici moris eſt. Sed ſcias, iſtud ſi feceris, in tuis ſubditis haud inultum fore.* Sic irrita Svedorum cum Moſchis de perpetua pace tractatione, qvadriennii induciæ porrò confirmabantur. Diſſidium ab initio imperii Johannis inter ipſum & Carolum fratrem fuerat, non tam ob controverſiâ ac contentionem de poſſeſſionibus qvibusdam & hæreditate paterna, qvàm æmulatione poteſtatis & auctoritatis. Qvippe anteqvam Johannes Rex factus erat, æqvali utriqve Principi & fratri poteſtate, bene inter utrumqve convenerat. Sed ſimulac alter eminentior altero eſſe cœpit, & Rex regiam ac ſupremam jurisdictionem tam intra qvam extra Ducatum Caroli ſibi vendicatum ivit, Carolus autem Ducatus ſui ſtatus ac dignitatis amplificationi inſtitit, qvolibet incrementis ſuis ſtudente; facile fraterna concordia diſſilivit. Carolus Princeps tamen majori tandem cedere, in qvibus honeſtè poſſet, è re ſua magis ducens, ad Johannem Regem miſit Carolum Sture Comitem in Weſtervvyk, Achatium Johannis à Tidön, Axelium Ryning à Thuna, & Lubertum Kavves ab Ökna, animo conciliandi Regem offenſum & componendi controverſias nuper inter utrumqve ortas. *Delegati de Epiſcopo, M. Petro Jonæ, Profeſſore olim Upſal. in Strengnenſi diœceſi citra confirmationem Regis electo*, reſpondere in mandatis habebant, *Eccleſiaſticum ordinem hîc ſeqvutum eſſe Ordinationem Eccleſiaſticam à Rege approbatam: qvæ vult à Clericis capitularibus*, ut vocant, *& præcipuis in diœceſi Sacerdotibus eligendum, dein à Rege confirmandum eſſe Epiſcopum; idqve ſibi licere Principem exiſtimare ex Teſtamento paterno, qvo ad ipſum Ducatus cum omnibus incolis eccleſiaſticis & politicis translatus ſit. Nec obſtare, licet Rex ſupremam poteſtatem & jurisdictionem in regno in omnes ſubditos habeat, at-*

que ſic jus confirmandi ubicunqve in regno Epiſcopos ſibi ſoli vendicare velit. Regiæ enim & ſupremæ ditioni non fraudem facere facultatem Ducum confirmandi Epiſcopos, qvam putet Princeps ſibi cum omni reliqvo jure, qvatenus adhæret Ducatui, à Patre in Teſtamento datam, & à Johanne Rege confirmatam eſſe; Ducem verò velut conceſſionem Ducatus beneficiariam, ut appellant, *ſolùm à Rege acceptaſſe. Nihil porrò impedire, qvod Guſtavus hoc non permiſerit Johanni, qvum Dux Finlandiæ eſſet. Nam Guſtavum adhuc vivum potuiſſe beneficiis ſuis placitum ponere modum, & filiis ſuis qvodcunqve jus vellet majus aut minus & qvocunqve modo concedere. Sed in Teſtamento ſuo, qvid & qvomodo poſt mortem ſuam in Ducatibus eſſet obſervandum, præſcripſiſſe, qvod morte condentis convaluerit & confirmatum ſit.* Si verò Rex adhuc urgeret, à ſe ſolo, ut Rege, pendere confirmationem Epiſcopi, delegati Regem rogare juſſi erant, *ut electionem, intra Ducatum à ſacro ordine & cum conſenſu Ducis prius inſtitutam, confirmare velit. Si verò jusjurandum à confirmando exigatur, ut Carolus Dux etiam jurijurando includatur: qvum Epiſcopus è Ducatu ſuo ſalarium habeat.* Sed legati hac vice re infectâ domum redierunt. Controverſia de tribus Coronis ut reſumeretur, & absqve prolixo & extraneo juris proceſſu à bonis utriusqve regni viris in regni limite decideretur, per literas inter utrumqve Regem qvidem convenit, ſed iterum dilata eſt. Anno ſubſeqventi Rex 1587 Johannes in Comitiis Vadſtenenſibus decreta qvædam de limitata Ducum jurisdictione & poteſtate publicavit, dein reconciliatus fratri Carolo, pacta cum eo inivit, ab ipſo in Ducatu ejus obſervanda. Stephano Bathorio Rege Poloniæ terris excedente, inter regni Polonici Ordines variis contentionibus & diſceptationibus in Comitiis Warſavienſibus de eligendo novo Rege & ſucceſſore decertatum eſt, æmulis, regni Polonici candidatis, Maximiliano Rudolphi Cæſaris fratre, Theodoro Magno Moſchoviæ Duce, Sigiſmundo Transſylvaniæ Principe & nonnullis indigenis proceribus. Tandem tamen inter Ordines regni convenit, ingenti ſtudio eos ad id ſtimulante Annâ Poloniæ Reginâ, Jagellonicæ familiæ, ex qva Catharina Sigiſmundi mater nata erat, addictiſſimâ, & Polonis eidem familiæ ob eximia ejus in Rempubl. ſuam merita maximè faventibus: ut Sigiſmundus, Svetiæ Princeps Johannis III. filius, Rex Poloniæ crearetur. Qvidam Poloniæ Coronam Johanni III. oblatam perhibent, ſed illum prætuliſſe ſibi filium Sigiſmundum, freqventibus literis & monitis à Polonica Regina vidua ad id tandem adductum. Sed anteqvam eo nomine legatos in Poloniam Rex Johannes mitteret, ſcripto pactus eſt ipſe & Sigiſmundus cum Regni Sveciæ Senatu & Ordinibus hoc modo: *Si Princeps Sigiſmundus Rex*

*Poloniæ fieret, ſe non diminuturum regnum hæreditarium Sveciæ qvoad terras &
arces, ſive in Livonia ſive alibi ſitas, ad amplificandum regnum Poloniæ electivum;
ſed potius qvæſiturum utriusqve regni amplificationem ex utriusqve partis hoſti-
bus Ruſſis. Futuram ejus conjugem ab utroqve regno dotandam eſſe. Poſt mor-
tem patris, ſe minimùm qvolibet triennio viſitaturum paternum Regnum, nec mi-
nus æſtimaturum qvàm electitium, & utrumqve in receptis ſtatutis ac libertate con-
ſervaturum. In ejus abſentia regnum à ſeptem ex proceribus adminiſtrandum
eſſe, qvolibet triennio commutandis. Nihil Sveciæ Regalium, theſauri, tormento-
rum, armorum, Cancellariæ aut Fiſci rerum regno efferendum; nec nova tributa
ſubditis, Rege abſente, imponenda eſſe. Nullam ſegetem, metallum vel aliud Po-
lonis permittendum eſſe, absqve juſta ſolutione. Nullam fore mutationem in reli-
gione, vel rebus eccleſiaſticis, qvæ tempore vitæ patris ſuæ publicè uſurpatæ eſſent.
Dum in Svecia eſſet, ipſi licere in ſuo ſacello uti ſuæ religionis ſacerdotibus; non ve-
rò aliis ſuis miniſtris, qvi ejusdem cum incolis Sveciæ religionis eſſent, hoc malo ver-
tere, aut officiis excludere fas fore. Sveciæ Nobiles in debito reſpectu habendos,
nec ad indecora munia cogendos eſſe. Sveciæ negotia cum exteris Principibus
absqve Ordinum conſenſu tractanda non eſſe. Nullum Svecum debere extra Sve-
ciæ limitem in jus vocari; nec niſi Svecis committi munitiones. In negotiis u-
trumqve regnum concernentibus, Svecos & Polonos legatos pari numero conventu-
ros. In negotiis ad ſolum Sveciæ regnum ſpectantibus duos ſolùm ex regni Sena-
tu à Rege vocandos eſſe; & qvicqvid cum illis decreverit, ratum fore. Nullum
præfectum à ſuo munimento evocandum, nec peregrina præſidia eis imponenda eſ-
ſe. Sveticum exercitum à Svetico duce in locum, Regi & ſibi commodiſſimum,
educi oportere, & Sveciæ bono retinere occupata. Si Rex in Svecia eſſet, Regis Sve-
ciæ titulum præponendum eſſe Regis Poloniæ titulo, & vice verſa, ſi in Polonia eſſet.
Poſt obitum Patris Sigiſmundum ab Archiepiſcopo Upſal. nec ullo exotico coronan-
dum eſſe. Si Rex ſuſciperet liberos, majorem natu ipſi in regnum ſucceſſurum, &
proximum ab eo, Regem Poloniæ electum iri; Si ita illis videretur. Si verò gran-
dior natu Rex in utroqve regno eſſet, & plures uno fratre haberet, uni ex illis Du-
catum in Svecia concedendum, reliqvos in Polonia ſuſtentandos eſſe. Filiam ex
utroq; regno dotandam eſſe. Si Rex contra hæc delinqvat, ſubditos Sveciæ jure-
jurando ſuo ſolutum, at delinqvere ſvadentes, ut proditores, punitum iri.* Sub
id temporis à Rege Johanne Ericus Sparre regni Senator & Procancellari-
us unà cum Erico Brahe Sigiſmundi aulæ magiſtro in Poloniam ad Comitia
Warſavienſia de iſtius electionis negotio Legatus mittebatur. In oratio-
ne ſua Ordines Poloniæ præter alia excuſat Regem ſuum, *cur nomine Filii ſui
minus de regno Polonico ſollicitarit, in cauſa fuiſſe, qvod non ſatis tutum duxerit,*

prius

prius Filium regnum hoc ambire, qvàm certò cognoſceret, memoriam Iagellonicæ familiæ, cujus unica tantum exſtaret propago maſcula, nondum refrixiſſe, vel mutatione aut iniqvitate temporis ſuppreſſam eſſe; potiſſimum ob inteſtina qvorundam primorum Poloniæ diſſidia, qvibus unicum filium exponere periculoſum fuiſſet. præterqvam qvod glaciei & navigandi hiberno tempore importunitas non parum moræ attulerit. Ambigo, num tanti ſit referre, referam tamen, qvod à paucis obſervatum, eſt: ut vel hinc dæmonis fraudes ac ludibria, ad ineſcandum credulos excogitata, noſſe ac fugere ſtudeamus. Johannes Zamoſcius, regni Poloniæ magnus Cancellarius, ferventibus in Polonia de electione novi, adhuc incerti & futuri, Regis partibus & ſtudiis, ex inſigni & per totam Europam malis artibus noto mago ad ipſum veniente ſciſcitatus eſt, cui competitorum crederet ceſſurum eſſe regnum Poloniæ? Ille aliqvandiu tacitus, deinde rupto ſilentio: *Ecce tibi,* inqvit, *diſertis verbis edico, futurum illum veſtrum Regem, qvum DEUS volet;* qvod dicto conticuit. Zamoſcius hoc initio non intellexit, aut veluti rem notam, ut ipſi videbatur, ac parum animo recoctam, ex cogitatione dimiſit. At poſtero die, qvo Sigiſmundus Rex Poloniæ renunciatus eſt, puer per mediam turbam ad Zamoſcium penetrans, ei ſchedam inſinuavit, à dicto mago miſſam, cujus hæc ſententia erat: *Meminiſti Cancellarie qvæſiti tui, qvum in prandio tibi accumberem; meminiſti etiam reſponſi mei, cujus veram mentem tum pervidere non potuiſti. Nunc verò accipe & vocis DEUS reflecte literas, Regemqve prædictum agnoſces.* Zamoſcius colloqvii recordatus, & verum, ut eventus comprobavit, ſed occultè, magum reſpondiſſe ſentiens, diabolicos hujusmodi luſus deteſtatus eſt. Obligationis capita Sigiſmundo, deſignato Regi Poloniæ, ab Ordinibus regni propoſita, & Johannis Sveciæ Regis legatis tradita hæc erant: *Ut inter Poloniæ & Sveciæ Regna perpetuum fœdus adverſus utriqve finitimos hoſtes ſit. Rebus humanis exemto Johanne Svetiæ Rege, filius ejus Sigiſmundus Sveciæ regnum retineat & ad primò natos hæredes transmittat. Poſtgenitis verò de certa hæreditatis portione ſecundum Svetici regni conditionem & facultates, Regiis autem filiabus de certa dote, ſecundum regni Poloniæ priſcos mores & ſtatuta, ab utriusqve regni Ordinibus proſpiciatur. Si res ita ferat, de conſenſu Ordinum Poloniæ & Lithuaniæ ſe Rex in Svetiam conferat. Livoniæ partem, hoc tempore Regi Sveciæ ſubjectam, Sigiſmundus toti corpori Livoniæ atqve ita Regno Poloniæ reſtituat & jungat. Claſſem armatam in regni Poloniæ & Lithuaniæ uſum ſua impenſa in mari inſtituat. Tormenta bellica certo numero, cum omni neceſſario inſtrumento, Polonis adverſus Novogardiam, Pleskoviam aut Smolenskam aliqvid molientibus ſuppeditet, atqve ad Wendam occupata relinqvat.*

qvat. Pecuniam centum viginti qvatuor millium Joachimicorum Sigiſmundo Auguſto olim à Johanne Svetiæ Rege mutuò datam, nec minus dotem & hæreditaria paterna ac materna bona & qvæcunqve alia ſibi à Regno Poloniæ & Lithuania, etiam ratione Ducatus Barrenſis ac Roſanenſis in regno Neapolitano deberi putabat, Regno Poloniæ donet ac remittat. Qvinqve munita caſtella in limite regni, ex arbitrio Ordinum, ſuis expenſis extruat. Nullos peregrinos homines, exceptis paucis cubiculo ejus ſervitutis, in regnum adducat, eosq; , ſtipendiis de ſuo perſolutis, prima occaſione iterum regno dimittat. Qvum Svetiæ imperium capeſſet, nullos regni Sveciæ Senatores conſiliis aut negotiis regni Poloniæ admoveat. Nullos corporis cuſtodes eorumqve præfectos niſi Polonos & Lithuanos adſciſcat. In nullos extraneos prædia, dignitates aut officia ulla, ſed Polonos & Lithuanos, ſecundum Regni leges conferat. Stipendia militibus in Livonia & in arce Kaminiſenſi & Podolia, ſub Rege Stephano debita, & alios ad defenſionem finium regni, donec Cracoviam accedat, factos ſumtus ex fide ſolvi in coronatione curet. Fœdus inter diſſidentes de religione, non ſolùm ut Henrici & Stephani tempore factum eſt, ſervet, ſed etiam exſecutionem adverſus violatores, ex formula præſcripti modi exerceat. Jura, immunitates & leges regni & ſigillatim ad ea capita, ad qvæ inauguratione ſua ſe Rex Henricus obligarat, jurejurando ſe obſtringat, & cætera, qvæ ad conſervandum & amplificandum Regni ſtatum faciunt, eiq; in coronatione proponenda ſunt, confirmet & tueatur. De capite, qvod ad Livoniam Poloniæ adjungendam attinebat, qvum legati mandata ſe habere negarent, Anna Poloniæ Regina matertera Sigiſmundi hîc omnibus ſuis bonis pignori datis fidem pro eo interpoſuit, (præſertim ſi Rex Johannes eam Livoniæ partem, qvam poſſideret, cedere nollet) ſcripto obligationis inſtrumento petentibus Regni proceribus tradito; ut nihilominus, qvod maximè optabat, electio Sigiſmundi procederet. Johannes accepto de filii electione nuntio, qvum diviſa Polonorum ſtudia, & graves aliqvot imperii leges Sigiſmundo dictas intentius conſideraſſet, haud parum animi pendebat, exitum rei mente præcipiens, nec tam filii ad regnum Polonicum evehendi honore gaviſus fuit, qvam illius, qvem unicum & chariſſimum habebat, ſaluti timebat. qvem ſi à ſe dimitteret, verebatur, ne eum diſſidiis procerum Poloniæ & ancipitibus belli eventibus ad incertum regnū capeſſendum objectaret, qvum certum pacatumqve jam ſpe ſucceſſionis proximâ teneret. Inprimis animum mordebat inverecunda Polonorum petitio de eâ Livoniæ parte, qvam XL. ferme milliarium longitudine à Narvæ fluminis oſtio, per Tolsburgum, Weſenbergam, Revaliam, Padiſam, Wittenſteinium & Habſalam ad vicinas Parnoviæ oras ſe porrigentem poſſidebat,

debat, eis cedenda. Reputabat enim indigniſſimum & iniqviſſimũ, ſi, qvum unicũ filium deſiderantibus Polonis Regem daret, & ingens æs creditum unà cum dote conjugis regno Poloniæ remitteret & condonaret; Livoniæ etiã, tantis à ſe curis, laboribus ac impenſis & tot hominum cruore partæ, jacturam facere deberet. Unde non parum offenſus erat, qvod legati ultra mandati fines, pro eo fidem ſuam obſtrinxiſſent, qvod ipſi & Regno Sveciæ ferendum non eſſett Idcircò hac ſe conditione, ut proprium regni membrum amitteret, filium in regnum alienum miſſurum, conſtanter negabat. Nec minus Sigiſmundus ſe regno Polonico carere malle profitebatur, qvàm ut ex avito & hæreditario regno partem vel exiguam decerpi pateretur. Ex itinere legati Holmiam redeuntes, ſpem in occulto patri ac filio fecere, fore ut conditio de Livoniæ parte vel Eſthonia cedendâ à Polonis remitteretur: qvũ illi non ſimpliciter ſe obligaſſent, ſed facto pacto, ſi Eſthonia à Johanne non impetraretur, ut Regina Poloniæ Anna pro ea omnium bonorum vadimonium conſtitueret. ne tamen prorſus negaretur, ipſos tam obſtinatè repugnare noluiſſe: qvum intellexiſſent, id magnum ad electionem Regis momentum fore, nec aliter ad regnum admiſſum iri. Tandem paternum Regis affectum & ſollicitudinem omnium Senatorum (exceptis Nicolao Gyldenſtiern in Fuglewyk, Regni tunc Cancellario, & Claudio Flemming in Smidie, Regni tunc Archithalaſſo) conſilia & conſenſus, Filii dignitatis ac potentiæ per illam regni Polonici acceſſionem amplificatio, valida & firma, ut ſperabant, utriusqve regni adverſus communes hoſtes ſocietas & conjunctio, vicerunt, ut filium cum XXIV. navium armata claſſe Gedanum, Erico Sparre conſiliorum moderatore & aliis procerum ei adjunctis, ſed inconſultis Svediæ Ordinibus & ipſo Carolo Principe, ut eſt in Exegeſi Hiſtorica Svetica, non abſqve lacrymis dimitteret. Inita tamen prius erant inter Patrem & Filium certa pacta de modis accipiendi regnum Polonicum, inprimis diplomate Patri Calmariæ de non alienanda à regno Sveciæ Eſthoniâ dato, addita qvoqve hac lege, ne ante navi exſcenderet, ſed potius converſis velis in patriam rediret, niſi caput de Livonia in jurejurando ipſi præſtando præteriri, aut proteſtando jus in eam Svediæ reſervari, proceres Poloniæ permitterent. Sigiſmundi claſſis ad oſtium Viſtulæ XIII. Kal. Octob. feliciter appellebatur. Ille per totum octiduum in navi permanſit, donec in Olivenſi cœnobio jusjurandum regium præſtaret; præmiſſa tamen ſolenni declaratione de Eſthoniâ, qvam Svedi optimo titulo poſſiderent, regno Poloniæ non cedendâ. Poſtridie navi ad Metlaviæ pontem delatus, ſub veſperam Dantiſcum ingreditur, & biduo poſt,

pacta conventa cum legatis Sveticis in comitiis Varſavienſibus facta, & ſacramentum præſtitum, annexâ denuò de Livoniæ parte conteſtatione, ſolenniter confirmat. Sed ad diem VIII. Decemb. iterum Ordines regni Polonici de Eſthonia gravem contentionem moverunt, qvæ pridie inaugurationis demum ad finem deducta eſt. Sigiſmundus flagitabat, ne experent à ſe, qvæ in ejus poteſtate non eſſent; nec bonâ conſcientiâ præſtari poſſent, qvi Patri & Ordinibus Sveciæ, ſe Eſthoniam à regno nullo modo alienaturum, ſolenni cautione promiſiſſet. Contra Mareſcallus regni Polonici Opalimius, magnum coronationi obſtaculum hoc ipſo injectum iri reſpondet. Si enim Ordines regni rogentur, velintne jubeantqve Sigiſmundum coronari, ipſos qvæſituros, an omnibus pactis conventis ab eo ſatisfactum ſit? At Sigiſmundi nomine reſponſum eſt à Sveticis proceribus: *Ordines Poloniæ non juſtam qvaſi de neglectis pactis conventis querendi cauſam habituros: qvum à legatis Regis Sueticæ non ſimpliciter Eſthoniæ ceſſio promiſſa ſit, ſed adjecta conditione, ſi Eſthonia non impetraretur, ut Regina Poloniæ hypotheca loco pro ea omnia ſua bona regno obligaret. Hanc obligationem confirmare Sigiſmundum nunqvam detrectaſſe.* Poſtridie Zamoſcius Cancellarius nomine Ordinum Poloniæ multò ſeverius ac vehementius cauſam egit, *ex dignitate Sigiſmundi aut integritate gentis Sveciæ non fore* contendens, *ſi pacta conventa violentur, qvæ tam ſanctè à Legatis inita eſſent. Divinam inde vindictam Sigiſmundo metuendam eſſe, ut jam ſilentio præteriret, qvi ſermones & judicia hominum, præcipuè adverſariorum ejus, futura eſſent, ſi velut in limine impingere, & circa ipſum regni primordium pacta eum non ſervare acciperent, maximè de Livonia, in qvam ſolis Polonis, non Svedis jus eſſet. Romanos qvidem eâ fuiſſe aſtutiâ, ut ſi qvam nationem circumvenire vellent, per legatos eam primùm fallerent; qvos deinceps adverſariis, de injuria expoſtulantibus, ut in ſpeciem ſatisfacerent, dedebant. Hoc tamen Chriſtianos non decere, neqve ſibi perſvadere, Regem Sveciæ velle ſuos Legatos poteſtati Polonorum tradere. Proinde æqvum eſſe, ut Sigiſmundus conventis ſtet conditionibus, & Eſthoniam Polonis cedat.* Sigiſmundus manſvetè reſpondit: *Se nihil contra fidem, aut doloſè, ſed omnia ſincerè, ut par erat, egiſſe. Qvippe anteqvam patriâ egrederetur, primùm Calmariæ, deinde in portu Dantiſcano, mox Olivæ ante præſtitum ſacramentum, & tandem Gedani ante inaugurationem mentem ſuam expreſsè aperuiße: nimirum qvod in manu ſua non haberet & qvod jurejurando Svedis dato facere prohiberetur, præſtare nec velle nec poſſe. Simile reſponſum aliqvoties non ſolùm verbis Cracoviæ geminaſſe, ſed etiam ſcripto præſenti Epiſcopo Camenecenſi & reliqvis delegatis confirmaſſe. Idcircò ſe in hoc negotio DEI vindictam, ut ſibi benè conſcium, non pertimeſce-*

timeſcere. Ut dedat legatos, nihil cauſæ eſſe: qvum illi non indefinitè Eſthoniam, ſed ſub conditione, ut ante memoratum, Polonis polliciti ſint: qvæ ſi non impleretur, obligari ſe ad confirmandum vadimonium. De jure Polonorum in Eſthoniam ipſos jam non diſputatum venire. hoc tamen ſibi conſtare, qvicqvid juris ſibi Poloni in eam provinciam vindicatum irent, hoc ex ſola magiſtri ordinis ceſſione profectum eſſe. eam verò nullo jure, nullaqve ratione, invito Feudi domino, Imperatore Romano fieri potuiſſe, à qvo conſenſus præbiti teſtimonium Poloni nullum proferre poſſent. Svedos autem Caroli V. Ferdinandi I. & Maximiliani II. Cæſarum literis ad Guſtavum I. Ericum XIV. & Johannem III. Sveciæ Reges, diverſis temporibus, datis, patrocinium ejus provinciæ ipſis commendatum eſſe, probare poſſe. Poſtqvam verò in freqventi Senatu Polonico, de ante dicto vadimonio, conditioni de Eſthonia adjecto, curioſè diſceptatum erat, an disjunctivè, ut loqvuntur, an verò copulatè accipiendum eſſet; item de legatis Sveciæ dedendis hinc inde verba commutata erant, ultimùm Cancellarius, ad Sigiſmundum converſo vultu, dixit: *Qvia perſpicerent Ordines, ipſum pactis aſſentiri nolle, non oportere ipſis vitio dari, ſi obſeqvium ei renuncient, & de alterius electione cogitent.* Ad ea confeſtim Rex: *qvum intelligeret, Ordines Poloniæ ab iniqva poſtulatione decedere nolle, neqve oblatæ vadimonii confirmationi adqvieſcere, ſe hæc omnia Deo ac tempori commiſſurum, & qvod ante ſcripto conteſtatus ſit, hoc ſe denuo repetere: Malle ſe potius hoc regnum relinqvere, qvàm aliqvid contra conſcientiam & jurisjurandi fidem facere.* Poloni nihilominus urgebant, ut re ſtudioſius perpensâ, moderatius illis reſponſum daret. At Sigiſmundus, Mareſcallo regni ad ſe vocato, *aliud reſponſum à ſe expectandum non eſſe* dixit, & cum dicto, Senatu exceſſit. Altero die Mareſcallus regni & Caſtellanus Podlaſciæ, qvi eum ex Svecia comitatus erat, denuo ei prius poſtulatum, ſed irrito conatu, perſvadere nituntur. Qvum verò Mareſcallus: *apud exteros ipſi dedecori fore,* reponeret, *ſi re infecta in Sveciam rediret; Imò,* inqvit Sigiſmundus: *Maximo mihi decori erit, ubi coram mundo palam fiet, me pluris conſcientiam meam, qvàm ampliſſimum regnum feciſſe.* Tandem Poloni animadvertentes, Sigiſmundum à ſententia ſua dimoveri non poſſe, de alia rei dirimendæ via cogitationem ſuſcepére, ut nimirum res integra uſqve ad tempus ſucceſſionis Sigiſmundi in regnum Svetiæ ejusqve poſſeſſionis differretur, idq; literis confirmationis pactorum infererent. Hæc ad diem XVI. Decembr. demum tranſigebantur. Licet iis Sigiſmundus tacitè aſſentiri videretur, tamen poſtea patentibus literis Erico Sparre traditis ſignificavit: *Etiamſi in ultimo negotio* 1588
inter ipſum & Poloniæ Ordines deciſo inter alia contineatur, cauſam de Livonia,

qvam Poloni maximè urſerint, dilatum iri, donec ipſe ad poſſeſſionem regni paterni veniat; non tamen eo animo factum eſſe, ut ullo modo ſpem, utcunqve poſtulaverint, de dicta Livoniæ cauſa, magis illis facere, aut jure ſuo decedere velit, qvàm hactenus fecit, multò minus de eâ impetrandâ, velut ejus conteſtationes, acta & declaratio ab ipſo ſubſcripta & Polonis tradita, diſertè oſtendant. Se etiamnum conteſtari & promittere hoc ipſo, in eadem ſententia perſtiturum. Atqve ſi fortè inpoſterum per legatos aut literas aliud ab Ordinibus regni Svetiæ, ad Polonorum ſollicitationem, cupere velit (qvod tamen in animo non habeat) hanc ejus ſententiam non fore. Se etiam his fidem dare, ſe nolle illud ſeriò poſtulare vel urgere, vel per ſe vel alios. Si verò uſu veniat, ut tale qvid exigere velit à fidelibus ſuis viris & ſibi ſubditis qvi arcibus & provinciis Livoniæ præpoſiti ſunt, ipſos nullo ei obſeqvio in hoc obſtrictos fore. Illud ſe integrè ſervaturum, Regia fide & veritate promittere, nec qvidqvam hac in re, contra regni Svetiæ Ordinum ſcientiam & conſenſum ulterius, qvàm dictum eſt, acturum, ſed ad obligatum pignus & vadimonium provocaturum, nec in ea re qvid immutaturum, ſed ratum & firmum habiturum, veluti pacta ab ipſo dictis modis cognita & confirmata velint. Cracoviæ a. d. 26. Januarii. MDLXXXVIII. Hac obligatione data, nihilominus aliorum pravis conſultis Sigiſmundum perſvaſum, poſtea ſibi regnoqve Poloniæ Livoniam vendicaſſe, qverebantur Carolus Princeps & Ordines Regni Sveciæ Johannes Rex edictum de adverſantium Liturgiæ, ut proditorum, perjurorum, & turbatorum pacis publicæ pœnâ capitis & publicationis bonorum promulgavit, nec ullos tales ferendos in toto regno, excepto Ducatu Caroli.
1589 Upſaliam indictis comitiis, & Regni Ordinibus collectis, Johannes ad bellum contra Moſchos redintegrandum à civibus copias & tributa poſtulavit. Cum cives ſublevationem earum à Rege ſupplices peterent, prætexentes victus & commerciorum defectum, Rex eis reſpondit monuitqve, imò juſſit modum ſuperfluorum ſumtuum, in veſtibus præſertim uxorum ſuarum, Nobilium conjugibus cedere nolentium, & in conviviis facere: ita victus qværendi modos & rei domeſticæ & oneribus publicis ferendis ſuffecturos. Æſtate proxima ipſe expeditionem adverſus Ruſſos ſuſcepit, & præter hanc, ad colloqvium cum filio Sigiſmundo habendum in Livoniam trajecit. Exeunte menſe Auguſto Sigiſmundus ad eum Revaliam acceſſit, ubi ferè per menſem de communi regnorum ſtatu & bello contra Ruſſum, junctis viribus gerendo, conſultarunt. Qvidam Polonicorum ſcriptorum perhibent, Johannem filium ſuum Sigiſmundum, ut Polonis imperaret, ægrè dimiſſum, ſecum in Sveciam abducere paraſſe; ſed obſtitiſſe Baranovium R. Polonici Procancellarium. Seqventi anno

Sigiſ-

Sigiſmundus ab omnibus regni Svetiæ Ordinibus in hæreditario ſuc- 1590
ceſſionis regni Svetici jure confirmatus eſt. Non ſemel hoc tempore perpetuæ pacis tractatio cum Ruſſo, per Comitem Axelium Leyonhufuud, Claudium Bielke, & Chriſtiernum Gabrielis Oxenſtierna legatos, ſed incaſſum, tentata eſt: qvum Ruſſus ante novennium ſibi à Svedis erepta repeteret, & Svedi jure belli adqviſita cedere nollent. His accedebat nova Svedorum offenſio, propter devaſtatam Wardhuſianam regionem, & occupatas à Ruſſis contra pactum, nihil ipſos hoſtile tempore induciarum molituros, Jammam & Jammogorodiam. Qvum Ruſſus id diffiteri, conſcientiâ convictus, neqviret, argento redimere à Rege occupata tentavit. qvod ſi ille recuſaret, ferrum ei & arma minatus eſt. Sveonum autem duces, qvum Moſchum Narvæ cum CM. bellatorum exercitu imminere comperiſſent, ne ab hoſte tam potenti iſto loco obſeſſi circumvenirentur, indidem milites ſuos Weſenbergam deducunt: qvos Tartari à Ruſſo inſeqvi juſſi, ad Purtium fl. decem à Narva milliaribus Johannem Maydel & Ottonem Wrangel, Livonos Nobiles cum rhedis & ſarcinis aliqvot intercipiunt, & ad ſuos reverſi, Alentakiam diripiunt. Adulta hyeme in Finnoniam omni præſidio tunc deſtitutam improvisò cum ingentibus ſuis copiis, de qvibus paulò ante, irruptionem faciunt Ruſſi, omnia circumqvaqve depopulaturi. Verùm ſexcenti ſolùm ruſtici Finnonici, è Jeskis & Europe effuſi, ſoleis ligneis nivem tranſcurrentes, tam numeroſum exercitum hoſtilem, in denſa nive hærentem, telis ſuis disjeciſſe & in Ruſſiam turpi fugâ repuliſſe feruntur. Poſtea redeuntes hoſtes Narvam obſidione circumdant, & muro ingentibus tormentis impetito, non exiguam ejus partem dejiciunt. Unde obſeſſos ad deditionem hortantur, anteqvam gravius qvid in eos conſulant. Sed oppidanis & præfectis deditionem obſtinatè abnuentibus, oppugnationem oppidi denuò aggrediuntur. Dimidia pars præſidii Svetici iſtic impoſiti (altera parte jam ab hoſte cæſa) Ruſſos acerrimo impetu & vociferatione irruentes & jam muros occupantes fortiter propellens, in ipſo certamine glandibus plumbeis venenatis lethaliter vulnerata, honorificè occubuit. Nihilominus tamen divina ope, hoſtibus vallo expulſis, urbs ſervata eſt. Cæterum biduo poſt iterum oppugnationis periculo facto, Svedi viribus hoſte longe minores, & nihil auxilii alieno anni tempore à ſuo Rege ſperantes, de pace cum hoſte, datis utrinqve obſidibus & Ivangoroda ſeu Narva Ruſſica & Coporia Ruſſo reſtitutis, egerunt, induciis usqve ad Nonas Januarias, inſcio Rege, protractis: ut interim de perpetua pace agere-

 tur:

tur: qvam Ruſſi magis verbis crepabant, qvàm reapſe volebant: ut Sveticos milites turbarent. Ruſſiæ Czar ovans ſuo more urbem ingreditur. Rhedâ, in qva caminus erat, & qvæ non ab eqvis, ſed hominibus trahebatur, vectus, non amplius una nocte ibi commoratus, in Ruſſiam abducto exercitu, receſſit. Johannes acceptam tot amiſſorum locorum per indigna pacta jacturam, ac tumultum militum ægerrimè tulit, & Carolum Henrici ducem exercitus domum, cum aliis qvibusdam procerum, (de qvibus inf. ad annum M DXC VIII.) in qvos culpam conferebat, in carcerem conjecit, illo etiam capitis damnato; licet ad deprecationem Principum Caroli & Sigismundi ei pœnam capitis remitteret. Carolo fratri, jam peculiari tranſactione reconciliato, ſumma belli credita eſt à Rege: qvod per eum amiſſa recuperatum iri ſperabat. Fruſtra tamen Narvæ expu-
1591. gnatione tentata, milites in hyberna diſtributi ſunt. Qvum Rex auxilia à Polonis adverſus Moſchos expeteret, ab illis haud magna exſpectare poterat: qvod pacem cum Moſchis feciſſent; operam potius daturi: qva ratione pacem Regi etiam cum illis reconciliarent. Comes Petrus Brahe, R. Drotſetus, qvum eſſet LXXI. annorum, piè deceſſit, Regi patriæqve fi-
1592. dus, & moderationis laude clarus. Rex bello Moſchovitico neceſſaria parans, vetuit evehi frumentum; & ſupra fas augeri mercium, & minui pecuniæ pretium. Mox adverſa valetudine corripitur, & conſpectis circa ſolem varii coloris circulis conſternatus, Deiqve miſericordiam veneratus, eos in ſacra æde urbis depingi curat. Teſtamentum meditatus eſſe dicitur, ſed qvum nonnullis procerum adverſum eſſet, impeditum fuiſſe. Illis indignatus eſt Carolus Princeps, præſertim qvi interfuerant extremis Johannis Regis, qvod ipſi Telgis, Holmiâ qvatuor ſolùm milliaria diſtantibus, tunc moranti, de fine Regis propinqvante nihil ſignificaſſent, ante qvem de dicto teſtamento ſubſcribendo, regniqve ſtatu colloqvi voluiſſet. Rex verò lento morbo corripitur: qvem ex vini cujusdam ſibi dono miſſi potione contractum eſſe nonnulli ſuſpicabantur. Certè morbus hemiplexiæ non abſimilis fuit: qvum leni qvadam paralyſi alterum Regis brachium infeſtaretur, VII. Kal. Decemb. obiit, qvum nondum annum qvinqvageſimum ſextum exceſſiſſet. Mors ejus ad biduum occultata eſt. Princeps imperio inclutus, erga ſubditos & qvoscunqve alios indigenas vel advenas comis, aures etiam humillimo cuiqve faciles præbebat, & jus omnibus ex æqvo dicebat. Vitiis magis qvam perſonis iratus, ſanabiles in gratiam recipiebat. Seipſum non nimis ſapientem judicabat, aliorum etiam conſilia audiebat, ſed ſaniora. Ultimò tamen vitæ ſuæ tempore ad præci-

præcipitem iram & ſuſpiciones tractus, odio & offenſa qvosdam ex Senatu regni proſeqvutus eſt: qvos in comitiis coram Ordinibus regni inſimulabat, *qvod auctores ſibi & Sigiſmundo capeſſendi regni Polon. non ſolùm fuiſſent: ſed etiam Unionem R. hæreditariam abrogare, & Ariſtocraticum imperium introducere conati eſſent; qvod diſſidium inter ipſum & Carolum concitaſſent, aliaq́, contra Regem & patriam moliti eſſent*. Illi qvidem ſe apologiâ purgatum ibant, dignitate tamen moti ſunt, etiamſi de gratia Regis, Sigismundo qvoqve parario, poſtea confirmarentur. Aula Johannis magnifico & regio erat ſplendore, nulla tamen faſtus aut intemperantiæ Regis notâ inſignis. In vultu ejus & verbis humanitas decorâ gravitate mixta, in factis dignitas & majeſtas relucebat: qvæ cunctis venerationi, bonis etiam amori erat. Literis, lingvisqve, præter Germanicam, Polonicam, Gallicam, Italicam, etiam Latinis excultus, iisdem, qvoties uſus erat, legatis expromptum dare reſponſum poterat: qvum inſigni facundia polleret. Optima ſtudia & eorum cultores regio favore complectebatur. Academiam Upſaliâ Holmiam transferri juſſam, largis ſumtibus fovit, poſtea Upſaliam, ut in commodiorem locum, iterum migrantem liberaliter habuit. Arces Holmenſem, Upſalienſem & Holmiæ templa S. Jacobi, S. Claræ & Mariæ Magdalenæ vel amplificavit, vel fundavit vel de integro exſtruxit. Bello foris adverſus hoſtes, inprimis Moſchos, plerumqve ſecundo florens, magnam ſibi famam & exiſtimationem apud ſuos atqve exteros, amicitiamqve potentiſſimorum Principum conciliavit. Svetiam, Finnoniam & Livoniam contra Polonos & Ruſſos, inprimis Eſthoniam & in ea Revaliam ſæpe ingentibus copiis & immenſis ſumtibus tam fideliter tutatus eſt, ut ſi, poſt Deum, qvem protectorem ſuum etiam in monetâ publicâ profitebatur, absqve illo & Svedis fuiſſet, in hoſtium poteſtatem dudum veniſſet. Ut verbo dicam, Rex omni laude dignus. cum hac tamen exceptione. qvod Sigismundum liberaliter qvidem & regiis artibus inſtitutum, ſed à conjuge Catharina blanditiis muliebribus illectus, in Pontificia religione contra paterni Teſtamenti voluntatem educari permiſit. qvod ad eandem in Regnum patrium invehendam crebris Pontificiorum præcipuè Jeſuitarum admonitionibus & flagitationibus ſubinde inſtigatus, hactenus eis in tantũ auſcultavit, ut nihil qvidem in religionis Evangelicæ fundamentis immutaret, Liturgiam tamen, qvæ ad Pontificiam religionẽ primã aperiret portã, ut Eccleſiæ Sveticæ doctores judicabant, civibus contra veritatem & libertatẽ Chriſtianam obtrudere conaretur. qvamvis ille negaret, ſe in gratiã Papæ eam acceptaſſe, ſed ad excitandam Sacramento cœnæ Dominicæ debitã reverentiam, &

pieta-

pietatem auditorum, & ad augendum ſacri miniſterii honorem introducere voluiſſe. Sed hunc colorem detegebant & diluebant peculiari apologia & aliqvot libellis orthodoxi in regno Theologi: qvæ Baazius in Inventario Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſatis collegit, qvò lectores remitto. Sanè velut veræ religionis & patriæ amantes judicabant, ſi Rex Johannes ceremonias Eccleſiæ inuſitatas,&, ut appellabant, Miſſas iſtas Liturgicas miſſas feciſſet, minus invidiæ & plus exiſtimationis ipſe, minus offenſionis ac turbarum & plus qvietis Eccleſia habuiſſet. Cuſtodiâ, cui eum Ericus frater incluſerat, ſolutus & Vadſtenis verſatus, in ſermone familiari cum amicis, audiente Svenone Elai, tunc Regio Secretario, & in acta diurna, qvæ manuſcripta poſſideo, referente, dixit, *Se aliqvando à fratre Erico Pontificium appellatum fuiſſe.* Et ſimul juravit, *ſe ſemper ab omni hæreſi alienum fuiſſe & in poſterum fore. qvodſi vel ipſe, vel filius ejus Sigiſmundus animo inclinaturus eſſet in Romano-Catholicam religionem, caput ſuum & filii ita devovit, ut Deus, qvi omnia providet & regna in ſua manu habet, faceret, ne unqvam vel ille, vel filius ad regnum Svetiæ perveniret.* Sed ab illâ conſtantia poſtea non parum dimovebatur. Tandem, qvum Rex Johannes ſatis comperiſſet, ſe ad dictam Liturgiam accipiendam populum invitum adigere, & conſcientiis jugum imponere non poſſe, etiam meliora monitus à Regina Gunila, uxore ſecunda, qvæ in Evangelii doctrina rectè educata erat, inceptum deſeruit, & receptam ſacrorum formam Eccleſias retinere conceſſit, negans *ſe dominum & Regem conſcientiarum eſſe.* Atqve ita obeunte mortem Rege, iſta Liturgia hic in regno qvoqve exſpiravit. Profeſſores etiam aliqvot Upſalienſes, inprimis M. Nicolaus Bothnienſis, Petrus Kenicius, & Schinnerus; & nonnulli Sacerdotes, ante biennium, qvod Liturgiæ nomina ſua ſubſcribere nollent, carceri incluſi, nunc Reginâ illis patrocinante, dimiſſi ſunt. Interea verò, dum Sigiſmundus ex Polonia ad hæreditarium regnum capeſſendum adveniret, Carolus Sudermanniæ Dux, velut Princeps regni hæreditarius, unà cum Regni Senatu ſummæ rerum præfuit. Ad præfectos verò Eſthoniæ & Finnoniæ literæ à Principe datæ ſunt, qvibus monebantur vigilare, caſtella & propugnacula vitæ neceſſariis juſtisqve præſidiis inſtruere ac munire: pecuniâ pro viribus regni ad eos miſsâ & mitibus verbis exercitum in fide officioqve tenere: ne Ruſſus, tunc regni Svetiæ hoſtis, animo ex morte Regis aucto, Polonusqve ex occaſione adverſus Svecos, fortè imparatos, qvid molirentur.

SIGIS-

SIGISMUNDUS.

Rex Poloniæ, magnitudinem ſuam ſtabiliturus, dum Poloniæ regno patrium Svetiæ & hæreditarium addit, eam mox ita concuti expertus eſt, ut intra paucos annos regno Svetiæ ipſe excuteretur, & diuturnis bellis utrumq; involveretur: de qvibus ſuo loco & ordine. Accepta de patris ſui morbo fama ac nuncio, per literas Sigismundus à Carolo Principe, patruo ſuo deſiderarat, ut, ſi qvid humanitus accideret parenti Johanni, regnum Svetiæ usq; ad adventum ſuum adminiſtraret. qvod Carolus in ſe recepit. Poſt obitum patris Sigismundus admonitus prius per Sveticos Legatos jurisjurandi & confirmationis de jure ſucceſſionis ſuæ, inde proficiſcendi in Svetiam facultate à Senatu regni Polonici accepta: *Si ſuſcepto regno hæreditario & ordinatis in Svetia rebus, in Poloniam redire, & reliqvum vitæ tempus iſtic exigere vellet*, uti ipſis ſcripta obligatione caverat, in Svetiam abit. Varſaviæ navim cum 1593
Regina & ſorore Anna conſcendens, ſecundo amne devectus, magno Polonorum & Huſſarorum comitatu ſtipatus, ad Boruſſiæ urbes Mariæburgum, Toronam & Elbingam in itinere divertens, Gedanum IV. Non. Sextil. acceſſit. Ibi menſtruo exacto ſpatio, ad Viſtulæ oſtium deſcendit; unde ſecundo vento ſolvit. Sed mox reflante vento, diu mari jactatus, obviam ei miſſis Erico Sparre & Claudio Bielke regni Senatoribus, ad deducendum eum in Svetiam, Stockholmiam pridie Kalendas Octobres advenit. Ad fauces Sveciæ maritimas à primariis regni Senatoribus, ad pontem arcis Holmenſis ab ipſo Carolo Principe honorificè & multâ cum gratulatione exceptus eſt. Qvamvis autem ex inſtituto & conſvetudine regni Svetiæ Sigismundo incumberet, ut ante Coronationem ſcriptâ obligatione caveret Ordinibus regni de religionis libertate, & qvidē invariatæ, qvam vocant, Auguſtanæ Confeſſionis, qvæ hoc anno in Synodo Upſalienſi ſolenniter ab Ordinibus regni Svetiæ accepta & confirmata erat, de Guſtavi I. Teſtamento & Ordinum regni privilegiis tuendis aliisqve, qvæ ſecundum leges publicas præſtanda erant, idqve Carolus Princeps per Thuronem Bielke, ad Regem antea in Poloniam miſſum expetiviſſet, tamen hoc in adventum ſuum in Svetiam protraxit. Qvum hîc coram iterum à Carolo & Ordinibus regni ea de re monitus eſſet, tamen usqve ad ultimum inaugurationis ſuæ tempus rejecit. Coronationi Upſaliæ inſtituendæ, feriam Epiphaniorum Rex dixerat, ſed ea per ſex hebdomadas dierum à Sigismundo dilata eſt, prætexente, qvædam ab ipſo Carolum de libera in Ducatu ſuo jurisdictione deſideraſſe, qvæ qvum Regiæ eminentiæ & auctoritati regniq; juri ac conſtitutionibus repugnare viderentur, longiori deliberatione opus habuiſſe. Ordines Regni hactenus inani exſpectatione

ſe deluſos eſſe ſibi perſvadentes, per Sivardum Ribbing & Axelium Kurk ad Principem Carolum miſſos, eum rogant, interponere ſuam auctoritatem, qva permoveret Regem ad ſatisfaciendum Ordinibus. Nec Princeps eorum de-
1594 ſiderio defuit. Verùm, ut annales Svetici referunt, mora facta eſt ob incidentem diſceptationem de perſona, qvæ ſolennes Coronationis ritus perageret, & de jurisjurandi à Rege præſtandi capitibus. Franciſcus de Mala Spina, Urbini Epiſcopus, Pontificius orator, verè mala ſpina non tam in oculis qvam animis Svedorum, qvi cum Jeſuitis aliqvot in comitatu Sigismundi fuerat, ritus ſacros in Regis inauguratione adminiſtrare, etiam Rege non nolente, ſtudebat, & in urbibus ac templis regni, inprimis Stocholmiæ, religioni Pontificiæ, ex Regis ſententiâ, locum dari; Concilii verò Upſalienſis de Auguſtana Confeſſione ſuſceptâ decretum, absqve Regis Sigismundi conſenſu factum, reſcindi, etiam cum nonnullis Svecis, qvi ad religionem Pontificiam defecerant, ſatagebat: qvod ſi obtineret, majorem Pontificiæ religionis in Svediam introducendæ ſpem conceperat. Senatus autem & Ordines regni præter pacta inter Patrem & ipſum, urgebant morem majorum ac regni legem, qva ſolus Upſalienſis præſul Regi coronam imponere jubetur. Regem etiam jurare oportere de Evangelicâ Auguſtanæ Confeſſionis religione ſolâ in regno ſervandâ & tuendâ contendebatur. Et ſi verò Rex Ordinibus R. ſcripto caverat, ſe nullum religionis cauſa coacturum, ſed omnes in ſua religione defenſurum, tamen hæc ambigua verba, qvæ prioribus addiderat: *Se nullum religionis ſuæ cauſa vel odio vel amori habiturum*, ſuſpenſos Ordinum animos & perplexos fecerant: qvi iſtæc ita interpretabantur: Se neminem odio habiturum, qvi cum illo in Pontificia religione idem ſentiret, nec amaturum illos, qvi vel Evangelicam doctrinam amplecterentur, vel Catholico-Romanam religionem ſibi obtrudi nollent. Unde, ut medio, ambiguo & ſuſpecto ſermoni occurrerent, in ſolam Auguſtanam Confeſſionem Regem jurare urgebant. Qvamvis autem Sigismundus hîc tergiverſaretur; ægrè ferens, qvod à ſe ante coronationem exigerentur, qvæ majores ejus in ipſa coronatione demum præſtitiſſent, tamen Ordines in ſua ſententia perſeverarunt. qvod intelligens, eorum poſtulatis promiſit ſe ſatisfacturum. Piaſecius, Polonicus Hiſtoricus, Pontificiæ religioni addictus, hac de re ſuum apponens judicium, ita ſcribit: *Cautius egiſſet Sigismundus, ſi plura ad tempus diſſimulaſſet, qvæ celerius propalata nullo fructu, animos illorum populorum irritarant. Sed & Jeſuwitarum vehementiore & intempeſtiva pro religione Catholica contentione Svecos provocatos, tanto magis ſuſpecta Regis conſilia habuiſſe.* Cæterum Ordines regni Svetiæ, ſi fortè Sigismundus ad

tempus animum preſſiſſet, tamen parum ipſi fidei in hoc habuiſſent: qvum ſatis ſcirent, qvid de Evangelica religione ſentiret, qvi in Pontificiâ inſtitutus erat. E re tamen eatenus erat regni Svetici, qvod Sigismundus & qvi cum illo erant, amici ejus, animum ſuum erga noſtram religionem ſtatim ab initio detegebant: ut in tempore Svedi ſibi ab illis cavere, & ingruenti malo obviam ire poſſent. Qvum verò Sigismundum anxium tenuiſſet inprimis caput de juranda ac tuenda Auguſtana Confeſſione, à qva abhorrebat, Mala Spina & alii contendebant, eum non ut privatum aut alium electum Principem in concepta jurisjurandi verba adigendum eſſe: ne hoc modo vis imperii ejus ac poteſtatis publicæ infringeretur, aut jus ſucceſſionis labefactaretur: ipſi ut hæreditario Principi absqve jurisjurandi aut ſcriptæ obligationis fide deferendum eſſe paternum regnum. Sed qvum Ordines regni hoc adverſari legibus regni, tabulis Teſtamenti Guſtaviani, pactisqve hæreditariis, contra demonſtraſſent: Legatus Pontificius Sigismundum, hujus rei ſecurum, liberè præſtare jusjurandum, adhortatus eſt: *Etenim ad illud hæreticis ſervandum non obligatum eſſe. præſertim, ſi, qvod ex auctoritate Pontificis poſſet & vellet,* eum ab iſtius jurisjurandi vinculo ſolveret. Qvin ſi voluiſſet eum à jurisjurandi religione, qvaſi hæreticis, ut ſibi perſvaſum habebat, non ſervandâ, exſolvere; tamen huic rei jam ita præcautum & occurſum erat in Conſtitutione Calmariæ inter Johannem III. Regem Parentem, & Sigismundum ejus Filium factâ, qvæ exſtat in Exegeſi Svetica, hoc modo conceptis & expreſſis verbis determinata: *Si Pontificis indulgentia aut diſpenſatione ſe velit à pactis initis liberare, qvod à bonâ ejus indole non ſperetur, Svetiæ populum omni modo ſolutum etiam iri jurejurando fidelitatis ipſi facto.* Hanc conſtitutionem Johannes III. & Sigismundus ipſe ſubſcribendo confirmarunt. unde etiam hæc verba, *ne ullum abſolutionis beneficium Regem à jurejurando liberaret*, Regis Sigismundi jurijurando inſerta fuiſſe, nonnulli ſcripſére. Sanè ſi non ipſa verba, tamen mens eorum in jurejurando illius, & præcipuè in ſcripta obligatione continebantur, velut infra patebit. Poſtea Legatus Pontificius & Jeſuitæ hoc conſilium ſuggeſſerunt Regi, *ut promitteret Ordinibus regni, ſe omnes conditiones ab ipſo ante coronationem præſtandas impleturum, ſi unà cum Auguſtana Confeſſione etiam admittere in regnum velint Pontificiæ religionis exercitium, qvum prius eam ſatis edocti eſſent. Non enim tàm amaram aut viroſam eſſe, qvàm ſibi vulgò perſvaderent.* Cæterum conteſtatione ab Ordinibus regni Svetiæ facta, & ſvaſu procerum regni Polonici accedente, tandem poſtulatis Senatus & Ordinum ad-

qvieſcens, illis ſcripta obligatione & diplomate ante coronationem dato cavit hoc modo : *Qvum clementisſima Dei omnipotentis providentia & hæreditario ſucceſſionis jure, communi omnium regni Svetiæ Ordinum conſenſu & voluntate fideqve data, ad Coronam & imperium regni Svetiæ pervenerit, ſe viciſſim ſibi ſubjectis & civibus omnibus gratiam & benevolentiam Regiam ſpondere & promittere. Primum, qvod omnes ſuperioris & inferioris ordinis, Eccleſiaſticos & Politicos, nobiles & non nobiles, in ſua religione tueri & conſervare velit, ita ut eâ liberè & absqve ullo impedimento fruantur, ſecundum tenorem & præſcriptum veræ Auguſtanæ Confesſionis Anno MD XXX. Carolo V. in Comitiis Auguſtæ exhibitæ, & poſtremis avi ſui beatæ recordationis Guſtavi, & primis Gubernationis Johannis III. parentis annis in Svedia receptæ, & nuper anno MD XCIII. in Martio menſe ab omnibus regni Ordinibus approbatæ & confirmatæ. Nec commiſſurum aut permiſſurum, ut contra eam in ullis hujus regni locis, ſcholis aut eccleſiis amicè aut per vim aliqvid admittatur vel intrudatur, aut obſtaculum vel fraus huic ullo modo fiat : nec ſe in ſacris aut civilibus officiis hujus regni ullis hominibus uſurum, qvi communi huic regno religioni modò memoratæ non ſint addicti. Alioqvi ſi qvietè & pacatè vivant, Svetiæ jure, privilegiis & libertate, cum aliis regno Svetiæ ſubditis, pro cujusq; ſtatus & ordinis conditione frui licere. Deinde qvod velit amare dilectam ſuam patriam, Svetiæ regnum & incolarum ejus fidelium ſalutem & commoda fideliter procurare : omne jus & juſtitiam corroborare, & omnia regni membra tàm ſuperioris quàm inferioris loci, tàm ſacri qvàm politici ordinis, nobiles & non nobiles, pauperes & divites in debito honore & reſpectu habere, eorumq; jura & commoda legitimè fovere. qvod velit jus Sveticum in omnibus articulis & capitibus ſanoqve intellectu conſervare, exceptâ regni ſucceſſione hæreditaria, qvæ unanimi conſilio liberaqve voluntate accepta eſt. Item omnia privilegia & immunitates confirmare, qvas ab anteceſſoribus Regibus habuerunt & uſi ſunt, ut Regiæ ejus literæ, qvas peracta inauguratione regia ſingulis daturus ſit, prolixius continebunt. In ſumma, ſe juſtum Svediæ Regem fore, & omni ratione tuiturum leges Sveticas tàm ſuperioris qvàm humilioris loci hominibus, tàm egenis qvàm divitibus, tàm alienis qvàm amicis ; omne injuſtum prohibiturum & ſublaturum. Poſtremo: ſe omnes Regni ſui Ordines, eccleſiaſticos & politicos, nobiles & non nobiles, egenos & divites, cum omnibus ſuis qvæ ad eos jure pertinent, in Regiam ſuam tutelam & patrocinium recipere. Viciſſim omnes regni Ordines præſentes & abſentes, pro ſe & ſua poſteritate promiſiſſe ipſi ſive in regno ſive extra regnum verſanti & ejus poſteris maribus ſubjectionem, fidem & obedientiam, ut eorum jusjurandum & reciproca, literis conſignata, obligatio teſtantur. Majoris ſecuritatis cauſa, ut ante dicto Regi ſubditi his*

omnibus

omnibus ſatis confidere queant per Chriſtianam ſuam fidem, Regiam exiſtimationem & veritatem promittit, ſe omnes & ſingulos dictos articulos integrè ſervaturum. In majorem rei fidem hæc propria manu ſubſcribit, Regiumq; ſuum ſigillum imprimi curat. Datum in arce Regia Upſaliæ a.d.19. Februarii M D XCIV. In ipſo Coronationis actu, ante tradita Regi inſignia Regni, jusjurandum omnibus Regni ordinibus ſolenniter, præeunte Erico Sparre R. Procancellario præſtitit his conceptis verbis: *Se in Regno ſuo hæreditario Svetiæ omnibus Regni Ordinibus & incolis, ſummis & infimis, eccleſiaſticis & politicis veram religionem ejusq; libertatem ſervaturum, ut ſcripta ejus obligatio clarius indicat. Juſtitiam & veritatem ſe culturum ac defenſurum, injuſtitiam ac mendacium jure & potentiâ Regiâ compreſſurum. Se fidum fore omni populo, ita ut nullius divitis aut egeni corpus aut membra lædat, niſi juſtè, ſecundum ſcriptas Regni leges convictus ſit. Neque ulli bona ſua aut immobilia eripi aut alienari paſſurum; niſi ex lege & legitima ſententia. Regnum ſe cum Principe Carolo & Regni Svetici Senatu, per indigenas Svedos, non exteros, adminiſtraturum. Neminem extraneum in Senatum Svetiæ adſciturum, neq; regni arces, provincias aut Upſaliæ patrimoniũ ac poſſesſiones ab exteris adminiſtrari permiſſurum, & tam antiqva Coronæ bona, ut nemo meminerit aut ſciat, qvomodo primò ſub coronam venerint. Arces & provincias ſe cum annuis reditibus ac cenſu ſervaturum, ac limites regni pro viribus defenſurum, ita ut nihil eorum, qvæ Svetiæ Corona nunc posſidet, imminuatur pro ejus poſteris qvocunqve modo; niſi cum omnium Svetiæ ordinum conſenſu fiat; alias integrum fore ſucceſſori ea juſtè recuperare, ſi posſit. Se aulam ſuam ſuſtentaturum Upſaliæ bonis & Coronæ annuis ac legitimis reditibus, nec ulla nova onera aut tributa provinciis ſuis impoſiturum, niſi necesſitate in caſibus expreſſis urgente: Si nimirum exercitus extraneorum, paganorum aut Chriſtianorum provincias regni populentur, aut indigenæ ſeditionem excitent in regno: Si filius aut filia Regia matrimonium contrahat: aut ad iter Erici vel circuitionem Regni ſolennem, aut ad arces Coronæ vel Upſaliæ poſſesſiones reficiendas qvidqvam neceſſariò requiratur. Tunc Judices provinciales ſinguli in ſuis territoriis cum ſex Nobilibus & ſex ex plebe perpendent, qvantum contributionis populus tolerabiliter præſtare posſit, nec ſupra id ſe ullum ullo modo coacturum. Principibus, Comitibus, Baronibus, Eqvitibus, Nobilibus, Epiſcopis & Prælatis, & omni Regni populo, Eccleſiaſticis & politicis, & omnibus eorum familiis & bonis, omnes antiqvas immunitates & privilegia ab ejus deceſſoribus ipſis tradita & obſignata ſe conſervaturum, & Svediæ leges, qvas libera voluntate receperunt, firmaturum & defenſurum; ita ut iniqvum æqvo ac juſto non anteponatur. Inprimis ut nullum jus extraneum, ad gravandum populum, Regno inferatur, nec novum jus populo,*

niſi cum unanimi omnium conſenſu imponatur. Pacem & ſecuritatem omni populo procuraturum. Præcipuè qvietos & tranqvillos, qvi pacificè & ſecundum leges vivent, adverſus inqvietos & perverſos ſive indigenas, ſive extraneos defenſurum. Pacem Eccleſiaſticam, forenſem, conjugalem & domeſticam tutaturum, & omnem diſcordiam ac turbas pro virili ſuppreſſurum & prohibiturum. Populi qverelas ipſum auditurum, & ſecundum leges omneqve verum cogniturum, qvoties ita neceſſe erit & deſiderabitur. Hoc jusjurandum promittit ſe ſervaturum omni populo ſuo, juvenibus & ſenibus, natis & naſcituris, charis & non charis, abſentibus & præſentibus, nec ullo modo violaturum ſed potius omni bono aucturum, & inprimis Regia ſua benevolentia & amore, addita jurisjurandi clauſula: Ita Deus meo corpori & animæ propitius ſit, ut hæc omnia ex fide ſervo. Dux etiam Carolus atqve Ordines R. obligatione & jurejurando Regi fidem ſuam obſtrinxere. Poſt inaugurationem ſolenniter peractam, ſeqventes dies feſtis epulis, ludis & decurſionibus eqveſtribus dati ſunt. In qvibus Polonus qvidam armatus ferociter ante oculos & ora hominum obeqvitans, ad conto decertandum non unum provocaſſe fertur. Sveci, ut faſtum hominis magis retunderent, non virum, ſed fœminam, virilis tamen animi, cum iſto Polono commiſiſſe feruntur. Illa virilem etiam in modum & habitum armata, non ſolùm viro concurrere auſa eſt, ſed etiam adverſò conto, cum ſpectantium irriſu, fortiter illum eqvo excuſſit. Mox caſſide detracta & explicatis comis ſe fœminam victricem oſtendit. Polonus ignominiam ſui, non tam qvod dejectus, qvam qvod à muliere ſuperatus eſſet, unicè æſtimavit & ad animum revocavit. Sub ſpecie verò ludicrorum partim à Polonis, partim Italis larvatis & gladio armatis inſidias vitæ Caroli ſtructas, ſed per Hieronymum Strozzam, qvoqve Italum, detectas, Carolum declinaſſe ferunt. Deinde funus Johannis III. Regis ſolenni ritu elatum, & in templo Upſaliæ conditum eſt. Poſt hæc Comitia Holmiæ inſtitui cœperunt, in qvibus de regni per Regis abſentiam adminiſtratione conſultaretur. Ejus autem ratio ante abitum Regis ab ipſo concepta erat in hanc ſententiam: *Ut Carolus Princeps & Senatus regni Sveciæ, ſalvo Regi & legitimis maſculis ejus hæredibus ſucceſſionis jure, abſente Rege, vicariam regni gubernandi poteſtatem haberent; ut nihil majorum regni negotiorum, pactorum, fœderum, pacis aut belli ſciſcerent, nec comitia, novas leges, nova mandata aut conſtitutiones promulgarent, nec onera publica ſubditis imponerent, invito & inconſulto Rege. Beneficia regni aut feuda non concederent, augerentve alicui ſupra modum à Rege aut jure conſtitutum. Nemini qvidqvam eriperent, niſi ex juſta cauſa, nec ab officio præſertim majori qvemqvam removerent, niſi prævia legitima ſententia regiaqve voluntate; nec vacuis* digni-

dignitatibus alios ſufficerent, niſi conſulto prius Rege. Licitum fore, ubi neceſſe fuerit, provocare ad Regem. Ut tamen cauſæ intra regnum à judicibus ad id conſtitutis legitimè dijudicentur, ſalvis Regi juſti patrocinii & Regiæ gratiæ literis. Ut curent præcipuos Regni miniſtros preſsè ſeqvi Regis inſtructionem vel mandatum; claſſis, navalia, & armamentarium regni ex inventarii tenore ſarta tecta ſerventur; & ærarii monetæq́; ſtatus in ſuo vigore ac liqvidis rationibus perſiſtant. Nemo ſe rebus ad ſe non pertinentibus aut alienis immiſceat, ſed ſua qvisqve agat, boni ordinis & concordiæ cauſa; & qvæ alia ad regni ſtatum pertinere videbantur, ab ipſo ordinata ſunt. Poſt XVI. dies qvum jam Sigismundus in Poloniam iturus, itineri maritimo accinctus eſſet, ex portu Elffsnabbenſi gubernationis formam ad Carolum Principem de Regis regniq́ve commodis unà cum regni Senatu procurandis, & incommodis avertendis, ac regno ſecundum legum regni formam adminiſtrando aliisq́ve ante commemoratis miſit. Qvam qvum Carolus inſpexiſſet & perpendiſſet, mentem de ea ſuam ad Sigiſmundum perſcripſit; nimirum *qvod abſolutam adminiſtrandi regnum poteſtatem deſideraret, aut talem, qvalem Rex ipſe, ſi præſens eſſet, è re regni exercere poſſet. qvod ſi Rex nollet, ſe nec vicariam regni adminiſtrationem ſuſcepturum.* Ad hoc qvum exſpectaretur Sigiſmundi reſponſum, ille in Poloniam abiit, & poſtea inde reſcripſit, *ſe priorem ſententiam & mandatum Carolo ſemel datum non mutaturum.* At Carolus hoc & ſeqventi anno ad Sigiſmundum iterum ſcripſit ſedulòq́ve deſideravit regimen ita inſtitui; *ut Regi totiqve regno ſaluti eſſet: qvod ſi præter opinionem non fieret, ſe cogi Regni Ordinibus id ſignificare.* Sed ad iſtæc à Sigiſmundo tunc nihil reſponſum eſt. In Polonia rebus inter Svedos & Ruſſos ad compoſitionem vergentibus, licet eſſent, qvi ſvaderent Regi, ut pacem cum Moſcho, propitiâ adhuc fortunâ, non iniret: uti Svedi, occupati externo bello, non occuparent Regem, aut ab eo per turbas inteſtinas fortè ſejuncti negotium ei faceſſerent; tamen Rex publicæ ſecuritatis & tranqvillitatis majorem rationem ducens, pacem bello prætulit, & per Legatos ſuos Teuſinæ prope Novogardiam, poſt diuturnum & grave bellum, pacem perpetuam (qvidam XX. annorum inducias ponunt) à non invitis Ruſſis, qvibus aucta novo regno Sigiſmundi potentia, formidini erat, obtinuit his conditionibus: *ut Kexholmiâ reſtitutâ, Ruſſis Narvæ & Revaliæ libera eſſent commercia.* Iſta pax anno ſubſeqventi 1595
à Svedis & Ruſſis, utrinqve confirmata, commerciorum libertatem Arctois populis, civitatibus Anſeaticis & accolis maris Balthici, poſt tot annorum bella reſtituens, non exiguæ eis lætitiæ fuit: præſertim qvod in aliis Europæoris omnia fermè bellis infeſta erant. Qvum verò per properum Regis

diſceſ-

diſceſſum ſtatus imperii nondum ita, uti par erat, ordinatus à Sigiſmundo eſſet, & ille in arce ac urbe Stocholmenſi, ædibus ab Andrea Kettio cive Holmenſi ad plateam longam orientalem ſitis, in uſum templi, qvod Papiſticum dicitur, emtis, Drotningholmiæ & Vadſtenis Jeſuitas reliqviſſet, qvi docendo ſimplices, & paſſim vagando ſtatũ Eccleſiæ turbarent: ut hinc metuendo civili tumultui & aliis inſanabilibus incomodis in tempore obviam iretur, Carolus Princeps cum Senatu Regni de modo adminiſtrationis regni abſente Rege, corã & per literas conſultavit & convenit. Poſtea fruſtra prohibente Rege, Sudercopiam extra ordinẽ indixit comitia, omnibus Regni Ordinibus ad ea convocatis. Illis verò Finnoniæ Nobilium nullus, præter Carolum Horn de Kankas, & nonnulli Eccleſiaſticorum ac plebis interfuerunt. In hoc conventu deliberatum & decretum eſt: *Salvis eminentia & Majeſtate Regis Sigiſmundi, & jurejurando ſubjectionis ac fidelitatis Regi præſtito, de omnibus conventibus publicis ac privatis Pontificiorum, qvum qvietè ſe non contineant, ſed Remp. & religionem noſtram turbent, in Svetia prohibendis, & regno inter ſex dierum hebdomadas excludendis. Si verò tranqville abſqve inſidiis, & juniorum ac ſeniorum corruptione vivant, ſecundum obligationem ſcriptam Regis tolerandos eſſe. Item de abuſibus monaſterii Vadſtenenſis abrogandis.* Qvum Carolus Princeps ob nonnullas difficultates, niſi illis medicina fieret, gubernationi regni Svetici prorſus renunciare in animo haberet, Ordines Regni promiſſo earum remedio, rogarunt ac perſvaſerunt Carolo, ut tanqvam Princeps regni hæreditarius, & cujus interſit rempub. ſalvam eſſe, & cujus adminiſtrationis poteſtatem ipſe Sigiſmundus per ſuam abſentiam commiſiſſet, eam, ſalvo jure regni & Regis, adhibitis in conſilium regni Senatoribus, continuare vellet: qvo animo, illum titulo Adminiſtratoris & Gubernatoris regni in dictis comitiis ornarunt, eiqve debitum obſeqvium ac fidem promiſerunt. Præterqvam qvod etiam conſultatum eſſet de modo æris alieni Johannis III. & ſtipendii reſidui militibus debiti ſolvendi, & dotis Annæ Virgini Principi præſtandæ; de negotiis regni & actionibus forenſibus ita ſancitum eſt, *ut ſecundum leges Sveticas & Mandati Anno MDXCIII. Upſaliæ publicati & à Sigiſmundo confirmati tenorem, hîc intra regnum coram Adminiſtratore & Senatoribus Regni decidantur, nec in Poloniam ad Regem, aliis ſatis occupatum, deferantur. Si verò qvis ſe judicum ſententia gravatum putet, appellatio qvidem illi ad Regis in Svetiam reditum permittatur. Præcipuorum Regni munerum aliqvo vacante, præmiſſis legitimis ſuffragiis, & tribus dignis ac bene meritis in electione poſitis, ex illis unum à Rege confirmandum, ſi forte nimia confirmationis mora interveniat, ne publicæ rei ſit detrimento,*

Guber-

Gubernator & Senatus Regni eligendi facultatem habeant. Ad Regni ſtatum pertinentia & regio nomine hic in regno curanda, & mandata Regia ante alios ad Gubernatorem & Senatum regni mittenda eſſe. Si ſecus fiat, nemini cuicunq; poteſtatem fore hæc peragendi aut exſeqvendi, priusqvam de iis conſuluerit Gubernatorem & Senatum regni: qvi conſtituturi ſunt, qvod Regi & Regno ex fide jurata utiliſſimum fuerit. Ad hæc decreta, in obligatione ſcripta Sigismundi fundata, Carolus Princeps & Senatus Regni ex uſu Regis & publicæ rei bona fide ſervanda, ſe invicem manu & ſigillis obſtrinxerunt. Reliqvos verò ex perfidia aut contumacia abſentes, aut contra hæc Decreta absqve ratione verbis aut factis venientes, aut ab illis ex privato ſtudio deficientes, aut per vim apertè aut clam qvid molientes, pro ſeparatis à regno membris, ſeditioſis & infidis hominibus habendos, & juſtè perſeqvendos eſſe. Datum Sudercopiæ die XXII. Octobr. A. MDXCV. Carolus ratus Nobiles Finnones potius per occupationes, qvàm contumaciam abſuiſſe, ablegavit in Finnoniam Carolum Henrici Horn, Svenonem Magni & Ericum Ribbing, cum mandatis, ut Finnones ſe conjungerent reliqvis Regni Ordinibus, & actis comitiorum nomina ſua ſubſcriberent. Illi purgant ſe, qvantum poſſunt, de comitiis, rogantq; Principem, prius Regis Sigiſmundi de ea re ſententiam cum ipſis præſtolari; prout Regis conſenſus aut diſſenſus eſſet, ita eos futuros. At Claudius Flemming contra dicta comitia prolixo ſcripto proteſtatus eſt. Qvum Decreta Sudercopienſia Regiam dignitatem & auctoritatem labefactare & jura Majeſtatis convellere Regi & Polonis viderentur, Rex ea ſibi non placere ſignificavit, eóq; abrogari per Legatos ſuos Holmiam miſſos, voluit. Legati Regis, Co- 1596
mes Ericus, Arvidus Guſtavi ejus avunculus, Staniſlaus Dzianinski, Staniſlaus Czykouski & Nicolaus Sapieha, Holmiæ auditi, *ab utriusqve Regni Svetici & Polonici antiqvo fœdere & affinitate recentiq; conjunctione ordiebantur: qvæ inſtar membrorum Sigismundus, tanqvam caput, uno nodo conſtrinxerit. Proinde Polonos amicitiæ ſuæ duxiſſe, eos ſuorum errorum fraternè commonefacere. Errorum autem & inde perturbationum in Repub. fontem eſſe, qvum neglecto ac præterito legitimo Rege, alieno vocatu ad conſilia publica aut comitia convenitur; uti Sudercopiæ ſuperiore anno factum fuerit, Rege non tantum non aſſentiente ſed etiam vetante. In iis leges novas latas, contributiones nummorum & aliarum rerum Regis ſubditis imperatas, miniſtros regios loco motos, formam adminiſtrandi regni mutatam, Regia mandata reſciſſa, monetam Principis Caroli nomine percuſſam, appellationes ad Regem inhibitas, & exiſtimationem ac majeſtatem Regiam multis modis violatam eſſe. Iſtæc in tempore emendari deſiderabant Oratores: ne turbis & diſtractionibus animorum, qvales in Gallia*

& Belgio noſtra ætate exortæ fuiſſent, anſam ex eadem occaſione præberent. Niſi verò Decretum Sudercopienſe reſcinderent, Regisqve deſiderio ſe accommodarent Carolus & Ordines Svetiæ, Rempub. Polonicam eos pro iisdem habituros, pro qvibus illàs Sigiſmundus haberet, nimirum pro hoſtibus publicis, non obſcurè ſignificabant. Ad ea Carolus Princeps ſuo & Ordinum Regni Svetiæ nomine editâ Apologiâ vel defenſione pro decretis Sudercopienſibus in hanc mentem reſpondit: *Utriusqve Regni conjunctionis mentionem & ſimilitudinem à capite & membris ſumtam, rei accommodam qvidem; Svecis tamen, Regum ſuorum ſemper amantisſimis, inculcari non neceſſe fuiſſe. Illuſtrius enim ejus teſtimonium dari non poſſe, qvàm qvod regni antiqvisſimi liberisq; ſuffragiis deferri ſveti, ſucceſsionem ſemper maſculæ Regum familiæ reſervarint. Fateri ſe, regnum à Rege, ut corpus à capite, gubernari: eâ tamen lege, ne membrorum, qvæ obſeqvi neceſſe habent, officia confundantur, nec præter jus & æqvum qvidqvam admittatur; ratioq; habeatur, ſi Rex, qvi rerum ſummæ præeſt, in regno vel extra regnum ſit. De conventu Sudercopienſi qvod expoſtulent, mirari ſe, Polonos tam ab officio ſuo & mutua erga ſocios amicitia alienâ cenſurâ uti, maleq; de rebus Sveticis edoctos, in alienam ſegetem falcem mittere. Carolum qvidem & Ordines Regni (ex vulgata juris regula, Actore non probante, reum abſolvi) ſui accuſationem ſilentio præterire poſſe; qvum nudam duntaxat accuſationem Rex & Legati proponant, nulla ſubjecta ratione, qvâ ea nitatur & probetur. Sed ut Caroli & Ordinum innocentia magis innoteſcat, oſtenſuros, iſtum conventum non illegitimum, nec contra morem Regni Svetiæ & aliarum gentium inſtitutum fuiſſe. Nihil etiam in eo contra ſuam fidem & obedientiam Regi debitam, nihil contra dignitatem Regiam aut jura regni ſtatutum aut decretum eſſe. Qvod ad conventum attineat à Carolo indictum, Regi abſenti per Paulum Arziosk um ſignificatum fuiſſe: Regi qvidem ſoli convocandorum Ordinum jus eſſe, ſed ſi in regno ſit. Non ſemel in Svetia, præſertim imperantibus Erico XIII. & Johanne II. Ordines Regni conveniſſe & egiſſe de ſtatu pub. conſervando, de literis ad Regem mittendis, qvibus officii ſui monerentur. Non ſemel etiam in Germania & Polonia, abſentibus Regibus, Ordines convocatos fuiſſe. qvod illis liceat, qvum nulla lege interdictum ſit: præſertim ſi Rex & regnum non oppugneatur, ſed propugnentur. In pſo autem conventu Sudercopi non eſſe novas leges, ut ajunt, latas, ſed veteres, præſertim contra qvas factum ſit, ſtabilitas & exſecutioni datas eſſe. In eodem religionis concordiam, juris & juſtitiæ adminiſtrationem confirmatas, confuſiones in Remp. invectas ſublatas, jusjurandi & cautionẽ Regis pactaq; hæreditaria conſervata eſſe. Statim enim circa initium dicti Decreti fieri promisſionẽ & confirmationẽ fidelitatis ſubditorum Regi juratæ pacẽ religionis, qva regni ſtat tranqvillitas, ſtabiliri, omnes qvi ſuperſtitiones exoticas huc intrudere & in vulgus ſpargere conantur, exigente Regio jurejurando &*

obli

obligatione, repelli: his modis Regiam dignitatem & jura non tantùm non imminui ſed magis conſervari. Nec minus æris alieni à patre Johanne relicti, & ſtipendii qvod militibus regnũ debebat, perſolvendi rationẽ per tributa qvædã ſubditis imperata initam eſſe: niſi enim Regis regniq; fides liberetur, utriusq; exiſtimationem labare. Actum etiam in eo de dote ſororis Regis Principi Virgini Annæ ex lege aſſignanda, qvod absq; extraordinaria contributione fieri neqveat. Miniſtros qvosdam Regios loco qvidem motos eſſe, ſed ex auctoritate jurisjurandi Regii, qvod etiã abſente Rege exſecutioni mandari poſſit. In forma adminiſtrationis publicæ qvædam ex neceſſitate temporum per abſentiam Regis aliter conſtituenda fuiſſe; ſecundum tamen legum & jurisjurandi Regii mentem: cui Ordines, ad evitandum in religione disſidium, innitantur: qvod, qvum Regi jus ſucceſſionis cederet, ortum nondum fuerit. Huic autem rei neceſſe fuiſſe accedere Senatus auctoritatem: cujus etiam ſit providere, ne regnũ qvid detrimenti patiatur; cum absq; Senatus regni conſilio per regni leges Regi non liceat qvidqvam in gravioribus publicæ rei negotiis decernere. Regia diplomata, juſſa & literas nõ reſciſſas fuiſſe, qvæ verè regiæ fuerint. Licuiſſe Ordinibus ſemper illas Regias literas, qvæ legibus Regio ſacramento firmatis adverſarentur, non reſcindere qvidem; ſed, ut Regis dextræ & ſigillo ſervetur honor, protollere; non qvod plus ſibi, qvam Regi tribuant, ſed qvod Regum in Svedia poteſtas legibus determinata ſit, in eaq; Regibus liceant honeſta, & qvæ jure poſſunt. In regno Franciæ hæreditario ſæpe nimias Regum largitiones ab Ordinibus, illæſa majeſtate, revocari. In Svetia fas eſſe plebejo cuiq; ſe & ſua etiam contra Regem & Proceres præſidio juris tueri, & ſi qvid à Rege ad falſo narrata reſponſum ſit, incolumi majeſtate, reſcindi. Qvod ſi privato liceat, qva ratione Principi & Senatui regni à Rege abſente ſit obtrudendum? qvod vel ipſi damnoſum ſit, vel jure poſſit everti. Jus cudendi monetam plurimis Principibus & Civitatibus ſalvo Majeſtatis jure, conceſſum eſſe: qvidni etiam Carolo nunc liceat uſurpare, qvod ipſi antea à fratre Rege Johanne permiſſum erat? Appellationes nunqvam ad Regem inhibitas, ſed reſervatas fuiſſe, ut in foro competente, nimirum in Svetia diſceptarentur cauſæ, non verò in alienum à Svetia regnum & in Poloniam devolverentur. In Neapolitano regno, in Sicilia & Luſitania non ad Caſtiliæ regnum provocari, ſed à Proregibus & magiſtratibus iſtic auctoritate regia conſtitutis lites dirimi. Num Svedi vi & bello ſubacti ſint à Polonis, ut ab his ſibi jus dici, petere cogantur? Cum qvanta præterea itineris & impenſarum magnitudine, incommodo & moleſtia conjunctum iri, ſi à Svedis in Poloniam provocandum ſit. qvi juſtam cauſam foveat, facilè eà cadere poſſe, qvum in tam remoto loco teſtes producere & alia qvæ ad legitimã probationẽ & cauſæ cognitionẽ pertinent, iſtic habere neqveat. Vel peſſimos qvandoq; homines & rerum regni imperitos

ab optimo Rege, in fraudem ejus & regni, per obreptionem elicere mandata & literas, ad privatos homines datas, qvorum in exſeqvendo nulla ſit aut debeat eſſe facultas. Ex omnium gentium more decuiſſe Regem ſi qvid in regno exſeqvutioni demandari velit, ad regno præfectos mittere, qvibus exſeqvendi, aut ſi qvid iniqvum & peſtiferum Regno occurrat, ad Regem reſcribendi poteſtas ſit. Si verò illi malorum licentiam cohibeant, id pro majeſtatis læſione habendum non eſſe. Galliæ & Belgii exemplum Legatis reponi poſſe. Qvippe non obſeqvii detrectatione, ſed ob vim & aſtus eorum, qvi religionem Proteſtantium, ut appellant, exterminare cupiebant, bella inteſtina inter Belgas & Francos toties recruduiſſe, & tertio tanqvam medio, ad regnum, prætexto religionis titulo, invadendum viam patefactam eſſe. Flemmingium in Finnonia militem populo iſtic ſumtibus belli & annona exhauſto gravem ſcribere. qvod ſi voluntate Regis, non ſuo, ſed pravo aliorum conſilio fiat. Ordines regni obſecrare, ut arma deponi, inſontes & egenos à vi & injuria vindicari, ſangvinis effuſionem reprimi, pacem publicam conſervari, & controverſias in regno ortas ex regni legibus componi Rex jubeat. Ab irato Rege ad melius conſultũ & clementem ipſos provocare & rogare, ne ipſo Rege Sigiſmundo, Carolo vicem regiam fungente, Senatuq́ conſulente, jura regni violentur. Margaretæ Reginæ, Erici XIII. & Alberti Regum Svetiæ ſanctionibus nondum antiqvatis, jurejurandis & legibus Regni cautum eſſe, ut negotia publica, Regibus abſentibus, per indigenas Senatores & primores explicentur; & ne Regum extra regnum verſantium juſſa aliter, qvàm ſi per Senatum conſulta fuerint, exſecutioni permittantur. Easdem ſanctiones à R. Guſtavo I. atqve Erico ejus filio, in Angliam abituro, renovatas eſſe. Idem exemplo regni Hiſpaniæ probari poſſe; niſi ſatis eſſent exempla & leges patriæ: qvæ, ſi ex conſilio ſenatorum & procerum indigenarum, Regnum, etiam Rege præſente, adminiſtrari volunt; qvanto magis, ſi Rex extra regnum degat, atqve oculis & auribus alienis utatur. Præterqvam qvod obſtricti ſint jurejurando Regni Senatores ad jura regni non ſolùm per ſe integra ſervanda, ſed etiam ad Regem, ut idem præſtet, ſedulò monendum. Iſtac ad læſa majeſtatis non crimen, ſed ſuſpicionem amoliendam, & juſtè ſe defendendum, ut Rex in bonam partem interpretetur, petere, atqve ipſos Polonos obteſtari, qvi privilegiorum & libertatis patriæ aſſertæ principem ſemper laudem meruerint, ut ex animo Regis ſiniſtram hanc de Svedis opinionem evellant, eiq́ auctores ac ſvaſores ſint, ut citra belli vim hanc controverſiam ſecundum regni leges decidi patiatur. Circa idem tempus Carolo criminationes qvædam à Sigiſmundo per legatos objectæ ſunt: *qvod formam gubernationis ſibi à Rege præſcriptam immutarit, qvod feuda conceſſerit, qvum tamen id ſoli Regi in ſignum Regiæ eminentiæ & majeſtatis reſervatum ſit. qvod fidos Regis miniſtros perſecutus ſi*

& offi

& officio moverit. quod Regias inhibitionis literas aliaqve diplomata contemſerit. quod ſubditis novas exactiones, ædificiorum pub. exſtruendorum hoſpitumq́ alendorum onera impoſuerit. quod non rectè collocarit Regni proventus & reditus, ideoq́ ad reddendam rationem obligatus ſit. quod religionem mutare conatus ſit, quod occaſionem mutando Reipub. ſtatui dederit. quod à Parentis ſui virtutibus degenerarit, quibus jus ſucceſſionis partum & adqviſitum ſit. quod Regem per cauſam religionis apud ſubditos in invidiam vocarit. qvod regnum prætextu libertatis & immunitatum populi tuendarum affectarit. qvod milites qvæſtui habuerit, & eorum ſtipendia defraudarit. literas obligationis Regi datas violarit. monetam ſub propria imagine & charactere cudi fecerit: qvum tamen illud ſit Regale: & ſic contra jura majeſtatis deliqverit. Ad illas criminationes ita reſpondit Carolus; *Se nullam veram gubernationis formam vidiſſe, nedum immutaſſe. Formulæ aut ordinationi regiminis ſibi à Rege per Ericum Guſtavi transmiſſæ tanqvam imperfectæ, non conſenſiſſe: non enim eam poteſtatem & auctoritatem ipſi conceſſiſſe, qvam benè conſtitutum imperium reqvirat. Ideoq́ in animo habuiſſe non ulterius regni adminiſtrationi ſe immiſcere, niſi regni Sveciæ Senatus & Ordines rogaſſent, ipſum reſpicere magis patriæ bonum, qvam mandatæ poteſtatis aliqvod vitium. Dictam regiminis Formam ſibi ipſi adverſâ fronte pugnare, qvum Principi injungat, ut Regis regniq́ commodis conſulat; & tamen ei Comitiorum indictio interdicatur, ſine qvibus utilitas publica rectè procurari neqveat. Imò iſtam gubernationis formam Regis jurijurando & regni legibus ac exemtionibus repugnare: qvum abſq́ Principis & Senatus conſilio conſenſuqve (qvæ tamen in regni cura ſe adhibiturum Rex jurarit) exterorum qvorundam ſtudio compilata ſit. Qvamvis autem Legati regerant, Principem Carolum Regiæ gubernationis rationi, etiam imperfectæ, obſeqvium debuiſſe: qvum Rex prima occaſione in Sveciam redire & imperii modum rectius ordinare conſtituerit; tamen publica & neceſſaria regni negotia moram illam non tuliſſe, etiamſi ſpes reditus Regis certa eſſet; de qvo tamen dubitandi cauſa fuerit. Qvin Regem certam & perpetuam imperii formam præfinire non poſſe, & qvomodo de omnibus regni negotiis in ejus abſentia ſit decernendum; propter incidentem fortè mutationem conditionis regni & variorum caſuum emergentium rationem. Feuda ſe conceſſiſſe negat, qvalia jus noſtrum exprimit: qvum illuſtribus & nobilibus perſonis qvasdam poſſeſſiones & prædia non jure fiduciario conceſſerit; ſed partim meritorum & officiorum regno præſtitorum, partim oppignerationis pro ære alieno, qvod Rex & regnum ipſis debebat cauſa adſignarit, & qvidem ad ratihabitionem ac placitum Regis. qvum non alia via exſolvendi debitum & curſum uſurarum ſiſtendi daretur. Fideles Regis miniſtros ſe non munere amoviſſe, ſed qvosdam rerum guber-*

 naculis,

naculis, inconſulto Principe & Senatu, admotos, qvosdam rerum imperitos, imò infames fuiſſe, indignos qvi aliis præeſſent: qvum ſibiipſi non moderari, nec honeſtè in publico ferri poſſent, qvosdam Pontificio fermento infectos fuiſſe, qvibus ipſa regia & jurata cautio aditum ad dignitates præcluſerit. Literas inhibitionis Regis aut diplomata ſe nunqvam contemtui habuiſſe, ſed debito honore excepiſſe, ſi legibus & jurijurando Regis congruæ eſſent, nec legitimam cauſarum cognitionem in communi fama laborantes & graviſſimorum criminum vel jam manifeſtos, vel adhuc jure poſtulandos, decretoq; Sudercopienſi ſe opponentes, impedirent: qvum tales inhibitionis aut protectionis literæ jure nullæ ſint, qvæ contra leges regni & jurejurandum Regis eant: qvo ſe regni jura conſervaturum fidem dedit. Novas exactiones ſubditis non impoſuiſſe, niſi pro cujusqve facultatibus & qvas ipſi communi conſenſu approbarint, de debitis regni perſolvendis, & de dote Regum filiabus ex lege regni attribuenda. Alias impenſas & opera ſe non imperaſſe, qvàm qvæ ad arces & prædia publica navesqve reficiendas faciant: ad qvæ præſtanda ſubditi ex lege regni & conſtitutione Regia obſtricti ſint. De oneribus, hoſpitum alendorum cauſa, ſubditorum cuiqvam contra fas impoſitis, neminem vel contra ſe vel miniſtros ſuos ullam conqverendi cauſam habiturum. Ex regni reditibus ſe ne teruncium qvidem in ſuum uſum convertiſſe, ſed qvicqvid acceperit, ad Reipub. æris alieni ſolutionem, & alios neceſſarios regni uſus impendiſſe; qvod ſupererat juſtè conſervaſſe, imò reditus regni ex fodinis metallicis auxiſſe; de qvibus ii, qvi tabulas expenſarum publicarum conſcribunt & adſervant, rationem reddere poſſint. Regem potius meminiſſe oportere, qvomodo regni fructus per ejus conceſſionem & largitiones imminuti ſint. In religione ſe nihil innovaſſe aut attentaſſe, ſed qvæ regni proceres, Senatores, Epiſcopi & Ordines in Concilio Upſalienſi de Auguſtanæ Confeſſionis pura religione, nec ab eo alienâ recipiendâ comprobarint, ſe eorum arbitrio haud invitum permiſiſſe; qvum ad ſuperiorum temporum ſub Johanne III. diſſenſiones & diſſidia tollenda, & concordiam in religione, optimum animorum vinculum, in poſterum conſervandum, hominumqve commenta, ceremonias & ſuperſtitionem Pontificiam, cujus jam ſemina qvædam à Sacerdotibus qvibusdam Pontifici addictis Stocholmiæ, Drotningholmiæ & Vadſtenis ſpargi cœperint, hîc abolendas facerent. Illarum verò abrogationem non poſſe dici novationem in religione, qvum illæ vel indifferentes, vel traditiones humanæ ſint: qvas Carolus Dei beneficio à puro Dei verbo diſtingvere didicerit. In mentem ſibi non venire, qva ratione mutationi Reipub. occaſionem dederit, qvum Dei ope puram religionem, jura & bonum ordinem in regno ſervare ſtuduerit, contra qvæ non ſemel à Rege factum ſit. Ad non degenerandum à paternis vel avitis virtutibus adhortatione magis Regem, quam ſe egere: qvum non

pauca contra teſtamentum Guſtavi I. qvo tanqvam fundamento pacta hæreditaria inſiſtant, admiſerit. Probari non poſſe, qvod ſub umbrâ religionis civium animos à Rege alienarit; qvos ad fidelitatem erga ipſum excitarit, ut ex decreto Sudercopienſi conſtet. Si verò in invidiam apud ſubditos ob dictam cauſam vocetur, ſibi ipſe acceptum referre debeat: qvum ſubditorum jura negligat, nec jurejurando promiſſa per omnia ſervet. Nec ulla ratione probari poſſe, qvod regnum affectarit; cujus ſi tanto deſiderio caperetur, & illegitimè ambire vellet, ſe non inficias ire, ſæpe ſibi oblatum eſſe; atq; etiamnum offerri poſſe, ſi à pactis hæreditariis & fidelitate, qva Regi jurejurando obligatus ſit, decernere, eaq; viâ & auctoritate uti velit, qva valere poſſit. Non autē ideò dici poſſe regnum appetiviſſe, qvod moleſtiſſimum adminiſtrationis onus & titulum in ſe receperit: qvum olim multi, humiliori familia orti, minori jure, dignitate & poteſtate, qvam ipſe, prædíti, regnum Sveticum, abſente Rege, adminiſtrarint; nec propterea ipſis exprobratum fuerit, qvaſi rebus novis ſtudentes imperium affectarint: ut videre ſit ex Unione, ut vocant, tempore Margaretæ Reginæ facta, & ſub Erico XIII. renovatâ. Non eſſe qvoq; titulum regium, qvo utatur Carolus, ſed ejus qvi Regis loco præſit, & abſentis vicem gerat: qvalem titulum olim uſurparint Torchillus Canuti, Matthias Kettelmundi, Steno Sture ſenior & junior, & Svanto Nicolai, uti ex Annalibus Sveticis pateat. Regem ipſum Sigismundum eo titulo dignatum eſſe, licet à regni Ordinibus non approbato, Claudium Flemming. Nunqvam ſe ſperaſſe, Regem ipſi criminationē de illicito qvæſtu intenturum; qvum absq; illo facilè degere poſſit, nec opus habeat cum Regis & regni detrimento lucrari. qvod autem mercaturam aliqvam iſtis ſchedulis, qvæ ſubductâ ratione, in teſtimonium reſidui militibus datæ ſunt, exercuiſſe dicatur, ſe non meminiſſe. Niſi forſan in hoc reprehendatur, qvod aliqvando operâ Marci Mevii mercatoris Lubecenſis, & Regi ſubditi Petri Plagmanni ſcribæ militaris in eo uſus ſit. ubi tamen non privato ſuo compendio, ſed regni utilitate conſuluerit: pro qvo ipſi gratia, non contumelia deberetur. Et carere adhuc tàm ipſum, qvam dicti Mevii jam defuncti hæredes non exiguâ pecuniæ ſummâ, in redimendas hujusmodi eqvitum ſchedulas expenſâ & erogatâ, cum non parvo utriusq; detrimento. Probari nunqvam poſſe, qvod Carolus contra ſuas obligationis literas Sigismundo datas fecerit, qvum Regi ſe literis non obligarit, vel ſuo conſenſu eas approbarit. Etiamſi verò Rex eas poſtularit, non tamen impetraſſe. Nec Principem ſe talibus literis jure obligare potuiſſe, qvæ regni legibus adverſarentur. Et ſac cum ſe obligaſſe, tamen ſub hac conditione feciſſe, ut tali Rex ipſum poteſtate muniret, qvalem reqvirebat: qvæ qvum impleta non ſit, obligationem ceſſare. De jure cudendæ monetæ reſponſum eſt, ut ante. Qvum Carolus, tot ſuſpicionibus & odiis apud Regem gravatus, & regni Senatoribus ex parte vacillantibus, gubernationis regni oneri renunciaſſet, idqve Rex ratum habuiſſet, ſummâ

rei

rei Senatui regni in patrocinium ſuum accepto commiſsâ; poſtea tamen ad
Ordinum deſiderium, illud munus recepit,nec ingratiis qvidem; qvod ſe ut
Principem regni hæreditarium negligi,non ſolùm dedecori; ſed etiam ante-
actorum rationem ſibi ſoli & privato forſan reddendam, & male interpre-
tandam, non absqve periculo fore ſentiret. inprimis regno certo rectore de-
ſtituto, multos pro lubitu qvidvis acturos, aut regni bona involaturos, cum
non exiguo publicæ rei detrimento,exiſtimaret.Cæterum qvum non paucis
ex ordine ſacro & civili à decreto Sudercopienſi deſciſcentibus, inteſtinæ
diſſenſiones paulatim gliſcerent, per qvas una provincia inſurgere cæperat
contra aliam, è re viſum eſt publica,ut Carolus alterum conventum, qvem
concordiæ & conſtantiæ titulo inſignivit, Arbogæ a. d. V. Martii indiceret.
Ad eum omnes regni Ordines convocabantur, ut ab illis deliberaretur,
qva ratione regno impendentibus incommodis,diſſidiis civilibus & inſidiis
malevolentium, poſt Dei opem maturo conſilio occurreretur & obſtruere-
tur, atqve Sudercopienſe Decretum in omnibus ſuis capitibus ſervaretur.
Reliqvis regni Ordinibus ad dicta comitia convenientibus, Procerum, Re-
gis offenſionem metuentium, nullus præter Axelium Stenonis, Comitem de
Rasborg, adfuit. Licet autem Rex per literas enixè prohibuiſſet, ne qvis
Ordinum conventui Arbogenſi ſe ſiſteret, majeſtatem ſuam eo lædi conte-
ſtatus; Ordines tamen,id extrema neceſſitate exigente,ad declinanda immi-
nentia pericula factum excuſabant, & nihil ſe in illo conventu acturos pro-
fitebantur, qvod Chriſtianæ religioni, & ſuo erga Regem obſeqvio ac fidei
Regniqꝫ commodis adverſum eſſet,& qvod ad Decreti Sudercopienſis confir-
mationem & exſecutionem faceret. Itaq; poſt maturam conſultationem de-
cernunt, *ut una ſolùm Auguſtanæ Confeſſionis religio in Concilio Upſalienſi ante*
qvadrienniũ ſancita & Regis jurejurando confirmata ubiqꝫ in Svetia locũ habeat
nec ullius alterius religionis publicum exercitium admittatur; niſi in regio ſacello
qvum Rex intra regnum fuerit. Regi denuo fidem ſuam devinciunt. Sudercopienſi
conventus acta comprobant, & ut ſanctè ſerventur, contra qvoscunqꝫ ei adverſos ſe
omni ope conniti velle pollicentur. Legatos ad Regem decernunt petituros, ut qvam
primum in regnũ revertatur, & res turbatas præſentia ſua atqꝫ auctoritate compo-
nat, interim ipſos Carolum Adminiſtratorẽ regni agnoſcere, & nullum aliũ poſt Re-
gem, aut eo ſuperiorem aut ei poteſtate parem; ipſum rogantes, ut velut antea, ſi
in poſterum adminiſtrationis opus usqve ad Regis reditum ſuſtinere velit, fide &
obſeqvio ſubditorum ipſi promiſſis. Invitant abſentes ad ſubſcribendum & appro-
bandum intra ſex hebdomadas acta conventus Sudercopenſis & Arbogenſis. Non
aſſentientes pro turbidis & abſciſſis regni membris habitum iri, & Principi Carol

Ju

jus fore in eos animadvertendi cavendiqve, ne Regnum ab hujusmodi diſſidio qvid detrimenti patiatur. Præterqvam qvod *de motibus in Finnonia ex nimiis exactionibus, fame, rebellione & tot millium cæde ortis, in tempore compeſcendis, etiam de ſubvectionum mitigatione in dicto conventu actum eſt. Sed & Ordinum delegati in hoc ſocietatem pro univerſis faciunt, ut ſe à vi & injuria aliorum defendant, non ut in Regem conſpirare, aut in fidei ipſi debitæ fraudem, vel adverſus communem conjunctionem, qva ſibi invicem legum & juſtitiæ nexu devincti ſunt, qvidqvam facere velint.* Deinde ſolutis comitiis, accerſuntur à Carolo proceres & Senatores regni, qvi abſuerunt, ad Sudercopienſe & Arbogenſe decreta, cum reliqvis Regni Ordinibus, approbanda & tuenda. qvæ præſentes etiam decreto Holmenſi confirmarunt. Sed alii videntes, ſi Regis interdicto reluctarentur, hunc offenſuros; niſi dicta decreta approbarent & ſubſcriberent, ſe pro publicis patriæ hoſtibus à Carolo & Ordinibus regni reliqvis reputatum iri; diverſi ſe ſubducunt, pars in Poloniam, pars in Germaniam, pars in Norvegiam, Daniam aut ad regni fines, Regis adventum præſtolaturi. qvum autem apud exteros evulgaſſent, ſibi in patria per Carolum Principem tutò eſſe non licere, Carolus eos diplomate de fide publica edito huc evocavit: ut illis jure agendi, & ſibi legitimè ad eorum qverelas reſpondendi facultas eſſet. At Sigiſmundus hanc citationem, qvaſi poteſtate legitima & regia deſtitutam, publicis literis irritam pronunciavit. Interim Carolus jurejurando à Nobilibus & provincialibus exacto, regni caput Holmiam & Elfsburgenſem arcem portumqve invadit, Erico Guſtavi ei præfecto, ſubita Ducis impreſſione conſternato, & præſidiis Adminiſtratori regni arcem claudere non auſis. Ad primam denunciationem ſe dedit Calmaria, Finlandia tumultuata, ejus gubernatore Claudio Flemming vitâ functo: qvem Carolus rebellionis apud Sigiſmundum accuſarat; ſed ille culpam ejus in ipſum Carolum rejecerat, Regis Sigiſmundi patrocinio defenſus; ut & Comes Axelius, & alii qvidam, motuum inteſtinorum poſtulati. Flemmingio ſufficiebatur Arvidus Erici, ſub qvo in Caroli partes non absqve ſangvine Finnonia redacta eſt, excepta arce & urbe Aoënſi, qvas præſidiarii à Flemmingio impoſiti ſe pro Rege Sigismundo tueri clamabant. Has qvum partim expugnatione, partim deditione cepiſſet, præfecto Rowio Scoto, Carolus ad Revalienſes & nobilitatem Eſthonicam mittit, atqve Sudercopiæ & Arbogiæ decreta ſubſcribi & ſe regni Adminiſtratorem agnoſci deſiderat, niſi pro regni hoſtibus ac deſertoribus haberi velint. Sed illi, nullo reſponſo dato, literas Caroli ad Regem Sigiſmundum mittunt, qvi eos ad fidem ſibi conſtanter ſervandam hortatus

eſt. Dum autem hæc à Carolo agebantur, ad religionis cauſam, regni Regisqve commoda tuenda, donec ipſe adveniret, ſe omnia referre profitebatur. Ut autem Regis adventum ſeriò à ſe deſiderari oſtenderet, octo navium claſſem præfecto Joachimo Scheel Pomerano, perito rei maritimæ, & Subpræfecto Petro Stolp Smalando, unà cum Carolo Caroli, Gedanum ad deducendum in Sveciam Sigiſmundum emittit. qvæ tamen mox vela retrò in Sveciam dederunt, qvum Regi regni Polonici curis diſtento tunc in Sveciam ire non vacaret. Interea Sigiſmundus præmiſſis ad regni Sveciæ Ordines literis non unis expoſtulabat de Caroli violentis in Svecia actionibus (ita vocabat) & ſubditos ad juratam fidem & conſtantem erga ſe obedientiam ſervandam hortabatur. In comitiis verò Varſaviæ habitis, præter alia, de modo compeſcendi Carolum, omnia pro arbitrio ſuo, ut ajebant, adminiſtrantem agebat, & ut in Sveciam ad ſopiendum ortas turbas cum procerum venia proficiſceretur, rogabat. Poloni proceres hoc qvidem permiſere, ut tamen profectioni tantiſper mora fieret, donec Samuel Lasky, Legatus anno ſuperiore in Sveciam miſſus, in Poloniam rediret. Is in conventu Ordinum Sveciæ III. Id. Febr. auditus, gravem de Carolo expoſtulationem præter mandata regia expoſita, inſtituit: *Eum ſpretis in regni gubernatione delectorum Senatorum conſiliis & Regiis edictis, omnia pro lubidine agere. Nihil in adventum Regis in Sveciam, de qvo tamen præmonitus ſit, apparaſſe, nec legatos ad Regem, ut in comitiis ab eo Arbogæ propria auctoritate indictis decretum fuerit, nec claſſem Regi transportando in tempore obviam miſiſſe, ſed ad Calmariam primùm occupandam, inde ad Viſtulæ oſtium, explorandi adventus Regis cauſa navigare juſſiſſe. mox in Sveciam, anteqvam Rex de ejus acceſſu certi qvid acceperit eam recurriſſe. Interea rumorem diditum eſſe, qvaſi Regi ab Ordinibus Poloniæ in Sveciam redeundi facultas denegata eſſet. Qvosdam etiam de obitu Regis famam divulgaſſe, & nuncios ac literas Regias interceptas fuiſſe, ne in Sveciæ Ordinum manus venirent. Atqvi Regem vivere ac bene valere, & hac æſtate in patriam ſuam venturum, non veluti qvidam ferunt, ut armatâ manu viqve introducat Catholicam religionem, eiqve obnitentes perſeqvatur, ſed ut ex fide jurisjurandi ſui omnes ſibi ſubjectos jure tueatur, & turbata tranqvillet. Verùm ſe ex Carolo & regni Ordinibus juſſum eſſe noſcere, an, qvum Rex volet, inſtructam claſſem ex Svecia habere poſſit, & tutum ac pacificum in patriam adventum ſibi promittere debeat.* Deinde qvædam ſingularia Carolo objecta, *qvod præfectos, Senatores qvosdam & miniſtros Regios dignitate depulerit, ſuos illis ſubſtituerit; id tamen cum Sudercop. decreto, ad qvod ſubinde provocet, expreſſè pugnare. qvod Stegeburgum arcem abſente Anna Regis ſorore, violenter invaſerit, & ſcripta apud eam depoſita re*

pueri

puerit; quæ omnia, ut & Senatoribus regni arces & prædia adempta, & quosdam Senatu motos reſtitui poſtulat. inprimis Ericum Sparre, pecuniam, ſuppellectilem, literas & monumenta, quæ muneris ſui cauſa adſervarit, & Ericum Brahe ſibi ablata recuperare faciat. Cancellarium & alios quosdam ex patria ad Regem abiiſſe, crimini illis dari non poſſe: quum in his rerum procellis refugium & protectionem apud Regem quæſiverint. Idcircò citationes eorum à Carolo illorum adverſario & judice ſimul futuro, emiſſas, Regem irritas pronunciare, donec ipſe in Regnum accedat, & coram cauſas cognoſcat. Legatus verò maximè expoſtulabat *de expeditione Caroli in Finnoniam & de Aboæ arce per vim occupata. Finnones omnes captivos dimitti, & tormenta arcibus & caſtellis, unde ablata ſint, reſtitui Regio nomine cupit.* Extremùm *de comitiis injuſſu Regis indictis aut deinceps indicendis ſolenniter proteſtatur.* Ad ea Carolus reſpondet: *Multa à Regis Legato ipſi exprobrata eſſe, quæ ejus famam & exiſtimationem lædant. Sed eadem fermè cum illis eſſe, quæ ſuperiore anno ei Legati vitio dediſſent: quæ cum nullis probationum fundamentis nitantur, refutatione indigna eſſe, & ab illis ſe ſatis jam apologiâ editâ, purgaſſe. De comitiis abſente Rege, non habendis, itidem tunc prolixè reſponſum eſſe; ideò de jure ſuo, in conventibus regni, ubi neceſſitas imperaverit, indicendis, non ceſſurum.* At Legatus ad ſingula diſtinctè reſponderi urgebat. Carolus, exemplo regiarum expoſtulationum & mandatorum accepto, ad ſingula capita reſpondit in hanc ſententiam: *Senatoribus regni debitum ſemper honorem habuiſſe, nihil niſi ex eorum conſilio in publicâ adminiſtratione egiſſe; licet multi ex iis de eo ſecus meriti eſſent, diſſeminatis inter Johannem III. Regem vivum & ipſum diſſidiis, & averſo nunc à ſe Regis animo. Se nullum munere dejeciſſe, ſed quosdam ſcipſos regni negotiis ſubduxiſſe, aut nulla publici curâ tactos, regno exceſſiſſe. Se miſſurum claſſem Regi, non tamen inconſultis Ordinibus regni, ſi de tempore itineris regii & loco erudiatur. Præfectos Regios ſe non amoviſſe, ſed partim contra regium jusjurandum conſtitutos, partim Ordinum decreto amotos, partim ſponte ſua loco ceſſiſſe. Ut Annæ ex Stegeburgi arce ablata reſtituat, iniquum eſſe: nihil enim ei ſe eripuiſſe; tantùm arcam Erici Sparre repetiiſſe. De reſtitutione ejus actum iri, quando ille actionum ſuarum rationem coram Rege præſente & Ordinibus ediderit. Feuda & beneficia ſe Regiis miniſtris non ademiſſe, ſed Senatus regni de his ſententiam exſequutum eſſe. Si in judicium vocati jure ſe tueri poſſint, literis Regiæ protectionis nihil opus eſſe. Rogare Regem, intra ſex menſes diem judicii vel coram Ordinibus regni, vel arbitris à ſtudio partium alienis determinari; quo hæ controverſiæ ex lege decidantur. In Finnoniam expeditionem ſe ab omnibus Regni Ordinibus in mandatis habuiſſe, ut latrones, graſſatores & publicæ pacis violatores, ſi non aliter poſſet, ferro perſequeretur.*

 Orare

Orare etiam, ut Rex reliqvos ſeditioſos Finnones, majoris mali fugiendi cauſa, compeſcat. Machinas inde in regnum Sveciæ devexiſſe, ad majorem tumultus occaſionem in Finnonia præcavendam. Captivos ſe cum conſenſu & arbitrio Ordinum dimiſſurum, ſub cautione eorum de obedientia & qviete in poſterum præſtandis. Cæterum hoc Caroli reſponſo Legatus Regis deſiderio nondum plenè ſatisfactum eſſe, qveritur. Et qvum ad Ordinum regni conſenſum à Carolo pleraqve referri intellexiſſet, poſtridie eos de reſponſo Regi dando conſultantes hortatur, *ut decreta ſua Regis mandatis accommodare, & Carolum ad moderatiora conſilia flectere velint: ita offenſum Regis animum magis placari, & totius Svetiæ ſaluti ac qvieti conſuli poſſe.* Hoc anno Dantiſci, ex mandato Regis Sigiſmundi, Refutatio qvædam Apologiæ Caroli edita eſt, ab incerto auctore; qvi libro ſuo inſcripſit titulum *Auſa Caroli Ducis Sudermanniæ*, &c. *contra Sigiſmundum Regem Poloniæ*, &c. Sed iſtum librum reſponſo non dignatus eſt Carolus. Reverſo in Poloniam Legato, & qvid in Svecia actum eſſet, renunciante, commotis inde animis, Ordines Regis injuriam etiam ad ſe pertinere dixerunt, & facultatem ei in Sveciam proficiſcendi dederunt; ita tamen ut die Bartholomæi ſeqventis anni in Poloniam reverteretur. Suppetiæ eidem a Polonis decernebantur, & claſſis qvinqve mille militum, qvidam verò octo mille ponunt. Piaſecius numerum duorum millium non ſuperaſſe ſcribit. Qvum enim Zamoſcius Regi ſvaderet, ut cum valido exercitu in Sveciam proficiſceretur, ad reprimendam Caroli potentiam; reſpondiſſe Regem: *Se ad proprios ire cives ſibiq; ſubditos, nec milite contra eos indigere, qvos ad officium & obſeqvium ſola manſvetudine reduci poſſe ſperaret.* Claſſi præfectus erat Steno Banner, Ungaris & Polonis Venceslaus Bekes, Germanis Hildebrandus Creutzer, pedeſtri exercitui Georgius Farensbach præerat. Rex autem remiſſo in Sveciam Lasky Legato ad prætentandum Caroli animum de ſe admittendo; qvum ſine idoneo reſponſo rediiſſet, ex Viſtulæ æſtuariis, jam præcipiti æſtate, ſolvit & claſſem Calmariam pridie Calend. Auguſti appulit. Cauſa profectionis Regis in regno Poloniæ jactabatur, non ſolùm directæ ad auctoritatem regiam recuperandam, qvam Carolus mentito Gubernationis nomine ſibi propriam feciſſe Polonis dicebatur; ſed etiam ad Pontificiam religionem reſtituendam, cujus inſtaurationem in facili fore
1598 perſvaſerant Sigiſmundo Jeſuitæ, uti notat Thuanus in ſua hiſtoria. Calmariâ à præfectis arcis Georgio Claudii in Byby, Olao Hård in Segerſtad, Andrea Svenonis & aliis, benignum & faventem Regem ſperantibus, accedenti Regi apertâ, Rex eosdem capi & in Poloniam abduci curat, extraneis contra datam jurisjurandi religionem arcis cuſtodiæ impoſitis. Elfsburgum autem per Georgium Erici in Öierydade, qvi ante caſtello præfectus fuerat

fuerat & notus excubiarum magiſtro, ab eo ſibi portas aperiri fecerat, occupavit. unde duobus præcipuis regni munimentis & portubus potitus, Smalandiam, Weſtrogothiam & partem Oſtrogothiæ ſibi obnoxias & morigeras reddidit. At Samuelem Laskium cum navibus aliqvot Stocholmiam miſit: qvi, qvum Carolus inde præſidium ad firmandas ſuas copias eduxiſſet, nemine reſiſtente, arcem & urbem in poteſtatem Regis recepit. Cum reliqva claſſe ſeqvuturus propediem Rex Laskium, interim Stegeburgum ad ſororem divertit. Ibi excepturos Regem, & Caroli nomine amicum cum Rege colloqvium petituros, ut rebelles rejecit, & ab obſeqvio Caroli dehortatus eſt. Sed dum iſtic Rex moratur, tantum temporis effluere paſſus eſt, qvo ventus ſecundus mutavit, & adverſus cum gravi procella ortus LXX. ferme naves vel ſcopulis alliſit, vel diverſas disjecit. Interim Carolus copias ſuas inſtruendi ſpatium habuit; & oppidanorum aliorumqve civium Regi ſtudentium priſtinus ardor non parum dehinc elanguit. Circa hoc tempus inter Dalecarlos gravis exortus eſt tumultus, & qvidem ex hac occaſione. Rex Sigiſmundus, ſimulac in Svetiam ex Polonia advenerat, emiſit ſuos cum mandato ad agendum cum plebe, ut Regi morigera à partibus ejus ſtaret. Inter alios Ericus Abrahami ad perſvadendum hoc uſus eſt argumento: *qvod Rex validus eſſet copiis externis & internis, & qvod Finlandia cum ipſo faceret. Ducem verò viribus longè minorem, nec ullum ab ejus partibus eſſe; niſi Deus ipſi præſtò foret.* His auditis plebs reſpondit: *Si Deus cum ipſo, & nos cum eo faciemus.* Ita Ericus ſilendo, nihil hîc efficere potuit. Sed Dalecarlorum motus ita accidit, ut ſtrictim referam. Erlandus Beronis de Skatmanſöö, cum ſociis ipſi adjunctis, Jacobo Neafe, Georgio Bonde, Olao Gudmundi & Carolo Benedicti, à Rege Sigiſmundo emiſſus, literas ad montanos & Dalecarlos de Regis reditu, & Ducis Caroli proſcriptione attulerat; qvæ ſummam qvoqve Regis offenſam minabantur omnibus, qvi Ducis miniſtros foverent aut hoſpitio exciperent. Dalecarli verò Duci Carolo tam abſenti qvam præſenti fidem ſuam, ſatis ante probatam, conſtanter ſervabant, ejusqve amicos amori, inimicos odio habebant. Proinde his literis perlectis, eorum animi adeò turbati ſunt, ut prope furorem eſſent. Auxit motum rumor à qvibusdam malè conſultis ſparſus, atqve à credulis & concitatis facile acceptus, propediem adfuturos mille trecentos eqvites Uplandicos, qvi totam provinciam igne ferroqve depopulari à Rege juſſi eſſent. Hinc campanâ circa veſperam impulſâ, & rumore latius exeunte, tam ingens hominum armatorum multitudo intra breve temporis ſpatium Tunam, præcipuam iſtius loci parœciam, confluxit; ut numeroſum atqve

integrum exercitum, ad repellendam vim paratum, conficeret. Ab eo delegati qvidem prius audiuntur, & dicere cauſam jubentur; ſed qvum reſponſo ſuo multitudini non ſatis facerent, ex armatis qvidam ebrietate & furore perciti, eos abripiunt, immanem in modum tractant, præſertim Jacobum Neaf Scotum, provinciæ præfectum, & pluribus telorum ictibus illatis, trucidant; ſolis Erlando Beronis & Olao Gudmundi ſervatis, atqve ad Principem Carolum, cauſæ ulterius cognoſcendæ ergo, miſſis. Aliorum ſuſpectorum, inprimis Erici Laurentii, centurionis Uplandenſium, Præpoſiti Tunenſis, Haqvini ſcribæ, etiam interfecti, Laurentii Georgii Dalecarlorum centurionis ædes inveſtigant, &, non repertis ſuſpectis, eorum bona diripiunt. Poſtea nullo hoſte viſo, de qvo tamen fama dimanarat, ſinguli domum ſe recipiunt. Mox advolat novus rumor de claſſis Finnonicæ à Sigiſmundo adverſus Carolum in auxilium vocatæ propinqvo acceſſu, & qvod Gevalienſes Finlandico exercitui tutum apud ſe receptum ac hoſpitia præbuiſſent, atqve à Carolo defeciſſent. Eâ causâ ad Gevalienſes, veteris amicitiæ fiduciâ, & in animum eis revocata Sudercop. & Arbogenſis Decreti obligatione, ſcribunt: ut qvid rei ſit, intelligant. Illi reſpondent, *ſe nullum Finlandicum exercitum ædibus ſuis excepiſſe vel accepturos eſſe. Verùm ſi forſan adfuturus ſit, auxilium à Dalecarlis petere. In Principis Caroli fide ſeſe perſeveraturos, adfirmant, & hoſtium loco habituros, qvi ſecus ſentirent.* In eandem ferme ſententiam Helſingi & Weſtmanni reſponderunt ad literas Dalecarlorum Montanorum, qvibus eos, ad falſum rumorem temerè acceptum, fidei ſuſpectos fecerant. Evulgatâ ab hoſtibus famâ de internecione exercitus Caroli Ducis, non prius qvievere, qvàm literis ab ipſo Carolo, qvibus in fide confirmabantur, & nunciis de victoria ejus atqve clade Sigiſmundi, de qva ſuo loco, certiores facti erant. Poſtea verò Ericus Ryning & Johannes Roſenhane ad eos à Carolo Duce miſſi ſunt, negotio delegatis dato, ut de rebus omnibus inter Regem & Ducem geſtis erudirent Dalecarlos, & controverſias qvaſdam audirent, ad Principem ulterius referendas. qvod etiam fideliter exſeqvuti ſunt. Sed ad priora regrediamur. Dum Carolus cum ſuis copiis Stegeburgum properat, ab Electoribus Saxoniæ, Brandeburgici ac Ducum Pomeraniæ Legatis, qvi diſſidia inter utrumqve Principem compoſituri advenerant, rogatur ut arma deponat & amicè cum Rege tranſigat. Aſſentitur Carolus, ſi Rex ſuas copias qvoqve dimittat, & ſecuritati Caroli & ſociorum caveat. Rex autem ſibi legem dici recuſans, ſuæ ſecuritatis cauſa exercitum retinere voluit. Alii referunt, eum Legatis reſpondiſſe: *Fruſtra id à ſe exigi, cum nullas copias militares ducat, præter*

præter aulicum comitatum & prætorias aliqvot cohortes, pro cuſtodia corporis, & Regia dignitate tuenda. Non enim ſe ſibi ſubditos debellandi animo acceſſiſſe, ſed ut conſiliis cum Ordinibus & Senatu regni communicatis, publicum ſtatum ordinaret. Itaqve non eſſe, qvod illi Svecorum ſecuritati magis caveri poſtulent. Qvin acta Svetica teſtantur, Sigiſmundum ipſum honorificam tranſactionem per duodecim ex ordine Nobilium & ſex militarium virorum delectos inſtituendam obtuliſſe, & expreſſis literis Carolo & Svedis caviſſe. Sed hæc omnia ſimulata fuiſſe, ut rebelles, uti eos appellabat, ſecuriores redderet, & ſic incautos opprimeret, velut eadem acta addunt. Qvippe qvum Carolus ipſe qvosdam ex ſuis ad Sigiſmundum conciliationis cauſa miſiſſet, illi in carcerem conjecti, & miles Polonicus armatus eſt ad obſidendas vias, qvas Carolus tranſire debebat. Et jam correptis armis vim Svedis intentabant; niſi Rex, ad deprecationem Georgii Canuti Poſſe, à civibus ſangvinis effuſionem abſtinere rogatus eſſet. Itaqve irrito Legatorum negotio Carolus caſtra ſua ad Stegeburgum propius admovit. Ubi Marchio Badenſis Edvardus, Rege, ut qvidam volunt, permittente, ut alii, reprehendente eum hujus rei cauſa, vel qvod veriſimilius, culpam in eum conferente, qvod præceps animi eſſet, & inde *furioſus* appellaretur, & Polonicus miles Caroli exercitum pilis impetiverunt Farensbachius qvoqve ſeqventi nocte in Caroli caſtra irruere & omnes internecioni dare juſſus dicitur. Attamen qvum turmæ Polonorum & Ungarorum jam ad præliandum effuſæ eſſent, Rex eos revocavit, & Bekeſſium certamen cum ſpe victoriæ inchoantem increpuit. Qvum enim præciſum in velitatione hoſtile caput haſtæ infixum attuliſſet. Rex indignatus *nondum omnes Svedos concidiſſe* dixit. Eqvidem, ſi Rex mitem & pacificum animum habuiſſet, tamen qvi cum Rege erant, tantum de Svecis contemtum, tantam de ſe fiduciam animo conceperant, ut omnia ſibi proclivia crederent, præſertim qvum levibus excurſionibus & velitationibus Sveonum qvosdam cecidiſſent. Sed contemtus iſte poſtea in ipſis auctoribus ſe ulciſcebatur. Qvidam ferunt, Hungaros eam in aliqvot cæſorum cadavera feritatem belluinam exercuiſſe, ut capita, brachia, tibias amputantes, corpora inanima mucronibus perforarent, ac plagis horrendis conſcinderent. qvod Svecorum animos ita exaſperavit, etiam illorum, qvi clam Regis partes fovebant, ut non pauci ab illo alienati, plures in ultionem accenſi ſint. Verùm Carolus, navibus & caſtris regiis omni commeatu mari terraqve intercluſo, Regi fruſtra auxilium militare Finnonicum exſpectanti, & noctu Stegeburgo ex anguſtiis loci, majoris commoditatis & militis ſuſtentandi cauſa, moventi Lincopiamq; tendenti, cum inſtructo

ſtructo exercitu, ſe & ſuos contra ſubitam vim defendendi conſilio, ad Stongæ pontem occurrit, concordiæ ſtudium præ ſe ferens, ſive qvod imparatus, ut ab æmulis jactabatur, ſive qvod ita ab initio animatus eſſet. Nam pleriq;, etiam ii qvi alioqvi minus æqvi, ſic de eo exiſtimabant, à regni occupandi deſiderio ejus animum initio abhorruiſſe (ſunt verba Thuani) ſed hoſtili ſive adventu, ſive conatu Regis malè conſulti exacerbatũ, ex ſucceſſibus proſperis conſilium cepiſſe. Igitur, re levibus excurſionibus à vicinis utrinqve copiis tentatâ, ad Regem legatos mittit nunciantes, ſi regnum pacificè ingreſſurus veniret, patruum ei præſto futurum, &, qvod alii addunt, arces, caſtella, claſſem Regi traditurum, milites dimiſſurum; interim rogare, ne armis experiri mallet, & à fundendo non Chriſtianorum ſolùm, ſed etiã civium ſangvine manus abſtineret. Qvum legati re infecta dimiſſi eſſent, & interim novæ copiæ Carolo acceſſiſſent, rurſus miſſi ſunt legati VI. Eid. Septemb. cum iisdem Caroli & procerum regni, qvi cum eo erant, mandatis. Hanc Thuani narrationem confirmant Annales Svetici, & illud, qvod Carolus aliqvando, remotis arbitris, coram Axelio Comite de Rasborg & Typotio, ut hic refert, jurejurando adfirmavit: *Se regnum non appetere, ſed qvietem regni; qvæ diſtractis diverſâ religione animis, ſperanda non eſſet.* Præter hoc etiam legatos & literas à Carolo & Ordinibus regni ad Sigiſmundum de amica compoſitione ineunda non ſemel, ſed incaſſum, etiam paulò ante cruentum prælium miſſas, iidem teſtantur. Qvum verò de armis ſiſtendis utrinqve conveniſſet, ut interim de compoſitionis negotio tractaretur; noctu tamen cohortes Sigiſmundi, duce Johanne Wejero, in caſtra Caroli impreſſionem fecerunt, cæſis & ex parte fugatis excubiis, atqve aliqvot captivis abductis. Hîc Carolus non ultra morandum ratus, hoſtem ad Stongæ pontem animosè adoritur. Carolinos primùm cum clade trecentorum repulſos qvidam referunt, atq; inde regiis animos acceſſiſſe. qvos tamen, Rege ſe intra oppidum Lincopiam tenente, nec pugnæ ſe miſcente, mox remiſerint, incumbentibus acriter Caroli cohortibus, & detonantibus ex ſuperiori loco tormentis, ita ut ad bis mille cæderentur, reliqvis in fugam pulſis. Nec tamen pauci noſtrorum occubuerunt, donec regiis, incenſo eorum pulvere nitrato, inclinantibus & clamantibus *pacem, pacem*, tandem receptui caneretur. Alii aliter narrant: nimirum qvum acies regia per totum diem in armis ſtetiſſet, neqve Carolus cum ſuis copiis ſe oſtenderet, Polonos prælium non ex hoſtium voluntate, ſed arbitrio ſuo inire certos, qvaſi extorta metus confeſſione ſuperbè exultantes, in caſtra rediiſſe. Jamqve armis poſitis & eqvis dimiſſis, qvum

ſe ad

ſe ad qvietem pararent, de Svecorum adventu nuntium præter opinionem allatum fuiſſe. unde caſtris regiis trepidatum, formidine ex äere iſtius diei nebuloſo aucta, deinde traductis per pontem Sigiſmundi copiis aciem inſtructam, Svecorum impetum primò fortiter excepiſſe, ſed viribus impares tandem in fugam converſos eſſe. Regem qvidem Polonis laborantibus aliqvot eqvites ſubſidio miſiſſe, ſed eos, conſpecto eminus hoſte, metu an proditione incertum, etiam receſſiſſe. Alii fortunam Polonorum unicas Raſchii perfidiâ proditam fuiſſe ferunt. Qvum enim inclinata Caroli acie, *parci civibus* inclamaſſet, Polonos id juſſu Regis fieri credentes, ab impetu retardatos fuiſſe. Carolum interea ſuperfuſis novis viribus, prælium redintegraſſe, & regios à Scotis & eqvitibus ſuis deſertos profligaſſe. Utut ſe res habeat, hoc tamen compertum eſt, Regem inſtantibus Caroli copiis, pontes reſcindi juſſiſſe: qvod ut tranſitu Svecos cohibuit, ita Polonis omnem ad ſuos receptum præcluſit. Ideò multi ex regiis, præter cæſos in prælio, aqvâ Stongianâ hauſti, pauci properè flumen tranſgresſi, in tuta evaſerunt. Qvum autem Scriptores in deſcriptione prælii Stongæbroenſis aliqvantum diſcrepent, è re mihi fore videbatur, eam ex Archivo Regni hujus depromtam, & à Carolo Caroli Gyldenhielm, uti creditur, qvi ipſe partim ut ductor militum interfuit, partim ex literis ipſius Caroli Principis ad ipſum datis memoriâ prodidit, obſervatam huc transferre. Sic autem ille refert: Hoſtis inter majorem & minorem Stongæ pontes viam ab omnibus impedimentis præſertim ſepibus purgari curarat: ut in æqvo campo tam eqvites qvam pedites cum Svecis abſqve obſtaculo confligerent; haud dubia ſpe victoriæ. Dux autem Carolus, omni compoſitionis exſpectatione irritâ, ſummo mane paulatim movebat, & exercitum Lincopiam, qvo Sigiſmundus cum ſuis tetenderat copiis, traducebat. Illuceſcente die vidit hoſtilem exercitum utrumq; Stongæ tranſire pontem; ad qvem duæ ferebant viæ. Dux acie inſtructa jubet unam partem copiarum ſuarum ad majorem, alteram ad minorem pontem conſiſtere. Andreas Linnarti Tribunus dextrum eqvitum agmen ad majorem pontem regebat, & Samuel Nicolai pedeſtres legiones, ſubſidio Smalandici eqvitatus ab Arvido Drake illis præſtito. Hi impresſione in hoſtem facta profligabant obvios; qvibus non dabatur copia tranſcurrendi pontem, aqvâ ſubjectâ hauriebantur. Ad ſiniſtrum latus minoris pontis, ubi maxima vis peditatus hoſtilis cum tormentis erat, Principis Mareſchallus Johannes Masbach, & Stabuli magiſter Andreas Nicolai cum Johanne Erici in Broxwick & prætorio ſigno ſtabant. Hîc primo congreſſu Sveones paulum ceſſere, vel diſcriminis tormentorum declinandi cauſa, vel ut è ſepimento, qvod hoſtis

pro munimento qvodam habebat & inde acriter in Svecos ejaculabatur, hoſtem prolicerent. Sed qvum Andreas Laurentii hoc animadvertiſſet, in latus hoſtile provehitur, reliqvi, ante vel repulſi vel ſtudio cedentes, hoſtis frontem invadunt. Ita Poloni undiqve circumfuſi cæduntur, tormentis eorum etiam à noſtris occupatis. Georgius Nicolai Poſſe & Andreas Laurentii ſubitò concurrentes, qvum ille ad hunc: *Ergone frater hîc obviam dabimur*? alter repoſuit: *Hîc nulla valet fraterna conjunctio, ſed pulvis pyrius & glandes plumbeæ.* Cum dicto in ejus eqveſtre agmen impetum facit, & in profluentem propellit: ut cujus eqvus non nataret, aut transmitteret vadum; eum unda abſorberet. Minorem enim Stongæ pontem nemo amplius ſuperare poterat: qvum Ducis copiæ, profligatâ maxima peditum hoſtilium parte, tranſfugientium pontem terga vehementius premerent. Heiducci verò qvum ex inſeſsâ molâ ſe tuerentur, Ducis miles eam inflammavit; cujus incendio etiam vicinus pons & Heiducci conflagrarunt. His ita confectis, poſtqvam tormentis campeſtribus ad littus Stongæ fl. deductis in domos urbis & iſtic abditos tonabatur, regii fuſos ſe & victos eſſe videntes inſtinctu haud dubiè Sigiſmundi, ex adverſis moderatius conſilium cepere, & Nobilem Smalandum Arvidum Svaan, ad Sveones miſerunt, de pace compoſitionem denunciatum. Tribunus Principis, Samuel Nicolai, *num id ſeriò agerent*, qværebat. Illo conſtanter adfirmante, abit ad Principem Carolum, hoc ei ſignificaturus; qvem videt eqvo deſcendiſſe & in genua provolutum Deo gratias pro victoria habere. Princeps ultrò aſſenſus, armorum otium ſuis imperat. Qvin ipſe ád locum colloqvii, rei certius explorandæ cauſa eqvo procurrit. Dum autem cum Arvido trans fluvium confert ſermonem, glande plumbea ad pectus in thorace ferreo petitur, ut glandis veſtigium reſideret. Carolus, num qvid inſidiarum ſubſit? percontatur. Arvidus negans, ex incuria glandem plumbeam ejaculantis factum ſuſpicatur. Livonus tamen nomine Henricus Nykirch, ut facti auctor rumore ferebatur; & qvod coram Rege jactaſſet, ſe Principem interfeciſſe, Regemqve reſpondiſſe: *Nolim hoc à qvoqvam meorum admiſſum eſſe.* qvod ſi verum, etiam inter hoſtiles manus ſangvinis neceſſitudinem haud extingvi liqvet, nec tam ipſum Regem, qvàm pravos conſultores, hujus immaturi atqve infelicis ei belli, qvod præter alia ipſum regno Svetiæ excuſſit, facem fuiſſe. Princeps autem Arvidum referre jubet, ſe ipſi in campo, ubi adhuc uterqve exercitus ſtabat, obvium fore, & coram colloqvuturos. qvod qvum Nicolaus Bielke in Saalſtad, ut non ſatis tutum aut fidum, Principi diſſvaderet, ille contra: *ſe iturum ad Regem, ut vel hinc ſentiat*;

tiat, ſe non hoſtilem animum adverſus eum gerere. Ubi verò ſibi obviam facti ſunt, Princeps eqvo deſcendere cœpit, honoris cauſam Regem pedes ſalutaturus. At Rex eum reſidere urget. Itaqve uterqve Princeps ſeorſum in campo inter medias acies colloqvuti, de pace convenerunt. Qvamvis autem Carolus victor Sigiſmundum in ſuis manibus ac poteſtate haberet, ita tamen moderatus eſt victoriæ, ut ab eo vim omnem abſtineret, ſuos arma ponere juberet, absqve fraude, & cum volente paciſceretur, & ſingulari benignitatis exemplo, eum è manibus dimitteret: qvem ſi captivum tenuiſſet, ſummam rei ſui arbitrii facere potuiſſet. Sed dum de Regis fortuna cogitat, etiam ſuam in conſilio habet, & à deſiderati regni ſuſpicione ſe liberat. Ungaricus inter Heiduccos ſacerdos Carolum Ducem conſpicatus, ad eum his verbis exclamat: *Verè fatendum eſt & prædicandum, qvod tanqvam fortis heros hoſtes tuos viceris, ſed victoriâ in rem tuam uti non potueris. Duo enim regna hodie in manu tua fuere. jam autem incertum eſt, num unum eorum retenturus ſis.* Poſtqvam Lincopiam Carolus venerat, Regem iſtic ſolito honore & comitate proſeqvutus eſt, nulla acerbiore voce in eum emiſſa. Inter utrumqve pace facta, *præteritarum offenſionum perpetua oblivio ſancita eſt*, & Rex de integro ſe obligavit *ad regnum Svetiæ, ſecundum regium jusjurandum, ſcriptam cautionem & leges regni adminiſtrandum. Intra qvatuor menſes comitia Holmiæ Regem indicturum, ubi controverſiæ inter utrumqve Principem, aut alios jure conveniendos, coram arbitris neutri parti addictis legitimè dirimantur. Extraneos milites, exceptis cuſtodibus corporis, utrinqve regno propugnaculis & arcibus dimittendos eſſe. Senatores regni* (Ericum Sparre, Guſtavum Baner, Stenonem Baner & Thuronem Bielke) *Carolo depoſcenti usqve ad cauſæ cognoſcendæ terminum adfuturos; ita tamen ut dignè habeantur, abſqve omni periculo corporis & fortunarum. Ut armis depoſitis, quietè utrinqve vivatur. Ut Carolus Regi tradat arces, naves, tormenta & alia Coronæ nomine ad Regem pertinentia.* Hæc omnia & ſingula rata ac firma fore, Sigiſmundus interpoſita fide & exiſtimatione Regia promiſit, & ſigillo Regio propriæqve manus ſubſcriptione firmavit, cum hac ad finem Transactionis addita cautione: *Si præter exſpectationem accidat, ut alterutra pars vel Rex Sigiſmundus, vel Princeps Carolus, ab hoc pacto recedat aut illud violet, Ordines Regni non amplius obligatos fide ſemel præſtita, parti violanti reſiſtendi jus & poteſtatem habituros. Actum in arce Lincopiana a. d. XXVIII. Septemb. Anno MDXCVIII.* Ex hujus tranſactionis vigore Carolus tradebat Sigismundo octodecim naves & cum iis tormēta, ut comitatior ac honoratior Stegeburgo Stocholmiam accederet. Eidem arcem Stegeburgenſem & omnia qvæ in eâ erant bona fide reſtituit. Sed qvum Princeps Carolus & Regni

Ordines exiſtimarent, eum Holmiam venturum, ad indicendum ex convento comitia & ordinandum regni ſtatum, ille cum navibus abiit Calmariam, exteris præſidiis munitam, (ubi navis Regis, alba aqvila dicta, ſcopulo illiſa periit) & inde in Poloniam, inſciis Ordinibus & infectis regni negotiis contra fidem dataqve pacta diſceſſit. Armata claſſe Regi à Carolo tradita, ipſe poſtea contra Svecos uſus eſt, inprimis ad propugnaculum regni Elfsburgum & Calmariam tuendam. Sanè milites Calmariæ præſidio impoſiti non parum moleſtiæ crearunt Carolo eam recuperare laboranti: dum amicè moniti, ut cederent arce, ſe velut hoſtes publicos Principi & Ordinibus regni oppoſuerunt. Tandem tamen poſt ſex menſium oppugnationem fame ad deditionem compulſa urbs, ipſo Principe præſente, & ductoribus militum Samuele Nicolai & Carolo Caroli, devicta eſt. Sed præſidia ſe victoris arbitrio permittere coacta ſunt. Ex qvibus præcipui, tanqvam perfidi, capitis pœna affecti, reliqvi liberi dimiſſi ſunt, fide datâ ſe nunqvam contra Sveciæ regnum militaturos eſſe. Germani milites jurejurando adacti, ſub Carolo ſtipendia fecerunt. Bekeſius ſub cautione liberandi aliqvot captivos Svecos, in Poloniam abductos, qvorum ſupra mentio facta eſt, etiam relaxatus eſt. Finnonia à pravis conſultoribus Regis ad rebellionem contra regnum Sveciæ, cujus tamen membrum eſſet, excitata dicebatur. Propter has & alias cauſas è re viſum eſt publica Carolo & Ordini-
1599 bus regni, comitia Junecopiæ & Arbogæ in menſe Februario & poſtea Holmiæ in menſe Junio inſtituere, in qvibus præter confirmationem Sudercop. & Arbogenſis Decreti placuit, Sigiſmundum à Regni Ordinibus per literas rogari, ut omni ſimultate & odio adverſus Svecos exutis, pacta & jusjurandum ſervare, nec malis conſultoribus auſcultare, ſed potius in ſeditionis auctores animadvertere, & hoſtilibus molitionibus in Finnonia & Livonia (præter annonæ gravitatem, qvæ hoc & ſuperiore anno iſtas provincias & Svetiam ipſam affligebat) remedium invenire connitatur; aut ſi hoc nolit, non mirari, ſi Ordines bellum in Finnoniam ad compeſcendos rebelles decernant. Ut horum aliorumqve neceſſariorum regni negotiorum cauſa ſe hîc ſiſtere, & in patria ſua permanere velit; aut ſi hoc non poſſit aut nolit, Uladislaum filium intra ſex menſium ſpatium huc mittat, religione ac moribus Svecorum imbuendum. Poſtqvam verò Sigiſmundus & nuntiis & literis fruſtra huc vocatus, Ordines Sveciæ reſponſo non dignaretur; tandem ſtetit ſententia, ei & hæredibus ejus imperium Svetiæ in perpetuum renunciare: qvod ipſi ſe non à Rege, ſed Rex ſe ab ipſis ſeparaſſet. Carolus Princeps publicis literis cum S. P. Q. Lubecenſi expoſtulavit: qvod naves qvaſdam ipſius & civiũ Sveciæ, cupro aliisq; mercibus onuſtas

& com-

& commerciorum cauſa Lubecam appulſas,arreſto tenuiſſent,& contra pacta Stetinenſia,moremq; amicarum gentium diripuiſſent. Unde Carolus illis paria minatus & exſecutus eſt: uſu commerciorum in Svetia ad tempus eis interdicto. Senatus Lubec.reſpondit,ſe ad R,Sigiſmundi deſiderium hoc feciſſe: qvi eas naves fructibus regni ſui hæreditarii onuſtas,eoq; coronâ regni ſignatas,ſibi vendicaſſet. qvale arreſtum à moribus gentiũ & Statutis Lubec.non eſſet alienum. Id verò relaxari & merces,non direptas (ut male ab invidis Carolo relatum eſſet) ſed adhuc ſalvas,veris dominis reſtitui potuiſſe,ſi cum Lubecenſibus jure,non vi actum fuiſſet. Tandem tamen res amicè compoſita eſt. Decretum Lincopiæ in conventu Ordinum Regni,iterum 1600. in comitiis Holmenſibus confirmatum eſt, cauſis renunciationis publico ſcripto prolixius comprehenſis, & poſt aliqvot annos in lucem editis; qvarum hæ præcipuæ enumerabantur: Qvod Sigiſmundus amplexus ſit Pontificiam religionem,eamqve unicè foverit ac vehementer propugnarit: qvo transgreſſus ſit avi ſui Guſtavi I.Teſtamentum: qvi iſtic ſucceſſoribus & poſteris ſuis,qvàm chara ipſis foret æterna ſalus,veram noſtram Chriſtianam religionem ſeriò commendavit. Qvod ex hæreditario regno, ad peregrinũ ſuffragiis delatum, inconſultis Regni Ordinibus abiverit, exceptis paucis Svecis,qvi auctores ei hujus conſilii,qvod tanto ſangvinis impendio ſteterit,fuerint,eum comitantibus. Qvod evocatus poſt obitum Patris per ampliſſimam Legationem ad capeſſendum Regnum hæreditarium, non ſolùm gravatus ſit ante adventum ſuum,eis dare ſcriptam Cautionem de Chriſtiana eorum religione & avi Guſtavi I. Teſtamento, Legibus regni Svetici, & omnium legitime adqviſitis privilegiis aut beneficiis fide & juramento cõfirmandis,ſed etiam præſens, ad ſex usqve hebdomadas ex frivolis cauſis diſtulerit;& tandem qvum præſtaret jusjurandum,animo fidei hæreticis non ſervandæ præſtiterit: qvod ſeqventes coronationem ejus actiones teſtatum faciant: qvum non certam adminiſtrationis Regni formam ante diſceſſum conſtituerit. qvod reliqverit in Svecia aliqvot Jeſuitas, per qvos introduceret hîc religionem Pontificiam; qvi ſuis concionibus & ſacris non leviter offenderint ſimplicium animos,nec parum turbarint qvietem Eccleſiarum patriarum. qvod jusjurandum præſtitum non ſervarit, dum Comitem Ericum Pontificium arci Holmenſi præpoſuerit,& Pontificiis templa qvædam in regno aperuerit,& exercitia religionis ſuæ contra jurisjurandi fidem eis permiſerit; qvum tamen ipſi ſoli,qvamdiu in regno eſſet; ſacellum ad ſacra ſua peragenda indultum eſſet. qvod Sudercopienſe & alia decreta, qvæ tamen in ejus jurejurando,& ſalute Regis ac Regni tuendâ fundata erant, reſciderit. qvod Finnoniam à Svedia diſtraxerit,& Finnones ad motus inte-

ſtinos & rebellionem adverſus Sveciam conciverit. qvod multa pacta inïverit cum exteris Principibus,in præjudicium patriæ ſuæ,& qvidem inconſultis regni Ordinibus. qvod naves Sveticas in peregrinis oris detineri curarit. claſſem Regni alienæ,non Svedorum fidei,ad alienandum eam à regno Svediæ & hoſtilia promovendum,commiſerit. Qvod tumultui & internecioni tot millium ſubditorum in Finnonia per præfectum ei Claudium Flemming facultatem & anſam dederit. Finnoniam & Livoniam Sveciæ in annonæ caritate ſuccurrere prohibuerit: ut inopiâ rerum neceſſariarum ſibi magis obnoxiam redderet. qvod Danis uſurpationem trium Coronarum,inſignium Regni Sveciæ,conceſſerit. Principis Caroli miniſtros, ubicunqve deprehendi poſſent,hoſtium loco habuerit, niſi ſe ſponte dederent. complures literas pacis nomen præferentes in Sveciam miſerit,& cum illis comunicarit, qvos ſibi fidos eſſe ſperabat, ut cum reliqvis ex arbitrio ageretur. Conſcripſiſſe Finnonicas & Livonicas copias ad opprimendum armis Carolum & ſubditos Sveciæ, qvi ejus partibus accedere nollent,arguebatur. Qvum Calmariâ exterorum copiis præmunitâ, Stegeburgum cum exercitu moviſſet,humiliter rogatus,ut poſitis armis pacificè cum ſibi ſubditis tranſigeret; nihilominus hoſtilia adverſus eos & patriam molitum eſſe: ita ut contra vim profeſſam ſe armis tueri cogerentur. Qvum autem cæſo ejus exercitu bellum ipſi infeliciter ceſſiſſet, ad pacta pacis cum Carolo deſcendiſſe hac lege, ut qvi contra pacta faceret,ei ſubditi reſiſterent.Ipſum verò non ſervando pacta, ſententiam ſibi dixiſſe. qvum Holmiam ire ad conſtituendum Regni ſtatum debuiſſet, Calmariam & inde Dantiſcum diſceſſiſſe patriamqve ſuam deſeruiſſe. Qvum verò Carolus & cives eum literis huc evocatum iviſſent,aut, ſi ipſe huc redire recuſaret, filium natu majorem in Svetiam mitteret,ut in Svetica lingva, moribus & vera religione educaretur; tamen eos non tantum indignos reſponſo judicaſſe, ſed etiam literarum latorem in carcerem compegiſſe, contra Chriſtianam & gentium conſvetudinem. Elfsburgi propugnaculum magis Polonorum qvàm Sveonum bono intercipere conatum eſſe; ad Dantiſcum qvasdam naves Sveticas diripuiſſe. Eſthoniam à regno alienaſſe, & ad Poloniæ Coronam tranſtuliſſe,contra datam Patri Johanni fidem. Libellos famoſos in Carolum & Svecos emiſiſſe, ad exiſtimationem eorum lacerandam, Ordines diſſociandum & novas belli flammas excitandum. Carolum Patruum hoſtem publicum judicaſſe,& Livonos adverſus eum concitaſſe,& turbas ac ſeditiones inteſtinas in patria toties excitaſſe. Propter has præcipuas cauſas Sigismundus cum poſteris ſuis regno Sveciæ depulſus eſt,qvum ei ſex ſolùm

annos

annos & ſex menſes præfuiſſet. Poloniæ verò regnum per annos XLV. ſummâ animi moderatione adminiſtraſſe à Polonicis ſcriptoribus perhibetur. Licet autem Sigismundus anno M DC XVII. per qvendam ex ſuis edito libello ſingula Renunciationis capita refutare conaretur; támen renunciatio ejus apud Ordines Regni Veciæ fixa & immota perſtitit. Utqve ſub Carolo cæpta, ita ab ejus filio ſucceſſore Guſtavo Adolpho ac Veciæ Ordinibus, nec minus à Sigismundo & Polonis, antea verbis diſceptata, poſtea cruentis armis decertata continuabantur; donec induciæ utrinqve placerent: qvibus exulceratæ mentes ſi non prorſus ſanari poſſent, tamen aliqvantum mitigabantur. Tandem perpetuâ pace diſſidia utrinqve ſopita ſunt, de qva ſuo loco.

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. VIII.

CAROLUS IX.

QVum Ordines Regni Veciæ Carolum Principem regno dignum judicarent, qvod forti & conſtanti animo patriam ſuam ac cives adverſus molitiones hoſtiles, excidio patriæ fabricatas, defendiſſet, & jugum Pontificium à cervicibus eorum depuliſſet, ab iis, vicem tanto beneficio reddituris, in Sigismundi regno Vetico emoto locum adſciſcitur, & ſimul rogatur: ut cum imperio dignitatem nomenqve Regium capiat, nec diutius regnum, velut navim absqve gubernatore, fluctuare patiatur. Ille verò ad Ducem Johannem, Sigismundi fratrem, cui proximo ſucceſſionis jure deberetur, transferri regnum ſvadebat. Sed hîc regerebat populus: *Viro, non puero opus eſſe.* Qvin ipſe Johannes, poſteaqvam ad pleniores ac maturiores, novendecim nimirum annos pervenerat, honorem hunc & impar humeris ſuis onus in iſto rerum ſtatu deprecatus, illud ultrò Carolo patruo ceſſit, oratione, qvam coram eo & Ordinibus Regni publicè Norcopiæ, renovatâ Unionis hæreditariæ lege, habuit: in qvâ

qvà etiam ſe in eorum fide & poteſtate, nec unqvam Sigismundi conſiliorum participem fore,religiosè conteſtatus eſt. At Carolus,qvò magis erga ſe prona populi ſtudia ſentiebat, eò ſe immotiorem gerebat;donec tandem in comitiis Lincopiæ & poſtea Stocholmiæ Rex Sveciæ ſolenniter deſignaretur. Prius tamen causâ,per CLVIII.viros,& omni Ordine delectos & juratos,dijudicatâ, ſupplicium ſumtum eſt de præcipuis aliqvot regni Senatoribus,Carolo Principi in ſuperiori bello à Sigismundo, ut jure cum illis ageret, ex pacto traditis;ſed poſtea,causâ cognitâ,fruſtra in libertatem repetitis, de qvibus ſup.ad annum MD XCVIII. Illi qvidem, *qvod ex lege regni ſeqvuti eſſent in Poloniam Regem, qvi juſtè ad regnum perveniſſet, & cui juratâ fide obſeqvioqve devincti fuiſſent*, ſe purgatum ibant. Sed ad hoc illis reponebatur: *Eos vigore jurisjurandi ſui,ſecundum legem regni, obligatos qvoqve fuiſſe; qvæ in rem regni eſſent, Regi in medium conſulere; non verò, qvæ cum regio pugnarent jurejurando,ac patriæ noxia eſſent.* Ideò in crimen vocati, qvod inter Regem Johannem & fratrem ejus Carolum odia & diſſenſiones excitaſſent; fidem Duci Carolo juratam violaſſent; Sigismundum ad bellum contra patriam concitaſſent,ac ſtatum publicum turbaſſent; qvod contra decreta Sudercopenſia feciſſent,in qvibus ſibi pœnam ipſi deſignaſſent, ſi ab iis deficerent: qvod Principis Caroli exiſtimationem literis ſuis apud Regem laceraſſent,rei capitalis ſupplicii poſtulati ſunt. Etiamſi verò contra dictam in ſe ſententiam ſolenniter ac ſcriptâ defenſione proteſtarentur; tamen illâ Caroli juſſu refutatâ & pro illegitimâ habitâ,capitis damnati, & in foro Lincopenſi pœnâ capitis affecti ſunt; velut acta publica Holmiæ typis edita prolixè deducunt. Poſtqvam Sigismundus Rex Poloniæ in comitiis Varſavienſibus, regnum Sveciæ hæreditarium à Carolo patruo ſibi injuriâ ablatum qveſtus erat,& declaratis publicè hoſtibus ſuis Rege Carolo & Ordinibus regni Sveciæ, & arma communi Reipubl. Poloniæ impensâ contra eos ad regnum Sveciæ recuperandum capi poſtularat; Ordines Poloniæ alieni,ut ajebant,belli molem in ſui regni viſcera trahere recuſabant. Sed ſi Rex ſuis ſumptibus illud gerere vellet,ſe ei vires & auxilia ſua conjuncturos ſignificabant. Piaſecius ſcriptor Polonicus refert: *Polonos, etiamſi ab iſto bello ſtudioſè ſibi caviſſent,tamē ingratiis armis implicatos fuiſſe,præſertim ſtudio & arte qvorundam,qvi gratiam Regis aucupantes, inſciâ Repub.Polonicâ vetera pacta & fœdera cum regno Sveciæ imprudenter reſcidiſſent.* Hoc qvidem ex dictis comitiis Varſavienſ.conſtat magnum Cancellarium Johannem Zamoſcium diſſvaſiſſe bellum,in Livoniam aut Eſthoniam à Polonis transferendū, anteqvam bellū cum Moldaviis finitum,& pax cum Ruſſis inita eſſet; niſi interea Rex Sigis-

Sigismundus & Carolus Princeps reconciliari poſſent. Attamen Epiſcopos & regni Polonici Senatores qvosdam contrarium voluiſſe; & ipſum Zamoſcium poſtea ab Oratore Pontificio in aliam ſententiam perductum fuiſſe, conſtans fama erat. Qvin ante qvadriennium Legatus Polonicus, ut ex noſtris annalibus liqvet, Holmiæ ſatis indicarat, qvo animo Respub. Polonica erga Svetiam eſſet, nimirum hoſtili, ſi à decreto Norcopenſi diſcedere nollet, uti ſup. ſuo loco narratum eſt. Sigismundus ergò bello contra Svedos ſuſcipiendo neceſſaria, novamqve claſſem parans, etiam naves qvasdam Batavas in portu Gedanenſi ſtantes, ſive vi ſive ſponte, eodem fine conducit. Carolus contra per legatum ſuum ab Ordinibus Bataviæ deſiderat, *ne navibus aut opibus ſuis Sigismundum, contra ſe & Svediam, in communi cauſâ pro religione ac libertate decertantes, adjuvare velint.* Ordines reſpondent, *ipſos nihil de navibus Batavis, Sigismundo operam dantibus, inaudiviſſe. Sed accidere potuiſſe, ut eas in portubus ſuis deprehenſas, vel invitas, uti fit, ad expeditionem in Svediam duxerit. Interim ipſum de eorum amicitia & fide certum eſſe jubent.* Qvamvis verò induciæ à Polonis in ſpeciem qværerentur, moræ ſolùm trahendæ, & novi belli adverſus Svedos melius apparandi cauſa: dum res ipſorum & inteſtinæ in regno diſſenſiones & externa eorum alibi bella componerentur; nihilominus tamen Sigismundi delegati ac præfecti militiæ Leo Sapieha & Georgius Farensbachius incolas Livoniæ jam adverſus Caroli vim, ubicunqve illa ingrueret, junctis viribus arcendam, per edicta publica excitarant, anteqvam ille pedem in Livoniam intuliſſet. Idcircò Carolus rebus patriæ & Eſthoniæ in tempore conſulturus, eamqve neceſſariis armis contra aſſultum hoſtilem defenſurus, cum juſtis copiis in Eſthoniam movit, ibiqve Revaliam & cætera loca, qvæ ad Svedorum ditionem pertinebant, tuendi cauſa occupatum ivit. At Farensbachius à Sigismundo ſolos Livoniæ fines contra Caroli vim defendere juſſus, etiam in Eſthoniam conceſſit, & Caroli copias non unis proluſionibus laceſſivit. Carolus per legatũ ſuum percontantẽ, cujus juſſu talia perageret, nullo reſponſo dignatus Farensbachius legatum Caroli detentum in Poloniam ad Regẽ miſit. Dein novis copiis Polonicis in Livoniam ſubinde adductis, Farensbachium majora moliri, eaqve Reipub. Polonicæ, Livoniam ſibi & Eſthoniam vendicantis, nomine fieri, atqve infeſta hoſtis arma intra provincias ſuas ſibi exſpectanda eſſe Carolus videns, anteqvam augeſcerent Polonorum vires antevertere, belliqve futuri ſedem in Livoniâ qværere decrevit; nulla belli denunciatione contra profeſſum hoſtem opus eſſe arbitratus. Livoni verò præter ſævam famem, etiam, qvæ eam comitari ſolet, peſte conflictati,

hinc à Svedis, inde à Polonis bello inſuper impetebantur; animis nunc in illas, nunc in has partes propendentibus. Tandem arrepto ſive neceſſitatis ſive deſperationis telo: qvod eorum ſacerdotes à Polonis ejiciebantur; templa deſtruebantur, ſacrorum libertas adimebatur, & Pontificia religio illis obtrudebatur; conſilium à Polonis deſciſcendi ceperunt, mentibus jam ſatis ab eis alienati. Hinc Svedis non minus ferme, qvàm à propriis viribus, in Livonia robur, nec minor fortuna acceſſit. Qvippe Parnoviam, Solenam, Ukervvaliam, Leiſſam, Felinum, munitiora Livoniæ loca atqve arces, non interrupto victoriarum curſu, invaſerunt. Qvum autem Poloni copiis longè inferiores eſſent, Farensbachio bis mille ſolum ducente, contra Svedis novem millium (qvidam viginti millium, fortè annumeratis Livonis, qvi ad eos confluxerant, & qvos ex Norlandia, ei præfectus Comes Abrahamus collectos adduxerat) exercitu armatis; aſtu contra eos egerunt: ut dolo ſupplerent, qvod viribus deeſſet. Carolum Caroli Gyldenhielm, Principis Caroli naturalem filium, juvenis qvidam accedit, ſe transfugam & malè à Farensbachio habitum fingens, Borkam occupatu facilem eſſe indicat, omni commeatu abundantem, & in qva Farensbachius pretioſiſſima rerum condidiſſet. Dum Carolus, homini fidem habens, ſed vano & fraudulento, ut eventus docuit, eò cum qvingentis à patre miſſus, per impedita ſilvis loca à transfuga deducitur, mox proditor, qvum jam in propinqvo eſſet, admiſſo eqvo procurrit, qvaſi conſciis ſignum daturus, & Farensbachio re nunciatâ, à clam abditis inſidiis Carolus circumfuſis, cum ſuis profligatur. Carolus pater ultione ardens, confeſtim oppidum coronâ cum univerſis copiis cingit. Svedi è Finnonia à Sigismundo evocati & iſtic præſidio impoſiti, poſt rem ſtrenuè geſtam & Carolum bis repulſum, tandē honeſtis conditionibus deditionem fecere, explicatis ſignis victoris præſidio in tuta deducti. Ingens ibi rerum copia reperta, præſertim Farensbachii ſupellex & magna vis argenti: qvæ ille ſuſcitantibus, cur adveniente Carolo non in locum tutiorē aſportaſſet, ferociter reſpondit: id ſe eò feciſſe, *ut Carolus victor intelligeret, ſibi non cum homine nihili rem fuiſſe.* Levioribus autem excurſionibus, qvantū poterat, carpebat Sveones Farensbachius, donec Chriſtophorus Radzivil, Lithuaniæ Princeps, Vilna cum VM. eqvitum DC. circiter peditum copiis acceſſit. Hic pari prælio utrinq; commiſſis, & diſcedentibus inde Sveonibus à Polonis & Germanis, nullo non genere crudelitatis in Livonos ſæviebatur. Non poteſt non honeſtis auribus horrorem incutere inſolentia hoſtilis in virgines Livonicas paſſim, etiam in conſpectu parentum, & mulieres, eorum maritis palo alligatis, absq; ullo pudore ſtupratas, exercita. Carolo verò Dorpatum oppugnante,

pugnante,copiarum ejus qvasdam Wendam digredientes hoſtis ſtravit,plu-
ribus qvi ſe per obvium flumen recipere conabantur, glacie diſſiliente ſub-
merſis.Poſtea Kokenhuſa,inde præſidio expulſo,crudeliter diripitur,Sveticis
contra ſcripta pacta miſerè trucidatis. Carolus Caroli caſtris exuitur,Wenda
ac alia minora caſtella à Polono recuperantur. Sed qvum Carolus cum uni-
verſis ſuis copiis adveniſſet,in Dorpatũ omnis vis ab hoſte converſa eſt,dum
præſidio adhuc tenebatur à Georgio Skeneberg, Henrico Stammel & Her-
manno Wrangel præfectis.Hi poſt aliqvot oppugnationes,qvum nulla auxi-
lii ſpes eſſet,imperante neceſſitate deditionem faciebant. Ipſi præfecti capie-
bantur,oppidum autẽ à direptione ſervabatur,arce militi in prædã conceſſa.
Sex menſium ſpatio omnia fermè Livoniæ, præter Rigam, Dunemundam &
Kokenhuſam, in Caroli poteſtatem venerunt, inprimis Sigismundi & Polo-
norum cunctatione.Mox eqveſtrium copiarum,in Germania conductarum,
aucto numero, Carolus Rigam aggreditur,& ut tradant urbẽ cives, poſtulat.
Rigenſes reſpondent, qvando totâ Livoniâ potitus fuerit, ſe, qvod ipſos de-
ceat,in mediũ conſulturos. Ille autem trajecto Duna in Semigalliam copias
deducit,& Rigenſibus non levia damna adfert. Reſittum deditione occupat.
Kokenhuſianam urbem alterâ oppugnatione capit,arce munitiſſimâ, in qvã
ſe receperant Poloni,fruſtra tentatâ.Exeunte Aprili,Sicinskius,ſtrenuus Polo-
norum dux, in arce Kokenhuſiana obſeſſis, & aqvæ penuriâ maximè labo-
rantibus, auxilium mittit, & ſpem melioris fortunæ, ſi in fide & conſtan-
tia permaneant, facit. Sub idem tempus Johannes Tiſenhuſen, qvi Polonos
ante Jacobi feſtum non adventuros adſeverarat, & Georgius Reſern, qvum
commeatum urbi Kokenhuſianæ inopiâ adflictæ procurarent,& convehi cu-
rarent, poculis dediti, tardius iter fecerunt. Unde à Sicinskio ſecuri, nec-
opinantes oppreſſi, ad vicum Stokmanshofen cæduntur & in fugam agun-
tur,commeatu & impedimentis exuti.qvod ut Svecis in urbe animos minuit,
ita obſeſſis in arce addidit; qvi mutato rerum ſtatu non jam obſideri, ſed ob-
ſidere oppidum videbantur. Carolus Caroli cognito Tiſenhuſii caſu, ſuis
ſubventum it,&, periculoſâ qvamvis viâ, commeatum Dunâ ſubvehendum
curat.Interim occultatis in ſubjecta ſilva inſidiis, ipſe cum trecentis delectis
primum agmen ductat. Averſus eum miſſus Liskovitz cum qvadringentis,
cedentem ſenſim inſeqvitur, donec in inſidias conjectus & undiqve circum-
ventus, cũ ſuis ad unũ proſtratus eſt, ſolo tribuno Simoskovio à Svecis vivo
capto. Sic noſtrates curâ & ſolertia Caroli Gyldenhielm feliciter victores e-
vaſere, & inſidias ante ſibi ſtructas novis ulti ſunt inſidiis. Radzivilius con-
feſtim eò Sicinskium cum mille delectis miſit, qvi damnũ illatum reſarciret,

 & per-

& perſeqveretur hoſtem victoriâ exultantem. qvem etiam, ut à ruſtico doctus erat, ad Oellen vicum, genio indulgentem cum ſuis deprehendit. Noſtri tamen etſi inopino caſu nihil territi, arreptis ſubitò armis ſtrenuè confligunt, & in iis præcipuè Germani, haud dubiâ victoriâ; niſi Carolus pejora veritus, in arcem loci ſe recepiſſet. In eâ tumultuariâ pugnâ ex Carolinis Fabianus Tiſenhuſen, acer animi uſuqve belli præſtans, lanceæ ictu transfixus occubuit, & Johannes Saſſevvegen, & viginti circiter Germani in eodem veſtigio, qvo pugnabant, ceciderunt. Ex Polonis & Lithuanis amplius trecenti perierunt, præter eos qvi ex vulneribus poſtea mortem oppetebant; victoriâ tamen & Svecorum impedimentis hoſti relictis. Inde ferro ac flammis omnia circum populatur Sicinskius, fœminis etiam in propinqva arce, in qva ſe tutas fore ſperabant, incendio miſerè abſumtis. Carolus denuò pugnæ aleam tentaturus, coactis MD. eqvitum & M. peditum, ad Kokenhuſam laborantibus præſto eſſe conſtituit, & pridiè Idus Junias uno ab urbe lapide caſtra fixit, carris undiqve pro vallo diſpoſitis. Poſtridie levioribus aliqvot excurſionibus præmiſſis, exercitus utrinqve ſub horam ſeptimam matutinam caſtris educebatur. Primam Svecorum aciem Hermannus Wrangel ducebat, qvem Roſenberg cum Parnovianis & Wendenſibus ſeqvebatur. Polonicæ aciei dux erat Janus Radzivil Chriſtophori filius, cum patruele Georgio. Germanorum in commiſſo prælio virtus primò emicuit: dum Lithuanos in fugam propulſos ad tria milliaria inſectati ſunt, tormentis etiam hoſti ereptis, qvorum partem clavis transfixerat, ut inutilia redderentur. Ex adverſo Svecorum peditum Sicinskius ſtabat, & qvamvis ſclopetariorum ictibus infeſtis peteretur, tamen ſe loco non movebat.
1601 Carolus Caroli eqvitum agmina ducebat; à qvorum fortitudine belli fortuna exſpectanda fuiſſet; niſi numero hoſtium territi, fruſtra eos animante & virtutis ſuæ exemplo verbis revocante duce, pedem retuliſſent. Sed reliqvi Sveci & Germani pedites, ad prælium parati, eqvitatus dedecus ſua virtute eluebant, & fortiter dimicantes, victoriam Radzivilio non ſolùm cruentam, ſed etiam dubiam faciebant. A ſeptima matutina ad pomeridianam pugna trahebatur, in qva qvum Sveci & Germani nihil ad ſummum conſtantiæ & pugnæ ardorem reliqvi feciſſent, ad bis mille fuſi, pauci capti ſunt, & in his præcipui, Georgius Kindenerus, Roſenberg, Thomas Bork, Gulielmus Wirgand, Franciſcus Varda, & perſpectæ virtutis Hermannus Wrangelius & Tiſenhuſius; plures ex Polonis & Lithuanis deſiderabantur. Radzivil tamen campo potitus, repente ad obſeſſos mittit & deditionem illis imperat, qvam poſt longam contentionem tandem, vitæ gratiam pacti, ſubie-

ſubiere. Poloni urbem ingreſſi, & in inermes, qvi ſe in templum receperant, irruunt, eos, odio efferati, neci deſtinantes; niſi Radzivilius eorum miſeratione ductus, per poſticum emiſiſſet. Nihilominus miſeri homines & fœminæ cum pueris per portam flumentanam, ut vocant, ſe effundentes, ferro evitato, aqvis in Duna abſorpti perierunt. Ita lethiferum fatum non vitarunt, ſed mutarunt ſolùm; hoc ipſo tamen mitius, qvod hoſtium ſævitiæ & ludibrio non eſſent expoſiti. Radzivil ſuum exercitum recognoſcens, cum ſex millibus Wendam it, captis in itinere qvibusdam municipiis à Svetico milite deſertis. Capellus, qvi Wendæ præerat, impar viribus, ſub pactâ fide ipſi ſervatâ ſe ſuosq; dedit. Carolus firmatis viribus in Livoniam redit, Lithuanis, qvi nihil tale metuebant, ſecurè agentibus: unde trepidatione in caſtris orta, fugientibus qvàm pugnantibus ſimiliores, inſigni clade affecti ſunt, & major præda recepta eſt, qvam amiſſa fuerat. Recuperabantur qvoqve omnia ferme oppida, à Lithuanis ante occupata. Carolus præfecto eqveſtribus copiis Johanne Comite Naſſovio, perito militiæ, qvam ſub Mauritio patruele didicerat, & auctis militum copiis, obſidionem Rigæ intentabat; ut tamen Polonos, in proximo ſtationem habentes eiqve obſtituros, prius inde pelleret. Illi numero deteriores hoſte, pugnam detrectarunt, ut Rigam verſus receſſerunt. Comperto autem, Farensbachium ad urbem caſtra ſua poſuiſſe, & excitaſſe in ſuburbio aggerem egregiâ foſſâ firmatum, ad defendendam contra Svecos urbem, Carolus eum aggreſſus primo impetu cepit, cæſis in eo CC. Polonis, cæteris intra urbem repulſis. Tandem verò qvum continuâ pluviâ, & frigore poſt imbrem ſæviente vexarentur caſtra, & commeatus præcipiti hyeme commodè ſupportari non poſſet, allato deniqve de Regis Poloniæ adventu nuncio, ſoluta eſt obſidio Rigæ. Zamoſcius magnus Poloniæ Cancellarius & exercituum præfectus cum ſuis copiis decem millium partim publico ſtipendio, partim Regis impenſâ conductis, primus Livoniam intravit, adventum Regis ibi exſpectaturus. Interim ad Carolum Principem tubicinem mittit, cum acerbis & contumelioſis literis, qvarum ſumma erat: *qvod contra morem gentium, non ſolùm Chriſtianorum, ſtante inter regna Sveciæ & Poloniæ pacis fœdere, nullâ provocatus injuria, nec indicto bello, provinciam Poloniæ Livoniam invaſiſſet, & patruus nepotem hæreditario regno ſpoliaſſet.* Simul ipſum *ad ſingulare certamen aut prælium laceſſit, qvo tantæ injuriæ juſto Dei judicio & ferro arbitro,* ut ajebat, *deciderentur.* Qvidam ſcribunt, Carolum, nullo dato reſponſo, prælium aut duellum ſubterfugiſſe. Thuanus tamen in hiſtoria ſua refert, & ipſe Carolus in ſua ad Zamoſcium epiſtola, qvæ inter Acta Caroli in Archivo ſervatur, ſatis oſtendit, ſe

reſpondiſſe; poſtremò ut contemtus injuriam contra Zamoſcium ſcripto ulciſceretur, ſeqventia verba (præſertim de duello ipſi oblato) literis ſuis aut ſchedæ inſeruit: *Non es mihi par; ſi par eſſes, non armis te, ſed fuſte depexum & unctum darem.* Qvibus acceptis, Zamoſcius ſupra modum excanduit, & amarulentum reſponſum, exiſtimationis ſuæ tuendæ, Principis, ſi poſſet, minuendæ cauſa ad Carolum remiſit; qvod apud Thuanum etiam exſtat. Sigiſmũdus demum exeunte Septembri in Livoniam advenit, dum ob innumera turbæ aulicorum bello inutilium impedimenta ipſum ſeqventia, tardius iter fecit. Dedit eodem tempore literas ex caſtris ad Livonos, odii & contumeliarum in Carolum plenas; qvibus eos ſpe gratiæ & commodorum ad defectionem à Carolo Principe, aut ejus traditionem hortatus eſt. Idem in ſuis ad eos literis poſtea Zamoſcius, ſpe etiam facta immunitatum & libertatis in religione retinendæ ſcripſit; irrito tamen incepto. Qvum enim Livoni nihilo magis commoverentur, & minus commodè ad dictas literas reſpondere Polonis viderentur, præſertim offenſis antea animis, & tot ſævitiæ in ipſos editis altâqꝫ mente repoſitis exemplis; ſed & qvod promiſſi fidem de libera religione retinenda ſuſpectam haberent, nec impletum iri ſibi perſvaderent, fidem, vel cum corporis & fortunarum detrimento, Carolo ſervare certi, à partibus diſcedere recuſabant. Ideò bellum contra Carolum & ſocios seriò decernitur à Sigiſmundo, Rigam abeunte, ut civium iſtic animos ad omnes caſus præpararet ac confirmaret. Sed fame totam Livoniam pervagante, qva aliqvot hominum contabeſcentium millia miſerè perierunt, & ipſæ belluæ, fame ac rabie efferatæ, in cadavera hominum, paſſim inhumata jacentia, ſævierunt; & appetente hyeme, inde in Poloniam redit, commiſſa totius belli adminiſtratione Zamoſcio. Ille Octobri menſe ad Wolmariam caſtra locat, & tormentis, qvæ per XL. amplius dies præſtolatus erat, qvod per limoſas & frigore concretas vias ægrè trahebantur, tandem advectis, nihil cunctatus, arcis oppugnationem aggreditur. Sed qvum in terra ſolidè congelata, ſuggeſtus diſponendis tormentis neceſſarius exſtrui non poſſet, terra ſuperiori ad duos palmos altè reciſa corbes impleri, ac vineas aggereſqꝫ excitari curavit; qvibus impoſita tormenta oppidi & arcis muros vehementer verberabant, ut eis perforatis tam lata pateret ruina, ut nulla materia ei obſtruendæ ſatis eſſet. IV. Eid. Decembris oppugnatio imperatur ad qvam pedites fame attenuati vix induci poterant; donec eqvites in pedes deſilirent, & exemplo peditibus ad irruendum præirent. Obſeſſi licet morbis debilitati, primum tamen impetum ſtrenuè ſuſtinuerunt. tandem continua tormentorum vi & aqvæ penuria ad extrema redacti, poſt trium menſium oppugnationem hoſti

ſe de-

ſe dedunt. Wolmariæ ingens annonæ copia reperiebatur, ſed minus bellici apparatus. Carolus Gyldenhielm & Jacobus de la Gardie præfecti loci, qvem per tot menſes fortiter tutati erant, capti, comiter qvidem à Zamoſcio exci- 1602
piebantur, ſed mox in Poloniam traducti, & in arce Ravenſi cuſtodiæ traditi ſunt. Zamoſcius diſtributis per hyemem in ſtativa militibus, & ſævitiâ frigoris aliqvantum remittente, copias iterum menſe Martio eduxit, & arces ab hoſte captas recuperatum ivit. Et qvidem Ermezum, Helmetum, Atzelam, Runkeburgum atqve alia obvia caſtella deditione accepit. Inde Felinum tendit, arcem muro ac foſſis munitam, ad Moldavum fl. olim ab Ordinis Teutonici magiſtris adverſus Moſchorum vim & impreſſiones exſtructam. Interea Naſſoviani, qvi Oberpalæ erant, in impedimenta militum Zamoſcii irruptione facta, magnam prædam fecerunt. Verùm gravius cum fame & penuria, qvàm cum hoſte certamen Naſſovianis erat. qvi aſſiduo labore & vigiliis fracti, ſæpè totos viginti dies, pane, cerviſia & ſale carebant, carne, & aqva turbida, ex inſalubribus paludibus hauſta, ægrè viventes. Qvin fames ita poſtmodò creviſſe fertur & hyemis aſperitas, ut ſupra triginta millia hominum abſumeret. Multi ad cadavera ubicunqve reperta, vel terris eruta, vel patibulis exempta, contra naturalem uſum voranda adacti ſunt. deprehenſi etiam, qvi liberos ad explendam famem mactarent. Felinum Zamoſcius obſidens, operam trium menſium in eo conſumſit, nec absqve ſuorum jactura. Tandem aqvâ in caſtello deficiente, hoſtis occaſioni intentus, per biduum oppugnationem arcis, & qvidem novies, etſi irrito tentamento, moliebatur. Tam fortiter enim Arvidus Antonii Willeman arci præfectus, cum ſuis præſidiis eam tutabatur, atqve oppugnantes ſubinde repellebat. Qvin reconditis in cella caſtelli qvatuor pulvere nitrato repletis cadis, ſi ad extrema deveniretur, ſuccenſo pulvere, hoſtem arce occupata, internecione delere cogitabat. Et Zamoſcius arcem jam tertio die expugnatum ibat. Sed anteqvam occupaſſet, aut obſeſſi ſe hoſti dederent, improvidus qvidam ſclopetarius, ante tempus, forſan ex deſperatione, certe injuſſus, inflammabat pulverem pyrium. qvo facto, ſubita vis ignis præfectum arcis & triginta milites in ſublime excuſſit. Iſtos triginta viros vehementia graſſantis incendii repente percuſſit ac neci dedit. Præfectus autem arci Willeman, etſi per aëra libratus, tamen vivus & incolumis, miro ac ſingulari fati favore, evaſit, & ambuſto qvidẽ aliqvantũ, ſex mox curato corpore, cum paucis ſuperſtitibus deditionem facere coactus eſt. Hoc qvũ ipſe in libello qvodã, qvẽ ab ejus genero illuſtriſſ. Claudio Rhalamb, nunc R. Senatore propriâ ſua manu ſcripſiſſet, inde, velut memoriâ dignũ, excerptũ, hiſtoriæ inſerere viſum eſt. Ille v. ob ſtrenuã & obſtinatã defenſæ arcis fidem, à Carolo arci Wiburgenſi eodem año præfectus eſt.

Feli-

Felino arce à Polonis occupatâ,deinde Livonia tota exceptâ Pernaviâ, redigitur in Polonorum poteſtatem. Inde Eſthoniam invadit, Polonus & Weſenbergam ac Wittenſtenium, arces munitas occupat, qvas præſidiis inſtruit. Actum eſt hoc anno de controverſia inter Svecos & Lubecenſes, ob detentas utrinqve naves & merces atqve commerciorum uſum interdictum, per arbitros Palatini Septemviri & Mauritii Haſſi legatos componenda.Sed res exitu caruit,donec alio tempore tandem dirimeretur.Cauſam diſſidii antea ad finem anni MDXCIX. expoſui. Conſtitutio Caroli edita eſt de monetæ Sveticæ ordinatione, atqve ut commercia inter cives & peregrinos in publico ejus uſu inſtituantur: ne neglecta vileſcat. ut tamen ſolutio æris alieni in uncialibus nummis (daleros vulgò vocant) promiſſa, in iisdem præſtetur.Ordinatis in Finnoniâ circa initium hujus anni ab ipſo Carolo Principe præſente rebus; & reduce,Comitia Stocholmiæ habebantur,in *qvibus poſt confirmatam à Rege Carolo & Ordinibus regni ſanam Fidei doctrinam & Auguſtanam Confeſſionem*, conſtitutum & decretum eſt, *ut, Sigismundo regiâ dignitate emoto, ea in Carolo Principe ejusqve liberis ac poſteris certa lege ſtabiliretur*, qvam *Unionem hæreditariam* vocant. Actum etiam eſt *de Senatoribus regni Carolo adjungendis. De continuandi belli ſubſidiis, ſi hoſtis pacem abnuat, & de copiis militaribus ſupplendis.* Præterea *de actis publicis inferiorum judiciorum, Cancellariæ inſinuandis, & de Fiſco territoriali inſtituendo. Ut Codex Legum provincialium recenſeatur & edatur. Ut in eos animadvertatur,qvi contra interdictum Lubecam navigant. Ut ſubvectionum,& diverſoriorum publicorum diſpenſatio Carolo committatur. Ut judicia provincialia inqviſitoria*, ſic appellant, *in uſum revocentur. Convenientem judiciorum & appellationis ordinem obſervandum eſſe. Ne in dubiis cauſis qvivis temerè ad purgationis jusjurandum admittantur. Ut æqvalitas ponderum & menſurarum Caroli diſpoſitioni commendetur. Ut cuprum & ferrum in laminas & perticas rectè cudantur, & publici characteris ſigno impreſſo, absq; dolo & vitio in vaſa compingantur. Ut peregrinis non liceat ultra ſex hebdomadas in urbibus Svetiæ commercandi cauſa manere: ne hoc indigenis civibus fraudi ſit. Si diutius iſtic permanere velint, jus civitatis ſibi adqvirant, & onera cum reliqvis civibus æqvalia ſuſtineant. Qvia qverela circumferatur, nullum Svedum in Dania aut Lubecæ famuli loco conduci, idem denegetur hîc Danis & Lubecenſibus. Svedi ſubditi dimidium vectigalis in evehendis mercibus pendant,in invehendis immunes à vectigali ſint. Biblia Svetica recenſeantur, & in lucem edantur. Ut hæc decreta fideliter ſerventur,*
1603 *atqve reſpuentes ex merito plectantur.* In limite utriusqve regni, Svediæ & Daniæ, Flackſiöbecæ conventus ab utriusqve Regis delegatis (Svetici erant

Comes

Comes Abrahamus Brahe, Axelius Ryning, Svanto Bielke, Lybertus
Kofver, Georgius Claudii & Johannes Erici) habitus eſt: in qvo qvædam
inter illos diſſenſiones de Sonneburgi in Livonia reſtitutione, de trium Co-
ronarum à Danis omittendâ uſurpatione, de dominio maris & jurisdictione
in Lappones maritimos, de vectigalis immunitate, de navigatione Dano-
rum Rigam & Curlandiam verſus, manente inter Svedos ac Polonos bello,
abſtinenda, utrimqve qvidem diſcuſſæ, ſed per contrarias ſententias judica-
tæ, atqve ſic indeciſæ relictæ, tandem ad arbitros remiſſæ ſunt. Danici no-
minabant Johannem Sigismundum Electorem Brandenburg. aut qvem
Svetici vellent. Sed qvum de arbitris tunc non conveniretur, infecta re diſ-
ceſſum utrinqve eſt. Edictum Caroli publicatum eſt *de recognoſcendis qvolibet
trienmo ædificiis prædiorum ruſticorum, & ut ſarta tecta habeantur.* item *de ve-
redis à colono gratuitis non capiendis, ſub gravi pœna; niſi in regni negotiis,
& cum commeatus literis. de promiſcua monetæ evectione prohibitâ. Ut vulgus
ſibi caveat à blaſphemiis, à temerariis & levibus juramentis ac maledictis, &
latentibus hic Pontificiis.* Hoc, & ſuperiori anno, dum Carolus in Livonico 1604
bello verſabatur, Weſenbergâ & obſidione & virtute Andreæ Linnarti recu-
peratâ, peſtis graviter adflixit Svetiam. Norcopiæ Ordines regni XIII. Kal.
April. Carolo Principi Svetiæ regnum iterum deferebant, & Unionem hæ-
reditariam, jam ante biennium in Comitiis Holmenſibus ſancitam denuò
in comitiis Norcopenſibus, & poſtea örebrogæ anno MDC X. confirma-
bant. At comitiorum Norcopenſium ſummâ talis erat: *Ut ſucceſſio regni in-
poſterum ad Carolinam Familiam, non ſolùm maſculam, ſed etiam, hac deficiente,
ad fœmineam conſentientibus Ordinū ſuffragiis adſtringeretur; hac tamen lege &
conditione, ut conjugium cum illuſtri perſonâ Sveticæ gentis, aut alia erga Svetiam
bene affecta, nec alienæ religionis iniret. Qvi hoc regnum, nunc hæreditarium, ad
electionem redigere conarentur, eos perduellionis reos judicandos; & profugos
regno intra ſemeſtre, promiſſâ ſecuritate, domum revocandos eſſe. Adverſus Sigis-
mundum & Polonos aliosq; hoſtes, in continuos tres proximos annos, novem millia
militum decernebant. Ut ex nupero Holmiæ decreto Leges regni provinciales re-
cognoſcantur, & qvæ correctione indigent, emendentur. Ut pro immunitate & ve-
cturis publicis Coronæ debitis, & hoſpitiorum oneribus ruſtici certum ſubſidium
nummarium expendant. Ut diverſoria in certis regni locis, ubi & qvotcunqve
opus fuerit, inſtituantur, in qvæ viatores & hoſpites pro æqvo pretio recipian-
tur. Ne monetæ æſtimatio pro arbitrio privatorum augeatur; dalerus Sveticus
non plus triginta ſex ſeſtertiis uſitatis æſtimetur. Ut vetus conſvetudo renove-
tur in argento rudi vel ſignato, ad ſublevationem rei monetariæ, decimâ*

exportandarum mercium telonio à mercatoribus inferendâ, & minori monetâ Sveticâ ejusdem æſtimationis recipienda. Ut nullus prætorum aut miniſtrorum aulicorum quæcunq; nova onera ſubditis imponendi, absq; juſſu aut edicto Regio, poteſtatem habeat, niſi in læſæ majeſtatis crimen incidere velit. Nemo judicum provincialium, aut territorialium, regiorum præfectorum, Nobilium aut aliorum, præter ordinarium ſupremum magiſtratum, facultatem aut jus habeat criminum capitalium gratiam faciendi, ſupprimendi, componendi aut indulgendi, ſed ad ordinaria tribunalia remittat. Si ſecus fecerit, pro proditore habeatur. Menſurarum, ſtaterarum & ulnarum ordinatio ſupremo magiſtratui & ſenatui regni, ut in Decreto Stocholmenſi, committatur. Qvum in regiarum filiarum dotem Guſtavi I. teſtamento, ab Ordinibus regni confirmato, CM. dalerorum penſio conſtituta ſit, Carolus rogatur, ut cum conſilio Senatus, ad qvantam qvisqve ſubditorum partem pendendam obligetur, qvum id nusqvam definitum ſit, determinare velit. Opifices per regnum in ſingulis territoriis conſtituantur, qvi dalerum qvotannis ærario inferant. In ſingulis emporiis exſtruantur ædes pannorum, in qvibus omnis generis panni, an bonæ notæ & juſtæ menſuræ ſint, certo experimento cognoſcatur. Nemo qvi beneficiaria, qvæ vocant, prædia à Rege accepit, decimas aut alias penſiones annuas ſibi retineat, niſi in literis Regis ab illis expreſſè exemtus ſit. nec, cui tale beneficium à Rege conceſſum eſt, colonos à ſubvectionibus publicis & angariis immunes faciat. qvi ſecus faxit, beneficio privetur. Decimæ ritè exigantur, nemo ab iis immunis ſit; nec à pecunia in judicium provinciale ac territoriale ab illis, qvi prædia ruri poſſident, conferenda. Ordinatio provincialis Guſtavi I. de juris adminiſtratione, & politici ſtatus conſtitutione, recognita adjungatur Codici Legum provincialium in lucem emittendo. Ferrum regno exportandum; ne cuprum, globi, lapides aut aliud qvid admiſceatur, in perticas opere fabrili cudatur: qvod inſpectores cenſebunt, ne fraus fiat. Beneficiorum & feudorum à Regibus conceſſorum confirmatio petatur à ſucceſſoribus Regibus. Eadem pignori vel hypothecæ obligare aut alienare non liceat, niſi prius Principi aut Regi, à qvo profecta ſunt, offerantur. Si verò beneficiarius aut vaſallus absqve maſculis hæredibus decedat, redeant ad Coronam aut illum à qvo devenerunt, nec tranſeant ad hæredes in linea aſcendente vel ex latere; ita tamen, ut relictæ filiæ de idonea dote à Rege diſpiciatur. Si verò tali viro nubat, qvi ſingularem operam ac merita regi ac patriæ probare poſſit, in illum & maſculos ejus hæredes idem beneficium producatur. Mulctarum tertia pars citra fraudem inferatur Fiſco cujusvis territorii. Ne fraus hîc admittatur, qvotannis circa feſtum Johannis exhibeantur actorum publicorum & rationum codices: qvod niſi fiat, judices & prætores à munere removeantur. Si Rex extra regnum ur-

gente

gente neceſſitate conſtitutus ſit, ex decreto Holmenſi non ultra Bartholomæi diem abſit. Hæc ita domi in comitiis conſtituta & decreta à ſingulorum Ordinum delegatis, præter promiſſas contributiones, approbata ſunt. Præterea edicto Caroli cautum eſt de prædiis Nobilium eqveſtrem operam pro eorum immunitate, qvoties neceſſe eſt, Regi & Coronæ præſtantium; ut *qvi non ipſi in expeditione & militia eqveſtri adeſſent, de illis cenſum Coronæ penderent.* Præter delegatos in Ruſſiam de limitibus conſtituendis, in Poloniam legati Axelius Kurke in Anvila & Henricus Horn in Kankas de pace tractanda, etſi fruſtra, miſſi ſunt. Conſpiratio, qvam Johannes Johannis cum qvibusdam Svedis exſulibus de prodenda Regi Sigismundo Finlandia & occidendo Carolo molitus erat, Regi Carolo detecta & cum auctoribus capitis pœna Holmiæ adfectis & è medio ſublatis, ſepulta eſt. Renovatur fœdus cum Jacobo Rege Britanniæ. De menſa communi pro C. ſtudioſis in Academia Upſal. inſtituendâ agitur. Foris in Livonia, Carolus Rex, Wittenſtenium, ſpe recuperandi, infeliciter impugnat, cum ter millium militum XXI. ſignorum & VII. tormentorum jactura. Cladis illius culpa in Arvidum Erici collata eſt, qvaſi cum hoſte clam feciſſet: qvâ cauſâ qvæſtionibus ſubjectus, nihil tale confeſſus eſt. & tamen in carcerem reductus, in eo morbis & mœrore confectus, poſt paucos annos mortem obiit. Inter ſuſpectos reos qvoqve fuit Chriſtianus Claudii Baro de Aminna; ſed ſe purgans à ſuſpicione, dimiſſus eſt. Sed Hogenskildus Bielke, propriis convictus literis, qvibus ſociorum facinus excuſatum iverat, & Carolum contumeliis proſciderat, capitis pœnam ſubit. Rex Carolus ad Regem Daniæ ſcripſit de arbitro controverſiarum anno M DC III. Flakſiöbecæ nondum deciſarum, de qvo tunc ibidem non convenerat. Nunc verò Carolus arbitrum dixit vel Mauritium Landgravium Haſſiæ, vel Henricum Julium Ducem Brunſvicenſem. qvo rex Daniæ qvoqve contentus erat, & ſic inter utrumqve convenerat, ut utriusqve delegati Wiſmariæ anno MDCVIII. ſe ſiſterent. de qva re ad dictum annum plura. Dum in Livonia Carolus Chotkivvitz, cui Zamoſcius, è provinciâ decedens, exercitum ſuum tradiderat, ad Dorpatum ſedet, Carolus rex Svetiæ qvadraginta navium armata claſſe in Livoniam redit. Expoſito in terram exercitu, Dunemundam Rigæ proximam occupat, ipſiqve Rigæ Id. Sextil. dedere ſe per tubicinem imperat. At Rigenſes Caroli denunciatione haud conterriti, ſe ad obſidionem ſuſtinendam ſatis præpararant. Mox Carolus ipſe cum Duce Luneburgico & copiis duodecim millium (vel, ut alii, qvatuordecim millium, qvidam ſedecim millium) armatorũ accedit. Urbi propinqvus, ite-

rum deditionem facere jubet. ſed hæc pari conſtantia, qva prior, à Rigenſibus rejiciebatur. Ad nuncium rei Chotkevvitz cum tribus millibus peditum, & mille qvingentis eqvitibus, recta Dunemundam & inde Wolmariam petit. Acceptâ in itinere famâ, Andream Lindormi vel, ut alii, Linnarti F. præfectum militiæ Caroli cum qvatuor millibus Revaliâ ad Regem tendere; ut viæ compendio illum præveniret, anteqvam ſe cum Carolo conjungeret, Felinum deflectit. Qvum uterqve inter Felinum & Parnoviam concurriſſet, iſtic levi prælio commiſſo, dictus Andreas, cum non nulla clade iſtinc diſceſſit, ad Fikelnoſam vicum caſtra muniturus. Chotkevvitz autem, ſuppetias è Lithuania exſpectans, Felinum contendit, & loco præſidiis inſtructo, propius Rigam iter facit, Gavaqve fl. trajecto, haud procul Wendâ, ſpatioſo loco, ſed vallo bene munito caſtra locat. Interim Carolo occaſioni invigilante, Chotkevvitz ad Dunam prope Iskelium tribus ab urbe Riga milliaribus conſidet: ut ex propinqvo Rigenſibus, ſi opus foret, & hoſtium conatibus intentior eſſe poſſet. At Carolus, cognitâ copiarum hoſtilium paucitate, ad pugnandi impetum, atqve, ſi prælio ſuperior futurus eſſet, ad ipſam urbem Rigam ſubitò occupandi ſpem arrectus, dilatâ propter impendentem hyemem obſidione Rigæ, Kerckholmam ſe recipit, & collibus, opportuno ſibi loco, inſeſſis, aciem inſtruit, interjacente patenti latoqve campo. Poloni verò juxta Dunam alas ſuas explicabant. Dum jam in procinctu utrinqve ſtant acies, Fridericus Curlandiæ Dux cum qvingentis ſelectis eqvitibus Curlandis, transmiſſo per oportunum vadum Dunâ, Polonis commodè ſubſidio venit. Chotkevvitz, qvum, levioribus pugnis ad meridiem extractis, in morâ plus diſcriminis, qvàm in pugna eſſe duceret, aſtu uti voluit: ut hoſtem ex collibus in planitiem, eqvitatui ſuo commodiorem, proliceret. Idcircò monitis ſuis, ne ignaris res inopina qvid terroris injiceret, confeſtim velites revocatos ſpecie fugientium aut deſperationis cedere retrò jubet. Noſter exercitus, qvod calliditas erat, formidinem interpretatus, velocius in eum impreſſionem facturus, in plana deſcendit, undecim tormentis procedentibus. qvæ ſeqvebatur phalanx, contis prælongis à fronte munita, & ſclopetis undiqve circumfuſa erat. Haſtati ad eqvitatus ſiniſtrum cornu poſiti, conferta manu Polonos à tergo invadere juſſi erant. dextrum verò cornu exertâ fronte incedebat, auxilio aliis ex neceſſitate futurum. Chotkevvitz aciem copiarum ſuarum ita inſtruxerat, ut ad omnes eventus eam crebris & opportunis ſubſidiis facilè ſupplere poſſet. Dextrum cornu Johannes Sapieha, lævum Thomas Dumbrovva regebat. In medio agmine ipſe Chotkevvitz

cum

cum ſua cohorte prætoriana & Curlandico eqvitatu ſtabat. qvi ſuos hortatus, primò prætorianos, Vincentio Wogna duce, in phalangem hoſtilem immittit, Curlandis eqvitibus ſubſeqvi juſſis. Dumbrovva verò cũ ſiniſtro ſuo cornu procurrens, & vento ſecundo à mari proximo flante uſus, in dextrum Sveonum cornu acri impetu invehitur, & turmas cædibus permiſcet. Carolus ſiniſtræ alæ eqvites Polonum à tergo circumvenire juſſerat. Sed hi ab occurrente Sapieha ſtrenuè excepti, loco pulſi & in fugam verſi ſunt. Hoc victoriæ Polonorum initium fuit, qvæ tamen non ſemel redintegratis ſubinde à Carolo ordinibus vices variabat, donec poſt acerrimum qvatuor horarum certamen, acies Caroli & exercitus, itinere nocturno diurnoqve, pluviâ veſtibus madentibus, & obſtinato prælio defatigatus, inediâq; confectus, vacillare cœpit. Ita non amplius pugna, ſed trucidatio ſubſeqvebatur, octo millibus cæſis, præter occiſos in fuga ab agreſtibus, aut fluvio hauſtos. Ex præcipuis Caroli occubuerunt Fridericus Brunſvicenſis & Luneburg. Dux, ac Andreas Lindormi, Comitis Leonardi Torſtenſonii, Campi Mareſcalli, patruus, vir belli uſu & virtute ſpectatus: qvam ipſa morte confirmavit, non ſegniter aut *timidè* agendo; uti Carolus moræ impatiens, prælium differri, donec miles itinere feſſus reficeretur, ſvadenti exprobrarat. Carolus Princeps ipſe in acie ſtrenuè rem conſilio, manu & hortatu gerens, confoſſo, vel, ut alii tradunt, defatigato ejus eqvo; elapſurus in hoſtium ferme manus vivus aut mortuus veniſſet; niſi Henrici Wrede fideli curâ & induſtriâ in eqvum ipſius translatus fuiſſet; & qvidem cum propriæ vitæ jactura; ſimul ac enim eqvo deſcenderat, ab hoſte conciſus eſt. Hanc eximiam viri fidem non modò Carolus aliqvot prædiorum & agrorum donatione ac hæreditaria immunitate in uxore & liberis defuncti muneravit, ſed etiam Caroli neptis Chriſtina Regina Baronatus, ut appellant, honore in illis & poſteris eorum luculentius ornavit. Carolus in comitiis Örebroenſibus cladem 1606
Kerckholmenſem potius cordata conſilia, qvam muliebres qverelas exigere conteſtatus, cum regni Ordinibus de fortuna reſarcienda, novisqve belli viribus conſultat: in qvarum contributionem Ordines conſentiunt. Anno 1607
ſeqventi Carolus Princeps Upſaliæ præmiſſo conſveto jurejurando ac ſolennibus inaugurationis, Rex coronatur. Ut fama eſt, priſco Regum Svetiæ more, poſtremus regnum Svetiæ circuit: cives de ſua & ſe de civium fide confirmandi cauſa. In belli continuatione Sveones Dorpati obſidionem relinqvunt, perculſi nece ducis ſui Samuelis Nicolai. A Polono tamen validum propugnaculum, Wittenſtenium recuperant, hac occaſione. Qvum primâ aggreſſione caſtelli, ad ſeptentrionem obſervaſſent aggerem eſſe hu-

miliorem, eò tormenta traducere conabantur; ſed irrito labore, ob voraginoſum & impeditum ſolum. Rex tamen denuò experitur, ſpe difficilia pertinaci induſtriâ ſuperandi. Multa materia cæditur, & cum frondium & foliorum cumulo ad viam complanandam aggeritur, per qvam tormenta ad depreſſiorem valli partem, qva minimè exſpectabant præſidiarii, deducit; eosq; arctâ obſidione cinctos, qvum omnis auxilii ſpes falleret, tandem ad deditionem compellit. Alii expugnatam fuiſſe urbem, & mox Wolmariam, ſcribunt. Hoc peracto, ex victo exercitus iterum victor exiſtit. Certè res Svedorum, qvæ antea inclinabant, non parum nunc attolluntur; & detrimentum ex ſuperiori clade acceptum, imperatoris ſolertiâ & militum induſtriâ reconcinnatur. Uti antea non ſemel, ita nunc Carolus literis ad Ordines regni Polonici & deinde ad ipſum Sigiſmundum datis, vel æternam pacem vel longiores inducias qværit: ut fundendo ſangvini Chriſtiano tandem finis aut modus fiat. Sed nullum ad eas reſponſum accepit. Itaqve deſperatâ fermè pace, novas belli copias & opes parat. Ad Regem Galliæ, atqve Ordines Bataviæ mittit, ut permittant ab ipſo militem in ſuis provinciis ſcribi. Illi, qvi otioſis hominibus Regnum & Rempubl. repurgari non inviti ferebant, ultrò hoc conceſſerunt. Ut in regno ſuo Carolus præter Mariæſtadium in Wasbo, Carolſtadium in Wermelandia, Waſam in Bothnia orientali exſtructas, limitanea loca firmaret, in Boreali Finnonia caſtellum Cajanaburgenſe exſtrui curat; in Weſtrogothia Gotheburgum, ad inſulam Hiſingianam, ex adverſo Elfsburgi, regni Svetiæ limiti tuendo, & adverſus hoſtiles incurſiones propugnaculum. Gotheburgenſes etiam, qvod idoneo ad commercia loco habitarent, poſtea privilegiis donavit; felicioris incrementi cauſa. Qvamvis autem Carolus ad redintegrandum adverſus Polonos bellum accinctus eſſet, tamen ne ab honeſta pace abhorrere videretur,
1603 de ea Legatos ſuos ſufficienti cum Polonis agendi poteſtate inſtructos Revaliam miſit. Illi mandati regii & Senatus regni Svetiæ literas ad Chotkevvitzium & reliqvum regni Polonici Senatum miſere. Interea Joachimus Fridericus Comes Mansfeldius arces Dunemundam & Kochenhuſiam ex occaſione occupat. Eâ de re Chotkevitzius in ſuis ad regni Svetici delegatos literis graviter expoſtulat. *Dum ille Mansfeldio armiſtitium ad ultimum Octobris diem anni currentis petenti bona fide dediſſet, præcipuum verò negotium de perpetua pace aut longioribus induciis, qvod publicam auctoritatem reqvireret, ad Regem ſuum & Ordines regni in proximis comitiis rejeciſſet, ſtante armorum otio, Mansfeldium dictas arces Polonis ſecuris & fidem ei habentibus, contra jura etiam inhumanarum gentium, non tam virtute militari, qvàm fraude & dolo*

dolo eripuiſſe, ac Livoniam ferro ac flammis depopulatum eſſe, criminabatur. *Qua rei indignitate & tantæ perfidiæ admiratione ſtupefactos collegas ſuos, utut ante ad tranſactionem propenſi fuerint, domum quemque ſuam ſe recepiſſe. Sed quum neque delegatis Svetiæ, neque Regi ipſorum, de quibus ſinceriora ſibi polliceatur, hoc factum adſcribat, ſed juveni illi Mansfeldio, rem militarem nondum ſatis edocto, qui labem exiſtimationis in Hungaria & præteritis Livonicis expeditionibus contractam hoc modo abſtergere niſus ſit. Si autem dicta & facta ipſorum in poſterum fidem mereri deſiderent, Mansfeldium hoc non impunè ferre efficiant, reddantque arces, ut credat, Svecis inconſultis per Mansfeldium dolo captas, ac rem in eum ſtatum reſtituant, in quo datæ fidei tempore fuerit. Quo facto, inducias communicato cum collegis ſuis conſilio, ſe prorogaturum eſſe, & cauſam perpetuæ pacis aut ulteriorum induciarum, in comitiis regni Polonici imminentibus ea fide ac diligentia tractaturum, quam ipſius provinciæ & regni utriusque ratio, ſanguinisque jam ſatis profuſi commiſeratio exigat.* Delegati regni Svetiæ ad has Chotkevvitzzii literas Revaliæ reſpondent in hunc modum: *Inducias Mansfeldio indultas, à Svecis contra jus & æquum, inſidiosè & dolosè violatas eſſe, non minus audacter quam inconſideratè ipſum arguere. Eam equidem acerbam & violentam criminationem, quam non tantùm dicto Sveticorum exercituum duci, ſed ipſi Regi & univerſis regni Svetiæ Ordinibus, non absque graviſſima honoris & exiſtimationis læſione, temerè impingat, eos ſilentio tranſire nec poſſe nec velle. Etiamſi enim literæ inter Svetici exercitus ducem & ipſum de pace vel induciis componendis ultrò citròq; miſſæ, & à Polonorum parte ad finem usque Octobris ipſi oblatæ ſint; illas tamen à Rege aut Ordinibus regni Sveciæ acceptas vel approbatas fuiſſe, nulla ratione unquam probari poſſe. Verum Regem & Senatum Regni Svetiæ in literis ad Regem & Ordines Regni Poloniæ a.d. VII. April. anni labentis Örebrogiæ datis ita mentem ſuam declaraſſe: ſi nimirum in inducias XII. annorum, vel firmam & ſtabilem pacem Rex & Ordines Poloniæ regni ſuum conſenſum præberent, eumque fide publica munitum oſtenderent, tum demum & non prius ab utriusque partis delegatis pacem vel inducias ineundas, & utrimque ſincerè & inviolatè ſervandas eſſe: id ex literis Regis & Senatorum Regni Svetiæ diverſis temporibus ad ipſum & collegas ejus tranſmiſſis evidenter patere. Dediſſe quidem Regem & Senatũ Regni Poloniæ literis ſuis ad Senatũ Regni Svetiæ conſenſum futuræ tractationi de pace & induciis, ſed absq; ulla temporis definitione: unde nihil certi vel colligi vel exſpectari potuerit. Præterea teſtari ejꝰ literas a.d. II. Jul. ex caſtris ad ipſos datas, eũ jam tũ exercitu & copiis militaribꝰ inſtructũ in Livoniã deveniſſe, quâ cauſa, haud difficulter divinare*

quem-

qvemcunqve poſſe, neq; ulteriori indigere disqviſitione. Qvamobrem Regi Svecia non minorem curam incubuiſſe, ſuæ provinciæ & ſubjectis ſibi populis de idoneo præſidio proſpiciendi, atqve ab iis omnem vim & impreſſionem hoſtilem opportunè propulſandi: cujus copiis dum Deus felicem ſucceſſum & commodam arces aliqvot occupandi occaſionem, non minus fructuoſam qvàm honorificam, clementer largitus ſit, neminem vel Sveticum exercitum, vel ipſius ducem, multò minus Regem aut Ordines Svetiæ ullius fraudis & perfidiæ jure inſimulari poſſe; præſertim qvum fides aliqva ne qvidem illis data, multò minus violata ſit. Hanc igitur calumniam, impudenter & ſine fronte confictam, ſuo auctori remittendam eſſe. Ipſos vero enixè deſiderare, ut absqve ulteriori tergiverſatione, morâ & ambagibus aperiat ſuam mentem, utrum ex poteſtate ſibi à Rege ſuo & conventu Cracovienſi pacem aut inducias ineundi jam ante factâ, in tractationem cum illis, an minus deſcendere velit; ut qvid ſibi porrò inceptandum ſit, in tempore provideant. Poſt hæc ad delegatorum Caroli Regis ſcriptas Mandati & Senatus Regni Svediæ literas, Senatus regni Poloniæ ſuas repoſuit, & ad easdem reſponſum remiſit Senatus Regni Svetiæ; qvæ qvamvis prolixæ ſint, tamen qvia cauſas belli Sveo-Polonici luculenter exponunt, lectore, ut ſperamus, volente hîc inſeri non incommodè poterunt. *Nos Regni Poloniæ & magni Ducatus Lithuaniæ Senatores, vobis Regni Svediæ Senatoribus ſignificamus: qvod, poſtqvam ante exigui temporis ſpatium veſtras literas accepimus easq; perlegimus, in deliberationem vocavimus, an aliqvod reſponſum vobis ad eas dandum eſſet: qvum ita ſcripta ſint, ut magis ad exaſperandum animos, qvam promovendum inceptũ facerent. Ne tamen, ſi forſan ſilere vellemus aut poſſemus, ſilentium noſtrum in conſcientiam aut ſuſpicionem culpæ, cujus à vobis inſimulamur, trahatur, hoc brevis reſponſi loco vobis reponere viſum eſt. Nos nullum alium pro Rege Svediæ habemus & agnoſcimus, qvam Sigismundum, qvi tàm veſter qvàm noſter Rex eſt, qvi etiam ſecundum leges naturæ Patri ſuo Regi Johanni (cujus præclarè facta, qvæ regno Svediæ præſtitit, toti mundo ſatis nota & teſtata ſunt) ſucceſſit, ex recepta conſvetudine & ceremoniis coronatus atqve Rex Svediæ renunciatus. Eidem vos tanqvam ſubditi fidem & obſeqvium addixiſtis & juraſtis; atqve ille legitimo modo ad imperium pervenit, ita ut, eo vivo, nullus in ejus locum ſuffici poſſit; niſi à veſtro jurejurando & fide, in proprium veſtri dedecus & opprobrium, diſcedere ejusq; oblivisci velitis. Qvum igitur ex dictis cauſis Sigismundo, noſtro & veſtro Regi, regium titulum regni Svediæ, ſicut à toto mundo comprobatus eſt, jure tribuamus, culpari jure non poſſumus, ſi eum Carolo veſtro denegemus. Nam ſub qvo prætextu alterius regnum, qvod ad Sigismundum, tanqvam naturalem veſtrum dominum, ex propria veſtra confeſſione, pertinet, ſibi vindicarit, nihil attinet hoc loco*

referre,

referre, quum per ſe ſatis innotuerit. Nobis verò mirum accidit, vos in re tam manifeſta ſtudioſè errare, dum originem & culpam hujus præſentis belli in nos confertis. Ut autem cognoſcatis, rem ſe longè aliter habere, ſtrictim vobis in memoriam revocabimus, quod ſuperioribus annis accidit. Poſtquam Carolus initio ſatagebat, ut imperium regni Svediæ ſuæ poteſtatis faceret, & vos ipſi, quos eo tempore nondum in partes ſuas traduxerat, Sigiſmundi opem contra ejus inſtitutum quæreretis, Regia Mtas de veſtra fide nihil dubitans, ex Polonia in Svediam ſe contulit eo animo, ut unanimi veſtro conſilio & conſenſu, turbæ in hæreditario & patrio ejus Regio enatæ ſopirentur, atque ſi quidam mutationum in regno Svediæ cupidi deprehenderentur, in ſuo propoſito interpellari poſſent. Ad illud inter vel expeditionem non peregrinum exercitum, ſed conſvetos ſuos aulicos, unà cum quibusdam Germanicis & Ungaricis ſignis, ad id collectis & adſcitis, ſecum adduxit. Ubi verò ex inſita clementia rem amicè perſequi deſtinarat, & Carolus ipſe, licet animo conſilium ſuum premeret, præ ſe ferebat, quaſi Regis voluntati & juſſis parere vellet; attamen poſtquam claſſe potitus erat, & Svedos Regi ante juratos, vel vi, vel magnis pollicitationibus à Regis partibus in ſuas traxerat, Regem bello adoriri cœpit. Quod autem ea tempeſtate fidem Regi debitam non præſtiteritis, ipſi inficias ire non poteſtis. Et quid porrò fidei tam de vobis quam Carolo, qui tunc imperium affectabat, ſibi promittere poſſet, ſtatim compertum eſt, & ſequentes actiones ſatis teſtantur. Simulac enim Rex regno exceſſerat, arces & caſtella, quæ Rex ipſe præſidiis muniverat, à Carolo occupata ſunt. Quidam regni Senatorum, qui jurijurando & datæ fidei firmiter ſtare volebant, vel miſerè obtruncati, vel in carcerem conjecti ſunt, vel metu ſævitiæ ejus in exilium abierunt. Carolus ipſe verò poſtpoſitis fide & ſangvinis jure, quibus Regi obſtrictus erat, publicè cœpit exſerere ante in animo occultata. Et quum ſimulaſſet, quaſi legitimam ſuam cauſam ab utriusque Regni delegatis examinari & diſceptari vellet, improviſò cum numeroſis copiis in Livoniam, tunc temporis pacatam, ivit, caſtella & propugnacula præſidiis vacua invaſit, multos innoxios captos abſtrahi juſſit, quorum plerique ſacri ordinis & fœminei ſexus erant: quod militiæ flagitium etiam barbaris antea non uſitatum fuit. Quum ergo tale quid cum Carolo veſtro perpetraveritis, & nos ex illatis nobis injuriis ad nos ipſos & noſtra defendenda compulſi fuerimus, cœpti belli & ſangvinis effuſi veſtra, non noſtra culpa eſt. Satis belli habemus cum Chriſtianæ gentis hoſtibus, & libenter, quantum in nobis, pacem & fidam amicitiam cum omnibus Chriſtianis Principibus inire & colere vellemus. Unde & nos, quum ante aliquod tempus ſignificaſſetis, vos eò propenſos eſſe, ut hoc bellum æquis conditionibus componeretur, & vos Chriſtiano more nobiſcum de permutatione captivorum agere velle, non ſolùm æquas pacis leges obtulimus, ſed etiam delegatos noſtros ad id,

certumqve locum deſignavimus, ubi captivi utrimqve commutari poſſent. Qvam candidè verò nobiſcum egeritis, res ipſa loqvitur. Nam ſub ſpecie induciarum nobiſcum tractandarum, contra datam fidem, exercitum veſtrum in Livoniam traduxiſtis, & Dunemundam, ut hiſce diebus cognovimus, perfidè occupaſtis, hoc ipſo hoſtilem veſtrum animum adverſum nos iterum prodentes ſignificatis qvidem qvaſi permutationem & dimiſſionem captivorum utrimqve viritim fieri, & qvod totidem noſtrorum dimittere velitis, qvod veſtrorum à nobis acceperitis, reliqvos pretio liberandos eſſe. Qvod ergo ad bellum, qvo noſtram provinciam contra pacta conventa vexaſtis, attinet, omnipotenti DEO committemus, qvi ſemper æqvitati favere ſolet. Qvod verò ad permutationem captivorum attinet, vobis conſtat, ſuperioribus annis veſtrorum plurimos in noſtri Regni poteſtatem veniſſe. Qvamvis autem Rex eos jure retinere tanqvam in legitimo bello captos, & ut rebelles plectere potuiſſet, tamen hoc noluit, ſed ut Chriſtiano Regi convenit, abſqve ullo redemtionis pretio liberos dimiſit: haud Chriſtiani Regis eſſe reputans, à captivis aliorum culpam & dementiam expiari permittere. Qvapropter qvum illi ſolùm apud nos attineantur, qvibus ſecundum hujus belli fatum non melior conditio ſperanda eſt, æqvum eſt, ut omnes noſtri, qvi contra belli morem apud vos detinentur, dimittantur. De loco permutationis captivorum à nobis delecto hæc noſtra ſententia eſt, noſtris commodum non eſſe, illum nunc adire. Unde eis in mandatis dedimus, ut certam perſonam Colbergam ditionis Ducis Pomeraniæ amandarent, quò ſi vobis placet, etiam aliqvem ex veſtris mittere poteſtis, ut à dicto Duce literis fidei publicæ acceptis, de commodo loco, in qvo permutatio inſtitui poſſit, aliqvid certi decernatur. Dabantur Cracoviæ a. d. VI. Septemb. A. M DC VIII. Ad has Ordinum vel Senatorum Regni Poloniæ literas Senatores Regni Sveciæ prolixius reſponderunt in hanc ſententiam: *Nos Regni Svetiæ nunc Holmiæ præſentes Senatores ſignificamus vobis, regni Poloniæ & magnæ Lithuaniæ Senatoribus, nos veſtras literas Cracoviæ a. d. VI. Septemb. datas accepiſſe, qvibus ad noſtras vobis a. d XIIX. Julii miſſas reſpondetis. Licet autem iſtæ veſtræ literæ verboſæ ſint, illarum tamen ſumma eò præcipuè tendit, vos nec velle nec poſſe Regi noſtro Clementiſſimo eum titulum tribuere, qvi ei jure debetur, nec eum pro Regni Sveciæ Rege, qvalem nos & univerſi regni Sveciæ Ordines deſignavimus & adſcivimus, agnoſcere. Præter hæc Regem noſtrum & nos inſimulatis, qvaſi fidem & jusjurandum, qvo Sigismundo devincti fuerimus, non absqve dedecore noſtro violaverimus. Ideo probare conamini, qvod nonnulli noſtrum initio Sigismundum huc in regnum precibus evocaverint; & qvum, ut vos qvidem refertis, cum ſolito aulico ſuo comitatu huc adveniſſet, nos eum oppreſſerimus, nec debitum ei obſeqvium atqve auxilium præſtiterimus. Inſimulatis nos inſuper Dunemundæ, durantibus induciis, perfid*

fidè vobis ademtæ. Hæc & hujusmodi qvamvis à vobis cum ingenti verborum contentione adfirmentur, non tamen tam facilia probatu ſunt, uti omnes veritatis amantes ex ſubjecta narratione cognoſcent. Proinde reſponſi loco vobis regerimus, qvod nunqvam inficias iverimus aut adhuc eamus, nos Regem Poloniæ Sigismundum ſucceſſionis & hæreditario jure, à morte Parentis ſui tanqvam proximum ſangvine Regem adſciviſſe, & Upſaliæ anno M D XCIV. ipſi fidem & obſeqvium juraſſe; ubi eodem tempore nobis & univerſis Regni Sveciæ Ordinibus ſuam fidem iterum juravit, contra qvod nec vos nec qvisqvam alius jure verèqve aliud adferet. Nos enim omnia qvæ promiſimus Sigismundo, bona fide ſervavimus & implevimus, qvòad ille ſervavit, qvæ nobis juratus promiſit, & ut fidum Regem ſe erga nos geſſit. Poſteaqvam verò ſuo jurejurando & pactis deceſſit, & nos ac Regnum Sveciæ aperto bello invadere cœpit, nec conſilia aut commonefactiones ullas penſi habuit, nemo nobis jure crimini dabit, qvod ad facti viam progreſſi ſimus, & ab Rege deſciverimus, qvi non ſemel à nobis divertit & ſeipſum ſeparavit. Qvod inſuper refertis, qvosdam fuiſſe qvi deſideraverint, ut Rex Sigismundus illis contra noſtrum Regem auxilio veniret, fieri potuit; nonnullos ad hoc concitaſſe Sigismundum; illi verò dignam hujusmodi perduellione mercedem reportarunt. Qvod verò noſtri Ordinis qvidam cupiverint, ut Rex Sigismundus cum alienigena exercitu huc in regnum ſe conferret, illud aut populandi, aut noſtrum Regem aliosve nullo ſuo merito perſeqvendi mente, hoc nunqvam probare poteritis. E diverſo Rex noſter & nos Regi Sigismundo ſcripſimus, priusqvam huc ſe reciperet, ut regnum ſuum hæreditarium tanqvam fidus Rex & pater ingredi, & omni hoſtili incœpto abſtinere vellet: Se neminem hîc deprehenſurum, qvi aliter ipſum accepturus eſſet, qvàm par ſit. Præterea iſto tempore Rex noſter paratus fuit, ſi reſciſceret, qvando & qvo loco Rex Sigismundus navim conſcenſurus eſſet, claſſem ipſi obviam mittere & huc transvehi curare. Rex Sigismundus autem ad iſtæc nullum reſponſum dabat, ſed potius patentes literas ad Ordines regni Sveciæ typis emittebat, in qvibus ipſos de gratia & fide ſua confirmatum ibat. Regem verò noſtrum prorſus excludebat; unde illi facilè intellectu erat, qvid de Rege Sigismundo ſibi polliceri poſſit. Sigismundus etiam à datis his literis confeſtim ſubſeqvutus eſt, non, ut vos in veſtris literis ſcribitis, comitante illum conſveta familia aulica, ſed cum bene armatis aliqvot millium, Germanorum, Ungarorum, Scotorum & Polonorum conductis copiis, & unqvam, ex qvo profeſſus noſter hoſtis fuit, numero validior hîc in campo fuit. Simul ad Finnones & Livonos mittebat, ut ex unâ parte Regem noſtrum adorirentur. Non parum ergò miramur, qvod in re tam evidenti erretis, nec vos pudeat ſcribere, Regem Sigismundum cum ſvetâ familiâ ſuâ aulica huc acceſſiſſe. Si enim hoc, uti prima vice, qvum ad inſignia Regni accipienda huc veniret, ita poſtea factum

ctum

ctum eſſet, etiam debito modo exceptus fuiſſet. Sed rem ipſam perſeqvamur. Antequam Sigismundus huc in regnum ſe recepit, Lubecæ & in aliis urbibus Hanſeaticis omnes Svecos cum ſuis bonis iſtic vadimonio teneri juſſit. Imò in dictis urbibus prohibuit in hoc regnum frumenti, cujus tum exigua & admodum chara copia erat, advectionem. Ubi verò Sigismundus adventavit, arces, caſtella & oppida ſtatim aperta illi ſunt, & qvos Rex noſter Carolus arci Calmarienſi præfecerat, illum ut verum ſuum Regem decenti honore exceperunt, nemoqve vel minimùm ei repugnavit; nihilominus extemplo hoſtilem ſuum animum expromſit; eosqve contra pacta conventa captos, in Poloniam abripi mandavit: ubi per triennium duro carcere detenti ſunt. Edicta & mandata publicavit de Regis noſtri miniſtris domo hoſpitiove non recipiendis, ſed carceri ſupplicioqve tradendis. Poſt hæc exercitum ſuum Stegeburgum duxit. Licet autem Rex noſter tam per delegatos ſuos qvàm literas ab eo petiiſſet, ut inde abſcedere, aut peregrinum exercitum exauctorare, illosq; qui ei hujus violenti conſilii auctores fuiſſent, amovere, vel usqve ad comitia domum remittere vellet; qvod ſi factum eſſet, etiam Rex noſter promiſiſſet, ſe peræqvè in Ducatum ſuum reverti ibiqve qvietum commorari velle, donec comitia Regni indicerentur, & regni Ordines convenirent. Iſtic ſe Regi Sigiſmundo, in conſpectu Ordinum regni, rationem imperii, abſente Sigismundo, adminiſtrati redditurum, atqve, ſi alicujus facinoris Rex eum poſtulare poſſit, ſe coram univerſis cauſam dicturum & ſubiturum, qvicqvid regni Ordines ex lege Svetica in ipſum ſtatuere poſſent. Hæc tamen omnia fruſtra erant: odium enim & invidia Sigismundi animum adverſus noſtrum Regem ita obſederant, ut nullam pacis etiam æqviſſimæ viam ac modum amplecti vellet. Qvum verò Rex noſter propius ad Sigismundum ſe contuliſſet, cum ipſo colloqvendi & exortas diſſenſiones componendi animo, Regis noſtri populum hoſtili manu excepit. Inde cum ſuis copiis Stegeburgo Lincopiam movit, qvò Rex noſter eum ſeqvutus eſt, iterumqve ad amicam compoſitionem ſe obtulit, ac deſideravit, ne Rex Sigismundus Regis noſtri conſpectum fugere vellet: qvum nihil mali contra ipſum meditaretur. Hoc verò Sigismundus non curans, Finnonicas copias ſibi in ſubſidium præſtolatus eſt, & Regis noſtri copias ad defectionem concitatum ivit. Etiamſi verò de armiſtitio inter utrumqve conveniſſet, ut interim de decidendo primario negotio ulterius ageretur, nihilominus Johannes Weyerus Regis noſtri excubias oppreſſit, easqve non ſemel in caſtra repulit. Unde Regi noſtro defendendi ſe neceſſitas impoſita eſt, inprimis qvum ſatis animadverteret, ſpem nullam pacis eſſe. Dum verò Rex noſter ad ſe ſuosqve tuendum arma capit, is eorum exitus fuit, ut Sigismundus acie ſterneretur, eiqve cum ſuis eveniret qvod meriti erant, & in Regem noſtrum cogitarant.

Ubi

Ubi Rex Sigiſmundus cognovit, eâ non ſuccedere viâ, qva deſtinarat, alteram aggreſſus eſt & blandis verbis uſus, noſtros qvieſcere rogavit; ſe moderatius acturum. Etiamſi verò Rex noſter Sigiſmundum jam in ſua poteſtate teneret, tamen nihil inclementius in eum conſuluit, ſed ſuos arma deponere mandavit. Hoc facto, Rex noſter cum veſtro Rege pactum inivit, in qvo Sigiſmundus fidem ſuam obligavit, ut, ſi conventa non ſervaret, Ordines Regni ſoluti eſſent jurejurando, qvo ipſi obſtricti erant, nec ad ullum obſeqvium & fidem ipſi præſtandam lege tenerentur, nec pro domino ſuo & Rege eum agnoſcerent. Qvid fit? Rex Sigiſmundus vix hoc promiſerat, qvum contra datam fidem regno excedit, ſecum abductis claſſe & tormentis, & arcem Calmariam exotico præſidio firmat. Ut verbo dicamus, qvod tunc & antea non ſatis hoſtili animo effundere potuit, hoc hactenus eò vehementius oſtendit. Veſtram conſcientiam interrogamus, num vos ea perferre volueritis, qvæ nos ab ipſo illata tot annos toleravimus, eâ tamen ſpe, ipſum meliorem in nos animum aliqvando accepturum. Nos penitus nobis perſvademus, ſi ſe erga vos ita geſſiſſet, ipſum regno dudum à vobis devolutum fuiſſe. In recenti adhuc memoria & omnibus cognitum eſt, qvid Henrico Valeſio acciderit. quippe qvum ille ex Polonia in Galliam reverteret, tamen vobis ſpem fecit, ſe non minus abſentem regni veſtri curam habiturum, ac ſi præſens eſſet; vos verò, qvia clam regno exceſſit, & intra præfinitum tempus non rediit, vobisqve ſemper præſto eſſe voluit, omnem ei fidem & obedientiam renunciaſtis, & ad alium Regem eligendum acceſſiſtis, non aliâ utiqve causâ; velut veſtræ legationes & acta ſatis teſtantur. Qvid verò nuper cum Rege veſtro Sigiſmundo attentaveritis, cuivis & omni mundo notum eſt. Cujus rei cauſas non diſceptabimus, ne rerum alienarum ad nos non pertinentium ſatagere videamur. qvod ſi vos etiam faceretis, vobis nobisqve magis ex uſu eſſet. Licet autem regnum Sveciæ non inferius ſit Polonico, nec magis, qvàm Poloni, absqve Rege eſſe poſſimus; nos tamen longè alio qvàm vos erga Sigiſmundum animo fuimus. Nam etiamſi adverſus nos profeſſum hoſtem egerit, eoq; vi propriæ ejus obligationis ipſi jurejurando & fide porrò nexi non fuerimus, non tamen tam properè ipſum regno dimovimus, nec ſemel ſed ſæpius ad eum ſcripſimus rogantes, ut huc redire, & imperium ex jurisiurandi religione adminiſtrare, omniaqve in juſtum ordinem reponere vellet; nos libenter eum accepturos, Regem noſtrum agnituros, omniq; fide dicto audientes futuros, memoriâ prioris injuriæ & violentiæ nobis illatæ ex animis deletâ. Si verò res ejus non ferrent, ut ipſe huc reverti, aut apud nos permanere poſſet, filium ſuum huc mittere vellet, qvem pro Rege noſtro habituri eſſemus. Qvod verò hæc omnia reipſa ſic acciderint, nemo inficiari poterit: qvia hujus rei acta ab Ordinibus regni dudum typis edita ſunt.

Rex autem Sigismundus ne reſponſo qvidem nos dignatus eſt, ſed pro benevolo noſtro erga illum ejusqve filium affectu hoc gratiæ proh dolor! tulimus, qvod denuò Finnones ad ſeditionem excitavit, & ut vires ſeditionis atqve factioſorum augeret, extraneum militem eis auxilio miſit. Ad hæc claſſem hinc ſecum abductam, milite & commeatu ſatis inſtructam, Elfsebergum expedivit, ad propugnaculum ſubitò occupandum. Ea qvoqve claſſis Svecis noſtris, in qvotqvot incidere potuit, rapiendo, ſpoliando aliaqve vi hoſtili non parum detrimenti attulit. Talem Sigismundus adverſus nos tunc fideles ejus ſubditos animum geſſit, & ſe à nobis ac regno alienum fecit & ſecrevit, non autem nos ab eo, uti ſcribitis, defecimus. Nihilominus nobis bellum fecit; eoqve adegit, ut rationem inire cogeremur nos & regnum contra hoſtilem ejus inſultum tuendi. Etſi verò hæ cauſæ tam ponderoſæ ſunt, ut apud omnes Chriſtianos Principes & Reges, ſtudio partium non deditos, ſatis momenti habere locumqve invenire, & nos ab omnibus criminationibus, qvas cum veſtro Rege Sigismundo nobis absqve ratione falſoqvè intenditis, liberare poſſint; ſunt tamen hic longè plures & majores, inter qvas vel minima Regem regno ſuo & imperio detrudere poſſit. Nam primò Rex Sigismundus ab avi ſui Teſtamento, qvo velut fundamento totum jus hæreditarium nititur, defecit. Secundò citra Ordinum regni conſenſum hoc regno exceſſit, & alienum, cum ingenti hujus regni detrimento, ac graviſſimis conditionibus accepit. Item provincias & iis ſubditos alienavit; atqve peſtiferos huic regno contractus cum extraneis Regibus citra Regis noſtri & præcipuorum Regni Ordinum (cum qvorum tamen conſilio & ſententia ſe regnum adminiſtraturum juravit) adſenſum & voluntatem inivit. Ultimò cepit ipſum oblivio curæ regni Svetici, ipſi ut rectori incumbentis, nec ullius negocii qvod ad regni ſalutem & bonum publicum faceret, rationem habuit. Inauguratione ejus Upſaliæ conſummata, qvum deſtinata ex animi ſententia perficere non poſſet, Erneſtum Weyerum & alios copias colligere & in regnum hoc ducere juſſit, qvibus Svecos imperata facere cogeret. Qvum verò animadverteret, nec illud ſibi ſucceſſurum, regno exibat, nec ullam certam adminiſtrandi in ſuâ abſentia imperii rationem poſt ſe relinqvebat. Holmiæ arci profeſſum Pontificium præficiebat, aliis verò regni caſtellis atqve arcibus ineptos & infames homines. Religioni Romanæ addictis hic in regno, contra Regium jusjurandum & cautionem liberos cœtus & religionis exercitium permittebat. Edicta etiam publicabat, ut ſi Rex noſter omnia rata habere nollet, qvæ Sigismundo & edictorum ejus exſeqvutoribus placerent (utcunqve Regio jurijurando, juri Svetico & unioni hæreditariæ adverſarentur, imò toti regno

& multis

& multis immerentibus perniciei eſſent, & inteſtinis diſſenſionibus & innoxiorum juxta ac noxiorum cladi, ut in Finnonia, anſam darent) ejus milites parati eſſent Regem noſtrum hoſtili vi perſeqvi. qvæ omnia non nudis verbis, ut à vobis, in ſpeciem proferri, ſed literis & ſigillis probari poſſunt. Ut igitur hactenus prolixè oſtendimus, qvod nec Rex noſter, nec nos in culpa ſimus, Sigismundum Regē hujus regni imperio motum eſſe, nec bellū ei primi fecerimus. ſed ipſe nobis absq; ulla juſta cauſa; ita qvoqve ex tota actorum ſerie probavimus, qvod vos cum Rege veſtro Sigismundo huic adhuc urdenti bello, nec nos, càuſam dederitis, & nobis palam injuriam faciatis, qvaſi nos inopinatò vos oppreſſerimus, & veſtras provincias & populos, arces & caſtella præſidiis tunc nudata invaſerimus. Non dubiam anni M D XCVI. memoriam replicabitis, qvo legatos veſtros, Stanislaum Drialinski, Stanislaum Crykousky & Nicolaum Sapieham huc ad nos miſiſt s, & per illòs tam noſtrum Regem Carolum, qvam nos multis gravibus criminationibus temerè oneraſtis, qvaſi contra jusjurandi & obſeqvii fidem Regis Sigismundi Majeſtatem & eminentiam violaſſemus in eo, qvod comitia in Regis abſentia edixiſſemus & Sudercopiæ inſtituiſſemus, aliaqve qvæ Legati veſtri tunc in mandatis habebant; vos autem nunqvam eorum nos convincetis. Qvin Legati veſtri orationes ſuas comminationibus & denunciationibus in nos effuſis clauſerunt, ſi cœptis noſtris non abſiſteremus, vos Regem veſtrum non deſerturos, ſed potius ultionem vel minimæ injuriæ ipſi factæ adjuturos, ipſius vitæ & ſangvinis pro ipſo periculum facturos. Etiamſi verò rem nonnullis in locis mollioribus verbis mitigatum irent, tamen eorum hæc mens erat, ut ex toto orationum iſtarum contextu videre eſt. Rex enim Sigismundus in eo immotus perſtitit, ut vel Sudercopiæ decreta reſcinderemus, vel vos cum Rege veſtro hoſtes experiremur. His ita progreſſis, animum inducimus, ſatis à vobis hoſtilia nobis indicta eſſe. qvod tamen de vobis nunqvam ſperaſſemus, qvippe causâ nullâ à nobis ad id præbitâ. Qvod autem exiſtimatis, nos contra Regis Sigismundi dignitatem & eminentiam feciſſe, dum Rex noſter cum Regni Senatus conſilio, in abſentia Regis Sigismundi, ex priſca & recepta conſvetudine ac libertate Regni Ordines Sudercopiam evocavit, juſta deſtituimini ratione. Hoc enim jus Gubernatores regni Sveciæ jam ab aliqvot centum annis uſurparunt; velut ex fœdere inter hæc tria borealia Regna ætate Margaretæ Reginæ facto liqvet: ita ut princeps Senatus regni, qvem Drotſetum vocant, qvoties neceſſitas exegit, facultatem habuerit Regni Ordines in abſentia Regis convocandi. qvin omnis poteſtas, qvalem Rex habebat, eo abſente, ipſi mandata eſt, ut antiqvis actis probari datur. Illa eqvidem libertas dicto modo conveniendi & in publicam rem conſulendi

unicus

unicus & præcipuus eſt modus omnes in imperio natas confuſiones & turbationes commodè tollendi emendandiqve: qvales intempeſtivo Regis diſceſſu & inconſulta adminiſtratione etiam in hoc regnum irrepſerant, ac ferme invaluerant. Apud Lacedæmonios ſuos Ephoros habuerunt, & in aliis Regnis ac Rebuspublicis hodieqve ſua Parlamenta & Concilia habent: qvæ nihil aliud qvam ſtata ſunt comitia, ut vobis haud ignotum eſt. Qvin in veſtra Polonia tali libertate in rebus multò minoribus uſi eſtis, & nullo modo vos inde dimoveri paſſi eſtis. Haud dubiè in recenti apud vos recordatione verſatur, qvum Cracoviæ anno MDXCI. parvus coortus eſſet motus, eqveſtris ordinis multi è ſatrapiis ſuis, Chiniolinskiæ, inſcio & invito Rege Sigismundo, confluxerunt, ubi Regem per literas certiorem fecistis, vos in animo habere, majorem adhuc conventum Radomi inſtituere, ubi Lithuani ſimul adeſſe poſſent. Qvare non ſatis nobiſcum animo reputare poſſumus, qvid vos moverit, ut nobis tanqvam minis & increpationibus interdicere audeatis, qvod tamen ipſi vos pro rato & æqvo habuiſtis, niſi fortè vobis perſvadeatis, vos eos eſſe, qvi regni ſui libertatem tueri, alios verò mancipiorum more tractare velint. Jam verò in comitiis Sudercopienſibus nihil aliud egimus, conſultavimus & decrevimus, qvam qvod in Regis jurejurando & ſatisdatione, Legibus regni Svetiæ, Regis Guſtavi Teſtamento, Unione hæreditaria & aliis publicis Actis fundatur, & qvod per Regis Sigiſmundi abſentiam, in rem, ſalutem & firmamentum Regni eſſe poſſit; velut ex reſponſo, Legato veſtro tunc dato, ſatis cognoviſtis. Atqve ſi Sigiſmundus, antequam regno decederet, ejus ſtatum ita, ut fas erat, ordinaſſet, his omnibus ſuperſedere potuiſſemus. Qvod verò nunc bellum nobis denunciatis, qvia dilectæ noſtræ patriæ libertatem ac ſalutem tutari volumus, nunqvam à vobis, tanqvam fœderatis noſtris exſpectaſſemus. Nec meris minis, qvas legati veſtri interponere juſſi ſunt, contenti fuiſtis, ſed ipſo facto, eas plus ſatis impleviſtis: qvas ante non ſatis intellectas, nunc manibus, ut dici ſolet, tractare poſſumus. Regem enim veſtrum initio cum valido exercitu huc in regnum induxiſtis, illud & nos exſcindendi conſilio. ad qvod omni ope & induſtria ei præſto fuiſtis: unde facti hujus culpam ad ſolum Sigiſmundum transferre non poteſtis, cujus vos ipſi vel auctores vel adjutores fuiſtis. In comitatu non ſolùm veſtrum Procancellarium, ſed etiam Farensbachium exercitus ducem habuiſtis. Peregrinorum inſuper militum copias in Finnoniam miſiſtis, majus rebellium & ſeditioſorum Finnonum robur, & ad Sveciæ iſtic propugnaculum Wiburgum præſidiis muniendum. Qvum anno MDC. ex comitiis Lincopenſibus ad vos ſcriberemus, & nobis ſignificari cuperemus, qvo animo erga nos, amico an hoſtili eſſetis; nos nobis inde conſilium capturos: maluimus enim apertum bellum, qvam ſub ſpecie pacis & amicitiæ circumveniri; tabellarium noſtrum in compedes

pedes & gravem carcerem compegiſtis, in qvo ultra annum hæſit; nobis verò poſt ſemeſtre demum reſpondiſtis. quod reſponſum ambiguis verbis ita involutum erat, ut multò minus qvam ante de pace certi eſſemus. In Livonia ante, qvàm Rex noſter in eam pedem movit, à veſtro Tribuno Mandata affixa ſunt, in qvibus exercitus contra Carolum excitus eſt: quod inficiari non poteſtis, modò verum in re omnibus manifeſta fateri velitis. Non exiguam ergo nobis admirationem injicit, quod tam perfrictâ fronte nos arguere audeatis, qvaſi bellum adverſus vos primi cœperimus, & præter exſpectationem poſſeſſiones veſtras & caſtella invaſerimus. Qvum igitur fuſè & ex vero docuerimus, Sigismundum jure hæreditario regni Sveciæ culpâ ſuâ penitus excidiſſe, & vos omnes arma adverſus nos abſqve juſtâ causâ ſumſiſſe; ita fas eſt, vos titulo, qvem Regi Sigiſmundo tribuitis (nimirum quod Rex Sveciæ ſit) prorſus abſtinere, & in poſterum Regi ac Domino noſtro Regi Carolo (qvi omnium noſtrum unanimi deſiderio & conſenſu, nec minus ſucceſſionis jure ad Coronam & Regnum Sveciæ pervenit) Svecorum, Gothorum, Vandalorum, Finnonum, Careliorum, Lapponum & Norlandorum, Cajanorum & Eſthonum in Livonia Regem agnoſcatis, Ejusque Majeſtati iſtum titulum attribuatis. Tot autem criminationibus, qvas Regi noſtro nobisqve ingeritis, qvæ nulli rei qvam irritandis animis ſunt, tandem aliqvando deſiſtatis, & eò connitamini, ut ante omnia Deum vobis propitium reddere, & apud noſtrum Regem ac regni Sveciæ Ordines malum & ſangvinis effuſionem à vobis procuratã ſiſtere, & rurſus fidam ac conſtantem amicitiam, qvam Rex veſter & vos evertiſtis, inter hæc duo ampliſſima Regna inſtaurare & renovare poſſitis; qvod niſi feceritis, Dei ultionem in veſtra capita laceſſetis. Qvod verò nos inſimulatis, qvaſi tempore induciarum & contra pacta conventa caſtellum Dunemundam perfide occupaverimus, hoc præter verum adfirmatis, & manifeſtam nobis injuriam facitis. Non enim vel unico verbo aut litera probare poteritis, qvod Rex noſter vel nos ullis induciis conſenſerimus. Hoc qvidẽ ſcripſimus, qvod à pace vel induciis non abhorreremus, ſi delegati utrinqve vel in Germanici Imperii urbe vel alio commodo loco ejus rei cauſa convenirent, interea nullas inducias ſervandas eſſe, ſed cuilibet fortunam ſuam experiri integrum fore. Ex hoc res noſtras inſtituimus, nec perfidè, ut nobis falsò exprobratis, ſed potius Dei præſidio, noſtrorumq́; armorum induſtriâ caſtella veſtra cepimus. Satis enim intelleximus, vos nihil aliud prætextu induciarum qvam trahendi temporis occaſionem callidè captare, donec res veſtras in ſolido conſtituere, & inteſtinas diſſenſiones, qvæ ad tempus vos agitarunt, exſtirpare aut ſedare poſſitis. Nihilominus tamen Rex noſter & nos propenſi ſumus ad tractandum vel de pace vel longioris temporis induciis, modò vos hoc ſeriò agatis. Qvo conſilio etiã Ra. Mas. ſimulac veſtri Campiductoris ſententiam de eo accepit, legatos ſuos ampliſſimis mandatis inſtructos Magnum Brahe, Comitem in Wiſingsborg, Nicolaum Bielke Baronem in Saleſtad, Petrum

Kenicium, Epiſcopum Scarenſem, & Laurentium Paulinum, Epiſcopum Strengnenſem, Ottonem Helmerum de Mörner, Caſtellanum Aboënſem & Philippum Scheiding, Caſtellanum Narvenſem ei rei deſignavit. Si ergo idem veſtro Regi vobisqve animus, qvi noſtro Regi nobisqve eſt, Vos quoqve delectos & legatos veſtros ad tentamenta tractationis deſignetis. Si verò hoc recuſaveritis, in vobis omnis culpa reſideat. Nos verò Deo confidimus, ipſum Regem noſtrum & nos in juſta noſtra cauſa non derelicturum, ſed contra hoſtiles veſtras molitiones ſubſidio futurum. De commutatione captivorum ad delegatos veſtros ſcripſimus, & ex veſtra ac illorum voluntate fidum Nobilem Colbergam miſimus, qvi cum veſtro delegato de tempore, loco & modo permutationis agere & decernere juſſus eſt. Hoc pro rei neceſſitate reſponſum ad veſtras literas dare voluimus, & duo ejusdem tenoris exempla, unum Colbergam, alterum cum Polonicis captivis, qvos huc remiſiſtis, transmiſimus. Datum in arce Regia Stocholmiæ a. d. XVII. Octobr. Anno M DC VIII. Verùm literis Ordinum Regni Sveciæ & Regni Poloniæ ultrò citroqve datis, major animorum offenſa ſuſcitata, & gravia ac diuturna bella ex adulto odio orta ſunt. Qvæ tamen prius qvam erumperent, delegati Regni Sveciæ Proteſtationem, ad delegatos Regni Poloniæ miſſam ediderunt de culpâ tot cruentorum bellorum non ab ipſis, ſed Polonis, tanqvam eorum auctoribus, & pacem repudiantibus, præſtanda. Mutatio qvædam in religione hîc iterum tentata eſt, peregrinis nonnullis & Calvinianis prius anno M DC II. Theodorico Micronio, & hoc anno Forbeſio, Regem ad eam inſtigantibus, & Catecheſin Heidelbergenſem regno obtrudere conantibus. Res eqvidem eò devenit, ut Diſputatio de præcipuis Fidei articulis, inprimis de hominis Juſtificatione in Academiâ Upſalienſi publicè inter Profeſſores præſertim Theologiæ, & Johannem Forbeſium Scotum haberi juberetur, Præſide Olao Martini Archiepiſcopo fido Auguſtanæ Confeſſionis vindice. de qva re qvum prolixè egerit in Hiſtoria Eccleſiaſtica Baazius, hîc ſolùm attingere volui. Qvod verò Meſſenius in MS. ſuâ Scandiâ illuſtratâ ſcribit, Profeſſores Academiæ Privilegia, qvæ Rex Carolus eis prius donarat, ideò amiſiſſe, qvod nimis acriter ſe Forbeſio oppoſuiſſent, hæc Meſſenii ſententia ſeqventibus ejus verbis, & Baazii de hoc narrationi repugnare videtur. Seqventia Meſſenii verba hæc ſunt: *Ericus Georgii, antagoniſtarum ferme princeps M. Eliæ Univerſitatis tunc Rectori fraudulenter perſvaſit, ut ipſi Privilegiorum traderet autographa; qvod ea vellet Rex multò liberalius confirmare. quibus*

trad

traditis, neqve nova neqve vetera privilegia vidit amplius ſimplex ille Rector. Non videtur veriſimile, Regem ob hanc ſolam cauſam toti Academiæ per Ericum Georgii dicto modo adimere voluiſſe conceſſa antea privilegia; niſi qvis cauſam eum diſſimulaſſe ſuſpicetur. Si verò Rector Academiæ tam ſimplex fuiſſet, ut inconſulto Academiæ Senatu, ad dolosam Erici Georgii perſvaſionem, ei tradidiſſet autographum Privilegiorum; non tamen vero ſatis conſentaneum videtur, Profeſſores non habuiſſe, vel ſibi ſervaſſe eorum exemplum vel copiam, cum autographo collatam & ab Academiæ Notario vel Secretario ſubſcriptam; aut poſtea idem vel aliud autographum, priori auctius & melius non recuperaſſe. Qvippe ſi forſan Rex qvibusdam iſtius temporis Profeſſoribus ob qvalemcunqve cauſam non adeò faviſſet; tamen, ut prudens Princeps, in longitudinem proſpiciens, & bonis artibus ac literis bene volens, uti ex aliis documentis liqvet, Academiæ & futuris Profeſſoribus haud dubiè Privilegia vel redonavit, vel ſibi reſervavit ſuo tempore in melius aucta, à ſe vel ſucceſſore ſuo Academiæ reſtituenda. Firmat hoc, qvod conſtat, Regem Guſtavum Adolphum, Caroli filium & ſucceſſorem anno M DC XII. & ſeqventibus, Academiæ Upſal. Privilegia confirmaſſe, *antea eidem à Parente ejus conceſſa,* uti notat Schefferus noſter Upſaliæ cap. XIV. pag. 257. & 265. Qvomodo autem ea confirmare Filius potuiſſet, niſi ejus ætate exſtitiſſent vel in autographo vel exemplo? Deniqve firmat illud, qvod, audito Diſputationis Upſalienſium cum Farbeſio exitu, qvum Scotus *nimis craſſo planèqve impio modo de electione ſalvandorum, & abſolutâ reprobatione damnandorum diſſeruiſſet, id Regi omninò diſplicuerit, & concertationem religionis omiſerit;* qvæ ſunt verba Baazii Inventar. Hiſtor. Eccleſ. Sveogoth. lib. V. cap. XVIII. Præter legum Sveticarum Codices, Regis juſſu editos (de qvibus alibi) in Comitiis Holmenſibus actum eſt *de pace cum Polono tractanda aut belli adminiculis, & de præſidiis in Livonia ex Sveticis potius qvàm extraneo milite deligendis.* Utile qvoqve plebi edictum Carolus publicavit, *ut prætores & ſcribæ colonis, annuam penſionem ſolventibus, ſub gravis pœnæ comminatione, apocham darent: ne fortè malevoli & avari exactores bis idem ſimplicibus & imprudentibus agricolis extorqverent.* In dictis Comitiis *Ordines ſubſidia belli ad qvadriennium continuando promiſerunt.* Ad annum M DC V. ſup. dictum eſt, qvomodo inter Regem Sveciæ & Daniæ convenerit, de mittendis Wiſmariam delegatis & arbitro ad componendum utriusqve controver-

 ſias.

ſias. Delegati Danici cum arbitri ſui delegato ad dictum diem adfuerunt; non verò Svetici, adverſo vento ac tempeſtate retardati. Qvapropter ad Senatum Regni Danici ſcripſerunt, ut ſi reflante vento ab itinere impedirentur, delegati Danici eos ad aliqvot dies præſtolari vellent. Sed hi poſt qvatriduum infecto negotio Wiſmariâ diſceſſerunt. Hoc inter cauſas belli Sveo-Danici (de qvo infra ad annum M DC XI.) qvoqve refertur. Carolus diem Johanni Baptiſtæ ſacrum celebravit cum Johanne Duce Oſtrogothiæ & aliqvot Senatoribus regni. Explicatâ inter epulas fronte & lætitiâ, circa veſperam morbo correptus hemiplexiam paſſus eſt. Meſſenius in Scondia illuſtratâ refert, qvum plus ſubſidii à Nobilium ordine flagitaſſet, nec ex voto accepiſſet, offenſum ex conventu publico abiiſſe, & ſeqventi nocte morbum contraxiſſe, hemiplexiæ non diſſimilem. Qvidam aliam cauſam referunt. Qvicqvid ſit, qvanqvam poſt exactas aliqvot hebdomadas convaluit & de lecto ſurrexit; tamen expeditus ſermonis & memoriæ uſus non parum labefactatus erat: ita ut animi, licet ſani, ſenſa difficulter, & ſæpè ipſa verba, ex qvibus tota ſententia pendebat, nullo modo eloqvi poſſet. qvi verò divinare poterat, qvid impeditis iſtis verbis vellet, huic favebat & applaudebat. contra, ſi qvis ejus verbis aut mentem tam citò & bene,
1609 qvàm cupiebat, intelligere non poſſet, impatienter ferebat. In Livoniam redux Carolus, Rigæ portum ſua claſſe ita occluſit, ut Britannicis & Hollandicis navibus nec acceſſus nec exitus pateret. Eâ causâ inter navium iſtarũ dominos convenit, incendiarias qvasdam naves claſſi Svecorum immittere, & viam vi facere. Qvod ubi factum, iſtarum flammis latius diffuſis, qvædam Sveticarum igne correptæ, qvædam procellâ disjectæ, aliæ exemplo territæ, Britannis & Batavis tranſitum dederunt. Cum utroqve poſtea fœdus redintegratum eſt. Legati verò Guſtavus Stenbok & Johannes Skytte in Britanniam ad Jacobum R. miſſi ſunt, partim conciliandæ pacis cum hoſte, partim filiæ Regis Britanniæ nuptiarum cum Caroli filio Guſtavo Adolpho, qværendarum cauſa. Sed qvum filia jam Electori Palatino deſponſata eſſet, alterum promiſit. Chotkovitz autem commeatu terreſtri Svecos excluſit, & Rigam obſidione liberavit. Dunemundam Poloni qvoqve recuperarunt, bis mille, qvos Mansfeldius ducebat, ſubſidio Dunemundæ mittendos, in itinere cæſis, & præſidiariorum plerisqve fame conſumtis: qvum Nicolaus Stiernskiöld arci præfectus eam per annum viriliter defendiſſet, & hoſtem aliqvoties, non paucis cæſis, repuliſſet. At Chotkevitz Polonorum dux, interminatus eſt, ſe uxorem & liberos ejus, qvos Nicolaus Pernoviæ,

viæ, traditione à Polonis acceptæ, reliqverat, in Poloniam captivos miſſurum, niſi deditionem caſtelli faceret. Ad hæc Stiernskiöld ita reſpondit: *Uxor & liberi mei mihi qvidem admodum chari ſunt, ipſo DEO teſte; nec in hoc mundo mihi qvicqvam adeò cordi eſt, qvod illorum cauſa nolim, etiam cum ipſius vitæ, ſi neceſſe ſit, jacturâ; illi tamen mei ſunt & proprii. Sed hoc caſtellum Regis mei eſt, qvo ſi propria mea redimere vellem, Regi parum fidus eſſem. Proinde mihi commiſſam arcem pro viribus tutabor; qvicqvid tandem de meis fiat. Spero tamen te, ut ſtrenuum ducem, talem erga eos fore, qvalem velles me erga tuos eſſe, ſi in meas manus incidiſſent.* Hoc cordato ejus reſponſo Polonus motus, captivos, apud uxorem ejus non male habitos, poſt trimeſtre dimiſit. Interim fictus Demetrius, non unus, qvi ſe pro vero & legitimo hærede defuncti Czaris gerebat, urbem Mosqvam Ruſſiæ caput ope Polonorum, præcipuè Sandomirii Principis inſtinctu, & rebellium aliqvot Ruſſorum ſociis copiis obſidione premit, nullo alio fine, qvàm ut Poloni Ruſſiam hac occaſione in ſuam poteſtatem redigerent, atqve ſic junctis viribus Eſthoniam, atqve inde Finnoniam, tandemqve Svetiam, in gratiam Sigiſmundi, invaderent. De qvo conſilio & ejus cauſis alii, præcipuè Johannes Widekindi in hiſtoriâ ſuâ de bello Ruſſico fuſius & enucleatius egit. Cæterum Johannes Baſilius Suisky, Ruſſorum Czar belli Polonici anguſtiis preſſus & viribus propriis inteſtino ſuorum motu non parum fractis, tot hoſtibus impar, à Carolo Rege Sveciæ, adverſus rebelles ſuos, & ſimul Polonos, rem ſuam per eos ac Demetrium agentes, auxilium, amicâ recordatione & fiduciâ fœderis pacis inter utrumqve facti, petere coactus eſt. Etiamſi verò Carolus haud injuſtas hoc ipſi denegandi cauſas habere potuiſſet: nimirum remotioris loci intervallum; mobilia gentis iſtius ingenia; ſibi antea in bello contra ſuos hoſtes ſuppetias ab eis negatas; & dum Poloni adverſus Ruſſos armis diſtringerentur, bellum in Livonia perſeqvendi peropportunam occaſionem per hoc negligendam; Carolo Regi tamen rem hanc cum Ordinibus regni in conſilium vocare viſum eſt. Ordinum decretum erat, Polonorum molitionibus qvocunqve in loco obiam ire, cum ſpe forſan Ruſſiæ portionem, remunerationis loco, ad tutandum fines regni idoneam, reportandi; modò de belli ſumtibus & refuſione præmii ſibi ſatis caveri Rex curaret. Ita ſtetit, afflictis Moſchorum rebus ſuccurrere, pactumqve inter Carolum Regem & magnum Muſcoviæ Ducem, de ſociandis adverſus fictos Demetrios & Polonos,

armis initum eſt. Id utrimqve placuit fieri, ex parte Caroli Regis præſentibus Wiburgi in Carelia Legatis, Georgio Boëthio R. Senatore, Arvido Antonii Willeman, præfecto arcis Wiburgenſis, Tonnone Georgii, Collegii militaris Conſiliario, Ottone Mőrner, præfecto arcis Aboënſis, & Secretario Erico Olai; ex parte Ruſſorum Czaris, Simon Baſilius Galowin, Czaris affinis, & Chidaſnius Baſilius Simoſi aderant. Conditiones fœderis iſtæ fuerunt: *Ut Carolus Baſilio qvinqve millia bellatorum tam equitum qvàm peditum, impenſâ Baſilii, ſuppetias mitteret. qvi quot menſibus triginta duorum millium rublorum Ruſſicæ monetæ, præfecto Sveticæ militiæ ſolveret; aut ex morâ ſolutionis in duplum teneretur, prænumerato unius menſis ſalario. Si tempore hyemis non poſſet in ſupplementum exercitus è Svetia per mare mitti in Livoniam; integrum ei fore, ex Finlandia tranſire per Coporiam, Iamam & Ingriam, Narvam verſus in Livoniam, ſed impenſâ Ruſſorum, & ſecuritate itineris Sveticis militibus ab illis præſtanda. Captivos Ruſſos à ſuis pecuniâ redimendos, Polonos captivos in Svetiam mittendos eſſe. Munimentum Moſchoviæ Kexholmiam cum ſubjectâ ditione, poſt duos menſes, ex qvo exercitus Sveticus limitem Ruſſiæ ingreſſus eſſet, in perpetuam poſſeſſionem & præſtiti auxilii præmium, à Czare literis & ſigillo confirmandum, Regi & regno Svetiæ cedendum eſſe. Qvæ verò Sveci intra dictum bimeſtre ſpatium occupare poſſent, loco hypothecæ pro expenſis illos retenturos. Svecos contra obligatos fore ad tuendum omnes qui cum Czare Suisky facerent; ſed qui facerent cum Polonis & Demetrio, armis perſeqvendum. Nulli cum alterutro hoſtium licitum fore clam aut palam conſpirare. Caſtella in poſterum à Svecis occupanda, Czaris fore. Tuſinenſe fœdus inter Regem Carolum & Czarem anno M D XCIX. initum, confirmatum iri à Czare, cum prætenſi Ruſſorum juris in qvemcunqve Livoniæ locum ceſſione. Hoc autem præſens fœdus contra Polonos fore perpetuum, nec ceſſaturum per pacis, niſi cum utriusqve conſenſu factæ, conditiones. Si neceſſitas ita exigat, Baſilium obligatum fore iisdem legibus auxilium mittere Carolo in Livoniam contra Polonos.* His ita peractis & utrinqve ſubſcriptis, Carolus Rex Czari Baſilio per Comitem Jacobum de la Gardie, regni Marſchum & militiæ præfectum auxilio dictum exercitum mittit: & qvidem in ipſo neceſſitatis caſu, dum magna pars Ruſſiæ partim hoſtili vi, partim ſponte ſua jam in partes Demetrii ac Polonorum conceſſerat, & Baſilius in extremo diſcrimine verſabatur. Qvum Jacobus Wiburgum adveniſſet, præmiſit in Ruſſiam Chriſtiernum Some cum bis mille & qvingentis viris. Ipſe verò ſubſeqvutus eſt cum majore

exer-

exercitus parte, & Everhardo Horn, Campi Mareſcallo, & aliis primariis exercitus ductoribus; Tonnone Georgii, Axelio Kurke, Andrea Boëthio & aliis. Qvum in Ruſſiam acceſſiſſet Jacobus & bene exceptus fuiſſet, Coporiam Ingermanniæ propugnaculum cum ſuis aggreſſus, arcis portam crepitaculo clam aperire conatus eſt. Sed eo propius admoto, pontem arcis duplicatis ſudibus præmunitum, & arcem præſidiis ſatis inſtructam eſſe deprehendit. Locum tamen acceſſu non adeò difficilem comperit, ſi plura crepitacula, & tormenta, prius Wiburgo iſtuc deducenda (qvæ diutius exſpectare, tempus non ferebat) in promptu fuiſſent. Itaqve meliori occaſioni ejus occupationem reſervans, & inde digrediens, majoris fortunæ occaſionem qværebat; & qvidem ad magnam Novogardiam ſe conferre in animo habebat. Sed Michaël Sviskius, Czaris ex ſorore nepos, Ruſſicæ militiæ præfectus excipiens ſolenniter Jacobum, & cum eo conferens de ordinando iſtic militiæ ſtatu, magis è re fore ducebat, ut ſtatim Teſo ad Stararuſſam moveret: qvum ibi copia non ſolùm recreandi militis, ſed etiam eqvorum pabula ſupereſſent, gramine ad Novogardiam ab hoſtilibus eqvis penitus abſumto. Sed Jacobus urgebat, exercitui ſuo ſecundum pacta prius ſolvi unius menſis ſalarium, qvàm ulterius progrederetur, & ab ipſo Czare dicta pacta confirmarentur. His Michael Suiskius annuit partemqve ſalarii Sveticis ſolvit, pacta nomine Czaris confirmat, & ab ipſo Czare propediem confirmatum & ſubſcriptum iri, fidem dat. Dum verò Jacobus in Teſo cum ſuis adhuc ſubſiſtebat, nuncium accepit, ob humidam & paludoſam viam impoſſibile eſſe cum exercitu Stararusſam ire; rumore ſimul allato de Pernoviæ hoſtili occupatione, & tentandâ ab hoſte Ivanogorodiæ liberatione. Itaqve Comes Jacobus Noraruſæ paulum commoratur, donec via minus impedita redderetur, atqve ſibi de integro menſtruo ſalario ſatisfieret. Interim Everhardum Horn cum CCCC. eqvitibus & C. peditibus expedit cognoſcendi cauſa, ubi Demetrius commoraretur. Hoſtis autem, accepto adventu Jacobi & Everhardi, incenſâ urbe Stararuſsâ, inde aufugit. Everhardus eum in itinere ſecutus, qvingentos cædit, centum captis, qvâ victoriâ factum eſt, ut non pauci rebellium Ruſſorum in Czaris fidem & gratiam ſe dederent. Rumor de Demetrii exercitu Torſiaci exſpectato movit Jacobum, ut eò mitteret Everhardum cum DCCC. eqvitibus & CC. peditibus, experturum, qvàm validus eſſet hoſtis. Ille poſtridie

poſtridie ſcripſit ad Jacobum, hoſtem termille milites in exercitu habere, & qvum non habeat plus virium, ſibi animum eſſe propius urbem ſe conferendi, & hoſti, ſi poſſit, incommodandi; ſi minus, commodum locum occupandi, ubi Comitis auxilium præſtolaretur. Poſtqvam Torſiaco appropinqvarat, ad urbem acie confligit cum hoſte, qvi ductorem Sborofskium habebat. Etiamſi verò Everhardus bis mille ſolum, cum Ruſſis in itinere ſecum conjunctis, duceret; hoſtilem tamen diſturbavit aciem, in fugam egit, & Torſiacum à Polonis liberavit. Eqvidem omnem exercitum hoſtilem profligare potuiſſet, niſi à Ruſſis ductore Labbadio, derelictus fuiſſet. complures tamen eorum cecidit, qvatuordecim aut qvindecim noſtratium ſolùm deſideratis. Rex per literas Comiti promiſerat, ſe plures copias transmiſſurum. Reſpondet Comes, iis opus non eſſe: qvum ſatis copiarum Czar habeat. E re tamen fore, recentes copias in limite Narvæ, dubiæ fortunæ cauſa, ſubſidio paratas habere, cum navibus aliqvot, ad ægrotos & dimiſſos trajiciendum. Jacobus ipſe Torſiacum advenit: ubi cognovit hoſtem ad urbem & arcem Twâram, verſus Moſqvam ſitam, ſtare, animo impediendi Sveticis tranſitum per fl. Wolgam. Cæterum, ſimulac Smolenſcius exercitus qvatermillium ductore Barudinsſchovio, & Michaëlis Suiskii copiæ ter millium ſe cum Jacobi agminibus conjunxerant, ille commodo tranſitus per Wolgam loco, hoſtem qvæſitum ibat; qvi, ut ante dixi, ad Twâram cum qvinqve millibus ſtabat. Qvò Jacobus cum ſuo exercitu veniens, cum hoſte manus conſerere deſtinat: ut Polonis inde expulſis, in interiorem Ruſſiam acceſſum ſibi tutiorem ac liberiorem faceret. Dum Jacobus prælio ſe parans aciem inſtruit, repentinus & ingens imber militum Sveticorum bombardas adeò madefecerat, ut ictum plerorumqve, adverſus hoſtem illis incumbentem, explodere conantium, fallerent. qva re qvum noſtratibus animi aliqvantum minuerentur, hac occaſione hoſtis in eos irruens, aliqvot ſigna in fugam vertit, qvatuor tormentis campeſtribus & duobus minoribus captis. Sed Jacobus cum duobus ſignis Finnonum in tria ſigna prætorianorum hoſtilium provectus, redintegratâ pugnâ, iſtæc repente disjecit, perſecutus hoſtem præcipitem ad urbis arcem usqve. Qvidam etiam addunt, Polonos ad Columnizam urbem à noſtris obſeſſam, ab illis liberandam inde pulſos, & non exiguam Polonorum partem ſtratam, & ipſum Sborofskium tribus vulneribus ſauciatum eſſe. Hoſtis verò in viam Moſcoviticam regreſſus, ad ſex milliaria

fugam

fugam properavit, anteqvam ſiſteret: qvod Michaël Suiſchius grata mente agnovit, & Jacobum Comitem amplexus, Czarem nunqvam parem grat.am Regi Svetiæ pro præſtito tam fideli auxilio; & liberatâ ab hoſte ac Polonis CM. militum tam feliciter Muſcoviâ, referre poſſe, ſummopere prædicavit. In urbem qvoqve Muſcoviam eum comitatus eſt, obviam Jacobo multis factis, panem & ſalem more ſuo præferentibus, eumqve *ſoſpitatorem* ſuum ſalutantibus. Ad ipſum deniqve Czarem eum duxit, & qvidem gladio, more militari, accinctum: qvum alioqvi nemini armato liceret ingredi ad Czarem. qvi eum ſingulari benevolentia, imò lacrymis gaudio effuſis, & muneribus, omnesqve ejus comites excepit; fide data de pactis Wiburgenſibus religioſè ſervandis. Jacobus hinc abiens, perſeqvi victoriam deſiderabat, ſed continenti imbre impeditus, prælium usqve ad tertium diem differre coactus eſt. qvo occaſione primi diluculi utens, hoſtem obvium ita excepit, ut partim in majorem viam Moſchoviticam, partim in arcem Tvvârenſem receptum hoſtis peteret, aliqvoties centum cæſis. Arcis oppugnatio noctu tentata fruſtra fuit, uno ex illis, qvi crepitaculum portæ arcis elidendæ adhibere juſſus erat, cæſo, & Ruſſis ad impugnationem loci ſegnibus. Viſum ergò militibus interdiu iterum oppugnare arcem: ut fortiorum virtus magis conſpici, & forſan felicior eſſe poſſet; ſed irrito molimine, Ruſſis periculum detrectantibus, & diſceſſum urgentibus. Licet autem propugnaculum, ad defenſionem arcis ex egeſta altiore terra excitatum, candentibus globis peteretur, tamen illi parum poterant: qvum ſtatim ab hoſte extingverentur; & mille arcis præſidiarii tam confertim in Sveticos imminentes ejaculabantur, ut portam aſſeqvi neqvirent. Qvum Michaël Svishius confirmaſſet certo nuncio, hoſtem ad Trois & Oſipoſii cœnobium ſtetiſſe, ſed qvum accepiſſet, Sveticos ulterius progreſſos eſſe, ad majora caſtra, duobus milliaribus Moſqvâ diſtantia, rediiſſe, dimicandi cum illis conſilio; proinde auctor erat Jacobo, non recta ſe Moſqvam conferre, ne hoſtis ipſi aditum præcluderet, aut emolumentum aliqvod præriperet, ſed ut ab hac parte Wolgæ pergeret, & tutius iter ad arcem Coluſinam XX. milliaribus Tvvâra, & XXX. Moſqvâ diſtantem, haberet. Ibi ſtativa ſatis accommoda militibus fore; donec certius exploraretur, qvomodo ſe res hoſtium haberent: Si verò hoſtis nondum Trois moviſſet, hoſtem iſtic incurſandi majorem fore facultatem. Jacobus viro illi, cui ſtatus patriæ ſatis cognitus, & ſalus ejusdem curæ eſſet, fidem habens, ejus conſilio paret, & trajecto Wolga, ſex milliaribus à Tvvâra, milites ad triduum qvieſce-

Ppp re fa-

re facit, inde perrecturus Coluſinam. Sed hîc Finnonici milites inſperatum capeſſunt tumultum, ſignis ſuis retrò domumqve verſis: negantes ſe ulterius in Ruſſiam progreſſuros, tanqvam impares potenti hoſti, & parum auxilii ſibi pollicentes de Ruſſis, qvod nuper experti eſſent; præter alias frivolas cauſas; Michaele duce Ruſſico, precibus, pretio, ipſisqve lacrymis, imò præfecto militiæ Sveticæ Jacobo ipſo per Andream & Johannem Boye, Chriſtiernum Some, Everhardum Horn ad duo milliaria, experiundi eorum animos cauſa ſubſeqventes, fruſtra revocantibus: tam obſtinatæ rebellionis, & pertinacis ad diſceſſum propoſiti erant. Licet autem Gallici eqvites & qvidam Finnonum ad partem itineris, Jacobum ſeqverentur, tamen & illi & hi ob paucitatem militum Sveticorum & Germanicorum, in fide manentium, etiam detrectabant ulterius ſeqvi. Proinde coactus eſt Jacobus ad qvatuor milliaria regredi, & ſigna rebelli turbæ, ſevero graviqve ſermone caſtigatæ, ablata fidis tradere ſigniferis. Everhardus Horn fervidior, auctores rebellionis ſtatim laqveo puniri ſvadebat, ſed qvia reliqvus exercitus pro illis culpam deprecabatur, & contumaces pœnitudine facinoris ducebantur, dimiſit eos Jacobus pœnamqve diſtulit. Non enim tunc eſſe tempus rebatur jus ſummum perſeqvendi: ne eo plures averterentur. Et qvidem in peregrinâ terrâ, ubi non ſtatim ſupplementa loco aufugientium adeſſet. Poſtqvam Jacobus acceperat, Polonos ex arce Tvvâra, triduo poſt ejus diſceſſum, exceſſiſſe, & ad majora caſtra ſe recepiſſe, ille reverſus eſt in Caſtra ad Tvvâram, tanqvam tutum commodumqve locum, & egit cum exercitu, ut hic tantiſper commoraretur, donec nuncium Wiburgo de novo ſubſidio accepiſſet. Rebellis turba ſe ad qvatuordecim dies iſtic remanſuram reſpondet; ſi nullus interea advenerit nuncius, ſe remeaturam domum. Comes ſecum conſtituerat, eorum arbitrio non indulgere præfixum tempus, ſed qvamdiu poſſet, iſtic retinere: qvod nullo efficaciori lenocinio, qvàm pecuniâ poſſe fieri videbat. Solvit itaqve illis bis mille rublos, promiſſis adhuc mille, & certis menſtruis ſtipendiis, & neceſſariorum proviſu. Centum aliqvot milites, hoſtis poſituram ſeu conditionem & molitiones exploratum emiſit. Deſiderabat etiam à Rege per literas ſupplementa copiarum per non unum cum hoſte conflictum, Caſtellorum impugnationem, & fugam rebellium diminutarum. Mentionem inſuper fecerat ad Regem literarum Sigismundi Regis Poloniæ ad ſe datarum: qvas Sborofskius

roſskius per militem ſub Torſiaco captum ad ipſum miſerat, qvæ videntur ejusdem fuiſſe argumenti cum illis, qvas idem Rex ad eum Viazma anno 1612. ſi tempus rectè notatum eſt, ſcripſerat, de qvibus ad iſtum annum plura. Cæterum qvemadmodum Rex Carolus ante Jacobum monuerat, ut ſibi caveret ab inſidioſis Polonorum machinationibus & ingentibus promiſſis, ita Jacobus ſanctè pollicitus eſt & confirmavit Regi ſuo fidem & integritatem, ad mortem usqve ſervandam. Ad eandem ſedulo hortatus eſt milites, & ne ſe clam promiſſis Polonicis demulceri corrumpiqve patiantur. Rebelles Finnones ad ingenium ſuum reverſi, iterum urgent diſceſſum in patriam; vi extorturi, niſi ultrò miſſionem acciperent. Ab indigenis tamen & extraneis eqvitibus CXXX. & LXXII. peditibus tantum Jacobus obtinuit, ut accepto menſtruo ſalario, ſub ductu Chriſtierni Some, Campi Mareſchalli, ad Michaelem Suiſchium, qvi tunc Calaſinæ erat, proficiſcerentur, ipſiqve auxilio eſſent, ubi poſſent: ne Ruſſi de ope Sveticorum prorſus deſperarent. Ad Czarem ipſum ſcripſit, deſideratis certa ſtipendii ſolutione & Kexholmiæ traditione, ex mente pactorum. Qvum adveniſſet Jacobus Torſiacum, ibi copias ſuas reficiendi ſe cauſa collocavit. Everhardum Horn autem cum CL. eqvitibus adverſus Polonos qvi ad commeatum qværendum ex adverſo Tvvâræ excurrerant, expedivit. Ille parte eorum ſtratâ, reliqvos in fugam compulit, pecoribus ſecum abductis, & aliqvot captivis: qvi referebant Kraſofskium & Milinchium Eqvitum Magiſtros cum ſuis turmis Tvvåram interceptum iviſſe; ſed cognito, noſtros prope abeſſe, confeſtim receſſiſſe. Jacobus ſignificat Regi per literas, Czarem ſibi promiſiſſe pecuniam, auxilium & alia neceſſaria, ipſiusqve Kexholmiæ arcis plenam traditionem: modò cum ſuis Moſqvam accedere velit. Se qvidem ad hoc milites hortatum eſſe, peregrinis dimidio ſalario ſoluto: Ut eò profecturus eorum ope ab obviis Polonis purgaret vias ad Moſqvam ferentes. Sed partem illorum, inſtante hyeme veſtium inopiam, partem morbos, partem imbecillitatem virium prætexere: rebellionem autem eorum coram Czare prudenter diſſimulabat. Se verò operam daturum, ut oportunis locis militi neceſſaria diſpiciat, donec nova auxilia advenerint. Anno præcipiti iterum literas ad Regem dat, in qvibus ſcribit jam à Czare ſolutum eſſe exteris trium cum dimidio menſium, & Sveticis duorum menſium ſalarium, Kexholmiam verò nondum traditam eſſe. Petit à Rege de auctoribus rebellionis debitum ſupplicium ſumi, & citò transmitti ſubſidia: ita ſe cum Deo magis operoſa aggreſſurum. Qvum Caluſinam veniſſet Comes, accepit Chriſtiernum Some Påreſſaviæ

munimento potitum eſſe, D. ferme Polonis, ſecuritati ſuæ indormientibus, ab ipſo fuſis. Comes eò profectus, omnia iſtic integra deprehendit. Sex inde milliaribus CCC. Poloni in oppido Sloboda collocati, multum circumqvaq; populabantur. Eò miſit Johannem Myrium cum CC. viris & Ruſſis nonnullis, qvi inde expulerunt Polonos, C. ſubmerſis, aliqvot captis, reliqvis fugâ evadentibus. Cum autem Sloboda munitus eſſet locus, & annonæ colligendæ oportunus, Jacobus eò excurrere juſſit Chriſtiernum Some, cum CC. & aliqvot Ruſſis, ad firmandum præſidiis locum, & inde motis ſignis, purgandum iter ad Moſqvam à Polonis paſſim graſſantibus, qvantum per vires ſuas liceret. Sapieha cum mille Polonis ad Urbem vel Cœnobium Trois obſeſſam ita ſe communiviſſe ferebatur, ut non facilis acceſſu eſſet. Ille cum Roſinskio & Sborofskio egreſſus contra Sveticos, qvater mille ſecum ducens, vi, igne & ferro præcipites agere decreverat; qvo fine per totum diem cum eis congreſſus, non ſemel ope divinâ repulſus eſt, cum jactura duorum eqvitum magiſtrorum & LXX. militum. Haud dubiè iterum fortunæ periculum feciſſent, niſi diſcordia inter illos orta, qvod conſilium de opprimendis ſubito impetu præſidiis non ſucceſſerat, ad ſua caſtra Troienſia reverti ſvaſiſſet. Comes Carolo XIII. vexilla, victoriarum monumenta, transmittit. Qvod Poloni jactarent ſe Ruſſiâ non exceſſuros, priusqvam acie cum Sveticis decertaſſent, de eo Comes ſuum ad Regem judicium ſcribit hoc modo: *Etiamſi Ruſſi octodecim millium exercitum penes ſe haberent, ſe tamen non commiſſurum Svetiæ & Ruſſiæ ſalutem incertæ prælii aleæ & Ruſſorũ inconſtantiæ; ſed ſe copias ſuas intra tuta loca contenturum, donec plura auxilia ex Svetiâ advenirent.* Qvod verò Rex Carolus, ſi plures copias Czari debeat auxilio mittere, nolit eſſe contentus ſua Kexholmia, ſed etiam poſtulet Nôtheburgum, Tvvanogorodam & Kolmſôã pro fideli ſua ope magnisq; impenſis, ad hæc reſpondet Jacobus Regi: *Se non ſolùm eâ de re cum imperatore militiæ Ruſſicæ Michaele Suiſchio ſermonem habuiſſe, ſed etiam ante ſex hebdomadas Magnum Martini cum ſuis literis ad Czarem ipſum miſiſſe: qvi confirmationem Kexholmiæ Regi tradendæ ſcripto dederit, & duos Senatores deſignarit, ad ejus traditionem vel immiſſionem præſtandam, ſed de Nôtheburgo & reliqvis ante dictis locis tradendis qvum res nova ſit, & priori contractui non conſentanea, dilationem ejus deſideraſſe Czarem; ita tamen ut contractui ſtare eiqve ſatisfacere velit. Secundum verò ejus* (Comitis Jacobi) *ſententiam non videri è re fore publicâ, nunc tam ſubitò novam urgere obligationem: de qva vulgus Ruſſorum facilè ſiniſtram opinionem capere & tumultuandi anſam arripere poſſit; qvod Suiſchius maximè vereretur: præſertim cum conſtans rumor exiiſſet de adventu legati ex parte Polonorum ad Czarem, fortè novi qvid animis coqventium. Ob has & alias cauſas, imprimis*

imprimis Polonorum aſtutiam, & Ruſſorum vacillantes mentes, Suiſchium ſanctè promiſiſſe & ſcripta ſatisdatione caviſſe. ſi Czar, Deo ſic volente, Regis ope poſſit à Polono hoſte liberari, & ſuo dominio potiri, ſe abundè ſatisfacturum Regi. Tandem qvatuor mille promiſſos auxilio rogat Jacobus prima occaſione transmitti: ut eò majus detrimentum hoſti inferre poſſit. Sapieha obſi- 1610
dionem urbis Trois, qvam ad alterum annum jam traxerat, ſolvit: deſtitutus annonâ, militibus ejus non paucis fame extinctis, territusq; rumore novarum copiarum, propediem ex Svetia huc mittendarum. Eò ſe Jacobus cum Suiſchio contulit, & occupatis Sapiehæ caſtris, urbi gratulatus eſt de liberatione ſui. Ineunte hoc anno Rex Carolus ad Campi Marſchum Jacobum qvinqve ſigna peditum, ductore Johanne Conrado Link, & prius duo ſigna eqvitum, ductoribus Cornelio Påſte & Johanne Juſto de Qvarnheim, dein iterum tres turmas eqvitum ſub ductu Mondiſſirii miſit. Jacobus rogavit Regem non plures copias in Ruſſiam mittere, qvàm pactis conveniret, ne qvid inde ſiniſtræ ſuſpicionis Czar caperet. Sapieha, qvi ad Demetrioſam (qvidam Mitroſuam vocant) caſtra ſua fixerat, à Sveticis inde profligatus eſt, centuriis aliqvot Polonorum cæſis & captis; ſic ut refugium in arcem peteret, XII. ſolum ex noſtris deſideratis, & tormentis hoſti abreptis. Licet autem Jacobus etiam contra Liſofskium, qvi in Susdaalia caſtra ſua habebat, ire conſtituiſſet, eumq; inde propellere: ut omnes hoſtes ante ſe, non à tergo haberet; attamen qvia Czar deſiderarat, ut ſe cum Suiſchio Muſcoviam conferret, conſilium ſuum mutare neceſſe habuit. Qvum jam iter eò facere cœpiſſet, tamen parum feſtinavit, tamdiu ſe ſubſtiturum in itinere ſimulans, donec Kexholmia Regi traderetur. Czar non ſuam ſed incolarum contumaciam moram in culpa eſſe affirmans, ſub pœna capitis eis impoſuit negotium properandæ traditionis Kexholmiæ. Qvum Comes Jacobus trandem adveniſſet ad urbem Muſcoviam cum exercitu ſuo, honorificè à Czare exceptus eſt; qvi cupiit, ut Moſqvam XVII. milliaria à Muſcovia diſtantem, ſe conferret, ad incommodandum hoſti, hinc in firmo Caſtello Bologda, XII. milliaribus à Muſcovia, ſe ſuosqve tenenti. Sed Jacobus negavit ſe ulterius progreſſurum, anteqvam Czar Regi ſuo Kexholmiam tradidiſſet & de ſalario militum, & pactorum Wiburgenſium confirmatione ſatisfeciſſet. Interea fictus Demetrius clam caſtris ſuis ad Calugam, XXXVI. milliaribus à Muſcovia, exceſſerat: eò qvod Rex Poloniæ miſerat ad Ordines Ruſſiæ, ut vellent ipſi vel ejus filio jurare fidelitatem, oblatis Demetrio illiusqve Conjugi viginti mille rublis, & duabus urbibus Lithuaniæ pro ceſſione prætextus Ruſſiæ; qvod ſi ſponte nolit, è medio tollendum eſſe.

Everhardus Horn, ad cœnobium Oſipoviū clade afficit hoſtem Alexandrum Ruſinskium & arcem occupat. Sed infeliciter ad Bialam dimicans, cæditur à Gonſefskio. Ad Cluſinum infelix qvoqve noſtratibus prælium fuit. Cæterum tota clades, ejusq; principia, modus & exitus merentur fuſius deſcribi: ut liqvidius conſtet, in qvibus culpa mali hæſerit. Qvum hoſtis terram Ruſſicam miſerè devaſtaret, ſub dicta paulò ante conditione perſvaſus eſt Comes Jacobus cum exercitu ſuo, & evocato ad ſe Everhardo Horn cum ſuis Moſqvam ire. Sed in itinere Czaris frater ad Jacobum mittit petitum, ut ſubveniat Ruſſis, qvibus præerat Gregorius Walufuiovius. Illi intra ſepimentum militare cum ſex mille viris ab hoſte ita circumfuſi & in anguſtias coacti erant, ut annona deficiente illis fame pereundum, aut in hoſtis manus tradendi eſſent, niſi eis auxilium citò ferretur. Ut verò Czaris frater id qvod petebat facilius à Comite obtineret, ipſius Czaris literas ei oſtendebat, qvibus idem deſiderarat. Et ut ductores militum & qvi ducebantur eò promptiores ad ſeqvendum eſſent, in itinere pars pecuniæ illis ſoluta eſt. Licet autem illi omne reſiduum ſibi prius ſolvi vellent, anteqvam ſe loco moverent, ita tamen tandem convenit: ut eodem ſalario qvo Conradus Linck, nimirum unius cum dimidio menſis, nunc contenti eſſent, reſiduum verò, profligato hoſte, acciperent. Cæterum hæc conditio non placebat Capitanei Sinkelomii eqvitibus, inprimis concitante eos ad tumultum uno eqvitum, caſtra circumeunte (qvi etiam capitis pœnâ hoc luebat) illi enim negabant ſe pedem prius moturos, qvam reſiduum ipſis prænumeratum eſſet. Comes Jacobus qvidem ſecum deliberabat, an ob hunc motum, dum adhuc in fermento erat, progredi tutum foret. Sed cum Cobron tribunus militum & Sinkelomius rogarent eum pergere: ipſos pro populi qviete cauturos; ad octo milliaria pergunt Cluſinum. Ibi caſtra poſuerunt: qvum nullus propior & tutior locus ad ſuccurrendum Ruſſis & occurrendum hoſti iſtic reperiretur; duo enim milliaria ſolùm ab hoſte diſtabat, & via ſylveſtris, per qvam decurrebat torrens, ex una, atqve ex altera parte ſepes erat in planitie, qvæ noſtratibus alicui præſidio eſſe poterat, eoq; dirui, prohibitum erat. Ruſſi etiam juſſi erant vectes & repagula circum caſtra facere, & in omnes vias emittere exploratum hoſtiles actiones & ſedem. Verùm Ruſſi diuturno itinere feſſi, non valebant perficere repagula, anteqvam hoſtis in aciem diſpoſitus, duce Stanislavo Solicovio, ſe illis ſuperfunderet; & qvidem inſcio Comite, qvi cum ſuam aciem qvoqve inſtrueret, hoſtis jam omnibus cum copiis impreſſionem faciebat. Sepes etiam (de qva paulò ante) contra juſſum à transfugis, uti ſuſpicari licet, noctu diruta

ruta erat: ut hoſtis apertius ſpatium Sveticos aggrediendi haberet. Etiamſi verò Jacobus ac Everhardus pro virili ſuum facerent officium, & aliqvoties cum ſuis cohortibus invecti in hoſtem, partem ejus in fugam converterent, non ſupra L. ex noſtratibus deſideratis; tamen hoſte cum tota mole qvinqvies mille eqvitum contatorum, & qvater mille Heiduccorum fugagatis ſuccedente, contra Demetrio Janovvitz, Czaris fratre, cum qvinqve millibus eqvitum ne minimam qvidem opem Sveticis ferente, qvum in eos maximus impetus fieret, defatigati & omni ſuccurſu, etiam Conradi Linke tribus ſignis ne qvidem ſe moventibus deſtituti, qvid mirum? ſi cederent. Comes Jacobus & Everhardus gradum capientes & eqvitatum recolligentes, licet complures vel in ſilvis ſe abdidiſſent, vel ad hoſtem confugiſſent, cum duobus ſignis hoſtilibus eqvitum contatorum concurrentes, ea repulere. Nihilominus Conradus Linke extra ſociorum notitiam, pacta deditionis cum hoſte inivit; etiam ſi Comes exercitum monuiſſet jurisjurandi ſui, qvo Regi Carolo obſtricti eſſent, nec committerent ut ſe inſcio invitove ad ulla pacta cum hoſte deſcenderent, multò minus ad eum deficerent, ſed animis receptis in adverſum hoſtem pergerent: qvia exiſtimatio eorum & nomen hîc ageretur. Galli verò & Germani qvi plenam ſolutionem acceperant, nec ullum prætextum rebellandi habebant, tamen negabant ſe amplius hoſti reſiſtere poſſe, ſed velle ſe ejus fidei permittere. Si reniteretur Comes, id ſuo periculo faceret. Et jam ſpeciem qvaſi Comiti minantium ictus bombardarum præ ſe ferebant; ſic ut ipſe non tutus ab eis eſſet. qvin eò ferociæ & inſolentiæ progreſſi ſunt, ut confeſtim ejus carpenta involarent, ſpoliarent, diriperent; & omnia qvæ poterant, cum magna vi pecuniæ ſecum auferrent; qvaſi præda hoſtilis fuiſſet. In caſtra etiam Ruſſorum irruebant, obvios cædebant, & raptis ſecum qvæ aderant, turmatim ad hoſtem tranſibant, adeò ut ipſi Ruſſi ab illis, tanqvam hoſtibus ſibi metuentes, paſſim in fugam ſe darent: qvos Poloni perſeqvebantur, non ſiſtentes prius, qvàm Moſqvam attigiſſent. Solicovius Polonicæ militiæ præfectus ad Jacobum in caſtra mittit Polonum & Gallum, qvæſitum an pacta deditionis, qvæ Cunradus Linke antea fecerat, rata habere velit, aut qvid ſentiat. Ad pertinacem clamorem & deſiderium militum adhuc à Comitis partibus ſtantium & deditionem urgentium, Comes eorum ſententiæ accedere coactus eſt. Qvin ipſe Solicovius adeqvitans Svetica caſtra, & cum Comite colloqvens, faſſus eſt Ruſſorum partim perfidiâ, partim metu, & proprii noſtri exercitus proditione, non Polonorum viribus aut audaciâ diviſa ac ſeparata fuiſſe Svetica agmina, eoq; modo prælium illis infelix eveniſſe. Proinde ad

de ad mutua pacta coiverunt. Comes deſiderabat à Solicovio ſcriptam cautionem, de tuta ſui exercitus ad cupitos limites deductione cum plenis armis, explicatione vexillorum, cum tympanis & fiſtulis ſonantibus, de nemine detinendo, qvi non vellet ſub ſignis Polonicis ſtipendia facere. Comiti Jacobo cum exercitu ſuo integrum fore, in Ruſſia qværere ſolutionem æris illis debiti, anteqvam hinc diſcederet, qvæ capita cum approbaret & ſubſcriberet Solicovius; contra voluit, ut Jacobus fidem daret ſcripto, ſe nolle huic imperanti Czari præſtare operam militarem in hac expeditione; qvod etiam fecit. Dum hæc ita peraguntur, reliqvi Germani, Galli & Scoti, qvi adhuc apud Jacobum perſtiterant, etiam deficiunt ad hoſtem; ita ut una horâ ad eum transcurrerent XIX. ſigna eqvitum & XII. ſigna peditum. Comes reliqvos adhuc Linkii milites, & qvi cum Everhardo Horn advenerant voluit, ut ſe retrò ſeqverentur: ita ſe facturum, ut è Ruſſia diſceſſum impetrarent, partiturum qvoqve inter eos pecuniam & alia bona adhuc inſpoliata, qvod illi comprobarunt, & cum Linkio in deſtinata ſibi ſtativa redierunt. Galli, Germani & Angli eòdem remittebantur; qvod tamen, nondum præſtita ipſis ſolutione, recuſabant. Ad eos placandos, reliqvi nummi & pelles Zabellinæ inter illos dividebantur; ſed qvidam non contenti Zabellinis, præſentem pecuniam volebant. Id novæ rebellionis ac tumultus initium erat, diſſentientibus inter ſe militibus & rapientibus pecuniam qvæ in promptu erat. Qvin tumultus adeò crevit, ut obvios & qvi cum Everhardo Horn faciebant, interficerent; imò ipſum Everhardum Horn globo transverberare minabantur, niſi præmonitus ſibi caviſſet & cum vitæ periculo Pogarelovvam iviſſet, animo ſuas turmas augendi duobus Lavilæ tribuni, qvi ibi ſubſiſtebat, eqvitum ſignis. Sed altero mane cœperunt qvoqve contra Lavilam rebellare, ſolutionem ſtipendii ab eo poſcentes. Ita rebellio ac tumultus velut contagium graſſabatur, auctu ſuo, niſi in tempore ſuppreſſus eſſet, ſanas qvoqve partes in univerſum correpturus. Lavila verò cum Hornio, poſtqvam tumultuantes eorum bona diripuerant, non abſqve vitæ diſcrimine ſe eorum furori ſubduxit. Erant enim inter eos non pauci ſartores, ſutores & pelliones, qvibus vel nulla vel exigua cura fidei & famæ erat, modò loculos implerent. Hæ ergo fuere cladis cauſæ qvod milites exuto officio, duces ſuos peſſimum in modum deſerebant; præterqvam qvod hoſtis decem millium, Svetici bis millium qvingentorum numero ſolum erant. Czar Baſilius Johannis qvoqve vi rebellium ſuorum ſubditorum in anguſtum coactus, depoſito imperio, monachi vitam elegit & in cœnobium ſe condidit. In ejus locum Michael Frederici Suiſchius deſtina-

batur;

batur: licet alii Ruſſorum magis ad Regis Caroli filium, Carolum Philippum, alii ad Uladislaum Sigismundi Regis filium inclinarent, Polonis, & præcipuè Sigismundo hoc agitantibus. Lavila Ladugam arcem portâ crepitaculo apertâ occupat: hypothecæ loco eam usqve ad ſatisfactionem retenturus. Sed non diu retinuit, dum hoſtis eam obſidens, incuriâ an imprudentiâ Lavilæ recuperat: qvi poſtqvam emiſerat iſtic in præſidio collocatos ad explorandum, numqvid auxilii arci liberandæ adſit; hoſtis, inſtans oppugnationi, imbellem præfectum ad deditionem arcis cogit. Sed Ivanagorodiam, occupatam à noſtratibus valido præſidio firmabat Hermannus Wrangel. Seqventi anno inter Carolum IX. Regem Sveciæ & Chriſtianum IV. Regem Daniæ, novum bellum, occaſione à Chriſtiano arrepta, dum Carolus Polonico & Ruſſico bello implicatur, ortum eſt. 1611 Qvamvis autem non deeſſent aſſentatores, qvi Carolo perſvaſum ibant, Danum nondum ocreatum (ita loqvebantur) multò minus ad arma paratum eſſe, tamen Rex amicorum ſalubriori conſilio adductus, hoſtem non eſſe ſpernendum, ſed in tempore ei occurrendum, & id magis metuendum, qvod minus metuendum videbatur ſecuris; Ordines Örebrogæ, non tàm de controverſia inter ſe & Danos ponderanda (qvum eo tempore magis facto qvàm conſulto opus eſſet) qvàm de modo ſe opponendi vi ejus hoſtili, convocat: qvi promtum Regi in hoſtes ſubſidium, niſi amica compoſitio interveniat, promittunt. Semina diſſidiorum, qvæ bello anſam dabant, hæc præcipua erant: Inter Carolum & Chriſtianum Reges anno MDCIII. Flackeſiöbeckiæ in finibus Svetiæ & Daniæ, controverſia de non unis capitibus ad decidendum ſuſcepta erat, ſed hactenus nondum compoſita, in ſuſpenſo relicta erat, ut ad dictum annum qvintum & octavum fuſius notavi. Qvin hoc qvoqve anno aulæ ſuæ Cancellarium Nicolaum Chesnecopherum ad Regem Daniæ ea de cauſâ miſerat. Sed illum Danus ad colloqvium admittere noluit, *Nobiles ex Sveciâ legatos, non ſacerdotis ex Nericia filium*, ut ajebat, *ad ſe mitti*, cupiens. Inter alia tamen inter Svedos & Danos ante convenerat, ut fervente bello inter Svedos & Polonos, Dani navigationem Rigâ & Curlandiâ tantiſper abſtinerent, nec eas, rebus bello utilibus juvarent. Id cum ex convento Dani ad tempus ita ſervaſſent, ſed bellum iſtud illis longius opinione, in Danicorum iſtic commerciorum aliqvod diſpendium, at Sveticorum emolumentum, protrahi videretur; & interim Carolus edictis atqve inhibitionibus, ut alibi, ſic etiam Helſingöræ, non conſulto prius Rege Daniæ, publicatis, navigationem Rigam & Curlandiam verſus, mercatoribus interdixiſſet; hoc Chriſtianus à Carolo, non ad illos, qvos pacta & fœdera ab aliis ex-

traneis diſcernerent, nec alibi qvàm in ſua ditione producendum & publi-candum eſſe, contendebat. Qvapropter, qvum à Carolo de hoc interdicto nihil remitteretur, ut deſideraverat Chriſtianus, Danis ſuis & aliis, inprimis Batavis, ſub præſidio ſuæ claſſis, navigationem in Curlandiam & Rigam aperuit. Id Carolus Rex, contra Stetinenſe & præſertim Flackſiöbecenſe pactum admitti, expoſtulabat: unde deprehenſas naves vi interdicti, &, ad qvod provocabat, ex jure & conſvetudine aliorum Regũ ac populorum, publicarat; id qvod Chriſtianus vindicatum ibat. Præter hæc inter illos contentio erat, de novo, ut ajebat Chriſtianus, Caroli titulo & jurisdictione in boreales Lappones uſurpata, qvam Chriſtianus ad Svedos pertinere, & ante à Regibus Svetiæ uſurpatam negabat. Contra Carolus ex pactis & longo uſu certisq; in locis adſerebat, usq; ad ſelecti arbitri cognitionem vi conventionis Flackeſiöbecenſis. Inſuper de privilegiis & inter hæc libertate piſcandi à Titisfiord usq; ad Warangriam ſub decimarum penſione Gotheburgenſibus à Carolo in fraudem juris, fructuum & redituum Chriſtiani, ut ille contendebat, & in maris diverticulo ad Regis Daniæ ditionem pertinente ſatis diſceptabatur. At negabat Carolus aliam illis immunitatem dediſſe, qvàm jure Majeſtatis poſſet. Ex diverſo Carolus majoris, ut ferebat, ponderis controverſias movebat, de trium Coronarum inſigni, de Lapmarchiâ, Sunneburgo ö filiæ, de vectigali, aliisqve, & de injuria nuper ſibi ſuisq; illata; qvæ Chriſtianus ſilentio tranſiiſſet. Hæc & reliqva vel ſatisfactioni, vel amicæ transactioni committi fruſtra poſtulabatur; donec res in apertum excederet bellum; uti ex ſeqventibus documentis & literis fuſius liqvebit, qvas uti ab utroqve Rege ſcriptæ ſunt, apponam. Rex Carolus ad Regem Chriſtianum in hanc mentem ſcribebat: *Regem Chriſtianum ſibi facilè in memoriam revocaturum, qvod Rex Carolus ad eum elapſo anno MDCX. d. VII. Aprilis Elfsburgo literas dederit, amicè cupiens, ut transactio anno MDCIII. inter utriusq; regni delegatos inita impleretur. Se verò nullum ad id reſponſum ab eo accepiſſe, ideò mox ablegaſſe aulæ Cancellarium Nicolaum Chesnecopherum in Lågbro & Lund, qvi Chriſtiano amicam ſententiam Caroli exponeret. Sed illum à Chriſtiano non admiſſum, infecto negotio rediiſſe. Chriſtianum præterea patentes ſuas literas ad Regni Svetiæ Senatum & Ordines non ſemel emiſiſſe. Qvamvis autẽ Chriſtianus ſciat, ſibi cum alieno regno ſubjectis nihil rei eſſe, tamen id factum eſſe in fraudem Regiæ eminentiæ & auctoritatis Caroli & dedecus regni. Cum itaqve hic non legitimus ſit agendi modus, qvando nonnullæ diſſenſiones aut admiſſa inter Regna oriuntur, ut unus Princeps ad alteri ſubditos ſcribat; ſed pacificatio Stetinenſis ſic commodiorem viam oſtendat; ſe non ſperaſſe, Chriſtianum aliâ qvàm hac uſurum: qvam Carolus, ut ante*

ut ante, ſic etiamnum offerat, nimirum per amicam compoſitionem vel arbitrorum ſententiam rem decidi. Chriſtianum etiam non poſſe non meminiſſe, ſe hac æſtate bis ſub præſidio ſuæ claſſis Hollandicas aliqvot naves Rigam perduxiſſe & reduxiſſe, qvæ Caroli hoſtibus commeatum ſubvexerint. Qvamvis autem Carolus hoc claſſe ſua vel ulciſci vel impedire potuerit, ſi pacificationem Stetinenſem hic violare voluiſſet. tamen omnis offenſionum occaſionis vitandæ cauſa, Regni Archithalaſſum Georgium Gyllenſtiern cum claſſe regia in Calmariæ fretum revocaſſe, & ſolum Jacobum Jacobi Snäckenborg juſſiſſe in mari cum ſex vel octo minoribus navibus excubare, ad prohibendam hoſti advectionem. Eundem tunc ſermone cum Chriſtiani Archithalaſſo Magno Ulfeld habito, expoſtulaſſe de facto contra Fœdus Stetinenſe admiſſo. Hoc inſuper Chriſtiano excidere non potuiſſe, qvid mandati dederit præfectis ſuis in Norlandia Hertwico Bilde & Claudio Kagge, nimirum ut milites iſtic contra Caroli præfectos & prætores, Regio nomine & periculo, armarent vel ad expellendum vel interficiendum eos; qvæ cum pactis Stetinenſi & Flackſiöbecenſi directè adverſentur, & in Regis Caroli eminentiæ Regniqve dignitatis diminutionem cedant, nec ullus Regum Daniæ tali ignominia hoc Regnum affecerit, ſe à Chriſtiano amicè deſiderare, ut in poſterum hujusmodi rebus abſtineat, nec plures naves ſuæ claſſis tutelâ provehat, ſive ſint Hollandicæ, ſive aliæ vela dantes Rigam, Mithoviam, Liboviam, Windoviam vel alias hoſtiles oras, & ne qvid injuriæ inferatur Svecicis in Lapmarchiæ regionibus, & ut qvatuor iſtæ primariæ controverſiæ de tribus Coronis, Lapmarchia, Sonneburgo in Öſilia, de telonio & aliis hujusmodi aliqvando amicè componi poſſint. Örebrogæ a. d. XI. Decemb. M. DC. X. Ejusdem ſententiæ literas Carolus ad Senatum Regni Danici eodem tempore ſcribebat. Sed Carolus à Chriſtiano nihil reſponſi tulit; niſi qvod ſeqventi anno Chriſtianus iterum ad Senatum & Ordines Regni Svetiæ literas transmiſit, qvibus etiam cauſam dilati ad Carolum reſponſi circa finem inſerit. Literæ Chriſtiani Regis Daniæ hujusmodi erant: *Senatui & Ordinibus Regni Svetiæ ſatis compertum eſſe, qvam arcta fœdera & transactiones hactenus inter duo Regna Daniam & Sveciam initæ ſint: qvæ ut bona fide ſerventur, in eo utriusqve Regni ſalutem agi. Cæterum ex parte Danica qvotidie cognoſci, Svecos multis modis conari ſui Regni reditus cum Danorum detrimento amplificare, & fines ac fructus Danici Regni in anguſtum cogere. Ut autem intelligant, hoc non absqve ratione dici, eos poſſe ſibi in mentem revocare, in conventu Flacbecenſi anno M DC III. Danos fidem dediſſe, ſe civibus ſuis navigationem in Livoniam ad tempus interdicturos, qvod Svecorum maximè tum intererat, commercia*

 pretolli,

protolli. Hoc edictum Regem Daniæ in rem Regni Sveciæ ita publicaſſe, ſpe bellum inter Sveciam & Poloniam aliqvando finitum, & liberam navigationem in mari Balthico reſtitutum iri. jam autem in confeſſo eſſe, quanta commoda Sveci ex hoc Regis Daniæ interdicto perceperint, & quanta ex diverſo detrimenta Danici mercatores in Boruſſia negociantes ceperint: dum à Svecica claſſe attenti fuerint ſub prætextu, qvaſi Rigam iter facturi eſſent. Qvum verò Rex Daniæ id operam dediſſet, ut gratificaretur Regi Svetiæ, Regem Carolum edictum promulgaſſe, in qvo omnibus mercatoribus atq; nautis absqve diſcrimine ſub pœna publicationis navis & mercium interdixerit, Rigam aut in Curlandiam navigare. Licet autem vicini Principes & Urbes huic Svetico mandato parere non neceſſe haberent, nihilominus Regem Carolum in nundinis Helſingôræ, Regi Daniæ ſubjectæ, idem peraqvè promulgaſſe, & per ſuos Danicis præfectis tradidiſſe, & qvidem inconſulto Rege Chriſtiano: qvod fraudi jurisdictioni ejus eſſet. Ne tamen navigationes penitus intermitterentur, & Svetica mandata Regno Daniæ nihil fraudis facerent, Regem eorum ad Regni Svetiæ Senatores ſcripſiſſe, & ab illis deſideraſſe, cum Rege ſuo agerent, ut navigationes iſtas relaxaret, & piratas in mari frænaret. Hoc autem reſponſum ab illis datum eſſe, Danicis mercatoribus, qvi Rigæ ſubſiſterent, hac vice absqve periculo remeare licere. Ne verò hoc iterarent; alioqvi edicti pœnam in eos exſeqvendam eſſe. Qvum Rex eorum hoc accepiſſet, non potuiſſe, qvin ſubditis Daniæ injungeret, non aliter qvam majori navium numero navigare, promiſiſſe qvoqve illis, præſidio militarium navium eos adverſus Svecos defendere. Se verò ſilentio præterire non poſſe, qvid Rex Sveciæ nuper in Norlandia tentaſſet, veluti etiam Legati ejus in dicto conventu Flackenbecenſi absqve pudore contendiſſent, dimidiam partem jurisdictionis & redituum à Titisfiorda usqve ad Malangriam pertinere ad Regem Sveciæ, item ex omnibus tributis, qvæ Lappones in Malangria usq; ad Warangriam qvolibet triennio pendunt, duas partes deberi Regno Sveciæ, tertiam Regno Norvegiæ, vigore pacti conventi anno MDXCV. cum Moſchovitis initi. Regnum Sveciæ etiam habere dimidiam iſtic partem Eccleſiaſticæ & politicæ jurisdictionis in homines, bona, ſilvas & aqvas, reliqvum verò deberi Regno Norvegiæ; qvum tamen in aperto ſit, Reges Sveciæ hactenus in iſtos Lappones nullum jus aut imperiū exercuiſſe, multò minus in Regnū Norvegiæ, excepto Rege Carolo IX. qvi an. MDCVII in ſua Coronatione novo titulo ſit uſus, eiqve aqvilonares Lappones inſeruerit, & qvidem cum conſenſu Regni Sveciæ Senatus. Ita qvoqve Balthaſarem Beckium, Regis Svetiæ Gubernatorem Oſtrobothniæ, Lapmarchiæ & Nortlappiæ ſalutari, & miſeros Lappones gravi tributo onerare; qvum tamen Reges Svetiæ nunqvam antea ibi gubernatorem habuerint, & iſti Lappones ante bellum anni MDLXIII. immu-

immunes à tributis fuerint. Qvibus verò anno M D LXIII. tributum eſt imperatum, id eis conſvetum non relinqvi, ſed extorqveri illis piſcium contributionem; qvam ſi denegent, omnia illis ſua eripi. Qvum nuper in præfectura Wardhuſienſi nova arx ad littus exſtrui cœpiſſet, & præfectus loci Lapponibus nomine Regis Daniæ aliqvid tributi impoſuiſſet, ad navem militarem portus maritimi defendendi cauſa exſtruendam, qvendam nomine Johannem Erici, qvi ſe pro gubernatore iſtic gereret, ad præfectum Wardhuſiæ ſcripſiſſe, niſi hac exactione ſuperſederet, Lappones oportere ipſi nomine Regis Svetiæ duplum pendere. Hæc omnia audere præfectos Sveticos in Regno Norvegiæ; iis tamen nondum contentum eſſe Regem Carolum, ſed inter alia privilegia, qvæ novæ urbi Gotheburgo donaſſet, etiam libertatem piſcandi ei dediſſe, ad omne littus inter Titisfiordam & Warangriam, licet dimidium hujus tractus ad Regem Daniæ pertineret: & qvidem hac lege, ut Gotheburgenſes Regi Svetiæ decimas piſcium penderent. Porro Regem Chriſtianum ejusq; majores Reges Daniæ & Norvegiæ ſingulari privilegio, ſolis juratis civibus Nidroſienſibus conceſſiſſe, reliqvis autem interdixiſſe in Nortlandia & Wardhuſiâ commercia exercendi facultatem. Sed hoc nihil curaſſe, naves ſuas præteritâ æſtate eò miſiſſe. Qvum hæc hactenus commemorata ita fuiſſent perpetrata, Senatores tamen regni Svetiæ reſpondiſſe, res parvi momenti eſſe; poſſe ſuo arbitratu qvàm commodiſſimè amico colloqvio, & arbitrorum à ſtudio partium alienorum compoſitione decidi. Poſtqvam verò Danici Senatores Electorem Brandenburgenſem arbitri loco obtuliſſent, Svecos eum non approbaſſe, nec tamen alium obtuliſſe, donec tandem Ducem Brunſvicenſem Henricum delegiſſent, & locum tractationi Wiſmariam deſignaſſent. Qvum verò Regi Daniæ hoc æqvè placuiſſet, eum dicto die ad deſtinatum Locum delegatos ſuos miſiſſe: qvi cum diu ibi cum Duce Brunſvicenſi commorati eſſent, neminem à Rege Svetiæ veniſſe, præter unum qvi literas moram excuſantes attulerit: qvod Svetici delegati adverſante vento portu Calmariæ ſolvere non potuiſſent. Danicos verò delegatos, qvum adhuc aliqvot dies præſtolati eſſent, nullo interim nuncio de Svecorum adventu accepto, in Daniā reverſos eſſe. Ad conſervandam inter Danos & Svecos pacem, non opus eſſe renovatione aut confirmatione tranſactionis Stetinenſis, ſed pacis in hoc nervum conſiſtere, ut uterqve Rex poſſideat & retineat, qvæ ante poſſedit, & neuter alterum offendat lædatq;. Qvod ad Regis Svetiæ literas non reſponderit, in cauſa fuiſſe, qvod Rex Sveciæ in ſua coronatione novis & inſvetis titulis uſus ſit, in fraudem Coronæ Danicæ. Qvum ergo à tempore conventus Flackenbecenſis, Svetici milites & piratæ Daniæ ſubditis multum detrimenti attulerint, & novus titulus Regno Daniæ præjudicet: qvæ res tam vili æſtimanda non ſit, qvippe per qvam Regia dignitas & potentia labefactetur, Regem Daniæ voluiſſe monere Senatores Regni Sveciæ, ut Regi ſuo perſvadeant, ut novum Lapponum titulum in Norlandia omittat & ab-

& abſtineat, ſubditosq; ſibi ita cohibeat, ut omnibus injuriis adverſus Danos ſuperſedeant. Qvod ſi obtinere neqveat, ei non difficile factu fore, viam & modum ſuam dignitatem adverſus contemtum & ſibi parentes contra vim tuendi reperiri. Qvum verò his literis nihil effectum eſſet, niſi qvod animi magis offenderentur, intermiſſa pacifica tractatione, tandem ad Carolum Chriſtianus literas bellum ei indicentes miſit hoc ſenſu: *Carolum non ignorare, qvàm fideliter ipſum Chriſtianus in edito diplomate ac patentibus literis, ad Regni Svetiæ Senatũ & Ordines datis monuerit, ut abſtineret illis rebus, qvæ Regni Danici dignitati ac Regis exiſtimationi fraudi ac detrimento eſſe poſſent. Id tamen parum apud Carolum profeciſſe, qvippe ad Transactionis Stetinenſis pacta Chriſtianum ſubinde remittendo, interim perſeveraſſe in novis titulis uſurpandis, in privilegiis in regno Norvegiæ concedendis, in propugnaculo ibidem exſtruendo. Item in ſpoliando Daniæ Regis ſubditos, & bonis eorum Rigam & in Curlandiam navigantium maximum damnum afferendo. Qvamvis autem uſus ſit Chriſtianus illa pacis viâ, qvam Transactio Stetinenſis monſtrat, fruſtra tamen fuiſſe: unde nihil aliud colligere potuerit, qvàm qvod Carolus omnem amicitiam poſtpoſuerit, qvæ inter hæc duo Regna fuit. Idcircò ſe cum Regni Danici Senatu decreviſſe, Carolo & ei obſeqventibus profeſſum inferre bellum terra mariq;, qvocunqve hoſtili modo fieri poſſit, & illud exſeqvi; prout laudabilem Regem & honeſtum bellatorẽ decet. Illud in tempore ſe velle per præſentem Fecialem ipſi indicere & ſignificare. Se qvoqve hoc ipſo coram omnipotenti Deo, Romanâ Cæſarea Majeſtate & omnibus Regib. Electoribus, Principibus & Rebuspubl. ſolenniter conteſtari & ſe excuſare, qvod ad hoc bellum ſuſcipiendum graviter concitatus, non potuerit prætерire, niſi parte ſuarũ provinciarum & earum jurisdictionis carere ſibiq; eripi pati velit, qvod nullus honeſtus Princeps approbet aut permittat. Qvicqvid verò inde incommodorum, infortunii & jacturæ naſci poſſit, ejus rationem redditurũ aliqvando Carolum Deo; nec Chriſtiano, ſed ſibi ipſi & feroci ac malevolo ſuo propoſito acceptum ferre oportere. Datum in arce Hafniæ a.d. IV. Apr. A. M.DC.XI.* Ad has Chriſtiani literas ita reſpondit Carolus: *Accepiſſe ſe Chriſtiani literas patentes, & intellexiſſe ejusdem Fecialem & tubicinem Jönecopiæ eſſe, qvi haud dubiè idem cum literis negotiũ habeat. Qvæ eò præcipuè reſpiciant, ut Transactionẽ pacis Stetinenſẽ A. M D LXX. per Imperatorem Maximilianũ II. Carolum IX. Regem Galliæ, Sigismundum Auguſtum Regem Poloniæ & Electorem Saxoniæ Auguſtum, eorumq; interpoſitiones inter hæc incluta Regna Svetiæ, Daniæ & Norvegiæ factam reſcindant. Qvod verò ad novum titulũ attineat, qvem animadvertat dirigi ad imperium ejus in Lappones Norlandiæ, ſe Regni Svetiæ nomine æqvè ac anteceſſores Reges habuerint, in eos jus & poteſtatẽ habere, nimirum à Titisfiorda usq; ad Malangriam ſe ſibi jure ven-*

vendicare dimidiam partẽ, & à Malangria usq; ad Warangriã itidem duas partes; non tamen in fraudẽ ejus, qvod Rex Daniæ, regni Norvegici nomine ibi poſſidere fruiq; debet. Privilegia qvæ conceſſerit Carolus urbi Gotheburgæ, in ſolo Regni Svetici exſtructæ, referri ad portus, & freta maris occidentalis in Lapmarchiæ: ubi Carolus terrã & litora, æqvè ac Chriſtianus, habeat, in qvibusdã fretis paria, in qvibusdã plura. Qvod verò damnis affecerit aut publicarit eorũ naves, ac merces, qvi voluerunt ejus hoſtes, Rigenſes & Curlandos, commeatu aliisq; rebus bello neceſſariis adjutare, in eo ſe naturæ & omniũ gentium jus, ac plurium Regum atq; Rerumpub. exempla ſeqvutum eſſe, ut nimirum incommodaret hoſti, qvantum poſſet. Ad qvod avertendum etiam Chriſtianum oportuiſſet ſuas partes conferre, vigore Transactionis Stetinenſis, qvæ vult, alterum ab altero amandum, honorandũ, commoda utriusq; promovenda & tuenda; incommoda pro viribus amolienda eſſe. Sed Carolum juſtiores de Chriſtiano qverendi cauſas habere, nimirum propter tres coronas, proprium & genuinũ Regni Svetiæ Inſigne, qvod Chriſtianus absq; omni jure uſurpet. Ob læſos Carolum & ei ſubditos in jurisdictionis, memoriã hominum excedentis, poſſeſſione ad occidentalis maris latus in Lapponia pertinente; propter Sonneburgum in Öſilia contra omne fas ſibi à Chriſtiano vendicatum: ob receptos Regno ſuo hoſpitioq; qvosdam proditores, qvi inſidiati ſint Caroli vitæ, ex qvibus nonnulli adhuc in Dania degant, & forte excitarint Chriſtianum ad hæc disſidia, qvod Chriſtianus militari claſſe & tuto trajectu juverit naves, qvæ noſtro hoſti advexere neceſſaria, qvod plures patentes literas dederit ad Regno Svetiæ ſubditos, qvaſi ei ſubjecti eſſent, qvod opprimi per ſuos curarit Tribunum militum Anglicorum & Scoticorum (à Carolo conductorum) Jacobum Spentz dimidio milliari intra Regni Svetiæ fines, unum comitũ ejus occiſum, reliqvos vulneratos, ipſum ſpoliatum vix incolumi vita huc evaſiſſe. Interdixiſſe civitatibus Hanſeaticis commeatu & annona ipſum eiq; ſubjectos adjuvare, & plura hujusmodi: qvæ licet graviora ſint, & Transactioni Stetinenſi magis adverſa, qvàm à Chriſtiano in literis patentibus allata, ſe tamen tantas inde turbas movere noluiſſe, qvantas nunc Chriſtianus moveat, ſed legitimè ſe gesſiſſe, ad amicam compoſitionem in limite Regni, vel arbitros, ſed fruſtra provocaſſe & adhuc eò provocare. ſi fieri posſit, ſe coram Deo, Cæſare, Regibus, Principibus & Rebuspublicis omnibusqve pacis amantibus conteſtari; ſe à Chriſtiano ad capienda arma coactum eſſe, qvibus ſe, ſibi ſubditos & Regnum ſuum, ut hæreditarium Regem & ingenuum bellatorem decet, tueatur. Sangvinẽ verò innocentẽ nulla necesſitate exigente, tunc effundendũ, ſupra ejus caput fore. Transactionẽ enim Stetinenſem ſi rectè obſervetur, nolle bellum ob qvasvis ſimultates, & difficultates inter utrumq; Regnũ ſumi, ſed pacatiora, compoſitionis nimirũ remedia præſcribere, vetera etiam pacta non ſolùm inter utrumq;

Regem,

Regem,ſed etiam inter Regnorum Ordines,utrinqve inita eſſe, ideoqve oportuiſſe Regni Daniæ Senatum unà cum Rege Daniæ patentibus denunciati belli literis nomina ſua ſubſcribere. Orebrogæ a.d. V. Maji Anno MDCXI. In eandem fermè ſententiam Carolus ad Regni Daniæ Senatum ſcripſit. Anteqvam verò Fecialis in Daniam reſponſum referret, Chriſtianus jam cum exercitu ſuo in Svetiæ limitem irruperat. Nec cunctatus, obſidet ſimul Calmariam & Elfsburgum. Rex Carolus, conjunctis cum filio Guſtavo Adolpho Ienecopiæ ſuis agminibus, properat Calmariam verſus, ſuccurrendi urbi, & inprimis arci cauſa. Urbis mœnia Danus poſt triduum, CCC LXXVII. tormentorum ictibus, qvamvis irrito conatu qvaſſarat. Poſtero die mœnia primo mane oppugnat. Sed bis ſtrenuè rejectus, tertia vice expugnat vallum & urbem, MD. ſuorum deſideratis, inter qvos præcipui erant Melchior Rantzov, Caſpar Minqvitz & Jacobus Bille. Capto oppido, foſſisq; verſus arcem ductis, arcem tormentis vehementer diverberat. Sveones in hoſtis caſtra effuſi, fruſtra eum ad pugnam laceſſunt. At poſtridie Lucam Krabbe militiæ Danicæ præfectum, ipſis cum exercitu obvium ita exceperunt, ut cum DCC. ſuorum caderet, præterq; alios, Johannes Friiſe captivus abduceretur, præterqvam qvod noſtrates illis annonam terrâ ex Blekingia præcluderent. Qvum verò præſidiarii arcis in hoſtẽ acriter fulminarent, tria grandiora tormenta freto trajecto, ad Grimſcheram, propugnaculum arcis, in medio mari ſitum, eo loco poſita ſunt, ubi & arci & claſſi Sveticæ, qvæ XVII. navium armatarũ erat, ductore archithalaſſo Nicolao Gyldenſtiern defenſioni eſſe poſſent. Rex filium ſuum Guſtavum Adolphum in Blekingiam expedit, experiundi cauſa, num Chriſtianopolin Danis intercipere poſſet, qvod feliciter ei ceſſit; etſi non ſine vitæ periculo: dum hoſtium inſidias evaſurus, præcipitatur cum eqvo in aqvæ non ſatis congelatæ vortices, periturus, niſi extraxiſſet eum Petrus Banner, Eqves auratus, & poſtea Regni Senator factus. Qvamvis autem urbs valido præſidio inſtructa & vallo munita eſſet, tamẽ eam noctu adortus, portis crepitaculo ſuccenſis & apertis, eâ ex voto potitus eſt. Direpta urbe, occiſis præſidiis atq; armatis, & inter eos, inprimis Claudio Brockenhuſio & Johanne Beronio, & aſportatis, qvæ poterant, cõmeatum in eâ & ipſam urbem flãmis ſubjicit. Hoc primum Guſtavi Adolphi Principis militiæ rudimentũ, virtutisq; exemplum fuit: qvæ velocitate ſua præcurrebat ejus ætatem. Danus animadvertens, ejus copias nõ ſufficere expugnandæ tam munitæ & validæ arci, aut manibus cũ Svedo conferẽdis, plures in ſubſidiũ Elfsburgo advocavit. & mox alius Danicus exercitus, qvẽ Gerh. Ranzou & Steno Malteſon ducebãt, acceſſit. Nec minus Rex Carolꝰ ſibi pluribus copiis opus eſſe videns, per Jeſperũ Matthiæ Weſtrogothicas adduci curavit: qvibus domi ad tempus

carere

carere poſſe videbantur,ſoluta Elfsburgi hoſtili obſidione.In Ruſſia idem annus,Deo rebus Svecicis favente,maximè felix, Jacobi de la Gardie induſtriâ ac virtute fuit. Nôteburgæ oppugnationem aggreſſus Comes:qvod cives diploma pactorum inter Regem & Suiſchium initorum,Novogardiam mittendum, à tabellariis,ut ferunt,captis, intercepiſſent: illud vi,cum ſponte nō poſſet,recuperatum ibat.Civibus intus ſecuris,noctu jam eò progreſſus erat, ut exteriorem portam, qvæ ferebat ad portū urbis,& interiorem, qvæ ambæ ſub uno fornice erant,ſecundo crepitaculo jam aperuiſſet, primum enim nihil effecerat adverſus extremam portam penſilem,robuſtis trabibus compactam,& duplicibus laminis ferreis obductam,nec adverſus cancellatas fores, qvæ inter duas priores portas intermediæ erant,qvidqvam valuerat,qvippe totas ferratas; adeò ut nec duobus crepitaculis diffindi poſſent. Nec deerat labori oppugnationis miles,qvamvis inutili. Ne ergo milites inani operæ certoqꝫ periculo objiceret,incenſis circa urbem ædificiis & caſis,inde diſceſſit.Sunt qvidem, qvi obſeſſos,puſtulis intra fauces eorum ſubortis, & cibi uſum impedientibus,inediâ urbem dedere coactos fuiſſe ſcribunt. Alii novū & inſolitum morbum fuiſſe perhibent,qvo præſidiarii adeò abſumpti ſint,ut duo ſolum ſuperſtites eſſent.Sed de his nihil Jacobus in ſuis ad Regem literis.Et Meſſenius,ubi de eadem re loqvitur, Jacobum fruſtra expugnatâ urbe Nôteburgo,inde diſceſſiſſe refert.Qvod verò idem addit, eum cum magna ſuorum clade diſceſſiſſe,non ita eſt: qvum ipſe ad Regem ſcribat, non ultra viginti militum iſtic occiſos,& nonnullos vulneratos fuiſſe. Hinc autem digreſſus & Coporiam reverſus eſt,ad defendendam eam,contra qvendam Johannem Michaëlem,qvi illam Polonis ſubactum ibat.Qvum incolæ Kexholmiam urbem,magis adhuc communitam,ultrò comiti,vigore pactorum,tradere recuſarent,ille juſſu Regis eam vi,manu auxiliari in hoſtilē verſa,adortus eſt,admotis ad urbem tormentis.Cives,feriò rem agi cernentes,deditionem urbis fecere.Qvidam,fame coactos deditionem ſubiiſſe,ferunt.Inde Jacobus pergit Novogardiam, præmiſſo ad urbem Samuele Cobrone cum D. eqvitibus & poſtulato reſponſo,ſuper his capitibus: *Qvē ſibi,remoto Suiſchio, vellent Magnum Ducem Ruſſiæ eligere, amicum an inimicum Svetiæ? Num pactis cum priori Duce initis parati eſſent nomina ſua ſubſcribere? Tabellarios Noteburgi captos dimittere? Diploma abreptū reſtituere? Salarii reſiduum Sveticis militibus ſolvere? In viciniâ caſtrametantes admittere?* Novogardenſibus expromtum dare reſponſum tergiverſantibus,caſtra ſub ipſam promovet urbē. Qvâ re perculſi,ut offenſam ejus aliqvantum placarent,ei Noteburgi clauſos captivos,literas interceptas,aliaqve reſtitui curant, de reliqvis capitibus

trimeſtre ad deliberandum cupiunt; & modò approbant ea, modò improbant, morâ iſtâ ſtudio ductâ: ut interim, qvem Polonorum machinationes ſucceſſum habituræ eſſent, cognoſcerent & inde conſilia caperent. Rogant etiam Jacobum, opem Ruſſis contra Polonos Moſqvam infeſtantes ferre; qvod ſi feliciter eveniret, unum ex filiis Regis Svetiæ, Czarem ſuum eligere promiſerunt; ſed ut hac ſpe illectum Jacobum, urbe abſtraherent. Idem pollicebantur Pleſcovienſes, qvorum urbem Everhardus Horn obſidione cinxerat; ſed tumultuantibus ſtipendii non ſoluti cauſâ militibus, eam perſeqvi non poterat. Inde Augdoâ ſe confert, eâqꝫ expellit falſum Demetrium. Qvum autem Jacobus vacillantes Novogardenſium animos comperiſſet, eorum urbem, qvæ in circuitu unius milliaris eſſe fertur, ſeriò oppugnat, & miſſis aliqvot copiis ad munitiorem urbis partem, juſſisqꝫ eam in ſpeciem oppugnare, eò ad defenſionem avocatur plurimus hoſtis. interim illâ parte urbis, qvâ ejus impreſſionem minus metuebant, ideoqꝫ parum defendebant, neceſſariis cum copiis expugnat; etiamſi CM. ut ferebant, incolæ in urbe, præter milites, eſſent; ille verò qvinqve mille ſolùm ſecum duceret. Ingreſſum urbem Jacobum, velut belli fulmen, cui invicta urbs ceſſiſſet, admirabantur ac formidabant. vetus enim inter eos proverbium circumferebatur: *Qvis contra Deum & magnam Novogardiam poteſt?* Hinc pactum de Regis Caroli minore natu filio ad imperium Ruſſiæ vocando, aliaqve ſibi impoſita ſervare parati erant. Qvo die Svetici in Ruſſia Novogardiam occuparant, Rex Carolus domi Colmariam recuperatum it. Firmato arcis præſidio, jubet urbem vi tormentorum inflammare & incenſam irrumpere: ipſemet cum reliqvo, qvem ante urbem habebat, exercitu, duobus locis eam ſimul oppugnaturus. Qvod etiam ex optato ſucceſſit: dum noſtrates urbe potiti, hoſtem ex munimento ſub arce exſtructo pepulerunt, non paucos Danorum occiderunt, reliqva urbis cum bonis hoſtium flammis depaſcenda tradiderunt, poſtqvam diripuerant urbem. Sed cum in direptione nimis avidè diuqꝫ prædæ inhærerent, Dux Luneburg. cum Danicis copiis, eos ſubitò opprimens, ultra M. profligavit: qvibus avaritia vitæ pretio ſtetit. Caſtra prope Calmariam, foſſis, gerris, pluteis & vallis ſatis munita Carolus habuit; & tamen hoſtis irruptione iſtic occultè facta, qvosdam Sveticorũ cecidit. Contra Olaus Hård & Steno Claudii cum qvibusdam cohortibus in parœciam Liengebyenſem excurrentes, ubi cæſâ materiâ caſtra roborarant, omnem Danis annonam iſtic non ſemel præripiebant. Aliud noſtrates munimentum in Grimſchera (de qvo ſupra) habebanr, in qvod hoſtis impetu facto, cum non levi ſuorum clade, inde repulſus eſt à noſtratibus, ductore Vice-amiralio qvatuor ſolùm navium, Lauren-

rentio Bubbe, viro ſtrenuo; qvi poſtea nobilitatis inſignibus virtutis ergo acceptis, Roderskiöld cognominatus eſt. Idem provocatus à Dano qvodam hoc dicterio, qvod dein proverbio locum dedit: *Laurenti habes ſilicem?* E ſilice nimirum excuſſo igne tunc ad inflammandum bombardæ pulverem nitratum adhuc in bello utebantur. Ille nihil cunctatus, ut oſtenderet, ſe non fruſtra laceſſitum ac ludibrio habitum eſſe, etſi manu vulneratus, tamen arrepta majori bombarda transverberat provocantē. Rex ſuos in arce & claſſe inviſens, eos fortiter pro patria & defenſione arcis pugnare admonet. Hinc digreſſus, poſtridiè Henrico von Kalen, Boëthio Guſtavi & Petro Michaëlis ex arce in caſtra evocatis, in illorum locum ſufficit Chriſtiernum Soon, in Ruſſico bello virum compertæ antea fidei. Claſſis hoſtilis XXVII. naviū freto ſe oſtendit. In eam Svetica exitu prohibita, ſub veſperam incurrens, incolumis in Oceanum erupit, una ſolùm navi ad ſcopulos impacta. Noſtrates tamen, viribus claſſicis hoſte minores, Grimſcherianum munimentum deſerunt; præſertim ex qvo Dani in iſtud incurſionem ſimulantes, non unam armatam navim Sveticis abſtulerant. Terra inſuper eos aggreſſi Finnonum invadunt munitiones, obviis trucidatis, caſtra diripiunt, aliqvot tormentis etiam abductis, nec tamen inulti diſceſſerunt, præter alios cæſos, etiam Duce Luneburg, glande plumbea transverberato. Poſtero die exercitus in tutiora & ad Risbyenſe munimentum reducebatur. Soonius arci Calmariæ præfectus, qvum mari terraq; infeſtarentur Sveones, tandem deſperatione rerum, cum hoſte clam paciſci cœpit: Stenone Malteſon, duce Danico, poſtridie etiam epulis excepto. Danus verò ſeqventibus diebus, arcis Calmarienſis turrim auſtralem continentibus tormentorum ictibus qvaſſat, & tamen parum detrimenti ei adfert. Ideò caſtris Risbyenſibus damnum intentat; ſed ibi clade data & accepta, revertitur Calmariam, & ad ſua tormenta, qvibus partem mœnium dejicit, non tanto tamen hiatu & ruina, ut per eam ſibi viam in arcem aperiret, qvæ mox etiam ab obſeſſis refecta atqve obſtructa eſt. Cuniculis ſuffoſſis, hoſtis obſeſſis excidium minabatur; ſed irrito auſu. Proinde noctu diuq; arcem globis impetit, qvorum D C C LXXXIII. numerabantur. Caroli ſubſidium, qvod rogatus erat, intra triduum qvidem arci promiſſum, non tamen apparuit. Qvod verò Somius à Rege commeatū deſiderarat, ſubdolo finxerat animo, ut in anguſtiis verſari videretur: qvippe ter mille amplius orcæ frumenti, præter copiam aliorum eſculentorum, in arce adhuc ſupererant. Præcipuis alicujus dignitatis in conclave ſuum vocatis autor & admonitor fuit, ut ad extremum usqve vitæ halitum arcem viriliter tuerentur. Nolebat enim initio videri proditionis aliqvid animo verſare: ne malum forſan incurreret. Fingebat inſuper non plus qvam ſes-

qvicadum pulveris nitrati in arce ſupereſſe; eoq; ſaxis hoſtem eſſe retrò agendum. Credulus miles confeſtim ſilices, qvibus arcis area conſtrata erat, in vallum certatim adfert. Circa horam pomeridianam qvartam, advocatis denuò centurionibus, Soomius ſignificat, *Danos craſtino mane caſtellum invaſuros. Sed cum inopiâ pulveris nitrati negaret ſe poſſe diutius obſidionem ſuſtinere, nec ſuppetiæ à Rege Carolo adeſſent, neceſſitatis vi compelli arcem hoſti tradere.* Etiamſi verò nonnulli accitorum non auderent homini palam in os obloqvi, tamen binas vel ternas hoſtium impreſſiones tolerandas prius eſſe ſubmurmurabant. Sed ſurdo fabula. Mox circumiens, qvod cogitabat, præſidiariis perſvaſum ivit. Tandem à Dano facilè obtentis armorum feriis, cum binis centurionibus ad hoſtilia caſtra egreſſus eſt. Mox Georgius Liunge & alii duo obſides in arcem miſſi ſunt: qvibus Rex Daniæ Soomii fidem pignoraret. Interim caſtra Danica tympanorum ſtrepitu tubarumq; clangore per totam noctem, poculis & lætitiâ perſonabant. Prima luce qvidam Danicorum, qvi Soomium comitati erant, literas in arcem à Rege Daniæ adferebat, qvibus prælectis, continebatur, *Soomium ſponte, & qvidem cum libero præſidiorum aſſenſu, caſtelli deditionem feciſſe.* Præſidiarii reſpondebant: *Soomium hoc mentitum eſſe.* Obſides, ut placarent eos, *fortè à ſcribâ Cancellariæ errorem admiſſum facilem correctu eſſe* ajebant. Errore, ut videbatur emendato, reverſoq; tabellario, Soomius occurrit accedenti Regi Daniæ, & cum eo ſimul aſcendit vallum. Pulſato repente tympano, publicè edicitur, ut, qvi ſub Rege Daniæ nolit ſtipendia mereri, ante ſolis occaſum caſtello excedat. Ita omnes ſua ſecum, qvæ poſſunt, portantes, in Oelandiam triſtes abeunt; præter viginti qvatuor, qvos Soomius revocatos ſub pœna laqvei Dano militare coegit. Hoc modo Caſtrum Sveciæ munitiſſimũ a.d. III. Aug. Regi Daniæ proditur à Soomio, ſuppetias exſpectare impatiente, aut ſi illæ abfuturæ eſſent, ultima experiri potius, qvàm arcem hoſti, tam turpiter tradere, renuente. Rex Carolus difficulter ſibi perſvaſit, eam hoſti traditam eſſe: adeò nitebatur fide Soomii. Hic autem præmio proditionis, à Rege Daniæ prædio Kolſtorpio, inter Lubecam & Segebergam ſito, ſenis tormentis (præcipuis tamen Hafniam abductis) ter mille orcis frumenti qvæ in arce erant & M. Imperialibus donatus erat, torqve omiſſa, non aureâ, ſed cañabinâ, qvâ ex merito donandus fuiſſet, ut ſcribit Meſſenius. Nihilominus arrogantes ad Regẽ Carolũ dedit literas, qvibus *arcis traditæ culpam ei imputatum ivit, & qvod promiſſum in tempore non miſiſſet auxilium & pulverem nitratum. Se judicum neutri parti addictorum, alibi tamen qvàm in patriâ, ſententiam non recuſaturum; in patriam ſe non reverſurum, qvamdiu Nicolaus Chesnocophorus & Ericus [illegible] lai in illa dominarentur: qvod ſcribarum imperio ſubeſſe refugeret; nec illoru[m]*

inſtinctu, tot colaphos à Rege non ſatis ſano accipere & concoqvere poſſet, qvot non ita pridem inflictos tuliſſet. Calmariâ ſatis firmatâ Oelandiæ inſulam & Caſtellum Borcholmenſe Danus aggreditur. Etſi verò Rex per Comitem Abrahamum Brahe, Regni Senatorem ad Oelandenſes miſſum conſtantis erga ſe fidei monuerat, & Johannes Ulf Sparre eam impigrè tuebatur; tamen à ſuis tandem deſertus, hoſti dedere coactus eſt. Fide ſibi ab Oelandis juratâ, Calmariam reverſus eſt Rex Daniæ. Carolus Rex ejus ſucceſſu commotior, belli fortunâ præliis aliqvot fruſtra tentatâ, Chriſtianum Regem Daniæ, ex caſtris Risbyenſibus, ubi tunc Carolus erat, ad duellum, finem bello facturum, provocat: qvod tamen Chriſtianus, tanqvam Regibus minus conveniens, ut reſpondebat, detrectavit, cavillis ad Carolum de ſenectute & debilitate ejus miſſis, qvi tamen, qvo animo eſſet, oſtendit, majorum virtuti non ceſſurus etiam ſuo exemplo. Caroli verò caſtra hoſtis impugnavit, non paucis utrimqve occumbentibus; ſed pluribus noſtratium. qvorum ſtragem Carolus aliâ clade ultus eſt: inprimis qvod filius ejus Princeps Guſtavus Adolphus cum bis mille militibus inſulâ ſilentio & in tenebris trajectâ, eam ope incolarum, præſidiarios Danos noctu obtruncantium, recuperavit. Poſtridie caſtrum Borcholmenſe adortus, illud qvoqve Danis extorſit: qvod fuit alterum virtutis militaris Guſtavi Adolphi tyrocinium. Rex Carolus, indictis in Novembrem menſem comitiis, morbo corripitur. unde cum filio aliisqve in Uplandiam cogitabat. Sed qvum Alhemium deveniſſet, cymbæ impoſitus Nycopiam devehitur, viribus & ſermone jam defectus. Guſtavus Adolphus & frater ejus Carolus Philippus, cum matre terreſtri itinere eò deductâ, & Princeps Johannes cum aliqvot R. Senatoribus; præcipuè Boëthio Ribbing, Nicolao Andreæ & Axelio Oxenſtierna, extremis ejus adfuerunt. Etiamſi qvatriduo ante ejus obitum fama de præcipuis Ruſſiæ urbibus ab hoſtium vi liberatis, & nuper Novogardiâ à Jacobo de la Gardie feliciter occupatâ, & pacto nomine Regis cum Novogardenſibus de eligendo minori natu filio Regis in Czarem, ad aures ejus accidiſſet; imminente tamen morte, ad qvam ſe præparabat; hæc & alia mundana ad filii ſui Guſtavi Adolphi curam remiſit, & ad diem XXX. Octobris anno MDCXI. circa horam diei XI. obiit, annorum ſexaginta unius ſenex; & anno ſeqventi honorificis exſeqviis Strengneſiam in ædem ſacram, regio monumento iſtic exſtructo, ſolenniter illatus eſt. Princeps, dum vixit & valuit, animoſus & prudens. pace belloqve, maximè Polonico, Ruſſico & Danico clarus.

rus. Ex variis regni tempeſtatibus, & tot hoſtium atqve æmulorum motibus atqve inſidiis, Fratrisqve Johannis Regis de Liturgia tentationibus, proſperè tandem eluctatus, Deo gloriam in ſucceſſu rerum tribuit; ut in non unis ejus diariis propriâ manu exaratum vidi. Præcipuè invictus patriæ libertatis ac ſalutis vindex, adverſus Pontificias machinationes per Sigismundum ſtructas erat. In amicitiis ac fœderibus Principum ac Rerumpub. qvibus fortuna Regis opus habet, eligendis ſolers, in retinendis conſtans & fidus fuit. Jus & tribunalia benè conſtituit. Commercia, navigationes, agrorum & metallorum cultum inter ſubditos & indigenas ſedulò in publicum & privatum commodum promovit. Qvamvis exteris mercatoribus & navibus huc jure gentium liber pateret acceſſus & commercandi uſus; tamen Rex ab illis utiles & fungibiles merces, non ſcruta aut qvisqvilias, non cupedias, vel qvæ ad luxum & mollitiem pertinerent, huc advehi voluit; ſi permutare cum domi natis & utilibus regni mercibus ſuas cuperent. Conſveverat Rex in æſtate circa veſperam in ponte navali deambulare, & ex advenis qværere, *unde eſſent, & qvid navibus ſuis veherent? Si reſponderent ſe frumenta aut ſalem advehere;* ille, *cuprum*, ait, *& ferrum recipietis.* Si verò, *poma vel pira, juglandes vel caſtaneas, aut alias corporis delicias vehere* dicerent, ille reſpondit: *Rapa Svetica domum revehetis.* Bonas artes & literas earumqve doctores benignè fovit, & triginta Studioſis ſtipendium extra ordinem largitus eſt. Ad animi commotionem, ſed non obſcuram, irritatus, eò nonnunqvam formidabatur; qvod iracundia cum poteſtate conjuncta fulminis inſtar eſſe ſoleat. poſtqvam tamen primus ejus impetus deferbuerat, aut rectius de aliqvâ re eruditus, aut eum offendens & culpam agnoſcens deprecatus erat, omnem offenſam ex animo delebat. niſi ſeveritate qvâdam ad terrorem, aut exiſtimationem ſuam tuendam, aut ad regni ſecuritatem, aut exempli cauſa utendum ſibi eſſe putaret. Ut alia, de qvibus alibi, nunc miſſa faciam, hoc ſolum referam. Si qvis miniſtrorum ejus, qvi ad aliqvot annos ei operam ſervilem in aulâ præbuerat, rogaret Regem ut conditionem ſuam meliorem faceret, & præturæ munus ſibi committeret, Rex ad eum ſtatim: *Ergò coronæ fur fieri cupis?* Sic enim de regni prætoribus plerumqve ſentiebat & divinabat: qvod in tractandis regni bonis præſens illis furandi occaſio eſſet; niſi à fidis adminiſtrarentur. Addebat & hoc: non paucos eorum poſt ſexennium functionis ſuæ, citra ulteriorem facinoris inqviſitionem, tanqvam manifeſtos furti, pœnâ laqvei plecti poſſe. Conjugium Rex Carolus bis contraxit, prius cum Ludovici Palatini

Electo-

Electoris filiâ Anna Mariâ, non minus virtutum, qvam generis & formæ dotibus illuſtriſſimâ; ex qva duos filios & qvatuor filias ſuſcepit. Sed ex iſtis omnibus non diu ſuperſtitibus, ſola Princeps Catharina ad maturam ætatem, & ad virtutum atqve animi præcipue decora, tantâ Principe digna, excrevit; Celſiſſimi Principis, Johannis Caſimiri, Comitis Palatini ad Rhenum & Ducis Bavariæ &c. Conjux. qvos Parentes habuit Carolus Guſtavus beatæ memoriæ Rex, pacis belliqve gloriâ florentiſſimus. Poſterius Carolo conjugium fuit cum Celſiſſimi Principis Adolphi, Holſatiæ & Slesvici Ducis Filiâ, Chriſtinâ, qvæ corporis vigore, & maximè mentis præſtantiâ viris non ceſſiſſet. Ex hac Regi Carolo liberi maſculi Guſtavus Adolphus, Holmiæ in arce anno MDXCIV. a. d. IX. Decemb. & Carolus Philippus anno MDCI. a. d. XXIII. Aprilis in arce Revaliæ natus eſt. Hic, poſtqvam inani ſpe electionis ad regnum Ruſſicum ab iſtâ gente deluſus erat, tandem in florenti ætate, & primis virtutis ac laudis incrementis Narvæ a. d. XXV. Januarii anno MDCXXII deceſſit. Filia verò Regis Maria Eliſabetha örebrogiæ a. d. X. Martii anno MDCVI. prodiit, nupta Johanni Oſtrogothiæ Duci a. d. VII. Auguſti anno MDCXVIII. (qvidam 1619.) Inter omnes autem liberos Carolus pater inprimis Guſtavo Adolpho, tam benè nato, ſed melius in diſciplinarum & militiæ ſtudiis educato, & verè excelſæ ac regiæ mentis adoleſcente, ſibi patriæ, & univerſis civibus maximè felix fuit. Unde ingraveſcente jam ætate ſenex aliqvando Guſtavi ſui caput in publico demulcens, & ad circumſtantes dicens: *Ille faciet*, non vulgarem ſibi ſucceſſuri ſpem populo commovere conſpectus & auditus eſt. qva etiam tot imperii ſui labores & ſenectutis tædium non parum ſolabatur. Qvin ipſius vitæ mox hic finiendæ jacturam hoc ſuo ſucceſſore ſe inſigniter levaturum, confidebat. Et ſanè ſupra civium qvoqve deſideria ac vota proſperrimè eam reſarcivit.

GUSTAVUS ADOLPHUS MAGNUS.

Qvum maximè intereſſet publicæ rei, regnum, à morte Caroli, non diu carere ſucceſſore, qvi ad clavum imperii, præſertim in turbidis fluctibus rerum bellicarum, ſedens, eum rectè regere & vellet & poſſet; nomine Reginæ Chriſtinæ Viduæ & Principis Oſtrogo-

thiæ Johannis, indicta ſunt Ordinibus regni publica Comitia Nicopiæ ad
1611 diem 1. Decembr. anni milleſimi ſexcenteſimi undecimi, in qvibus de futuro ſucceſſore, & aliis neceſſariis regni negotiis feriò deliberaretur. Imminente Comitiorum die, & Ordinibus regni Nicopiæ collectis, propoſita ſunt illis tria præcipua conſultationis capita; primò de ſtatu regni per novum ſucceſſorem inſtaurando: de pace vel induciis cum triplici hoſte Ruſſis, Danis & Polonis tentandis; vel, ſi hoc fruſtra eſſet, de ſubſidiis belli porrò continuandi. Qvamvis autem de primo capite ultro citroqve diſſereretur, & partim Reginæ, partim Johannis Ducis Oſtrogothiæ nomine qvædam juris prætenſiones de regno in medium afferrentur; tandem tamen ab omnibus regni Ordinibus unanimiter decretum eſt, conſtanter permanere in unione hæreditaria Norcopenſi; de qva ad annum M DC IV. fuſius actum eſt, ſecundum cujus vigorem Princeps Guſtavus Adolphus Rex Veciæ communi ſingulorum conſenſu dictus eſt renunciatione cujuscunqve obtentus ab ante dictis factâ. De reliqvis pariter capitibus eo eventu conſultatum eſt, ut vel pax vel induciæ cum hoſtibus legitimâ viâ qværerentur. qvas ſi illi nollent, ſingulos cives & ſubditos cum facultatibus ſuis, copiis & ſangvine pro virili in perſeqvendo bello Regi opitulaturos. præterqvam qvod de fodinarum metallicarum promotione, de arcium refectione, & commerciis, aliisqve regni negotiis ex occaſione actum eſt. His ita feliciter expeditis, Guſtavus Adolphus Rex allocutus eſt Ordines regni in hanc ſententiam; *Se qvidem adoleſcentiæ ſuæ, & difficilium temporum, in qvæ regnum incidiſſet, cauſa, maluiſſe hoc onere non gravari. qvia tamen Ordinibus regni ſic placuiſſet, in nomine SS. Trinitatis ſuſcepturum illud, & Ordines regni in vera religione, jure ac privilegiis pro viril. tuiturum.* Eqvidem Deus, qvi per ardua rerum eum elaturus erat, recte adminiſtrandi regnum & difficultatibus ſuis eripiendi animum, vires & fortunam ei elargitus eſt: adeò ut virilibus factis adoleſcentem ſeptendecim tunc annorum exueret Guſtavus. Magnus qvidem ille animus ex ætatis & ſpirituum fervore, qvandoqve velocitatem rerum magis qvàm tempus & veram agendi facultatem urgebat; nihilominus, cum in ſe deſcenderet, à conſiliis & ratione moderamen accipere non dedignabatur. Ante inaugurationem, regni Ordinibus ex more patrio ſcripta obligatione (Aſſecurationem vulgò vocant) fidem dedit, *de vera religione tuenda, nec alienis ab eâ ad qvodcunqve munus publicum admittendis, de colenda & fovendâ Matre Chriſtina, fratre & ſororibus, de Senatu regni & civium jure, privilegiis ac immunitatibus conſervandis, nec dignita-*

tib-

tibus in alienigenas conferendis. De regno ſecundum legum patriarum normam adminiſtrando, nec novâ lege ferenda, nec edicto, qvod ad univerſum regnum pertineat, edendo, tributis ac vectigalibus imperandis, bello indicendo, pace, induciis aut fœdere faciendis; niſi de conſilio & ſententia Senatus atqve Ordinum regni; idqve tàm in Ducatibus qvàm Regno ob æqvalitatem ſervandum eſſe. In Epiſcoporum & presbyterorum electione ſeqvendam eſſe uſu receptam Ordinationem Eccleſiaſticam, ſalvo tamen jure beneficiorum regalium. De Academia Upſalienſi tuenda, de Epiſcoporum, Profeſſorum, Sacerdotum privilegiis ac Salariis augendis, ædibus ſacris & pauperum reficiendis, & annua rationarii cura ab œconomis illorum habenda ac præſtanda. Dicaſteriis regiis, curiis & judiciis provincialibus indigenas Svedos, legum peritos & justos viros admovendos eſſe. Non permittendum, ut Judex provincialis aut Prætor fruatur munere Judicis territorialis, aut reditus in alios qvàm jus dicentium uſus convertantur. Ut, qvod qvis legitimè acqviſivit, qvietè poſſideat, donec eo jure & per ſententiam evincatur. Si qvis forſan ex invidia aut falſo narratis ad Regem deferatur, non ſtatim fidem delatori habere, nec delato ejusve bonis manus injici velle, niſi legitimè convicti; delatorem verò à Rege indicandum eſſe: ut in jus vocatus reſpondeat delato, & interim uterqve cautionem de judicio ſe ſiſtendo præſtet, ſi, qvi delatus eſt, convincatur criminis, præmiſsâ ſententia plectatur; Si verò inſons ſit, innocentiâ ſuâ fruatur, & in delatorem debito modo animadvertatur, prout inſontem reum poſtulare vel calumniarii & lædere conatus eſt. Nycopiæ ult. Decemb. MDCXI.

Hanc ſatisdationem ſolenni ſacramento in ipſo inaugurationis actu confirmavit. Seqventi anno in Comitiis præter alia actum eſt *de modo adminiſtrandi regni*, defuncto Carolo, *de revocandis ad regnum bonis ſoli, quæ ad placitum tempus à deceſſoribus Regibus, benè meritis conceſſa erant;* unde etiam hoc anno ad finem decurrente, *Reductionis ſanctio* à Rege publicata eſt; item *de induciis cum Polono continuandis, aut, ſi fucus iis ſubſit, pace quærenda, armisve continuandis.* Edictum inſuper à Rege editum eſt, *de incertis Feudi reditibus & decimis Coronæ debitis, ſub qvocunqve prætextu in proprium uſum non vindicandis, de anniverſaria rationum editione in Camera aut ærario Regis præſtanda, de confirmatione priorum Regiarum donationum intra ſex menſes à novo Rege petenda.* Rex hoc anno qvoqve Upſalienſis Academiæ privilegia, in majus ejus incrementum, confirmavit. Expeditionem denuò ſuſcepturus in limitem regni adverſus Danos conſtitutis prius præcipuis regni muniis tunc vacantibus & Axelio Oxenſtierna R. Cancellario, Sevvedho Ribbing, R. Theſaurario, Georgio 1612

 Gylden-

Gyldenſtiern R. Admiralio factis, obligat per ſui abſentiam, ſibi & ho & totum regni Senatum ad fidem, curam & induſtriam in publicis, dun ad hoſtis vim in limite regni reprimendam exiret. Calmariæ qvidem recuperationem moliebatur Guſtavus Adolphus, ſed cum Danus ita propugnaculis arcem præmuniviſſet, ut non niſi cum maximâ exercitus jacturâ, adverſus eam qvid attentari poſſet; ideò ſatius eſſe duxit, conferre ſ ad caſtra Risbyenſia & inde irruptionem facere in Blekingiam ad devertendum hoſtem. Qvum Princeps Johannes ex ſuo Ducatu collegiſſe exercitum, Regi ſuppetias ferendi animo, Rex voluit illum in Weſtrogothiam ad ſuccurrendum Elfsburgo, ire; ſe verò prope Calmariam, Oelandiam & Blekingiam, ad incommodandum hoſti, perſtiturum. Princep Johannes Regis voluntati morem gerens, conjungit ſuas cum Jeſper Matthiæ Cruus campi Mareſcalli copiis. At poſtqvam Rex cognoverat, hoſtem Elfsburgum & Gullbergam obſeſſurum. Ducemqve Johannem & Jeſperum tantas copias non habere, qvibus hoſti in patenti campo pares eſſent, ideò mutato conſilio, juſſit copias in accommoda ſtativa diſtribui, in qvibus hoſtilem terræ populationem prohibere poſſent. Senatus Regni autem conſilium erat, Ducem Johannem cum Jeſpero, adverſus hoſtem ex occaſione excurrere, & velitationibus in ſe laceſſere ut ab irruptione in Oelandiam eum averterent, atqve impedirent, ne à tergo liberam viam haberet, cujus beneficio nova ſubſidia Halmſtadio evocare & nanciſci qveat. Rogabant qvoqve Regem præcipua rerum curare, nec ſe temerè periculis objectare. Parcere qvantum poſſet, exercitui: qvo proximâ æſtate in claſſe adverſus hoſtem opus eſſet, deniqve ad limitem copias relinqvere: ne ſubditi eorum expeditionibus nimis gravarentur. Regi & Principi conſilium fuit incurſandi hoſtiles terras ad devertendum hoſtem. Itaqve præmiſſis tormentis, in Scaniam irruentes, iſtic ita graſſati ſunt, ut in eâ viginti qvatuor parœcias ferro & igne popularentur, oppidumqve Veham in cineres redigerent. Inde moventes Marckerydam, ibi qvoqve occurrentia devaſtarunt, & jam ultra fines longius evagati, regreſſum ad regni limitem meditabantur; qvum hoſtis inopinatò ad Wiſiöö ei cum qvinqve ſignis eqvitum ſe ſuperfundens, cædit CCC. Sveticorum unà cum tribuno Roberto Sun, & capto inter alios Hermanno Wrangel; nec tamen absqve nulla Danorum jactura. Rumorem hoſtis ſparſerat de Rege, qvaſi in eo conflictu occubuiſſet: unde Regina mater & vicini Oelandenſes non pa-

rum

-um conſternati, regiis Guſtavi literis iterum erigebantur. Dux Johannes cum ſuo exercitu movit ex Sorteby in parœciam Fröslandum, & inde penetrarat in Hallandiam. Ad Wardbergam ipſi obviam fit Dux Saxoniæ Erneſtus cum CCC. eqvitibus, qvos Dux Johannes cum ſuis copiis usqve ad urbis portas propellit. Ille Urbem præteriens, Falckenburgam pergit; ubi Rex Daniæ cum Duce Luneburg. Georgio, Nylôſa veniens cum VII. ſignis eqvitum ei occurrit. Dux Johannes absqve mora ſuas copias cum hoſte committit, qvæ eum in fugam pellentes, ad duo milliaria perſeqvuntur. Cæſorum præcipui fuere Chriſtophorus Bernekou & Canutus Gyllenſtierna cum eqvitum aliqvot magiſtris & protribunis. XVIII. præterea parœciæ in transcurſu direptæ ſunt. Danus cum V. ſignis peditum & IV. eqvitum Gullbergam advenit: cui tunc præfectus erat Johannes Kracou. Caſtellum à mediâ nocte usqve ad horam matutinam ſeptimam oppugnavit, tribus crepitaculis portæ admotis, ſed fallentibus; præterqvam qvod hoſtis, ſtrage CC. accepta, caſtello pulſus eſt. Elfsburgum qvoqve duobus majoribus tormentis, & naves ſub arce ſtantes fruſtra diverberarat cum XL. virorum jactura. Dum Oſtrogothiæ Dux Johannes in Hallandia verſatur, Jeſperus Matthiæ Cruus in limite regni cum ſuis copiis conſiſtebat, ut hoſtis molitionibus vigiles intenderet oculos: qvod ſedulò & maſculè fecit. Etenim exploratores ſuos paſſim emiſit, præſertim Nyloſiam verſus; cui hoſtem imminere, fama erat. Exploratores domum referebant, hoſtem primis Februarii diebus exceſſiſſe Nylôſia nova, & flammis dediſſe veterem Nylôſiam, Græfsnæſiam villam & omnes pagos vicinos. Item hoſtem ter mille ſecum duxiſſe, reliqvis Nylôſiæ & Mondaliæ ad caſtra cuſtodienda relictis. Hiſce ita exploratis Jeſperus movet adverſus hoſtis caſtra ad Nylôſiam, ubi noctu aggere prope urbem excitato, tribus majoribus tormentis eam impetit, & ſimul tubicinem ſignum expugnationis dare jubet. Eo audito, qvi in caſtris erant, confeſtim deditionem expetunt: qvam Campidux militibus ſolis promittit, ſed qvum qvi in urbe erant, ruſticos ſecum educere vellent, hoc illis denegatum eſt, urbe denuò impugnata. Tandem militibus D. urbe excedere permiſſum eſt, ruſticis in ea relictis. Militum CCCti ſignis Sveticis adſcripti ſunt, manibus protenſis hoc deſiderantes: qvibus Jeſperus dimidium menſtrui ſtipendii ſolvit; ſed CCCti urbe remanentes à Sveticis conciſi ſunt. His ex ſententia Regis confectis, oppidoqve, ut idem volebat, exuſto, hinc pertendit Hiiſingam & inde Kon-

 gellam

gellam, qvam opprimit, intactâ Marſtrandiâ benè munita, & qvod tormenta propter paluſtres vias ſecum ducere neqvibat; nec prodigus militum in expugnando eſſe volebat. Pertendit itaqve Uddevvallum, devaſtans in itinere, qvæ poteſt, per qvinqve milliaria usqve ad Fridericopolin. Dani attentant Oelandiæ recuperationem, tribus agminibus inſulam diverſis locis adoriri juſſis. Petrus Michaëlis ei præfectus, ſuas qvoqve copias in tres cohortes diviſerat, unam in glacie, alteram in littore, tertiam in ſilva collocatas: ut ubicunqve ingruenti hoſti reſiſterent; qvi hac vice re infectâ, diſcedere coactus eſt. Alioqvi ſæpè Calmariâ excurſionem in vicina loca faciebat, in oppidum Vexioniam, Ekeſiöö & Jönecopiam; neceſſariis tamen ubiqve proviſis. Dum Rex Holmiam abit, curaturus funus patris; Caſtellum Risbyenſe, Ölandiam & alia loca, ubicunqve opus eſſet, firmius communiri & diligenter adverſus hoſtem cuſtodiri juſſit. In Polonia armorum otium adhuc ſtabat; interim pace vel longioribus induciis per delegatos cum Polono qvæſitis. Qvum Rex Daniæ continuaturus bellum, Grimmenſium faucium perfoſſionem moliretur, convocarat eo fine plebem & ruſticos, ad conducendam eorum ad illud opus operam. Sed Jacobus Jacobi præfectus Caſtello Risbyenſi, ut hoc arte eluderet, agricolas Moreæ auſtralis præmoneri curat, Danos ſpecie collectionis plebis ad certum locum & prætextu conducendæ ruſticorum operæ, in animo habere omnes eadem occaſione interneciont dare, qvod facile perſvaſu erat plebi, Danis alioqvi parum fidenti. Præfectus Elfsburgo Olaus Strâle, cuncta ſe in expedito habere jactabat, ſi hoſtis ad expugnandum caſtellum accederet. Si nullum aliud effugium in promptu eſſet, ſe demerſurum aliqvot naves, ad obſtruendum hoſti acceſſum. Sperare tamen ſe, propugnaculis in pellium ſcopulo, qvem ita vocant, exſtructis, locum ſatis defenſurum, præterqvam qvod caſtellum ita muniviſſet, ut ſi plus præſidii acciperet, non eſſet, qvod aſſultum hoſtis metueret. Sed hæc extra periculi aleam ita jactabantur. Qvum verò rumor adventantis hoſtis de viribus ejus, opinione majoribus, dideretur; & qvilibet famam acciperet atqve interpretaretur, prout animatus erat, Olaus Strâle etiam animo perculſus, ad Senatum regni ſcripſit, qvàm malè caſtellum viribus inſtructum eſſet, eoqve dimiſſionem petiit deſperatione defenſionis. Petrus Jonæ propræfectus qvum eſſet vulneratus, inde lecticâ deportandus in urbem erat: qvod nullus in arce chirurgus reperiretur. Cæterum Dani ab omni parte Elfsburgum

premere

premere ſtudentes, in Norvegia ſe ſeriò præparabant, præſertim viâ ad Daliam & Wermelandiam primò arcem aggreſſuri, & inde Gullbergam, qvibus potiti Iönecopiam & Ölandiam iterum tentaturi eſſent: ut ita præcipuis regni propugnaculis occupatis, liberiorem ſibi viam in regnum Svetiæ patefacerent. Interim perplexis militum animis, qvid & qvomodo ageretur, non ſatis proviſum erat. Accedebat, qvod Rex Poloniæ Sigiſmundus, occaſione utens, non ceſſabat Principem Johannem fratrem ſuum, & ſubditos Sveciæ, qvaſi per mortem Caroli à ſubjectionis & obſeqvii vinculo ſolutos, ut ſcribebat, & anguſtiâ belli Danici circumventos, ad defectionem literis ſollicitare; licet inani conatu ſpeqve. Rex Daniæ obſeſſurus Elfsburgum, & cum XLII. navium claſſe adveniens, majores naves militares ad caſtellum collocabat. Anteqvam exſpectata auxilia noſtratibus advenirent, jam prope caſtellum ad ſemitam reſtionum, ut vocant, caſtra metatus erat, foſſis & aggeribus confectis, & octo majoribus tormentis Bahuſiâ adductis, qvibus muros & vallum qvatiebat. Etſi verò præſidia Gullbergæ trecentis militibus firmata erant, tamen Elfſeburgi præſidia qvæ non ultra CCCC. viros erant, in exſpectatione ſupplementi hactenus hærebant; qvum hoſtis jam ad portas erat. Nicolaus Stiernskiöld qvidem in mandatis habebat aliqvot ſubſidia introducere; ſed uno die ſerius acceſſit, poſtqvam hoſtis jam obſidione cinxerat caſtellum. Itaqve Rex per literas monuit præfectum arci, ut in ea defendenda ſe virum & Svecum eſſe recordaretur, & extrema tentaret: ſe propediem ad ipſum liberandum accurſurum. Hoſtis Caſtello Risbyenſi potitur, fruſtra id tuente Jacobo Jacobi. Licet enim foſſam curſoriam, qvam vocant, ad inferiorem aqvam feciſſet, prohibiturus iſtic, ſtatione capta, irruptionem hoſtis; tamen hoſtiles copiæ tranſeunt, nihil morantes aqvam ad collum usqve pertingere; & viribus potiores expellunt Sveticos ſtativis ſuis, ductore Holgero Roſenkrantz. Circa hoc tempus Eccleſia Germanica civitatis Stockholmenſis petit à Rege & impetrat confirmationem privilegiorum, de æde ſacra Holmiæ in ſuum uſum exſtruenda. Rex properabat iter adverſus hoſtem, Jeſpero Matthiæ interim recognoſcente exercitum in Weſtrogothia, & Örebrogæ eqveſtres copias; inter qvas triginta ſolùm Nobiles eqvites ſe ſtiterant: qvod Rex indignè ferebat. Campi Mareſcallus verò ſpem majoris ſubſidii faciebat Elfsburgenſibus, ſi paulisper obſidionem ſtrenuèqve tolerare vellent. Regis conſilium erat, vim hoſtilem, ubi validior eſſet, frangere aut debilitare, qvo fine etiam Hö-

jentorpiam ibat, jubebatqve campi Mareſcallum Jeſperum ſummâ cum induſtriâ exciere viritim plebem, milites, commeatum ad opitulandum & fines regni tuendum. Nec Mareſcallus ſuo officio, nec exercitus ſuis deerant partibus. Sed interim laborabant Elfsburgum & Gullberga, utut defendentibus obſeſſis. Qvæ munimenta, qvantis poterat viribus, qvibus Sveticæ non reſpondebant, continenter fulminando & oppugnando, hoſtis urgebat; & ita circumſederat obſeſſa loca, ut aditus ſubſidiis aliisqve neceſſariis adjumentis inferendis non pateret. Unde tandem deditionem facere coacta ſunt; Etiamſi Rex Guſtavus Adolphus infidâ præfectorum & cuſtodum cura pactisqve dedita hoſti eſſe caſtella ſcribat ad Ducem Johannem & plebem Mariæholmiâ â. d. VIII. Junii. Inde progreſſus hoſtis ipſo die Pentecoſtes, oriente ſole, majore vi Ölandiam adoritur non ſolùm in peninſula Ledholmia, ubi cum ſuis copiis ſtabat Petrus Michaëlis, ſed etiam qvinqve aliis locis; poſtqvam CCC. navigiis exercitus transvectus & in littus expoſitus erat. Contra R. Admiralius Georgius Gyldenſtiern adverſante vento detinebatur, qvò minus inſulæ claſſe regiâ opitulari poſſet. Conſertis cum hoſte armis, prælium usqve ad meridiem ſic fervebat, ut hoſtis non ſemel vi adverſa repelleretur. Tandem tamen Petrus viribus minor in arcem, ſed compoſitis ordinibus, recedere coactus eſt. Poſtero die Svetici arce effuſi, acie ordinatâ, â fronte militibus, ab utroqve latere agricolis diſpoſitis, hoſtem ad prælium laceſſunt; qvo commiſſo, Svetici victores evadunt; donec eqvitatus confuſè miſceretur: qvo omnes exercitus ordines tandem conturbabantur. Qvod dum fit, hoſtis ſe immergit inter Sveticos & arcem, animo eam præripiendi; niſi præfectus in tempore prævertiſſet. Hoſtis altera vice tribus tormentis & ignitis globis qvatit ad orientem & ſeptentrionem propugnacula, dejectâ qvoqve valli loricâ; donec qvatuor majoribus tormentis Calmariâ adductis ita qvatit arcem, ut obſeſſos ad deditionem compelleret. Hoſtis autem pacta non prius cum eis inire voluit, qvàm præfectus ejus arbitrio permitteretur ac traderetur. Sed integræ fidei milites malebant igne in pulverem tormentarium injecto vitæ ſuæ, qvàm præfecti jacturam facere. Deniqve his conditionibus pacta eſt deditio, ut milites exirent arce cum inferioribus armis bonisqve ſuis; & transveherentur ex inſulâ in continentem terram, præfectus verò ſe obſtringeret ad non militandum contra Daniam proximis tribus annis. Sed qvum Danici milites multos Sveticorum

corum contra datam fidem ſpoliaſſent veſtibus, eqvis & nummis, qvosdam trucidaſſent, exiſtimabat præfectus, ſe non magis ad fidem illis ſervandam obligatum eſſe, qvàm ipſi Sveticis ſervaſſent. Rex Daniæ firmatis qvæ occuparat, movet in Weſtrogothiam, caſtra figens ad Lidcopiam. Licet autem animus Guſtavo Adolpho eſſet, acie cum hoſte decernere; qvum tamen hic XXXII. ſigna peditum & ipſe XI. ſigna peditum & VIII. eqvitum duntaxat duceret, periclitari fortunam noluit: ne ancipiti prælii diſcrimine viam hoſti ulterius in Svetiam aperiret. Hoſtis in Smalandiam regrediebatur, ad Wimmerby caſtra ponens, propoſito totam provinciam ſub jugum & obſeqvium adigendi, & Weſtervvicum portus loco, neceſſariis advehendis occupandi. Ruſtici in iſtis oris pro viribus ei reſiſtebant caſtris ad lacum Omen locatis; ſed exiguo fructu: qvum ductor illis deeſſet. Petrus Magni præfectus caſtrorum Ducis Johannis ei hujuſmodi conſilium dabat, ut pedem figeret ad Kyſam, & Rex inſideret viam inter magnum Engeby & Höghets ſpatium, aliæ verò copiæ ſe inter hoſtem ac Weſtervvicum interjungerent: ita hoſtem tribus lateribus includi & coarctari poſſe. Sed perplexis animis, conſilia non congruebant. Regi non præſentius conſilium viſum eſt, qvam cum ſuis agminibus adverſus hoſtem vadere, operamqve dare, ut prius hoſtium partes diſſiparentur, qvàm viribus duplicatis, ſuperatu difficiliores eſſent. Ante tamen, qvàm certi qvid definiret, cum regni Senatu rem deliberandam ſumere placuit, eaqve de cauſa ad R. Cancellarium Axelium Oxenſtierna ſcripſit. Cui ex Senatu Comes Magnus Brahe & Axelius Ryning, & his duo Nicolaus Stiernskiöld & Laurentius Jacobi adjuncti ſunt, qvi præter conſilia Regi è re danda, etiam juſſi erant evocare agricolas ad communem patriæ defenſionem, & aditus viarum obſtruendos. Cum Nobilium eqveſtris ordo, non pro ſuo officio, & Regis deſiderio, militiæ eqveſtris munia præſtitiſſet, Rex eos increpuit patentibus literis: *Qvum non ignorarent: qvid Regi vigore legum Sveticarum & privilegiorum ſuorum deberent in militia eqveſtri, pro prædiorum ſuorum immunitate; tamen expedirent vagos, ineptos & inutiles homines, nec eqvis, nec armis, ſatis inſtructos; ipſi interim domi deſiderent otioſi. Proinde ſerio admonitos velle, niſi ipſi ſeqverentur Regem in campum & militiam, eos privilegiis à Rege conceſſis privatum iri; exceptis qvi cauſa ſontica, morbove impedirentur.* Poſtqvam Rex hoſtem usqve ad Alingsåås perſecutus erat, ad Wimmerby pergens, Weſtervvico annonam in ſua caſtra depor-

deportari curat, anteqvam hoſtis interciperet. Inde progreſſus Huitlandiam, ad Ducem Johannem ſcripſit, ut adhiberi curaret excubias concædibus arborum apud Kyſam, & aggerem excitari faceret ad pontem Rumforſam: ut, ſi hoſtis concædem ſuperaret, ad aggerem ſiſteretur: qvod Dux implevit. Rex caſtra Huitlandiâ mane movens, circa veſperam venit ad Koningsbroo, ubi offendit qvosdam Danicorum militum, qvorum XXX. cæſi LXX. capti ſunt. Ex iis cognovit, hoſtem motis ſignis ad Wimmerby, Calmariam iter intendere, & inde Jônecopiam. Rex veſtigio ſubſecutus, evocat ad ſe qvantum poteſt copiarum Ducis Johannis: reliqvæ enim Lincopiam ire & Stegeburgum defendere à Duce juſſæ erant, accepto rumore de Weſtervvico oppido ab hoſte exuſto. Cum dictis copiis adverſus hoſtem qvidem movere Rex in animo habebat; ſed veritus, ne Gerhardus Ranzou, qvi in itinere erat, cum omnibus ſuis copiis accederet, aut cum Danicis ſe conjungeret, occurſum ei it, & incidit in præmiſſa ejus agmina priora, qvæ ſtatim fundit, exceptis deditionem petentibus & LXXVI. captis. Inde remeans ad Koningsbroo prope Ry in parœcia Jârda ſitum, expedit partem copiarum, qvæ ad Innevvoldenſem pontem coram ſe deprehendebant tres cohortes eqvitum cum turmis prætoriis Ducis Saxoniæ & Gerhardi Ranzou. Cum illis ſtatim adverſis armis concurrunt, magnâ parte Danicorum fuſa, CXV, cum eqvis & armis captis & in caſtra regia adductis. Rex porrò qvædam ſigna eqvitum ad Ekeſiô expedit, qvi pari fortunâ uſi, occurſantes cædunt, & duo ſigna plenis cum armis capiunt, qvorum pars Arbogam miſſa, pars inter Sveticos milites diſtributa eſt. Ranzou autem & reliqvi hoſtium receptum Calmariæ petierunt, niſi qvi paſſim in ſilva ab agricolis ſtrati jacebant; ſic ut omnium illorum qvinqve millia fuiſſe crederentur. Qvum Rex per ſilvam ad Hôghby properaret iter, admodum calidus & ſitiens ex aqva prope viam exſiliente bibebat; unde morbum contraxit. Hoſtis Jônecopiæ obſidionem parans, caſtra ponit ad Clementinum pagum prope molas, munimentum ab uno latere impugnans. At Georgius Martini & Jeſperus Andreæ ei præfecti, omnibus, qvæ moveri poterant oppido eductis elatisve illud incendunt: qvo conſpecto, hoſtis ſigna receptui dedit. Rex autem hoſtem Halmſtadium usqve perſecutus, Jônecopiam cum ſuis receſſit, ubi morbo ingraveſcente, in lectulo decumbere Rex neceſſe habuit, copiis circa urbem in prata diſtributis, & victu advecto ſatis recreatis: Jeſperum Matthiæ verò Rex juſſit ſuis copiis, qvas ducebat, adjungere ſex eqvitum peregrinorũ ſigna, atqve ſi ca-

ſi caſtra hoſtis metaretur ad unum vel alterum lapidem à finibus regni, traducere exercitum ad dimicandum cum hoſte; ſed ſi longius receſsiſſet, ex caſtris in limite regni poſitis excurſionem in hoſtile ſolum facere. Rex Admiralium Georgium Gyllenſtiern cum claſſe ſuâ Lubecam verſus in mari vigilari juſſerat: ad impediendum, ſi Danica claſſis prohiberet naves mercandi cauſa in Svetiam vela dare. Fama inſuper erat, Hafniâ ſolviſſe XXVIII. naves Danicas conſilio vela faciendi in mare Balthicum & qværendi claſſem Sveticam vel ibi, vel intra ſcopulos & fauces maris, imò ad ipſam Stockholmiam appellendi. Proinde Rex Admiralium ſeriò hortatus eſt cum ſua claſſe obviam ire hoſtili claſsi, & ſedulò inveſtigare hoſtis molitiones. certè fama non temerè nata erat. Danica enim claſſis, vento ferente, primò appellebatur Stegeſundum, inde ad portum, qvem vocant Diurhampn, ubi Svetica claſsis ad anchoras ſtabat. qvam hoſtis haud dubiè invaſiſſet, niſi diligenter excubantem & procinctam deprehendiſſet. Qvum verò non ſatis virium in Svetica claſſe eſſet, non ſolùm armatis majoribus navibus, ſed etiam celocibus ac phaſelis hoſtili occurſatura ad Waxholmiam advertebatur. Danica claſsis audacter ſubſecuta, ipſam Elfsnabbiam cum XXXIV. navibus militaribus diei Dominicæ, formidante vicinâ Holmiâ, incurſabat. Qvod qvum Rex Iônecopiæ, ubi tunc erat, inaudiviſſet, inde per noctes diesqve Holmiam properat, animo claſſem Danicam, tunc reflante vento, in arctum cogendi, urbemqve regiam tutandi. Sed qvum Rex tam properè exercitum Dalenſium, Holmiam cum Rege defendere promtorum non colligere, nec mandata, qvæ vellet, perplexis tam repente dare poſſet, interea vento favente, vela in altum retrò vertit hoſtis & Hafniam revertitur, qvaſi ſalutatis ſolùm faucibus, qvas vocant, Sveticis, & comperto, auxilia, per Monchovium ex Hollandiâ, & Spencium ex Britanniâ adducenda, in propinqvo eſſe. Comiti Magno Brahe & Cancellario Axelio Oxenſtierna Rex Jönecopiæ peragenda commiſerat, præcipuè de perficiendâ urbis munitione. Jeſpero Matthiæ Cruus curam exercitus ex Weſtrogothia & Wermelandia tunc collecti credidit, & ut cum eo occurreret hoſti ad Bråttam caſtra metanti. Stiernskiöldio in mandatis dat, munimentum commodo loco exſtruere contra irruptionem Danorum ex Norvegiâ in Daliam. Extraneus exercitus ex Britannia & Batavia (de qvo ſup.) nomine Regis conductus, ejusdem juſſu per Hernöſandiam, Hedemoram & Stocholmiam diviſus eſt: ut minori oneri ruſticis eſſet, donec eorum uſus adverſus hoſtem foret. Annales noſtri hoc qvoqve attexunt, multitudinem copiarum Danicarum tandem ſeipſam non parum atriviſſe

triviſſe, primò fame, neceſſariis vitæ deficientibus, in exercitu coorta, deinde ex fame, ut ſolet, morbis & lue vulgatis; adeò ut Rex Daniæ dubitare cæpiſſet de retinendis occupatis, donec nova præſidia & vires defectis ac conſumptis ſubſtituiſſet. qvò fine in Daniam abiit, campanis & cupro detectorum templorum ſecum ablatis. Revertimur nunc in Rusſiam. Qvum Rex Guſtavus Adolphus regni Marſchum jusſiſſet eas urbes & caſtella Rusſorum occupare, ex qvibus hoſtis infeſtas in vicina Svetiæ loca excurſiones facere poſſe, illud feliciter effecit: dum Jama, Coporia, Laduga, Jamagoroda aliaqve loca, ejectis inde Coſaccis, in Regis poteſtatem redacta ſunt; licet qvædam poſtea rebellarent. Augdoæ per Everhardum Horn, & Petzuræ per Lavville obſidio fruſtra attentata eſt: præſidiariis ea caſtella præcautè & ſtrenuè tutantibus. Augdoa tamen poſtea ipſi Regi iſtic præſenti, poſt binas oppugnationes, metu direptionis ſe tradidit; cujus præfectura Svantoni Baner à Rege commiſſa eſt. Petzura à noſtratibus deinceps etiam occupata eſt. Petiit à Rege Jacobus per literas, fratrem Regis adeò à Rusſis deſideratum, primò Wiburgum, inde in Rusſiam mitti. Qvamvis nonnulli Ruſſorum religionem Principi prius mutandam eſſe dixiſſent, qvàm adſciſceretur ad imperium; tamen ſermonem hunc à plebe, rerum parum intelligente, profectum eſſe ſcribebat, tantiqve non faciendum eſſe. Primarios in Rusſiâ viros iſtud non adeò curare: modò ſub Principis imperio religionem ac libertatem ſuam illibatas exercere posſint. Rex Guſtavus opes & potentiâ illius nationis altius ponderans, ejus cum regno ſuo devinctiorem conjunctionem magno utriqve fore uſui & firmamento, ſibi perſvadebat. Proinde niſi bello Danico præpeditus fuiſſet, vel ſeipſum in Rusſiam iturum, vel eò Legatos ſuos miſſurum ſignificabat, animo cognoſcendi & acceptandi Ruſſorum, ut videbatur, conſenſum de eligendo fratre ſuo ad imperium Ruſſorum. Qvin eâ qvoqve cauſa mittebantur in Svetiam ad Regem, Ruſſorum delegati Archimandrita Nicander, Iſidori Metropolitæ & omnis ſacri cœtus nomine, Trectioceus Baioariorum (Bajorotum) & Stephanus Ygollinus mercatorum & civium nomine Principi Carolo ſalutem, & imperium Rusſiæ à Novogardiæ Ordinibus deferentes. Princeps, gratiis actis, illis reſpondet, qvod frater ſuus, Rex pollicitus eſſet, id omne effectum iri: ſic tamen, ut inter omnes Ruſſos prius conveniret de ſe eligendo. Hoc ita producebatur ad Januarium usqve, qvo tempus anni incommodum itineri, parum præparationis ſvadebat. Accedebat etiam Reginæ maternus affectus, qvi filium tenerè amatum periculoſæ navigationi committere diſſvadebat. Inprimis tamen Ruſſorum animi, partim

partim rei morâ, partim diverſa inclinatione horum in Regis Poloniæ filium, illorum in Michaëlem Fedrowitz Ronanovium, alii atqve alii eſſe videbantur. Eò majus hîc negotium Jacobo Comiti factum eſt. Rex qvoqve perſvaſum ſibi habebat, qvo tempore Neogardiam Comes occuparat, cives magis intra habenas tenere potuiſſe, nec permittere ut absqve certis conditionum limitibus ad electionem Principis tam ſubitò properarent. Summæ rei negotium ab eventu comitiorum conventusqve Wiburgenſis propediem habendi interea ſuſpendi, è re videri publicâ. Jacobus Comes Regi reſpondebat: *Scopum pactorum Neugardenſium ſibi præcipuum fuiſſe, incrementum Regni Sveciæ vel per Regis Guſtavi Adolphi, niſi mors Caroli patris interveniſſet, vel Caroli Philippi ad imperium Ruſſiæ electionem, fratre ejus patri in regnum ſuccedente. Se verò propter accenſam in Ruſſiâ diſcordiam civilem, non potuiſſe illis denegare deſiderium ſuum coram Rege explicandi. quâ in re, ut nec ulla aliâ, ſe Ruſſis non ultra fas laxaſſe fræna, ſed ita intra limites eos tenuiſſe, & cum illis transegiſſe, ut Rex poſt mortem patris ſui pro Ruſſorum protectore haberetur, ac proinde Regi poteſtatem integram eſſe, negotium illud pro temporis & rerum conditione diſpenſandi ſibiqve viam ad legitimam præfixam metam vel conſeqvendam vel prætendendam, ſemper patere: qvum transactio Neugardenſis vebit, Ruſſos non minus ad prioris Czaris promiſſa, literas & ſigilla nunc fore obligatos, atqve ſi res adhuc in integro eſſet.* Præter inſidias Comiti Jacobo non ſemel ſtructas ab hoſte Polono, ejusqve Imperatore militari Cothkevitz, præſertim ex caſtris ad Volokam; arte tamen & prudentia evitatas, ipſe Rex Poloniæ Sigismundus, haud dubiè invidens Regi Sveciæ tam egregium, fortem & felicem ducem, eum variis tentamentis ad ſe allicere conatus eſt, admodum benevolis etiam literis ad eum datis. Illas Comes ſtatim ad Regem Sveciæ mittebat, cum conteſtatione ſuæ integritatis ac fidei, Regi ſuo ac patriæ ad ultimam mortis horam ſervandæ. Petebat ſimul à Rege, ſibi poſt tot annorum abſentiam, tot labores ac moleſtias exantlatas, reditum in patriam ac reſpirationem aliqvam concedi. Rex eqvidem certus de ſinceritate Comitis Jacobi, tot eximiis documentis ſatis perſpecta, nec ignarus artium hoſtilium, conteſtationi ejus facilè fidem habuit. Etenim ut nebula, claro ſolis lumine exorto, citò diſſipatur, ita apud Regem Guſtavum Adolphum non magis ulla ſiniſtra ſuſpicio de tam inſigni ac bene merito duce locum habuit, qvàm apud Sigiſmundum aut ullum alium ulla conſtantis Jacobi fidei corruptio aut concuſſio. Non verò Rex inducere animum poterat, ut in iſto rerum Muſcoviticarum ſtatu, Jacobo illarum tam prudenti & experto, miſſionem daret. Comitia cir-

ca finem anni Holmiæ inſtituta ſunt; in iis agebatur *de Polonicis machinationibus pro virili avertendis, & de pace cum Rege Poloniæ, poſt finitas biennii inducias tractanda; item de pace cum Czare Ruſſico ſub conditione eligendi Principem Carolum Philippum ad imperium Muſcoviticum, & cum rege Daniæ tentandâ; aut ſi pax optata haberi non poſſet, de adminiculis bello ſufficiendis.* Publico Regis edicto omnia bona ſoli feudalia, à Regibus Sveciæ hactenus certis perſonis ad placitum tempus conceſſa, ad Coronam revocabantur, & qvidem ſub hoc gravi belli onere, cum conſenſu Senatus regni & Ordinum in ſeqveſtro tamdiu relinqvenda: donec Rex recognoſceret qvalia illa bona eſſent, qvæ perſonæ iis fruerentur, & ob qvæ merita, qvod tamen ſic accipiendum vel intelligendum eſſet, ut illa bona ſoli, qvæ vel à Rege ipſo, vel ejus Parente aut majoribus empta, vel meritorum cauſa in perpetuum nonnullis donata, & à Rege in tempore confirmata eſſent. qvibus conditionibus accepiſſent, iiſdem retinerent; ſed qvi præter illos operam præberent regi in civili aut militari munere aliisve officiis illis de ſufficienti ſalario diſceretur, qvibus contenti eſſe deberent. Ad pacem cum Danis, Polonis & Ruſſis ineundam Rex Britanniæ Ordinesqve fœderatæ Belgicæ Regem Sveciæ ſedulò literis ſuis hortati ſunt & partes interpoſitionis ei obtulerunt; qvod non ſolum ſecuritatis utriusqve regni Svetici & Danici, ſed totius Chriſtiani Orbis intereſſet, ut commerciorum publicorum curſus in mari Balthico beneficio pacis integritati ſuæ reſtitueretur. Jacobi, Regis magnæ Britanniæ literæ ad Guſtavum Adolphum Regem Sveciæ de pace Sveo-Danicâ concilianda, tales erant: *Cum ablegaturi eſſemus ad Ordines regni Sveciæ Jacobum Spencium Equitem Auratum, renovaturum apud vos pacis cum Chariſſimo fratre noſtro Rege Daniæ conciliandæ inſtitutum nobis auctoribus, vivente Rege Carolo Patre veſtro, ſermonem, eodem momento intelleximus, inchoatam Veſtri electionem in Regiæ dignitatis ſucceſſionem commutatam eſſe. Qvem ſanè nuncium libentisſimè accepimus, tum propter memoriam neceſſitudinis & benevolentiæ, qvæ nobis cum Patre veſtro interceſſerat, tum qvod ſperemus, animum veſtrum non minus qvàm fuerat patris, in pacem eſſe propenſum. Qvibus rationibus ea ſit ſuſcipienda, Spencius ex mandatis ſuis fuſius explicabit, cui tum de pacis negotio, tum de Noſtra in Vos benevolentia diſſerenti fidem ut adhibere velitis magnopere rogamus, DEUS optim. Maximus ſerenitatem veſtram qvàm diutiſſimè ſalvam & incolumem conſervet. Datum in Palatio noſtro Weſtmonaſterii 5. die Maji A. 1612.* Accepto à Rege Sveciæ interpoſitionis Regis magnæ Britanniæ de pace concilianda prompto deſiderio & affectu, ad eam nomine Regis Sveciæ delegati ſunt, Axelius Oxenſtierna Rex

na Regni Cancellarius,& Regni Senatores Nicolaus Bielke, Guſtavus Stenbock & Henricus Horn. Nomine Regis Daniæ, Chriſtianus Friis Regni Cancellarius & Regni Senatores, Mondrupius Porsberg, Axelius Brahe,& Eſchillus Broock. Poſt utriusqve Regis delegatorum congreſſum, recognitas fidei publ. literas & orationem à Regni Sveciæ Cancellario præmiſſam, reſponſumqve à Regni Daniæ Cancellario redditum, primum caput à delegatis Danicis propoſitum fuit de eo, *qvod Rex Daniæ in tractanda cum Rege Sveciæ pase, deſiderabat conſenſum Ducis Oſtrogothiæ Johannis & Senatorum vel Ordinum regni Svetiæ: non qvaſi de fide Regis Sveciæ dubitaret, ſed qvod adhuc minorennis & nondum coronatus eſſet. Ad hoc allegabant exemplum Regni Caroli, qvod improbaſſet pactum Regis Daniæ. de III. Coronis cum Sigiſmundo R. Poloniæ, qvod absqve ejus (Caroli) & Ordinum Svetiæ conſenſu factum eſſet.* Ad ea Cancellarius R. Sveciæ reſpondebat; *Illud in ejusmodi conventibus inuſitatum, præjudicio Regi ſuo fore: qvod qvum Regi Daniæ fieri nollent, nec ipſos à ſuo Rege deſiderare fas eſſe.* Danici reſpondebant: *Se acqvieturos, ſi ſcripto illis caveretur, Regis Sveciæ minorennitatem Regi Daniæ præjudicio non fore*, qvo nomine memorialem ſchedulam legatis Sveticis dederunt. Et ſimul perſeqvuti ſermonem *de IV. Capitibus, de qvibus anno 1603. actum eſſet, quæ huic bello cauſam dediſſent, de domo Sonneborgenſi, tribus coronis, Lappmarchiâ, & vectigalibus, præcipuè de duobus capitibus primis. Primum de domo Sonneburga compertum, controverſiam prima vice motam fuiſſe in conventu prope Knåhåred, in finibus regni, anno 1580. & tam de hac qvàm de aliis diſſenſionibus tunc transactis* (exceptis de tribus coronis) *compoſitionem factam eſſe, ſic ut in poſterum de ea non amplius litigaretur; ne qvidem inter Johannem III. Regem Sveciæ & Fridericum II. Regem Daniæ; atqve Regem Svetiæ tacito conſenſu Sonneburga deſtitiſſe, nec Sigiſmundum diſceptaſſe. Præterea Transactionem Stetinenſem Sveciæ Reges excludere ab eadem domo ejus uſu & poſſeſſione. Sed qvum imperium Sveciæ perveniſſet ad R. Carolum, tum demum reſuſcitatam eſſe hanc rem compoſitam, & qvidem maxima cum vehementia. Cum autem Rex Daniæ eandem domum tamdiu poſſediſſet, ipſos bene ſperare de Rege Guſtavo Adolpho, qvod Patris ſui exemplum non ſit ſeqvuturus, ſed eâ uti fruiqve Regem Daniæ permiſſurus, perpendens, qvid in Transactione Stetinenſi de ea memoretur nimirum Regem Sveciæ dictam domum oportere ad Cæſarem qvaſi transportare, & poſtea illam protectionis modo tradere Regi Daniæ.* His ita in medium allatis, ad alterum caput de III. Coronis accedebant, repetentes acta conventus Flackſiöbecenſis: *Qvomodo Rex Carolus graviter tuliſſet transactionem R. Daniæ cum R. Poloniæ de inſignibus III. Coronarum: nimirum ut diſceptatio de dictis inſignibus*

per eorum vitam ſileſceret. Et licet Rex Daniæ ſatis rationis haberet ad prætendendum idem inſigne, nihilominus ex inclinatione ad pacem & concordiam contentum fore, ſi eadem controverſia per ætatem nunc pro tempore Regum qvieſcat. Ad hæc duo delegatorum Danicorum capita delegati Svetici in hanc ſententiam reſponderunt: *Regem Daniæ non legitimam habere cauſam conqverendi de defunctis Sveciæ Regibus, multò minus de Carolo IX. Rege, qvaſi cupiditate eorum, qvæ ad Regem Daniæ pertinerent, inhiaſſet domui Sonnebergæ. Sed Regem Sveciæ de dicta domo majorem expoſtulandi cauſam cum Rege Daniæ habere: qvod ea domus contra amicæ Transactionis Stetinenſis verum fundamentum & ſenſum & contra Ordinem ac modum ibi expreſſum, vi à Rege Daniæ erepta fuerit. Contra verò qvod Sonneburga in Conventu prope Knåhåred anno 1580. ceſſa ſit coronæ Daniæ, in Receſſu ne verbum qvidem reperiri. Inde ergo non ſtatim colligi poſſe, qvaſi tacito conſenſu Reges Johannes & Sigiſmundus eá domo deſtiterint & Daniæ attribuerint. nec velle Transactionem Stetinenſem, ut Daniæ Coronæ vi armata eam occupet, ſed ut primo tradatur Cæſari & univerſo Imperio R. pro decenti refuſione impenſarum & deinde in Regem Daniæ protectionis modo transferatur. qvi proceſſus ſi obſervatus fuiſſet, hac controverſia non opus fuiſſe. Qvod ad III. Coronas attineret, Regem Carolum non primùm de iis controverſiam inchoaſſe, ſed illam jam ſuum initium habuiſſe Guſtavi I. & Chriſtierni III. tempore, Licet autem ſæpe de illa diſceptatum ſit, tamen de uno tempore in aliud controverſiam rejectam fuiſſe. qvæ facilis conciliatu eſſet, ſi Dani hoc negotium ita perpendere vellent: I. Regem Sveciæ uſurpare tres coronas, non Unionis cauſa, ſed ut Sveciæ Regni vetus & proprium inſigne ac Regale; proinde Regem Carolum non exiguam expoſtulandi cauſam habuiſſe: qvod Rex Daniæ iis uteretur Unionis cauſa, qvo, licet indirectè, jus aliqvod in Sveciæ Coronam ſibi arrogare poſſet. II. Qvod delegati Danici memorarint, Regem Carolum contra pactum inter Regem Sigismundum & Regem Chriſtianum hac de re initum cupiiſſe, ut Rex Daniæ III. Coronas Inſignibus ſuis eximeret, eum ſatis rationis habuiſſe: qvum Sigiſmundus Rex eo tempore in extraneo Regno eſſet, ubi ſecundum facta promiſſa & obligationem de tantis hujus Regni negotiis ei agere fas non fuerit. Tum etiam adminiſtrationem regni illo tempore R. Carolo commiſſam fuiſſe in Sigiſmundi abſentia. Ex hiſce Danos nulla ratione poſſe inferre, qvaſi in Svecia moris eſſet, ut Succeſſores Reges revocarent, qvod deceſſores in rebus legitimis decreviſſent. III. Danicos legatos etiam hoc velle perpendere, qvod III. Coronæ, ex qvo Unio inter tria regna exſpiraſſet, non inſertæ fuerint Regum Daniæ inſignibus, niſi Regis Daniæ Chriſtiani III. demum tempore, ex cauſa, qvod dicta Unionis nullum amplius ſupereſſet veſtigium, ſed omnimodo ſublata foret. Ob hujusmodi rationes tres coronas vel prorſus ex in-*

ſignibus

ſignibus R. Daniæ tollendas, vel duas ſolum coronas ei uſurpandas eſſe: qvum duo illa regna Daniæ & Norvegiæ ſolùm cohæreant, vel minimùm aliter ſeparandas vel aliis coloribus, aut characteribus, qvam tres coronas, Unionis nomine, pingendas eſſe. Qvum iterum utrinqve conveniſſent delegati, Danici indignantibus, haud diſſimiles erant. Cancellarius R. Danici Friis ad dicta ſic replicabat: *Qvod Svetici reſponſum ſuum ſtylo & more veteri formaſſent, cuperentqve rem intolerabilem, ut Rex Daniæ unam Coronam ex inſignibus ſuis expungeret; ipſos in medio hoc relicturos.* Cum dicto tradunt ſcriptum ſuum de Lapmarchia & vectigalibus, duobus reliqvis capitibus. At Svetici regerebant: *Si duo priora capita pertractanda eſſent, eos tali reſponſo Danicorum adqvieſcere non poſſe.* Proinde poſt prolixum utrimqve colloqvium in ſua ſinguli tentoria ſe recipiebant. Ubi Svetici negotium ita diſcutiebant: Danos non videri ſeriò negotium pacis agere, ſed ex delegatorum Sveticorum ſcriptis anſam cavillandi qværere, & apud extraneos Reges & Principes conferendi culpam in Sveticos, qvaſi pacis hoſtes. qvapropter ab illis decretum fuit, ut in iſtis capitibus, qvoad fieri poſſet, concederent ex mandati mente: ne obſtaculum inde capiti rei, nimirum pactioni pacis, injiceretur. Itaqve rurſus congreſſi, Svetici, Regis ſui, tanqvam pacis amantis, nomine, ſignificant, *ſe omni prætenſione, qvam Rex & Corona Sveciæ Sonneburgi cauſa habere poſſent, deſtituros; hac tamen conditione, ſi de ſumma rei nimirum pace inter illos convenire poſſit. Negotium verò de tribus coronis tantiſper ſeponi cupere, donec Regis ipſius declarationem de eo accepiſſent.* Delegati Danici & hoc & ſcriptam ſatisdationem delegatorum Sveticorum de minorennitate Regis Sveciæ, ad ratum usqve acceptarunt. Alterum ſcriptum delegatorum Danicorum & Lapmarchis ita comparatum erat, ut initium diſſertationis faceret à *Regia poteſtate & dominio maris: qvod illum, qvi littus poſſideret, ſeqvi oporteret, ideoqve in Norvegicum mare qvousqve ſe per Norvegiam porrigeret, Regis Daniæ dominium ſe extendere. Atqve ſic omnes ad littus maris iſtius habitantes, & ex eo victum ſuum qværentes, coronæ Danicæ ſubjectos eſſe; eoqve pertinere maritimos Finnones, qvi qvidem ante in ferâ ſolitudine, & incertis ſedibus vagati eſſent, eoqve partim Sveciæ, partim Norvegiæ, partim Ruſſiæ tributum pendere ſveti fuiſſent. Sed poſtqvam pars eorum ad latus maris Norvegici ſe contuliſſet, ibiqve domicilium fixiſſet, non amplius obligatos eſſe ad ſolvendum Sveciæ tributum ut ante incuriâ prætorum feciſſent, ſed Regi Daniæ, in cujus ſolo habitarent. Qvamvis autem Tranſactio Stetinenſis velit (qvod in conventu Flackſiöbecenſi confirmatum ſit) ut qvod unus Rex antea poſſediſſet in alterius terra, ſemper retineret, inde forſan Rex Sveciæ ſibi jus aliqvod in maritimos Finnones*

nes

nes vendicare poſſet, qvatenus in Svetico ſolo habitaſſent; non tamen qvatenus in ſolo Danico ſibi victum compararent. Præter hoc Reges Svetiæ in Transactione Stetinenſi renunciaſſe omni juri & prætenſioni (qvam etiam nunqvam habere potuerint) in Norvegiæ Regnum, nihilominus tamen R. Carolum in conventu Flacſiobecenſi anno 1603 venditaſſe ſibi omne regale juris eccleſiaſtici & Civilis, terrâ mariqve à Titisfiorda usqve ad Vardhuſenſem ditionem. Item conceſſiſſe Gothoburgicis privilegia in præjudiciũ urbium Norvegicarum. Proinde cupiebant delegati Danici Regem Sveciæ deſiſtere tributo ſibi non competente. De vectigalibus ita formarant ſcriptum ſuum: In Stetinenſi Transactione decretum fuiſſe, ut Danici nullum vectigal de mercatorum bonis ſolverent in Svecia, vice verſa Svetici in Dania. Qvamvis autem ad Regem Daniæ non pertineret cura, qvousqve Rex Sveciæ ſubditos ſuos vectigali & aliis rebus onerare ſoleat; nihilominus tamen R. Carolum commentum eſſe novam ſubtilitatem, ut Svetici mercatores ſolvere tenerentur vectigal de omnibus illis bonis, qvæ vel emiſſent à Danis, vel iisdem vendidiſſent, qvibus commercia impedirentur ac turbarentur. Æqvum proinde fore, ut tam in Svecia qvam Dania ſervaretur, qvod Transactio Stetinenſis expreſſiſſet. Delegati Svetici reſpondebant: Multa poſſe regeri adverſus adductum caput de Maritimis Finnonibus, cum maxima ſui parte nudis conjecturis niteretur, tamen velle hoc in medio relinqvere. Licet etiam Rex Sveciæ graves habuerit rationes ſibi reſervandi Regale eccleſiaſticæ & politicæ jurisdictionis in dictis Norvegiæ oris; de qvo Carolus ipſe Rex in ſuo ad Regis Daniæ literas reſponſo anno M DC XI. prolixius egiſſet, tamen ut omnes perſpicerent pacificum Regis Sveciæ animum, ſe velle Regi Daniæ iſto qvoqve Regali cedere; cum hac tamen conditione, ſi uterqve Rex in principali negotio de pace convenire poſſet. Ad alterum caput de vectigalibus reſpondent: Regi Carolo liberam facultatem fuiſſe, cum ſubditorum ſuorum conſenſu, diſponendi de Regni ſui ſtatu ac negotiis, prout utilitas publica reqvireret, nec ulla ratione poſſe hoc ſubtilitatem dici, nec repugnare hoc Transactioni Stetinenſi, ut ante ſatis diſputatum eſſet. Videri delegatis Sveciæ ſatius eſſe, ut ob diſſenſiones tollendas, neutra pars à Vectigali immunis ſit. Sic diſceſſione facta, qvum iterum congrederentur, delegati, ad rem propior acceſſio facta eſt, & propoſitum à Danicis ut ſolidæ pacis obtinendæ cauſa occupata à ſuo Rege in Sveciâ jure belli cum omnibus eò pertinentibus in perpetuam poſſeſſionem ac proprietatem Regi & coronæ Daniæ cederent. Svetici reponunt monentqve poſtulati ſui iniqvitatem perpendere; & qvantum confuſionis, Regis & Regni Sveciæ denigrationis ac contemtus hoc pariturum ſit. Velle eos conſtantem pacem; ſed qvalis conſtantia pacis, amicitiæ & fiduciæ inde ſperanda ſit, facile eos videre poſſe. Svetici talem viam offerebant, ut occupata in Svecia à Rege Da-

niæ reſti-

niæ proximè ante hoc bellum pertinuiſſent, unà cum damns utrinqve illati refuſione. Danici negabant, *ſe alium conciliationis modum, qvàm ſignificaſſent, ſcire.* Delegati Britannici nondum hîc operam ſuam interpoſuerant: qvum qvi à partibus Danicis erat, Amſtreuter ſeriùs ad conventum veniſſet. Idem prius Secretarium ſuum miſerat ad Spencium, qvi à partibus Sveticis erat, ſignificans ei, Regem Daniæ nolle, ut ipſe primus accederet ad Spencium, rei cum eo comunicandæ cauſa; Sed ut Spencius ad ipſum in ſua tentoria veniret. Regis Daniæ enim Legatos ab omnibus Regibus & Principibus præferri Regis Veciæ Legatis, & priorem locum habere. Spencius hoc Legatis Sveticis ſtatim indicavit: qvi contra ab eo deſiderabant, ne qvid tale admitteret, qvod adverſus Veciæ Regis dignitatem eſſet. nunqvam illam controverſiam de prioritate, qvam vocant, loci inter Sveciam & Daniam fuiſſe deciſam. Sveciam tam potentem & antiqvam eſſe, imò antiqviorem, qvàm Daniam; & Sveones nunqvam ſive in domeſticis ſive extraneis tractatibus aut conventibus ullo modo Danicis loco ceſſiſſe. Proinde Spencius per Secretarium ſuum Amſtreutero referri juſſit, ſi nollet ad ſe venire, obviam ſibi invicem fore in loco conventus. Cum iterum utrinqve delegati congreſſi fuiſſent, Legati Britannici nomine ſui Regis operam ſuam delegatis offerentes, ſe pro virili rem ita moderaturos promittebant, ut ſalvâ utriusqve Regis dignitate, negotium ad felicem compoſitionem deduceretur. Svetici compoſitionis loco pro reſtitutione arcium & caſtellorum offerebant Danicis ingentem ſummam cupri, cum ſolutione æris ad certum tempus. Sed Danici volebant ſibi ſolvi duos milliones vel XX. tonnas auri, ut vocant, una orca vel tonna pro ſingulorum menſium, qvot bellum ſtetiſſet expenſis computatâ. Svedis verò integrum fore ſive *gratificationem*, ſive *reſtitutionem ſumtuum* appellare. Delegati Svetici eâ de re conſultum ibant Regem Veciæ, qvi tunc Ulfsbeckæ erat. Seqventis anni initio iterum 1613
convenere. Danici ſe diutius à Sveticis circumduci velle negantes, certum & expeditum reſponſum à Sveticis deſiderabant. Svetici negabant ſe illos circumduxiſſe, & à Legatis Britannicis æqvam ſummæ exſolvendæ moderationem exſpectabant, aut, hac non proceſſurâ, rem ex convento ad Regis Magnæ Britanniæ judicium remittendam eſſe. Legati Britannici ultrò citroqve inter eos commeant, & primò ad Danicos, moderaturi ſummam. Danici ajunt, ſe æqvam ſummam poſtulaſſe, qvantam Svetici indicare velint, ſe audituros. Illi ſex tonnas uncialium indicant. Tandem *de decem, & certorum locorum hypotheca pro iis præſtanda convenit.* Summa verò etiamſi gravis exſolutionis videretur, tamen perpenſis belli incommo-

dis, pax præponderabat. Et hoc eodem anno in comitiis Holmenſibus decretus eſt modus exſolutionis ab Ordinibus regni. *De tribus coronis etiam ab utroqve Rege absqve prætenſione juris in alterius Regnum uſurpandis & aliis ante controverſis conventum eſt*, ut ex ipſa Pacificationis formula liqvet, qvæ talis eſt. Præmiſſis titulis: *Guſtavus Adolphus Rex Sveciæ abſiſtet & renunciabit prætenſioni caſtelli Sonneburgi in öſilia pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum, cedetqve cum ad id pertinentibus Chriſtiano IV. Regi Daniæ in perpetuum. Rex Sveciæ Lappones maritimos ad Titisfiordam & Warangriam habitantes, Regi Daniæ cedet; in alios Lappones imperio Svetico ſubjectos, ut antea, ſic in poſterum, jus ac jurisdictionem ſuam uſurpabit. Trium Coronarum Inſigni & titulo uterqve Rex absqve ulteriori diſceptatione perpetuò utetur; nullo tamen à Rege Daniæ jure in Sveciæ regnum prætendendo; uti qvoqve in Transactione Stetinenſi cautum eſt. Utriqve regno ſubjecti & cives in utroqve regno commercantes, à vectigali immunes erunt; ſalvis tamen acciſis ut vocant, peregrinæ cereviſiæ advectæ. Regi Sveciæ qvidem integrum erit inſtaurare & amplificare urbem Gotheburgam ejusqve privilegia, ſed non in fraudem juris regalis in öreſundia. Si Regi Sveciæ placeat obſidere Rigam, nullus Danorum aut Norvegorum navigabit iſtuc & commeatu juvabit Urbem. Si ſecus, proprio navigantium periculo fiat. Alioqvin Rigenſis navigatio libera erit Danis, Norvegis, & aliis populis öreſundam transeuntibus; niſi aliter inter utrumqve Regem convenerit. Occupata armis à Rege Daniæ, Sveciæ Regni caſtella & urbes, veluti Calmaria, Risbyenſe Caſtellum, Borcholmia & ölandia, cum omnibus eò pertinentibus tertio die Paſchatis proximi redhibebuntur Regi & regni Sveciæ. At Rex Sveciæ cedet Regi & regno Daniæ Norvegiæqve Jemtiam cum aliis tempore hujus belli occupatis. Porrò Rex Sveciæ gratificabitur Regi Daniæ pro Elfsburgi, Calmariæ & reliqvorum dictorum Caſtellorum reſtitutione decem millia dalerorum uncialium, intra ſex annos, à tempore datarum obligationis literarum, ſolvenda, ad tres priores terminos in arce Elfſeburgi, ad ultimum terminum Halmſtadii, ſecundum tenorem dictarum Literarum à Duce Oſtrogothiæ Johanne & omnibus regni Svetici Senatoribus ſubſcriptarum. Rex Sveciæ oppignorabit Regi Daniæ, pro dicta ſolutione, Emporia Nylöſiam, Gamblelöſiam, Gotheburgum, item hæc ſubſcripta territoria ac poſſeſſiones Safvedaliam, Askinſam, Hiſingiam, Bollenbygdam, Alavvetlam & Flundram cum vectigalibus & annuis reditibus dictarum urbium & territoriorum, ut niſi ad dictum antea tempus ſolvatur, Regi Daniæ cedat Elfſeburgum cum dictis Urbibus & territoriis; Caſtellum verò Elfſeburgum à Rege Daniæ usqve ad ſolutionem dictæ ſummæ retineatur, ſalvâ tamen interim Regi Sveciæ iſtic jurisdictione, privilegiis & jure. Naves, tormenta & alia ad apparatum belli pertinentia ſint occu-*

pantium

pantium. Omnes captivi absque pretio utrinqve dimittantur. Transactio Stetinenſis bona fide ſervetur, nec ei hac pacificatione qvidqvam derogetur; exceptis quæ hic ſpeciatim compoſita & determinata ſunt. Præteritarum injuriarum oblivio perpetua ſanciatur. Hæc pacificatio à Rege magnæ Britanniæ & Regibus Sveciæ ac Daniæ ſolenniter ſubſcribetur, & regiis ſigillis munietur. Guſtavi Adolphi frater Carolus Philippus Wiburgum in Careliam proficiſcitur, ſperans ex convento ibi adfuturos Legatos Ruſſicos, qvi eum ſolenniter exciperent & pactis prioribus de Ruſſiæ imperio ei committendo ſtarent. Ubi verò nemo adfuit, ſuos delegatos Novogardiam miſit, & inde in Ruſſiam, qvi ejus adventum indicarent. Sed ſoli Novogardenſes & qvidem absqve mandato acceſſerunt, qvi licet eum ſe Novogardiæ Ducem creaturos, qvod præter morem eſſe negabant, pollicerentur; tamen vel non eorum Imperatorem eſſe, vel univerſæ Ruſſiæ, communiqve conſenſu & receptis ac uſitatis ritibus creari voluit: & ſe malle Ducatum in Patria certum ac qvietum turbato & incerto Ruſſiæ imperio præferre profeſſus eſt. Dum ita res hæret, interim Rusſi Michaëlem Fedrovitz Czarem ſuum & imperatorem eligunt & præter hoc, milites Svecicos Tiphini & Augdoæ ſubſiſtentes ex improviſo obruentes in Novogardenſium gratiam, iſtos trucidant. At Princeps Carolus Philippus ſe ab illis vanâ ſpe lactatum eſſe ſentiens, & rem juſtæ vindictæ, à Rege fratre & ſe ſua tempore in mobilem gentem exercendæ, committens, inde abit. Hoc anno foris inter Regem, & fœderatæ Bataviæ Ordines, per Jacobum Dykium Legatum regium apud Batavos, fœdus commerciorum & defenſionis adverſus utriusqve hoſtes ad qvindecim annos certis pactis initum eſt. qvi etiam conciliandæ paci inter Regem & ejus hoſtes ſe medios obtulerunt. Domi Conſtitutio regia edebatur *de moneta, de vectigalibus, & qvousqve certa qvædam immunitas à vectigalibus indulta regni civibus ſe porrigere debeat.* Præter iſta, *Regis Edictum* ad Academiam Upſaliam pervenit *de Lectoratu Academiæ annuo* (poſtea in ſemeſtrem converſo) *& ut Rector Academicus ſuffragiis Profeſſorum eligatur. ut docentes ac diſcentes quietè vivant; convitiis & calumniis abſtineant. Ne Studioſi geſtent arma, qvibus per ebrietatem aliamve occaſionem tumultus excitari poſſit.* In Comitiis Orebroenſibus *actum eſt de modo pacis cum reliqvis regni hoſtibus, Polonis & Ruſſis, faciendæ.* ad qvam, præter Batavos, etiam Jacobus Rex Britanniæ Regem Guſtavum Adolphum, ad ſtudium pacis per ſe propenſum, hortatus erat, & ſuam de ea interpoſitionem Regi obtulerat. *Actum inſuper eſt de itinere Regis in Ruſſiam, qvod* Rex ſuſcipere in animo habebat: *ut Ruſſum præſentiâ ſuâ magis urgeret ad pacem; & tamen ſub clypeo,*

vel armis. In iisdem comitiis *Decretum Regis publicari*, inter omnes convenit, *de non permittendâ in poſterum promiſcuâ juventutis & aliorum ex Svecia ad exteras regiones peregrinatione, præſertim in regnum & aulam Poloniæ Regis tunc regni Sveciæ hoſtis; nec ipſius, aut liberorum vel aſſeclarum ejus, qvacunqve viſitatione aut conſvetudine qværenda. Qvicunqve incolarum Pontificiæ religioni addictus eſſet, intra trimeſtre regno excedere jubendum eſſe. Collegia Pontificia & Jeſuitica nemini juventutis patriæ adire & freqventare licitum fore: ne eorum doctrinâ ac religione imbutus, eandem in plures domi diſſeminaret patriamqve turbaret; pœnâ capitis & publicationis bonorum in reos ſtatutâ.* Iſta pœna ex Conſtitutione Regia, anno M DCXVII. & M DCXXIV. in Georgium Bere, Zachariam Anthelium & Nicolaum Campanium, qvibus hoc crimini dabatur, exſecutioni mandata eſt. In dictis Comitiis qvoqve conſultatum eſt, *de non gravando colonos gratuito hoſpitiorum ac veredorum præbendorum onere;* de qvo ſeqventi anno regium interdictum publicatum eſt. item *edictum de non admittendis in regnum exſulibus & proſcriptis absqve fidei publicæ literis.* Conſultabatur deniqve & decernebatur *de commerciorum ab indigenis & exteris exercendorum juſto modo & ordine.* Rex eodem anno, ad ſublevandum onera civium, & præſentem pecuniam ad belli ſumptus colligendum, inter indigenas & cives, præcipuè Stockholmenſes inſtituit Societatem commerciorum ad decennium ſervandam his conditionibus: ut participaturi eam, in medium conferrent pecuniam ad Regis uſum, ſed non infra centum daleros ſinguli, pro certis annuis uſuris, XII. pro centum, & trium annorum im̄unitate à vectigali, lucro inter participantes dividendo. Hoc anno Carolus Caroli Gyldenhielm captivitate Polonicâ liberatus, & permutatus eſt pro Zboroſcio & Caretzkio, militiæ Polonicæ præfectis & captivis in Svecia; qvum duodecim annorum captivitatem ſuſtinuiſſet, non à tempore prælii Kerkholmenſis, ut qvidam ſcribunt, qvod ſtetit anno M DC VI. de qvo ſup. in Vitâ Caroli IX. ſed à tempore Wolmariæ in Livonia à Zamoſcio anno M DC II. occupatæ, cui præfectus fuerat Carolus Caroli, tunc à Zamoſcio captus, ut ſuo loco notavi. Seqventi anno ma-
1615. ximè concinna Judiciorum præſertim Regiorum ordinatio, ad expeditam & commodam juſtitiæ adminiſtrationem jurisqve proceſſum faciens, ex auctoritate Regis in lucem emiſſa, nunc in omnium manibus & uſu, ſingulari cum fructu, verſatur. A Rege Sveciæ ad Regem Daniæ miſſi erant Legati Axelius Oxenſtierna & Johannes Skytte: ut præter alia exponerent ei Regis ſui animum ac inſtitutum de pace cum Ruſſis & Polonis, ſi obtineri poſſit, ineunda; & ut Chriſtiani IV. ea de re conſilium ac benevolum

affectum

affectum exqvirerent. Juſſi etiam erant agere de qvibusdam Lapmarchiæ pagis à Danis qvibusdam infeſtatis: ut in eam rem inqvireretur, ac remedium in tempore fieret, limitesqve iſtic utrimqve deſignarentur. Helsingforſæ in Finlandiâ à Rege indictus erat Ordinum provinciæ conventus a.d. 19. Januarii ſeqventis anni, ubi de dicta pace actum eſt, delectis etiam, ad eam cum Ruſſo qværendam, Jacobo de la Gardie, Everhardo Horn & Jeſpero Crauſe. Sed qvum inanis eſſet eorum opera, Ruſſo etiam qvædam loca vi recuperare conante & noſtros ex inopinato obruente; Rex qvi jam in Ruſſiam advenerat, præter Augdoam & alia caſtella feliciter expugnata, & Ruſſicos ad caſtra Brunitzenſia cæſos, Pleſcoviam, dives emporium, & propugnaculum Ruſſiæ obſidione circumdat: propoſito, ſi fortuna faveat, cogendi hoſtem ad pacem, eam recuſaturum: qvum ſoleat Ruſſus, niſi neceſſitate circumventus, non facilè pacem præ bello eligere. Dum verò Rex propius admovet urbi copias ſuas, excurrunt urbe eqveſtres hoſtium copiæ. qvibus occurſaturus Everhardus Horn cum agminibus qvibusdam, & velitarem pugnam cum hoſte commiſſurus, ab eo cæſus, fortiter occubuit, tot præliis antea felix, & militari virtute de patriâ inſigniter meritus. cui ſeqventi anno ſucceſſit Carolus Caroli Gyldenhielm; interea ſummæ rei bellicæ præfuit Svanto Baneer. Rex urbem circumqvaqve qvinqve caſtris cinxerat, & viis obſidionalibus ad muros urbis ductis, ejus oppugnationem adortus erat, muro jam ex unâ parte tormentis perforato, & ſeptingentis hoſtium ſtratis; ſed, inſtante ſæviori hieme, & Britannici Legati Johannis Merici rogatu, ac ſpe pacis Regi facta, ſi Regi placeret arma deponere: qvod Ruſſus nollet de pace agere, niſi ceſſatio armorum interveniſſet, Rex, qvæ ejus magnanimitas & amor præcipuè pacis erat, ſolvit obſidionem. Memoriâ poſteritatis digna eſt Epiſtola Regis, in hanc rem ad Legatum Britannicum Latinè ſcripta, prout hîc conceptis verbis expreſſa eſt: *Nos Guſtavus Adolphus* &c. *Gratiam ac favorem Noſtrùm ſingularem, Magnifice, Nobis ſincerè dilecte, qvo animo obſedimus hoc anno Pleſcoviam, ut ſcilicet hoſtis noſter Ruſſus tantò magis ad tractationem de pace properaret, id cognoviſſe te à nobis ipſis, & memoriâ tenere haud ambigimus. Namqve cognitas habentes prolationes Muſcoviticas ex præteritis tractatibus, hanc ſperabamus fore rationem maturandi negocii. Tandem qvoqve cum de pace nihil audiremus, eò rem deduximus, ut, ſi perſtitiſſemus in obſidione, urbe jam ad ſummas anguſtias redactâ, tandem facilè potiri potuiſſemus. Verùm lectis literis Commiſſariorum Noſtrorum rogatu tuo ad nos perſcriptis, qvibus ſignificabant, te præter cætera inprimis obnixè rogare, ut obſidionem relinqveremus; ſic enim fore, ut dubii hactenus Ruſſo-*

Ruſſorum animi de affectu noſtro, in amicam tranſactionem confirmarentur, & qvantocius absqve omni dilatione & ulteriore excuſatione, initium tractationis facerent; id te, qui mentem Ruſſorum optimè teneres, rectè ſcire ac nobis promittere. Itaqve moti inprimis amore noſtro Sereniſſimi magnæ Britanniæ Regis, fratris, conſangvinei & amici noſtri chariſſimi, & mutuâ noſtrâ benevolentiâ, dedimus hoc interceſſioni conſilioqve tuo, ut obſidionem Plescovienſem magnis noſtris ſumptibus ſuſceptam, tantoqve temporis ſpatio continuatam, indubiâ ſpe exitus felicis atqve optati, tandem ſolveremus; maximè ut omnibus conſtaret, nos bellum qvidem in his locis gerere, non cupiditate regni, qvod præter hoc, nobis ſatis amplum ac potens, beneficio divino contigit; ſed neceſſarium; eoqve ſemper fuiſſe & etiamnum eſſe animo, ut pacem atqve amicitiam cum omnibus vicinis noſtris, inprimis Ruſſis, ſi æqvis & juſtis conditionibus haberi poſſit, expetamus; & bellum juſtum, ſi evitari neqveat, non recuſemus. Narvæ die 30. Novembr. 1615. Cæterum anteqvam ad ipſam pacificationem Sveonum cum Ruſſis perveniamus, agemus de Comitiis, qvæ Rex Helſingforſæ Ordinibus Finlandiæ & totius Norlandiæ a. d. XIX. Januarii indixerat, ut ſup. ad annum M DC XV. tangebamus. Qvum initium iſtorum comitiorum a.d. XXII. Januarii faciendum eſſet, qvod tunc omnes dicti Ordines congregati erant Helſingforſæ, Rex ipſe, ut ſuſpicionem belli qvaſi adverſus Ruſſos magis ex cupiditate amplificandi regni, qvam neceſſitate ſuſcepti, à ſe amoliretur, inſignem Orationem ad ſubditos ſuos eos etiam in ſuâ fide confirmandi cauſa, habuit, in qva initium, cauſas & curſum totius belli Ruſſici ſuccinctè & cordatè deſcribit. Illam Regis ſuperiori Epiſtolæ hîc etiam apponere placuit lectorum cauſa, qvi talia noſſe deſiderant, & à me non antea obſervata ſunt: qvia mei inſtituti non eſſe videbatur, omnia pertexere, ut illorum eſt, qvi totam hiſtoriam belli Ruſſici ex profeſſo literis conſignant; ſed arbitrabar, ſatis eſſe ea obſervare, qvæ ex occaſione fœderis Caroli IX. Regis cum Ruſſo, ad res geſtas Caroli & Guſtavi Adolphi præcipuas in bello Ruſſico pertinebant. Nihilominus ut lectorum deſiderio ſatisfacerem, nec tantum Regiæ facundiæ, & deſcriptionis monumentum præterirem, operæ pretium erat, hîc addere; qvod tale, in nulla re mutatum, eſt, ex Svetico in Latinum traductum: *Illuſtres, Generoſi Domini, Nobiliſſimi, Clariſſimi, Prudentes ac Honeſti. Ego qvidem in præterito qvadriennio, qvo per Omnipotentis providentiam huic regio imperio præfui, libenter & ſæpe qvæſiviſſem occaſionem, qvomodo poſſem aliqvando de harum provinciarum conditione, & omnium veſtrûm ſtatu certi qvid cognoſcere: ut in tempore, qvod ad omnium Veſtrûm ſalutem facit, ita ordinare ac diſponere poſſim: qvò ſub meo imperio qve-*

atri

queatis(in quantum his incommodis temporibus fieri poteſt) ſervari per legum & legitimarum ſanctionum cuſtodiam; & ut ipſe (prout à Deo mihi commiſſa poteſtas hoc exigit) poſſim querelas veſtras & gravamina comperire, & poſtea illis remedia comparare; ſed quàm libenter hoc effectui dediſſem, & quantum mihi hoc cordi curæque fuerit; tamen ab hoc per multiplices difficultates, quas bellum ſecum traxit, ſemper præpeditus fui ad hoc usque tempus & oblatam occaſionem. Hanc autem prætermittere nolui quo minus Vos omnes ad me & hæc comitia vocarem: ut vobiſcum non ſolùm harum provinciarum negotia perpenderem, ſed etiam vobiſcum agerem de rebus quibusdam, quæ pertinent ad commune regni & chariſſimæ patriæ noſtræ bonum & ſalutem. Itaque gratias vobis benevolas ago, quod tam promtè, quàm bonos & fideles ſubditos decet, hîc conveneritis. In memoriam vobis ſatis revocatis, quomodo Sigiſmundus Rex Poloniæ eo tempore, quo ſecundum jus ſuum hæreditarium ad regiam dignitatem aſcenderat, hîc in dilectâ noſtrâ patriâ ſtatim ab initio, & poſtea continuè quoties occaſio hoc ipſi dictare videbatur, eò anniſus eſt, ut nos deducet à purâ & verâ Apoſtolicâ doctrinâ; & occœcaret nos Pontificiis erroribus ac tenebris. quò omnia ejus conſilia & molitiones, tam accommodationis quadam ſpecie, quàm inſidiis & vi directæ erant. Hæ ut impedirentur, Rex Carolus, dilectiſſimus & honoratiſſimus meus Dominus Pater laudatiſſimæ memoriæ, unà cum pluribus aliis rectè ſentientibus Chriſtianis, Svecis, & patriæ verè amantibus viris, ſummopere ſtuduit. Super iſtæc extranea cepit arma Sigismundus, eaque in regnum, patriam ſuam introduxit, & regni incolas ad civile bellum adverſus ſeipſos concitavit & irritavit, & perſecutus eſt beatæ memoriæ Dn. Parentem meum & illos, donec ipſe & illi, neceſſitate coacti, defenſionis arma contra Sigismundum capeſſerent. quibus ejus & aſſeclarum illius machinationes Anno 1598. ad Lincopiam, divinæ gratiæ providentiâ, frangebantur & irritæ reddebantur, ejusque & aſſeclarum contra Deum & patriam perjurium puniebatur & vindicabatur. Inde quoque contra recens pactum ibi præſtitum, patriam ſuam deſeruit, omnem offenſam & turbationem poſt ſe relinquiens; per quæ non modò multi honeſti viri, ſed etiam totius regni ſtatus periclitari imò prorſus interire potuiſſent. Quamvis autem beatæ memoriæ Dn. Parens meus & regni Ordines ſatis cauſæ habuiſſent regium imperium ſtatim ab eo ad alium transferendi; tamen prius in diverſis comitiis & conventibus ipſi & ipſius filio hoc obtulerunt. Sed ab ipſo deinceps nihil aliud agitatum & ſuſceptum eſt, quàm damnoſum bellum adverſus hoc regnum. per quod poſtea univerſi regni ordines permoti ſunt ad abjudicandum & renunciandum ei jus ſuum hæreditarium ad hoc noſtræ patriæ regimen & imperium; & de cætero mutarunt veterem unionem hæreditariam, atque in beatæ memoriæ Dn. Parentem meum tranſtulerunt; prout Norcopienſis & plures Receſſus,

unà

unà cum Renunciationibus in publicum editis, ulterius continent ac oſtendunt. qvas ut annihilaret Sigismundus Rex, poſtmodò vi & aſtutiâ operam dedit. Ut autem eò melius reliqvum ſuum propoſitum hoc modo perſeqvi & promovere poſſet, exinde non ſolùm bello, ſed etiam vanorum ſcriptorum copiâ hunc præſentem regni ſtatum perturbatum ivit. velut qvoqve præterito tempore bello in Livoniâ, & diverſis diplomatibus ac mandatis huc in regnum miſſis & diſſeminatis ſatis teſtatum fecit. in qvibus non modò Dn. Parentem beatæ memoriæ & me, ſed etiam omnes regni Ordines famoſis & falsò effictis ſcriptis, noſtras & illorum actiones & facta laude digna conatur Sveciæ ſubditis totiqve mundo odioſa reddere. Ego me diverſis temporibus ad amicam reconciliationem ſcripto obtuli: ut diuturnum illud & cruentum bellam aliqvando deponeretur, atqve provinciæ & regna ſalutarem pacem deguſtarent, & mala bellum concomitantia tandem ceſſarent. Sed ille nihil aliud qvàm probroſa verba reſcripſit, magis ad perturbationem, qvàm conciliationem facientia. Ulterius contra inducias inter Sveciæ & Poloniæ delegatos præteritâ æſtate factas, mandata & libellos famoſos huc in Sveciam miſit, eo fine, ut per eos, vos à pacis obligatione (qva vos in ante dicto Induciarum pacto Parenti meo & mihi devinxiſtis) abduceret, & ſic diſcordiam, disſidium, atqve, ſi fieri poſſet, inteſtinum bellum excitaret, à qvibus periculoſis ejus conſiliis vos benevolè dehortor. Dat vobis dulcia & fallacia verba, dolet veſtras vices & ſtatum, qværit tamen ſub eo fuco vos in graves conditiones conjicere. Vociferatur de eo in ſuis diplomatibus, qvod in bello cum vicinis veſtris & circumjacentibus regnis verſemini; ſed non addit, qvod libenter vos à veſtro juramento ſeducere, atqve ad inteſtinum bellum irritare velit. Artificiosè qvoqve disſimulare & reticere poteſt, qvis in cauſa fuerit, ut cum vicinis noſtris Rusſis incideremus in hoc bellum. In ſumma hoc agit, ut qvovis modo ſubditorum meorum animos à me abducere posſit & alienare, atqve ſic plus motuum creare. Qvapropter vos gratiosè monitos volo, ut vobis ab hujusmodi ſcriptis caveatis, & veſtros vicinos, conterraneos & parœcianos adhortemini, ne qvis veſtrûm per ea circumveniatur. Ut verò eò melius & reipſa intelligatis Sigismundi artes, qvibus ſemper uſus eſt, provincias & regna populatus eſt, multas turbas, bellum & ſangvinis effuſionem procuravit, conſtitui ſummatim coram vobis repetere, qvomodo non ſolùm in animo habuerit per bellum in Ruſſiâ geſtum ſubigere noſtram patriam, ſed etiam qvomodo præcipuâ in causâ (poſt delictorum pœnam) fuerit, ut implicaremur huic Ruſſico bello, & qvâ ficta ſpecie deceperit Ruſſos; ut inde poſtea colligere poſſitis, qvid intendat cum ſuis diplomatibus. Hoc ſatis notum eſt, qvum Rex Poloniæ, bello in Poloniam traducto, contra Sveciæ regnum nihil efficere poſſet, & ille cum ſuis & Pontificii Legati conſiliis & auxiliis, modum & viam Parentem meum beatæ memoriæ & Sveciæ regnum occupandi fer-

me in-

me imp. ſſibilem deprehenderet, aliud excogitat medium, atque ſic conatur uno malleo duos ictus facere, ut dici ſolet. Polonis enim dabatur occaſio, ficto dolo Ruſſos ad inteſtinam perducendi diſcordiam; in qua ſibi non difficile fore arbitrabantur, ſive unum provehendi ad imperium, qui cum illis facturus eſſet, ſive totam Ruſſiam ſibi ſubjiciendi. Erat in Ruſſia anno 1605. Boritz Fœdorovvitz Gudenou, qui ex vili genere & ortu erat, & Czaris Frederici affinis, ſuo tempore Stabuli magiſtri officium gerens. quum verò factus eſſet Czaris affinis, præponebat eum (quia ipſe parum cordatus erat) toti Rusſiæ. quare ipſi anſa dabatur plebem in ſuam fidem & obſequium adducendi. & quia videbat, Czarem improlem eſſe, cogitabat de viâ Magnum Ducatum ſub ſe redigendi. Sed ipſi obſtaculo erat Johannis Baſilii, quondam Czaris minimus natu filius, Friderici Ivanovitz frater, nomine Demetrius: eoq; hunc clam occidi facit. Qvum verò Czar Fridericus Ivanovitz obiiſſet abſque hæredibus, plebs deſiderabat, dictum Boritz, qvi, pro vulgi arbitratu, non malè præfuerat imperio, defuncto Czari ſuccedere. Alioqvi ſibi in ſuâ Adminiſtratoris dignitate qvandam auctoritatem & exiſtimationem conciliarat; ita ut magnates, qvi poſſent ratione conſangvinitatis eſſe proximi imperio, non auderent populo contradicere; ſed ipſi cogerentur, licet inviti, dictum Boritz eligere in Czarem. Sed ille per decennium, qvo Rusſiam regebat, primatum invidiam & odium magis & magis in ſe derivabat. Qvum ergo Rex Poloniæ comperiſſet, iſtum in omnium Ruſſorum odio tandem eſſe, effingendum ſibi aliqvid & tentandum eſſe cogitabat, qvo ſeditio & inteſtinum disſidium inter Rusſiæ incolas cieri poſſet; nihil moratus, qvod ante qvinqvennium pacem & amicitiam ad XX. annos cum eodem Boritz feciſſet. Sed reperiebat fugitivum monachum gente Ruſſum, qvi ex vili Otrapiorum genere ortus, nomine Griska erat. Hunc monachum Sigismundus putabat eſſe idoneum, per qvem conſilium ſuum effectui mandaret; qvia aſtutus homo & magus erat. Idcircò evulgabat rumorem, iſtum monachum eſſe Demetrium, Johannis Baſilii minimum natu filium, ſparſis in Rusſia (ſecundum morem ejus hîc in regno præterita æſtate uſitatum) non paucis diplomatibus & literis ſub iſtius Demetrii nomine, prætendens, verum Demetrium non fuiſſe interfectum, ſed illos, qvi in mandatis habebant, eum occidere, ſubduxiſſe eum & abdidiſſe in monaſterium, ubi in hunc diem educatus eſſet, & poſtea, qvum ad maturam ætatem perveniſſet, ſe contuliſſe in Lithuaniam, ut Boritzii tyrannidem effugeret; ideo monebat eos, ut à Boritzio deſciſcerent ad illum, qvi verus eorum dominus eſſet. Rex etiam monebat Woivvodam de Sandomiria, ut qvaſi per ſeipſum, ei aliqvot millium auxilium præſtaret. quod etiam fecit. Ita monachus iſte, ſub mentito Demetrii nomine, cum illo exercitu pergebat, & obſidebat aliqvot Ruſſicas urbes; quæ ſe confeſtim à Rege Poloniæ & commento ejus decipi patiebantur. Ruſſi, qvi ſatis ſciebant dolum ſubeſſe

 initio

initio quidem ei aliquantum reſiſtebant, ſic ut Rex cogeretur monacho ſuo plus auxiliarium copiarum mittere. Tandem tamen tædio Boritziani imperii afficiebantur, ita ut majorum ac minorum gentium ſubditi ab eo deficerent, & in partes Demetrii paſſim transirent. Itaq; poſtqvam Rex Demetrii ſui ſucceſſum cognovit, fœdus cum eo inivit, & promiſit ei imperium Muſcoviticum, & nuptias Sandomirii Principis filiæ. Ipſum contra obligatum iri ad introducendam Pontificiam religionem in Ruſſiam, & ad juvandum Regem Poloniæ in occupatione regni Sveciæ, cum aliis hujusmodi. Proinde Rex ei ingentem exercitum auxilio miſit; qvo nonnullos cogebat, nonnullos ex imprudentia, putantes ipſum genuinum Czaris filium eſſe, impellebat ad ſuas partes ſeqvendum, qvidam, ex invidia & odio Boritzii imperii, ei ultrò accedebant; donec Boritzius ex deſperatione ſibi ipſi mortem conſciſcebat. Boritzii filius ad aliqvot hebdomadas poſt patrem ſuum adminiſtrabat imperium; ſed ille qvoque cum matre ſuâ veneno ſublatus eſt. Itaqve Regis Sigismundi monachus ad Ruſſicum imperium coronatur in urbe Muſcovicâ. Hîc ex Boritzii caſu ſibi qvivis cautelæ exemplum capiat, ac videat, qvomodo DEUS plectat illos, qui per latrocinium & malas artes extollunt ſe in domini ſui ſedem ac thronum; etiamſi DEUS hoc ad tempus ferat; ſera tamen & gravis pœna cum vindicta tandem ſupervenit. Hîc etiam vobis conſiderare & cernere integrum eſt; qvid Sigismundus Rex libellis aut ſcriptis ſuis emiſſitiis effecerit, & qvomodo dictum Boritzium imperio & vitâ dejecerit, & monachum exaltarit, Ruſſosqve perturbarit: unde poſtea omnes hi motus exorti ſunt. Poteſtis inſuper ex his judicare & colligere, qvàm periculoſum propoſitum hujusmodi ſcriptis, qva indies huc mittit, adverſus patriam noſtram conceperit, à qvo DEUS nos clementer cuſtodiat. Qvilibet ſapiens vir etiam bene perpendere poteſt, in qvanto diſcrimine Sveciæ regnum chara noſtra patria verſata ſit, qvando iſte Regis Poloniæ monachus imperium Ruſſiæ tenebat: erant enim illi fœdere conjuncti; erant unius Pontificiæ religionis; erant duorum potentium regnorum, nobis vicinorum, compotes, ita ut, niſi DEUS illorum conſilia prævenisset & fregiſſet, impoſſibile coram humanis oculis fuiſſet, ſe contra illos defendere. Sed ut illud ſacrum dictum habet: Decerne conſilium, & fiat irritum; armate vos, & tamen fugam capite: qvia DEUS nobiscum eſt; pro qvo ipſi gloria ſit. Qvum enim iſte Demetrius dicto modo à Rege Poloniæ extolleretur ad imperium Ruſſiæ, ſtatim cogitabat de ſervando pacto ſuo, omnis generis præparationem ad bellum faciebat, qvo ſecum animo conſtituerat adoriri Sveciæ regnum. Sed qvum ei, ſecundum ante dicti fœderis tenorem, etiam illud pactum ſervaretur, ut Principis Sandomirii filia ei nuptui daretur, & videretur firmum fœdus inter Ruſſiam & Poloniam coaliturum, atqve in nos redundaturum, Deus

alian

aliam ingrediebatur viam. In ipſis enim nuptiarum diebus excitabat DEUS Ruſſicum Dominum, nomine Baſilium Ivanovitz Suski (qvi ſatis ſciebat, hoc merè fictum opus cum iſto Demetrio eſſe) ille faſtidivit Polonicum iſtud imperium; proinde commovit populum, & ipſos quoque magnates, ut eorum favor in ipſum inclinaret, atq; ſic, occiſo pſeudo-Demetrio cum ſuis Polonis, ab ipſo pendentibus, hunc Baſilium Ivanovitz eligunt ſibi Czarem. Hic dictum fœdus jam cum ſuo Demetrio expiraverat, hic omnia caſſa erant, pro quibus tamdiu laborarant, hic etiam amicitia inter Polonos & Ruſſos in merum odium, vindictæ cupiditatem, & apertum bellum converſa ac mutata erat. Sigismundi Regis animo non parum ægrè erat, quod ejus conſilium in Ruſſia non felicius ceſſiſſet; putabat tamen, hic nondum quieſcendum eſſe; idcirco cum ingenti exercitu à ſe armato ipſe proficiſcebatur in Ruſſiam. Ut autem Ruſſis, tunc vacillare incipientibus, ulterius imponeret, iterum ſpargebat rumorem de Demetrio, quaſi non occiſo, ſed elapſo, & apud ſe in caſtris præſente. Sic Ruſſi, pro barbaricâ ſuâ levitate, majore ſui parte iterum deficiebant à Czare ſuo & revertebantur ad partes Poloni. qua defectione Polonorum caſtra ita roborabantur, ut Czarem & paucos illos, qvi adhuc in fide ejus erant, in urbe Muſcovia obſidione cingerent, & in tantas anguſtias redigerent, ut auxilium à Patre meo p. m. petere cogerentur, Qvia verò Dn. Parens meus haud ignorabat, quanti periculi res futura eſſet, ſi Rex Poloniæ Ruſſiâ potiri deberet, Regia Ejus Majeſtas ſuæ & patriæ ſecuritatis cauſa, deſiderio ejus deeſſe non poterat. Itaque eò mittebat exercitum ſuum, & Czarem liberabat obſidione; & totam Ruſſiam liberaſſet, ſi quorundam extraneorum proditio non interveniſſet, prout multis veſtrum notum eſſe poteſt, qvi ipſi adfuerunt. Hæc peregrinorum defectio tantum effecit, ut Rex Sigismundus Ruſſiam occuparet, & filium ſuum, Czarem fieri curaret, & Baſilium monachum faceret. Per hanc occaſionem & Regis Poloniæ molitiones, qvas Parens meus beatæ memoriæ, patriæ ſecuritatis cauſa, non poterat non impedire, primùm incidimus in hæc Ruſſica negotia, quæ poſtea Anno 1613. per Ruſſorum dolum malum eruperunt in hoc bellum. Non poteſt illud absque admiratione tam extraneorum, qvàm incolarum abire, qvomodo factum ſit, ut nos tam ſubitò cum Ruſſis, qvibus nuper auxilium ferebamus, qvique noſtri amici erant, adeò cruentum bellum nacti ſimus. Ut ejus rei cauſam ſciatis, & reipsâ videatis, eam ex merâ Ruſſorum inconſtantiâ & perfidiâ profectam eſſe, paucis coram vobis referam. Poſtqvam beatæ memoriæ Dn. Parens meus, ut prius dictum eſt, ita propter Regis Sigismundi molitiones permotus erat, ut ſuccurreret Ruſſis, pro qua re ipſi promiſſa erat Kexholmia ejusque ditio in remunerationem expenſarum; quantumvis autem Czarem Ruſſiæ liberaſſet ab obſidione

*ferme triennali Muſcoviæ urbis; non tamen poterat caſtelli Kexholmenſis compo. fieri, niſi illud obſidere & vi cogere deberet. Atqve qvum Kexholmia jam occupata eſſet, Regia Ejus Majeſtas ſatis rationis habuiſſet ad diſpiciendum, qvomodo de circumjacente terra ſibi ſtatim in rem ſuam conſulere potuiſſet; qvia Ruſſi paulò ante Uladislaum Regis Poloniæ filium, Parentis mei inimicum, ſibi elegerant in Czarem. Nihilominus tamen Regia Majeſtas in mandatis dederat ſu Marſcho, ut ſolummodò invigilaret horum finium defenſioni. Sed qvum Ruſſo. pœniteret, qvod Polonis ſubjecti eſſent, qvi crudeliter & violenter illis imperarent recolligebant ſe ſuasqve copias, tam validas, ut urbem Muſcoviam & Polono. in eâ obſiderent. Qvum tamen vererentur, ſe impares fore obſidioni perſeqvendæ, ex caſtris ad Muſcoviam ſcribunt Novogardiam, & cives iſtic jubent peter. Campi Dominum ſibi auxilio. Qvi qvum ex ipſorum deſiderio adveniſſet, Ruſſorum conditio qvotidie melior fiebat, partim ob Polonicorum militum ſeditionem, partim ob alias diſſenſiones inter Polonos natas, ita uti Ruſſi ſibi perſvaderent, ſe per ſeipſos ho. bene effecturos. Sed Novogardenſes hac occaſione circumventum ibant Campidominũ, & blandis verbis eum tamdiu detinebant, ut omnis ejus exercitus ad extremam famem redactus eſſet. ea re deinceps adductus eſt ad occupandam urbem Neugardenſem. Hoc facto, Ordines Novogardenſes, qvi in arce erant, inibant contractum cum Campidomino, nimirum qvod vellent unum ex Dn. Parentis mei filiis ſibi Dominum & Czarem eligere, qvod etiam poſtea à proceribus in Muſcovia approbatum eſt. ſecundum hujus contractus vigorem poſtmodò omnes reliqvæ domus occupabantur. Poſteaqvam Ruſſi Polonos, qvi in urbe Moſchâ erant, tamdiu fame torſerant, ut cogerentur arcem & urbem dedere; iſti (*Ruſſi*) adeò animis inflati ſunt, ut non ſolum obliviſcerentur promiſſi de Carolo Philippo Principe Fratre meo in Czarem creando; ſed etiam omnium gentium juris. Non enim modò alium ſibi Czarem eligebant; ſed qvoqve noſtros milites, qvi Tiphini & Augdoæ erant, ex improviſo obruebant (ſecundum Nougardenſium proprium deſiderium, in illorum ſecuritatem qvi in præſidiis locati erant) eosq; miſere trucidabant. qvod adhuc tolerari potuiſſet, ſi amicæ transactioni ſe accommodare voluiſſent. Ad eos diverſæ literæ monitoriæ ſcribebantur, ut nobiscum amicè agere vellent. Sed illi eas literas qvaſi metu ſcriptas interpretabantur: ingentem enim exercitum ad Brunitz collocatum habebant. Ut autem illis oſtenderem, ſe ſibi ipſis imponere, per mea agmina ad Nougardam ſtantia excurſionem ad eorum caſtra Brunitzenſia fieri jubebam, obſidebam qvoqve Augdoam; & Deo favente ad Brunitziam ſedentes cædebantur, & Augdoa capiebatur. Ut autem mundus intelligeret, qvantum mihi diſpliceret ſangvinis effuſio & cruentum bellum, deinde ex urbe Narvâ per Campid minum, Aulæ & Campi Mareſcallum, Senatum*

Ruſſi-

Ruſſicum ulterius admoneri faciebam, ut ad amicam compoſitionem animum applicare velint Inſtruebam quoq; Campi Mareſcallum Jeſperum Andreæ & Magnum Martini poteſtate cum illis volentibus tranſigendi. ſed illi probroſa & inania dicta regerebant. Interea tantum valui apud Magnæ Britanniæ Reges & Ordines Belgicæ, ut ſuos Legatos ad hujus negotii compoſitionem mitterent. Illi quoqve jam ad ipſius compoſitionis actum convenerunt. quomodo verò Deus illorũ animos ad juſtitiam & pacem flectere poſſit, tempus docebit. Hunc in modum res proceſſit, & nos ad Ruſſicum bellum devenimus. qvod mihi, per hoc triennium, impoſſibile fuit amovere ob hoſtis pertinaciam; qvantæcunq; etiam mihi curæ fuit. Spero tamen, Deum per media, qvæ nunc dedit, omnia in bonum verſurum. Qvum ergo ita ſit, quod Rex Poloniæ omni conatu, diplomatibus & mendacibus ſcriptis, bello per Livoniam & Ruſſiam, hoc agit, uti dictum eſt, ut dilectam noſtram patriam in perniciem præcipitet, & Pontificis ac Polonorum ſervitutis jugo ſubjiciat; ideo cauto opus eſt, ne ab illis vos ſeduci patiamini, velut Ruſſi fecerunt, ſed eorum exemplum vos circumſpectos faciat, conſiderantes, quot diverſa mala imperiorum mutationes ſecum trahant; præſertim qvando fit per inteſtinam diſcordiam. Proinde revocate vobis ſemper in memoriam varias obligationes, qvibus Dn. Parenti meo beatæ memoriæ & mihi diverſis temporibus vos obſtrinxiſtis, additis ſcriptis & corporalibus, gravibus juramentis. Ne qvoqve oblivioni tradatis immenſa pericula ac moleſtias, qvas Pater meus b. m. & ego multis modis, veſtræ ſalutis cauſa, paſſi ſumus & ſuſtinuimus. Intuemini porrò cauſas & ipſum fundamentum belli Ruſſici, qvod non R. Mtis b. m. vel meâ culpâ cæptum & tamdiu continuatum eſt; ſed qvod ducit originem ſuam veram ex ipſorum Ruſſorum perfidia & pervicaciâ. Vos itaqve boni Viri velitis perſeverare in illa fidelitate, qvam hactenus in vobis comperi, ſic ego de cætero qvoqve, ut hactenus, veſtræ ſaluti ſummopere ſtudebo, operamqve dabo, ut vos reducam ad pacem, quietem & meliorem ſtatum: ad qvod Deus omnipotens gratiam ſuam largiatur. Deinde Ordines Finlandiæ
& Norlandiæ cum reliqvis Sveciæ Ordinibus ultrò conſenſerunt in deſide-
rata belli perſeqvendi ſubſidia, & Rex in dictis provinciis, qvantum potuit,
ſubditorum difficultates ſanavit. Tandem etiam ſeqventi anno de pace 1616
cum Ruſſis faciendâ cogitavit; cujus initium, diſceptatione de titulis, man-
datis, fidei pub. literis & conditionibus utrimqve compoſita, factum, eo- 1617
qve anno 1617. concluſa eſt. de qvâ infra circa finem, ubi ſepoſuimus i-
pſam Pacificationis Formulam. Tandem pace optatâ per Regis Sveciæ Gu-
ſtavi Adolphi, & Regis Magnæ Britanniæ Jacobi & Ordinum Belgicæ Lega-
tos factâ, & utrimqve firmatâ qvà regnum Sveciæ totius Ingriæ acceſſione
locupletatum eſt, Rex Regni ſui ſtatum porrò ſtabilivit. Conſtitutionem de

proceſſu & ordine Comitiorum publicavit. Qvinqve primaria Regni Collegia Juſtitiæ, Rei militaris, Rei maritimæ, Cancellariæ & Fiſci conſtituit qvibus deinde Collegium commerciorum acceſſit. per qvæ præcipua regni negotia, auſpice & directore Rege, explicari & expediri poſſunt. Rex Upſaliæ, prævis comitiis, ſolenniter inauguratus & coronatus eſt. Omnibus regni Ordinibus privilegia confirmavit & auxit. Deinde incolis & extraneis comerciorum leges hîc obſervandas, dedit: Ne qvivis pro libidine, nec in qvovis loco regionatim aut vicatim commercia & qvæſtum exerceret, sed in emporiis ex uſu publico & privato rectè mercaturam faceret. Sigismundus ſpe & promiſſis auxiliorum pro recuperanda Svecia ab Auſtriacis aliisqve ductus, ad bellum huc transferendum, qvæ poterat, ſed tardius moliebatur; uſus conſilio præcipuè extraneorum, ſtatus & rerum Poloniæ imperitorum. Sparſerat etiam per Svetiam edicta ac libellos, qvibus ejus incolas adverſus Regem ſuum concitaret. ſed fruſtra, ut antea toties, ita qvoqve nunc illud tentavit adverſus Regem, ab omnibus ſuis amatum, & cujus cauſam ſingulari fortuna Deus ipſe juvabat & promovebat. Guſtavus tamen his Sigiſmundi machinationibus, qvibus Sigiſmundus populum Sveticum magis contra ſe, qvam contra Guſtavum Adolphum, concitabat, haud omninò ſecurus, comitia Örebrogæ inſtituit, ubi unanimiter decretum eſt, promtè copiis & opibus, obviam hoſtilibus molitionibus ire. Rebus in patria ordinatis, Polonum hoſtem foris aggreſſus, cum octodecim navium armata claſſe in Livoniam ivit: ut iſtic hoſtem anteverteret & adverſus ejus incurſiones iſtâ provinciâ occupatâ, regnum ſuum commodius tutaretur. Ad Dunemundam, Urbis Rigæ qvaſi clavem, & portus iſtic maritimi propugnaculum, caſtra ſua ponit. Eâ in deditionem acceptâ, Parnoviam, & mox Windaviam aut vi aut deditione capit. Qvum interea Moſchi & Tartari graves in Poloniam impreſſiones feciſſent, Rex Poloniæ duorum annorum inducias à Guſtavo expetiit accepitqve; hac tamen con-
1618. ditione, ut per hoc tempus, de perpetua pace ageretur. Cæterum qvum Guſtavus iſtas inducias non niſi lucrando tempori & colligendis viribus à Polonis deſtinatas eſſe intelligeret, decurrente induciarum tempore, negotioqve cum Senatu ac regni Ordinibus ſatis deliberato, expeditionem novam atqve arma meditatus eſt. Prius tamen qvàm ea caperet, Jacobum de la Gardie Regni Marſchum, Eſthoniæ tunc Gubernatorem, Johanni Carolo Chotkiewitz Livoniæ præfecto per literas ſignificare juſſit, qvod Rex Guſtavus, poſt elapſum induciis dictum biennium, nolit ulterius in ambiguo hærere, ſed aut æternam & ratam pacem, aut longioris temporis in-
ducias

ducias cum Rege Poloniæ paciſci conſtituerit. qvod ſi ille repudiet, bellum ipſi exſpectandum eſſe. Qvum verò Sigiſmudus ad pacem minus propenſus eſſet, Guſtavus apparando bello ſeriò operam dedit. Pax ſuperiori anno cum magno Moſcoviæ Duce facta, die Petro & Paulo ſacra ſolenniter in primaria æde ſacra Stocholmenſi confirmata eſt. Circa autumnum Rex Daniæ Chriſtianus IV. delegatum ſuum Sigfridum Grubbe ad Regem Sveciæ Guſtavum Adolphum, de nonnullis difficultatem, inter utrumqve regnum ortarum, nodis explicandis, miſit, inprimis *de reſiduo æris alieni pro redemtione Elfsburgi perſolvendo.* qvo ſoluto; etiam reliqvæ difficultates 1619.
qvieverunt. Inde Rex claſſem & ſtatum maritimum in melius refecit. Rem navalem ſic inſtauravit, & adornavit, ut inter præcipua regni potentiæ ſubſidia reputaretur. Arma, tormenta atqve omne genus inſtrumenta bellica concinnanda curavit: qvod naſcentium materiæqve in regno Sveciæ abundè eſſet; & variis armorum officinis paſſim apertis, ea domi fabricarentur, qvæ ante ab exteris magno ære emenda & comparanda erant. Copias terra mariqve Rex cum cura delegit, ac per belli peritos ſedulò exercuit, ſua præſentia & diſciplina ordinavit, armisqve & campo, anteqvam hoſtem conſpicerent, aptos utilesqve reddidit. In utriusqve Regni limite Ulfsbeckia, Rex Guſtavus cum Rege Daniæ præſens colloqvium, confirmandæ amicitiæ & pacis cauſa inſtituebat: ut foris hoſtem propediem aggreſſurus, domi tuta & pacata relinqveret; & ſimul cogitaret de amplificando regni ſui ſtatu. Sub finem enim anni milleſimi ſexcenteſimi decimi noni ejus auſpicio & mandato, inſignis Conſtitutio de adminiſtratione & incrementis civitatum in hoc Regno, publicata eſt. Ut autem familiæ & viva regni munimenta propagaret, nuptiarum ſolennia cum Principe 1620.
Brandenburgica, Johannis Sigiſmundi Electoris Brandenburgici filia MARIA ELEONORA feliciter in regia Holmiæ peragebat. Poſt hæc convocatis regni Ordinibus comitia habebantur: in qvibus de anniverſariis & publicis ſupplicationibus, & reſtitutæ ante centum annos Evangelicæ religionis memoriâ feſtivè celebranda, item de belli adminiculis; milite, claſſe, annona & certæ æſtimationis tributo ex pecore & ſegete à ſubditis pendendo, & aliis actum ac decretum eſt. Interdictum inſuper à Rege de promiſcua peregrinatione publicabatur: qvod ea non ſolum evacuaretur regnum civibus, ſed etiam adverſus illud periculoſa cum inimico ejus à nonnullis tractarentur. Nobilibus qvidem vi privilegiorum ad exteros ſtudiorum, aut militaris artis in regni uſum diſcendæ cauſa, proficiſci permittitur; non tamen ad ſuſpecta loca; nec aliis, niſi cum commeatus literis.

Rex

Rex bello adverſus Polonos pacem oblatam nolentes, & jam Turcicis armis occupatos, opportunè ſe accinxit. Illud verò per Feciales hoſti indicere, ut ei Poloni exprobrabant, non adeò neceſſariũ eſſe judicavit: qvum per inducias bellum duntaxat prolatũ non ſublatum, qvin haud obſcuris verbis &
1621 literis antea ſatis indicatum fuerit. Anno ſeqventi cum benè armata claſſe, & viginti millibus (qvidam viginti qvatuor millia faciunt) militum in Livoniam Guſtavus ivit, caputqve provinciæ Rigam terra mariqve coronâ circumdedit: ut capite victo, partes & membra facilius ſubigeret. Sed ab initio ad exitum usqve rem enarrari, de tanto emporio victoria meretur. Qvum regia claſſis jam portui Rigenſi Dunæ appropinqvaret, ingens orta procella eam disjecit, aliqvot etiam navibus intumeſcentis maris impetu depreſſis. Hîc primum Regi prælium cum mari & fluctibus fuit. qvibus, qvantum, vi majori reluctante, poterat, ſuperatis, deſtinati fortiqve animi conſtans, nihilominus perrexit, & Parnaviam tetendit. Interea ſupremum rei maritimæ præfectum Carolum Gyldenhielm & claſſis ductorem Claudium Flemming diſſipatas naves recolligere, & Dunemundam ductare juſſit. Inde ad Mulgrabiam in terram expoſitus eſt exercitus. At Hermannus Wrangel campi Mareſcallus in vicinis locis caſtra metatus eſt, donec Finnonicæ copiæ, qvas Comes Jacobus de la Gardie, R. Marſchus ducebat, acceſſiſſent. Adductis copiis, regio alloqvio animatis, Rex, vallo celeriter excitato, propius Urbem Rigam, cis Dunam ad eurum, è regione collis arenarii, caſtra fixit, ſuis cuiqve ſtationibus aſſignatis; prima ſibi & fratri Carolo Philippo, deinde Mansfeldio, Oxenſtiernio, Guſtavo Hornio, Handio, Roſæcrantzio, cum qvinqve peditum legionibus, octo eqvitum turmis, præter Regis cohortem prætoriam, qvas Laurentius Mullerus ſuo agmine claudebat. Secundam ſtationem ad dexteram tenebat Jacobus Comes de la Gardie non procul à primâ: cui præter regia agmina, Principis Caroli Philippi, Clothi & Johannis Henrici legiones pedeſtres, & binæ eqvitum cohortes adjunctæ erant. Ad ſiniſtram & prædium Hintzii Hermannus Wrangel tertiam ſtationem, cum ſuis & Ridwinii Scoti tribuni legionibus, & ſeptem eqvitum turmis tuebatur. Qvarta ſtatio attributa erat Jacobo Sitono Scoto tribuno, ad molam alatam, propius urbem. Ultra verò Dunam, ad ripam atqve in inſulis ejus H. Flemming duplex vallum ex adverſo arcis Dunemundiæ exſtrui curarat, juſto peditum eqvitumqve præſidio munitum. Ita à terris urbs obſidione circumdata erat. Nec minus in mari claſſis regia, ductoribus Carolo Gyldenhielm & Claudio Flemming collocata, prohibuit auxilium & commeatum urbi.

His

His ita conſtitutis, urbis expugnatio cogitata eſt. Rigenſes verò rem ſeriò à Rege agi animadvertentes, hîc non dormitandum eſſe viderunt. Idcirco mœnibus urbis, ubi opus erat, in tempore refectis, ſuburbana omnia cum amœnis hortis, vel exurunt vel ſolo æqvant: ne ipſis in obſidione obſtaculo, hoſti verò uſui ac inſidiarum latebræ eſſent. Arcem urbis cum præſidiis neceſſariis & duabus eqvitum turmis defendere juſſi ſunt Okun, Barrius & Ceridon. Urbem tutari ipſi cives cum ter centum militum præſidio, ducibus Scauteno & Hillenio, jubebantur. Qvum verò Rex aggreſſurus urbis oppugnationem, prius cum ſeptem turmis peditum Dunæ inſulam arci adverſam, ob commoditatem ſitus, aliqvot navibus impeteret, obſeſſi non ſegnes gravibus tormentorum ictibus naves Sveticas repellunt, unâ etiam ſpoliatâ, altera incensâ. Poſtqvam Rex Mulgrabiâ copias ſuas in adverſam urbem eduxerat, effuſa urbe juventus, in occurſum regio militi, cedere qvidem majoribus regiis viribus coacta eſt; ſic tamen ut ſpecie inertis vel meticuloſi regreſſus ſubſeqventem hoſtem pedetentim proliceret ad ipſa urbis mœnia, ubi tormentorum fulminibus cum nonnulla ſui ſtrage, excepta eſt. Qvin ipſe Rex non ſemel prope vitæ periculum fuit, primò in colle arenario, qvo, circumſpectans locum caſtris aptum, vix exceſſerat, qvum tormenti pila ferrea eundem, ubi Rex modò conſtiterat, locum feriret. Dein ad patibulum urbis, qvidam lateri Regis proximi tormentis cæſi ſunt, præcipuè vir ſtrenuus Stakelberg; ſic ut veſtem Regis ſangvine ſuo conſpergeret. Tandem unus tormenti globus tentorium regium perrupit, & iſtic circumvolavit qvaſi Regis caput qværeret; qvod tamen nutu Dei, cui Regis ſalus curæ erat, attingere prohibitus eſt. Rex autem ne impune ſibi ſuisqve cives inſultare viderentur, ſedes tormentorum editiores fieri fecit: qvibus commodius & cominus urbem, turres, tecta & valla qvaſſaret. Prius tamen, qvàm vim præſentem expromeret, per tubicinem ſuum & ternas literas, diverſo tempore ad Senatum civesqve Rigenſes datas ſi ſe ſalvos velint; deditionem urbis ultrò facere hortatur. Illi tubicinem obligatis mappâ oculis, in curiam deducunt, & circa veſperam, benè potum in regia caſtra absqve reſponſo remittunt; qvo tacitè ſignificabat, ſibi nullam in animo deditionem eſſe. Rex qvid rei eſſet, ſatis ſentiens, expedivit vim ſuam, atqve portam urbis arenariam, curiam & templorum turres muralibus tormentis graviter diverberavit: qvin partem propugnaculorum ſubruit. Nec minus in tecta globos ignitos aut pilas granatenſes, qvas vocant, ejaculatus eſt. Qvæ tamen pellibus taurinis, ſale & aqvâ madefactis, atqve fimo mox ab obſeſſis ex-

ſtinctæ ſunt. Qvum verò Rigenſes fruſtra auxilium à Sigiſmundo Poloniæ Rege, bello contra Turcam diſtricto, præſtolati hactenus eſſent, tandem aliqvando Chriſtophorus Radzivilius Lithuaniæ Dux, cum aliqvot turmis eqvitum Polonicorum, opem laturus obſesſis, cis Dunam ſe oſtendit. Amiralius Burkius audaci facinore bis Dunam navibus civitatis, non absqve ingenti ſuorum clade, tranſire neqvicqvam conabatur, ut Radzevilio aditum in urbem aperiret. Radzivilius autem à globo tormentario Sveticorum etiam ubi diſcumbebat, ſalutatus, velitatione qvadam hoſtium vires ſuis longè majores expertus, irrito molimine, poſtero die diſceſſit. Rex verò properè aggeres aliaqve opera ad urbem ſtruere, eiqve per vias obſidionales magis ac magis imminere; ac Dunemundâ jam occupatâ, Dunam urbi, exhauſtâ foſſa intercludere & corbibus vimineis fosſâ oppletâ, vineisqve propius urbem promotis, jam viam ad portam arenariam moliri cæperat. Seqventi die Rex iterum ab obſeſſis, admonitu propinqvioris periculi, deditionem, ſed incaſſum poſtulavit. Unde commotior, collem vel propugnaculum urbis Catum dictum oppugnabat, civesqve eo exturbabat. qvi tamen reſumptis animis propugnaculum ſuffoderunt, & pulvere nitrato ſubjecto accenderunt, aliqvoties centum Svedis iſtic eliſis & neci datis; Nihilominus obſidentes, velut æmuli pertinaciæ obſeſſorum, locum oppugnationi urbis idoneum retinuerunt, urbemqve inde majoribus tormentis indefeſſi concuſſerunt. Nec illud ſatis, ſed etiam Loricam valli ad urbis portam inopinatò ſuffoderunt, ipſo Rege & Principe Ligonem arripientibus, & foſſionis initium efficaciori exemplo facientibus. Præterea cuniculos, ad ſtativa Sitoni ad portam arenariam per hortos Brouwerii & ſtrata viarum portæ S. Jacobi, agi cæptos, perſeqvuti ſunt: ut vel urbem ſubirent, vel obſtinatos, terrâ ſubtractâ, perderent. Verùm ut Svedi pro potiunda, ſic cives pro tuendâ urbe concertantes, adverſos cuniculos moliebantur, & ſtrenuè reſiſtebant, ſauciato etiam Jacobo de la Gardie; Clotho verò, Cordiaco & Adamo Friſio cæſis. Qvum autem obſeſſores novum Jacobi propugnaculum, ita vocabant, & infimum ejus ambulacrum crebris tormentorum ictibus inerme & inutile civibus reddidiſſent, pontem ligneum rotis inſtructum & piceo linteo obductum, in foſſam, ad trajiciendum oppugnaturos urbem, demiſere. Sed pons denſiore milite, ductoribus Sitonio & Hornikio, oppletus, in tranſitu ruptus eſt. Qvidam ferunt pontem non ſatis longum & porrectum, adverſum foſſæ labrum aut oram non pertigiſſe. Sed qvis hoc credat de Rege, hujus rei ſatis prudente & peritos mechanicos atqve architectos militares in caſtris apud ſe habente:

bente? Si verò pons integer nec fractus, etſi fortè brevior fuiſſet, eum vel non ingredi milites, vel errore cognito, regredi absqve periculo juſſi fuiſſent. Sed qvicqvid ſit, ponte fracto, plurimi hoſtium occurrentium & Sveticorum cæſi ſunt; Sitono etiam unum crus amittente. Ponte verò noctu ab obſeſſis ſuccenſo, labor iſte irritus cecidit. Noſtrates tamen nihil hæc ſe morari paſſi, inſtant operi, nullumqve temporis otioſi ſpatium vel ſibi ad cæpta peragenda, vel hoſti, qvantum in ipſis, ad novas ſpes relinqvunt, iterumqve cuniculos ſub propugnaculo arenario urgent, ipſo etiam Rege præſente. Licet cives contra agerent cuniculos ſuos, etiam manibus infra ſolum utrinqve conſertis: virtusqve obſeſſorum non cum ipſis incluſa, ſatis intra & extra mœnia eluceſceret; qvin ex ipsâ qvoqve humo, & cuniculis erumperet, hoſti viam undiqve, ſi potuiſſet, in urbem præcluſura; tamen Rex, cujus inuſitatæ virtuti ac ſucceſſibus nihil obſtabat, cives repellendo, opera ſua provehendo, hoſtilia deſtruendo, nihil intentatum reliqvit, donec victor urbis evaderet. Erat qvidem obſeſſis de ſuppetiis Polonicis nova ſpes facta, ſed ſola ſpes. Atqve ſi adveniſſent, tamen ſeræ fuiſſent: qvum ad extrema jam deventum eſſet; velut deſperato morbo fruſtra ſuccurritur. Qvippe Rex vallum turris arenariæ, dimidiatæ Lunæ nomine inſigne, duas legiones, ductoribus Guſtavo Horn, & Johanne Banner, comitibus Capellio Gallo & Muſtero Scoto, oppugnare fortiter juſſerat. Et oppugnarunt tantis animis ac fortunâ, ut jam vallum conſcenderent, & qvosvis hoſtium obvios depellerent. Mox disjecta, vi ſuffoſi pulveris nitrati, parte valli, jam ad ſuperiora mœnia eluctantur, & inde, fumo exoneratorum tormentorum tecti, ad ſummas usqve Loricas. Hic novus obſeſſorum & Sveticorum conflictus, mutuaqve cædes; donec hi vel ſponte cedentes vel repulſi, fundum valli obtinerent, ubi terra protecti, vel picea ſerta vel dejectas ab obſeſſis trabes & ſaxa vel pilas tormentorum è Jacobæo propugnaculo & novæ Auſtralis portæ munimento certatim emiſſas, innoxias ferme, ſpreverunt; niſi qvod in ipſo conflictu junior Capellius maſculè occubuit. Horn autem & Banner verè viri, vulneratiqve, digno meritorum præmio, eqveſtri honore à Rege donati ſunt. Cives extrema potius qvàm deditionem ſubire parati, iterum eruptionem tentaſſent, etſi viribus hoſte longe inferiores; niſi per Senatum à deſperato conſilio revocati fuiſſent. Jam Rex obduratæ urbi extrema parabat. Triplici loco ſuffoſſo urbis vallo XXIV. orcas nitrati pulveris ſubjecerat, duos pontes novos fieri curarat, per qvos qvinqve ſimul milites ordine transmitterentur, præter machinam ligneam ferreâ catenâ præcinctam, in medio Duna ſtantem,

qvæ claſſem tutaretur. Modus expugnandæ urbis à Rege talis decretus erat: ut ſimulac ſuffoſſus ignis, vallum perrupiſſet, ſigno dato, totis agminibus in urbem irruptio fieret, & pertinax urbs prius diriperetur, dein ſolo æqvaretur. Attamen deprecantibus Principe & Magnatibus excidium urbis, à Rege miſſus eſt in urbem, qvi illud deditionem abnuentibus denunciaret, ſex ſolùm horis, ad deliberandi ſpatium datis, & qvidem ad preces Jacobi de la Gardie, Caroli Gyldenhielm & Jeſperi Cruuſ. Senatus urbis cum civibus perpendens virium ſuarum præ hoſtilibus tenuitatem, mœnia tot globorum tormentariorum ictibus (qvindecim millia numerabant) qvaſſa, vallum ex parte apertum, pulveris pyrii inopiam, præſidiorum diminutionem, ſpem auxilii nullam, & qvod rei caput, urbis ante oculos excidium, ultimâ neceſſitate ſuperati, tandem acceptis obſidibus, Svantone Baner, R. Mareſcallo, & Henrico Flemming tribuno militum, mittunt ſuos ad Reges de paciſcendis deditionis legibus. Rex tantâ victoriâ poſt VI. hebdomadarum obſidionem potitus, fortunam tamen modeſtè habuit, nihilqve in victos etſi pertinaces, gravius conſuluit. Imò ſe ipſorum libertatem conſervaturum & privilegia aucturum promiſit, ſi qvalem Regi Poloniæ præſtitiſſent, ſibi qvoqve fidem & obſeqvium præſtarent. Rigenſes verò ſcripto apologetico cauſas deditionis ad Regem Poloniæ expoſuerunt & excuſarunt, qvod tale erat. Ipſos non dubitare, Regem haud absqve dolore, jam percepiſſe, in qvam indomitam neceſſitatem & caſum inopinatò inciderint. DEUM verò, qvi regnis & rebuspublicis ſtata tempora & terminos præfixerit, haud dubiè ita diſpenſaſſe; utcunqve homines judicent. Regem Poloniæ ſatis recordari, qva ratione in nuperis Comitiis per ſuos delegatos perqvàm humiliter ei ſignificarint, qvantum illis periculum è regno Sveciæ impenderet. Qvosdam Ordinum Poloniæ, qvi rem rectâ reputaſſent via ipſis fidem habuiſſe; aliis autem, ex invidorum relatione aliter affectis, eorum juſtum metum & qverelam contemptui fuiſſe. Nihilominus Magiſtratum urbis & cives lætos accepiſſe, Regem, etiamſi tunc meditationibus gravis belli Turcici diverſus ageretur, non tamen omnem curam ſalutis miſeræ Livoniæ depoſuiſſe: dum Principi Radzivilio, exercitus in Lithuania imperatori eam publicè commiſerit; illum etiam copias coëgiſſe, qvæ tamen aliò, ut fama erat, abductæ fuerint: qvum eſſent qvi affirmare non vererentur, iſtis in Livonia opus non eſſe. Ipſos ad Regem iterum ſupplices de auxilio ſibi ferendo literas dediſſe, ſed reſponſum accepiſſe, *Palatino Wildenſi Livoniæ curam incumbere.* Unde non parum conſternati fuerint, ſatis gnari ei totius militiæ Polonicæ imperium

tradi-

traditum eoqve in Podoliam avocatum fuiſſe. qvare in illam cogitationem deſcenderint, ſe utriqve tam arduo muneri non ſuffecturum. Elapſo qvodam tempore iterum ad Principem Radzivilium remiſſos fuiſſe, interim hoſtem ſe omni ſtudio ad bellum præparaſſe. Hinc non potuiſſe non ipſos tam Regem qvam Radzivilium orare, ut qvam properè copias in Livoniam mitterent: expeditiorem enim & breviorem ex Svecia qvàm Polonia in Livoniam tranſitum atqve iter eſſe. Ipſorum proinde ſententiam fuiſſe, ut Princeps inprimis campi ſe compotem faceret, qvo non dubiè ſit hoſte ſuperior futurus. Si verò hoſtis anteverteret, plus conſeqvuturum hoſtem, qvàm ſi Princeps qvantascunqve vires ei ſerò opponeret. Qvamvis autem Radzivilius ſibi non defuerit, ſed juſtum exercitum in Livoniam adducere laborarit, Regem tamen Sveciæ prævenisſe, qvum dudum ſe præmuniiſſet. valida enim claſſe portus & Dunæ amnis potitum eſſe, milites in terram expoſuiſſe & poſt paucos dies, cum reliqvæ copiæ terreſtri itinere ad eum acceſſiſſent, univerſum exercitum inſtructa acie ante urbem collocaſſe, caſtra metatum fuiſſe, mira celeritate opera & ſuggeſtum excitaſſe, tormenta poſuiſſe, qvibus urbem qvaſſarit, murorum pinnas & loricam dejecerit, effeceritq;, ut murorum defenſores fermè non haberent, qvo ſe protegerent. Attamen cives his impavidos, pro viribus hoſti repugnaſſe, nec parum damni intuliſſe, centuriis aliqvot Svedorum internecioni datis. In qvantis autem curis civitas tunc verſata ſit, inde colligi poſſe, qvod in conducendis per vicinas Germaniæ provincias militibus vix trecentorum numerum confecerit: qvum Rex Daniæ & alii Principes iſtic occuparint, & majori pretio in anteceſſum ſoluto plures allicuerint. Livoniam verò ſic armis & populo exhauſtam eſſe, ut omnes ejus conductiones fruſtra fuerint. Etiamſi verò eorum cives & milites animus vel in extrema neceſſitate non defecerit, etſi indies eorum vires decreſcebant, tamen ſpe novi ſubſidii, ut viros ſtetiſſe; maximè poſt qvam Radzivilius cum aliqvot turmis eqvitum ad Dunæ littus præſtò fuiſſet, & cum hoſte leve certamen tentaſſet; qvum tamen decuplo infirmior hoſte eſſet; de qvo certò conſtiterit, qvod XCIX. pedeſtrium & XXI. eqveſtrium ſignorum fuerit. Qvum verò Radzivilius ſeqventi die diſceſſiſſet, & cives per duas adhuc hebdomadas obſidionem toleraſſent, omnem auxilii ſpem tandem cecidiſſe. Obſidionem verò qvo magis tractam, eò difficiliorē illis accidiſſe, non paucis civium & militum amiſſis. nec in civitatis poteſtate ac viribus fuiſſe, hoſti ut debuiſſent, undiqve obviam ire. Interim Svedos acceſſu operum ſuorum urbi magis magisqve propinqvaſſe, ejusqve propugnacula triplici cuniculorum ordine ſuf-

ne ſuffodiſſe, & viginti qvatuor orcis pulveris nitrati ſuppoſitis, urbem incendiſſe, & communi flammarum periculo aut excidio cunctos incolas ſubjeciſſe; niſi continuus ejulatus fœminarum & liberorum ipſum hoſtem ad commiſerationem flexiſſet. Qvum ergo omnis humana ſpes exſtincta eſſet, nec unus qvidem qvingentorum qvos Rex Dantiſco illis auxilio mittendos promiſerat, appareret, rebus ad extrema redactis, eos cum præfecto arci, nobilibus, eqvitum magiſtris & tribunis militum conſultaſſe de ſumma rerum. Qvum autem omnes conclamatum eſſe adfirmaſſent, de deditione agitare cæpiſſe, ſecuritati urbis & ſuorum conſulendi animo, atqve ita Sereniſſimi Regis Veciæ Guſtavi Adolphi patrocinio ſe permiſiſſe. Qvi cum ſummâ ipſorum admiratione tam clementem & benevolum erga eos ſe geſſerit, ut ſatis prædicare non poſſint. Eos enim hac deditione perculſos erexiſſe, ne minimum qvidem inſolentiæ, victoriam alioqvi comitari ſvetæ, præ ſe ferendo; illisqve benigniſſimè pollicitum eſſe, ſi proximis tribus annis inter ipſum, & Regem Poloniæ æqva pax iniretur, ſe illis permiſſurum, ut incolumi jure & privilegiis, ad Regis Poloniæ obſeqvium redirent. Ipſos nunc coram Dei, & Angelorum conſpectu, & ſuo tempore in extremo judicio conteſtaturos, ſeſe non ſolum omnia ſua diſcrimini offerre, ſed etiam cum uxoribus & liberis mori paratos fuiſſe, ſi ſciviſſent è re Regis & patriæ fore, nec pietas & fas naturæ à tam crudeli & furioſo inſtituto eos abſterruiſſent: ipſosqve non ſperare; Regem ipſum hujusmodi conſilium approbaturum. qvi verò in culpâ hujus jacturæ fuiſſent, Deo aliqvando rationem reddituros eſſe. Qvum igitur cives Rigenſes extrema neceſſitate compulſi fuiſſent hoc facere, ad qvod jura divina & humana naturæqve vinculum eos obligaſſent, & laudanda aliarum civitatum ac populorum exempla invitaſſent, ipſos R. M. ſupplices rogare, ne cauſam hujus facti ipſis adſcribere velit, ſed inevitabili providentiæ Dei, in cujus manu fata civitatum & imperiorum ſint, ad eumqve potius ſcopū conſilia ſua dirigere, ut immerentis ſangvinis dudum in cœlum clamantis profuſioni, vaſtationi & direptioni urbium ac provinciarum & oppreſſioni populorum tandem finis imponeretur, & optata pax aliqvando ſeriò reſtitueretur. Alioqvin cœlum & terram adverſus oppreſſorum vim teſtes fore, & iram Dei in auctores exarſuram. Certum eqvidem eſſe, totam Livoniam ſangvinis effuſi defatigatione, tædio & deteſtatione duci. Precari deniqve Regi Poloniæ contra barbaros ſuos hoſtes ſucceſſum & victoriam, & ſe ſuamqve innocentiam Regiæ clementiæ commendare. Rigæ a. d. XX. Sept. Ad has Rigenſium literas ita reſpondit Princeps Chriſtophorus Radzivil: Poſt-

qvam

qvam de urbis eorum Rigæ deditione primum ex communi rumore, dein ex ipſorum literis ad Regem Poloniæ cognoverat, ſibi hoc ut maximè alienum obveniſſe: non qvidem qvaſi regno Poloniæ hujus urbis jacturâ irreparabile detrimentum allatum eſſet, ſed qvod jam velut ob oculos ipſi verſaretur ingens malum & exitium, qvod ſibi liberisqve ſuis conſciviſſent. Se qvidem commiſeratione eorum affici, qvi hactenus eorum amicus fuerit. Sed experturos demum, qvid in eo habuerint, poſtqvam Regis atqve ita qvoqve ejus amici eſſe deſierint. Interim audituros, qvid de hoc eorum facto judicetur. Hujusmodi urbem, qvæ in ſummo fortunæ flore ſtaret, qvæ omnium rerum copiâ circumflueret, qvæ armis optimè inſtructa prope ſpem auxilii ac liberationis eſſet, hoſti cives absqve neceſſitate tradidiſſe, atqve ſic oblitos fuiſſe jurisjurandi fideiqve, qva Regi Regnoqve Poloniæ devincti eſſent. Comperturos ipſos, qvid hæc inconſulta eorum celeritas effectura ſit. Primò qvidem non abs re eſſe, qvod ſubſidium deſiderarint. Sed illis auxilium in comitiis promiſſum, & ſub belli primordia tranſmiſſum fuiſſe. qvod etſi ſerò advenerit & infirmius fuerit, non ideò famâ differendos eſſe Polonos, & hominibus ſuſpectos reddendos, qvaſi deſeruiſſent Rigam; qvum iſtius moræ culpa non in ipſis fuerit, & civitas obſidionem usqve ad auxilii adventum tolerare potuerit. Præter hæc iſtam cunctationem primò hoſti imputandam eſſe, qvi Rigenſium delegatos ſpecie induciarum circumvenerit, atqve interim per tres integros annos ſe adverſus Polonos armarit. Dein illis qvoqve acceptam referendam eſſe, qvi, ut ferunt, pravis ſuis conſiliis cauſam moræ præbuerint. Qvum ergo culpa in illis reſideat, qvi Polonis pacem perſvadere voluerunt, injuriâ ſibi imputari, qvi ab iſtis deluſi ſint. Ad hæc vigeſimo obſidionis die Rigenſes ſigna Radziviliana in campo conſpexiſſe volitantia. Sed prætexere eos, copias iſtas numero inferiores, hoſtem longè validiorem fuiſſe. Hinc patere, ſpem & fiduciam ſuam eos in multitudine, nec ope Dei & bonitate cauſæ collocaſſe. Qvoties Poloni hunc hoſtem, & qvidem in hac cauſa, exiguis viribus fuderint, in comperto eſſe. Juſtum Deum ſæpe manifeſtis documentis oſtendiſſe, ſe Polonorum cauſæ contra iniqvam vim favere. Qvod ad ipſum attineat, voluntatem ſibi non defuiſſe, ſi modò occaſio nuper ad Dunam cum hoſte confligendi ſe obtuliſſet. Qvamvis tunc lethali ferme morbo correptus fuerit, vitam tamen libenter pro illorum ſalute profuſurum. Ipſos non ignorare, bellum à multis retrò annis in his provinciis parva manu contra hoſtes geſtum eſſe. Prætexere illos inſuper, conductorum militum in ipſorum præſidiis tam paucos fuiſſe; qvod ipſe non

non admirari non poſſit, qvum hanc impreſſionem hoſtilem jam dudu[m]
præſciverint & exſpectarint. Cur ergo tam malè ſibi diſpexerint? qvu[m]
tamen aliqvando pacis tempore majus præſidium in Urbe habuerint. No[n]
inficias ire poſſe, qvod eqvites eis transmiſerit. Virilem animum ade[o]
cecidiſſe Rigenſibus? ut urbem ſuam etiam absqve conductis militibus a[d]
unum menſem & octiduum adverſus hoſtem tueri non poſſent: An ex-
empla deeſſent plurimarum urbium qvæ ultima pati, qvam hoſti ſe trade-
re maluerunt? qvanam penuriâ laboraſſe? qvum urbs abundè commea-
tu inſtructa fuerit. Num opem Regis deſperaſſent? Qvum tamen per i-
pſorum nuncios ipſis ſignificarit, eo conſilio urbe ſe deceſſiſſe, ut reliqva[s]
copias ex Regiis caſtris propediem adventuras cum ſuis cohortibus con-
jungeret, atqve ipſa re ills ſubveniret. Illos verò ejus adventum non ex-
ſpectaſſe, ſed qvum non amplius eum in conſpectu haberent, ſibi perſvaſi[s]-
ſe, qvaſi nihil eorum cauſa facturus eſſet, inde cum hoſte pactos eſſe, ipſ[o]
inſcio. Scribere eos, ex qvo turres ſuffoſſæ fuiſſent, veritos eſſe, ne cuni-
culis incenſis ingentem ſtragem daturæ eſſent. Eos igitur ſolos tam impe-
ritos fuiſſe, ut neſcirent qvomodo in adverſum cuniculi obmoliendi eſſent:
aut foſſores defuiſſe in Urbe, qvæ tot inutiles homines ferat? Num poſt eli-
ſam cuniculis murorum aut propugnaculorum partem oppugnatio ali-
qva repreſſa fuerit? Tandem qvum ad extrema res venire viſa eſſet & ani-
mum deſpondere cœpiſſent, num impoſſibile fuiſſet, ipſum qvi paucis mil-
liaribus urbe abeſſet, ejus rei certiorem facere, qvi paratus eſſet huic igno-
miniæ & jacturæ vel vitæ ſuæ periculo prævertere. Celebrare eos inſignem
victoris clementiam, ſe non invitum audiviſſe de eo tanqvam Chriſtiano
Principe: qvum per ſe non exigua virtus ſit. Si hoc, ut ſcribunt, verum
ſit, de qvo etiam non dubitet, malè eos feciſſe, qvi ante deditionem ita eum
reformidarint, ſed cavere ſibi monet de eventu. Qvàm citò Svedi Rigam
occuparint, tam facilè Polonos recuperare poſſe. Qvid tunc de illis futu-
rum, qvi fidem violarint? Interea validum præſidium eos alere cogi, mul-
ta aſpera ab eo pati, licet initio benè affectus eſſe videatur. Commercia
apud ipſos & victus commoda lapſura, urbem proſperitatis ſuæ florem per-
dituram, & forſan ægrè poſtea reſurrecturam. Ire jam eos jubet, & jacta-
re inſignia ſua ſcilicet erga Regnum Poloniæ merita atqve prædicare ſuam
erga Regem fidem: qvæ qvondam capitis eorum ſertum, nunc prorſus
marceſcat. Jam eundem erga Polonos affectum retinere, & glorioſum il-
lius fructum capere debuiſſe. Qvanto rectius illos feciſſe, qvi potius o-
mnibus relictis ad Regis Poloniæ tutelá confugere qvàm cum hoſte paciſci
malue-

maluerint. Adhortationem eorum ad pacem, non qvidem per ſe rejiciendam, partium tamen ſtudio duci; & parum hoc tempore, qvo bellum paſſim fervet, profecturam; niſi omnia in priorem ſtatum reponantur. Qvem enim Regi non ſummo vitio daturum, ſi hanc gravem injuriam, qva affectus ſit, qvando bello cum hæreditario Chriſtiani nominis hoſte diſtinebatur, inultam dimitteret? Sed utcunqve ſe res habeat, illorum qvidem eſſe pacem optare, non verò Regem & ipſum ejus admonere. Illos enim non neſcire oportere, ordinarium Magiſtratum à Deo conſtitutum auctoritate & libertate ſua pollere, cui nemo legem præſcribere qveat. Licet autem ita cum ipſo comparatum ſit, ut qvi juſtæ cauſæ confidit, non detrectet cum hoſte, ſi conſiſtere velit, prælii fortunam tentare; ut tamen illi & cæteri omnes intelligerent, pacem ipſi cordi eſſe, ſi adverſa pars Polonis de pace mentem ſincerè explicaret, ſe ex poteſtate à Rege ipſi ſuper hoc facta, nullius moleſtiæ tædio, qvod ad hujus provinciæ ſalutem faceret, ſedulò collaboraturum. Hoc reſponſi loco ad eorum literas dare voluiſſe, qvod ita accepturos eos confidat, ut ſcripſerit, ingenuo nimirum animo. Ipſos agnituros eum non ut hoſtem, ſed ut veterem amicum & fautorem eorum in hoc ſcripto: In qvo plus commiſerationis qvàm iræ, plus fidæ commonefactionis, qvàm ſeveræ comminationis eſſet. Se enim non aliter poſſe, qvin etſi rebus nunc ita comparatis, ſuam erga eos benevolentiam teſtatam faciat, ipſumqve male habere, qvod conſpicere cogatur, non tam domos, mœnia & turres, qvàm eorum antea ſpectatam fidem & virtutem, ab ipſo toties contra malevolos defenſam laudatamqve, nunc penitus humi ſtratam jacere, & à malevolentibus velut pedibus conculcari. Qvi ei hoc prædixerint, jam tanqvam in ſinu gaviſuros & ei illuſuros, qvod Rigenſium ſemper ex fide patrocinium ſuſceperit. Ultimo cives benè valere jubet & recipere veteres animos & affectum, atqve meliora ſapere. Rigenſes ad hoc reſponſum multa reponere, non operæ fore duxerunt; Inprimis ſcripto ante edito ſe ſatis purgaſſe, & neceſſariò facta ſe ipſa excuſare, exiſtimantes. Inde exactis Jeſuitis urbe, præſidiis firmata, Rex cum fratre ſuo Carolo Philippo atqve copiis militaribus Mithoviam, caput Semigalliæ & Ducis Curlandiæ ſedem, ſe confert eamqve tentat: qvod Dux ille Curlandiam à Rege Poloniæ beneficiariam poſſidens, partium Polonicarum erat. Urbem conditionibus cepit, ac poſtea Duci Curlandiæ, annuis induciis cum Rege Poloniæ factis, certis pactis (de qvibus in ipſis induciis) reſtituit. 1622 Anno priorem excipiente, in comitiis Holmiæ habitis, ubi Riga qvoqve per ablegatos ſuos Regi Sveciæ ſolenni ſacramento fidem & obſeqvium

ſuum firmabat; de belli Polonici, poſt brevem armorum qvietem, à finibus & provinciis Sveciæ avertendi modis & ſubſidiis actum eſt. Carolus Philippus Regis frater Narvæ 2. Januarii obiit. Rex Daniæ per agentem in rebus ſuis Petrum Galt apud Regem Guſtavum Adolphum expoſtulavit, qvod ejus ſubditi gravarentur vectigali pro iis mercibus, qvas à Svedis emiſſent. Ille verò immunitatem à vectigali, qvâ tam Dani in Svedia, qvàm Svedi in Dania fruebantur, volebat vi pacti etiam ad dictas merces extendi: ita ut Regi Sveciæ non integrum foret, in ſuum regniqve ſui emolumentum ac neceſſitatem propriis ſuis ſubditis, qvamvis volentibus, aliqvod imponere vectigal, niſi etiam dictæ merces immunes eſſent. Illud qvum ſuæ regniqve dignitati & uſui publico repugnare, nec ullo pacto niti Rex reſponderet: qvum pacta ſolùm Danicas merces in Svecia, & Svecicas in Dania, Norvegia & freto Sundico, vectigali eximerent; tamen Rex Daniæ à Sveticis navibus, fretum Öreſundenſe transeuntibus, vectigal, ut ante minatus erat, qvoqve exegit; donec Danis, qvod urgebant, relaxaretur, aut res ad compoſitionem deveniret. A Rege Guſtavo miſſus eſt ad Regem Daniæ Gabriel Oxenſtierna Legatus, de dicto negotio componendo, & ut ſimul deſideraret, ne Danus Polono tranſmittendi per fretum ſuum, copias, naves, arma, aut conducendi in Dania militem contra Svecos facultatem permitteret. His ita procedentibus, finis factus eſt comitiis, de qvibus paulò ante dicebatur. In illis decretum eſt *de bello in poſterum in Boruſſiam, adverſus Polonum iſtic ſe claſſe, qvâ Sveciam incurſet, armantem transferendo, ad commerciorum curſum, civitatibus hujus regni utilem promovendum, Rex publico interdicto vetuit cujuscunqve nationis peregrinis navigare ad illicitos portus, in freto etiam ad orientem verſus Revaliam; præſertim ad portum Nyenſem ſub publicatione bonorum.* Idem repetiit Regina Chriſtina anno 1638. ſubſidia qvoqve militiæ novo vectigalis genere augere Ordinibus regni placuit. Qvum enim tributum ex armentis & ſegete anno M DC XX. in comitiis approbatum, ut ante memoravimus, æqvius qvidem & toleratu facilius videretur: dum qvilibet pro modo facultatum illud præſtabat; tamen qvum ad tantas belli, qvod demenſo non veſcitur, expenſas haud ſufficeret, nec peræqvè ab egentibus, ut ditioribus in tempore pendi poſſe; in ejus locum viſum eſt, præter portorium, conſtituere, primò non parum reclamantibus regni Ordinibus, tandem communi conſenſu vectigal, regno Sveciæ antea inuſitatum, qvod *Acciſum* vulgò vocant, more aliorum populorum rebus qvæ uſu conſumuntur, & maximè ad cibos ac potum pertinent, impoſitum. qvod civibus & plebi minori credebatur

oneri fore: dum ipſæ res vendendæ & emendæ vectigal, inter plures diviſum, præſtant; majori verò publicæ rei emolumento futurum: qvum nullus cujuscunqve loci & ordinis hic exemtus ſit; atqve ſi bona fide recteqve adminiſtretur, non exiguam vim pecuniæ fiſco regio illaturum ſit, & poſtqvam uſu invaluiſſet, alia extra ordinem onera vel per omnia ſublaturum vel imminuturum, uti Rex promiſerat, ſpes erat, de qvâ re conſtitutiones Regiæ hoc & ſeqventi anno publicatæ ſunt. Inprimis ut eò plus apud populum valerent & inviolabiles eſſent, edictum Regium & diploma promulgatum eſt, ut qvi inſpectores dicti vectigalis eorumqve miniſtros, in Regis patrocinium receptos, contumelioſis verbis, aut famoſis ſcriptis, plagis aut verberibus exciperent, vel aliud qvid violenti illis inferrent, poſt præmiſſam rei cognitionem & ſententiam, tanqvam pacis publicæ & interdicti Regii violatores, capite plecterentur. De illis etiam, qvi publica conducerent & redimerent qvos Latini *publicanos* vulgò *Arendatores* nuncupant: qvod ea res præſenti pecuniæ faciendæ non parum ſerviret, edictum Regium editum eſt; in qvâ tam conductoribus qvàm agricolis, qvando, ubi, qvid & qvomodo illi absqve injuria ab his exigere, hi dependere deberent, præſcriptum & præfinitum erat; ne neutri fraus aut publico fieret. Hic annus inclaruit natalibus Caroli Guſtavi, poſtea Regis
Sveciæ, Nicopiæ a. d. IIX. Novembr. in lucem editi. Dum Sigismundus in 1623
Polonia coactas copias & Gedani claſſem armat, qvibus Sveciam invadere conabatur, ut ante memorare cæperam, Guſtavus eum ſua claſſe LXVI. navium celeriter prævertitur; qvam ad portum Gedanenſem collocans, Sigiſmundi conſilio & Gedanenſium molitionibus occurrit. Cum Polonis tamen & Gedanenſibus, ſe qvieturos, fidem dantibus, induciæ vel ceſſatio armorum ad Mithaviam cæpta, ulterius ad biennium ferme prorogata eſt: ut interim de pace commodius inter Svedos & Polonos ageretur. Inter has tam arduas belli meditationes, tamen Rex animo non dimiſit curam Academiæ Regiæ Upſalienſis, literarum divinarum & humanarum,
Eccleſiæ ac Reipublicæ ſalutarium, officinæ. qvam ut amplificaret, & 1624
juſto Profeſſorum numero augeret, præter immunitates ei conceſſas, trecenta ſex prædia & octo granaria decimarum, præter fundos triginta, molas farinarias qvatuor, ex qvibus annuos fructus & proventus Academia ad alendos Profeſſores & egenos ſtudioſos perciperet, ex propriis bonis hæreditariis in perpetuam poſſeſſionem Academiæ, Regiâ ſanè munificentiâ donavit. Præterqvam qvod anno 1632. Academiam Dorpatenſem in Livoniâ per Johannem Skytte provinciæ iſti tunc præfe-

præfectum fundari & aperiri curavit. Induciis, de qvibus paulò ante, inter Svedos & Polonos factis convenit, ne bellum prius ab alterutro inducias ulterius tenere nolente, moveretur, niſi præmiſſa ejus denunciatione duobus ante primum Junii anni MDC XXV. diem ad qvem otium armorum productum erat menſibus: ne alter alterum inopinatò peteret. Poloni, *indictionem belli, exſpirantibus induciis, non in tempore à Svedis ex convento præmiſſam eſſe*, expoſtulabant. Svedi regerebant: *Se ſatis in tempore ſcripto ſignificaſſe, ſed qvod tabellarius in itinere propter anni difficultates aliqvantum detentus ſit, id prohibere eos non potuiſſe. Regem Sigismundum & Polonos, tanto annorum ſpatio, toties repetita armorum qviete, verbis pacem, re bellum oſtentare, neqve legitimo modo ad juſtam & ſinceram amicitiam amplectendam accedere. Delegatos ultra annum fruſtra expectatos ad agendum de pace ſerò mittere, miſſos ſufficienti mandato non inſtruere; cujus tantam ſpem Poloni in congreſſu inſtituendo fecerint. Qvod autem inter tractandum, ab armis hoſtem ſuum ceſſare velint, id à Polonis nulla ratione poſtulari, à Svedis concedi poſſe: qvum Rex Sveonum toties deluſus, & in hoc conventu nihil non ſuſpicatus, ſibi cavendum ducat; ne, ſi integris induciis nihil hoſtile fecerit, nunc exeuntibus iisdem, tale qvid patiatur. Qvid enim magis abſurdum, qvàm inermem de pace cum armatis agere? niſi conſtet arma qvoqve ab adverſa parte deponi. Nec novi qvicqvam eſſe, inter arma cum hoſte de pace tractari, ſi omnium temporum hiſtoriæ excutiantur. Ipſos adeò Polonos ad Mithoviam tertio abhinc anno, ipſo induciarum tempore, trajecto ſine omni cauſa trans Dunam exercitu, caſtra ſua in conſpectu propemodum Sveonum collocaſſe, nec ullis rationibus ab hoc conſilio dimoveri potuiſſe. Accedere, qvod tempus, omnium rerum pretioſiſſimum, & occaſiones rei gerendæ ſemel elapſas, cum impenſa facta, nemo illis reſtiturus ſit. Obſtare qvoqve non pauca Mandati vitia: Regem enim Sigismundum in ſuis Mandati literis Regni Sveciæ titulum uſurpare: juſti belli cauſam, de Regno, ut vocat, ſuo hæreditario, & Livoniæ provinciâ prætexere; inducias pactas jactare, ut Svedis reſipiſcendi ſpatium ſit; Sveticos delegatos ſolùm nominare, nulla facta mentione Regis; à qvo tamen omnem ſuam poteſtatem haberent; alia deniqve, præcipuè reſervationem juris in regnum Sveciæ & Magnum Ducatum Finnoniæ, velut inſtituendæ tractationi obſtrepentia & ſpem omnem boni eventus præciſura, admittere non poſſe. Hinc utiqve patere, Polonicorum delegatorum mandata ea fide ac ſecuritate non eſſe concepta, ut vim armorum Regis ſiſtere qveant. Ipſos tamen perſvaſiſſe Regi ſuo, ut ejus delegati cum Polonicis congrederentur, acturi de his ulterius, & recognituri alia eorum mandata; ut ſi ea votis Sveticorum reſpondeant, nec ſecretior poteſtas aut inſtructio avertat, nulla occaſio ſiſtendi ſangvinis humani & reducendæ tranqvillitatis atqve*

amici-

amicitiæ negligatur. Si ergo placuerit ipſis ſecum certo loco convenire & de his aliisqve conſilia in medium conferre, præſto ipſos futuros ad tractum Dunenſem prope Rigam, die ab ipſis condicendo. Ad hæc delegati Polonici reponebant: *De pace non poſſe pacatè agi, niſi qvieſcentibus armorum injuriis. Qvæ enim de pace actio inſtitui poſſet, ſi bellum, rapinæ, incurſiones, qvæ pacis fundamenta convellere ſolent, non ceſſaverint?* Regni Svetici Cancellarius Axelius Oxenſtierna, qvi regio nomine caput tractationis erat, contra hæc: *Arma ob ante allatas cauſas ſeponi non poſſe, niſi prius conſtiterit de eventu congreſſus utriusqve partis delegatorum. Eò tamen flexum eſſe Regem, ut arma ſua, qvæ nunc contra Lithvaniam ſumere cogitet, protellere decreverit, donec utrimqve delegati ad finem Auguſti congreſſi, qvæ ſit rerum tractandarum facies inpoſterum futura, inter ſe conſtituerint. Verum qvùm huc ſit progreſſus, ingentesqve ſumtus fecerit, nec militem ſuum in hoſtili ſolo otioſum absqve ſummo ſuo detrimento tenere poſſit; primò Livoniam hac armorum ceſſatione comprehendi nolle, qvum plurima iſtic loca jam obſidione cincta habeat, nec incerto compoſitionis eventu ejus occupationem intermittere poſſit. Deinde ut certi reditus & fructus ex propinqva Lithuania & Curlandia exercitui Svetico, loco alimentorum, dum tractatur de pace, ſubminiſtrentur. Ne deniqve miles Polonicus propius, qvam ad decimum lapidem, caſtra Svetica qvæ Ratzovilitki ſint, adducatur. Æqvum enim eſſe, ne votis Polonorum accedendo & tempori cedendo, idipſum ſe accommodantibus & cedentibus fraudi ſit.* Cæterum ad hæc nihil à Polonis reſpondebatur, niſi ut inducias ſervari, armis abſtineri vellent, dum negotium pacis tractaturi eſſent. Pacis ergo, vel longiorum induciarum ſpe fruſtrante, ut ex publicis anni MDCXXV. & MDCXXV. Actis à Cancellario Regni juſſu Regis editis liqvet, & per inducias Sigiſmundo cōmoda temporis captante, interim calumniarū ſatis in Regem & gentē Sveciæ jaciente, Guſtavus novas vires, ab Ordinibus Regni, etiam duplicato ex pecoribus tributo decretas, & arma, non calumnias promit: virorum eſſe judicans; ferro non verbis aut probris in bello dimicare. Actum qvoqve eſt de controverſia inter Reges Sveciæ & Daniæ componenda, qvæ erat de vectigali navium, de qvo ſup. ad annum MDCXII. dictum eſt, & niſi compoſitio ſubſeqveretur, Guſtavus non obliqvè ſignificavit, ſe cogi regiam ſuam exiſtimationem, & injurias ſubditis ſuis in freto Öreſundico illatas armis vindicare. Hoc potuit tantùm, ut transactio mox ſubſeqveretur. In comitiis Holmiæ inter Ordines Regni convenit, *de perpetuo milite ſubſidiario, adverſus vel dubios vel ſubitos rerum caſus pace militiaqve habendo. Ut autem eò commodius aleretur ac ſuſtentaretur, præter alia adminicula jam ante approbata, etiam certum & definitum* 1625

vectigal pro frugibus molâ frangendis eâ causâ pendere conſenſerunt: quod egentioribus, qui pauciora ditioribus frumenta molenda haberent, minori oneri fore exiſtimabatur. Anteqvam verò lex in hanc rem promulgabatur, ſubditi promittunt ſummam pecuniæ, ad neceſſarios belli & claſſis militaris uſus interim expendendam. Sic denuò armis accinctus Guſtavus cum LXXVI. navium claſſe in Livoniam revertit: ut pacem, cujus cauſa bellum gerebat, vel inter arma qværeret. In terram exſcendens, tam felici ſucceſſu utitur, ut Kokenhuſam, Selburgum, Duneburgum, Nidorpium, Dorpatum, præſidiis Polonicis inſeſſa loca (præter Parnoviam antea occupatam) totamq; fermè Livoniam brevi temporis curriculo in poteſtatem ſuam redigeret. Inſidiæ Polonici tribuni, Rigæ proditionem agitantis, interceptis ejus literis & DC. Polonicorum militum, Rigam tendentium, cæſis deteguntur & avertuntur. Sapieha junior cum ſuis copiis Regi Guſtavo, ſed incompoſitis Ordinibus occurrens, ſubitò circumventus cæditur, ingenti curruum numero & aliqvot tormentis amiſſis. Sed ut ipſi Polonici ſcriptores fatentur, ætate incautior, rerum militarium adhuc imperitior, & adventum hoſtium non ſatis edoctus erat. Inde Guſtavus pergens, ponte per Dunam ſtrato, Lithuaniam & Semigalliam fluvio diviſas ingreditur, & Poſvoliam Coſaccorum, Svedos perſeqventium receptaculum diripit, in Lithuaniam ſibi viam aperit, dum Birſas, inſigne iſtic munimentum, cum ſexaginta (qvidam LXX. habent) tormentis occupat. Inter iſtæc unum erat, inſigni artificio fuſum ut tanqvam ruptum & funibus circumligatum, videretur. Rex per Curlandiam & Semigalliam regreſſus, Mithoviam, Bouſchiam aliaqve loca vi vel arte capit. Hæc tam proſpera licet Guſtavo, & adverſa Sigiſmundo evenirent, tamen Guſtavus pacis negotium urſit: ne ſua proſperitate luxuriare, & tempus, qvo magis dare qvàm accipere leges pacis poſſet, intermittere videretur. Eo animo delegatis Polonicis diploma ſecuritatis præſtandæ dat; cum qvo Cancellarius ſubdelegatos ſuos Arvidum Horn & Johannem Salvium ad eos mittit: qvi cum illis de loco & tempore congreſſus, atqve ſi Poloni feriò rem agerent, de armorum depoſitione colloqverentur & convenirent. Sed ſubdelegati in itinere à nonnullis Coſaccis intercepti, ſpoliati & abducti ſunt. Cancellarius *in illis abreptis jus gentium & fidem publicam violatam eſſe* expoſtulans, eorum reſtitutionem poſcit, ſi pacis negotium tutò & cum fructu provenire debeat. Radzivil negat *contra jus gentium hic qvicqvam à ſe commiſſum eſſe, ſed incuriâ ipſorum ſubdelegatorum hoc accidiſſe* contendit: *dum ſemotis deductoribus, nullâ fide publicâ muniti & longius digreſſi, claſſico etiam tanqvam hoſtes ſe teſtati,*

errore

errore militum Coſaccorum capti atqve abducti fuerint, propediem tamen eos reſtitutum iri; Cancellarius in reſponſo ſuo regerebat: *deductores remotos fuiſſe non culpa ſubdelegatorum, ſed qvod comitari eos ulterius nollent: ut id ex compoſito factum ſuſpicari liceret. Signum verò tubâ datum pro claſſico accipi, ſe mirari: qvum eo modo ſe potius caduceatores, qvàm hoſtes, more gentium conſveto, profeſſi ſint. At ſi nimia candoris ipſorum fiduciâ erraſſent, Coſaccos hoſtes à violandis Sveticis ſubdelegatis vel id abſterrere debuiſſe, qvod Cancellarius & collegæ ejus primi à Polonicis delegatis ac ſæpius ſollicitati, eandem fidem ac ſecuritatem Sveticis ſervatum iri, qvæ Polonicis præſtita fuiſſet, ſibi perſvaſum habuerint.* Humanius tamen à Radzivilio habitis & libertati reſtitutis ſubdelegatis, qvum de negotio pacis inter delegatos utrimqve literis & verbis incaſſum decertatum fuiſſet, res ad arma rediit. Noſtrates cum Lithuanis in Semigallia ad Walhoviam in patenti campo, qvo ſe maximè hoſtes jactabant, congreſſi, ſingulari prudentia & virtute eximia ſummam rerum Rege adminiſtrante, inſigni prælio eos ſuderunt. Hujus victoriæ plenior commemoratio ſcriptorum incuriâ intercidit. Qvamvis autem vires hoſti non deeſſent: dum in acie Polonica IV. cohortes Coſaccorum, duæ turmæ eqvitum & VI. ſigna peditum Germanorum, XIV. ſigna Huſſarorum & III. Heiduccorum ſtabant, ſupremo duce Sapieha; tamen Svetici, qvorum dextrum cornu ducebat Comes de Turn, ſiniſtrum Guſtavus Horn, præter Sigiſmundum Platonem & Maximilianum Teufel, poſt acrem conflictum, paucis Sveticorum deſideratis, victoriâ potiti ſunt. Sed ne ſic qvidem Polonis ad æqvam pacem proclivioribus, Rex eos propius aggrediendos eſſe putavit: ut non modò hoſtem à patriæ finibus, qvibus minabatur, longius arceret, ſed etiam bello res Sveticas ſecundante, pacem hoſti vel longiores inducias extorqveret. Proinde viginti ſex millibus virorum armatam & annona bene inſtructam LXXX. navium claſſem in Boruſſiam adducit. Pillaviæ portum, tanqvam fidei pignus à Brandenburgico qvieturo, ipſi permiſſum, nemine renitente intrat, tormentis etiam ſolo nitrato pulvere oneratis, qvaſi adventum gratulantibus, ſalutatur. Poſt paucos dies caſtellum ibidem capit. A Gedanenſibus vectigal, XXX. pro C. ſibi pendendum, hoſtis cogendi cauſa, ad Pillaviam Guſtavus exigit; Brunsbergam & Frawenburgam expugnat. Brunsbergâ Jeſuitis pulſis, & Bibliothecâ eorum occupatâ, & Upſalienſi Academiæ dono miſsâ, Warmiam Ravensbergam vi vel conditionibus capit: qvum oppidanis ſubitus ac properatus Regis adventus, ac repens ipſorum conſternatio omne reſiſtendi vel ſpatium vel animum abſtuliſſet. Poſt hæc Elbingam adortus eſt. Ubi cives ſe ad-

ſe ad defenſionem parabant; Conſul & præcipui ſenatorum Urbis Reg. extra portam ſe obvios dantes, Urbem ei tradunt; benigna qvæqve ſibi de tam clementi qvàm ſtrenuo victore pollicentes, ipſâ re experiuntur. Accipere tamen Regia præſidia, & direptionem Urbis pecuniæ atqve aliqvot tormentorum impenſâ avertere illis neceſſe fuit. Poſtero die Mariæburgam qvamvis ſatis munitam, præſidio & commeatu valentem, deditione, & ingentem prædam occupavit. Inde Stumam, Chriſtburgum, Wormitam, Brodniciam, majorem & minorem inſulam (Werderam vulgo vocant) qvam Viſtula cum Nagotho fl. ambit inexpugnabili virtute & vigili induſtriâ ſub poteſtatem ſuam redegit: dum à Sigiſmundo agendi tempus conſiliorum & expeditionis morâ atqve ducum Polonicorum æmulatione trahebatur. Succeſſus Regis Guſtavi Magni hæc à nonnullis ſcriptoribus Polonicis additur cauſa, qvod Guſtavus Polonos campeſtribus adſvetos præliis, muniendis & oppugnandis urbibus, caſtris ponendis, excitandis propugnaculis, & qvidem ſuo milite, tutis incluſo receptaculis, attereret & frangeret. Qvia verò maximè Regis intererat, ut liberum pro ſuis tranſitum ad neceſſaria in urbe Dantiſco emendum haberet, & à Gedanenſibus hoc expetiviſſet, maris aditum ingenti ad Urbem navi munivit. Ei licet tribunus Polonicus, in decem ligno onuſtis navigiis occultato milite, incendium meditaretur; tamen illud non ſucceſſit: dum, uno militum caſu qvondam glandem plumbeam emittente, dolus iſte patefactus, & excusſis in eos à Svetico præſidio tormentorum globis, Poloni haud levi cum clade, ſed majori irritæ rei pudore, depulſi ſunt. Rex verò ad Dirſchaviam Viſtula ponte ſtrato, ab utraqve fluvii parte pro libitu progreſſus eſt: Dirſchaviâ valido caſtello, machinis & commeatu firmatâ. Comes Petrus Brahe tunc viginti qvatuor annorum juvenis, Regem comitatus cum paucis eqvitibus Smalandicis hoſtem expulit Guthſtadio, & ſarcinis exuit. Qvum Rex à Gedanenſibus poſtulata ultrò impetrare non poſſet, urbem propius accedens, *de vectigali à qvalibet navi pendendo, de ſervando ſe integros à partibus, de annona pro ære apud ipſos emendâ, de navibus Regis Poloniæ urbe amovendis ad* eos miſit. Omnibus conſenſere, præter ultimum caput. Qvum verò jactura tot urbium & caſtellorum altius in animum Sigiſmundi deſcenderet, creſcentem adeò Guſtavi fortunam & opes interpellandi ſiſtendiqve animo, copias ſuas triginta millium, ut volunt (etſi qvidam minores numero ponunt) tandem coëgit, & ad Graudentium caſtra locavit. Interim Gedanenſes Guſtavum ſpecie qvietis, & Legatis hinc inde miſſis, tempori callidè ſervientes, ludunt; donec Sigiſmundus cum ſuis copiis acceſſiſſet

ceſſiſſet

ceſſiſſet. Hic larvâ ſimulationis detractâ, ſe ei adjungunt, ejusq; fidem conſtanter ſeqvuntur. Poutzkam oppidum & arcem, in qva Guſtavus præſidia habebat obſidentes, eam in Poloni poteſtatem redactum eunt, & qvamcunqve poſſunt, hoſtilem vim exercent. At Sveci Dantiſcanos, hactenus neutras partes ſimulantes, nunc tanqvam hoſtes publicos, gravius infeſtant, nec exiguo detrimento afficiunt. Duodecim mille Poloni Mariæburgum tendunt, arte ſubitam incurſionem facturi in Svecos. Sed hi conſilio eorum comperto, in eos ſe effundentes, qvatuor mille ſtraverunt. Inde Mundæ caſtellum validis præſidiis munitum fruſtra attentarunt. Sigismundus autem motis caſtris conceſſit ad obſidendam Mevam, Pomerelliæ oppidum, ad Verſam fl. qvem Viſtula excipit, ſitam. Svetici Dirſchaviâ cum MMM. peditum & MD. eqvitum egreſſi, absqve tympanorum tamen & tubarū ſtrepitu: ut Polonos viribus ſuperiores inopinatò opprimerent, & Mevam hoſtili obſidione liberarent. At Polonis hoc detectum eſt, qvi in colle ad urbem caſtra metati, viam, qvæ ad illam ducebat, utrimqve vallo muniverant, ſex ad latera tormentis collocatis: qvibus acceſſum hoſtis prohiberent. Non exiguam utiqve noſtris ex iſto colle ſtragem dederunt. Proinde Guſtavus contra eorum impreſſionem qvinqve propugnaculis excitatis, ſuos explorare loci faciem, & ſi qva detur, aditum per avia qværere jubet. Reperta eſt ſemita vix eqviti pervia, qvæ ad montem ab hoſte inſeſſum ferebat. Hac Muſtenus cum aliqvot peditibus inedita eluctari, hoſtis molitiones inveſtigare, & qva ratione commodè repelli poſſet, conſpicere jubetur. Ubi oculis animoq; conſiderata Regi retulit, Rex ſuos ad collem, indicata ſemita, ſuperandum hortatur. qvod qvamvis arduum videbatur, tamen virtuti nihil impeditum, impigris nihil difficile fore, volentibus perſvaſit. Adſcenſum collis milites aggreſſi, dextra ramos arborū, qvæ montem & ipſos milites à conſpectu hoſtium tegebant, apprehenderunt; qvibus veſtigia pedumq; niſum juvarent; ſiniſtra arma tenuerunt. *Inter* primos, qvi montem aſcenderant, fuit Comes Nicolaus Brahe; qvem cum ſuis ſeqvebatur Hebron Scotus; Comite de Turn & Muſteno ductoribus. Qvum feſſi milites, paulum ſe qvieti dediſſent, alacriter ſuum iter peragunt; & cæſis obviis atqve excubiis, interiora montis penetrant, atqve jam non modò arma, ſed etiam ligones arripere cœperant, terram molientes ad aggere ſe muniendum. Interim egreſſæ Polonicæ copiæ, & inprimis Germani & Heiducci, levis armaturæ milites, occurſant Muſteno: qvi cum Svecis acriter dimicantes per duas horas, tandem ducentis ſuorū ſtratis, proripiunt ſe & refugiunt, fruſtra eos revocante Uladislao, Poloniæ Principe, Sigismundi filio. Sed illis

mox ſuccedunt Huſſari & Coſaçci, qvibus ne Comes Turenſis, viribus inferior, temerè concurreret, paulatim ad declivia montis deſcendit, fugam ſimulans; ſed commodiorem pugnæ locum ex occaſione qvæſiturus. Hoſtis id metum, qvod conſulto fiebat, ratus, clamore & ſolitis probris noſtros inceſſit: *Spurios & degeneres fugere, atqve, ut canes, ictus Polonicos declinare jactitat.* Sed noſtrates petulantia oris & vociferationibus Polonorum nihil movebantur. Rex enim hæc belli inania, clamores & convitia hoſtium, qvæ eos non occiderent, flocci pendere, primum eqvitum Polonicorum impetum, alios prætenſis fariſſis, alios pilis ſuillis (ſic ea nuncupabant, qvod cuſpide ferrata præfixa, rigentia & erecta, inſtar ſetarum horrerent) intrepidè excipere, ac rapidam eorum impreſſionem aut ſubitum ex fuga regreſſum conſtanter & maſculè ſuſtinere, plus facere qvàm clamare & jactare, manuqve non lingvâ certare docuerat. Itaqve in hoſtem ſtrenuè vadunt, ordines diſſipant, cohortes ſternunt, qvatuor millibus Polonorum, ut fama erat, qvingentis Svecorum cæſis, tribus ſignis captis. In primis hìc fortiter egit Comes Nicolaus Brahe: dum hoſtem in ſe ſuosqve magna vi ad latus collis irruentem, cum aliqvot CC. ſclopetariis Germanis repulit, aliqvot ſignis captis. Poloni deſtituti copia pulveris ſulphurei peritisqve ducibus, ut eorum hiſtorici teſtantur, noctu caſtris motis obſidionem ſolvunt atqve abeunt. Guſtavus autem Mevam liberatam victor ingreditur circa veſperam, Deo gratiis pro victoria actis, & inter alios Regi gratulante Sacrorum antiſtite Johanne Botvidi, Rex ejus prædicavit induſtriam ac pietatem: qvod qvum in fervore pugnæ cum hoſte eſſet, ille in collem cum ſuis ſeceſſiſſet, & pro felici rerum progreſſu Deum ſupplex oraſſet. unde Rex ad eum: *Non infeliciter adverſus hoſtem armis decertatur, qvum Moſes in monte precibus pugnat.* Hac clade perculſus Sigismundus, ut videbatur, pacem vel inducias Guſtavo, ſed absqve fructu, obtulit. Qvum enim deſignato utrimqve loco, de pace ſub dio colloqvium inſtituendum eſſet, tentoriis egreſſi delegati, nimia ceremoniarum cura, atqve honoris æmulatione, nec ſe invicem ſalutare, nec colloqvii copiam facere voluerunt; ſed ſe tacitè aliqvamdiu adſpectarunt; donec Schemuskius Polonus ſermonem primus ordiretur. De pace tamen conventum nihil, iniqvis prorſus & indignis conditionibus à Polono oblatis. Idcircò irrito iſto negotio, Guſtavus Dirſchaviam præſidiis & annona magis munivit: præſertim cum Polonis imminente Conitzpolskio; qvi licet illud caſtellum expugnatum accederet, tamen bis mille cæſis inde repellebatur. Putzkæ per inſidias nocturnas, & dein Mariæburgæ atq; iterum Mevæ recuperatione à Polonis tentatâ, fuſi illi,

fuga-

fugati, tormentis & ſpoliis exuti ſunt. Circa finem hujus anni (à d. VIII. Decemb.) Guſtavo Magno Maria Eleonora, Regia conjunx peperit CHRISTINAM, Filiam unicam ſuperſtitem, Principem Regni hæreditariam & poſtea Reginam. Seqventi anno Guſtavus exſulibus & oppreſſis ob religionẽ Ger- 1627
manis & aliis tutum refugium in ſuum Regnum & receptum publico diplomate patefecit & ab oneribus publicis immunitatem illis promiſit, qvamdiu non civili victus & qvæſtus genere uterentur: inſigni ad famã benignitatis & humanitatis Regiæ erga publicam Chriſtianorũ calamitatẽ fide, nulloq; non Regni ſui incremento. In Comitiis Rex Ordinibus Regni pacis conditiones, qvas Poloniæ Regi ac Reipub. nuper in Boruſſia ut offerrentur fecerat, deliberandas dedit. *Qvas illi æqvas cenſuerunt, eòqve Regi auctores fuerunt, hoſti non ultra concedere: ne, qvi fraude agere videretur, plus obtinendo, nimis animis creſceret & ne Rex ac Regnum deſtituiſſe viderentur illos, qvi cum omnibus ſuis fortunis ejus fidei ac tutelæ ſe commiſiſſent: neu pro omnibus impenſis & victoriis, ullum alium earum fructum, qvàm indignam ac inſidioſam pacem, capere neceſſe haberent. Si igitur oblatæ conditiones locum apud hoſtem invenire neqveant, ſatius eſſe bellum, eventu ejus divinæ providentiæ commiſſo, perſeqvi, ad hoſtis elatos ſpiritus reprimendum; ſpe haud dubia, Deum porrò, ut hactenus, illud ad felicem exitum perducturum. Qvum verò ſatis didicerint hoſtis animum, ipſum non parum ſpei de ſucceſſione Regni Svetiæ in obitu Guſtavi Adolphi ponere; denuò hæreditarium ſucceſſionis Regiæ jus in Chriſtina Regis Guſtavi filia confirmant. Ad belli verò expenſas, præter antea approbatam contritionem, promittunt ſubſidium nummarium pro ſingulis capitibus pecoris præſtandum: &, qvod omnia tributa ſuperabat, vitam ac corpora pro Regis ac patriæ ſalute tuendâ.* Semel hîc dicam, qvod ſæpius admirari ſubiit: Comitia, qvæ plurimis in locis ſæpe magnis certaminibus convenientium agitantur, in hoc Regno, præſertim tempore belli ferme anniverſaria, & qvæ in illis impenſa militiæ poſcebatur ſubinde atq; augebatur; miles toties ſcribendus; claſſis vel exſtruenda, vel reficienda, vel armanda; & alia ad belli apparatum facientia, tantâ animorum conſenſione & tam cordatè inſtituta ac confirmata fuere: ut juſtum Regis deſiderium, ac promta civium voluntas, amicâ ac gratâ conſpiratione coaleſcerent. Qvid mirum, qvum pro tanto Rege & defenſione patriæ ſumptus iſti fierent? qvæ duo longè pluris eſſent, qvam fortunæ omnium. Et qvid facultatibus ſuis hîc cives parcerent? qvũ Rex ne qvidẽ ipſe vitæ ſuæ pro civibus & patria. Hæc tanta imperantis & populorum benevolẽtia animorumq; cõjunctio res domi maximè corroborabat, foris feliciter provehebat. In dictis comitiis qvoq; de inſtituenda

 ſocie-

ſocietate & navigatione ad Indiam occidentalem, de qva jam anno M DC XXV. actum, & qvæ conſilio Wilhelmi Usling Belgæ Regi perſvaſa erat, ulterius conſultatum & decretum eſt: qvum viſa eſſet ad propagandam inter barbaros religionem, ad commercia excolenda, præcipuè nervum belli & opes Regni augendas, atq; onera publica civium levanda non parum conferre poſſe. In hanc rem ab Ordinibus Regni approbata, & à plurimis collata pecunia eſt. Non tamen ex ſententia progreſſum res habuit: navibus Sveticis eâ causâ inſtructis atq; expeditis in itinere ab Hiſpano, in Cæſaris ac Poloni gratiam, & per adminiſtratorũ incuriam attentis. Etiamſi verò illud, præter alia onera, gravius non paucis accideret; hoc ipſo tamen levius erat; qvod in uſum publicum ac militiæ iſta pecunia poſtmodò converteretur. Altera expeditione Guſtavus in Boruſſiam reverſus propugnaculum Dantiſcanum in Werdera exſtructum trajecto cymbis Viſtula, prope illud qvod *caput* vocant occupatum ivit. Sed glandibus plumbeis ventrem transverberatus, qvod lethale vulnus eſſe putabat re infectâ inde diſceſſit. Sed alibi, uno die duplici victoria potitus eſt, hoſte munimento Kesmarchia excuſſo, & Polonis ei opitulaturis, ad Grebinum diſſipatis ac cæſis. Præterea Polonos periculum aciei cum Svetico eqvitatu facere deſiderantes & impreſſionem in caſtra Svecorum ad Dirſchaviam molientes, ita eqvitum ſignis excepit, ut pedeſtrium copiarum, anteqvam eis eqvites ſuccurrerent, ſuis copiis circumfuſarum non levem ſtragem ederet, eqveſtres verò ſupervenientes noſtris longè validiores, non tamen absqve ſuorum & proprio ſangvine, intra ſtativa ſua compelleret. Haud dubie, ut periti ex animo & ſucceſſu Regis judicabant, eos vel occidione delere, vel perſeqvendo ſpargere potuiſſet; niſi vulnus regium ab hoſte acceptum; dum in colliculo caſtra hoſtilia conſiderat, remoræ fuiſſet. Qvum Regem ſaucium ex officio Regni Cancellarius Axelius Oxenſtierna aliiqve amici rogaſſent & decenter monuiſſent, *ut ſaluti ſuæ magis conſuleret; nec tam manifeſto diſcrimini caput ſuum offerret: qvod ſi caderet, omnium periculum & jacturam fore;* Rex eos benè ſperare juſſit: *Dei potentiam, ſe extincto, non imminutum iri. Has partes à Deo ſibi creditas, per formidinem non ſubterfugiendas, aut ignaviam deſerendas eſſe. Sibi eqvidem nihil majori decori fore, qvàm pro gloriâ divinâ, pro patriâ ſuâ, etiam cum capitis atqve vitæ diſcrimine, arma ferre.* Medicus regius accitus, ut vulnus conſideraret; qvum præter alia, ſe vitæ Regis, niſi ſibi in poſterum caveret, timere ſignificaſſet; Rex erecto & læto vultu illum adſpiciens, *ſuam non alienã rem agere* noto proverbio juſſit: *Ne ſutor ultra crepidam.* Qvum Chirurgus glandes corpori infixas extrahere nõ poſſet; *hæreant*, inqvit Rex, *non degeneris vitæ monumẽta, magnus*

Regem decet animus in corpore non effæminato. Majorem tamen Regi ægritudinem & aliqvam rebus moram injecere auxilia Regi Poloniæ à Cæſare ſub ipſius ſignis, & ductu Adolphi Holſatiæ Ducis, miſſa. Interea dum Rex curando vulneri vacat, Comes de Turn ad caſtellum in finibus Poloniæ tumultuariâ operâ excitatum, ſuffoſſum & pulvere nitrato repletum, aliqvot mille, ut ferunt, Polonos terroris & fugæ ſuorum ſpecie illectos, cum iſto caſtello incenſo in ſublime eliſit & diſperdidit. Rex Guſtavus tertiam in 1628
Boruſſos expeditionem parans, Holmiæ prius edictum ad civitates Hanſeaticas publicavit, in qvo cujuscunqve conditionis mercatores monuit, conſtitutâ pœnâ publicationis bonorum, abſtinere omni navigatione & advectione rerum bello neceſſariarum ad Dantiſcanos, mare infeſtantes & Regi ſubditos ſociosqve perſeqventes, eòqve pro hoſtibus publicis habitos. Ne tamen exteris omnis commerciorum libertas, & Dantiſcanis reſipiſcendi ſpes occludatur, permittit illis, pro certo vectigali navibus regiis ad portum Dantiſcanum ſtantibus pendendo, aliarum rerum ad belli uſum non pertinentium commercia. Tempore verno cum triginta trium navium claſſe Guſtavus mare repetens, ſeptem Gedanenſes naves inter urbem & Weichſelmundam munimentum adortus, tres ex illis cepit, unâ depreſsâ, reliqvis diſſipatis. Unam, qvæ refugium in portum Colbergæ urbis Pomeraniæ petebat, Svedi eò perſeqvuti, ab urbe repetitum ibant. Poſtea qvatuor Polonicæ naves cum unâ onerariâ inciderunt in Sveticas; cum qvibus tam ſtrenuè decertarunt, ut claſſem perrumpentes, qvadraginta Svedorum cederent. At Svedi Gedanenſium caſtella vi oppugnantes repulſi ſunt, qvadringentis Svedorum cæſis, Comite de Turn vulnerato, & aliqvot centurionibus captis; Mevâ etiam atqve antea Poutzkâ, citra ſtragem Polonorum, amiſſis atqve ab hoſte recuperatis. Ad hoc ulciſcendum, Rex cum ſeptem millibus Dirſchaviâ in minorem inſulam Gedanenſem movens, illam aſtu intercepit: In qva præter ducentos cæſos, qvatuordecim (qvidam XXII. habent) tormenta ænea nactus eſt, unde vulgo jactum: Polonos in Mevâ recepta pagum, Svedos in inſulâ Dantiſcana plus qvàm urbem lucratos eſſe. Poſt hæc emiſit Rex Achatium Tott, Leſlæum & Sperreuterum, ut qvidam addunt, cum duabus turmis eqvitum & parte deſultorum, ad veſtigandam exercitûs Polonici ejusqve imperatoris Conitzpolskii ſtationem. Dum hoc agitant, à ſedecim eqvitum Polonicorum cohortibus ad Grebini ſilvam inopinatò circumfuſi, nullam ſe recipiendi facultatem habent. Unde præeunte Tottio, animis ex præſenti neceſſitate & virtute ſuâ ſumptis, in hoſtem acriter invecti, viamqve ſibi vi facientes, bis adverſa agmina perrumpunt,

atqve centum qvinq; Polonorum cæſis, qvatuor ſignis captis, incolumes in caſtra revertuntur. Propter hoc audax & animoſum facinus à Rege Tottius ſolenniter & in propatulo, ut res eſſet teſtatior & conſpectior, eqveſtri honore, digno virtutis ſuæ præmio, aliorumqve incitamento, ornatus eſt; nec præcipui ejus comites inhonorati dimiſſi ſunt. Hoſtibus verò propinqvantibus, & acie noſtros laceſſentibus, animo eos penitus debellandi; Rex ſuas copias, novem millium Anglorum & Scotorum acceſſione firmatas, ut numerum viginti qvatuor peditum, bis mille eqvitum & ter mille ſagittariorum explerent, in campum produxit. Dum verò utrinqve ſigna conferunt, Rex velitibus & levioribus præliis aciem & frontem Polonorum aggreſſus ac demoratus, interim delectis eqvitum peditumqve hoſtili tergo immiſſis, Ordines Polonorum diſturbat, & ter mille cæſis, ipſo Conitzpolskio graviter ſauciato, qvatuor tormentis campeſtribus, qvatuordecim ſignis interceptis, inſignem victoriam, etſi non incruentam, in caſtra refert. Inde Rex urbem Dantiſcum maritimâ & terreſtri obſidione cinxit, octo armatis navibus in mari excubantibus & tranſitum prohibentibus. Adverſus eas Dantiſcani decem militares naves emiſerunt, & poſt trium horarum prælium, in qvo etiam præfectus claſſis regiæ Nicolaus Stiernskiöld fortiter dimicans occubuit, qvatuor Sveticarum navium in fugam pepulerint. Præfectus verò navi proprætoriæ, miſſo in pulverem nitratum igne, potius ſe cum ſuis & navi flammis, qvàm hoſti tradere voluit. Prætoria navis à Dantiſcanis capta, & in eorum portum deducta eſt; non tamen inulta, præfecto claſſi Dantiſcanæ & qvadringentis militum fuſis. Rex auctis viribus duodecim navium claſſem ſub conſpectum & portum urbis denuò collocat; ita ut peregrinæ naves Dantiſcum cogitantes, permiſſo ab Electore Brandenburg. Regi Svetiæ Pillovienſi vectigali, Regiomontem divertere cogerentur: unde illa urbs commerciis crevit, Dantiſcum defloruit. Terrâ ſic Rex Gedanenſes preſſit, ut Schonecco & poſtea Marnevicia oppidis deditione occupatis, decem millium caſtris motis, palude ſuperatâ, & transvectis coriaceis tormentis vel machinis nuper inventis (qvæ exilibus circulis ferreis aut æneis compactæ, facile circumferri & decies minimum exonerari poterant) tres pontes nauticos fieri curaret, per qvos trajecto exercitu urbem è propinqvo in ſilva attentaret. Nec tamen interea mari ceſſavit, dum Polonicas & Gedanenſes naves ad Viſtulam ſitas ſubitò invadens, ingentem eorum navem, Hollandicam domû dictam occupavit, & poſt integri diei pugnam ex incenſo funiculo ſcintilla in pulverem nitratum temere decidens, Dantiſcanæ navis vectores & milites in aërem excuſſit,

[ac ter-

ac terrore reliqvas completas in fugam vertit. Prætoria navis, qvæ XL. æenea tormenta vehebat, pulvino inhærens à Svetica claſſe crebris ictibus perfoſſa deprimitur; damno ejus centum aureorum millibus æſtimato. Hoc & aliis incommodis, ex penuria victus metuqve rebellionis civium conflictati Gedanenſes, pacem per Regem Poloniæ deſiderabant. Poſtqvam autem Gedanenſes Wallenſtenio, qvi maris Balthici dominium nimis ambitioſo, vanoqve titulo ſibi arrogabat, novem naves in Pomeraniam, in mari Balthico adverſus borealia regna ducendas, ſubſidio miſerunt, Rex Daniæ & Svetiæ (qvi inter ſe temporarium fœdus defenſionis contra exterorum vim hoſtilem fecerant, hoc indignè ferentes, Gedanenſium aliorumqve ad eos iter deſtinantes hujusmodi naves publicationis ac direptionis pœnæ ſubjecerunt. Electori Brandenburgico Rex Guſtavus ſex menſium ſpatium dedit, ad deliberandum, num ejus aut Poloni partes ſeqvi vellet; clam tamen cum Guſtavo fecit. Poſteaqvum Sigismundum ipſi renunciatum iret beneficium fiduciarium aut feudum Boruſſiæ, & pro hoſte illum habiturus eſſet, niſi profeſſas ejus partes amplecteretur; ad eum ſe applicuit, & ſexcentos ipſi pedites auxilio miſit; ſed à Rege Svetiæ interceptos. Seqventi tamen anno induciæ, ejus induſtria qvoq; connitente, factæ ſunt. Ex denſa vi pluviæ Viſtula ita accrevit & ſe effudit, ut omnes pontes circum dejiceret, & ultra qvinq; mille Svecos in ſuis ſtativis vel invitos detineret ac includeret, graviqve fame adfligeret. Rex verò cum ſuis, qvæ ipſi ad neceſſitatem ſuppetebant, partitus, non ſolus conſumere ſuſtinuit. Qvum verò aqva decreviſſet, copias ſuas movens, obviorum Thorunium usq; urbem terrore pervagante, Neoburgum ad Viſtulam & Strasbergam ad Dribentium, deditione cepit, ingenti præda, Reginæ Poloniæ & nobilium theſauro ſex tonnarum auri iſtic recondito potitus eſt, cæſis à Rege hoſtibus. Dum verò Svetici milites in dictis locis prædationi nimis intenti ſecuriq; vagantur, Poloni eos in villa opprimunt & ad internecioné cedunt, reliqvis in urbe ſalutem pactis, urbem ſi dederent, promittunt. Dedentes ſe, omnes ad unum contra datam fidem & fas belli interimuntur. Qvod Rex inultum non abire paſſus, qvinq; tormentis bellicis, qvæ Wallenſtenius Regi Poloniæ miſerat auxilio, interceptis, excurſionem usq; ad Maſoviam & Warſaviam fecit, oppidulo Sveitzio occupato & obviis trucidatis, Polonis commeatũ Strasbergã deſtinatũ abripere conantibus, partim proſtratis, partim in fugã actis aut captis. Inter captos in Maſovia etiã complures Polonicæ matronæ & virgines fuere; à qvibꝰ Rex, qvi adverſꝰ armatos & viros, nõ imbelles & fœminas venerat, more generoſi Leonis, in mares potius, qvàm inermẽ

fexum

ſexum frementis, omnem vim & corporis contumeliam abſtineri juſſit, digneq; habitas, accepto pro illis redemtionis pretio, illæſâ pudicitiâ dimiſit. Brodnitziam in Boruſſiâ antea à Svedis per deditionem Galli centurionis Montani occupatam, Poloni nunc invadere aſtu vel expugnare tentantes eò contendunt. Sed Hermannus Wrangel, Elbingæ tunc præfectus, ſuperato fluvii Druennæ, à Polonis minus diligenter cuſtoditi, vado, & obviis hoſtium ſparſo & incompoſito agmine incedentibus, & qvi à noſtris impetiti, ex iſta confuſione tormenta in ſe ipſos converterant, vel cæſis vel captis, qvatuor tormentis & impedimentis omnibus interceptis, urbem feliciter liberavit. Qvum verò Svecos paſſim in ſuis caſtris annona deficeret, ad qværenda neceſſaria & prælii fortunam tentandam, cum octo millium copiis excurrerunt. Poloni cum viginti ſignis Huſſarorum & Coſaccorum illis obviam euntes, commodo loco non procul Strasberga ad pagum Rudovium manus conſeruêre. Primo congreſſu tormentis ſe invicem excipiebant, & qvidem dubiâ prælii fortunâ; ſed qvum poſtea Poloni, ex inteſtina, ut videbatur, diſſenſione, vexilla perticis deripere cæpiſſent, Hermannus Wrangel non minus vigilans qvam animoſus Dux, occaſione intentus, toto in eos impetu facto, ter mille profligat, mille capit; & ſimul qvinq; tormenta, & bis mille currus annona refertos, cum inſigni præda reportat. Hac victoria Polonici exercitus robur non parum fractum, caſtra Svedorum tanto commeatu repleta ſunt, ut, qvi ante eqvorum carne veſcebantur, nunc tantam armentorum copiam haberent, ut pro uno thalero unciali bovem emere poſſent. Circa hoc tempus Stralſundenſes à Wallenſtenio Cæſaris militiæ præfecto, obtentu ſpreti Cæſarei imperii de accipiendo præſidio aliisqve præſtandis, absqve fructu amicæ compoſitionis, vehementer obſeſſi erant. Ille ſuperbè jactarat, etiamſi urbs catenis cœlo alligata eſſet, inde tamen ab ipſo detractum iri. Rex opem ab illis rogatus, qvingentos milites & pulveris nitrati copiam eis auxilio miſit. Veteris enim amicitiæ & commerciorum gratia, & qvod intereſſe ſecuritatis maris Balthici judicabat, eos in tantæ neceſſitatis anguſtia deſerere noluit. Maximè, ne Cæſariani ab Hiſpano, ut promiſerat, claſſe adjuvandi, capta Stralſundia, & aliis maritimis oris, maris potentes evaderent, atqve ſe adverſus borealia regna armarent. Nec modò neceſſariis Rex Guſtavus, pace inter Cæſarianos & Danos inopinatò facta, auxilioqve Regis Daniæ tunc deſtitutæ urbi opitulatus eſt, ſed etiam eâ ab obſidione hoſtili liberatâ, fœdus patrocinii ad viginti annos cum civibus, hoſte fruſtra fremente inivit.
1629 Qvum ultima expeditione Rex Guſtavus cum copiis ſuis in Boruſſiam rediret, acie cum Polonis ad Thorunium per

per campi Mareſcallum Hermannum Wrangel ſtrenuè feliciterqve decertavit; ubi Comitis Joachimi Brahe fortitudo qvoqve perſpecta eſt. Cæſar verò copias Germanicas,qvinqve millium peditum, & bis mille eqvitum, ſub Arnhemio duce,Sigismundo Regi Poloniæ ſuppetias miſit. Eas ægrè Poloni intra Boruſſiam admiſere; Arnhemio etiam ſuſpectæ fidei habito; licet Sigismundus,iſtis ſe ſubſidiis, ad expellendum Boruſſia hoſtem, & hæreditarium Svetiæ Regnum, ope Cæſaris ex fide promiſſi,recuperandum indigere, conteſtaretur. Ordines autem Regni Polonici reſponderunt: Regnum Svetiæ ad ipſos nihil pertinere. Si Sigismundus Rex religionem Romanam in illud conſilio & ſvaſu Pontificiorum invehere voluerit, qvo Regnum Svetiæ amiſerit,nunc etiam videret, qvomodo ope Pontificiorum & peregrinorum Principum recuperare poſſet. Tandem tamen recepti Arnhemiani ſe cum Conitzpolskio conjunxerunt. In hujus anni comitiis ab Ordinibus Regni Svetici approbatam eſt Regia perſecutio belli Polonici hoc modo: *Qvum Sigismundus non ſolùm æqvas pacis conditiones à Guſtavo per ſe & per Electoris Brandenburgici & Ordinum fœderati Belgii legatos ipſi oblatas reſpuat; ſed etiam in Livonia & Boruſſia à Svecis occupata loca ſibi reſtitui urgeat; qvod inſuper bellum à Cæſare exſpectandum videatur: qvum ille Regis Sveciæ Legatum Lubecæ ad conventum admittere noluerit, & tantas copias Sigiſmundo in Pruſſiam contra Svecos auxilio ſubmiſerit, Ordines Regni ſvadent Regi,ut qvæſitâ prius omni pacis viâ, ſed irritâ fortè operâ adverſus illud bellum ſe qvoqve præpararet,& belli ſedem ac onus potius in hoſtile ſolum transferat,qvàm ut finibus Svetiæ metuendum ſit. Ad belli ſubſidia promittunt Ordines Regni pecuniam,militem,claſſem: Pecuniam in uſitatis tributis, in cenſu capitum & pecorum: milites, in continuanda ad biennium eorum conſcriptione & delectu. Ad claſſem ſinguli Nobiles qvinqvaginta thaleros ex qvolibet eqvo, qvem præbent ad militiam eqveſtrem, & pecuniam Societatis Indicæ conventam promittunt, eandem ſacer ordo; & cives qvindecim naves armatas pollicentur.* In iisdem comitiis, qvum ante duos menſes (à die XIV. Martii) piè defunctus eſſet Abrahamus Brahe, de patria præclarè meritus, filius ejus Comes Petrus, Hermannus Wrangel, Achatius Tott, & Johannes Baner Regni Senatores à Rege facti ſunt. Cæſariani autem & Poloni licet junctis viribus adverſus Svecos irent, Guſtavus tamen his nihil territus, majus inde robur animo ac plus bonæ ſpei capit: Deo & cauſa ſuâ fretus. Rhingravius à Rege Guſtavo prælio abſtinere juſſus, donec adductis peditum agminibus ejus copiæ auctæ eſſent, nihilominus Arnhemium adoriri occupaverat ſive ex occaſione,ut videbatur, ſive vires & animos hoſtium velitatione qvadam præ-

prætentaturus. Sed viribus inferior, cum jactura qvinqve ſignorum & ducentorum militum in fugam conjectus eſt. Poſtqvam verò Guſtavus cum reliqvis copiis advenerat, Cæſariani retrò cedentes, ad Weiſſenburgum prope Falchinaviam, ponte ſuper Nagothum fl. ſtrato, in majorem inſulam irruptionem facere ſtatuerunt. Ubi hoc agere cœperant, opportunè pontones & navigia qvædam lignis & cineribus onuſta acceſſerunt: qvorum dominis & nautis Cæſariani magnæ largitionis ſpe perſvadent, ut eos in adverſam ripam trajiciant, qvâ pontem fixuri erant. Interim Sveci pilas globosqve ſuper navigia ex tormentis absqve noxa ſtudio transmittunt, ut vectores ſecuros reddant; ſed mox ex majoribus tormentis humilius locatis non leve iis damnum inferunt; atqve eodem impetu Arnhemianos eruptionem facientes diſſipant, & Bindavianam legionem, qvæ erat flos exercitus hoſtilis, proſternunt, caſtello, commeatu, apparatu bellico, ſeptendecim ſignis pedeſtribus, qvinqve eqveſtribus, eximiaq; prædâ captis. In hoc tumultu Rex ignotus inter medios hoſtes verſatus, tamen ope divinâ incolumis evaſit. Tandem à Polono qvodam, neſcio qvem hoſtium ſuſpicante, captus, qvum ægrè ſeqveretur, fermè interemtus fuiſſet; niſi Ericus Soop, eqveſtris agminis dux ſubitò interveniſſet. Ille enim Regem arreptis eqvi frenis, & interemto Polono, lethiferum Regi ictum intentante, à præſenti vitæ periculo liberavit. Ob tantam Viri fidem & virtutem Eqves auratus à Rege in Comitiis creatus eſt. Hoſtes accepta clade, nihilominus pontem trans Viſtulam conficere pergentes, iterum à Svecis infeſtantur. qvi in nemore ſe condentes, qvieverant, donec duò Germanorum ſigna pontem tranſiiſſent. Dum verò cætera qvoqve ſigna tranſitum parabant, hæc ita tormentis exceperunt, ut reliqvi pedem referrent. In aliqvot ſigna mox impetu facto, & ponte reſciſſo, major pars cæſa, ſuperſtites undis hauſti ſunt. Inde Germani milites, oppidi Stumæ expugnatione cœptâ, jam ad portam usqve progreſſi, tamen à Svecis & civibus, piceis circulis, candentibus ſaxis, ferventi aqva & aliis corpori noxiis in eos ejectis magna cum jactura repulſi ſunt. Poloni cum Cæſarianis obviam tendentes Svecis, inter Marianam inſulam, ut vocant, & Stumam cum illis congreſſi, qvatuor mille militum cladem paſſi, trecentos currus commeatu repletos cum inſigni præda amiſerunt. Hoc tam continenti ſucceſſu Guſtavi moti animumqve in mitius referentes tandem Poloni, ac ſeorſum Gedanenſes; & qvod utraqve caſtra Svetica & Polonica peſtis corripere cæperat, allaborantibus legatis Galliæ & Britanniæ atqve Electoris Brandenburgenſ. ſex annorum inducias cum Rege Sveciæ, licet ægrè conſentiente Sigismundo, ſpe ipſi ab Au-

ſtrſacis de recuperando Sveciæ regno & ab Hiſpano de ſubſidiariis navibus facta iniverunt; qvæ poſt ſexennium in viginti ſex annos producebantur, de qvibus ſuo loco. Rex rebus feliciter & ex ſententia in hoſtili ſolo confectis, anteqvam è Boruſſiâ in patriam reverteretur, novum hoſtem Cæſarem nactus, in ſecretiori conſilio conſultationem inſtituit, *num bellum adverſus Cæſarem ab ipſo in Germaniam eſſet traducendum?* Disſvadentium hæc præcipua momenta erant: *Etiamſi variæ à Cæſare aut potius ejus ducibus ac milite injuriæ Regi illatæ, jus & cauſam bello dediſſe videri qveant; Cæſarem tamen ſe nondum Regis hoſtem profeſſum eſſe. Qvin in Borusſiam nuper emiſſum à Cæſare exercitum exauctorati & à Rege Poloniæ conducti titulum præferre: qvod disſimulari qvietis publicæ cauſa posſit. Nec adeò necesſitatem Regi imperare bellum: qvum nondum ingruat limiti regni hoſtis; aut ſi forſan ingruat, regni Svetici aditum incolis tutum, hoſti vel inacceſſum vel ſatis difficilem fore. Acceſſum Cæſarianis terrâ non niſi per Daniam patere, cujus Regem tranſitum illis daturum, haud conſentaneum videri: ne flammas iſtius malè ægrè ſopitas reſuſcitet atqve in regni ſui interiora iterum admittat, mare autem, qvum claſſe deſtituatur, Cæſarem transvolare non poſſe, nec Livoniam aut Boruſſiam per inducias Polonicas penetrare fas eſſe. Sed nec inſignis alicujus emolumenti ſpem ſvadere bellum iſtud: qvum Rex, ſi ſucceſſus armis reſpondeat, non ſibi, ſed amicis, conſangvineis & vicinis ſit victurus, &, qvi illius regius ſit animus, facti conſcientia contentus, recuperata illis reſtituturus. Cæſaris autem ditiones longius amotas majori labore & impendio vix petiturus. Qvantos verò & qvàm inexpletos ſumtus bellum poſcat, cui ignotum? qvibus exhauſta jam ab hoſte Germania non ſuffectura ſit, Svetia verò, præter annuum militis delectum, ægrè toleratura. qvæ ſi, beneficio induciarum Polonicarum, nunc potius otio qvodam & qviete reficeretur, qvàm novo bello gravaretur, vires & fructus regni, qvibus ejus ſtatus ſuſtinetur, longè commodius auctum iri. Accedere, qvod Rege cum Auſtriacis, opibus, copiis & fœdere Pontificio valentibus, fortuna & ſucceſſu ferocibus, bellum arduum & diuturnum ſit futurum. Et fac, excelſum Regis animum atqve invictam virtutem huic bello parem fore, tamen humanæ conditionis legibus haud exemtum eſſe. Qvid ſi in bello (qvod tamen DEUS omen prohibeat:) forſan occumberet, Filiam teneram, orbam Patre, Regnum orbum Rege, velut navim gubernatore deſtitutam, periculoſis rerum tempeſtatibus, & variis caſuum fluctibus objectum iri.* Contra Rex, & qvi bellum ſvadebant: *Culpam injuriarum Regi factarum fruſtra impingi Cæſaris ducibus ac exercitui: qvas ille impunitate & disſimulatione transmiſſas approbaſſe, ac per miniſtros ſuos ac copias Regi intuliſſe ſatis arguitur. Qvũ autẽ Regi exiſtimatio hîc in diſcrimen addu-*

adducatur, non ſolum ipſius, ſed & ſecuritatis publicæ intereſſe, eam vindicari. Qvamvis autem aliud verbis præ ſe ferre videatur Cæſar, tamen ipſa re ſatis hoſtilem erga Regem animum oſtentaſſe: dum præter alias injurias, de qvibus mox ſuo loco: non aliqvot turmas qvaſi ære emtas, ſed juſtum exercitum in Borusſiam adverſus ipſum expediverit. Nec abeſſe prorſus metum, qvin creſcens belli incendium vicinas terrarum oras, etſi pace, ſed ſuſpectâ donatas, ipſamqve Svetiam ſeu vi, ſeu aliâ inſperatâ viâ ſit correpturum. Qvid in maris Balthici portubus jam moliatur Wallenſtenius, ante oculos eſſe; cui niſi in tempore atqve hoſtili ſolo occurratur, Hiſpanorum prædatrice è Dunkerqvo claſſe adjutum, facile ſibi acceſſum in Svetiam reperturum. Hunc autem, qvi jam maris Balthici dominiū animo ac titulo ſpiret, vicinis portubus amoveri, Regni ſalutem defendi, navigationi, commerciis ac itinerum libertati priſtinum ſuum vigorem ac ſecuritatem reſtitui, haut exiguum fore laboris ac impenſæ militaris pretiū. Non poſſe qvidem inficias iri, pacem ac qvietem poſt tot onera belli prioris, utilem fore patriæ; ſed rem eò jam deveniſſe, ut armorum vel induendorum vel deponendorum arbitrium Regi non amplius integrum eſſet. Nihilominus tamen, ne ſibi, ſubditis ac civibus invitis ægrè ferenda imponere velle videatur, in comitiis publicis de ſumma belli in medium conſulere ipſis permiſſurū. qvod ſi decernendum judicaverint regni Ordines, etiam de nervis & adjumentis belli iſtius cogitaturos. Non abs re eſſe, bellum hoc fore magnæ molis & fortè longioris temporis. At arduarum rerum hanc conditionem eſſe, ut ſuas ſecum trahant difficultates: qvæ tamen generoſos animos ab aggrediendo illas non ſolùm nō deterreant, ſed magis incitent, haut ignaros, gloriam qvam exſuperata ardua præmium habent, non ex facili, ſed ſudore, diſcrimine ac moleſtiis parari. Nec tantas Cæſaris opes, ac tam formidabilem potentiam eſſe, qvantam ſibi vulgò animis ut opinione figurent. Invidioſam & ſuſpectam vicinis Regibus, Principibus, Rebuspublicis, & ipſis imperii membris ejus magnitudinem, à cordati alicujus Principis armis & fortuna modum accipere, non ægrè laturos Imperii Ordines. Nec ipſum Saxoniæ Electorem, acrem antea Cæſareæ dignitatis vindicem, ſed hactenus remisſiorem, ex qvo edictum Cæſaris de revocandis Eccleſiaſticis bonis editum eſſet. His animorum non idem ſentientium motibus, Regem ſibi faciliorem armorum ſucceſſum promittere, præſertim copiis, pecunia & commeatu ſuppeditantibus. Regi non defore copias domi lectas, pro Rege, patriâ & ſpe prædæ qvidvis audere ſvetas; præter auxilia externa, præſertim Germanorum, qvibus calamitas patriæ nihil ſpei niſi in armis ac dextris ſuis reliqvum feciſſet. Hoſtilem verò militem, ſi in maritimas Germaniæ oras jam exſpoliatas & enervatas, contra Regē ducatur, tam facilè diſſociatum & fugatum iri, qvanta cupiditate direptionum ante concurrerat. Non autem

cum

cum hoſte Regem in acie periculum facturum, niſi eum aut viribus æqvet, aut fortuna ad ſpem victoriæ alliciat. Præter hæc Cæſarianos rei faciendæ vias habuiſſe præcipuas, exactiones militares: qvæ, cum nimio oneri fuerint oppreſſis, ad externa arma & per ea mutationem fortunæ in poſterum ceſſaturæ, animosqve oppreſſorum Regi conciliaturæ ſint. At Regii ærarii adminicula ſi non tanta, tamen exprompta eſſe, atq; abſtinentiâ & rectâ adminiſtratione locupletari poſſe. Militem verò Sveticum exiguo contentum eſſe, & plura ipſum bellum vel ex abdito ipſi ſubminiſtraturum. Satis commeatus fore Regi è propinqvo & per mare; qvi hoſti longius & maximè terrâ ſubvehendus ſit, & à majoribus copiis citius abſumi poſſit. Si verò, Deo ſic volente, pro patria ipſi moriendum ſit, cui ſpiritum deberet, hoc ſibi lubenti fore. Vitam & rerum ſuarum fatum ſe Dei arbitrio committere; interim qvod ſit ſuum, ſe, eodem ductore, ſtrenuè acturum. Qvod ſi eidem placeat ipſum hinc evocare, paratum eſſe ſupremo Imperatori absqve murmure parére. Deo, & poſt eum Regni Senatoribus Filiæ ſuæ Regniqve ſalutem curæ fore, illi, qvod ſic poſſit, & velit; his, qvod præter naturale ſtudium patriæ, ex meritis Regis, & fide ſua ſic debeant. Rege ex Boruſſia feliciter domum redeunte, idem negotium in 1629
comitiis publicis Holmiæ ſolenniter à Rege indictis ventilatum, & ab Ordinibus Regni diſcuſſum eſt, *num è re patriæ foret, iſtud bellum Germanicum à Rege ſuſcipi?* Poſt varias hinc inde deliberationes & diſceptationes, partim antea allatas, partim plures additas, Ordinibus Regni viſum eſt è Republica, *prius honeſtæ pacis obtinendæ rationem iniri & qværi, qvàm armorum aleæ ſummam rei committi. Si verò pax æqva haberi non posſit, ad Regis ac regni dignitatem pertinere, ut publicè oſtendatur, & animos ad illatas injurias vindicandum, & vires ad vim repellendam ſociosqve religionis tuendum ipſis cum Deo non defuturas.* Inprimis ſvaſerunt Regi, *ut propter adverſæ partis intutum propoſitum, & tentandæ compoſitionis eventum dubium atqve incertum, urgeret arma, & de pace cum hoſte ſub clypeo, ut dici ſolet, ageret, nec occupata aut in poſterum occupanda è manibus dimitteret, niſi regno Svetiæ, mari Balthico, Stralſundæ & religionis ac fœderis ſociis ſatis ab hoſte factum cautumve eſſet.* Ad bellum verò illud commodius gerendum & in Germanico ſolo anteveretendum potius, qvàm domi opperiendum, conſveta adminicula civibus ac populo imperabantur, fœdus novum cum Rege Galliarum ad ſexennium inibatur: ſic ut Rex Sveciæ juſtum in Germania exercitum haberet, Rex Galliæ qvadringenta vel qvingenta millia dalerorum uncialium qvotannis ſuppeditaret; & qvæ alia fœderis pacta erant, de qvibus alibi. A Rege Poloniæ, Electore Brandenburgico ac Gedanenſibus, poſt inducias factas, dimiſſi milites à Rege Guſtavo conducebantur. Prius tamen qvàm arma Rex

caperet, viam pacis, ex Ordinum Regni decreto, qvæſivit, & ad Electores Imperii ſcripſit, eos amicè monens, *ut qvantum in ipſis eſſet, Imperatorem à pernicioſis molitionibus dehortarentur, & rationem aliqvam invenirent, qvâ honorifica pax reſtitui, & libertati Germanicæ ſuiqve Regni ſecuritati rectè conſuli poſſet. Se qvidem eo animo eſſe, ut pacem, ſi non turpis eſſet, etiam juſto bello ante haberet. Qvæ tamen ſi fruſtra qværatur, neqve ſibi ſuisqve de factis injuriis ſatisfiat, ſe teſtes Deum & univerſum orbem vocare, qvod nulla ſua culpa, honoris ſui & neceſſariæ defenſionis ergò, ad arma capienda cogatur.* Ad has Regis literas, etſi tardè, reſponderunt Electores, & omiſſo Regis ſolenni titulo, ſtudium pacis in Rege prædicarunt, ejusdem promotionem ipſis curæ fore polliciti. Regem, qvod nullam in ſuo reſponſo pacis viam offerrent, & qvod ipſum Regio titulo non dignati eſſent, pungebat. Ne tamen iram atqve arma præcipitare videretur, denuò ad eos ſcribit, & *exprobata illis Regii tituli denegatione oſtendit, in ea re exiſtimationem ſuam agi, proinde intactam relinqvere non potuiſſe. Se titulum illum à Deo & majoribus acceptum per XX. hactenus annos adſeruiſſe, & in poſterum ad ultimum vitæ diem conſtanter vendicare ſibi ac tueri velle. Etiamſi eorum reſponſum ob dictam cauſam reſignare dubitaverit, tamen illud hac conditione aperuiſſe, ne in poſterum hujusmodi præjudiciis amicitia eorum labefactaretur. Studium Regium honeſtæ pacis ab ipſis probari, ſibi qvidem gratum eſſe; ſed ſe mirari, qvod nullam pacis ineundæ rationem, anteqvam malum latius graſſetur, oſtendant: qvod tamen caput rei ſit.* Proinde rogabat, *ne ægrè acciperent, ſi ſuæ ſecuritati, & exiſtimationi propter contumeliam ſibi allatam, ſociorumqve periclitanti ſaluti aliâ viâ conſultum iret. Se qvidem ab amicitia cum ipſis & vicinis colenda non abhorrere, ſi modo ejus offenſa æqvâ ſatisfactione expietur, & vicina ipſi Germania in eum, qvo ante bellum fuerat, ſtatum reponatur. Interim ipſorum, qvi in potiorem imperii curarum partem veniant, fore, ut provideant, ne Respubl. Chriſtiana qvid inde majoris detrimenti capiat.* Super hæc, etiam pacificationis Gedani inſtituendæ, in qva Rex Daniæ inter Cæſarem & Regem Svetiæ, ſe pro medio & arbitro geſturus erat, Rex Guſtavus periculum, ſed incaſſum, facit. Qvum enim de loco tractationis pacis ante convento, qvi Gedanum erat, poſtea qvædam difficultates ex diſſidiorum & ſimultatum inter Svedos & Gedanenſes interea natarum occaſione ortæ eſſent, & Cancellarius Regni Svetiæ delegatos Regis Daniæ Elbingam, de præparatione faciendæ pacis cum illis conſilia collaturus, invitaſſet, illudqve delegati ſuſpicionis apud Cæſareum Legatum de Dohna vitandæ & pacti de

conven-

convento loco, & honoris Regis ſui ſervandi cauſa reſpuiſſent, nec conditiones pacis acceptæ eſſent, res in irritum cecidit. Qvum ergò nullam aliam qvam belli viam Rex ſupereſſe judicaret, commerciis ad portus ab hoſte infeſſos interdictis, aliisqve militiæ idoneis comparatis, libellum qvo cauſas ſuæ in Germaniam armatæ impreſſionis complexus erat, Latina & Teutonica lingvâ edidit; qvarum hæ præcipuæ erant, *Ante triennium literas Regis Guſtavi Adolphi ad Principem Transſilvaniæ datas à Cæſare interceptas & apertas, aliàqve qvam ſcripta eſſent mente ſeqvius interpretatas fuiſſe. Polonos à conſilio pacis cum Svecis ineundæ non ſemel per Cæſarem avocatos, auxilio militum & annona adjutos fuiſſe; ſpe inſuper illis factâ, fore ut Cæſar hoſtibus ſuis in Germania debellatis, etiam Svetiæ regnum peteret. Civibus & negotiatoribus Svetiæ per imperium omni commerciorum uſu interdictum fuiſſe, ereptis etiam & in publicum addictis eorum mercibus. Imperium maris Balthici, ex inſtituto majorum à Regibus borealibus optimo jure uſurpatum, Wallenſtenium Cæſareæ militiæ præfectum ingenti ambitione appetiviſſe. Idcircò pro navibus obtinendis urbes Anſeaticas & Wandalicas ſollicitaſſe; Inprimis Hiſpanicarum mercium ad ipſorum portus adſtringendorum ſpe & promiſſis eò ductatum iviſſe. Qvod cum fruſtra fuiſſet, tamen comparata ſibi claſſe navium Gedanenſium & Polonicarum, mare Balthicum piraticâ infeſtaſſe, &, niſi Rex occurriſſet, Wismariam in perniciem Svecorum, piratarum receptaculum deſtinaſſe, & in ipſa Sveciæ viſcera irruptionem minatum eſſe. Amicos, vicinos, agnatos Regis à Cæſarianis oppreſſos, Stralſundam nullo ſuo merito à Wallenſtenio obſidione preſſam & ad extrema redactam eſſe expetito innoxio auxilio à Rege ſublevatam. Duces Mekelnburgicos Adolphum Fridericum & Johannem Albertum inauditos ditionibus ſuis exutos expulſosqve eſſe, attributo velut ſpolio aut vacua poſſesſione eorum Ducatu Fridlando. Qvibus ut religionis & cognationis necesſitudine ſibi conjunctis non potuerit non opem deſideratam ferre. Legatos Regis, contra commune jus gentium à pacificatione Lubecenſi ignominiosè rejectos fuiſſe.* Cæſari verò ſolenniter indicere bellum, Rex non neceſſarium eſſe putavit: qvum vim ſibi ab eo prius haud denunciatis armis, illatam arcere, natura ipſa permitteret; & hoc ipſo ſatis denunciatum bellum à ſe eſſe crederet, qvod præter literas ad Electores non ſemel ea de re datas & ſatisfactionem poſtulatam, belli cauſas in publicum edidiſſet. Qvum jam omnia ad expeditionem parata eſſent, qvamvis Ordines regni votis & precibus expeterent, Regem in patria remanere &

ſummæ

ſummæ rerum ſe ſervare, commiſſo ducibus fidis & militiæ ſcientibus bello, tamen qvum civium fide & pia ſollicitudine laudatis, gravi oratione oſtendiſſet, qvantum ſtatus publici intereſſet, ipſius præſentia ſummoqve imperio bellum adminiſtrari; ſupremo eis valedicto, omnibus pietatem, priſcæ virtutis gloriam, & ſpiritus majoribus dignos capeſſere, concordiam & obſeqvium, Senatoribus verò libello de modo adminiſtrandi in Regis abſentia regni tradito, Filiam ſuam ſeorſum, obortis fere omnium lacrymis, commendavit. Rationem autem dirigendi intra regnum ſtatus & Fiſci Regii, cum conſilio Senatus, Rex in ſui abſentia Affini ſuo, Celſiſſimo Principi Johanni Caſimiro, Comiti Palatino ad Rhenum &c. Regis Caroli Guſtavi parenti, dum vixit, honoratiſſimo & chariſſimo, commiſit. Qvam ille ex fide & cum inſigni regni fructu geſſit. Solvens urbe Holmiâ regia Claſſis, qvinq; mille milites ſolùm vehebat, exiguas eqvidem copias, contra tam numeroſum exercitum hoſtilem. Cæterum Rex, poſt divinam opem, ex partibus Germaniæ, regium ſubſidium avidè exſpectantis, & ſucceſſu rerum acceſſionem virium ſibi certò promittebat. qvod etiam eventus comprobavit. Dum Rex adverſi venti cauſa in faucibus maris paulùm ſubſiſtebat, ad eum venit Ducis Pomeraniæ ablegatus Philippus Hornius, cum tali negotio: Cum Pomerania ſub ſpecie defenſionis adhuc à Wallenſtenio teneretur & graviter affligeretur, prætexente, *pactionem ab ipſo cum Stralſundenſibus factam eos non ſervaſſe, nec præſidium Svedicum hactenus urbe abductum fuiſſe*, ideò nomine ſui Principis rogabat, Stralſundam præſidio regio liberari, ut ſimul Wallenſtenii copiis Pomerania liberaretur. Sed ille reſponſum accepit: *Dum Cæſar armis retinebat Pomeraniam, regium præſidium urbe educi non poſſe. ſed armari Regem contra armatum fas eſſe.* Rex primò ad Penum fl. Rudam advenit, dein fixum ſibi pedem & commodam in inſulâ Rugiâ, mari Balthico circumflua, Stralſundiæ vicina, nec malè affecta, militibus ſuis ſtationem capturus, primò Dualium (alii Tubalem) & Hallium, vicinas exiguas inſulas Hiddenſeam, Wittaviam & Jeſſemundam cum copiis ſuis invadere, dein Rugiam ipſam petere jubet. Sed qvum Cæſariani, excitatis antea munimentis, aditum eorum occluſum irent, noſtri præſidia primi majorisqve munimenti milite infirmiora, mortis minis & terrore, Goetzio fruſtra illis ſuccurrente & copiarum partem amittente, deditionem facere coëgerunt. Alterum majus Cæſarianorum ex adverſo Brandeshagæ ſitum propugnaculum ipſe Alexander Leslæus, Sveticis Stralſundæ præſidiis præfectus, cum trecentis eqvitum & mille nongentis peditum & nonnullis tormentis adoriri juſſus, exſtructo vallo & acceſſuum foſſis ita ductis, ut hoſti ſubſidia ex continenti

præclu

præcludere poſſet, machinis illud qvaſſare ac deditionem obſeſſis imperare cæpit. Illi loco fidentes, ad ultimum vitæ ſe tutaturos reſpondent, atqve impigrè obnituntur. Sed caſus propugnantium conſtantiam debilitabat: dum poſt biduum oneraria navis Brandeshagâ aqvam, pulverem nitratum aliaq; neceſſaria advehens, à Svedicis navigiis ingreſſu crebris tormentorum ictibus prohibebatur. Licet autem qvi in propugnaculo erant, retortis in Svedos ictibus eam defenſarent; tamen exorta inde fumi nubes defenſoribus proſpectum ademit. Eo comperto Svedi, non exſpectato Ducum ſigno, ſubita impreſſione, Cæſarianis paſſim trucidatis & ducentis captis, munimentum in Regis poteſtatem redegerunt. Qvidam paulò aliter referunt, nimirum accepto, præſidia dicti majoris munimenti jam animo frangi, & ad defenſionem torpere, Leslæum juſſiſſe Sveticum militem promtè irruere, & in foramina, per qvæ tormenta hoſtilia protendebantur, inſilire. Qvo facto, munimentum occupatum in Regis poteſtatem veniſſe, præter cæſos aut captos, qvinqve tormentis æneis & annonâ interceptis. Felix eqvidem omen: uti prima proveniſſent, ita cætera fore. Publica gratulatio hoc nomine Stralſundiæ inſtituta eſt, gratiis Deo pro victoria actis, tormentis ſonantibus, & centum cereviſiæ vaſis militi Svetico pro ſtrenuè navatâ operâ donatis. Ipſe verò Rex cum omnibus ſuis copiis ulterius in Pomeraniam movit, Duce Pomeraniæ tranſitum per Legatos ſuos fruſtra deprecante; qvem tamen ei innoxium Rex promittebat,& de priſtina amicitiæ fide ſecurum eſſe jubebat. Claſſe petiit & invaſit Uſedomiam inſulam, qvæ non longè ab urbe Stralſundiâ ad Rudam ſita eſt, fida navium ſtatio. Stralſundenſes autem feſtâ lætitiâ Regis adventum proſeqvebantur. Qvum ad Rudenſem portum claſſe appulſa, Rex in terram exſcendiſſet, in genua proſtratus à Deo proſpera precatus eſt, memorabili ad circumſtantes dicto: *Pietatis comitem ad armorum felicitatem eſſe; nec tam cauſæ eorum, qvàm precibus militantium, victoriam annuere Dei favorem.* Ne verò ingreſſum ſuorum hoſtis præpediret, ad proximum littus receptaculum (*reductum* vulgò vocant) à tempore Danicæ irruptionis ſemirutum occupat, reficit & vallo munit. Hinc ſtativis in littore ſubitario opere exſtructis, pagum Penemundum caſtris includit & aggere cingit. cui ſuggeſtum, tormentis accipiendis, juxta ſtruit. Trans Penum fluvium munimentum in paluſtri loco ſitum, ab hoſte deſertum, pari induſtriâ reparat, vallis ſeu ſudibus ferro ſuffixis circumdat, ad inſultum hoſtis avertendum. Qvum autem annonæ copia navigationis morâ tantum non abſumta deficeret, Rex milites ſuos, majorem partem veteranos, utriusqve fortunæ non ignaros, ad patientiam & ſpem facultatum ex hoſtium ſpo-

liis qværendarum animans, in obſeqvio retinuit. Hoſtis vel nullus ſe in propinqvo oſtendebat, vel adventu Regis perculſus, propugnaculis, ut territæ aves nidis, evolarat. Itaqve Rex caſtella ad Wolgaſtum urbem & Sveinam fluvium, Croaticis & Cæſareis præſidiis iſtinc profligatis, & poſtea Wenum, Caminum & Golnaviam absqve ullo militis ſui & ſangvinis diſpendio occupavit: in qvibus adverſus hoſtis incurſum, aut tutos receptos, aut nova belli ſubſidia reperiebat. Militem in præſidiis & caſtris Rex tam ſeverè continuit, ut absqve injuriâ progredi, ab ædibus & facultatibus ſociorum & corporibus inermium ſi non cupiditatem, certè manus & vim abſtinere cogeret. Unde comparatione prædationis ac inſolentiæ ab hoſtibus exercitæ, ſuiqve militis temperantiæ ac modeſtiæ, amorem apud incolas, fidem apud deditos, inclinationem animorum apud omnes ferme ſibi peperit. Torqvatus de comitibus Italus, Exercitui Cæſareo iſtic præfectus, hactenus in ſuis caſtellis ſe tenere eaqve tueri contentus; nunc Andamiam & Gartziam receſſit; iſtic Svedorum tranſitum amoliturus. Inprimis annitebatur, ut ante propiorem Regis acceſſum, Stetinum Pomeraniæ caput, & ſedem Principis, peropportunum rebus ſuis locum, occuparet. Cæterum Guſtavus eum biduò prævertit, & exercitu navigiis impoſito, progreſſuqve rerum divino Numini commendato, Stetinum tendit. Ventus, qvem initio adverſum Rex tenuerat, ingreſſo eo navim, ſubitò ſecundus, plenis velis ipſum ad urbem duarum horarum ſpatio provexit, tamqve inopinatò, ut Regem tam prope adeſſe, cives prius neſcirent, qvàm ſigno duobus tormentis ad Oderburgam dato. Mox Urbi præfecto Sigfrido Damitio, & tandem ipſo Duce Bugislao ad colloqvium evocato, Rex intra urbem admitti poſtulat. Duci tergiverſanti, *& cum Cæſare pacta, ſuamq; erga ipſum fidem, & adflictam ſatis ante Pomeraniam*, tergiverſationis cauſas interponenti, Rex reſpondit: *Se non animo decerpendi qvicqvam ex obſeqvio ejus Cæſari debito, aut jure imperii, aut Ducis ditione, acceſſiſſe; ſed ut poſt vindicatam regni ſui ſecuritatem, oppreſſos ſocios, atqve inter illos Ducem, ſubjectosq; ei vi & jugo Cæſarianorum eximeret. Se amicum venire Duci & urbi; ſed Cæſarios obtentu defenſionis, hoſtilia adverſus utrumqve meditari. Nec eſſe qvod Dux obſtinatè reniteretur: qvum urbem opportunis locis vel ingratiis occupari in proclivi ſit. Militem ejus absq; noxa & ſuo ære victurum.* Juxta hæc tamen Rex ſibi expreſsè reſervarat: *Ut ſi Dux absqve maſculis hæredibus deceſſurus eſſet, priusqvam Elector Brandenburg. tanqvam in omnem eventum inauguratus ſucceſſor, hoc fœdus confirmaſſet, & his regionibus ad earum liberationem reipſa opitulatus eſſet; aut ſi Electori ſucceſſio ab aliis diſputaretur, Rex has provincias in ſeqveſtratoria & clientelari*

lari protectione tamdiu retineret, donec negotium ſucceſſionis planè & prorſus expeditum eſſet, & ſibi à ſucceſſore ſumtus belli (ſine tamen onere Pomeraniæ & Ordinum ejus) refunderentur, & hæc unio debito modo ratihabita & perfecta eſſet. Duce & civibus brachia contra torrentem fruſtra dirigi cernentibus, in urbem Rex cum ſuis intromittitur, etiam ſpe alicujus qvietis, aut certè leviorum onerum ſub Svedis, qvam Cæſarianis. Leges fœderis ex Regis & Ducis convento placitoqve facto, ſeqventi anno ab Ordinibus Pomeraniæ confirmabantur; qvas apud alios ſcriptores habes. Rex, urbe à ſuis militibus foſsâ, loricâ, propugnaculis amplius munita, præſidiisqve firmata, Ducis milites in ſua verba jurare fecit. Dux verò de accepto intra urbem Rege ſe per literas ad Imperatorem excuſat: *Regem Svetiæ, cum exercitu inopinanti ſibi ſupervenientem, non reliqviſſe ſpatium à Cæſariano milite opem petendi. Nec fuiſſe, qvod multum ſubſidii de eo ſibi polliceretur, qvi advenientis nec dum conſpecti hoſtis rumore territus, Rugiam, Uſedomiam & alias oras, poſt deprædationem, indignâ fugâ, deſeruiſſet.* Guſtavus porrò, Stetino urbe firmatâ, Stargardiam, per Damitzii induſtriam, civibus ipſis, tædio nimis gravium hoſpitum Cæſarianorum, Svedis clandeſtinam portam aperientibus occupat, luculentâ iſtic prædâ frumenti & farinæ ab hoſte relictâ, & à Rege in milites ſuos diſtributâ. Rex inſidiis qvorundam proditorum Qvintini de ponte, optionis aut protribuni, & monachi Ambergæ nati petebatur. Qvum Rex qvosdam tranſitus cum ſuis ſpeculatum iviſſet, Qvintinus tranſit ad Cæſarianos, occaſionemq; circumveniendi Regem illis oſtendit. illi cum mille qvingentis Guſtavum circumfundentes, vel cepiſſent vel obtruncaſſent, niſi tribus alis eqvitum & agmine peditum ei ſuccurrentibus munitus, medios hoſtium cuneos vel cæſos vel fugatos vi pervaſiſſet. Qvin ipſe proditor non ſemel Regi lethiferum ictum intentarat, uti poſtea faſſus eſt, ſed qvoties in eo erat, ipſi manum & mentem qvaſi fatali ſtupore attonitas hæſiſſe dixit. Monachus ſub exſulis perſona libellum manu geſtabat, ita infectum, ut aperienti venenum adflaret; aut ſi hoc non ſuccederet, ſicâ Regem perimere juſſus erat. Sed Deus, cui Regis ſalus curæ erat, hæc omnia benignè prohibuit, & in perniciem Regis cogitata, in capita auctorum, merito ſupplicio affectorum, vertit. Rex novis viribus Finnonum, Livonorum & Curlandorum eqvitum, ſub Guſtavi Hornii ductu auctus, rogabatur à Duce Pomeraniæ Griphenhagam & Gartziam, expulſis inde Cæſarianis, recipere atqve ſic tutiorem Stetini ſedem ſibi facere. Ille verò qvod Torqvatus ibi ſe contra vim ſatis

communiviſſet, rem in commodiorem occaſionem dilaturus, nunc de Ducatu Meckelburgenſi cogitavit: ut hoſtium copias & vires, anteqvam iſtic inveteraſcerent, & nimis invaleſcerent, diſtraheret, & conſangvineos ſuos Duces provinciis ſuis, qvibus, ſuffecto Wallenſtenio indicta cauſa ejecti erant, reſtitueret. Ut tamen nullum à tergo diſcrimen relinqveretur aut negligeretur, per ſuos agminum duces providebat. Itaqve commiſſis ad Stetinum Regiis caſtris & copiis Hornio, Mekelburgum ſe confert. Vix ipſe Rex diſceſſerat, & Torqvatus jam in caſtra Regis impreſſionem moliebatur. Sed Hornii cura, & Svedorum militum alacritate rejicitur. Hoſtis poſtea urbes & oppida occupatu facilia, qvorum Svedos potituros credebat, expilavit & deſeruit. Qvum nimis inſolenter & immaniter urbes exſcinderet, inprimis Pentzunam & Paſevvalcam, tantum ſui odium apud incolas concivit, ut arces, caſtella & oppida Svedis ultrò tradere, qvàm ſub intolerabili Cæſarianorum jugo degere mallent. Rex Paſevvalcæ, tam crudeliter à Gotzio exciſæ, direptæ & incenſæ, commiſeratione ductus, ut paulatim urbs reſurgeret, eam privilegio exemtionis ab omnibus oneribus ad ſexennium donavit. Torqvatus, comperta Regis in Ducatum Meckelburgenſem expeditione, Savellium, auxilio ſub miſſo, Regem Guſtavum Adolphum ingreſſu ejus arcere jubet. Savellius eo propoſito inter Rechnitziũ & Roſtochiũ, caſtra locat, atq; Roſtochium urbem ſe ipſam defendere juſſam, aut permiſſam, ſub ſpecie amici tranſitus & Dobranum pergendi, fraude capiens, præſidio eam ſuo firmat. Rex ad Ribniciam, qvam etiam vi occuparat, ingreſſus Meckelburgum literis Meckelburgenſes à Wallenſtenii partibus ad officium & obſeqvium erga Duces ſuos revocabat, monebatq; ſecum vires conjungere, ad injuſtos Ducatus poſſeſſores expellendum: qvod ſi faciant, benevolentiam & opem ejus; ſi ſecus, ultima experturos. Interim Elector Brandenburgicus Ribniciæ per Legatum ſuum à Rege deſiderat, *ſibi qvieſcere licere, belloqve abſtinere*. Rex annuit, ſed hactenus, *ut id ſibi non fraudi, nec hoſti emolumento eſſet. Idcirco vel Cæſarianos propugnaculis expellendos, hoſtiq; hoſpitia, commeatum & ſtipendia neganda eſſe, vel ſi hoc non poſſit, ſibi qvoqve munimenta, non ſecus ac hoſti tradenda, ac ſuis neceſſariò ſuppeditanda eſſe; id non ſolùm in Regis, ſed maximè Electoris rem fore.* Cum hoc reſponſo Rex dimittit Legatum, & cognito, Roſtochium urbem Cæſariano præſidio magis munitum eſſe. Ducatus Meckelburgenſis curâ Bannerio & aliorum occupatorum tutelâ reliqvis ductoribus creditâ, Stralſundam redit. Ibi Legatus Viduæ & Langraviorum Haſſiæ Gulielmi & Hermanni adveniens, expoſitis incommodis & injuriis, qvæ in præſenti bello Principes pertuliſſent, Regis auxilium

lium ac protectionem expetebat. qvam Rex, poſt maturam deliberationem certis pactis utrimqve poſtea confirmatis, pollicebatur. Inde Stetinum reverſus, mox Colbergam, in ulteriori Pomerania ad ripam Pegæ fl. ſitam, portu & commerciis claram, per BaudiſiumRex obſidione cingi jubet. A qva licet Torqvatus de Comitibus oppidanos, ſeptem ſignis eqvitum ſubmiſſis, liberare conaretur, tamen à Guſtavo Hornio præventus, qvi qvatuor ſigna eqvitum & mille pedites auxilio obſidentibus ante miſerat, hoſtibus repulſis in Sveonum manus poſt qvinqve menſium obſidionem conceſſit, non absqve tamen calamitate civium, dum miniſtri ſtabuli incuriâ CLXXXII. domus incendio deflagrarunt. Circa hoc tempus Croatæ ad Stetinum, pecus urbe abigentes, à Svedis duce Denhovio repulſi ſunt. In eo conflictu Magiſter eqvitum Svedus, qvum non ſemel hoſtiles globos perrupiſſet, tandem ſuffoſſo ejus eqvo, pedes gladio ſtrenuè pugnavit, donec defatigatus & à corpore non animo deſtitutus, ab hoſte caperetur. Poſt iſtæc naves Regiæ, qvæ hactenus prope Wismariam ad anchoras ſteterant, præter alias diſpulſas, prætoriam Cæſarianorum navim in portum Lubecenſem fugâ compulerunt. Rex per Salvium ad Lubecenſes miſſum iſtam navem vel ſibi ab aliis tradi vel portu per ſuos educi volebat: qvum inſtar feræ, ex ſuo in alienum perſeqvi inſtitiſſet, ideoqve capientis fore. Sed Lubecenſes dimittere recuſabant, anteqvam ipſis de damno ex iſta navi ſuis navibus ac mercibus, ut prætexebant, in mari illato ſatisfactum eſſet. Rex Griphenhagam & Gartziam, ex qvibus Stetinenſes crebris excurſionibus hoſtilibus infeſtabantur, debellare ſub anni finem decernens, exercitum ſuum non hybernaculis ac deliciis, ſed campo & labori ſvetum educit adverſus Hannibalem Schavvenburgium. Is cum ſuis copiis, reficiendi eas cauſa, in hybernacula ad Gartziam & vicina loca ſe receperat. Guſtavus Griphenhagam prius obſidione cingens, paucis præſidiariis qvi reſtiterant cæſis, reliqvis fugæ ſe dantibus, vi capit. Ferdinandus de Capua verò præfectus eis Griphenhagæ captus, ex vulneribus, ut qvidam volunt, acceptis, ut alii, ex cancro mortem oppetiit. Hinc Gartziam oppidum, Griphenhagæ captæ terrore conſternatum, ſed à præfecto incenſum, præſidiis Landsbergam aut Francofurtum ad Viadrum fuga petentibus, invadit. His eo modo confectis, Cæſar & Electores Ratisbonâ, ubi inter alia decretum erat de modis opponendi communibus opibus arma Regi Sveciæ, qvaſi non Cæſaris ſolius, ſed Imperii hoſti, ut ſpecioſè prætexebat Cæſar, ad eum literas dedere. Cæſar Regem non niſi Principis titulo compellans expoſtulabat, *Regem ſe & Imperium injuria & absqve ulla belli indictione contra jus gen-*

 tium

tium armis impetere. Controverſiis qvæ ipſi cum Stralſundiæ & Imperii Ordinibus interceſſiſſent, non magis ſe Regem Svediæ, qvippe ad eum nihil pertinentibus qvàm Cæſarem rebus Svediæ ſe immiſcere fas eſſe. Si qvæ verò diſſenſiones inde inter utrumqve ortæ fuerint, facilè pacis viâ, Regis Daniæ interventu, Gedani componi potuiſſe, ſi Rex ſuos Legatos ſufficienti agendi facultate, ut Cæſar ſuum Legatum Burggravium de Dona inſtruxiſſet. Præterqvam qvod Regii legati ſummam rei levibus ex cauſis infectam reliqviſſent. Se toto imperii ſui tempore nihil in Regis dedecus aut præjudicium vel per ſe admiſiſſe, vel ſuis permiſiſſe. Ipſius verò arma non ad Regis diſcrimen, ſed ad Imperii qvietem vel tuendam vel reducendam directa fuiſſe. Se ad amicitiam & pacem cum Rege colendam propenſum eſſe, ſi Rex Germaniam milite ſuo exoneraret. Si ſecus, ad vim armis propulſandam paratum eſſe. Electores inſerto jam ſuis literis Regio titulo, ſuis tamen nominibus Regio præpoſitis, ad Regem ſcripſere in hanc mentem: *Qvod antea in ſuis ad eum literis Regium titulum omiſiſſent, non ex odio aut exiſtimationis Regiæ detractione ſed more ad alios Reges uſurpato factum, excuſabant. Cauſas verò belli à Rege ſuſcepti elevabant, & arma ponere, pacem præferre ſvadebant.* Ad literas Electorum prius qvàm Cæſaris ipſi traditas Rex reſpondit: *Sibi qvidem ægrè eſſe, qvod Electores Regio nomini ſuum præmiſiſſent. Sed his, ut externis, qvæ Regio honori nihil detractura, nec Electorum dignitati qvicqvam additura ſint, miſſis factis, ipſam rem aggreſſus, breviter repetiit cauſas, qvæ ipſum ad hoc bellum impuliſſent.* ¶Illis verò juſtitiam armorum ſuorum tuens, *ſi legitimis & efficacibus remediis pacis Germaniæ turbatoribus obviam iri, atqve bonis conditionibus ſua ac ſociorum ſecuritas confirmari poſſet, ſe tam facile arma depoſiturum adfirmavit, qvàm ægrè ſumſiſſet.* Ad Cæſaris literas initio conteſtatus: *Se ipſum non niſi Principis titulo dignatum eſſe, qvaſi Cæſari aut Imperio ſubjectus eſſet; in qvo tamen ne glebam qvidem terræ teneret. Hæc nolle eò valere, ut Regiæ inde eminentiæ fraus fieret.* Ad rem ipſam ita reſpondit: *Cæſarem ante annum infeſta contra ipſum ſigna in Boruſſiam, nullo indicto bello, miſiſſe. Se ergo de violato jure gentium argui non poſſe: qvum vim non illatum ſed repulſum eat. Ne tamen præter exſpectationem ſe armis peti qvereretur, binis ad Electores literis ſatis præmonuiſſe; niſi à Cæſarianis admiſſa in tempore emendarentur, ſe aliam viã, ad ſuam ſecuritatem & ſociorum ſalutem tuendam, inire cogi. Stralſundæ & vicinorum Principum ac civitatum negotium ad ipſum qvoq; jure veteris amicitiæ, communis religionis & libertatis, commerciorum, in mari Balthico ſuoq; regno cuſtodiendæ pertinere. De pace cum Cæſare agendi conſilium ſe nunqvam averſatum fuiſſe; ſuoq; nomine Cancellarium ſuum Gedani ampliſſimis mandatis inſtruxiſſe. Sed qvod de mutando ob incidentia ſubitò qvædam rerum monu-*

menta

menta loco & mutua negotiorum communicatione, inter delegatos convenire non potuiſſet. Cæſarem ſuo Legato præfractè renitenti imputandum habere. Fruſtra verbis & pollicitationibus ſecuritati publicæ caveri, qvum ipſum rei periculum ante oculos atqve inter manus verſetur, non aliter, qvàm juſtis & adverſis armis repellendum. Si verò res in integrum reſtituatur, & læſis, ut decet, ſatisfactio præſtetur. ſe à tutâ cum Cæſare amicitiâ non alienum fore. Chriſtianus Gulielmus Adminiſtrator Magdeburgenſis à Cæſare ob belli contra Cæſarem Danici ſocietatem aliasq; cauſas extorris factus, qvum ad Guſtavū ante ejus diſceſſum Holmiā veniſſet, opis à Rege petendæ, & maximè pecuniæ cauſa, qvâ militem emeret; Rex qvantum poterat auxilii ei promiſerat; attamen, ne Adminiſtrator incepta ſua præcipitaret, monuit; cautè potius, qvàm præproperè ageret; ſimulata interim pœnitentia & culpæ deprecatione apud Cæſarem. Sed ille feſtinato itinere Magdeburgam, paucis comitatus acceſſit. A civibus honorificè exceptus, eos ad arma edicto vocat, & ad religionis ac patriæ hoſtes expellendum hortatur. Fœdere cum Civitate renovato, comeatum & militem colligit, ſuo & Regis nomine delectum agit, & miſſis aliqvot cohortibus Wolmerſtadiū & Calbā, inde Cæſarianos exigit. Bernburgū ditionis Anhaltinæ vi capit. Ipſe cum aliqvot copiis excurrens; Halam Sax. occultâ civiū conſpiratione intercipit. Arcē iſtic Mauritianam machinis admotis aggreditur. Sed poſtqvā Cæſariani cū majoribus copiis adventant, obſeſſis opitulaturi; arcē atq; urbē relinqvit & Magdeburgā ſe recipit. Nec reliqva ejus incepta ex voto ipſi proveniebant, qvod nondū ſatis belli ſubſidiis inſtructus, omnia ſimul corripere conabatur, qvæ per partes, & cū tempore atq; occaſione, majoribusq: viribus peragenda erant. Minores autem copiæ facilius diſſipari, & fortunā parū æqvâ, civiū amor ac ſtudia, ut ſolent, paulatim langveſcere cœperunt; ita ut tandē ad maturandū delectum pecuniam, ad recipiendos milites hoſpitia ei denegarent, nec alimenta aliaqve neceſſaria, niſi pro præſenti ære præberent. Rex Theodorum Falkenburgium tribunum militum & aulæ ſuæ præfectum Mageburgam mittit, qvi diſſimulato habitu, iter eò faciens, proſperè urbē ingreſſus eſt, animoq; plebi ac magiſtratui ſuâ præſentia addito, ſummam belli ſuis conſiliis moderatus eſt. Promiſſa à Guſtavo Adminiſtratori pecunia tam properè nō exſolvebatur, qvàm neceſſitas efflagitabat; hoſtibus interim ad ſuā occaſionē in cogendis copiis & obſidēda arctius urbe Magdeburga intentis & advigilantibus. Rex de urbe liberanda ab Adminiſtratore & civitate compellatus & rogatus, ita belli molem promovere cogitabat, ne qvid intutum & anceps poſt ſe relinqveret; copiis Cæſareis ad Viadrum prius profligandis diſtrictus, qvod etiam ex ſen-

tentia

tentia ſucceſſit, vetere Brandenburgo aliisqve locis receptis. Qvamvis autem alieno anni tempore & terra uligine plena, tormenta ægrè traduci poſſent; ne tamen urbi defuiſſe videretur, jam ad expeditionem in procinctu ſtabat: qvum nuntii & literæ Magdeburgâ adferuntur, qvæ Regem de paulò meliori urbis ſtatu certè nondum ad extrema redacto, docebant. Idcircò commoditati progreſſuum in Pomerania ulterius inſiſtens, literis Magdeburgenſes ad conſtantiam hortatur, eosqve de fide ſua,& ope prope-
1631 diem ferenda confirmat. In comitiis hujus & ſeqventis anni iterum decreta & approbata eſt conſcriptio ac delectus militum per Svetiæ Regnum: ad roborandum vires exercitus Regii, & præſidiis muniendum occupata armis loca. Ob annonæ qvandam difficultatem interdicto regio prohibita eſt evectio frumenti: ne neceſſaria vitæ & victui civibus & claſſi Regiæ deſint. In Marchia Brandenburgenſi ad Cuſtrinum inter Regem & Electorem de tuto tranſitu Sveticorum per ejus regiones,inprimis de armorum & virium conjunctione agitur. Tranſitum innoxium Elector permittit, ſocietatem armorum abnuit: ne Cæſarem offendat, & vim illius adverſus ſuas provincias irritet. Qvod autem Elector ex reliqvorum collegarum auctoritate partes ſuas inter Regem & Cæſarem de pace interponere paratus erat, ut tantis belli incommodis vel finis vel modus fieret, Regi qvidem non diſplicebant; ſed qvod pacis conditiones jam à Rege expeteret, ipſi intempeſtivum videbatur, anteqvam de hoſtis mente, &, qvid de pace verè ſentiret,certior eſſet: ſe enim inani ſpe ludi aut circumveniri nolle, interim fortunæ tam propitiæ beneficio ſe uſurum innuebat. Dum hæc ita agitantur, Loknitzii arx, à regiis ductore Leslæo expugnatur, cui etiam Rex eam dono dedit. Legiones Turnianæ, qvindecim milites Viadrum trajicientes, Croatis in hoſpitio ſuo, ductore ſignifero Ulrico Braunio, aliàs Brandio, per inſidias oppreſſis, egregiâ prædâ potiti ſunt: dum qvidam Croatarum zonas auro & argento refertas,qvidam laminas aureas & argenteas ad pectus abdiderant. Fœdus à Rege Svetiæ cum Rege Galliæ ad ſexennium renovabatur; cui etiam Britannorum &Batavorum conjunctio accedebat. Etſi vehemens brumæ frigus hyberna militibus ſvadere videbatur; ne tamen rerum gerendarum opportunitatem pigrum tempus moraretur, Rex nec ſibi ſuisqve,nec hoſti ſpatium qvieſcendi dare voluit. Certè qvæ noſtros talibus adſvetos excitabant, & noctu militem ſub frigido cœlo ſolisqꝫ pellibus Lapponicis, jam gelu duratum, in excubiis tenebant; ea hoſtem inſvetum his & fractum debilitabant. Guſtavus ergò hoc tempore Mechlaburgum & inde Stetinum cum ſuis movet. Ubi munimento,

in qvo

in qvo adhuc laborabatur, inſpecto, milites & operas, ſe abſente, ſegniores ac remiſſiores fuiſſe vidit, centurionem, laboris exactorem, non ſatis impigrum, in vincula dedi juſſit. Illo ſævitiam frigoris, qvo tellus indurata ligoni reluctaretur, cauſante, Rex contra: *Semper terram gelu conſtrictam pro ſegnibus porcis eſſe, ut proverbio vulgi dicitur. Qvæ differri non poſſint, fruſtra excuſari, nec nimis urgeri. Cum arduis contentione virium atqve pervicaci induſtria, cui tandem cedant, eſſe certandum. Id ſolum homini difficile obvenire, qvod ex animi tempore aggredi negligat, aut metu recuſet.* Rex autem præſens effecit, ut in munienda vallo & foſſis urbe plus operis una dierum hebdomade, qvam eo abſente multis ante conficeretur. Hinc abiens urbe Neobrandenburgo, Clempenoa, Treptoa, Loitzio, capto ibi Petro Peralta Hiſpano, & alis locis potitur Rex, præſidiariis ad ſolum Regis adventum dilabentibus, & ſua prius formidine, qvàm manu hoſtili victis. Inde Demminum, munitam ad Penim urbem, Ducatus Mekelburgenſis clavem & militum horreum adortus, intra triduum, per Kniphuſium cepit, & qvidē eò facilius qvo magis vis frigoris circumjectas forſas & paludes conſtringebat, aditumq; noſtris faciebat, iſtâ qvoq; naturâ regios ſucceſſus juvante; excedenteq; cum ſuis copiis urbe Savilio. Ejus inexplebiles manus, avaritiam & ſordes omnes damnabant. Qvum enim cives & agricolas expilationibus ſuis ad incitas redegiſſet, dimidiam urbis ferme partem ruinis ædium deformaſſet, oppreſſorum ſudorem & ſangvinem exhauſiſſet, etiam ruſticorum eqvos direptos haſtæ ſubjecit. Sed cum non omnes emtorem invenirent, nec agricolarum fidem de redimendis reliqvis ſeqvi vellet, inemtos mactari curaſſe, & corium illis detractum carnifici vendidiſſe fertur. Malchinum oppidum Johannes Moltk, nobilis Megapolitanus, eqvitum magiſter, crebris hinc inde excitatis ignibus, & funiculis ardentibus ad arbores ſuſpenſis, ut denſarum copiarum ſpeciem facerent, aſtu ac terrore ad deditionem compulit. Omnia Pomeraniæ loca & oppida præter Griphisvvaldiam in Regis poteſtatem conceſſerant. Griphisvvaldiæ obſidio Achatio Tott eqvitatus præfecto commiſſa, in adultam usqve æſtatem protracta eſt: tam ſtrenuè Franciſcus Ludovicus Peruſius urbi præfectus (etſi à Bannerio literis monitus, ut annona, & ſpe auxilii excluſus, militi ſuo parceret, & neceſſitati, qvod prudentis eſſet, cederet) tamen eam ſuſtinebat. Idem urbem tam egregiis operibus munive-rat, ut vel ipſo Rege judice, paria his Cæſariani in omni Pomerania non relinqverint. Inope auri argentiqve civitate, ſtanneam monetam ad tempus cudi fecit cum hac inſcriptione; NECESSITAS

GRIPHISWALDENSIS. Salis penuriæ, venis ſalinæ, qvæ diu qvieverant & neglectæ ſteterant, iterum apertis & excoctâ aqvâ ſuccurrebat. Ut victui deſtinata in longius obſidionis tempus ſufficerent, ſupervacuâ & inutili turbâ emiſsâ, iſtæc parcè & adſtrictè erogavit. Poſtea per Achatium Tott, Peruſio longius cum ſuis copiis extra urbem progreſſo, & ab eqvitibus Sveticis ex abdito prorumpentibus, interemto, urbs primò tormentis oppugnata, dein auxilii ſpe nulla, conditionibus æqvis ac honeſtis occupata eſt. Ad famam Regii in Pomeraniâ ſucceſſus Tillius Francofurtum ad Viadrum & inde in Pomeraniam cum duodecim (alii viginti) millibus militum, vel ad reprimendum Regis progreſſus, vel amiſſa recuperandum tendit. Ibi recepit Neobrandenburgum urbem, Kniphuſio urbi præfecto capto; qvi, licet hoſtis adſultus cum defenſoribus ſuis impigrè retunderet, tamen carens tormentis ſe dedere coactus eſt, cæſis ferme omnibus Sveticis, qvi urbem tam gnaviter tutati erant. Regiorum caſtrorum ad Svetam fl. poſitorum oppugnationem Tillius viribus minor aggredi non auſus, Magdeburgam petit. At Rex ordinata diſciplinâ militari, rectâ Francofurtum ad Viadrum cum ſuis movet; ut, ſi ea potiretur, Tillio iſtic belli ſedes & opportunitas in Pomeraniam excurrendi aut Regis copias circumveniendi præriperetur; Regi verò pateret acceſſus in Marchiam, Saxoniam, Sileſiam & Luſatiam, divites provincias. Etiamſi urbs Francofurtum valido ſex millium præſidio & commeatu inſtructiſſima, munitionibus & operibus externis eorumqve acceſſibus confectis & ſuburbiis combuſtis, ad defenſionem ſui nihil reliqvi feciſſet; tamen Rex, cui nihil ferme inexpugnabile erat, urbis oppugnationem aggreditur. In exuſtis ſuburbiis ſe opportunè communiens, aggerem vel ſuggeſtum ad molas urbis & horrea tegularum excitat, in qvo duodecim majora tormenta adverſus portam Gubenenſem, viis ad eam ductis collocabantur. Tertio Nonarum Aprilis, poſt preces matutinas & ſacra peracta, Rex oppugnare urbem cæpit. Disjectâ tormentis portâ, per hiantes ruinas impreſſionem fieri jubet. Ibi acre certamen, qvod ipſe Rex hortatu & exemplo accendebat, cum hoſte initur. Ad primam oppugnationem obſeſſis eripitur unum exteriorum operum & propugnaculorum, à Cæſareis CCCC. inſeſſum, ad defendendam portam Gubenenſem, qvæ ereptio præcipua jacturæ urbis cauſa fuit. Præcipiti jam die & Cæſarianis eruptionem parantibus, repente qvidam Sclopetarii Regis, optione Centurionis, Andrea Anero Miſnico maſculè præeunte, vallum urbis adſcendunt; & qvod propugnatorum aures atqve oculi fumo ac fragore præpediti, tam propinqvum periculum non ut debe-

ut debebant, perſentiſcerent ac proſpicerent, vallo potiuntur. Rex oblata in occaſionem ſucceſſus rapiens, ſuis illico cum ſubſidiariis copiis adeſt. Mox ad Lebuſienſem portam, cujus latera humo congeſta Rex, gnavus & felix ad hujusmodi detegenda, ſentiebat, iis perfoſſis L. Sveticorum militum propugnaculum adſcendere & excubias binas tollere jubet. Inde verſis ad urbem tormentis, pomerium ejus invadunt. Hac re dejectis obſeſſorum de ſola vitæ ſalute ſollicitis animis, in urbem noſtri penetrant. Hic ingens & promiſcua obviorum cædes fit, præter eos qvi pontem, qvo Viadrus ſternitur, petentes, ſarcinarum plauſtris à fuga impediti, in aqvam ſe præcipites dabant, exceptisqve inermibus, qvibus Rex parci edixerat. Bis mille trucidati feruntur: qvùm noſtri memoriâ cladis Neobrandenburgenſis vehementius exaſperati, eam ultum irent; ita ut omnes urbis viæ ad pontem ferentes, cadaveribus aggeſtis conſtratæ, ferè laterent. Octingenti hoſtium capiebantur, inter qvos principes erant Sparrius, Morvallius & Butlerus. Tiffenbachius & Schavvenburgius felici fugâ in Sileſiam evaſerunt, Trecenti regiorum cæſi ſunt. Deprædatione urbis militibus ad tres horas indulta, iſtud tempus & modum ita exceſſerunt, ut fuſtibus abigendi eſſent. Tam ægrè officii regionibus continetur miles, in deripiendi occaſione & licentiâ, licet definita: velut canis ab uncto corio vix plagis abſterretur. Qvum enim contra vetitum ſæpè faciat miles, haud facile modum aut præſcriptos fines in conceſſis tenebit. Tormenta viginti unum, inter qvæ duo majora nomen & inſignia Rudolphi II. Cæſaris præferebant, cum viginti qvatuor ſignis, nongentis ferme cadis pulveris nitrati, & omni reliqvo inſtrumento bellico Regi ceſſerunt. Frumenti ibi reperti copiam non ſolùm in milites, ſed etiam cives Rex diſpertitus eſt: ut direptionis calamitatem hoc tanqvam ſolatio qvodam eis allevaret. Tillius cum auxilio ſerius adveniens, jacturam urbis non leviter tulit, eoqve contentius Magdeburgæ obſidioni inſtitit, anteqvam Guſtavus illis auxilio veniret. Rex qvæ occuparat, firmandis & muniendis diſtrictus, Francofurto ad Proteſtantes, qvi Lipſiæ convenerant, literas dat, expoſitaqve urbis victoria, eos ad arma & vires in communi cauſa pro religionis ac libertatis defenſione ſecum jungendas hortatur. Magdeburgenſes verò ad obſidionem fortiter tolerandam incitat, fidemq; dat, ſi Francofurto urbe jam feliciter occupata, prius Landsbergam, Deo faciente, ceperit: ut hoſtem aut ſtatu ſuo depellat, aut à Magdeburgæ obſidione devertat; ſe intra bimeſtre ſpatium illis adfore. Mox Landsbergam adit. Obſeſſi qvidem initio ſe ſatis defenderunt, ſed Gratzio juniore, tribuno in eruptione interfecto, trecentisqve

 tisqve

tisqve captis, præterqvam qvod recenti Francofurtenſium exemplo terrebantur, æqvis conditionibus urbem dedunt; milites verò Cæſariani cum impedimentis & qvatuor tormentis Glogoviam Sileſiæ deducuntur. Proteſtantes, ut vocant, Imperii Ordines, Electores, Principes, Civitates aut earum delegati Lipſiæ convenerant, conſilia agitantes, præter alia, de ratione ſiſtendæ exſeqvutionis edicti Cæſarei de bonis eccleſiaſticis recipiendis, & de via & modis, qvibus miles Cæſareus, qvi contra leges imperii & pacta Cæſaris Ordinũ provincias & urbes tranſitu, metatione, commeatus extorſione & tot bellorũ injuriis & malis tam diu, tam inæqvaliter & graviter premeret, ut animã ferme agerent, inde dimovendus & regionibus eorũ pax & libertas reſtituenda eſſet. Qvod cum absq; armis & opibus confici nõ poſſet, militem in legitimam ſuorum defenſionẽ conduci, & qvantũ qvisq; in mediũ conferre debeat, præfiniri decretum eſt. Soluto conventu, Cæſari & Electoribus Pontificiis, qvod in eo actum eſſet, ſignificarunt; additis precibus, ut discordiis civilibus & tot belli procellis, qvibus Germania tantum non opprimeretur, obviam eant, atq; auctoritatis ſuæ æqvo majores nervos in fraudem Imperii libertatis & pacis publicæ extendere nolint. Hic Guſtavus, cujus intererat, Proteſtantes Imperii Ordines amicos habere, ſibi vigilandum & occaſione utendum exiſtimans, per legatos ſuos Ordines ſingulos, & inprimis Saxonem & Brandenburg. Electores partibus ſuis adjungere laborabat; qvod ſi impetraſſet, reliqvos exemplo & auctoritate illorum facilè allectum iri ſperabat. Legatis autem ſuis hanc cum dictis Ordinibus & Electoribus agendi rationem in mandatis dederat, ut eos ſecum pro tuenda communi religionis & Germaniæ libertate in ſocietatẽ armorum adducere ſtuderent. qvod ſi Ordines reverentiâ legũ Imperii, metuq; potentiæ Auſtriacæ recuſarent; ſaltem apud eos militẽ finium defendendorum cauſa conducere, & juſta Regis arma, ſalutis & qvietis publicæ Germanis reſtituendæ viam qværentia, menſtruâ pecuniæ collatione, atq; per ipſorũ provincias permiſſo libero tranſitu, commeatu, & ſi neceſſe foret, receptu adjuvare, illis perſvaderent. Qvod ſi non poſſent, privata cum ſingulis fœdera paciſci conarentur, aut minimùm viam propioris amicitiæ ac fortè conjunctionis Regi apud eos præpararent. Qvæ etiam poſtea feliciter proceſſit, firmo inter Sveones & Evangelicos Imperii Ordines fœdere inito. Qvamvis autem Saxo nunc propenſior ad partes Regis, qvàm ante, eſſe videretur; tamen ita ſe medium geſſit, ut amicum qvidem Regis, nec tamen apertum inimicum Cæſaris ſe oſtenderet: ne ſibi ſpem opis Regiæ, ſi opus foret, præcideret; nec Cæſarem, niſi extrema neceſſitate victus, offenderet. De pecuniâ Regi ſuppedi-

canda

tandá incaſſum cum eo agebatur,nec ut Regi tranſitum per ſuas provincias permitteret,aut ſociis armis eum pro liberandâ Magdeburga juvaret, adduci poterat. Licet igitur Saxo in ſocietatem belli tunc perduci neqviret, à Brandenburgico tamen,utSpandaviam præſidio ſuo,tuti receptus cauſa,firmaret,ac poſſideret usqve ad liberationem Magdeburgæ, Rex obtinebat; Sed tranſitus ei denegabatur. Guſtavus Magdeburgenſes iterum ſpe ſui acceſſus & auxilii intra tres dierum hebdomades mittendi erexit; niſi ei tranſitum amici obnuerent. Interim hoſtilis expugnatio Magdeburgæ, & funeſtum atqve dirum ejus excidium,ab aliis ſatis & prolixè deſcriptum,nec propriè ad Regis geſta pertinens, evenit. Illud Rex non ſolùm dolente animo, ut religionis ac fœderis ſocius,accepit,ſed etiam de tanta hoſtium immanitate, in urbis incolas absqve ſexus & ætatis diſcrimine exercitâ, feriò vindicandâ,ut ſtrenuus Princeps cogitavit. In publicam verò lucem ſcriptum emiſit,qvo ſe in liberanda urbe à moræ & incuriæ culpâ expurgabat. Poſt hæc controverſia de Spandaviâ, qvam Elector Brandenburgicus poſt expugnatam Magdeburgam,ex pacto repetebat,diſceptata eſt. Rex arcem & caſtellum ad finem belli retinendum eſſe contendebat: ut bellum ad Albim facilius promoveretur,& Brandenburgicarum regionum ſecuritati magis conſuleretur. Urgebat qvoqve tranſitum Cuſtrini in aliaqve Electoris loca receptum,ſummam pecuniæ promiſſam aliaqve neceſſariaRegi permittenda. Poſt varias & perplexas utrinqve contentiones, cùm minis diripiendæ à dimiſſo Spandavia milite urbis Berlini, & irâ permixtas, tandem ad Electoris Palatini viduæ & aliarum illuſtrium matronarum ac virginũ blandam deprecationem velut exarmato Guſtavo, vel ita ſimulante, ut illius ad partes Regis tranſitio neceſſitate excuſari videretur,inter Regem & Electorem res amicè compoſita eſt: ita ut Spandavia Regi denuò traderetur,Brandenburgæ & Rathenaviæ nova præſidia imponerentur, Regi tranſitus per Cuſtrinum,qvoties vellet, pateret, Electoratus Brandenburgicus qvot menſibus triginta millia imperialium alendo militi Regio penderet. Inde Rex Stetino Albim verſus Tillii perſeqvendi cauſa tendit, Bannerio ad urbem Brandeburgam relicto; ut iſtic Havelæ tranſitum præmuniret. Tangermundam progreſſus, in vicinis pagis tres eqvitum Cæſarianorum legiones,itinere æſtuq; feſſas opprimit & occidione delet,Stendalia & Havelberga etiam in ſuam poteſtatem redactis. Hinc ſibi viam ad Albim aperit,eoqve trajecto,Werbenam per Comitem Ortemburgicum,Baudiſium & Hallium occupat, ducentis eqvitum Cæſarianorum partim captis, partim cæſis. Poſtqvam verò Comes Ortemburgicus & Baudiſius tribunus in Albi laverant,

rant, ad domandum inſignem corporis calorem, & inde ſe largius poculis invitarant, uterqve gravi morbo correptus eſt: Ex qvo Ortemburgicus brevi deceſſit, Baudiſius autem medicorum induſtria tandem convaluit. Ad Werbenā Rex caſtra ponit, egregio iſtic propugnaculo, ad tuendum utrumq; fluvium Albim & Havelam exſtructo. cujus commodo hoſtem trans dictos, ut & Viadrum & Wartam fluvios, toto Electoratu Brandenburgico exegit. Proteſtantes *Lipſienſe fœdus ad neceſſariam publicæ rei defenſionem adverſus inſolentiam & vim malè conſultorum exercitui Cæſaris præfectorum, privata ſæpè auctoritate, ſuæ utilitatis cauſa, urbes & provincias pro lubitu vexantium, inſtitutum eſſe* apud Cæſarem excuſabant; Cæſar tamen *novos in Imperio motus eo excitari, & ad ipſum in ordinem cogendum machinationes inſtitui ab uno vel paucis diſſidentium externa auxilia advocari, ut adverſus omnes tandem valeſcant*, expoſtulabat. *Ideò ipſos eorumqve ſocios fœderi iſti, tanqvam factiones & partes & publicæ rei diſtractionem alenti, renunciare, & fidem obſeqviumq; ſibi atqve Imperio integrum præſtare* hortatus eſt, *qvod ſi nollent, vim oſtentavit*; qva etiam per Comitem Furſtenbergium, ex Italia cum exercitu redeuntem, Memmingam, Campodunum, Ducem Wirtembergiæ, Ulmam, totam deniq; Franconiam fœdus iſtud ejurare adegit. Ut pari modo Tillius Cæſaris nomine Landgravium Haſſiæ & Electorem Saxoniæ, Principem fœderis, eò compelleret, partem copiarum in Haſſiam, ductore Fuggero mittit, reliqvis Thuringiam Saxoni ſubjectam divexat. Electorem & ſocios per delegatos ſuos à colligendo milite abſiſtere, & qvem ſub ſignis habeant, ſibi ad proſeqvendum contra Svedos bellum concedere, hoſpitia verò ac commeatum in ſuis regionibus exercitui Cæſariano præbere poſtulat. qvo qvid aliud, qvàm nervos potentiæ illis præcidere ſatagit? ſi verò recuſent, armis eos cogendi prætextum habet. Elector qvidqvam eorum, qvæ poſtulabantur, rebus ita comparatis, præſtari poſſe negat: de vi hoſtili exercituum Cæſaris, erga qvem tamen tam conſtantis fidei fuerit, in aliqvot Epiſcopatibus & Electoralibus urbibus occupatis, centum amplius pagis vaſtatis, inſolentia militari & injuriis in qvemvis ordinem & ſexum & pluribus contra Imperii leges & pacta admiſſis conqveſtus, ulteriora hoſtilia averti à Cæſare contendit. Tillius à Pappenhemio de Regis ad Albim irruptione certior factus, Werbenam cum copiis ſuis properat; ubi libenter vindicandæ cladis cauſa qvid in caſtra Svetica molitus eſſet; niſi valida & inacceſſo ferme loco poſita inſultum eius prohibuiſſent, & victus copia eum defeciſſet. Idcircò poſt velitationes aliqvot, unde venerat, greſſum retulit. Rex Daniæ obtentu pacis cum Cæſare, fruſtra ad opem ferendam à Guſtavô ſollicitatus, inſtruxit

XX.na-

XX. navium claſſem ad oras Regni ſui contra piratas, ut prætexebat, tuendum. Regem verò Guſtavum, iſtæc ſuſpecta habentem, ſecurum eſſe monebat, fidemqve dat, ſe omnia pro Rege facturum, qvæ ſalvâ cum Cæſare pace poſſit. At Rex ſubſidiis ex Svetiâ, Galliâ, Angliâ, Scotiâ & Bataviâ acceptis, partem copiarum ad cuſtodiendum Pomeraniæ limites, partem Ducibus Mechelburgenſibus ad recuperandum reliqvas urbes ſuas, ductore Achatio Tott, transmittit. Et qvidem feliciter evenit, ut poſt Sverinum & Guſtrovium ſedes Principum, Buchoviam & Plaviam occupatas, totum ferme Ducatum Mechleburgenſem Rex recuperaret præter Domitzium, Roſtochium & Wismariam, præcipuas urbes, clade Tillii poſtea ſubſeqvuta territas & occupatas, omnes tandem provincias ſuas vel vi vel deditione Duces reciperent, & in ſuum Ducatum à Rege, libertatis ac ditionis ereptarum vindice ac inſtauratore, reſtituerentur. Saxone & ſociis à Cæſare ac Tillio ejus nomine neqvicqvam admonitis, ut Lipſienſi fœdere caſſo & irrito facto, armis abſtinerent, Tillius invadere Saxoniam armis jubetur: qvibus Electore, fœderis capite, ſubacto, ſocii facilius imperata facerent. Itaqve recognito ad Halam Saxoniæ qvadraginta millium exercitu, & captis in tranſitu Mersburgo, Weiſſenfeldo aliisqve Miſniæ locis, movet Lipſiam, & ab ea ingentem annonæ copiam hoſpitiumqve in urbe deſiderat. Qvæ cum inſcio & invito Electore, ſe his annuere poſſe negaret, obtento armorum contra urbem movendorum titulo copias propius admovet, urbemqve obſidione cingit. Civitas incendio, abſumtis ſuburbiis; initio qvidem ad defenſionem, machinis in hoſtem tonantibus, parata ſatis eſſe viſa eſt; ſed terrore & exemplo Magdeburgæ à Tillio percita, poſt bidui oppugnationem hoſti ſe tradidit. Hic Saxo in viſcera regionum ſuarum hoſtiles manus injici ſentiens, non ultra cunctandum eſſe ratus, alterutram viam eligendam, vel Cæſaris potentiæ cedendum, vel Regis opem adverſus eam qværendam eſſe videt. Re cum ſuis in conſultationem vocata qvidam eorum ſvadent, *deſiderio Tillii potius morem gerendum, qvàm Cæſaris offenſam provocandam eſſe: in teſtimonium vocantes infelicia exempla Comitis Palatini & Regis Daniæ. Regem Svetiæ alienigenam eſſe, opibus & pecuniâ parum pollentem, innixum humeris aliorum: qvos, unica clade adflictus, in flammis relicturus, aut Cæſaris arbitrio permiſſurus eſſet. Contra Cæſaris arma maximè æſtimanda eſſe, tot victoriis formidabilia, tot regionum occupationibus ſolidata. Iſtam arborem infirma vi cupreæ ſecuris non poſſe ſterni: cujus faſtigium in tam firma ſtirpe fixum, & cujus ſtirps tot auxiliorum radicibus immota hæreret. Cautum Principem maturiori conſilio futura, qvàm præſentia perveſtigare oportere. Illud bellum fugiendum*

endum eſſe, cujus initium pernicioſum eſſet. Solius Ducatus Saxonici viribu Cæſari non poſſe reſiſti, ideone Sveonum auxilium adſciſcendum eſſe? ut eis poſte dare cogantur, Cæſari jam denegata. Noxium eſſe, aliena auxilia in ſuas ditiones accire: qvippe qvum externa præſidia ægrè iſtis munimentis excedant, qv ſe defendiſſe prætexunt. Alii contra diſceptabant: *Cæſarem nimiâ potentiâ, Principibus non ferendâ, creviſſe. Plus qvàm in confeſſo eſſe, Auſtriacos juratos Evangelicæ religionis hoſtes, & dominatus ſui perſeqvutores eſſe. Nimis altam elationem Catholicorum, fore depreſſionem Proteſtantium. Adventum Regis Sveciæ miraculoſum eſſe æſtimariq́; tanqvam juſtum Dei ſupplicium adverſus illos, qvi victoriis abutentes, animos nimiâ ambitione implerent. Non aliter ſibi perſvader poſſe, qvàm fortunam favere prudentiæ cordati Regis: qvi multum parvis opibu & caſtris poſſit. Præteritis exemplis comprobatum eſſe, qvàm pernicioſum ſit, negligere occaſionem comprimendi ſummè formidatam potentiam, velut ex Bohemi rebus pateret. Si enim Comes Palatinus in regio ſolio collocatus, in tempore circumſcripſiſſet Domus Auſtriacæ potentiam, in longè digniori æſtimatione fore ſtatum Electoralem. Infirmiori neceſſariò ſuccurrendum eſſe, ut bilanx æqvaliter pendens, in ægriores humeros non decideret. Illud tempus jam ortum eſſe, qvo frænandæ ſint noxiæ Auſtriacorum molitiones, & excutiendum illud jugum; qvod iterum collo impoſitum, difficulter emoveri poſſet.* His & aliis rationibus motus Elector, per Arnhemium à Rege Svetiæ, ad neceſſariam ſui, ſuorumqve defenſionem, auxilium & armorum ſocietatem expetit, accipitqve his conditionibus: *Ut rebus communi conſilio decretis, directio & ſumma belli penes Regem eſſet. Ut tranſitus ad Albim Regi ad receptum pateret. Ut neceſſarius victus Regi, & ejus copiis, dum in Saxonia adverſus hoſtē defendenda ſubſiſterent, præberetur. Ut pro religione junctis viribus tuendâ ſe ac ſua Elector obligaret. Ut utriusqve conſenſu cum hoſte pax fieret.* Rex transmiſſo Albi, mille ferme paſſus Witebergâ abfuit, ubi complures Studioſi ad eum videndum excurrerunt; qvos comiter alloqvutus, Lutheri filios appellabat. Inprimis Profeſſoribus Theologiæ colloqvii intra tentorium ſuum copiam fecit, his inter alia dictis: *A vobis ex hoc loco Evangelii lucem in Svetiam accepimus, qvam qvum hoſtis obſcuratum eat, ad vos venimus, illam cum Deo tuendi, aut iterum accendendi animo.* Inde Caſtra ad Dibenam cum Electore conjungit. Ferunt Regem conſpectis Saxonicis copiis benè habitis & pulchrè veſtitis, ad Electorem dixiſſe: Suum militem non qvidem tam bene curato & amicto corpore, qvàm Electoris eſſe; in prælio tamen de virtutis gloriâ cum Saxonicis certaturum. Ubi, qva ratione hoſti occurrendum ſit, conſultatur, Elector acie decernendum eſſe, judicavit: *ut fortunâ ſecundante, unius prælii ſucceſſu hoſtis ejus provinciis exigeretur; in qvi-*

in qvibus ſi diutius hæreret, tot hoſtilibus propriisqve copiis Saxoniam penitus exhauſtum iri; niſi periculum etiam ſubſit, prorſus eam hoſtilis poteſtatis futuram. Occaſionem ipſam prolectare ad prælium, dum Tillii exercitus cum Altringeri, Gronsfeldii aliorumq; exſpectatis copiis nondum conjunctus eſſet. Præſentibus hoſtium viribus qvàm nimium poſtea auctis, facilius ac felicius congreſſuros. At Rex qvod in eâ ſententiâ non eſſet, vel; qvod veriſimilius, ut Electoris animum magis eliceret, contra diſſerebat. Eqvidem Guſtavus cavendis qvàm ſpernendis hoſtibus præſtantior, nec minus illorum vires, animos atq; ingenia, qvàm ſuorum rectè æſtimare ac ponderare ſciens, *absq; certâ & majori ſpe ſummam rei in uno prælio periclitandam eſſe* negabat: *præſertim cum hoſte toties victore, veterano, exercitato & copiis valido. Minori diſcrimini fore, ſi Saxo, aut ipſe vires hoſtiles paulatim frangeret, aut Halam Saxonum digrederetur, atqve à tergo hoſtem circumfundens, fortunam ex occaſione experiretur, aut loci commoditatem extorqveret. Accedere & illud, qvod Tillius in hoſtili ſolo ſtaret, ubi auxiliorum, pabuli & annonæ copia ei præcluſâ, vel, ſi hoc non liceret, omnibus conſumtis, per ſe absq; partium periculo atteri poſſet.* Elector, cujus hîc res inprimis agebatur, tenax ſententiæ, *ſi Rex prælium abnueret, ſe ſolum ſuasq; copias qvacunqve ſpe aut fortunâ cum hoſte manus conferre malle, qvàm difficilius exſpectare diſcrimen, aut urbium provinciarumq; ſuarum opibus expilatis abſumtisq;, indignam hoſti victoriam extra campum & aciem concedere,* dictitavit. Rex, Electorem obfirmato ad prælium animo eſſe videns, ad ejus ſententiam acceſſit, & ſedecim mille pedites, ter mille eqvites ſecum ducens, ei ſuppetias Regiâ fide tulit. Electori verò confirmavit: *ſe impendente pugnâ, pro duce facturum, mortem enim non metuere: nec alterius rei qvam exercitus & vitæ ſuæ jacturã facere poſſe; qvæ jam dudum bonæ cauſæ conſecraſſet.* Anteqvam verò hoſtis in occaſionem ulterius ſe firmandi, temporis commodo uteretur, in hoſtẽ protinus ire ſvaſit. Et ivere militari ordine, Regii ad dexteram, Electoris milites ad ſiniſtrã, rectaq; Lipſiam, in adverſum hoſtẽ, qvi in commodâ & ſilvis ſeptâ ſtatione exercitũ ſuum tenuit, donec illi advenirent. Regia acies ita ordinata erat. Primũ cornu Gothi, Smalandi & binæ Finnonum legiones obtinebant. In primâ Smalandorum acie Rex ipſe conſiſtebat, eqvitibus, qvi peditu ſubſidium eſſent, delectis, & jaculatoribus vel ſclopetariis immixtis, his omnibus præerat Bannerius. Poſt illos Rhingravii eqvites in ſubſidiis ſtabant. Hos excipiebant Livoni, Curlandi cum Damitii & Sperreuteri legionibus. Alterum cornu Hornius regebat, cum Calembacchi & Baudiſii alis eqvitum, Hallii & Corvillii (ut alii, Hebronis) legionibus, qvæ periclitantibus præſto eſſent. Medium inter cornua corpus ex variâ gente,

præter Svedos, Germanis, Gallis, Scotis & eorũ ductoribus conſtabat. Electoris acies ita inſtructa erat, ut in ſex peditum & eqvitum legiones, & hæ in cornu atqve alas diſtinctæ eſſent. Tillianæ aciei dextrum cornu Comitem Furſtembergium, ſiniſtrum Pappenheimium, medium ipſum Tillium rexiſſe volunt. Univerſus peditatus in qvatuor phalanges diſtributus erat, qvas pleriqve eqvites duabus alis utrimqve cingebant. Regiorum teſſera erat, Deus nobiſcum, Tillianorum, Jeſus Maria. Tillius ad unum à Lipſiâ lapidem cum ſuis agminibus ſe hoſtilibus copiis obvium dans, ventum ab occidente flantem, ut ſibi à tergo ſecundus, noſtris à fronte adverſus eſſet, captavit, & proximè à clivo tormentis inſeſſo aciem collocavit. Regis & Electoris exercitus qvum per rivum anguſto tramite difficulter traductus fuiſſet, hortatu Regis confirmatus, intrepidè gradum in hoſtem facit. Cominus accedentibus & diſploſis utrimqve in prælii argumentum tormentis, ſecundâ poſt meridiem horâ, prælium inter dextrum Regiorum & ſiniſtrum Cæſarianorum cornu ſummo animorum fervore coortum eſt, etiam naturâ in prælii partes certatim vocata. Qvippe Rex aciem ad ſiniſtram, qvantum poterat, circumegit: ut ventum cum hoſte ex æqvo divideret, ſi præripere totum neqviret; vel ſaltem ad latera eum milites haberent, ut minus infeſtum. Contra Tillius venti beneficium ſibi auferri non paſſus, converſis à ſiniſtra ad dextram ſignis, pagum adjacentem accendit, ut fumus & cinis in adverſa noſtrorum ora atqve oculos propellente vento ferretur. Ita primum de vento certamen fuit; qvi qvidem noſtris in progreſſu parum incommodavit. Eo tamen id efficiebatur, ut ſiniſtrum hoſtis cornu ab aciei corpore longius diſtractum, concurreret cum Rhingravii legione & peditibus, cui immixti eqvites deſultorii (noſtris Dragones) erant, qvod hoſtis ignorabat, atqve iſtic ordines hoſtiles aliqvantum interciderentur. Hic Bannerius commodè ſuccurrens, cum ſuis copiis & recentibus atqve integris ſubſidiis à Rege turmatim ſubmiſſis, in hoſtem tantâ vehementiâ incumbebat, ut ſiniſtrum ejus cornu ſpargeret atqve in fugam conjiceret. Holſatica tamen hoſtium legio loco & ordine ſuo immota ſtabat, donec à delectis noſtrorum peditibus & eqvitatu undiqve circumfuſa profligaretur. Inde Cæſarei, qvum Svedi eis ad tumulum ingruerent, loco ſe moventes, à tormentis Sveticis graviter infeſtati ita frontem circumduxerunt, ut in Saxonicos, qvos vel inferiores vel minus exercitatos fore credebant, certè qvibus ventus adverſus erat, tota mole ſe proruerent. Cui ſuſtinendæ illi impares, laxatis ordinibus jam labaſcere cæperunt. Rex diſcrimen rei animadvertens, Saxonicis ex ſilvâ ſubſidio ſtatim, vultu virtutis ac lætæ ſpei oculisqve ardens, advolat,

advolat, & ſiniſtrum eqvitum cornu, qvibus peditum aliqvot legiones adjunxerat (vel ut qvidam, ſubſidia Halli & Hebronis) in latus hoſtium ſenſim invehit. Non prius autem ſuos, præſertim eqvites, globo ferire hoſtem docuerat, qvàm album in oculis illius conſpexiſſent: qvo adverſum hoſtis obtutum intrepidè ferre, & adſpicere contra certoqve eum ictu petere aſſvefecerat, ſuoqve exemplo, ſtricto enſe, exertaqve manu hoſtem alacriter ferire docuerat. Deniqve integri feſſis, compoſiti disjectis opitulati, ordines Saxonicorum & pugnam reſtituerunt: qvæ tam ſtrenua erat, ut eqvitatu Cæſareo ab utrisqve, Regiis & Saxonicis, circumfuſo, Furſtembergii copiæ jam in fugam inclinarent. Hoſtilis tamen peditatus, etſi ab eqvitibus turpiter deſertus, ſtatum ſervans, noſtros ferociter in ſe procurrentes, non ſemel maſculè rejecit. Qvum autem Hornius cum eqvitibus ac ſclopetariis ſiniſtri cornu, cui Rex Weſtrogothos ductore Haraldo Stake, eqvitum magiſtro, adjunxerat, illis ſuccurreret, & duo peditum agmina, refectis in receptu paulùm viribus, denuò in hoſtem immitterentur, cujus confertos globos tormenta non parum diſcerpſerant atqve disjecerant, Ordinibus paulatim ſolutis Cæſariani, toties ante victores & arte belli inſignes, in apertam fugam ſe dare cæperunt, noſtris fugientium terga impigrè cedentibus, & agmina hoſtilia carpentibus. Ita poſt qvatuor (alii qvinqve) horarum dimicationem Tillius inſigni clade afficitur, ipſe qvoqve graviter ictus. Hæc utiqve clades divinitus ob victorias inſolenter ab eo habitas, præſertim Magdeburgenſem crudeliter uſurpatam illata, non ſolum antea invicti famam, nunc cum ipſo ſeneſcentem obſcuravit, ſed etiam omnem retrò victoriarum fructum catholicis uno velut momento abſtulit, ut adverſariæ partis hiſtoricus Brachelius ingenuè confitetur. Eqvidem ut hoſtium conſilia & ſpem non leviter repreſſit, ſic noſtratium contra ſucceſſus iſte luculenter erexit. Certè unâ hac victoriâ non ſolum urbs Lipſia, ſed in unâ urbe tota Saxonia liberata, omnisqve ſociorum fortuna ſervata eſt. Auſtriacorum verò labi cæpit, omnis caſura, ſi ſtatim à Lipſienſi prælio Rex in Bohemiam & Auſtriam caputqve Imperii victrices copias, calentibus adhuc animis duxiſſet. Unde qvidam, *Svedum vincere, victoriâ uti neſciviſſe* ſcribit. At præterqvam qvod miles, tàm vehementi prælio defatigatus, qviete & ſpiramento qvodam opus habebat, nec, longius perſeqvendo victoriam tam recentem, irritare victos è re fore videbatur; reliqva etiam fato & tempore ſervabantur. Utrimqve cæſa duodecim millia (qvidam novem, alii qvindecim millia ferunt) Cæſariorum octo (alii ſex) millia. Plures è Saxonicis qvàm Regiis deſiderabantur. Præcipui Cæſarianorum, ſtrenuè pro ſuis ſtantes, occubuerunt,

runt, Otho Fridericus de Schönburg, rei tormentariæ præfectus, Theodoricus Othmarus Ervvitius, excubiis præfectus, Adolphus Holſatiæ Dux, qvi ſiniſtrum hoſtis agmen ducebat, Baumgartner tribunus, atqve centurionum non pauci. Ex Regiis Teuffel, Calmbacch & Hall tribuni, Adercas, Damitz aliiqve centurionum fortiter oppetiere mortem, Saxonicorum præcipui Binthof Tribunus, Starſchedel & Lemminger excubiarum præfecti ceciderunt. Exutus hoſtis tormentis majoribus viginti ſeptem, omnia plauſtra & impedimenta cum ingenti vi ſpoliorum & centum eqvitum peditumqve ſignis amiſit. Rex per noctem iſtius diei prælium excipientem, in campo cum ſuis perſtitit: ut haud dubiè ejus ſe compotem oſtenderet, & ſuis ab hoſtili fortè regreſſu atqve inſidiis præcaveret: Inde Saxone ad Lipſiæ recuperationem relicto, Hallam ac Mersburgam à Cæſarianis deſertas, occupat. Anhaltino Ducatu, & Epiſcopatu Halberſtadenſi Regi ſe dedentibus, ille in Thuringiam pergit, & captâ iſtic Gothâ, præſidium ac patrocinium Regium ab Erfurdienſibus accipi poſtulat. Qvo à Civitate Svecis deinde perfugium & auxilium fidum pro viribus non ſemel præbente recepto, & in urbe ſimul fœdere cum Vinarienſibus Ducibus facto, Rex in Franconiam tendit: ut ſacri ac Pontificii fœderis vires ibi qvoqve communiret. Ipſe nominis fama ac terrore præmiſſis, præter alia minora oppida atqve arces, Hennebergenſem Comitatum, Köningshoviam, arcem munitiſſimam, Franconiæ clavem, & Svveinfurtum, dilapſis Herbipolin præſidiis, occupat; multis in Franconia ſe qvoqve poſtea ad Regis, eos per amicas literas allicientis, ſocietatem applicantibus. Qvamvis autem Rex Epiſcopo Herbipolenſi adventum ejus edocto, æqva pacta obtuliſſet, tamen ille non par pari reſpondit, ſed tormentorum ictibus eum excepit. Proinde Rex Herbipolin urbem aggreſſus, ſuburbii porta per admotam machinam (petardum aut crepitaculum vulgò vocant) ad dirumpendam & aperiendam urbẽ fruſtra tantata: qvum fimo portæ intus & abundè aggeſto vis ejus ac flamarum retunderetur & eluderetur; militẽ portæ propius ſuccedere, valvas ſecuribus refringere, refractis & recluſis fimũ raptim egerere jubens, cum omni peditatu in ſuburbium irrumpit, eqveſtribus excubiis & Smalandis, ductore Friderico Stenbock, exterius providè diſpoſitis, donec urbs poſt ſeriã impugnationem ſe Regi traderet. Arx verò per pontem penſilẽ ab hoſte reſciſſum, ſed mox à noſtris refectum, exercitu, ductoribus Axelio Lillie & Jacobo Ramſæo Tribunis, transmiſſo, & munimento ad pontem arcis vi capto, tormentis acriter diverberatur. Etiamſi arx in excelſâ & prærupta rupe ſita, difficilis acceſſu eſſet, tamen ad campos, ubi aliqvanto humilior & leniter acclivis

erat,

erat,aditu ab altera arcis parte inveſtigato,utut obſeſſi reluctarentur, à noſtris tamen expugnata eſt. Iſtic ingentem auri & argenti,ab adverſæ partis magiſtro eqvitum,qvi eorum indicio vitam ſuam redemerat, detecti vim & annonæ copiam Rex reperit. Argentum & aurum Rex non ſuam, qvia Guſtavus erat,ſed ducum ſuorum, annonam militum prædam fecit. Mediocrem librorum copiam optimas manubias,Academiæ Reglæ Upſalienſi dono miſit. Imperii ſtatu in Herbipolenſi diœceſi ordinato, Rex progreſſus, Werthemum,duobus millibus Cæſarianorum ad eam urbem per inſidias cæſis,Aſchaffenburgam, Cæſarianis diffugientibus, ſponte ſe dedentem, Hannoviam repentina incurſione & arte Hubaldi occupavit; qvi portâ ad arcem reſeratâ & irruptione ſubitâ per vim in urbem facta,portam inter veterem ac novam urbem occluſit: ut utriusqve milites ac cives ſejuncti ſibi invicem ſuccurrendi facultatem non haberent. Mox reſiſtentes in vallo & urbe, dum vim tormentis intentat, ad deditionem compulit. Inde Steinhemium,Fridbergam,Rhingaviam,Regis fama, anteqvam ipſe accederet, jam ſuperatas,& viribus impares,pactionibus cepit. Inprimis Francofurtum ad Mœnum,anniverſarium totius Europæ emporium, tranſitum & præſidium Regi deſideranti antea denegans, poſtea ulterius urgenti concedit. Ille ſexcentorum præſidio Sachſenhuſiæ ſecuritatis cauſa impoſito,cum majori reliqvi exercitus parte adiens urbem,eam in tutelam ſuam recepit, edicto regio commerciorum hactenus bello Germanico clauſorum, inſtauratum iſtic cultum aperuit ac reſtituit; de qvocunqve hominum genere,etiam mercaturam facientium,bene merendi ſtudio. His ita conſtitutis Rex Rhenum, fruſtrà prohibente præſule Moguntino,per vadum, conſcenſâ exiguâ cymbâ,exploratum,trajicit,columnâ in rei memoriam excitatâ, cui armatus leo cum galeâ & enſe inſculptus inſidet. Mox Hochſta, Openhemium & Moguntia,etſi validis præſidiis Hiſpanicis tutantibus,Regis virtuti ceſſerunt. Moguntia proximis acceſſibus & propugnaculo in S. Jacobi monte facto,tormentisqve admotis qvaſſata,ut, oſtenſo direptionis metu, excidium ſui declinaret,deditionem ſubiit. Moguntiæ LXIII. (alii LXXX.) tormenta,præter pulveris nitrati & armorum opulentum apparatum, vini & alimentorũ abundè Rex accepit, qvibus corpora plus ſatis curarunt milites; qvorum jactura in obſidione levis fuerat. Axelio Lillie autem tribuno crus majori tormento eliſum periit,vita & virtutis decore ei ſalvis. A direptione urbem cives octoginta millium imperialium impenſa liberarunt. Inſtructiſſimam Electoris Bibliothecam Rex Cancellario regni donavit, ab ipſo autem Arhuſienſi in Svetia Gymnaſio donum,non mari,ubi in transvehen-

do diſperierant,deſtinatas ingeniorum opes. In ripa Moguntiæ Rex novam urbem,à ſe Guſtavoburgum appellandam, exſtruere commodo loco cæperat: ſed majoribus avocatus,imperfectam reliqvit. Inde Lauda, Bacheracum,vino præſtanti nobile oppidum,Wormatia,Spira Nemetum,Landavia,Cronvveiſſenburgum,aliæqve iſtic urbes,Moguntiæ fortunam ſeqvutæ ſunt. Manhemium in inferiori Palatinatu Bernhardus Dux Vinarienſis cum trecentis ſuorum, ſimulato ab ipſis, qvaſi Cæſarianis, qvos Sveones perſeqverentur, in urbem ſumo mane perfugio,aſtu & excubiarum incuria cepit. Unde Maravallius ei ab hoſte præfectus, ſui muneris negligentior capite pœnas dedit. Ut multa paucis complectar, qvidqvid alicujus momenti ſub ditione Moguntinâ ac Palatinâ cis & ultra Rhenum ſupererat, in Regis manum & poteſtatem,velut debitum regio ſudori ac victoriæ præmium,conceſſit. Interim Guſtavus Horn in Alſatium à Rege miſſus,ad cohibendum iſtic Lotharingos pro Cæſare militantes, & ope Argentinenſium profligatos: inde movens in Franconiam, Mergenthemum, Winshemum pluresq; urbes vi vel transactione occupat. Heilbrunnam verò cum Witzlebii,Sperreuteri & Cochtitzkii,qvotqvot ſupererant,eqvitibus & ſexcenti peditibus aggredi cœpit. Prius tamen inveſtigatum miſit loci genium præſidiorum vires & induſtriam, aliaqve. Exploratores his cognitis retulere,præſidia non adeò valida,ad portas ſolùm & in medio urbis foro, non in muris ipſis excubare. Sedebat itaq; Hornio, hac remiſſiore eorum cuſtodiâ in occaſionem impreſſionis uti. Comperto loco,ubi urbis foſſa ſiccior erat,admotis ſcalis interjectum murum noctu ſuperare animus erat: inde per oſtiolum, qvo ad eum aditus erat, ad interiorem urbis portam penetrare eamq; crepitaculo diſcutere cogitabat. Jam ad hoc omnia apparata erant qvum Hornius,conſilio ex re mutato,ſecum perpendebat, qvam difficulter miles,noctu præſertim,tenebris cujusqve licentiam occultantibus, à raptu cohiberetur. Verebatur autem,ne urbs ſatis locuples, qvæ facultatibus ſuis ſociorum rebus uſui eſſe poſſet, ſi militari prædationi permitteretur, uno impetu peſſum iret, atqve commune ſuâ utilitate privaretur. Exitum inſuper hujusmodi callidarum artium,qvibus hoſtis ſubitò circumveniendus aut opprimendus ſit, in incerto eſſe conſiderabat,auctoresqve ſuos,vel minimi temporis commodo ſe vertente, ſæpe fallere, qvod ſi uſu veniret, nec res ex ſententia ſuccederet, præſidiariorum animos inde elatum, civium autem minutum iri. Occupationem verò urbis poſtmodò minus in proclivi eſſe: qvam integris civium animis & operâ ſociâ faciliorem fore ſperabat. Simulac autem regius miles ad urbem oſtenſurus ſe eſſet, cives &

per

per illos præſidia commune periculum in Regis partes haud dubie inclinaturum. Ex his rationum momentis viſum eſt Hornio furtum noctis prætermittere,& luce palam eos adoriri. Proinde eqvitatu & deſultoribus in proximo & æqvo campo explicatis, pedites, ne eorum paucitatem aperta planities proderet,ad Carmelitarum cœnobium ſepoſuit, & per tubicinem præfecto urbis deditionem imperavit. Ille verò tubicinem ne reſponſo qvidem dignatus, traductione tormentorum in editiores turres,& properata operum refectione,ad defenſionem cum cura ſe accinxit. Molæ, qvæ foſſæ urbis, qvâ Nicrum ſpectat, imminebat & foſſa muroqve circumvallata erat, qvadraginta ſclopetarios imponit. Sed Hornius eam beneficio noctis,primo aſſultu,optione & triginta militibus captis,reliqvis cæſis occupavit. Eodem verò tempore urbs irruptioni opportuna fuiſſet, ſi Regii ſcalam, qvâ præſidiarii ex urbe & in urbem ultro citroqve commeabant, curioſius obſervaſſent,eamqve hoſti intercepiſſent: per hanc enim,ex ipſius hoſtis confeſſione, in interiora munimenta ipſamq; urbem facili negotio transſcendere potuiſſent. Dum verò vel cunctantur vel aliis diſtinentur,obſeſſi ſcalam ſatis uſurpatam in Nicrum dejiciunt. Tam levibus momentis rerum opportunitates non ſatis obſervatæ dilabi poſſunt. Propugnaculum tamen è regione molæ ſitum,tuendæ urbi præ reliqvis deſtinatum, primâ luce adeo pilarum ictibus infeſtabatur,ut nemo caput proferre, nedum ad globos in hoſtem ejaculandos manum protendere auderet: eò maximè qvod octodecim ab hoſte milites & inter eos rei tormentariæ peritiſſimi cæſi eſſent. Hornius ergò denuo deditionem civium poſtulat: qvam præfectus urbi,langveſcentibus militum & vacillantibus civium animis, haud invitus fecit. Bamberga verò prius amici cum Rege pacti ſpecie ſe periculo ſubducens,eo amoto,poſtea hoſtilem induit animum. Sed fraudis artifex eàdem cecidiſſet,poſtqvam Hornius eam à præſidio,deſperatâ ejus tutelâ,relictam occupavit; niſi ob certas cauſas,ad Regem perſcriptas, eam deſerere neceſſe habuiſſet. Earum hæ præcipuæ erant: qvod urbs ampla,iniqvis ſpatiis vel incurſioni opportunis,vel montium adjacentium incommodo ſubjectis,& parum munita,non absqve valido præſidio,nec tutò ſatis teneri poſſet. Urbs tamen exſpectato Gulielmi Ducis Vinarienſis auxilio, communiri,auctoreHornio,cæpta eſt,ſingulis legionibus parte laboris diviſa. Veterana legio opus urgebat; Sed Solmenſis remiſſior erat. Hoſte interim adveniente, ad arma conclamabatur. Comes verò Solmenſis ſuos ad opus perficiendum ſedulò hortabatur. Kochtitzkius protribunum Bilavium hoſtilem impetum cum ſuis ſuſtinere jubebat. Ille verò mandata per-

perperam intelligens, Baudiſſinam legionem in apertum campum eduxi prope ſilvam, in qvam hoſtis ſe abdiderat. Hornius erroris jam admiſſi eò qve irrevocabilis incommodum, qvantum poſſet, emendaturus ſingulis legionibus ſtationes ſuas, ad excipiendum ex inſidiis fortè provolaturum hoſtem, adſignavit. At hoſtis Bambergæ appropinqvare cœpit, qvare Hornius Bilavium milites, in opere urbis totos, adverſus eum tueri voluit. Is qvidem mandatum exſeqvutus, ſed ſerius cum ſuo milite regreſſus, ab hoſte è proxima ſilva prorumpente, circumvenitur, & turbatis agminibus in fugam vertitur. Unde Solmenſes è propinqvo tantus terror inceſſit, ut iſti qvoqve ſtationes ſuas desererent, & ponte præterito urbem repeterent. Hoſtis autem ponte ſuperato, ductu Farensbachii urbem Bambergam invaſit, non tamen absqve ſuorum ſangvine, duabus legionibus oppreſſis. Hornius apto ordine cum ſuis Sveinfurtum & inde Geltershemum ſe recepit, & ad hoſtis molitiones ulterius animum advertit. Rex ubi comperit à Tillio recuperatam eſſe Bambergam, firmatis qvæ ad Rhenum ſibi ſubjecerat & Moguntiæ (alii Francofurti) auditis variis ad ſe legatis qvi ex Galliâ, Britanniâ, Belgio, Electoratu Trevirenſi, Palatinatu, Ducatu Brunſvicenſi, & urbibus Brunsvviga, Lubecâ, Luneburgo, Bremâ, famâ ac ſtupore regiorum factorum ac tantæ fortunæ exciti, paſſim eò confluxerant, ut vel amicitiam ac fœdus, vel neutras partes aut qvietem ab eo expeterent; inde in Franconiam, ſuis auxilio venturus, Tilliumqve armis ulturus abit. Qvo debellato, præter alios etiam Fridericum Palatinum, tot annis exulem, ejus provinciis procedente tempore recuperatis, reſtituere in animo habebat. Sed ille poſteà Moguntiæ febri exſtinctus eſt, qvum morbum etiam mœror ex Regis obitu non diu poſt ſubſecuto, auxiſſet: fato ſic diſponente, ut ad ſua, qvibus ſemel excuſſus erat, non rediret, ſed Filiis ſucceſſoribus ſervarentur. Dum Rex in Franconia verſatur, in tranſitu Bambergam, præſidii juſti expertem, recipit. Noribergam profectus, & iſtic magnificè exceptus, cum Republica agit, ut præſidium Regium adverſus vim hoſtilem admittat, qvæ pactis cum Rege initis, qvinqve millium præſidium accepit. Interim Hiſpanis ad Moſellam fl. à Rheingravio cæſis, in inferiori Palatinatu Creucenacum, Weiſſenburgum, Braunfelſæ arx Bobenhuſa, Kirckberga & alia loca partibus Svedorum acceſſerunt. Ducibus verò Luneburg. & Brunſvicenſi cum Rege ſe fœdere conjungentibus, in Ducatu Brunſvvic. Sveones ductoribus Gulielmo Duce Vinarienſi & Bannerio, Goslariam, Gottingam, Duderſtadium aliaqve oppida, à Pappenhemio deſerta ſub poteſtatem Regis redegerunt. At Gulielmus Haſſiæ Landgravius, fidus Regi ſocius, in

dic-

diœceſi Paderbornenſi Warburgum, Sandhagam, Volcmariam, Ericoburgum & Amœnoburgum feliciter occupavit. Rex magno in Bavariam irruendi ſtudio ducebatur: ut armorum hoſtilium vim ab amicorum finibus arceret,& vires adverſæ partis vel divelleret,vel in hoſtili ſolo infringeret. qvod eò facilius poterat,dum Donavverdam, Imperii urbem, à Bavaris, ſub ductu Rudolphi Maximiliani Lavvenburgici Principis, deſperata ulteriori ejus ob pauciora præſidia defenſione, ſubitò deſertam invadit,& longius provectus utriusqve Danubii ripâ tandem potitur A Tillio qvidem, qvi Rainam urbem ad Lycum flumen, Sveviam à Bavariâ dividens, firmis præſidiis munitam tenebat, aditu prohibebatur. Sed Deo duce, & comite virtute, nihil intentatum reliqvit, donec Rainam obſeſſam occuparet. Etiamſi verò Tillius ponte ad Rainam reſciſſo, Lyci ripam freqventibus eqvitum ſtationibus ad Auguſtam Vindelicorum usqve productis muniviſſet, propinqvam ſilvam inſediſſet, viamqve concædibus impeditam obſtruxiſſet, tamen Rex adverſam ripam, à Cæſareis negligenter cuſtoditam cepit. Illa autem editior, qvam altera à Tillio occupata,qvæ depreſſior,eoqve tormentorum diſcrimini magis ſubjecta erat. Ubi Lycus ad dimidii circuli formam ſe inflectit, Rex aggerem continuum (*Retranchement* vulgò nuncupant) circumduxit, ad utrumqve verò, finem & medium latus aggeris triplici ſuggeſtu excitato,LXXII.tormenta, vel,ut alii,LXXXII. in eo diſpoſuit. His in objectam ſilvam,in qva hoſtis ſe condiderat, continenter tonantibus & hoſtem à fronte ac latere infeſtantibus, non levem Cæſarianis ſtragem,etiam arborum ingenti ferreorum globorum vi decuſſarum & paſſim diſcerptarum fragminibus, dedit; & qvidem tam horriſono fragore & crepitu,ac ſi colliſis ruptisqve nubium globis crebroq; fulmine cœlum intonuiſſet. Inde poſtmodo deceſſerunt hoſtes,multis admirantibus,eos tam commodo loco,qvo vix C M. militum ope ex qvorundam judicio,ſummoveri potuiſſent,exceſſiſſe. Sed nimis denſam ac ſævam globorum & pilarum à noſtris pertinaciter immiſſam grandinem amplius ferre non poterant. Rex autem Lycum ponte ad Oberndorffium jungere cœpit,qvod ut lateret hoſtem, aut ab eo non impediretur, ex incenſa materia fumos hoſti objecit.Ponte per biduum confecto,pedites eqvitesq; transmittebat. Hic gravi trium horarum concertatione inter Tillianos acceſſum prohibentes,&Regios adverſum nitentes,Rex tamen ripâ cis fluviũ potitus eſt. Hoſtis verò licet acriter pugnaſſet, cladis etiam Lipſienſis ſarciendæ ſtudio,nihilominus Svedis acrius inſtantibus ac tormentis trans fluvium ac ſclopetis ex colle virgultis oppleto hoſtem impigrè ferientibus,tandẽ ceſſit

In hac pugna(qva etiā Linnarti Torſtenſonii,ad majora nati,virtus jam elu-ceſcebat,)Tillius mortifero vulnere in femore ictus & Ingolſtadium depor-tatus,ibi animam effudit. qvod ludicri certaminis à pueris perſonatis,Gu-ſtavo victore & Tillio victo, editi omine in ſuperiori Palatinatus oppido Chamo prænunciatum ferunt. Tillius autem,imperator militaris Cæſaris & Bavari, integritatis morum,& qvæ raræ in militaribus,ſobrietatis ac caſti-tatis laude,maximè belli peritia & fama rerum bello geſtarum nulli ferme noſtra ætate ſecundus erat; niſi Guſtavum hîc ſe ſuperiorem agnoviſſet. qvem qvum virtus & fortuna ſupra alios extuliſſet, ab eo ſolo vinci cædiq; pro ſolatio cladis mortisqve decore reputabat. Poſtqvam Rex dicto mo-do ſibi viam ac acceſſum in Bavariam fecerat,præmiſſo Nicolao Brahe,Rai-nam & Neoburgum urbes ab incolis derelictas invaſit. Hinc trajecto Ly-co Auguſtam Vindelicorum obſidione cinxit, & qvamvis firmo præſidio o-ctodecim ſignorum pedeſtrium & duarum turmarum eqveſtrium munitam; tamen pronis plurimorum civium præſertim Auguſtanæ Confeſſionis in Regem animis, absqve majori negotio deditione cepit. Ingreſſus ur-bem Rex magno civium, inprimis Evangelicorum, applauſu & exqviſitis honoribus excipitur. Emotis magiſtratu Pontificiis, Auguſtanæ Confeſ-ſioni addictos in eorum locum ſufficit, & libertatem religionis civibus in fidem ſuam acceptis reſtituit. Qvum Ratisbonæ, nobilis in Bavaria ad Danubium civitatis, ad Regis partes ob communionem religionis etiam propenſæ,Senatus de urbe ad certū tempus Regi aperienda & tradenda clam per literas egiſſet, Bavarus,interceptis literis, ſuos milites ſub ſpecie regiorū dictâ horâ ad urbē miſſos intra eā recipi fecit,qvo ſucceſſu, urbem præſidiis, qvæ ante recuſarat, aſtu contra Regis incurſionem firmavit. Qvanqvam autem Rex vel Ratisbonam vel Ingolſtadium occupandi animum habebat, ut in Bavariâ & ad Danubium certiorem ſtationem figere poſſet; tamen ejus fruſtra periculum fecit: qvum iſtæc loca, vallo, propugnaculis ac juſtis præ-ſidiis firmata, inſultum hoſtilem arcerent. Rex locorum ingenium & ſitum cognoſcendi cauſa exſpatiatus, eqvo, qvo vehebatur, ictu tormenti confoſ-ſo, & Chriſtophoro Marchione Badenſi ad latus ejus interemto, non absqve præſentis vitæ periculo progreſſus eſt. Hîc Rex ad circumſtantes dixiſſe fer-tur: *Hic crudus globus, qvi animoſo Marchgravio vitam abſtulit, me & omnes vos mortalitatis noſtræ monet: Si ergò ego ex voluntate Dei dies meos hîc aliqvan-do claudere debeam, ſcio qvod juſta mea cauſa, nimirum Germaniam in avitam ſuam libertatem reponendi, qvietum mihi ſepulchrum factura ſit. Deus ſapien-tiorem me poſt me excitare poteſt, qui hanc cauſam ulterius proſeqvatur. Forſan*

invidi dicent: Me quærere divitias & honorem in Germania, eoqve ſimplices ſeducent. Sed voco Principes exules, qvos reſtitui, & creditores meos, à quibus Francofurti & alibi ingentes ſummas mutuò accepi & tot pericula, qvibus me ultro objeci. Bavarus autem cernens ſe ſeriò peti, neutras partes ſeqvuturum eſſe, per Legatum Gallicum ad Regem profeſſus, fidem tamen non meruit, nec, qvod captabat, obtinuit: qvippe iſto prætextu, viribus reficiendis ſpatium qværebat. Rex in Bavariam pergens, in tranſitu Landshutum, Mosburgum & Friſingam occupat. Agricolæ Bavari, qvi agreſtibus & ſævis in Sveticos animis erant, Sveticis militibus, ubicunqve incondité vagantes, aut in præſidiis numero pauciores deprehenderant, peſſimè exceptis, aures, manus, pedes, nares præciderunt, ipſa adeò virilia exſecuerunt: ut iſti alieno ludibrio, & ſuæ miſeriæ ſuperſtites eſſent. Horum immanem ſævitiam Rex ita ultus eſt, ut obvios trucidari & aliqvot centum pagos flammis ſubjici juberet: ut vel ipſa loca cum incolis ſuis & ſævorum facinorum auctoribus cineres obruerent, & ex orbe terrarũ funditus delerent. Monachiũ, jam regios ferme in cervicibus ſuis eſſe videns, neceſſitati obſeqvitur, ſeqve ratis conditionibus Regi dedit. Admiſſo in urbem Rege, centum qvadraginta tormenta, velut ſepulta & ſolo condita, hic ruſticorum Regis munificentiã allectorum judicio reperta, atqve, ut cavillabantur, è mortuis reſuſcitata ac in lucem protracta ſunt. Inter illa duodecim Apoſtolorum imaginibus inſignia erant, & qvædam ſuos, ſic appellabantur, qvarum una pretioſo pabulo, auro ſaginata & producta, triginta millia aureorum revomuit. Hæc omnia cum reliqvis ad Regem, cum trecentorum millium imperialium cenſu, à civibus amoliendæ urbis direptioni expenſo, devenerunt. Eſt qvi refert, Regẽ ab exule Rege Bohemiæ, tunc Regis comite, ad igne delendam iſtam urbẽ ſtimulatũ, eã tamẽ vim abſtinuiſſe, ſive urbis pulchritudine motũ, ſive qvod indignũ ſe exiſtimaret, in tecta ſævire. E Bavaria Rex in Sveviam itineris & victoriarũ curſum protulit. Non eſt verbis æqvare properos Regis progreſſus. Tot urbes tam exiguo temporis ſpatio cepit, ut fulminis inſtar ſimul veniret ac feriret. In Svevia hoſte fuſo fugatove, & incolis plerisq; in Regem ſtudio cõmunis religionis proclivibus, Ulmã, Mem̃ingã, Campidunũ, Leutkirchiã, Mundelheimũ, Schongaviã, Lavvingã, Eslingã, Reutlingam occupavit; ut & Landsbergã ac Fieſſam ad Lycũ ſupra Auguſtã ſitas, & rebelles ruſticos domuit. Inde Bibracho in Svevia oppido ab obſidione Leopoldi & Oſſæ liberato, ad Helvetiæ lacum Brigantinũ contendit, ipſis iam Alpibus im̃inens, non absq; Italiæ formidine. Burgus Genevenſis in ſua belli Svetici hiſtoria refert, Regem jam in Italiam cogitaſſe, & Lindavienſes de ſuo milite admit-

tendo, & aditu in Ducatum Mediolanenſem præbendo tentaſſe. Sed hoc incertum. Sanè Finnonici milites Romam animo verſantes, jam ſciſcitari cœperant, qvàm longe inde urbs abeſſet. Cratzius opprimere Svedos, abſente Rege licet irrito conſilio conabatur. Weiſſenburgum tamen urbem, de qva ſuperius, oppugnatam ad deditionem, inani ſuppetiarum exſpectatione, compulit. Deditos contra datam fidem, prætextu violatorum pactorum, aut diripuit aut trucidavit; qvod Rex Duci Bavariæ literis exprobravit, Kratzium dedi ſibi poſtulans, mox tamen urbem deditione recuperavit. Guſtavus Comitem Solmenſem ad Electorem Saxoniæ miſerat, ut cum eo, nomine regio, de armis ſecum adverſus Fridlandū nova machinantē, & Catholicæ potentiæ conjuratas vires, iterum conjungendis ageret. At Fridlandus, ſi Proteſtantes, ulterius cum Rege armis & animis coirent, Pontificiorū opibus, licet ſatis creviſſent, non tamen nimis fidebat: adverſus hoſtes conſentientes, præſertim Guſtavo ductore, nullas vires ſatis validas eſſe, non ſemel expertus. Idcircò pacis cum Cæſare ſeorſum ineundæ atqve Saxoni per Arnhemium Saxonicæ militiæ præfectum, oblata imagine, partes Evangelicorum ſociorum diſtrahere callidè qværit: ut ita ſeparatas & debiliores Cæſariani facilius opprimerent. Elector cætera dubius, in pacē haud perplexè propenſus eſſe videbatur. Illos tamē, qvorū cōmunis fœderis cauſa intereſſet, prius, uti præ ſe ferebat, ſuper hoc negotio conſulturus. Nihilominus perpenſo magis conſilio, à ſocietate armorū cum Rege non abhorrebat; & qvidem eò evidentius, qvo Fridlandus Electori, jam Bohemiā exacto, poſtmodò propius ingruebat. Rex autē per alium Legatū Auguſtū, Comitē Palatinū, ei fidā opem promittens, ſimul amicè monuerat, ne cum Fridlando feſtinaret pacis conſilium, aut cupidius eam hoc tempore expeteret, qvàm ex uſu omnium Proteſtantium eſſet: qvos cum aliis qvibusdā exteris Regibus, Principibus ac Rebusp. benè animatis, in cōmunis cauſæ tutelā, ordinato militiæ ſtatu, conſpirare, vel, ut Guſtavus in ſuis ad Regem Daniæ, qvi ſuam interpoſitionē hîc obtulerat, literis reſcripſit, *in corpore aliqvo formato conſilia conſiliis, arma armis hoſtium opponere*, è re ſingulorum futurum ſit; donec luculentior cōmunis pacis ſpes affulgeret. qvod conſiliū etiam Brandenburgico placuit. Et ſocii Evangelici jam in Torgavienſi conventu poſt arctius fœdus cum Rege Svetiæ cogitatū & mox contractū novū militū delectū decreverant. Dum hæc aguntur, Pappenhemius ad Viſurgim prope Huxteram centum deſultorios noſtrorum, tribuno eorum Kaggio, & optione Roſa ſuderat, CC. captis. Culpa rei in Roſam conferebatur, qvod arcem ad pagum, qvà Huxteram iter eſt, ſitam, ut juſſerat Kaggius, præſidio munire, & de tuto receptu militis proſpicere neglexerat. Hinc progreſſus Pappenhemius Huxteram, inopiā virium & annonæ deſertam, & Ein-

beckam

beckam, Saxoniæ ad Sollingum ſaltum urbem, expugnando capit. Regii autẽ Voerdam in ditione Bremenſi tribuno Mainio per inſidias, & Buxtehudam, duce Tottio, deditione intercipiunt. Stadam verò urbem lenta obſidione fatigatam, & poſteà annonæ penuriâ à Pappenhemio relictã, non tamen absq; prævia ſuorum in agro Kedingenſi, ſed majori Cæſarianorũ à Finnonibus illata clade, recuperarant. Ita paulatim ditio Bremenſis armis Sveticis à vi & præſidiis Cæſarianorũ liberata eſt. Friburgum autem urbem à Cæſare Regi Daniæ conceſſam, Archiepiſcopus, Joh. Fridericus, Regis avunculus, expulſis inde copiarum Sveticarum ope Danicis præſidiis, recuperavit; ut & jurisdictionem ac fructus Epiſcopatus, à Rege ipſi ad tempus vitæ conceſſos. Ad inferiorem Rheni oram Hiſpanos, qvi aliqvot oppidis & ipſa Spirâ Nemetum in deditionem acceptâ, Moſellam fl. tranſierant, Regni Svetici Cancellarius Axel. Oxenſtierna, cui Rex ſumam rerum ad Rhenũ comiſerat, providâ curâ cum Comitis Palatini Birckenfeldii Chriſtiani copiis conjunctis, ulteriori excurſione, & ex ipſo Palatinatu ejectione repreſſit: qvæ ab aliis prolixius commemorata extant. Interea fœdus cum Argentoratenſibus, opera Johannis Nicodemi Lillieſtrôm delegati Regii feriebatur; qvod Regis rebus ex occaſione bono auxilioq; fuit. Circa hoc tempus Rex intimum aulæ Conſiliarium Paulum Straſburgerum in Tranſilvaniam componendi qvasdam inter Ragotzium & Affinem ſuam, Betlehemi Gabor viduam, controverſias, & conjunctionis cum Ragotzio adverſus hoſtem tentandæ cauſa miſit, & ſimul Legatum ad Domum Ottomannicam, à qva Tranſilvania ut feudum dependet, ad Turci, ut Domus Auſtriacæ, æmuli, animum & judicium de hoc Regis bello expiſcandum, & famam ac fortè externam amicitiam apud bellicoſam gentem ſibi conciliandam, uti ſuſpicabantur. Rex autem, Auguſtâ, Raina & Donavverdâ ſatis munitis, in ſuperiorem Palatinatum, ad tutandam Noribergam profectus eſt. Illam enim Bavarum & Fridlandum, junctis ad Egram copiis, Guſtavum ex Bavaria & Svevia non ſolùm eliciendi, ſed etiam urbis illius occupandæ opibus detrimenta domi accepta penſandi animo tentaturos, fama tulerat; licet aliò iter ſe tenere ſimularent, ut Regem urbe deverterent. Sed ille animadverſo hoſtium conſilio, utut occultarent, Noribergenſi Senatui populoqve ſignificavit: *Urbem ipſorum ab hoſte peti, ſibi non obſcuris indiciis compertum eſſe. proinde, qvum illorum ſalus ipſi curæ ſit, in animo ſibi eſſe urbem eorum neceſſariis operibus communire: in qvibus pedem & caſtra adverſus hoſtis inſultum tuto figere qveat.* Hoc Regis inſtitutum Reipublicæ gratiſſimum fuit, qvod etiam ipſo facto opibusqve impigrè juverunt. Itaqve Rex cum viginti millium auxilio Noriber-

ribergam accedens trans Pegneſum fluvium loco caſtris commodo capto, & ſtatione ad urbem ſumta, Tupadalium cum qvatuor ſignis eqvitum & una legione deſultorum, ad hoſtem ejusqve vires & conſilia explorandum emiſit. Hic adortus præcurſores Fridlandicos, primò qvidem qvatuor cohortes Croatarum cæſas diſſipavit; ſed longius cum ſuis digreſſus, mox ab hoſte circumventus, & fuſâ ferme tota legione binisqve eqvitum ſignis, ipſe captus eſt; poſtea tamen à Fridlando absqve pretio dimiſſus. Excurſiones aliæ ad Noribergam, prope Altorffum, Lauffam aliaqve loca ditioni Noribergenſi ſubjecta in hoſtes præſertim Croatas factæ non qvidem noſtris infelices, nec tamen incruentæ prorſus fuere. Rex autem, cognita propiori hoſtium expeditione, Noribergam mille ab urbe paſſibus aggere foſſa circumciſo, propugnaculis & receptibus muniri curavit; & dum ipſe urget opus, intra biduum confectum eſt, atqve ita firmatum, ut hoſtis aſſultare non auderet. Ubi Cæſareæ & Bavaricæ copiæ triginta millium (alii LM.) cum octoginta, ut perhibent, tormentis, Noribergæ propinqvaſſent, arcem Lichtenavum qvinto ab urbe lapide, qva Onoltzbacum itur, ſitam, deditione capit, annonæ pabuloqve vicinis ex locis absqve noxa advehendo commodam: qvam inter alias etiam cauſam pertinacis Fridlandorum ad Noribergam belli ſedis & cunctationis produnt. Inde pertendens Wallenſteinius caſtra ſua, aggere cincta (monte qvoqve incluſo, in qvo annonæ & tormentis proſpiceret) eis Pegneſum, duobus ab urbe paſſuum millibus regiis caſtris oppoſuit. Qvamvis autem viribus ſuperior eſſet, tamen cum Rege ancipiti acie experiri non ſuſtinuit, nec adverſus ejus caſtra, loco & munimentis ſatis tecta, qvidqvam valuit. Itaqve intercluſis ei, qvantum poterat, commeatu & pabulatione, Regem, fame ſine ferro debellare conabatur. Sed Rex non magis ceſſabat accidere vires hoſtis, dum Fridſtadium, ſedem ejus annonariam per ſuos intercepit: qvi, qvæ moveri poterant, ſecum abſtulere, reliqvis incenſis, obviis cæſis, Sparrio vigiliarum præfecto capto; præter illa, qvæ interim in Bavaria à Cratzio Sveticis erepta, à Bannerio recepta ſunt; Coblentzia etiam à R. Cancellario & Furtha à Kniphuſio occupatis. Qvin Stalhanſch cum qvatuor Finnicorum eqvitum ſignis, vel hoſtilis commeatus præripiendi, vel hoſtis carptim cædendi cauſa emiſſus, ad Uffenhemum in Franconia oppidum, ſecundo ab urbe Kitzinga lapide, aliqvot agmina Cæſareorum, qvi cum centum carpentis frumento onuſtis in caſtra ſua tendebat, offendit. Hic levi prælio facto, Cæſarei arcem Uffenſem fuga petebant, qvos noſtri inſecuti, trecentis partim ſtratis, partim captis, arce & plauſtris potiti ſunt, frumentumqve ſecum Kitzingam avexere.

Sic

Sic regiis caſtris annona non deerat. Satis qvoqve commeatus à Noribergenſibus ſubminiſtrabatur, & ex vicinis Franconiæ, Haſſiæ & Wirtembergiæ agris. In longius tamen tempus, tantæ multitudini alendæ vel non ſufficere, vel ægrius ſuppeditari videbatur. Tandem pabulum, ut in arenoſo partim & effœto ſolo, partim vaſtatis circum locis, tantaq; eqvorum conſumentium copia, deficere cæpit. Præterqvam qvod jumentorum emortuorum fætor, turbidæ aqvæ ex fonte cadaveribus ante ab hoſte repleto potus morbum & contagionem in caſtris non minus hoſtilibus, qvam regiis vulgabat. Ideò Rex mutatione caſtrorum & agitatione militum, novæqve auræ hauſtu ad refectionem eorum opus eſſe ſentiens, & ſimul prælii fortunam tentaturus, ſuos in campum producere, & hoſtes ad pugnam prolicere cogitavit, auctis viribus, & emendata prius militari diſciplina. Regiorum militum aliqvot, ob annonæ qvandam anguſtiam, honeſtiori qvidem, ut illis ex neceſſitate videbatur, ſed effræni licentia, agreſtes, qvi Noribergam aut in ejus ſuburbana cum armentis ſuis conceſſerant, absqve diſcrimine diripuerant, ipſis ducibus in diſciplinæ cuſtodia remiſſioribus. Ejus rei qverelâ ad Regem delatâ, ordinum ductores advocat, & gravibus increpat verbis in hanc mentem: *Vosne militum inſolentiâ ſolvi imperium paſſi, flagitiis iſtis impunitatem dediſtis? quibus inexorabilem ſeveritatem adhiberi oportuiſſet. Ea profectò re non modò ſupremi Numinis meamqve juſtam offenſam, ſed ſociorum qvoqve odium ac invidiam provocaſtis. Et veſtro quidem merito: qvum fidem Deo, mihi, patriæ, ſociis juratam tam protervè frangere, atqve arma pro defenſione fœderatorum ſumta, in eorum perniciem vertere veriti non eſtis. Sanè qvorum fuiſſet vim prohibere, vel ipſi feciſtis, vel alios facere permiſiſtis. Ego qvidem, ut compertum habetis, tot impenſarum, tot egregiorum militiæ virorum jacturâ factâ, meam qvoqve vitam diſcrimini pro ſalute publica offerre nunqvam defugi. Hoc mihi, ſi non emolumento, qvod etiam haud expetii, utiqve nec fraudi & ignominiæ ſit, par eſſe exiſtimo. Cæterum iſtorum prædonum, ſceleratorum atqve effrænatorum hominum, veſtriqve cauſa, qvi delicta militum connivendo, veſtra pariter feciſtis, ego malè audio: qvaſi qvi oppresſis liberandis veniſſem, hoſte pejus graſſarer. Per Dei & hominum fidem vos obteſtor, ut reſipiſcatis; nec virtutis famam, in campis & acie partam, in ſtativis & otio perdatis. Si verò volitis veſtro nomini (melius tamen de cordatis & fidis ſperabo) meæ utiqve exiſtimationi, à qva exercitus gloria, ſociorum fides & armorum fortuna pendet, in poſterum rectius conſulatis. qvod ſi detrectaveritis, debita ſeveritate vindicabo.* Ne qvis autem inania crederet hæc verba, qvendam in pecore rapto deprehenſum, ipſe Rex capillis correptum ſua manu ad ſupplicium tradidit, & juſtæ

animad-

animadverſionis exemplum in eum edi præcepit. Iſtæc ita penetrarunt adſtantium animos, ut qvaſi cœlo tacti & attoniti ſtarent, atqve timerent Regem magis qvam hoſtem; certè eum, qvi iraſci malefactis,& merita æſtimare noſſet, unicè revererentur. Sic reſtitutâ adſtricto imperio diſciplinâ, poſt velitationes aliqvot cum hoſte, indignum reputans ſe velut conſeptis diu includi; & ſuos in caſtris, tanqvam ignava pecora in latibulis deprehendi poſtqvam auxilia Saxonica & Haſſica advenerant, & totus exercitus viginti qvinqve millium capitum erat (qvidam majores numero nimirum LM alii LXXM. ponunt) agmina ſua eduxit, & explicata in campo acie, prœliandi copiam hoſti fecit. At Wallenſteinius, peracto, cujus cauſa præcipuè ut ajebat, acceſſerat, extracto nimirum hoſte Cæſaris hæreditariis terris & liberatâ Bavaria, incertam pugnæ fortunam adire noluit, tutius ducens, ſedendo propulſare, qvàm inferre arma: Eqvidem ad exemplum Fabii Romani, medicos imitari maluiſſe videtur, *qvi plus interdum qviete, qvàm agendo movendoqve proficiunt, non exiguam rem eſſe credens à toties victore hoſte vel à continuis prœliis ac cladibus aliqvando reſpirare;* præſertim exhauſto nummis ærario, & militibus Imperio. Qvidam hoc Wallenſteinium eo conſilio feciſſe volunt, ut hâc cunctatione ingentem illum Guſtaviani animi fervorem reprimeret. Qvippe non ignarus erat, illum Heroem ſemper in actu rerum, & plerumqve feliciter, verſari adſvetum, moram haud facile laturum eſſe. Alii hoc fine eum feciſſe referebant, ut demorando Guſtavi victoriarum curſum, & eum velut obſidendo, famam ejus minueret, & nonnullis ſociorum ab eo deficiendi anſam præberet, atqve ſic auxilio deſtitutum facilius debellaret. Hoc tamen conſilium hoſti non ſucceſſit. Rex autem hoſtem in campum fruſtra evocare tentans, copiis Pegneſum fl. trajectis, propius ejus caſtro aſſiliendo oppugnatum ivit; & tanta qvidem vi, ut non ſolum grandiorum machinarum tonitru, ſed etiam continua longiorum ſclopetorum ejaculatione, ducentes mille ferme glandes plumbeæ in hoſtem immiſſæ numerarentur, igne, fumo, pulvere obvia qvæqve involventibus, qvod tamen non magno hoſtibus detrimento fuit: qvi ſub vallo majorem partem ab ictibus tuti latebant. Et jam noſtri vallum aſcenderant, Cæſareis ita perterritis, ut non pauci militum nec arma eripere, nec imperium ducum in tanto tumultu audire poſſent. Primum in caſtra hoſtilia impetum Gulielmus Burtius, albæ legionis tribunus, fecit. Sed huic ſaucio Ericus Handius tribunus, cum aliis perſpectis virtutis, inter qvos Linnartus Torſtenſonius, rei tormentariæ præfectus, princeps erat, ſucceſſit. Illorum copias hoſtiles eqvites, caſtris procurrentes, vallo expulerunt & disjecerunt. Sed his alii noſtra-

noſtratium ſubvenientes, hoſtem in caſtra repulerunt. Inde certamen ita recruduit, ut per qvinqve horas ad ſerum diei traheretur. Alibi Rex, nimirum ad Rednitium fl. in nemore, ſeptingentis ſclopetariis ſtatione adſignata, eos cum eqvitibus adverſus hoſtem velitari, in plano juſſerat: Totis enim ordinibus ob intercedentes tot arbores dimicare integrum non erat. Sed Roſteno tribuno eqvitum ex noſtris vulnerato, jam eqvites inclinare cæperant. Ea re comperta, Rex illico Torſtonem Stalhanſchium cum ala eqvitum Finnonicorum laborantibus auxilio miſit. Ille cum ſuis hoſtium eqvites, fugantes alternis & fugatos, tandem ſtrenuè repulit. Et major clades Cæſarianis adferri potuiſſet, niſi idoneo loco defenſi fuiſſent. Cæſarianorum præter gregarios milites, mille cæſi ſunt. Ex ducibus & tribunis eorum deſiderabantur Fuggerus, Caraffa & Chieſa. Svedorum duo mille, & inter eos præcipui Boëthius vigiliarum præfectus, Burtius tribunus, Scepter & Brandius centuriones occubuerunt. Bannerius glande plumbea in brachio graviter ictus, Torſtenſohnius captus eſt. Ipſe Rex ita prope periculum fuit, ut prætervolans globus ferreus dextri pedis pollicem perſtringens, ocreæ partem avelleret. Rex Noribergâ ab inſultu hoſtis feliciter liberatâ, valido præſidio firmatâ, & ſtatu ejus ordinato, per Franconiam & vicinas oras exercitum ſuum diſtribuit, neceſſaria qviete reficiendũ. Wallenſtenius autem, commeatus à numeroſo exercitu (qvindecim mille fæminas, ut fama erat, & tot fere calones ac famulos, imbellem atq; oneroſam turbam, atqve triginta millia eqvorum ſecum trahente) prodigè conſumpti penuriâ, in Saxoniam, ad hyberna iſtic ſuis copiis qværenda, cogitat: qvum accepiſſet Saxonem in Sileſiam ab incolis, præſertim Evangelicæ religionis adverſus Cæſarianos auxilio vocatum iviſſe. Qvin ipſi fœderati, inprimis Elector Saxonicus & Brandenburgicus, Sveticiqve, facta denuò conjunctione, etiam in Sileſiam & prima expeditione Stenaviam tendebant. qvam, præter Glogoviam, Niſſam & Lubenã ab Arnhemio nomine Saxonis ſubactam, ſed, illo decedente, à Cæſare occupatã, noſtri, ductore Duvvalio, poſt cæſum iſtic præſidium, recuperarunt. Caſtra ab hoſte deſerta itidem invaſere, obviis cæſis, aut tranſitu excluſis; qvos ex parte Viadrus fl. merſit. Dum Cæſariani caſtra ad Vratislaviam ponunt, tranſitum & commeatum ab urbe fruſtra petentes, noſtrates cum ſociis, æmulatione de principe aciei loco ſublatâ, & Svedis in honorem Regis conceſsâ, eos inſectantur, & relicta ab iis denuo caſtra exſpoliant. At Holckius Fridlandi tribunus Voitlandiam depopulatur, Zvvickaviam deditione capit, & in Miſniam belli flammas transfert. Hornius dux hoſtium molitionibus in ſuperiori Rheni ora, præmuniendi Wirtenbergenſis agri & hoſpitiorum regii

militis ſecuritatis cauſa, & Confluentia ac Grafenburgo occupatis, & inde Hiſpanis expulſis, in Alſatiam pergit, ad militem iſtic Sveticum, tributis, ſupplemento novisq; viribus fulciendum. Ibi feliciter progreſſus, Elmhemum, Offenburgum, Ortenburgi caſtrum cum aliis locis, ſed levioris momenti aut exiguarum virium, eoq; facilius capit. Majoris operæ Benfeldiæ, ſatis munitæ, obſidio erat, qvam tamen, firmioris in Alſatia ſtationis præſtruendæ cauſa, prætermittere non poterat. Itaq; ingenioſis operibus, acceſſibus ac cuniculis eam attentat. Qvibus ad urbẽ productis, miles ejus paulatim vallo imminebat. Eo tandem occupato, ſed intactis foſſa & interiori muro, obſeſſos tamen maſculè renitentes, at inani ſpe auxilii, ad deditionem compellit. Cum devictis veniâ potius & conditionibus, qvam vi tranſigit: ut victoria plus decoris haberet, & lenitate cives ad fidem Regi ſervandam magis devinciret. Benfeldiæ exemplum Sletſtadium, Colmaria & Hagenoa, vi præſenti oſtenſâ, præter alia loca ſeqvebantur, Oſſa & Montecuculi à G. Hornio cæſis. Rex interea abreptas à Cæſare Landsbergam & Rainam in ſuam poteſtatẽ redigit; Hanc Mitſchevalius ei præfectus absq; neceſſitate, militaris ſeditionis minis, niſi urbem dederet, territus, exemplumq; in rebellibus ſtatuere negligens, hoſti traditam, capitis pœna expiabat. Qvum Fridlandus in Miſniam expeditionem pararet, ut Saxonem Sileſiâ eliceret, & ſociorum vires vel reprimeret vel divideret, Electori Saxoniæ Rex iterum opem meditabatur. Anteqvam verò ei opitulatum abiret, aliorum hactenus devictorum locorum ſtatum aut confirmavit, aut in melius conſtituit: ut tutum pro re nata regreſſum ad iſtæc, ac neceſſariis ſubminiſtrandis promta haberet. Magdeburgæ & Albis ſecuritati ſuos, ducente Laurentio Kaggio, providere juſſerat: ut ejus tranſitu hoſtem intercluderent. Franconiæ res ulterius ſtabilivit. Regni Cancellarium ad ſuperioris Germaniæ qvatuor Circulos, ut appellant, cum plena poteſtate ablegat, cum Ordinibus Ulmæ agendi de communi fœdere ſervando, de certo bellatorum numero definiendo: qvorum ope ab hoſte & majorum onerum mole, bello in hoſtile ſolum translato, liberarentur; de militari diſciplina penè collapſa inſtauranda, tributis & pecunia in commune conferendis, ad munimenta neceſſario commeatu inſtruenda. In Sileſia pactis cum Vratislaviâ per Dualium de recipiendo præſidio utcunq; conventis, diſſidia qvoq; inter Regios & fœderatos, ob inæqvalem hoſpitiorum diſtributionẽ aliasq; cauſas, jam ab aliis fusè expoſitas orta, qvæ Proteſtantium rebus in Sileſiâ non parum impedimenti injecerant, regii Legati compoſitum veniebant: ne porrò communi defenſioni & rei gerendæ nocumento eſſent. Qvi enim diſſident, ſibi imbecilles, & hoſti ad cladem opportuni ſunt. Rex ab Electore Saxoniæ

ſuppetias

ſuppetias rogatus, haud cunctanter adeſt: commoda qvæ manibus tenebat, ipſamq; vitam potius, qvam Electorem & reliqvos ſocios deſerere paratus. Gallaſſius autem à Wallenſteinio præmiſſus, occupatis in tranſitu Coburgo, Chemnitio & Friberga, acceſſum in Miſniam aperuerat. Ille verò conjunctis viribus Lipſiam & Halam Saxonum expugnarunt. Inde Wallenſteinius cum viginti qvinq; millibus, verſus Lucenam oppidum, qvod decem millia paſſuum Lipſiâ diſtat, ante qvidem obſcurius, ſed inſigni prælio & magni Regis morte nobilitatum; Regi, periculum pugnæ facturus, ſi forſan adverſa proſperioribus penſare poſſet, occurrit. Paulo ante verò Pappenhemium, qvi hactenus in Haſſia, Weſtphalia & Brunſvicenſi Ducatu graſſatus, huc jam moverat, Halam Saxonum, ad Mauritioburgum, urbis arcem, expugnandum emiſerat. Non enim credebat, Regem prælium initurum, ante Luneburgicarum copiarum adventum & conjunctionem. Nunc Rege in prælium accincto, ad Pappenhemium illico revocandum mittit. Exercitum ſuum viginti millium, uti putatur, Rex ita diſpoſuerat, ut primam ad dextram aciē, qvam ipſe regebat, cum prætoriâ & ſubſidiariâ cohortibus Svedi & Finnones tenerent, ſiniſtram, qvæ Curlandis, Livonis & parte Germanorum conſtabat, Dux Vinarienſis Bernhardus curaret; reliqvum in medio agmen Cniphuſius tueretur. Eqvitatui lecti ſclopetarii mutuæ opis & receptus cauſa miſcebantur. Tormentorum præter minora qvadraginta, viginti majora erant, qvinis ante ſingulos aciei ordines collocatis. Wallenſteinius aciem ſuā in varios more ſuo diſtinctam manipulos in medio campo, inter nemus, qvod à ſiniſtra Lucenæ adjacet & ipſum oppidū, prope viam, qvæ ducit Lipſiam, poſuerat. In ſiniſtro latere ſilvam reſpiciente, & qvidē ultimo loco impedimenta, & circa ea calones eqvis impoſitos ſtatuerat: ut hoſti ſpeciē eqvitatus præberent, ob minores, Pappenhemio digreſſo, vires, & ne in fugā fortè verſi ordines turbarent. Nocte prælium præcedente Wallenſteinius etiam duplicem foſſam, qva Rex acceſſurus erat, ſolo altius effoſſo, aciei ſuæ præduxerat, ut inſtar loricæ eſſet; utrimq; ſclopetariis impoſitis, qvi irrupturum eò eqvitatum hoſtilē infeſtis armis ſubmoverent. Ponè eaſdem foſſas ſeptē majora tormenta, viginti verò editiori loco ad molas vento verſatiles collocarat. Mane nebulâ, qvæ ſolis faciem texerat & pugnam diſtulerat, micantibus radiis aliqvantū diſcuſsâ, atq; ope divinâ precibus efflagitata, ſuisq; ad prælium inſtigatis, Rex pedites ac ſiniſtrum eqvitum agmen hoſtilis aciei frontem aggredi, dextrū verò eqvitū cornu in ſiniſtrum eqvitū hoſtile provehi jubet. Prius tamen per duas horas utrimq; tormentis ſe vehementer impetiverunt. Sed inter nonam ac decimā horas, ad foſſas, ubi hoſtiū ſclopetarii diſpoſiti erant, pugna acerrima exarſit.

Pleriq; omnes propugnantium, ut irruentibus primo impetu Svedis, fortiter
obſtitere, non paucis illorum ſtratis, ita ſuperatâ jam foſsâ, penè ad interne-
cionem à noſtro milite profligati ſunt, interceptis etiam ſex (alii ſeptem) ho-
ſtium tormentis. Eqvites verò Svetici, qvum paulò cunctantius qvàm pro
voto & exſpectatione Regis, cui feſtinanti vel exigua mora erat longa, in ho-
ſtem ferrentur, qvippe foſſarum objectu retardati, ille cum primis foſſam ala-
criter eqvo concitato tranſiliens, dextri cornu Smalandos ſub ductu Stenbo-
ckii in ſiniſtrum hoſtis tanto fervore ac fortuna duxit, ut hoc ſtatione ſua de-
pelleret, & ſubſeqvuta una legio eqveſtris Weſtrogothorum, ductore Haraldo
Stake, binas hoſtiles propelleret. Inde ad frontem hoſtilis aciei converſus: ut
obſervaret, veluti perhibent, qvâ commodè in eam impetum facere poſſet:
glorioſius ducens, magna vel cum periculo audere, qvàm efficiendi occaſio-
nem negligere; propius hoſtem accedit eiq; miſcetur. Iſtic ſiniſtrum ejus bra-
chiũ hoſtili globi ictu transverberatur, ad qvod vulnus, manante effuſè cruo-
re, qvum vires paulatim deficerent, ſed nondum animus, à Franciſco Alberto,
inferioris Saxoniæ Duce, qvi ei præſto erat, in tutiorem locum curandi vul-
neris cauſa deduci poſtulabat. Qvod dum ſit, exortâ in aëre nebulâ, cum
pulveris & fumi nube, lucem & proſpectum auferentibus, à ſuis turmis ali-
qvantum aberrans, in cohortem hoſtium iterum incidit. ubi ab ignaris qvis
eſſet, duobus adhuc ictibus, uno caput, altero corpus, vel, ut alii, humerum
1632 trajicitur, & tamen victor occumbit. Qvippe inuſitata animi ſublimi-
8. Id. tate & felicitate, non ſolùm vivendo victorias æqvat, ſed etiam ultra vitæ
Nov. terminum producit. Qvum autem rumor mortem Regis per exercitum cir-
cumtuliſſet, ſubito qvidem mœrore milites inprimis Svedi & Finnones, ut
res erat, conſternati; mox tamen Ducis Bernhardi, cui ſumma imperii mi-
litaris poſt Hornium commiſſa erat, alloqvio tali erecti fuere: *Vos chari
milites, jam libertatis noſtræ propugnator obiit. Mihi mea vita non eſt vita, niſi
mortem ejus ulciſcar. Animoſè invadite hoſtem. Qvisqvis probare cupit, ſe di-
lexiſſe Regem, jam probet, me præeuntem ſeqvatur, & maſculè pugnet.* Sic ani-
mis receptis & velut ab inſtanti periculo alienatis, & Bernhardo præeunte,
Cniphuſio, Nicolao Brahe, aliisqve ductoribus, in hoſtis dextrum cornu in-
vecti ſunt: per vulnera, per cædes in pulchram ruere mortem, vel Regis ne-
cem vindicare certi. Unde hoſtis magna vi irruentibus impar, jam pro victo
fugam facere cæperat. Niſi qvod Croatæ dextrum Regii exercitus cornu cir-
cumeuntes, impedimenta & ſarcinas Sveticas involarunt, & aliqvantum
noſtratium ordines turbarunt. Sed Gulielmi Ducis Saxoniæ, Bulacheri
Goldſteniiq; eqveſtribus alis confeſtim retuſi & in fugam acti ſunt, ſeptem

etiam

etiam tormentis ab hoſte receptis. Interim Pappenhemius pleno gradu cum ſuis accelerat iter, & Cæſarianis jam labantibus ſuccurrit. Dum ſubitò adeſt, pugnam qvidem reſtituit, & ingenti impreſſione in Svedos facta, eòs in primæ aggreſſionis æſtu repellit ac tormentis exuit. Sed mox animis Sveticorũ & viribus redintegratis, iterum fortiter concurrunt, virorum more pugnant, & Pappenhemio lethali vulnere percuſſo, tormenta, victoriam, campum hoſti feliciter extorqvent. Numerus in hoc cruento prælio cæſorũ novem millium fuiſſe creditur; qvorum primi inter Cæſarianos erant Abbas Fuldenſis, Lanius. Bertholdus Wallenſtenius, Ducis cognatus & alii; ſed cunctos laude ſuperans Pappenhemius, cujus exercitam & tot præliis ac vulneribus claram virtutem Rex ipſe digno pretio æſtimare ſolitus eſt. Regiorum occubuerunt præcipui, Uſſarius, Gerſtorffius, & inprimis Nicolaus Brahe Comes, virtute bellica jam ante, & hoc anno ad Rhenum & Noribergam geſtis clarus; qvi lethifero vulnere in genu accepto, tamen ſclopeto innixus, ut fertur, ſuos ad fortiter dimicandum hortatus eſt, dum ſpiritus adhuc in corpore inerrabat, atq; ſuperſtes per aliqvot dies prælio, mortuus eſt, ſed immortali cum gloria. Omnium verò decora tantò antecellebat GUSTAVUS MAGNUS, qvanto reliqvis, non tam honoris & fortunæ faſtigio, qvam factis & meritis eminentior erat. Qvàm verò benè præparatum pectus ad ſuprema ſua Rex habuerit, qvàm memor fragilitatis humanæ ac mortalitatis ſuæ, vel in ipſo fortunæ ac vitæ ſuæ vigore, fuerit, qvantam regii ſui muneris, ſuorum & animæ ſuæ ſalutis curã geſſerit, ex pluribus aliis documentis, inprimis ex his ejus literis, proximo ante mortem ſuam anno, propria manu ad Cancellarium Regni ſcriptis, atq; ab amico mecum comunicatis hæc excerpta, qvæ ſunt ipſa Regis verba, in qvibus nihil mutavi, ſatis oſtendunt: *Etiamſi cauſa bona & juſta ſit, eventus tamen belli propter delicta incertus eſt. Incertũ etiam eſt humanæ vitæ ſpatiũ. Idcirco hortor & rogo te per Chriſtum, ut, ſi non omnia ex ſententia noſtra procedant, tu tamen animum non deſpondeas. Mei & meorũ memoriam in optimã partẽ tibi commendatã habe; & ita fac mihi meisq;, ut vis Deum tibi tuisq; facere; & qvo animo erga te futurus ſum, ſi ex Dei voluntate tam diu ſuperſtes fuero, ut me indigeas hoc vel illo modo. Conſidera me tanquã illũ, qvi jam ad viginti annos multa cum moleſtiã, ſed & multo cum honore, Deo ſit laus, Patriæ noſtræ præfuit, qvi etiam patriam & omnes fideles ejus incolas amavit, honoravit, & pro eorũ honore ac ſalute vitam, facultates & bonos dies contemſit, qvi etiam in mundo nullũ aliũ theſaurum qvæſivit, qvam ut muneris ac ſtationis ſuæ partes impleret, ad qvam Deus me naſci voluit. Meis ſi qvid humanitus mihi accidat, propter*

 me, &

ine, & alioqvi multis modis commiſeratione digni ſunt, qvippe fæminei ſexus, mater conſilii inops, filia impubes ac virgo. Storge naturalis hæc pennæ meæ verba exprimit. Sed tam has, qvàm corpus & animam, & omnia qvæ Deus mihi dedit, commendo ſanctæ ejus poteſtati, haud dubiè ſperans hîc meliora, poſt hanc verò vitam, gaudium, pacem & beatitudinem; qvæ etiam ſuo tempore & horâ tibi opto. Hæc vera fuiſſe Regis verba, ab imo pectore profecta, norunt illi, qvi Regis animum & acta perſpecta habuerunt. Ex jactura tanti Herois accepta publica plaga inſanabilis eſſet, niſi arbiter rerum Deus, cui hoc ingenti inſtrumento & vindice, adverſus Sveciæ ac Germanicæ libertatis hoſtes, uti placuit, & nunc tam glorioſa morte poſt viginti & unius anni imperium, terris in cœlum evocavit, dignum ſuo tempore ſucceſſorem excitare poſſet. Regni Svetiæ civium & exterorum aliqvot animos ita commovit dolor ex inopinato Regis obitu, ut veluti liberi patris, ita Regis mortem lugerent ac deflerent. Amnis ipſe in Weſtrogothiæ territorio Amnæenſi, *Gulſpang* dictus, etiamſi rapidi curſus ſit, tamen eodem anno, qvo Rex deceſſit, die ſecundo, tertio & qvarto feſti natalitiorum Chriſti; ut & paulò ante obitum Regis CAROLI GUSTAVI, ad tantorum heroum ingruentem mortem, qvaſi attonitus ſtetit. Funus Regium in Svetiam ex Germania deductum, ampliſſimis exſeqviis, omnium Regni Ordinum comitatu, ſummo deſiderio, lacrymis & tot concionibus atqve orationibus funebribus foris ac domi celebratum, in conditorio templi Inſulæ eqveſtris, regiæ urbis Holmiæ depoſitum eſt. Inſcriptio conditorii, præter alia, talis exſtat.

IN. ANGUSTIIS. INTRAVIT.
PIETATEM. AMAVIT.
HOSTES. PROSTRAVIT.
REGNUM. DILATAVIT.
SVECOS. EXALTAVIT.
OPPRESSOS. LIBERAVIT.
MORIENS. TRIUMPHAVIT.

Nummi aurei & argentei, in exſeqviis ſparſi, Regis imaginem cum hac inſcriptione præferebant:

STANS. ACIE. PUGNANS. VINCENS.
MORIENSQVE. TRIUMPHAT.

Elogium

Elogium Regis hîc, ut in aliis Regum vitis, apponerem prolixius, niſi in Laudatione funebri id facere conatus eſſem, & ipſum GUSTAVI MAGNI nomen inſtar ſummorum elogiorum eſſet. Vix autem ullius Regis, qvàm GUSTAVI MAGNI facta laudesqve, præter hiſtoricos, plures fatigaſſe Oratores & Poëtas credo. Licet, qvicqvid & qvantum prædicarint, ejus rebus geſtis, omni laude majoribus, minus ſit; tamen nomen ejus, non æri aut marmori inciſum, ſed totius orbis, inprimis Svetiæ ac poſteritatis indelebili memoriæ atqve æternitatis monumentis inſcriptum, ſupra mortalitatem ſtabit.

HISTORIÆ RERUM SVETICARUM

LIB. IX.

CHRISTINA.

AB exceſſu incluti Regis GUSTAVI MAGNI, cujus ſucceſſum invaleſcentem in Germania armorum potentiam adeò horruerant hoſtes, ejus morte læti ac velut triumphantes, novam ac meliorum ſuarum rerum commutationem ſibi promittebant. Contra Svecis eorumqve ſociis ac fœderatis, illo heröe rebus humanis ſublato, in qvo poſt Deum, ſpes & fortunas ſuas ſitas habuiſſent, nunc occaſum rerum impendere hoſtes augurabantur: præſertim, ſi, qvod arte tentaturi eſſent, eorum animos ac ſocietatem disjungere poſſent. Suorum verò animos, præter ingentium virium conjunctionem & opes, tam amicè & conſtanter coire jactabant: ut ne qvidem conglobatæ omnium Evangelicorum copiæ tantum concordiæ vinculum & tam arctam compagem diſſoluturæ eſſent. Nec deeſſe illis duces, qvi viribus eorum regendis apti, fortes & ſtrenui, rem lapſam iterum erecturi eſſent. Eqvidem amici & ſocii Sveonum pleriqve, qvos Regis imperium, nomen & felicitas in fide hactenus tenuerant, nunc qvaſi cum eo ſpes & proſperitas omnis occubuiſſet, ſaluti ſuæ diffidentes, amicis in privatos uſus, factiones & ſtudia ſegre-

1633

ſegregatis,in partes vel maximè poſt ſubſecutam cladem Nordlingenſem diſceſſerunt; eo majori ſive vecordia, ſive deſiderio,qvo à conſpectioribu auctoribus inſtigabantur, ac flagrantiori cujuscunqve pacis ac qvietis, po tam diuturnum ac cruentum bellum amore ferebantur. Hic qvinqve re gni Sveciæ Proceres ac Senatores,qvibus Rex,in Germaniam movens, re gni ſui curam ac Filiæ ſuæ unicæ Principis Hæreditariæ tutelam commiſera incumbenti vehementius tempeſtati non ceſſerunt; ſed ut omni diffidenti ac diſcordiæ,cujus ſemina exteri malè affecti ſpargere poſſent,obviã iretur,& tranqvillitas,pax & qvies intra Regnũ adverſus ejus turbatores aut hoſtes i iſtis rerũ motibus conſervaretur,operã navarunt.Eo fine per univerſum re gnũ diploma ad provinciarũ præfectos & præſules emiſerunt:qvibus eos ob ſeqvii & fidei,qvibus Principi hæreditariæ & patriæ obſtricti eſſent, officiiq ſui admonentes, & ipſos concordiæ ſtudere,& ne inter cives ac plebem ull rixæ & diſſenſionis anſa ac materia exſurgeret, præcavere, eosqve contra o mnem vim ac injuriam in fida ſubjectione tueri juſſerunt. E publica qvoq re viſum eſt, Ordines Regni ad comitia vocare: in qvibus de modis Patriæ ſecuritati adverſus minantia pericula conſulendi & præcavendi deliberaretur. Poſt maturam deliberationem,ab Ordinibus Regni unanimiter hoc & ſeqventis anni decreto repetitum eſt *jus ſucceſſionis in Regnum Svetiæ CHRISTINÆ Principis, GUSTAVI MAGNI Filiæ: partim ad penſandum eximia Patris Ejus merita erga patriam, partim ad decreta priora præſertim anni MDCXXVII. exſeqvendum. Si qvis palam aut clam hu obnitatur, oculos aut mentem ad alium forſan retorqvendo, illum qvicunqve ſit, ſive indigena ſive extraneus, pro abſciſſo regni membro ac proditore habendum, ac deprehenſum ac convictum ex merito plectendum pronunciant; renunciantes in perpetuum Sigismundi Poloniæ Regis liberis omne jus & prætenſionem ullam in Regnum Sveciæ. Bellum verò Germanicum à Rege inclutæ memoriæ bene ceptum ac geſtum, & Regio ſangvine obſignatum, pro viribus perſeqvendum decernunt, donec optata pax obtineatur.* Qvia verò per mortem Regis mutato aliqvantum publicæ rei ſtatu, Regnum Sveciæ, impuberibus Principis hæreditariæ annis, ſecundum Regiminis formam ab ipſo Rege Guſtavo Magno conceptam ac conſtitutam, tutorio nomine adminiſtrandum erat; Ordines regni CHRISTINÆ Tutores qvinqve, præcipuos patriæ Proceres ac Senatores, tanqvam capita collegiorum regni, Gabrielem Guſtavi Oxenſtierna, Jacobum de la Gardie, Carolum Caroli Gyldenhielm, Axelium Oxenſtierna & Gabrielem Benedicti Oxenſtierna deſignarunt; ita ut illi ſummam rerum adminiſtrarent, donec Regina ad pubertatis annos perveniſſet; Literæ

autem,

autem, reſcripta & diplomata publica, Reginæ nomine ſcripta & obſignata, ab illis ſubſcriberentur. In Germania verò rerum Sveticarum ac militiæ ſuprema cura Reginæ nomine Regni Cancellario atqve Legato Axelio Oxenſtierna à regni Proceribus, Senatoribus & Ordinibus committitur: ut cum liberâ & plenâ agendi poteſtate, ſed Reginæ auſpiciis, regni communiqve bono, qvavis conſuleret occaſione. Seorſum tamen ei negotium dederunt, *ut fœdus cum Electoribus & Ordinibus Imperii Rom. renovatum iret, fine belli perſeqvendi, nec prius deſerendi, qvàm cuilibet debita ſatisfactio præſtita eſſet. Inprimis locorum illorum, ex qvibus regni ſecuritas penderet, maximè orarum maritimarum inter Albim & Oderam, & in Saxoniâ utrâqve regno proximarum terrarum curam ac fidam defenſionem ipſi commendabant; donec ſinceræ & honorificæ pacis conditiones haberi poſſent. Extremis autem non prius utendum eſſe, qvàm cognoſceret, patriam Sveciam pro tanta belli impenſa, tot præſtantium virorum, inprimis Regii ſangvinis tam pretioſa & irreparabili jactura, nihil niſi ludibrium, tædium & contemtum reportaturam. In omnem verò eventum ſatius eſſe, armis hoſti pro virili reluctari & contraria vi, ſi non aliter poſſit, ex Germaniâ pelli, qvàm, præter certum patriæ detrimentum, etiam dedecus & notam degeneris metus ac deſperationis domum referre.* Hac poteſtate & auctoritate Cancellarius inſtructus, præfectis & exercitu novo jurejurando Reginæ firmatis, non ſolùm Heilbrunnæ, ſed etiam Francofurti cum ſuperioris Germaniæ Ordinibus conjunctius fœdus ineundum eſſe cenſuit, atqve gravibus rationibus perſvaſit: ut unà cum Sveciæ regno conjunctis animis ac viribus bellum perſeqverentur; donec paci religionis ac libertati Germaniæ priſtinus vigor rediret, & optatus bello finis, beneficio reſtitutæ pacis, imponeretur. Ante conventum tamen vel Heilbrunnenſem vel Francofurtenſem, Cancellarius, qvi potentiâ atqve auctoritate apud Evangelicos valerent, ſingulos Electores ſeorſum hoc nomine adiri, neceſſarium eſſe duxit: ut fortius & efficacius eorum animos invaderet. Et primò Electorem Saxoniæ, tanqvam principem Evangelicorum fœderatorum, Dresdæ adivit. A qvo honorificè exceptus, ei expoſuit cauſam adventus ſui, nimirum: *Ut ab eo exqvireret modum rei ulterius poſt mortem Regis aggrediendæ, & in quantum Elector exiſtimaret, regnum Sveciæ ſummæ rei ſimul adhiberi oportere. De qvibus cum ipſo, vel ejus Conſiliariis communicare & conferre paratus eſſet; non qvod peculiare ſuper hoc mandatum à ſuperioribus haberet, ſed ad ſui informationem: ut qvatenus patriæ ſuæ intereſſet, inde conſilia ſua diſpenſaret.* Elector per ſuos R. Cancellario reſpondit: *Se in armis adverſus communem hoſtem conſtanter*

ſtanter perſeveraturum. In rem fore, ſi bellum, & inde ſperandas victorias con-
junctis opibus perſeqverentur: ne hoſti ſpatium ad ſe recolligendum aut corro-
borandum darent, ſed omnem eum opprimendi viam & rationem inſiſterent. Sve-
cos proinde ex unâ in Bohemiam ire poſſe, ſe ex altera parte cum ſuis in idem
regnum & Moraviam penetraturum: eo modo hoſti omnes commoditates in-
terceptum iri. Interim verò certo armis ſcopo præfixo, pacem oblatam non
rejiciendam eſſe. Cancellarius ad iſtæc: *Regem certum ſcopum jam ante*
ſuſcepta arma ſibi propoſuiſſe: ab illis conſtanter retinendum; niſi fortè di-
verſa temporum ac fortunæ ratio eum aliqvantum mutaret. Sinceram & com
munem pacem, per qvam vera Evangelica religio, & omnium ac ſingulorum ſo-
ciorum ſtatus in integro ac tuto collocari & conſervari poſſet, verum eſſe ſcopum, qu
tenderetur; ſed cavendum eſſe, ne ſub eo venenum occultaretur, aut ſub no-
mine pacis inſidiæ laterent. Perſeqvutionem victoriæ ſibi qvidem utilem videri
modò qvid facto opus ſit, obſervetur, & ita victoriæ inſiſtatur, ut extra aleæ aut ja-
cturæ periculum ſit. Victoriam præterea non niſi fructum communis conjunctioni
fore: de qva prius conveniri ac decerni oporteat. Ante omnia enim nunc providen
dum & laborandum eſſe, qva ratione ſtatus Evangelicus, per mortem Regis nonnih.
turbatus, redintegrari, & omnes Evangelici ordinis ſocii ſic coaleſcere & in unum
coire poſſint, ut vi hujusmodi conjunctionis, hoſti concepta ſpes præcidi, conſi
lia & machinationes ejus in irritum redigi; ac tuta, communis & honorifica pa.
ci extorqveri qveat. Hæc & alia ante deſiderata, qvum Electoris dele
gati ad referendum acciperent, Cancellarius nihilominus communen
conjunctionem, ut antea, urſit. qvod delegati fermè ſic interpretaban
tur, qvaſi cum eorum Principe & illis imperiosè agere vellet. Tanden
qvum mentem Electoris ulterius, ſed incaſſum, expeteret, illi verò ex
preſſius ejus conſilium aut ſententiam: ipſe absqve præjudicio priva-
tas ſuas cogitationes conferendi ſolùm animo eis aperuit: *Ob oculo*
illis ponens lubricum Evangelicarum rerum ſtatum, tres ad ejus conſervatio
nem vias oſtendit: qvæ ſi vel repudiarentur vel negligerentur, qvartum, nimi
rum ruinam omnium, qvorum intereſſet, inde ſubſeqvuturam. Primum erat
ſi Electores & Ordines imperii in unum corpus amicè conſpirarent, & cum regn
Svetiæ usqve ad belli exitum ſociarentur; & ut antea Regi, ad qvod ille ſuis ex
penſis primum fundamentum jeciſſet, & qvod cruore ſuo obſignaſſet; ita nun
Regno Sveciæ, multas Imperii regiones poſſidenti, directio belli permitteretur; ho
tamen modo, ut conſilium, uti appellabant, Formatum, aut Fœderis, ex Electoribu
& Ordinibus Imperii Directori adjungeretur, & illi tota res cum certa Inſtru
ctione committeretur. Secundum erat: *Ut ſi primum non admitteretur, du*

corpor.

corpora conſtituerentur, unum ſub Coronæ Sveciæ, alterum ſub Electoris curâ; qvam Elector in illos, qvi in ejus partes inclinarent, haberet, & Corona Sveciæ, vel ab ea ad hoc deſignatus, in alios, qvi cum eâ facerent, haberet: ut ita duo ſimul ſuæ rei præeſſent; non tamen alio modo, qvam ut unanimi fine bellum adverſus communem hoſtem gererent, confidenter inter ſe communicarent, ſibi invicem pro rei neceſſitate ſuccurrerent, atqve ſi ad pacis tractatus res deveniret, unanimi conſilio de pace convenirent. Tertium erat: *Si Evangelci exiſtimarent, ſe regni Sveciæ auxilio non amplius indigere, ut æqvitati conſentaneam ſatisfactionem pro damnis, expenſis & inſignibus meritis ei præſtarent, & bello decedere permitterent. contra, ſummam rei ipſi adminiſtrarent, & conjunctis viribus adverſus hoſtem tuerentur; ut tamen in tractatum de pace Svedos ſimul admitterent, & ſecuritatis eorum contra omnem hoſtilem vim debitam rationem haberent.* Elector rem, ut ajebat, majoris ponderis ac momenti rejecit ad communicandum jure confraternitatis, ita vocant, cum Electore Brandenburgico. nihilominus tamen Cancellario, prope diſceſſum, confirmavit continuationem belli & pacem communicato conſilio, vi Fœderis, tractandam, debitamqve animorum gratitudinem promiſit. Inde renovatâ Laurentio Tungel reſidenti ad aulam Dresdenſem commiſſione, ad Electorem Brandenburgicum Cancellarius ſe qvoqve contulit: cui conſilium ſuum ante dictum approbavit. In eodem ulterius à proceribus & Senatu regni per Comitem Petrum Brahe R. Senatorem ad ſe miſſum, ut ipſi auxilio in arduo illo munere eſſet, confirmatus eſt. Sed Circulorum inferioris Saxoniæ à Duce Brunſvicenſi inſtituendus peculiaris conventus aut convocandi modus, tanqvam qvi Principi hæreditariæ & Regno Sveciæ, adminiſtrationem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis in Saxonia tunc poſſidenti, præjudicio eſſet, à Cancellario, per Chniphuſium & Steinbergium ad Ducem miſſos impeditus eſt, conſtitutis in inferiori Saxonia, Weſtphalia & ulteriori Pomerania, præter Johannem Salvium, Legatis: qvi hujusmodi in poſterum fortè agitandis inceptis decenti modo occurrerent. Inter Electorē verò & Brandenburgenſem de conventus omniū Evangelicorum & directionis modo deliberantes non conveniebat. Brandenburgicus qvidem Cancellarii conſilium, de qvo ante, non improbabat; Saxo verò adminiſtrationem Sveticam, tanqvam abſolutum belli pacisqve arbitrium, peregrinis in fraudem libertatis Germanicæ non permittendum, interpretabatur; ut & imperium belli, contemplatione conventus Lipſienſis, in qvo Saxo præſidem egiſſet, ſummamq; rei ſibi vendicabat. Illam verò Brandenburgicus, magis ex æmulatione erga Saxonem, qvàm invidiâ adver-

ſus Sveones, diſceptare cæpit, inprimis ex pari dignitatis ſibi competentis jure. Interim à Rege Galliæ ad Electores Evangelicos advenit Legatus, qvi *nomine ſui Regis obtulit qvidem illis interpoſitionem de pace: ſed qvia adhuc valde incertum eſſet, an hoſtis ad honeſtam & ſolidam pacem flecti poſſet, qvum ſe magis nunc, qvam ante armaret: haud dubiè novo animo ex morte Regis Sveciæ hauſto, & ſpe non tam in propriis viribus, qvam Proteſtantium disſidiis poſitâ. Proinde Regem Galliæ neceſſarium ducere, ut Proteſtantes eò impenſius concordiæ ſtudeant; omnem privatum reſpectum, contentionem & æmulationem communi bono remittant, vel prorſus evaneſcere ſinant; vel ad tempus ſeponant: contra unanimi conſiliorum atqve armorum conjunctione hoſti caput objectare decernant, nec per ſeparatos tractatus ſe ſejungant. Qvod verò ad continuationem belli attineat, è re fore, ut totus belli ſtatus in unum corpus redigatur, & conſilia atqve actiones ad communem ſcopum dirigantur; & dispenſatio totius operis, qvò expeditius & occultius procedat, uni Proteſtantium & Fœderatorum committatur. Jam autem in aperto eſſe, eam Regi Sveciæ ab Electoribus & Ordinibus Imperii antea permiſſam fuiſſe: in cujus locum nunc unica Filia & regnum Sveciæ ſucceſſerit: qvæ majorem partem regionum hoſtilium & exercitus Proteſtantium in ſuis manibus teneat; & qvoad dignitatem præcipuum ſit membrum Proteſtantium ac ſociorum; idcirco Regem ſuum cauſam non videre, cur illi denegari posſit.* Elector Saxoniæ, *prioribus acceptis, ultimum Legati caput de directione belli, Coronæ Svetiæ permittendâ, ex ante allatis cauſis improbavit.* At Elector Brandenburgicus *in tantum probabat, non ut uni arbitrium pacis belliqve cum plena poteſtate permitteretur, qvod in Imperio & populo Germaniæ libero inauditum & haut ferendum eſſet; ſed ut omnes Fœderati cum delectu certorum aliqvot Ordinum convenirent, qvi vel ipſi, vel per ſuos ſatis inſtructos delegatos conſilio belli aſſiduè intereſſent, & de omnibus pacis ac belli negotiis agendi, conſultandi & decernendi poteſtatem haberent. inter qvos tamen uni præ reliqvis, ex lege ordinis, dispenſatio tàm in Senatu, qvàm executione decretorum committeretur. Cæterum propoſita à Legato de directione Principi hæreditariæ & regno Svetiæ permittenda, ad ulteriorem cum reliqvis Ordinibus communicationem & conſultationem ſe remittere.* Qvod attinet ad militiæ ſtatum, licet Elector Saxoniæ auctor fuiſſet Cancellario, ut exercitum Sveticum, in Miſnia tunc ſubſiſtentem, emitteret, in Bohemiam ad hoſtem, anteqvam ſe recolligeret, iſtic perſeqvendum; tamen qvod exercitus non ita comparatus erat, ut tantæ expeditioni ſufficeret, nec inferior Saxonia, graſſante iſtic Grönsfeldio, prorſus nuda relinqvenda eſſet, Cancellarius ex deſtinatione regiâ ſic ordinat: ut ex bipar-

titis

titis agminibus, hactenus in Miſnia locatis, unum corpus, ductu Georgii Ducis Luneburg. in inferiorem Saxoniam & Weſtphaliam, alterum, ductore Bernhardo Duce Weimar. in Franconiam mitteretur. Comes Palatinus ad inferiorem Rheni oram, Comes Turrianus in Sileſiam ire juberentur, ſinguli certo mandato inſtructi. Itaqve Georgius Dux cum Dodone Kniphuſio in Weſtphaliam ſe conferens, proſperâ fortunâ utitur. Primâ ſuâ impreſſione perculſa loca, Vechtam, Cloppenburgiam, Haſelunam, Meppiam, Wilshuſiam, Qvackenburgum, Forſtenaviam, cum tota fermè diœceſi, exceptis Osnabruga & Petersburgo, juſto præſidio & annona ſatis inſtructis, in ſuam poteſtatem agit. Inde converſus ad Viſurgim, tranſitum fruſtrà inhibente Grönsfeldio fuſoqve, in Comitatu Ravensburgenſi Hervordiam, Bilefeldiam aliaqve qvædam loca deditione accipit. Mindenſi & Osnabrugenſi diœceſibus contributione oneratis, Hamelam Brunſvicenſis Ducatus urbem obſidione cingit. Mox acceſſibus & operibus ad urbem factis, flumen inde abducit, molam urbi inutilem reddit, & unam valli foſſam planè exſiccat. Obſidentes jam ad molem portæ orientalis acceſſerant, ſed imbre ingraveſcente, & acri defenſione crebraqve excurſione obſeſſorum, & ſubſidio urbi ſubmiſſo, non parum obſidentium molitiones retardabantur; cæſa tamen interim à noſtratibus legione Aſſenburgica, & Rheda arce occupata. Qvamvis Cancellarius maluiſſet copias per Weſtphaliam diſpertitas fuiſſe, per qvas hoſti facultas ſe corroborandi adimeretur, qvàm in unius loci Hameliæ obſidione tam diu hærere; tamen, qvia, ſi cæpta obſidio non continuaretur, ductorum exiſtimatio agi videbatur, ita fieri permiſit. Tandem Landgravio Haſſiæ in auxilium vocato, Hameliam, poſt trium menſium obſidionem occupant, fortunâ moram compenſante: dum noſtrates Cæſarianos, qvi ad repellendum obſidentes urbe, eiqve opitulandum advenerant, apud Oldendorpiam, oppidulum ad Viſurgim, ductore Laurentio Kagge, conjunctis Stalhanſchii, Canuti Soop & Haraldi Stake copiis, inſigni clade afficiunt. Qvippe comperto hoſtilium copiarum acceſſu, decretum eſt, dilatâ paulum obſidione, & aliqvot turmis eqvitum & mille ſclopetariis ad urbem relictis, in adverſum hoſtem, prohibendi auxilii propoſito, movere. Jam hoſtis in urbem per nemus, ad dextrum latus urbis, penetratum ibat. qvod facili negotio potuiſſet, niſi aliqvot Svetici ſclopetarii, rei explorandæ cauſa iſtic collocati, hoſtem aliqvantum demorati fuiſſent; donec Kagge ipſe, auctis, ut ante dicebatur, adjunctisq; ſibi copiis, accedens, cum hoſte conſertâ pugnâ, poſt duarum horarum conflictum, eum ex nemore in campum egiſſet. Etiamſi verò propter paludes & voraginoſa loca ho-

ſtis acceſſu difficilis eſſet, tamen, impeditis locis expedita virtute ſuperatis, Kagge cum eqveſtribus copiis ad dextram, & Livonica atqve Carbergica legio cum Haſſiacis, ductore Melandro, ad ſiniſtram in hoſtem tanto impetu ruebant, ut hoſtilem eqvitatũ confeſtim in fugam compellerent, & pedeſtres copias, ordinibus turbatis, non minus profligarent. In acie ter mille cæſi, ipſo Merodio & Qvadio, hoſtilium copiarum ductoribus, interemtis: qvi à Gronsfeldio atq; Bunichauſio, ambitione atqve æmulatione cum Merodio certãtibus, fugâ deſerti erant. Noſtrates inſuper ſedecim tormẽtis, & LXXIV. ſignis potiebantur. Præter iſta, Landgravius Haſſiæ in Weſtphalia ad Lippam, Doertmundã, Rechlinghuſiã, Dorſtã, Bockholdiã, & tandẽ Paderbornã, ſociarũ urbium improſpero fato territas, occuparat. In Franconia Sveones, ductoribus Lohuſen & Buloch cò Bernhardum Wimarienſẽ comitari juſſis, præter Staffelſteniam, Bambergam, ab hoſte priori nocte deſertam, absq; ſangvine occupant, Hochſtadium autem vi expugnant. Guſtavus Horn in Alſatia diſtrictus, magnam Alſatiæ partem, munitioribus urbibus, Benfeldia, Sletſtadio, Colmaria, de qvibus ſuo loco itidem, Moltzhemia, Hagenavia, Neaburgo aliisqve locis captis, in Svecorum poteſtatem redegit. Qvum v. Wirtenbergenſ. rogatu, Svevicam ditionem à Bavaris infeſtatã, liberandi animo ad Schonaviam Rhenum trajeciſſet, duabus cohortibus Bavaricis cæſis, interceptisq; Kentzingiâ in Alſatiâ & Friburgo in Brisgoa, acceptoq; à Wirtenbergenſibus duarum legionum ſubſidio, Danubium porrò petiit, & ſe cum Banericis conjunxit, fruſtra prohibere conante hoſte. Qvamvis autem Altringerus occupatâ Landsbergâ, in ſuperiori Svevia Memmingam deditione & Campidunum vi poteſtati Cæſareæ ſubjeciſſet, & jam Brisgoâ tentatâ, in Wirtenbergicum Ducatum cogitaret; tamen Hornii vigili induſtriâ inde averſus eſt. Dum Hornius iſtic verſatur, qvædam Alſatiæ urbes à Svecis, per ejus abſentiam, deficiendi occaſionem arripiunt, inprimis Hagenavia, ab hoſte dolo recuperata, militibus hoſtilibus ab agricolarum cœtu ſub fœno & ſtramine, qvod in urbem vehebant, occultatis. Briſacenſes verò antea ab Hornio obſeſſi, nunc ejus abſceſſu ſolutiores, Neoburgum ex occaſione opprimunt, ſubitoq; intercipiunt; idem moliti adverſus Langendentzlingam; ſed re patefactâ, in via funduntur; ac ruſtici in Alſatia & Brisgoâ rebelles domantur. Sed & Rhingravius Otto Ludovicus Briſacum non ſemel tentabat, donec ab hoſte urbs defenſa, iſto metu exſolveretur; ſed poſtea ſuo tempore expugnationis gloria, nomine Regis Galliæ, Bernhardo Wimarienſi reſervabatur. Qvum Bauditzius ad Rhenum Iſemburgio eripuiſſet Andernacum, (alii vocant Autunnacum) & ad alia acceſſum moliretur; Colonienſes, ut

tam infeſto hoſpite liberarentur, aliqvot copias Hiſpanicas, ab Archiducis Auſtriaci vidua acceptas, adverſus eū ducunt; qvibus ille impar, pedē referre coactus eſt. Andernacū verò recuperatū eunt Hiſpani. Conjunctione Sveticorum per Duvvalium, & Saxonicorum per Arnhemium facta, tamen de metatis vel ſtativis inter illos convenire non poterat. Heilbrunæ Fœdus inter Svecos & Evangel. Proteſtantes qvatuor ſuperiorum Circulorum redintegratur ac ſtabilitur. Legatus Regius Axel. Oxenſtierna eis hæc præcipua deliberationis capita tradiderat: *De firma & non diſſuenda ſocietate atq; conjunctione ante felicem rei exitum & optatam pacem. Si verò unum vel alterum fœderatorum membrum forſan ab hoc communi vinculo per ſeparatum & peculiare pactum ſe ſolutum iret, qvid de eo ſtatuendum eſſet. Si ſtaret, hoſtem ejusq; ſocios junctis armis ulterius perſeqvi, qvantis viribus hic opus fore arbitrarentur, & unde ea depromenda eſſent. De directione & adminiſtratione ſummæ rei rectè inſtituenda. De modo diſciplinæ militaris diſtrictius exercendæ. In qvantum ſocietate regni Sveciæ uti placeat, & qva ſpe remunerationis.* Ordines Evangelici primò magis conſilia ſua cum Cancellario conferendi, qvàm certi qvid decernendi animo congreſſi, *ad rei tam arduæ conſultationem, & qvæ ad omnes Evangelicos ſpectaret, omnes accerſendos eſſe* exiſtimabant. At qvum Cancellarius *iſtud magis optandum, qvàm nunc ſperandum eſſe*, judicaret: *qvod nec ipſe Rex obtinere potuiſſet; & hoſtis arma tam propinqva, ac neceſſitas ipſa conſilia magis efficacia qvam ſpecioſa imperarent; Ordines præſentes in medium conſulentes, conjunctos*, ut ante, *animos & arma ſpondebant. Qvicunqve verò illorum extra neceſſitatem aut vim hoſtium ſe à ſocietate ſepararet, eum pro hoſte habendum eſſe* cenſebant. *Unius corporis armati vires exterorum Regum & Rerumpublicarum ſubſidiariis opibus augendas, neutri verò parti addictos ad contributionem redigendos eſſe. Summam rei à Cancellario adminiſtrari, è re videri; certis tamen conſilii formati limitibus circumſcribendam. Qvum ad conſervationem diſciplinæ militaris præcipuè faciat, pendi militi qvod ipſi debetur; ſtipendii ſolutionem fieri poſſe per delegationem legionum & turmarum ad ſingulos Ordines, & qvidem ex æqvis partibus. Qvum ſatis intelligerent, qvanto illis uſui bonoq; fuiſſet & adhuc eſſet conjunctio armorum Svecicorum, & qvantis meritis ſibi Corona Sveciæ Ordines Evangelicos devinxiſſet, ſe ad omnem tanti beneficii remunerandi occaſionem & ſatisfactionem pro viribus obſtrictos & paratos profiteri.* Cancellarius ad iſtæc reponebat: *Reſponſum Ordinum qvidem cordatum fuiſſe, qvod ſe à communi fœdere diſſociantes pro hoſtibus habere vellent; ſed ad exceptionem conditionis annexæ de neceſſitate aut vi hoſtis, videri velle, eos altera manu*

*diſſolvere, qvod unâ conſtrinxiſſent. Certè illam exceptionem rimam vel anſan
decreti ex occaſione eludendi, vel prorſus reſcindendi fore. Externorum Regun
& Rerumpub. ſubſidia, ſi qvæ haberi poſſint, in lucro deputanda eſſe; ſed ad exem
plum Ordinum fœderatæ Belgicæ, qvid & quantum ex propriis ac domeſticis opi
bus ſuppetat, tanqvam certius ac præſentius præſidium, rationem ineundam eſſ
Summæ rei curâ ſatis onerosâ ſe ſuperſedere malle, ſi ſui arbitrii negotium foret
at patriæ ſalutem ab Evangelicorum Ordinum ſalute non ſemotam, oneri ſe ſub
ducere negare. Qvod verò directionem illam certis limitibus definitum eant
nondum tempeſtivum videri. Prius cogitandum eſſe de hoſte è viſceribus provin
ciarum ſuarum exigendo, majoris momenti locis vel occupandis vel recuperandi
& præcipuis aditibus hoſti præcludendis. Si collapſæ diſciplinæ cauſas remover
poſſent, facilem viam emendandi eam fore, & conſervandi militiam. Dictam ve
rò delegationem vel aſſignationem ad Ordines factu difficilem aut nullam videri
unum enim circulum bene, alterum male ſoluturum; idqve variis cum incommo
dis conjunctum iri. Unum militiæ corpus unâ, ſimplici & liqvidâ æris ſolution
opus habere. De ſatisfactione ſe ſcripto cum illis acturum, & mentem ſuam di
ſertius explicaturum. Ordinibus reſtitutis, ſe de eorum amicitia non dubitare*
Qvum de his & aliis maturius deliberaſſent, conſilia ſua ſtatui publico &
neceſſitati temporum propius accommodarunt, & unanimes decreverunt
*in pacta Societate tam hac, qvam antea cum Rege Sveciæ inita perſiſtere, done
Germanica libertas & cum ea Imperii Ordines Evangelici reſtituti eſſent, atqv
in religionis & profanis rebus pax, qva omnes Fœderati frui poſſent, redu
cta, Reginæqve & coronæ Sveciæ juſta ſatisfactio præſtita eſſet. Directionen
ſummæ rei ſe Cancellario R. tanqvam Legato publico, ſufficienti poteſtate jam
vivo Rege, inſtructo, prudentiâ, uſu rerum & dexteritate præcellenti
bona fide committere, adjuncto ei Conſilio Formato: ut tanto oneri me-
lius ferendo eſſet. Ne qvis Fœderatorum de pace cum hoſte ſeorſum agat
niſi cum Directoris & reliqvorum ſociorum ſcientia & conſenſu fiat. Si ſe-
cus faciat, ſub prætextu neutralitatis aut alio obtentu, illum à Directore
& Conſilio ab hujusmodi incæpto dehortandum eſſe. qvod ſi fruſtra ſit, ho-
ſtis loco fore. Qvatuor circulorum Fœderatos, ſtante bello, exercitum,
ut par eſt, ſuſtentaturos. Eundem Reginæ, Coronæ Sveciæ religione fi-
dei nexum fore. Seſe Reginam & Coronam Sveciæ in poſſeſſione occupato-
rum in Imperio locorum hoſtilium usqve ad exitum belli & debitam ſatisfa-
ctionem tuituros, & operam daturos, ut reliqvis Fœderatis detrimenti illati no-
mine æqva compenſatio præſtetur.* Hoc Fœdus qvum ad licitam ſui & ſuorum
defenſionem & conſervationem, non verò cujuscunqve pacifici ordinis of-
fenſio-

fenſionem,nec Imperii R. aut Legum fundamentalium aut exterorum Regum, Principum & Rerumpub. præjudicium ſpectaret,ab omnibus, qvorum intereſſet,approbatum & acceptum, adjutumqve & promotum iri, Ordines ſperabant,atq; per occaſionem eos ad illud animare non intermittebant.Etiamſi verò hoc Fœdus Evangelicos,qvi neutrarum eſſent partium,hoſtes declaraſſet,tamen Georgio, Landgravio Haſſiæ Darmſtadienſi,fœderatis Helvetiis & aliis nonnullis, qvi à Guſtavo Magno beneficium qvietis acceperant, illud relinqvi fas eſſe cenſebant. Juxta hoc Fœdus, etiam alia decreta ſunt, qvæ fœderi comodè inſeri non poterant, & tamen ad rem pertinebant, nimirum de modo inſtituendi ærarium & granariū militaria,de conſtitutione ſtatus militiæ, & alia hujusmodi, aliis conventibus vel addita vel confirmata, ab illis prolixè & fideliter obſervata,qvi hæc in commentarios retulerunt.Regina & Adminiſtratores regni,*laudatis Cancellarii actionibus,exiſtimationi regiæ & bono publico ſapienter attemperatis,in pacis negotio ſic ei verſandum eſſe* ſvaſerunt, *ne cum Ordinibus Imperii nimis ſcrupuloſè ageret: unde forſan disjunctio animorum cieri poſſet. Conditiones pacis pro temporum ratione tales eſſe qværendas, qvibus ſecuritas patriæ & qvaliscunqve ſatisfactio obtineri poſſet. Interpoſitione Regis Daniæ non temerè ſuſpectâ, ſatius videri, ſi civiliter ea excuſari declinariqve posſit, & partes inter ſe absqve ulla interpoſitione tractare velint. Si verò Rex Daniæ in eâ perſeveraret, hactenus admitti poſſe; cum illâ tamen cautione, ne ab una parte offenſæ, ab altera parte diſcrimini aut detrimento publicæ rei materia prebetur.* Inter Sveciam & Galliam renovabatur fœdus, per utriusqve Legatos Axelium Oxenſtierna & Fouqvierum. Qvia verò hic [illegible]itio præ ſe ferebat, qvaſi non cum Reginâ Sveciæ ſola, ſed etiam Fœderatis ejus ſocietatem inire conaretur: fortè qvid majoris honoris hoc ipſo Regi ſuo qværens; nec Reginæ ac regno Sveciæ ſoli, ut antea, ſed ſociis ejus, ſuppeditare belli ſubſidia vellet: unde libera adminiſtratio eorum Sveciæ in poſterum à ſociis in dubium vocari & diſputari poſſet; Cancellarius hoc denegavit, prætexto *ſe ejus rei nullam accepiſſe poteſtatem; ſimul ſignificavit, ſe facile permiſſurum, ſi Legato cum Ordinibus Imperii ſeorſim tractare placeret: ut tamen Svecia ſe ad hoc obligatam non agnoſceret.* His auditis, Legatus Gallicus iſtæc miſſa fecit, *& fœdus initum ad Reginam Sveciæ ac præſentem ſtatum Regis ſui nomine porrigi* deſideravit, *& ut in occupatis locis, Conſtitutionibus Imperii ſe accommodaret, & exercitium Romano-Catholicæ religionis, ubi reperiſſent, inviolabile relinqverent; & fidem eccleſiaſticis perſonis cum poſſeſſionibus earum aliisve datam integrè ſervarent, nec ullum detrimentum, qvantum præſens ſtatus admittere poſſet, adferrent.* Caput de

neutris partibus ac qviete Bavari & aliorum Catholici fœderis, ex parte ita mutatum erat: *In honorem & deſiderium Regis Galliæ conſenſum de neutralitate dicta* (licet ante ab illis,qvibus dabatur,non obſervata) *hoc modo præbitum eſſe: ſi Rex Galliæ denuo eam tentare, & qværere apud Catholicos ante dictos vellet, ipſi integrum, nec minus Reginæ Sveciæ liberum fore, hic decernere, qvod ſuo ſtatui utile & temporis ingenio accommodum reputatura eſſet. Qvod autem hoc modo cum utriusqve partis conſenſu decerneretur, ſanctè ſervandum eſſe.* His annectebatur: *Hoc fœdus non ad aliqvot ſolum annos, ſed tamdiu permanſurum eſſe, donec firma, conſtans & fida pax in Imperio parta, facta ac decreta eſſet. Si verò poſt factam pacem, uni vel alteri ſociorum vis fieret, aut pacta conventa non ſervarentur, illi vel illis communibus & ſociatis viribus auxilium intra menſtruum ſpatium latum iri, ex qvo læſa pars illud deſideratura eſſet; & hoc Fœdus ad decem annos à tempore adqviſitæ pacis perſtiturum.* Qvum ſubſidia belli ex Galliâ & Bataviâ ſperata tardius nec ex voto & exſpectatione Evangelicorum Fœderatorum præſto eſſent, in Galliam ab illis miſſi ſunt regius Sveticus Procancellarius Jacobus Löffler, & Comitis Palatini Bipontini Conſiliarius Philippus Streiff, ad ſollicitandum iſtæc apud Regem Galliæ. Rex cur ad ea cunctantior eſſet,cauſa erat,qvod ægrè ferebat, *ſe de cedendo ſibi caſtello Philipburgo,nihil hactenus obtinuiſſe.* Dein urgebat *arma pro Status, non Religionis bello haberi, & non ſolum iſtic Romano-Catholicam religionem ex fœdere tolerari,ſed etiam fœderatos à tempore Transactionis Heilbrunnenſis ad hoc obligari oportere;* qvod fœderi adhuc addi volebat. absq; qvo eſſet,negabat ſe Fœdus Francofurti cum Ordinibus fœderatis contractum ratihabiturum. Poſt varias utrinq; diſceptationes, à Legatis inferebantur excuſationes de dilata Philipburgi ceſſione: *qvod neutralitatis conditiones,à Rege qvondam Svetiæ,in honorē Regis Galliæ,cum Electore Trevirenſi, qvi Philippoburgi dominiū agnoverat,hujus caſtelli contemplatione factæ,impleta non eſſent:& qvod Fœderati,hoſtis tam opportuno loco emovendi cauſa,non parum ſumtuum & temporis in dicti caſtelli obſidionē impendiſſent.qvæ,qvum præter alia non abs re in æſtimationem venerint,dilationem ſvaſiſſe;rem tamen ad conventum Francofurtenſem remiſſum iri.* De cæteris ita conveniebat, *binas literas conficiendas eſſe, in qvibus Regis mens de Catholicâ religione in Germania tolerandâ exprimeretur; ſed à parte Legatorum,qvod cogitarent & crederent, hunc qvoqve Fœderatorum ſcopum & menti fœderis convenientem eſſe,ad finem attexeretur.* In Bataviâ Legato Ludovico Camerario negotiū à Regina & proceribus regni datum eſt,ab Ordinibus iſtic ſollicitandi & deſiderandi qvædam ſubſidia vel militaria vel pecuniaria, contra Hispanos in Germania cum Cæſarianis jam con-

conjungi cæptos; qvi niſi in tempore reprimerentur, publico Sveonum & ſociorum ſtatui periculo futuri ſint. Idem ſeqventi anno iteratū eſt, miſſo hoc nomine ad ipſos & Britannos Johanne Oxenſtierna, Axelii filio. Sed lentum hoc erat negotium, non modò pluribus, ut in Repub. non facilè in unū conſentientibus, ſed etiam gravem belli impenſam à ſeſe domi faciendam obtendentibus. Subſidia tamen nummaria menſtrua, qvinqvaginta mille florenorum promiſere, proximis annis præſtita. Hoſtilibus viribus invaleſcentibus, de diſtractione earum cogitatum eſt. Viſum igitur è re fore, ſi Dux Bernhardus propius Danubium tenderet; vel ad tentandam ſuperioris Palatinatus, vel Ratisbonæ occupationem: ut inde qvoq; Franconicus ſtatus, inprimis Noriberga, qvæ ob crebras hoſtiles excurſiones, ab obſidionis metu parum aberat, magis allevaretur. Ad ſuperioris Rheni oras miſſi ſunt Marchio Badenſis, Rhingravius Otto, Ludovicus & Comes Palatinus Chriſtianus. In Weſtphalia, inferiori & ſuperiori Saxonia ac Sileſia res non adeò novâ ordinatione opus habebant; niſi ut cum dominis rerum & civibus iſtic moderatè ageretur, ac diffidentiæ offenſæqve ſemina in ipſo ortu ſupprimerentur: ne diſſidii materies gliſceret. qvod etiam Cancellarius, qvantum in ipſo erat, providebat. Dum Bernhardus Bambergâ movet, ſuperiorem Palatinatum aut Ratisbonam tunc adoriri, majoribus hoſtium viribus, non valuit, ideò ad dextram per Franconiam eunti & Neoburgum capiendi impetū cepit: ut ita commodius trans Danubium in Bavariā irrumpere; aut, ſi hoc Altringerus prohiberet, ad Guſtavū Horniū ire, & junctis cum eo copiis adverſus hoſtē felicius iter intendere poſſet. Hoc poſterius conſiliū ex voto perfecit, oppidis in tranſitu Weismannia, Eſchenbachia, Herriedia & Ohrenbavvia captis. Hornius in Svevia conjunctim cum Bernhardo perſeqvitur hoſtē in Bavariā usq;, captâ in tranſcurſu Mundelhemia opis experte, & Aichſtadio; ſed amiſſa Raina ad Lycum, incuriâ ac ſecuritate præſidiorū, ipſo præfecto Erlachio capto; & fruſtra pertentatâ invictæ urbis Ingolſtadii, per Cratziū præfectū urbi & tribunū Farensbachiū, ingentibus pollicitis allectos, traditione. Qvum enim inter Ducē Bernhardum, qvi Cratzio Campi Mareſcalli dignitatem, & præter hanc ipſi ac Farensbachio omnē in urbe præſentē pecuniam, aurum & argentū, prædā ac pretiū tradendæ urbis promiſerat, ita convenisset: ut Sveticæ copiæ ad diem qvartū Maji media nocte, ſub nomine Altringicarum turmarum (qvas pridie inter ſuos milites noctu exſpectandas evulgaverat) audacter ad urbem beneficio tenebrarum accederent, intromittendæ per portam qvandam inobſervabili ingreſſu in urbem; ſuas verò copias Cratzius & Farensbachius in exterioribus operibus & illis locis tenerent,

nerent, ubi ſuæ machinationi vel nulli vel minimo eſſent obſtaculo; res iſta ſucceſſum habuiſſet, ſi temporis momenta, qvæ in talibus multum poſſunt, accuratius obſervata fuiſſent. Cæterum qvum Sveticæ copiæ, ſive ob contractiorem noctem, ſive moleſtias itineris ſerius, albeſcente jam cœlo, advenisſent; excubiæ ex incognitis vexillis aliisqve ſignis aliqvid machinationis tendi intelligentes, clauſis portis ad arma clamarunt. Sic omnibus in vallum accurrentibus conſilium traditionis detectum eſt. cujus auctores, Cratzius ſpecie ſe purgandi Viennæ apud Cæſarem, ad Svecos transfugit; ſed poſtea ad Nördlingam à Cæſarianis captus, Viennæ capite plexus eſt, at Farensbach, homo deſultoriæ levitatis, Ratisbonæ obtruncatus eſt. Linnartus Torſtenſon, pro Comite de Harrach permutatus, Landsbergam ad Lycum ſeriò cum ſuis adortus, poſt qvatuordecim dies expugnavit. Tumultus ductorum exercitus, ad Neoburgum & Danubium de non ſoluto reſiduo ſtipendio, anteqvam erumperet, patefactus & compreſſus eſt. Cancellarius enim veritus, ne præcipuis eorum fortè corruptis ab hoſte, aut, ſi comperiſſet, corrumpendis, hic motus periculoſior eſſet, tempori parens, præcipuos in partem majoris prædæ admittendos, aut beneficiis & terrarum poſſeſſionibus aliqvot ineſcandos eſſe cenſuit, ut qvieſcerent; ſic tamen, ut jus ſuperioris dominii ac Feudi Reginæ & Coronæ, cujus nomine hæc concederet, cum debitis contributionibus reſervaretur. Ita mitiori remedio, gravis morbi minis in principio occurrebatur. Chriſtianus Comes Palat. Birkenfeldenſis ad oras inferioris Rheni Andernacum liberat obſidione Hiſpan. & Engeram ſubigit. Obſeſſis ex turri munita ſe animosè qvidem defendentibus, ſed inopiâ globorum plumbeorum, lardo repletis & diſploſis Sclopetis, aliqvot ædes inflammantibus, incendium ortum totam ferme urbem cineribus immerſit: qvæ deditionis occaſio vel cauſa erat. hæc urbs poſtea Regi Galliæ conceſſa eſt. In Palatinatu Svetici, ductore dicto Comite Palatino Birkenfeld, urbem Heidelbergam ſubita impreſſione, absqve ullius viri jactura ceperunt, optione Abele Mordâ iſtic præfecto. præterqvam qvod inſignis victoria ad Pfaffenhoviam obtenta eſt. Poſt hæc etiam arx Heidelbergenſis à Comite Palatino Ludovico Philippo, licet majori labore, occupata eſt. Guſtavus Horn ad Danubium Papenhemiam arcem, ad Marchionatum Ansbachenſem magis tuendum, & Wiltzburgenſes intra fines ſuos continendum; & Neomarchiam in majori Palatinatu, melioris Noribergenſium ſecuritatis cauſa, capit; cæſis aliqvot centuriis hoſtium ſub ductu Johannis Wachtmeiſter, Delloni & Helmoldi Wrangel. Rhingravius Otto Ludovicus ad Rhenum Kirchoviam, Burckam, Neoburgum, Rötelam, Setzingam

gam & arces Hohenſtofvelenſes capit. Comes Palatinus Chriſtianus poſt occupatam Reichshofviam; virtute pedeſtrium copiarum, eqveſtribus fugam capeſſentibus, cædit nongentos Lotharingos. Dux enim Lotharingiæ, per occupationem Alſaticarum Tabernarum & Dachſtenii,ſe huic bello implicuerat; & cum Cæſare ſentiens, hoſtilia contraSvecos etiam machinatus erat. Smidberg autem, copiis nongentorum à Cancellario & Comite Palatino Chriſtiano ei ſubmiſſis, Philippoburgi obſidionem continuare juſſus erat. Præfectus Sileſiæ Duvvald Oderam cum bis mille militibus & XXX. tormentis adverſus hoſtem non ſemel repulſum fortiter tutatur. In Weſtphalia Cniphuſẽ occupat Petersburgum,Georgius Dux Luneburg. ope Sveticorum & Haſſiacorum inſignem reportat victoriam ad Allendorfium, non procul Hammelia,& qvidem contra fœderatorum Catholicorum copias: ubi Comes Merodius & cum eo aliqvot mille occubuerunt: & hujus victoriæ beneficio, Hammelia, Oſnabruga aliaqve Weſtphaliæ loca iterum à Cæſare defecerunt. Negotium cum Ragozzio de conjunctione armorum à Guſtavo Magno,per Strasburgerum legatum, inchoatum,& nunc juſſu Cancellarii per Comitem Turrenſem porrò agitatum, ob duriores Ragozzii conditiones in ſuſpenſo relinqvitur. Rex Daniæ Chriſtianus IV. partes ſuas Cæſari de inſtauranda pace, iterum inſinuarat; idqve non ſolùm Electoribus Evangelicis, ſed etiam Reginæ Chriſtinæ & Senatui regni Sveciæ non unis literis ſignificandum eſſe duxerat; & ſeorſum R. Cancellario in Germania Legato; cui etiam locum tractandæ paci Vratislaviam dixerat. Sed eo loco Fœderatis incommodò viſo & mox peſte infeſto, poſteà Mulhuſiam,Marpurgum aut Lubecam,ex his locis unum deligendum offert. Illi qvidem in reſponſis ſuis ſalutare ejus inſtitutum laudarunt; res tamen hactenus prolata optato fructu caruit: qvod Cæſar inſidioſè agere crederetur, magis animo disjungendi, qvam conciliandi ſecum Evangelicos, qvi pacem fidam omnibusqve communem vellent. Cancellario etiam tuti itineris literas à Cæſare Rex Daniæ jam procurarat. Sed ille iſtas literas acceptare ſe poſſe negabat, *qvæ absqve ulla mentione Reginæ, ad ſolos Lipſienſes Fœderatos directæ eſſent. Imò ex tempore, locis & verbis ambiguis deſtinati conventus, & nulla certa de præliminaribus, facta conventione, patere, hoſtem interponentium pacifico animo & conſiliis abuti.* proinde literas remiſit. Unde Sveci & nunc & poſtmodò variis oppreſſorum aliorumqve ſermonibus differebantur: *qvaſi victoriæ præmiorum & dominandi cupidine nondum ſatiati, bellum qvam pacem mallent.* Illi contrà: *ad pacem non inſidioſam, honeſtam & communem, tunc temporis facilius votum, qvam tutam & certam eſſe viam.*

 Tandem

Tandem ad conventum Francofurtenſem res relata eſt. Ordines fœderatæ Belgicæ & Princeps Arauſionenſis auxiliarium copiarum partem à Regina contra hoſtes ſuos Hiſpanos ad Rhenum & Moſellam per Legatum deſideratam, accipiunt, ductore earum Stalhanſchio. Decreto & aucto militiæ contra Bavariam robore, Cancellarius in rem eſſe duxit, Guſtavum Horn & Bernhardum Weimar. ſuas copias vel conjungere, vel in propinqvo habere: ut exigente neceſſitate, ſibi invicem citius ſubvenire poſſent. Qvamvis autem difficile futurum eſſet, tantas copias conjunctim alere; tamen ſatius arbitratus eſt, cum difficultatibus certare, qvæ bono cõſilio vel vinci vel levari poſſent; qvàm per remotiorem ſeparationem hoſti occaſionem aperire copias Sveticas diſtractas vel in anguſtum redigendi, vel ad ancipitẽ aciem cogendi, vel ſibi commodo, noſtratibus incommodo loco conſumendi & atterendi. Cum regni Cancellario Arnhemius Gelnhuſiæ non procul Francofurto in ſecreto verba faciens, ei nova & abrupta qvædam Wallenſteinii conſilia de animo ejus ad Evangelicos cum copiis ſu's tranſeundi, ſi manus auxiliares ei porrigerent, detegit: qvæ ut facilius ab ipſo ſpecie amicitiæ expiſcaretur, menſtruas inducias etiam ob hoc cum eo in Sileſia feciſſe ait. Cancellarius autem iſtæc ſuſpecta habebat, qvaſi ſub hac ſimulationis larvâ vel diſtractio Evangelicarum virium à Wallenſteinio qværeretur: ideò *non minus ab infidis amicis, qvã certis inimicis ſibi cavere* monebat. Arnhemio tamen in ſpeciẽ reſpondebat: *Si Wallenſteinius deſtinata perficere poſſet, ſe de auxiliari manu nõ dubitaturum.* Ut verò de Ducis machinationibus certior fieret, Steinackerum protribunum in Sileſiam miſit ad rem ſedulò inveſtigandam, & ab ipſo Duce, ſi poſſet, eliciendam: *Num ille offenſus, & à qvo, & qvare, tale qvid moliretur? qvo animo militum ductores erga eũ eſſent, num eos ſibi devinctos haberet? Num ſeriò diſceſſionem ab hoſte ad Evangelicos, & armorum conjunctionẽ cum illis adverſus hoſtem, & qvâ viâ, qvove propoſito pararet?* Qvò verò minus iſtis machinationibus Cancellarius fidebat, eò magis, ſi fallerent, ſibi ſuisq; præcavere poterat: qvod nihil inexpectatum ipſi contingeret. ſi verò ſuccederent, jam Kaggio & Tupadelio in mandatis dederat, qvid hîc agendũ eſſet. Hubaldus in Franconiam miſſus eſt, ad munimentum Lichtenaviam iſtic occupandum, qvod occupatũ Noribergæ, vi Fœderis Heilbrunnenſis, reſtitutum eſt. Dum Guſtav. Horn ad ſuppetias ferendum Duci Wirtemb. contra inſultum hoſtis, Donavverdâ Danubium tranſiit, hoſtem ad lacum Brigantinum repulit. Hac occaſione Conſtantiam urbem, ad dictum lacum ſitam, obſidione cinctum it, anteqvam Italicæ copiæ duce Feriâ accederent, & ſe cum Bavaris ſociaturæ, ibi ſedem belli caperent. Qvod ut commodius poſſet, tranſitum per Steniam & Turgeam, & hinc per Rhenum à Tigurenſibus, ſub qvorum dominio dicta

loca

loca erant, petit, ab incolis verò nolentibus volentibus, qvum ad reſiſtendū impares eſſent,& ille moram deliberandi ferre nollet,obtinet. Tranſitus tamen absq; injuria & vi tranſeuntium fuit.Sed inopia majorum tormentorū Ulmæ propter celerem expeditionem relictorū,& præſidiorū urbis Schaumburgica bis mille militum legione adauctorum firmum ſubſidium, ita ut ad ſex mille excreſcerent & vires Sveticas longè ſuperarent,obſidionem ſolvere ſvadebant. præterqvam qvod Tigurenſes aliiq; fœderati Helvetii etiam indignè ferentes,per literas exprobrabantHornio,& ad neutrarum partium vel qvietis à Guſtavo M. ipſis conceſſæ beneficium provocabant: qvo niſi fruerentur,defenſionem armatam increpare videbantur.Hornius autem illis contra reſponderat: *Rationem & neceſſitatem belli ſibi dictam urbem tueri imperaſſe; qvam hoſtis non ſolùm magno antea ſubſidio,ſed nunc etiam majori ex Italicis copiis præſidio,in non leve Sveticorum & Sociorum præjudicium, firmaſſet; quod tamen ab Helvetiis fœderatis,uti par erat,prohibitum non fuiſſet. Qvod verò in defendendâ urbe neceſſe habuerit Tigurenſiū territorium, innoxio tamen itinere,ingredi,non inſolens nec ab aliarum gentium, (ipſorum etiam Helvetiorū) exemplis alienum eſſe: qvæ qvandoqve ſui ſtatus conſervandi, & hoſtilis comprimendi cauſa,qvum alia via non pateret,per loca neutrarum partium totum exercitum traduxerint; & prævertere,ne præverterentur,maluerint. Se qvoq; hoſtiles molitiones,qvæ non minus illis,qvam Sveticis detrimento eſſe poſſint, præpediendi,non ullum fœderatorum Helvetiorum offendendi animo,iſtuc acceſſiſſe.* Sed ne concitandi Helvetios vel contraSveticos,vel inter ſe invicem anſam dare videretur: qvum jam turbæ qvædam inter ipſos naſci cæpiſſent; ob hanc qvoqve cauſam urbis obſidione decedere placuit. Dum Lipſia ab Holckio Cæſariano campi Mareſcallo ſubitò opprimitur,ElectorSaxonicus,cujus exercitus in Sil[e]ſia tunc verſabatur,auxilium ab Electore Brandenburgico & Bannerio deſiderat; qvod ipſi etiam promiſſum erat.Sed qvum hoſtis, urbe direpta,inde ſubitò Altenburgum & hinc inBohemiam regrederetur,auxilio opus non erat.Hoſtis,ductoribus Duce Feria & Altringero,ex ſuperioriSveviâ repenteRhenū verſus tendit.Etiamſi enim ſimulaſſet tranſitū per Danubiū,& inde inWirtenbergicū Ducatū; tamen hac fraude Svecis facta, aliud per occaſionem egit.Poſtqvam enim illi ſpe occurrendi hoſti in interiora regionis ſe contuliſſent, iſte præter opinionem adBriſgoiā ſe convertit, & ad Seckingā perRhenū tranſit: ubi Rhenfeldiā & alia ſilveſtria oppida intercipit.Præfectus tamē militiæGuſtavus Horn & Comes Palatinus Chriſtianus, pro virili ei obviā eunt; & vel diſtinent vel conterunt,ubi poſſunt, hoſtem: ita ut ex XXV. millibus vix duodecim millia ſupereſſent. At Bernhardus

dus Dux in Bavariam, ad devertendum hoſtem,tendens, iſtic feliciter rem gerit. Etſi enim arx Aichſtadienſis Sperreuteri tribuni & Ant. Nicolai de Raſcha loci præfecti incuriâ & facilitate, qvum jam in promptu ſubſidium eſſet, à Johanne de Werth, vigilante & ſolerte viro, ſubitò intercepta erat: anteqvam Bernhardus ad ſubveniendum acceſſiſſet; nihil tamen territus, cum vigilum præfecto Kaggio Neoburgum pergit; ibiqve tranſitu & Kehlhemia oppido ad Danubium ſito, annonâ bene inſtructo,occupato,ac ponte ſtrato, Courvilium cum majore parte eqvitum & ſex ſignis peditum Danubium ſuperare, & Kaggium ac Tupadelium ſubſeqvi cum ſuis copiis juſſerat. Qvum autem Johannes de Werdt ſibi perſvaſiſſet, Bernhardum urbem Monachium petiturum,ille antevertendi conſilio Freiſingam ſe moverat. Exinde Bernhardus liberius ſpatium ac opportunitatem nactus, trajecto Danubio,Ratisbonam in inferiori Bavaria aggreditur. Etiamſi verò hoſtis ad Nabum, qvi Amberga in Danubium defluit, Edertzhuſiæ pontem dejeciſſet, ad impediendum Bernhardo acceſſum; tamen ponte confeſtim refecto, & peditatu cum tormentis accedente,obſidere urbem cæpit. Bavarus,cujus, ut & Cæſaris, non parum intererat, hunc locum conſervari,nec in Sveticas manus pervenire, per qvam illis tranſitus per Danubium aperiretur; hac re attonitus, Troibrezium præfectum urbi per literas ad fidam urbis defenſionem, conſtantiam, & tuendæ urbis neceſſaria curanda,ſpe auxilii jam propinqvantis,hortatur. Iſtis Principis literis ab hoſte interceptis, tamen præfectus,qvod ſui erat officii,fecit. Sibi noxia, hoſti utilia loca ſuburbii exuſſit, non absqve præſenti diſcrimine incendii urbis, certè cum jactura unius propugnaculi in cineres dati. Jam unum pontis arcum demolitus erat; ſed qvia muris pontis admodum firmis, cæpta dejectio magni lentiqve operis futura erat, pulvere nitrato ſubjecto compagem murorum citius diſſolvit, eliſit ac disjecit. Evangelicos cives arctè & intentè habuit, metu ac minis expulſionis ex urbe, niſi in fide eſſent. Reliqvos Pontificiæ religionis, & colonos qvoqve armabat. Sacri ordinis homines eqvitum ſignum ad urbis defenſionem ex ſuis comparabant. Dux Bernhardus, etſi ad impreſſionem faciendam non ſatis virium habebat, tamen Deo & fortunæ confiſus,eam intrepido animo, operibus & acceſſibus ad urbem confectis, molitus eſt. Inprimis pulveris nitrati penuria fecit,ne tormentis, qvantum vellet, qvateret urbem & ad deditionem citius cogeret, qvo à Norimbergenſibus adjutus, urbi non pepercit, & ſimul ad portam Preprunnenſem & Straubingicam via obſidionali tendens, oppugnationi urbis inſtitit, præfecto urbi in collo graviter percuſſo, & optione Finckio occi-

occiſo, in ejusqve locum Johanne Bennone de Lichtenavv viro juvene, parum expertæ militiæ, ſubſtituto, præſidiorum partem ex operibus externis intra pomœriæ compulit. Qvum verò per unum atqve alterum diem muri parum craſſi vehementius qvaſſarentur, & cuniculis ſuffoſſis omnia jam ad expugnationem & incurſum parata eſſent, urbs non multum præſidii ponens in præſidiis ſuis, etſi mille qvingentorum hominum, ſed inter qvos major pars recens conducta, non exercitata & trepida erat, deditionem fecit. Urbi Bernhardus Laurentium Kagge præfectum cum juſto præſidio impoſuit. Inde Straubingam, & qvædam in ſuperiori Palatinatu loca occupat. In Weſtphalia autem & inferiori Saxoniâ Landgravius Werlam, Amœnoburgum, Satzkotiam & Lipſtadium invadit; hoſte tamen ei cladem aliqvam ad Brielam, & Svecis ad Bilefeldiam inferente. Sed in Sileſia per unius menſis inducias deceptis ac ſecuris iſtic redditis hominibus, Wallenſteinius ex voto progreſſus eſt. Qvum viſus fuiſſet in Miſniam tendere, ſubitò verſis ſignis Stenaviam, ad Oderam vicum, inopinatò movit adverſus Sveticos; qvorum pedites ad pontem iſtic communitum ibant, eqvitatus autem, in vicina ſtativa repoſitus erat. Poſtqvam Schaffgotſchius eqvitum hoſtilium ductor cum ſuis octo millium copiis Oderam tranſierat; opponit aciem caſtris Sveticis. Etiamſi verò turmæ eqvitum Sveticorum ei conjunctim capita objicerent, tamen ab eo ſic excepti ſunt, ut in fugam, qvippe longe infirmiores, agerentur. Interim Wallenſteinius, diſpoſitis prope noſtratium caſtra LXX. tormentis, ſpeciem irruptionis cum omni ſuo peditatu in iſtæc præbet. qva re, & ſimul fugâ eqvitum fractis peditatui Svetico animis, Wallenſteinius per Comitem Tertzky, Comiti Turriano & Duvvallio præfectis caſtrorum Sveticorum, ut intra dimidium horæ ſe fidei ejus permitterent, ſi vitam vellent incolumem, ſignificavit. Illi verò, qvod animis & conſiliis inter ſe non ſatis convenirent, eqvitatus parum validus diſſipatus, vires pedeſtrium agminum etiam exiguæ, vix bis mille qvingentorum, & munimenta adhuc imperfecta eſſent; hoſtis poteſtati ſe dedere coacti ſunt; qvi eis abeundi, qvò vellent, facultatem dedit. Sed mox, poſt direpta eorum caſtra, promiſſis ludens, contra pactum, ſub prætextu, qvaſi Comes Turrianus & Duvvalius per delegatos tribunos Stoſſel & Bayer omnium in Sileſia à Svecis occupatorum deditionem Wallenſteinio polliciti eſſent, ex itinere retractos, cum pleriſqve alicujus dignationis attineri & in cuſtodiam dari juſſit. Extemplo præcipuos captivorum ſcribere mandata, manu & ſigillo ſuo firmata, ad omnes præfectos locorum ab Evangelicis in Sileſia adhuc poſſeſſorum, de tradendis iſtis abſqve morâ Duci Fridlandiæ locis coëgit. Comes Turrianus

nus ad octiduum ſolum detentus, Duvvalius verò durius, & tamdiu in cuſtodiâ adſervatus eſt, donec ipſe elaberetur. Ad ſcriptas verò eorum literas & juſſa, hoſtis accepit Glogoviam majorem & alia loca. Sed Vratislavienſes Svedorum præſidium in ſuburbio, qvod Sand appellant habentes, & Brigenſes (ut nonnulli addunt) cordatè recuſarunt ſuarum urbium deditionem: negantes, ſe obligatos eſſe ad parendum imperio ducum jam captivorum, & qvi non ſui juris ac poteſtatis eſſent, qviqve metu aut vi à Wallenſteinio coacti eſſent iſta ſcribere. Sic Wallenſteinius imagine induciarum & pactorum, diffidentiâ ac diſcordiâ ducum ac præfectorum, munitionum operumqve neceſſariâ refectione, & præſidiorum ſupplemento neglectis; tam feliciter non ſolùm caſtris Sveticis, ſed totâ ferme Sileſiâ, & tam facile potitus eſt. Suas verò copias partim in Luſatiam ire juſſit: ubi Görlicium vi expugnavit; partim Wartham fl. ſuperare voluit: qvo ſuperato, Landsbergam occupavit: per qvam hoſti tranſitus in Neomarchiam & Pomeraniam apertus erat. Qvanqvam verò providentia Stenonis Bielke Legati in Pomerania & Leslæi iſtic caſtris præfecti induſtriâ, Pomaria, qvoad fieri potuit, adverſus ſubitam hoſtis incurſionem præmunita erat; tamen ille, totis viribus haud dubiè fortunam perſeqvuturus, eò perrupiſſet; niſi Dux Bernhardus, qvi eodem die: qvo hoſtis Landsbergam occuparat, Ratisbonam obſidere cæperat, iſta obſidione eum in Bavariam retraxiſſet. Veruntamen qvum legio pedeſtris Bucheimii X. ſignorum, Landsbergâ excedens, Francofurtum ad Oderam cogitaret, tribunus Crockavius per Wartham frigore concretum traducto ſuo agmine, ad unum ferme milliare ab urbe ex inſidiis fruticeti prorumpens, iſtam legionem disjecit, & X. ſignis captis, pro-
1634 fligavit. Francofurto tamen hoſtis poſtea potitus eſt. Seqventi anno, intra regnum Svetiæ reperta eſt in Pithoenſi Lapponiâ argenti fodina divitis venæ. Conſultatio in Senatu, ad deſiderium Legatorum Electoris Brandenburgici & Pomeraniæ, de ſatisfactione pro expenſis belli, & evacuatione præſidiorum in Germania, Reginæ & regno Sveciæ præſtandâ, inſtituta eſt. Qvamvis autem Senatus regni neceſſarium duceret, hanc magni momenti rem ad deliberationem Ordinum regni remittere: qva cauſa etiam delectum Ordinum in Februario edixerunt; tamen ob moræ periculum, qvum R. Cancellarius ante iter ſuum Francofurtenſe ad Ordines Imperii Evangelicos, apud qvos hoc negotium etiam agi debebat, aliqvid certi de eo docendus eſſet, temporarium Senatus conſilium tale fuit: *Qvemadmodum eorum conſilia ad illum*

lum ſcopum in re præſenti ſemper directa fuerint, ut univerſa Pomerania, cum eò pertinentibus provinciis, urbibus, portubus, juribus & jurisdictione, ut & urbs Wismaria, in compenſationem & efficacem ſignificationem gratitudinis pro multis & inæſtimabilibus in Evangelicos in Germaniâ collatis beneficiis, Coronæ Sveciæ jure Feudi à Rom. Imperio cederentur; ita adhuc nullas alias, qvæ tutiores, meliores & Coronæ ſitu commodiores, qvàm ille eſſent, eos diſpicere. Præſertim qvum Pomeranicum Fœdus ex parte ſatisdatio qvædam eſſet, ut Corona pro ingentibus factis ſumtibus, ab ultimi Pomeraniæ Ducis ſucceſſore ſatisfactionem exigendam haberet; absqve tamen Electoris Brandenb. ejusqve familiæ, ac Ducis Meklenburgenſis detrimento; ac in tantum, ut illis alibi ſufficiens refuſio præſtaretur. Si verò inevitabilis difficultas, & forſan inimicitia amicorum ac ſociorum, damno qvorum Svecis concedenda conſtarent, hinc oritura eſſet, per qvam patria magis in periculum qvàm ſecuritatem fortè conjici; atqve tota Pomerania obtineri non poſſet; eò tamen annitendum eſſe, ut citerior Pomerania, cum inſula Rugiâ, Uſedomiâ, Stralſundiâ & Wismaria; pro ulteriori verò Pomeraniâ, ſi Electoris tandem futura eſſet, aliæ qvædam, velut forſan Diœceſis Bremenſis & Verdenſis, impetrarentur. Sed & omnes Evangelici Electores & Ordines in omnem neceſſitatis caſum ad Coronæ Sveciæ ſuccurrendum ſe obligaret; ſigillatim ad Coronã in hac compenſatione tuendam fidem darent. Hoc Senatus conſultum cum inf. poſito Ordinum regni decreto Cancellario transmiſerunt: ut ſua conſilia pro temporum conditione ſecundum hoc moderaretur. Ordinum regni delecti ad dictum XXII. Februarii diem convenerunt; ubi illis ante dicta ad deliberandum qvoqve propoſita ſunt. Horum poſt maturam deliberationem, ſcriptum decretum, Reginæ & Senatui Regni traditum tale fuit: *Extra controverſiam eſſe, qvod etiamſi Cæſariani & Romano-Catholici cum Regina & Corona Sveciæ pacem facere poſſent, ſui tamen ſemper ſimiles fore, nec illis ulterius fidem, qvàm ſervare vellent, habendam eſſe. Idcircò tàm Coronæ Svetiæ, qvam Fœderatorum ejus in Germaniâ ſalutem in eo non parum ſitam videri, ut Regina firmum pedem in ſolo Germanico retineret. In qvem finem qvatnor ſuperioris Germaniæ Circuli in conventu Heilbrunnenſi ſe obſtrinxiſſent, ad debitam ſatisfactionem coronæ Sveciæ præſtandam; ad qvam Elector Brandenburgicus inferioris Germaniæ Circulos nuper etiam hortatus fuiſſet. Proinde qvàmprimum cum qvatuor ſuperiorum Circulorum Ordininibus agendum eſſe, ut Electori Brandenburg. ad cedendum ab Imperio Rom. Coronæ Svetiæ in perpetuum Feudum Pomeraniam, ſtudioſè perſvadere vellent.*

Si vero hoc nullo profectu tentaturi eſſent, & priusqvam res in diſſidium cum Electore atqve aliis, qvi nunc Coronæ amici ac ſocii eſſent, exiret, conſultum eos ducere, rem ita diſpenſari, ut Reginæ & coronæ inſula Rugia, Uſedomia & Wollinum, ac præcipui portus & loci maritimi, unà cum tanta circumjacente terra, qvanta ad ſuſtentationem præſidiorum obtineri poſſet, inprimis Stralſundia ejusqve protectio addicerentur. Contra Electori Brandenburg. in hunc & ſuperiorem eventum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis aut Halberſtadienſis Epiſcopatus, & pars Sileſiæ vel alia loca attribuerentur. Ab aliis verò Evangelicis Principibus & Ordinibus tam ſuperioris qvam inferioris Saxoniæ ſatius fore aliqvot milliones auri capere, qvam longè remotas terras; qvas Corona progreſſu temporis difficulter tuitura eſſet. Hoc tamen ita moderandum eſſe, ut Coronæ, loco hypothecæ pro iſta pecunia Archiepiſcopatus Bremenſis cum parte Weſtphaliæ & aliqvot adſitis diœceſibus, ut & Wiſmaria & Pöla, donec omnia perſoluta eſſent, cederentur. Præter hæc cupiendum eſſe, ut Evangelici Electores & Ordines cum Regina & Coronâ Sveciæ ad certam & reciprocam opem ſe invicem obligare, & una pars alteri omnes juſtas ſuppetias adverſus ſuos hoſtes præſtare velint. Hæc verò omnia ſe Reginæ Tutoribus ac Senatui, cum regni Cancellario, communicanda, & ulterius pro ratione temporum, bonoqve Reginæ patriæqve, vel extendenda vel reſtringenda committere. Idem ſeqventi anno in Comitiis Stocholmienſibus, nonnullis immutatis, repetitum eſt. Poſt hæc Elector Brandenburgicus à Regina & Corona Sveciæ ac Fœderatis ad ſocietatem Fœderis Heilbrunnenſis amplectendam per Comitem de Solms & poſtea per ipſum Cancellarium, Standalii in Marchia Bramdenburg. cum Electore colloqventem, invitatur. Ad illud certis conditionibus nomen ſuum profitetur, inprimis, *incolumi ſua dignitate, jure vel adqviſito vel adqvirendo ſalvo, & adjuvanda à ſociis recuperatione & reſtitutione amiſſorum in Sileſia, plenaqve poſſeſſione Ducatuum Juliaci, Cliviæ & Montium, immunitate à contributionibus & integra ſucceſſione Pomeraniæ, avitis & ſolidis pactis, & hæreditarii ſubditorum jurisjurandi religione confirmata, ſibi reſervanda, & neceſſariis locis adverſus hoſtis vim communiendis*; & qvæ aliæ conditiones erant. Illas Comes Solmenſis, qvod de eis cum Electore agendi nullam expreſſam poteſtatem habebat, ad Electoris cum Cancellario præſens colloqvium remittebat. In eo Cancellarius, ut ante per literas, ita nunc ore Electorem ad Fœdus Heilbrunnenſe, & conjunctionem animorum, conſiliorum & armorum, velut optimam ſe conſervandi viam, animabat. Elector ſe qvoqve amplexurum illud fœdus adfirmabat, ſed certis condi-

conditionibus ante tactis: inter qvas præcipuus nodus *de Pomeraniæ ſucceſſione & jure in eam ſuo erat.* Illud verò *Regem Sveciæ nunqvam in dubium vocaſſe*, reponebat Cancellarius; *niſi qvod in Fœdere cum Bugislavo Duce Pomeraniæ ſibi qvædam reſervaſſet; quæ tollere vel mutare, in ſua facultate non eſſet; tuenda, donec Coronæ Sveciæ ſatisfactum eſſet. Nunc verò ſolum agi de fœdere Heilbrunnenſi & mutua conjunctione; de ejus modo & conditionibus in conventu Francofurtenſi actum iri, qvo ſe reſervare Electorem*, rogabat. Elector his adqvieſcens, *ſe non ſolùm ad conventum Francofurt. delegatum ſuum miſſurum, ſed etiam Electori Saxonico, ut idem faceret, literis perſvaſurum*, promittebat. Deinde utrimqve inter Electorem Brandenburg. & Cancellarium convenit de magis armando in ſuperioris & inferioris Saxoniæ Circulis exercitu, & qvidem absqve cunctatione, anteqvam hoſtis ſe illis ſuperfundens conſilia eorum turbaret. Qvod autem Elector ſe ſolum ſuaqve impensâ copias ſuas ſuſtentaturum adfirmabat; nec aliis contributionibus onerari velle; Cancellarius *hoc naturæ fœderis repugnare*, regerebat: *qvum omnes copiæ, omnibus ſociis communes, ex communi ærario alendæ eſſent. Si ſecus fieret, iſtæc inde incommoda oritura: ut, ſi, ſingulis copiis ad ſuum ſeorſim dominum reſpectantibus, qvædam membra ſociorum & Ordinum ad incitas redacta nihil in medium conferre valerent, optimæ legiones peſſimè haberentur: exinde, præter alias difficultates, ipſam ſeditionem metuendam eſſe.* Tandem de reſtaurando ſtatu Sileſico & ex parte Brandenburgico conſultatum eſt, decretumqve, ut prima qvaqve occaſione recuperatio ab hoſte occupatorum tentaretur, inprimis Francofurti, ne qvid in manibus hoſtis à tergo relinqveretur. In conventu Halberſtadienſi, qvem conſentiente Regina, Fridericus Ulricus Dux Brunſvicenſis ad inferioris Saxoniæ Circulum, ad Civitates Anſeaticas & Comites in Weſtphalia conſcripſerat, conſultatum & decretum eſt de firma conjunctione armorum & conſiliorum cum qvatuor Circulis ſuperioris Saxoniæ & Coronâ Sveciæ. Modus autem & leges conditionis ad conventum Francofurtenſem remiſſæ ſunt. Præter alios Principes & Ordines Evangelicos à Cancellario ad conventum Francofurt. invitatos, ipſe Elector Brandenburg. eò invitans Electorem Saxoniæ, ut ante promiſerat, & ad unanimem conjunctionem cum reliqvis Evangelici Fœderis membris amicè hortans, ejus animo prius eximere ſtudet ſiniſtras qvasdam ſuſpiciones, *qvaſi nonnulli illius eminentiæ qvid detractum irent: qvum contra major pars Electorum & Principum ei cognatione juncta propinqvo ſuo ſangvini non poſſit non be-*

ne velle. Nec Coronæ Sveciæ talem ineſſe mentem, quæ dignitatis ejus deminutionem qværat: qvum Guſtavi Magni, & , poſt ejus mortem, Filiæ Reginæ tot conteſtationes & argumenta factis ipſis teſtata meliorem fidem darent; nec ſe ſperare, Svecos aliud verbis præ ſe ferre, mente aliud recondere. Qvod verò in tanta & tam perpetua belli procella non omnia tam recto ordine & modo, qvàm tempore pacis, eant, Electorem pro ſua prudentia & rerum humanarum peritiâ non adeò miraturum, ſi ſecum reputet, qvàm varius & anceps armorum motus ſit. Ubi verò ſecundo vento navigare rectumqve curſum tenere non licet, ſatius eſſe velificari, & obliqvare ſinus, qvàm rerum naufragium facere. Velut autem Corona Sveciæ & reliqvi Evangelici Ordines Electoris, ut unius præcipuarum Imperii columnarum, conſilium & opem magno cum deſiderio expectent, ita non exiguum pondus apud ipſos habitura eſſe. Revocabat ei qvoqve in animum, *tutam pacem ſperandam non eſſe, dum hoſtes omnem ſuam ſpem in disjunctione Evangelicorum Ordinum defixam habent. Si verò illa ſpes eis præcidi poſſit, ad pacem procliviores fore. Præcidi autem poſſe, ſi Evangelici Ordines conjunctis conſiliis, animis & viribus rem aggrediantur. Sic, ut hactenus Deum cauſæ ſuæ faventem ac propitium etiam in poſterum experturos, atqve poſt DEI gloriam, & cœleſtis veritatis vindicias, omnium Evangelicorum Principum & ordinum communem libertatem promotum & conſervatum, atq; adeò deſideratam pacem Imperio tandem aliqvando reſtitutum iri.* In parem ferme ſententiam ex Electoris Brandenburgici conſilio, Cancellarius ad Electorem Saxoniæ ſcripſit. Cæterum, qvum, uti ante annum, ita denuò hoc anno Dux Friedlandiæ per Franciſcum Julium Ducem Saxo-Lavvenburg. Electoribus Evangelicis particularis, qvam vocant, pacis tractationem nomine Cæſaris obtuliſſet: ut omnis diffidentiæ radices tollerentur, Imperium priſtino ſplendori reſtitueretur; nec peregrinus dominatus; ut ajebat, in ludibrium Germanorum, nationi Germanicæ obtruderetur; Elector Saxoniæ, ab hac pacis oblatione non alienus, Arnhemium ad Electorem Brandenburgicum tanqvam conſultandi animo miſit: *Num, ad tranqvillandum Imperium, ne totum cum æterno Electorum opprobrio & omnium Ordinum irreparabili detrimento præceps ruat, cum Friedlando de pace tractandum ſit? In qvo & qvatenus exiſtimet, adverſæ parti, communis qvietis cauſa, cedendum eſſe? Num ſi via pacis honeſtæ & Chriſtianæ, ab adverſaria parte offeratur, inconſultis aliis, qvod res moræ impatiens ſit, acceptanda ſit? ſic tamen ut*

nemo

nemo, qui eam amplecti velit, excludatur? Ad iſtæc Elector Brandenburgicus prolixè reſponſum compoſuit, cujus hæc mens erat: *Commune negotium, & quod ad plures pertineret, conſilio & conſenſu omnium, quorum intereſſet, tractandum eſſe. Non parum verò ad rem facturum, & ſerium, pacis ſtudium in adverſa parte magis patefacturum, ſi Elector inveſtigaret, à quibus, num à ſolo Cæſare an Romano-Catholicis etiam Electoribus & Ordinibus Fridlandus tractandi poteſtatem, & quousqve haberet? Num præter Evangelicos Ordines etiam cum Regina & Corona Sveciæ, quæ propter conjunctionem armorum & ſocietatem, ob occupata Imperii loca, aliumqve reſpectum ab hoc negotio ſeparari non poſſit, tractare in mandatis habeat? Non enim ad optatum finem, ſolidam ſecuritatem, quæqve aliis fraudi non ſit, perveniri poſſe; licet illis via ad eundem ſcopum præſervetur; niſi absqve inſidiis & dolo, cum ratihabitione omnium, quorum hîc res præcipuè agitur, ſincerè totum negotium adminiſtretur. Sed de his ulterius deliberandi in Concilio Francofurtenſi jam impendente occaſionem fore.* Poſteaqvam Rex Daniæ & Elector Saxoniæ negotium de tractanda pace iterum apud Cancellarium urſerant, ille cum Conſilio formato in hanc mentem Regi Daniæ reſpondit: *Laudato Regio inſtituto de partibus ſuis in tanto tam anxiè & diu deſideratæ pacis negotio interponendis, ſi Regi, velut ſtatui ac membro Imperii, vel ut ſeqveſtro pacis, vel ut alii extraneo, Chriſtiano & potenti Regi, ſuum Legatum placeat ad conventum Francofurtenſem amandare, ſibi & conſilio formato pergratum atqve inſtituendæ rei percommodum fore. Sic enim ibi congreſſuris & in medium conſulturis Ordinibus ac delegatis ſuſceptam interpoſitionem oportunius aperire, & propenſos eorum ad Chriſtianam, æqvam & tutam pacem animos in eoqve propoſito ulterius confirmandos perſpicere poſſe; & quibus conditionibus ac legibus ſalutaris communisqve pax cum hoſte paciſcenda ſit, amicè convenire. Idem hoſti adverſas ſuſpiciones temerè injicere non poſſe, & publicæ rei magno uſui fore. Non autem eſſe, quod qvenqvam turbet, in conventus publici indictione, communis animorum & armorum conjunctionis mentionem factam eſſe. Velut enim hoc extremè pernicioſum belli incendium ad omnes & ſingulos Evangelicos Electores & Ordines penetrarit, & ex felici ſtatu, ſecuritate ac pace in tam turbulentum ſtatum & conſpicuum excidium conjecerit, defenſionisqve neceſſariæ arma tandem imperarit; ita ſi à Deo tam ardenter exoptata pax, certa & ſtabilis, ejusqve fructus omnibus & ſingulis, quorum intereſt, communis eſſe debeat, oportere eã ab omnibus etiã unanimiter tractari, approbari & decerni, eiqve unanimem animorum & armorũ conjunctionem præmitti.*

qvæ

qvæ via, poſt Dei providentiam, ad communem & ſummè neceſſarium pacis ſcopum conſeqvendum, unicè ab omnibus veræ pacis amantibus qvæſita ſit. qvam etiam inſtituturum Chriſtianum & prudentisſimum Regem, illos non dubitare, & de eq re ulteriorem mentis regiæ ſignificationem expectare. Saxonico Electori ſic reſpondit: *Qvum DEUS ſit DEUS pacis, Chriſtianis, ut DEI filiis, incumbere pro viribus imitari DEUM; & bellum velut evidens offenſi DEI ſignum fugere ac vitare. præſertim qvum ita cum inteſtinis & civilibus bellis comparatum ſit, ut iſtæc cum longè majori immanitate, qvam externa geri ſoleant, & tam victores qvam victos ſæpe in exitium præcipitent. Proinde ſe maximè lætari, qvod intelligat Electorem cum Rege Daniæ ad honeſtæ pacis conſilia tam propenſum eſſe. Illis Reginæ & Coronæ Sveciæ partes non defuturas. Se ſaltem optare, ut, velut hoſtes dulce pacis nomen in ore gerunt, ſic verum ejus deſiderium in corde foveant; & delecto ex pectoribus Evangelici nominis odio, pacem ſeriò bonaqve fide qvæſitum irent.* Dum pacis negotium & conventus Francofurtenſis differtur, interim militiæ ſtatus, ubi neceſſe erat, ordinatur. Deſideratum à Regina per Electorem Brandenburgenſem militum auxilium, ad liberandum ab hoſte Francofurtum & Landsbergam, Regina tunc, etiamſi vellet, gratificari non poterat: qvippe qvum illo ad obſidionem urbium opus eſſet; eam verò tempus hybernum denegabat. Decretum tamen eſt, in utroqve Circulo Saxonico duos peculiares exercitus, unum ad Viſurgim Georgio Duci Luneburg. committendum, alterum ad Albim Johanni Banerio credendum collocare. qvi ſimul ad Oderam oculos intenderent, & ad eum amnem ſita loca ab hoſte per occaſionem & commodum anni tempus, in gratiam Electoris purgarent. qvo confecto, in Sileſiam aut aliò hoſtis devertendi cauſa, iter facerent. Iſtic ante qvidem commorabatur Duvvalius, cogitans de reſarciendo damno ad Stenaviam accepto, ſed penuriâ neceſſariorum, qvæ ab Vratislavienſibus fruſtra præſtolatus erat. Eo nomine Cancellarius Vratislavienſes amicè monuerat, ut, qvæ poſſent communis propriæqꝫ ſalutis cauſa, Duvvalio ſubminiſtrarent. Ad Landgravium Haſſiæ qvoq; ſcripſit; ut ſepoſitis privatis cum Duce Luneburg. (ob hujus militum in illius provinciis nimiam inſolentiam) diſſidiis & æmulatione, cōmunis periculi majori ratione habitâ, pro re nata ſibi invicem ſuccurrerent. Duci Brunſvicenſi ad continuandam Hildeshemii obſidionem, & civitati Brunſvic. ſuppetias adverſus excurſiones Guelfferbytenſes miſit. Ab Helvetiis Evangel. deſideravit, ſubvectionem commeatus ad Briſacū inhiberi: pro qvo officio ſpem auxilii, ſi eo opus foret, illis fecit. In ſuperiori Germa-

nia ſubſiſtebant Guſtavus Horn & Bernhardus cum ſuis copiis: ut partim Bavaris, partim Cæſaris in Bohemia machinationibus invigilarent, & in tempore obviam irent. Jam verò exercitum in hybernis reficiebant, ut in proximum ver adverſus hoſtem excitatior eſſet. Qvum Fridlandus conjunctionem cum Bernhardo avidè expetiiſſet, Cancellarius & Bernhardus ipſi fidem habere noluerunt: qvum ſub ſpecioſis ejus actionibus dolus occultari videretur; cujus documentum nuper in Sileſia dediſſet. Tutius viſum eſt, eum in ſuo inſtituto non qvidem remorari, nec tamen vigilem animum remittere. Si verò Altringerus fortè Ratisbonam cogitaret, divertendi Sveticos animo, aut Bernhardum à tergo invadere conaretur, Hornium ei præſto eſſe monuit Cancellarius. Electorem Saxoniæ ad movendum in Bohemiam ſollicitavit, ut à ſua parte hoſti iſtic incommodaret, eum in arctum cogeret, ejusqve conſilia in iſtis Fridlandicis motibus diſturbaret. Dum conſultatio de expeditione inter Hornium & Bernhardum inſtituitur, Interea Comes Palatinus cum ſuo exercitu in ſuperiorem Palatinatum excurrens, Sultzbachiam, Vilſecum, Aurbachiam. Herſaviam & alia loca capit. Ad eorum progreſſum Bavaris ſe moventibus, noſtrates etiam movent. Ad Danubium Donavvſtavia arce, qvæ Svetico exercitui non parum hactenus obſtiterat, dum ei commeatum per Danubium ſubvehendum inter Ratisbonam & Strauhingam præcluſerat, Kaggius tandem non exiguo cum labore (qvum in arduo colle ſita, triplici muro cincta, qvi triplex cedentibus præbebat perfugium) potitus eſt; licet ipſe per collum glande plumbea, non tamen lethifero vulnere, transverberaretur. Arx, prædationi ſolùm ſerviens, juſſu Bernhardi Ducis ſolo æqvata eſt. Pari ſucceſſu vicina loca alicujus momenti, Hohenaltachium cœnobium per tribunum Karbergium, Falkenſteniam per protribunum Waldavium, Aichſtadiam per chiliarcham Haſtverum, aut vi aut terrore, Sveonum poteſtati noſtrates ſubdebant; hoſte etiam poſt inſtructam annona Wiltzburgam, per Johann. Philippum Landgravium Haſſiæ cæſo. Sed & Johannes de Werdt incurſionem in ſtativa Svetica tentans, cum ſuorum clade repellitur. Bernhardus Dux iterum à Fridlando per Franciſcum Albertum de auxilio compellatus, Fridlando, ut vulpi, non temerè fidit. At animadverſo, rem ab eo ſeriò agi cum ſuis copiis in Bohemiam tendit, occaſioni intentus: qvæ, ſi ſucceſſum habuiſſet, miram rerum commutationem peperiſſet. In itinere verò violentæ necis Fridlandi nuncio accepto, tamen pertendit & properat iter; ſi fortè Fridlandicarum turmarum qvasdam ad ſe adducere, Pilſenâve iſtic potiri poſſet. Sed incommoda &. difficilis via non parum morabatur iter; ad acceſſum

Bernhardi nemo Cæſarianorum ſe movit; qvibus etiam, contra ipſum forte ituris, par non fuiſſet; ideò conjunctionem cum Saxonicis per Arnhemium qværit, ad conata hoſtis efficacius diſturbanda. Dum in eo eſt, ſed fruſtra, hoſtis firmatis copiis, ſuperiorem Palatinatum Sveticis purgat, Chama & Straubinga etiam recuperatis. Dum Altringerus in Bavariam, Gallaſſius in Bohemiam regreſſi erant, Guſtavus Horn in Helvetiam, ſtratis in tranſitu aliqvot turmis hoſtilibus, abit: animo ſuccurrendi iſtic Evangelicis, ut deſiderarant, & in partes Sveticas traducendi defendiqve adverſus Pontificios Helvetios, diſſidiis & armis cum illis commiſſos. Ad facilius autem his reſiſtendum, & illis opitulandum, atqve diverſionem hoſtium ex Bavaria prohibendam, Bibracum, Campidunum, Memmingam, Mundelhemiam, aliaqve loca armatâ manu aut deditione feliciter occupat. Rheingravius Otto Ludovicus, ut vires hoſtium & conſociationem Schaumburgenſium cum Lotharingicis copiis ad Rhenum diſſiparet ac præpediret, in Suntgoviam tendens Sultzam, Gebvveileram & Ruffacum ſubito impetu capit. Inſuper hoſte ad Watvvilium ſtrage MD. cæſorum affecto, oppida clade hoſtium perculſa, Thanam, Enſishemiam, Befortum, Neoburgum ad Rhenum, Fridburgum in Brisgoa, aliaqve per fratrem Johannem Philippum, præcipuè ſilveſtria oppida, Lauffenburgum & Landshutum, tentatâ inſuper Rheinfeldiâ, invadit. Tandem etiam Philippiburgum, in Spirenſi diœceſi munitiſſimum caſtellum, lentâ obſidione hactenus fatigatum, nunc autem fame & neceſſariorum inopiâ fractum, ad deditionem Svecis faciendam cogit. In Weſtphalia licet Cæſarei ſub Gelehnii ductu valdè graſſarentur & ſe corroborarent, tamen Ericus Andreæ Trana centum triginta eorum in tranſitu cædit, duobus ſignis captis; & Pinſius Borchiam occupat. Guſtavo Guſtavi Comiti, nomine Reginæ & Regni Speciæ Osnæbruga à Cancellario traditur. Duvvalius, deſideratâ, ob cladem ad Stenaviam, à Cancellario tribunalis militaris cognitione, cladem iſtam aliqvantum reſarcit, interceptis in Sileſia duobus propugnaculis ad Oderæ pontem; Ohlavvenſi ponte interciſo & incenſo, turmâ eqvitum in Olsnicenſi Ducatu ſtratâ. Cæſariani in Fridlandi, jam qvidem è medio ſublati, ſed ſuperſtitibus factionis ejus partibus, ſub ductu Freibergii, comprimendis, ad Troppaviam in Sileſia occupati ſunt, & ex omnibus locis eò contrahuntur; intereà Leslæus, collectâ ex Pomeranicis & Neomarchicis præſidiis manu, Landsbergam ad Wartham flumen in Marchionatu Brandenb. ſitam, in gratiam Electoris Brandenburgici coronâ cingit, & oppugnatam deditione ab hoſte recipit; qvod ita factum eſt. Primum per pontem Warthæ inſtratum transmiſſis copiis, propugnacu-

gnaculum hoſtium à Vacca nomen habens invadit, & obſeſſis commeatum & tranſitum ex Sileſia intercludit. Deinde ex adverſo propugnaculi in colle excitat ſuggeſtum tormentarium,& exiguo tempore factis acceſſibus, imminet obſeſſorum operibus ac portæ urbis. Comes Schlickius urbem MCC. præſidio tenens,eam ſedulò qvidem defendit, excurſione non una in Sveticos facta,ſed acriter ab illis repulſus,& auxilio nudatus,deditionis conſilium cepit, & urbe Leslæo traditâ,majoremGlogoviam cum ſuis copiis deductus eſt. In urbe XVII. ænea XI. ferrea tormenta cum reliqvo apparatu militari & inſignis copia annonæ reperiebantur. Ericus Johannis Ultſpar urbi cuſtodiendæ præficiebatur. Qvia parvo temporis intervallo Francofurti ad Oderam recuperatio, Landsbergam receptam ſeqvebatur; viſum eſt illam & proximè geſta, ſerie temporis paulum interruptâ,huic ſubjicere : qvod utraqve urbs eundem dominum Electorē Brandenb. agnoſcit. Qvum Joh. Banerius ex inferiori & ſuperiori Saxonia, & Brandenburgenſi auxilio,qvatuordecim millium copias collegiſſet, urgente obſidionem & per eam recuperationem FrancofurtiElectore,anteqvam hoſtis ſe recolligeret & ſationis tempus prohiberet,vel ipſa ſata conſumeret,ſi obſidio diutius extraheretur, eam ſeriò aggreditur: occaſioni,qvæ belli momenta regit, invigilans, dum præſidia urbem tuenti Funccio tribuno (qvi partium Fridlandicarum fuerat, eoqve ipſi alius collega Manteufel adjunctus)haut ſatis fida erant.Qvamvis autem iſte Manteufel urbem pro viribus muniiſſet; loca qvæ ſuſpicabatur hoſti fore pervia,ſudibus præacutis,& ciſtis ac vaſis fimo repletis, ac muricibus ferreis paſſim humi ſparſis præcinxiſſet, ad extrema urbem tueri paratus;tamen hæc parum curansBanerius,per acceſſus & vias obſidionales munimenta ante urbem paulatim præripuit,præſertim ad portamGubenianam & Lebuſianam ;& qvaſſandæ tormentis ac oppugnandæ urbis nullam moram fecit.Ita deditione urbi imperatâ,præfectus ejus armiſtitium, ſed fruſtra deſiderabat. Unde iteratâ ſeriâ oppugnatione,obſeſſi qvidem ſtrenuè ſe ex dictarum portarum turribus tutati ſunt,non paucis obſidentium ſtratis. At Banerius per cædes ſuorum ab ipſo ferro vindice vires ſumens, acrius inſtat. Etenim deturbatis duabus turribus ac propugnaculis, propius ad urbis foſſas accedit: ubi excitato tumulo,tormentis qvaſſat muros expugnationi proximos, vulneratis etiā tribuno Crocavio & præfecto Manteufelio. Qvo facto præfectus ad Banerium mittens,cum eo paciſci qværit. Sed ille obſeſſos ſe ipſius arbitrio permittere voluit.Tandem tamē de deditione convenit : qva Banerius urbem poſt X.dierū obſidionē capit.Inde in Sileſiā abiens,dum Glogoviam majorē perStalhanſchiū ad deditionē excivit,poſtero die duæ legionesSaxonicæArnhemii eandē obſeſſū veniūt.Ille v.ſe dicis cauſa excuſabatBanerio,

negans ſe ſciviſſe, ab ipſo urbem prius ad deditionem excitam fuiſſe: quia tamen obſidioni jam implicitus eſſet, non poſſe eâ commodè abſiſtere; operam daturum, ut ei alio modo ſatisfaceret. Sed ſub hoc colore latebat vera cauſa eum excludendi Sileſiâ. Banerius illud Arnhemii contra conſvetudinem militarem impedimentum ægrè ferens, ultione non indignum reputabat: ne tamen amicitiæ Saxonis jam inclinanti per hoc fortè magis diſſolvendæ cauſam dediſſe videretur, pro tempore diſſimulabat; & abſcedens, Croſſenam nullo negotio intercipiebat. Conventus Francofurtenſis iterum indicti initium factum eſt, in qvo fœderatis eorumqve legatis à Cancellario regni hæc præcipua capita ad deliberandum proponebantur: *Opus eſſe omnium Evangelicorum ſincera animorum, conſiliorum, armorumqve in communi cauſa conjunctione, ad prævertendum immedicabilibus incommodis ſeparationis ſociorum, ab hoſte non ſemel attentatæ, & ad univerſæ pacis ſcopum melius aſſeqvendum. Cogitandum verò eſſe de Chriſtiano & honorifico modo ac conditionibus pacis. In conſultationem etiam vocandum eſſe, qva ratione ad Regem Daniæ, hic ſe interponentem, nomine omnium Fœderatorum certa & expedita declaratio, incorruptum ſtudium & cupiditatem honeſtæ ſolidæqve pacis ſpirans, ſcribenda ſit. Qvomodo Reginæ & regni Sveciæ merita, ab Regis Guſtavi Magni, toti Evangelico ſtatui, in periculo excidii omnium proximo jam verſanti, cum præſenti diſcrimine propriæ Coronæ & ſceptri, facultatum & ſangvinis præſtitam, & tandem generoſæ ac regiæ vitæ heroico animo profuſa jacturâ obſignatam planeqve inæſtimabilem fidem, non modò gratis animis, ſed reipſa qvoqve & factis remuneranda ſint. De belli item ſubſidiis & adminiculis ſtabiliendis, ære & fiſco militiæ fideliter adminiſtrando, granariis publicis & apparatu belli rectè conſtituendis, exercitu ſufficienter alendo & ſuſtentando: ut ita militaris diſciplina hactenus collapſa melius inſtaurari poſſit; de commerciis & agricultura rectè conſervandis. De caſtelli Philippiburgi à Rege Galliæ deſiderata ceſſione; de Comitis Palatini Neoburgici neutralitate qvid ſtatuendum ſit. Si unus vel plures extranei Principes, Status aut Reſpublica Fœderatis ad communis libertatis tutelam ſe aſſociare velint, qvid agendum aut decernendum videatur.* Anteqvam ad ipſam de his conſultationem, ob qvorundam ex Ordinibus adhuc abſentium exſpectationem, deveniretur, Comitis Palatini Neoburg. Legatus qverelam de Sveticorũ militum in ſui Principis terra hoſpitationibus, contributionibus & oneribus inſtituit, inde damnorum acceptorũ æſtimationem ſuo Principi reſtitui; & tandem ſcripto ei de liberatione ab hujuſmodi oneribus in poſte-

in poſterum caveri deſideravit. qvod niſi fieret, Principem ad ſui Palatinatus defenſionem cogi arma ſua cum Cæſarianis conjungere. Hujus deſiderium ulteriori conſultationi reſervatum eſt. Deinde Electoris Saxon. Legati *ſerium pacis ſtudium, velut unicum tam adflicto Germaniæ ſtatui remedium, ſedulò ſvadebant; & qvidem absqve morâ, & nimis curioſis ſcrupulis ac nodis præparatoriorum, rei trahendæ nonnunqvam inventis, urgendum. Qvò major enim & periculoſior morbus eſſet, eò celerius medicinam eſſe qværendam. Præter alia, de ſatisfactione Sveciæ præſtanda jam ab Electoribus cogitatum & certi qvid conſtitutum eſſe. Qvod verò qvatuor ſuperiores Circuli in peculiare & arctius fœdus cum regno Sveciæ, Electore præterito, præcipuo tamen Evangelicorum Ordinum membro, coiiſſent,* haut obliqvè eos perſtringebant. Illi verò hoc excuſabant *periculo moræ, ob hoſtilem vim ſuis provinciis magis ac magis impendentem, & ob oculos verſantis exitii diſcrimen in tempore junctis viribus avertendum. Ipſos verò, ut ante, in conventu Heilbrunnenſi, ita adhuc in præſenti, nullam ſibi aliam fœderis metam præfixiſſe, qvàm ſecuritatem omnium Ordinum, libertatem patriæ, reſtitutionem exſulum, & recuperationem honeſtæ atqve æqvæ pacis, absqve ullo ullius pacis amantis ſtatus præjudicio. qvo etiam propoſito communis defenſionis arma, inevitabili neceſſitatis vi extorta ſumſiſſent. Qvò verò magis hoſtis, poſt unanimem ſuorum conjunctionem & fidem, in diſtractione & diffidentiâ Evangelicorum præcipuam fortunæ ac ſalutis ſuæ ſpem collocaſſet, eò majori ſtudio & ope connitendum eſſe, ut omnes Evangelici Electores & Ordines arctius fœdus cum regno Sveciæ contrahant: qvo pernicioſa ſeparatio præcaveatur.* Dum in conſilium de propoſitis deliberationis capitibus itur, in diſceptationibus & colloqviis exactus totus menſis absqve fructu abiit; qvum tamen indies creſcentia hoſtilia pericula citius in rem conſulere ſvaderent. Cancellarius tædio cunctationis, & qvod tempus rerum agendarum meris verbis tereretur, interea Moguntiam ſeceſſit: ubi de annona militari & ſedibus belli porrò diſpexit. Armorum fortuna in Weſtphalia & Saxonia talis fuit: Poſtqvam Gelehnius Hœxteram, Caſparo Crugio Svetico centurioni viribus prævalens, expugnatione eripuerat, pariq; ſucceſſu Hammoniam Lunamq; ad Lippam fl. munita oppida ſubegerat; Georgius Dux Luneburg. ſuis copiis cum Haſſiacis, licet ægrè, conjunctis Gelehnio viribus ſuperior factus, eum fruſtra ad pugnam provocat. Eo cedente, dicta oppida recuperat. At in Bavaria res Sveonum minus ex voto proceſſerunt: dum Cæſariani duce Ferdinando III. Rege Hungariæ Gallaſſio, ac Bavari Ducibus Altringero & Johanne de Werdt, magnis aucti viribus, juſto cum exercitu Ratisbonam obſident, eoq; animi decreto, pedem inde prius non movere (licet ipſis to-

tius exercitus jactura facienda eſſet) qvàm tanti momenti locum recuperaſſent. Qvum obſeſſi lentâ ac vehementi obſidione ſatis fatigati & ad extrema fermè redacti, per literas ob infeſta hoſte itinera, rerum ſuarum ſtatum ac neceſſitatem ſuccurrendi ſibi; Bernhardo Duci ſignificare non poſſent, per puerum aſtutum, ſagacem & fidum, habitum & ſpeciem mendicantis mentitum, cum reliqvis urbis mendicis, tanqvam prægravante turba, circa veſperam urbe emiſſum, indicium ei abundè fecerunt. Bernhardus, licet à tribuno Sattlero antea rem comperiſſet, tamen nunc plenius edoctus, eò cum copiis ſuis properè tendit: vel ad firmandam præſidiis urbem, vel obſidione, vel prælium cum hoſte, liberandam paratus. Itaqve in itinere cæſis aliqvot hoſtium, per pontem navalem, qvem ſecum in plauſtris vexerat, Neomarchiam ſuperioris Palatinatus pergit; ubi Noribergenſium ope, annonam ei ſuppeditantium, milites fame ferme exhauſtos reficit. At hoſtis propugnaculo ad portam urbis, ubi ſunt horti publici, ſexaginta tormentis fruſtra qvaſſato, inde ab effuſis obſeſſis ſtrenuè repulſus; Danubium ſuperans, urbem ab utraqve parte acriter urget. Inprimis Kehlhemiam oppidum, qvod Svetici adhuc præſidio tenebant, unicè tentat: qvum eſſet opportunus Bernhardo ad ſuccurrendum urbi locus; & ubi de toto Danubio usqve ad influxum Lyci tutus eſſe poſſet. Etiamſi verò oppidum fame laborans Bernhardus annonâ ſublevare paraſſet, mille eqvitibus, ſaccum farinâ repletum ſingulis à tergo eqvi vehentibus, eò ſub imagine præſidii miſſis; tamen anteqvam adveniſſent, jam præfectus oppido ſe & oppidum Altringero hoſtis ductori dediderat. Hoc commodo loco occupato, jam ſecuri ſuccurſus Wimarienſis, majoribus animis & copiis urbis obſidionem Cæſariani perſeqvuntur. Bernhardus, ut tantis hoſtium viribus vel profligandis, vel aliò ab urbe devertendis par eſſet, conjunctionem ſuarum copiarum cum Guſtavi Hornii tunc in Svevia hærentis, copiis ſeriò, at ſerò, expetivit. Hic etiam in conſultationem venit, *an ad opitulandum urbi depulſione hoſtis, an devertendo eo potius opus eſſet.* Depulſionem hoſtis difficilem reddere videbatur (niſi hoſtium mutata conditio & aliæ circumſtantiæ aliud cum tempore conſilium dictare poſſent) præter diſcrimen prælii, annonæ penuria, per qvam debilitatus exercitus Sveticus eſſet: annonam autem in Bavaria expectari non poſſe: qvippe qvæ ad famam mittendarum iſtuc Svecicarum copiarum ab hoſte præriperetur. Præterea in ingreſſu Bavariæ circumfuſum undiqve hoſtem, & uliginoſas ac impeditas vias occurſuras. Ad ipſa verò hoſtis caſtra acceſſum Sveticis vel nullum, vel ſi qvis daretur, periculoſum fore; jam enim ab hoſte præreptum eſſe mu-

nimentum

nimentum Kehlhemiam, per qvod tranſitus illis ad urbi commodiùs opitulandum patere debuiſſet. In ſuis verò caſtris ſic hoſtem ſe præmuniviſſe, & annonâ inſtruxiſſe, ut tam oportuno loco non facile emoveri poſſet. Nec Ratisbonæ ſolùm, ſed etiam ac jure præcipui conſervationis fœderatorum Circulorum, præſertim Svevici & Francici, rationem hîc habendam eſſe, qvi per hanc expeditionem copiis Hörnii denudarentur: qvæ ſi infeliciter caderet, de Evangelicorum ſtatu tantum non actum fore. Si verò re infecta regrediendum eſſet copiis, verendum eſſe, ne longis itineribus confectæ, ab Italicis copiis jam imminentibus opprimerentur. Ob has difficultates, devertendi hoſtis conſilium præferebatur; cujus duæ erant viæ, una in alias Bavariæ partes, altera in Bohemiam. Unam Hornium optime tentare poſſe, ſi Monachium in ſuperiori Bavaria peteret: ſic Altringerum vel Ratisbonâ fortè abſtractum, vel hoſtem conturbatum iri, Italicas tamen copias ipſi maximè advertendas eſſe. Qvod verò ad alteram viam in Bohemiam attineret, ſi Elector Saxon. ſuperfluas copias Weimarienſibus jungere vellet, rem in expedito fore. Nam illas vel in Sileſia ſubſiſtere, vel in Moraviam ire & defenſionis ſolùm partes agere, has verò in Bohemiam movendo, Leutmaritium aut Pragam petere poſſe. Sic hoſtem Ratisbonâ avocatum iri, vel, ſi non poſſet, Bohemiam in diſcrimen conjecturum. Cancellarius de hoc ad Electorem ſcripſit, ejus conjunctionem expetens, eiq; in animum revocans, *ſi hanc nollet, velût occupatâ à Svecis Ratisbonâ, virium hoſtilium moles ex illius terris iſtuc retracta eſſet; ita hoſtem operam daturum, ut recuperatâ urbe, eandem molem in Saxonicas terras revolveret.* Etſi verò illud ob ſimultates qvasdam inter Electorem & Svecos ægrè ſperabatur, tentatum tamen eſt ab Arnhemio & Banerio. Cum enim Arnhemius in Sileſia ad Lignitzium Cæſarios fudiſſet, XXXV. ſignis captis, conjunctis viribus Banerius & ille Pragam adorti ſunt. qvam tamen Ferdinandus rex Hungariæ, robore militum valentior, per Gallaſſium eò miſſum liberavit. Dum hæc ita geruntur, hoſtis urbi Ratisbonæ, operibus & molitionibus arduis magis & magis appropinqvabat, & anteqvam urbs ſubſidio qvalicunq; ſublevaretur, continuis tormentorum ictibus (qvindecim mille ſunt qvi numerant) qvaſſatam, præmunitionibus exutam & omni ope deſtitutam Ratisbonam, poſt ſeptem oppugnationes ultimò capit. Licet autem obſeſſi, præfecto Kaggio, ſe fortiter defenderent, crebris excurſionibus & ignitorum globorum jactu non parum hoſti officientes, tamen ob lentas conſultationes, & cunctationem ſubſidii, ob famem & inopiam pulveris tormentarii, ſe hoſti dedere cogebantur. ſed non inulti, MCC. militibus

bus (alii plures habent) & Deodato, Wetterningio, Didrichſtenio, ductorum præcipuis, præter LXXX. inferioris dignitatis, occumbentibus. Hanc Ratisbonæ jacturam Svetici qvodammodo reſarciverunt occupatione Landshuti in Bavariâ, & Altringeri, ad ejus defenſionem accurrentis, nece; item Fridlandiæ in Bohemiâ oppreſſione. In concilio Francofurti ad Mœnum deliberationes, ut antea, ſic adhuc teſtudineo gradu incedunt: non ſolùm tot capitibus ob varias difficultates in diverſum euntibus; ſed etiam interveniente Saxonis conſilio de pace cum Cæſare ſeorſum ineunda, & Brandenburgenſis de Pomeraniâ diſceptatione. Poſt cladem Nordlingenſem demum finiuntur iſtæ conſultationes, uti pluribus dicetur, qvum de hac prius egerimus. Iſta clades, variis mundi ſermonibus circumlata, qvum fortunam Sveonum non parum tunc adflixerit, Cæſarianorum contra erexerit, memoriæ rerum intereſt, eam paulò fuſius commemorari. Qvum Cæſariani poſt Ratisbonam in Bavaria, & Donavverdam in Svevia receptas, Nordlingæ qvoqve obſidionem iſtic aggreſſi eſſent; qvam Svedi præſidiis tenebant; Hornius & Weimarienſis conſociatis viribus, ut tamen partita ducerent agmina, urbi auxilium laturi, ſua caſtra Cæſarianis in colle, cu vicinum erat nemus, adverſa collocant. Mox inter utrumqve deliberatur *num prælii alea cum hoſte periclitanda ſit.* Hornius providæ virtutis dux, ac reliqvi majoris alicujus dignitatis auctores erant, *morando hoſtium impetum a validiores vires retundere; nec in hoſtem, qvi omnia opportuna loca præoccupaſſet, per impeditam & difficilem viam, recta ire: nec ſummam rei ancipiti prælii temerè in diſcrimen vocare. Aut ſi fortè præliandum ſit, Rheingravii & Cratzi legionum ſubſidium prius expectandum eſſe; vel differendam pugnam, donec Hiſpanicæ legiones, Cæſarianorum auxilia, in Belgium abiiſſent. Urbi tamen, in extremis ferme verſanti, interim in occaſionem ſuppetias ferendi magis appropinqvare, & ad Artzbergam, in viâ qvæ Ulma Nordlingam fert, pedem figere, collem verò ad ſiniſtram ſitum occupare, eumqve ad torrentem Egerum, Bopfinga Nordlingam usqve excurrentem operibus claudere è re viſum: ut ibi ſe Svetic præmunire, & tutum ad urbem acceſſum, commeatumqve ex agro vicino Wirtembergenſi & Ulmenſi ſibi aperire; hoſti autem annonæ advectione præcluſa diſcedendi neceſſitatem imponere poſſent.* Contra Dux Bernhardus cum ſui differebat: *Sveonum & ducum famæ intereſſe, fidæ urbis ſalutem adeò periclitantem ſibi magis curæ habere: promiſſum ſubſidium in tanto diſcrimin non ulterius differre potius, qvàm pati, ſuis in oculis ab hoſte urbem capi; prælii fortunam potius, & per eam urbis liberationem eſſe tentandam. Audendo ſæpe effi cı, quod morâ aut tutioribus conſiliis fruſtra ſperes. Hoſtem aggrediendum eſſ*
pe

per varios excurſus adhuc infirmum, & cum qvo, ex captivorum relatione, Johannes de Werdt, in Franconia adhuc verſans, ſuas copias nondum conjunxiſſet. Hoc conſilium priori, ſed infeliciter prælatum, & pugna decreta eſt. Prius tamen qvàm res in diſcrimen daretur, Weimarienſis eqvitum copiis auctus, præſidiis etiam urbem aliqvantum firmarat. Excubias & priora hoſtium agmina levi prælio adortus erat: qvæ primò reluctantia, mox tamen à Sveticis in fugam conjiciebantur. Perſeqvi fugientes nox præpediebat. Poſtero die Sveticæ copiæ Artzbergam tendunt, ſed collem, non ad ſiniſtram, qvem G. Hornius operibus ob ante dictum finem claudi rectè ſvaſerat, ſed ex conſilio Bernhardi, ad dextram ſitum, & à CCCC. Hiſpanicis inſeſſum, & qvidem eâ parte, qva declivior & minus commodus erat, occupat. Qvum enim noſtrates, præſertim eqvites, ductore Bernhardo, trans Artzbergã longius exſpatiati eſſent, hîc collis neceſſariò capiendus erat, ſi in ſubjecta valle ab hoſtilibus tormentis tuti ſtare vellent. Sed ab Hiſpanicis Svetici pedites inde pulſi ſunt. Illis tamen alii atqve alii ductoribus Vicethumio, Witzlebio, Comite Thurrenſi, ſuccedere juſſi, qvod hoſtis in eo colle præcipuas vires & tormenta ſua poſuerat, de illo obtinendo ſtrenuè concertarũt: nec vana ſpe; niſi eqvitatus, ſuſtinere ac tueri pedites juſſus, aliqvanto remotior, tardius, ob inflammatum caſu pulverem nitratum, acceſſiſſet. Interim hoſtis tempus lucratus, collem oportuniori loco præcepit atqve communivit, & eqvitatum Sveticum incommodo loco & tempore pugnantem, conturbavit & disjecit. Unde pedeſtris acies conſternata, præſertim eqvitatu fugam capeſſente, etiam vacillare cœpit; & ductores militum, fumo incenſi pulveris nitrati oculis offuſo, non ſatis proſpicere præcavenda potuerunt. Deniqve omnes copiæ Sveticæ, Rhingravii ſubſidiis longius iter tardè facientibus deſtitutæ, à Cæſarianis, numero Italicarum & Hiſpan. copiarum loco〈que〉 potioribus, circumfuſæ cæſæ〈que〉 ſunt. Cæſorum ſex millia perhibentur, inter qvos etiam Marchio Brandenburg. Ansbachici ſtemmatis, repertus eſt; Cæſarianorum MCC. ſolùm deſideratis, præter Pillehæum, Aldobrandinum, Salmium, Achatium & Wurmſerum duces fuſos. Captivorum ex Sveticis præcipui erant Guſtavus Horn, Comes Cratz, Wittemberg, Wachtmeiſter, Schneidevvin, Zerotin & Fels. LXXX. tormenta, CXXX. ſigna intercepta ſunt, cum omnibus impedimentis & apparatu militari. Velut autem major arbor vi procellæ dejecta, vicinarum ruinam ſuo ſecum lapſu trahere ſolet; ita clade ad Nortlingam, mox etiam ab hoſte occupatam, Ducatus Wirtenbergicus, Heilbrunna in Svevia aliæqve penè omnes iſtarum orarum proximæ urbes, ut & Svveinfurtũ ac major pars Fran-

coniæ vel vi vel deditione in manus Cæſaris venerunt; tentatis etiã Auguſta Vindel. Norimbergâ aliisq; locis. Fama de ſtrage Nordlingenſi, in regno Sveciæ increbreſcens, incolas non exiguo mœrore afficiebat; nec mirũ: qvũ non pauca vel benè cœpta vel cogitata in poſterum impeditiora & confectu difficiliora reddituraeſſet; nec tamen ita animos dejiciebat, ut conſiliorum inopes faceret. Tot victoriis ante partis, hac ſolâ intra qvadrienniũ exciderant. Res Svedorum alibi adhuc ſatis ſalvæ erant, modò, qvi ſummæ rerũ in repub. militiaq; præerant, eas rectis cautisq; conſiliis, qvibus nunc opus erat, & fortibus animis vigiliq; induſtriâ, qvod faciebant, tutarentur. Regina & Proceres regni Cancellarium per literas monebant, *infracta, ut hactenus, ſtare mente. Licet fortuna victoriam ipſis demtam hoſti dediſſet, non tamen invictos ipſis animos & meliores ſpes abſtuliſſe. Si non omnia ex voto efficiendi facultas eſſet, tamen, qvæ tempus & occaſio permitterent, cordatè capeſſenda eſſe. Reliqva ſe perſpectæ ejus prudentiæ & fideli curæ pro Reginæ patriæqve ſalute ſemper excubanti permittere.* Hæ literæ ejus animum ſub tanto rerum indies creſcentium onere non parum erigebant. Ille verò, qvod præſens neceſſitas jubebat, diſperſas & disjectas turmas recolligi, præcipua loca, in qvæ hoſtis irruptio metuenda eſſet, amplius muniri, præſidiis corroborari, novum militum corpus formari, & hoſti opponi, alibiqve ei negotium fieri operam dedit: ut ſi non penitus profligari, tamen diſtrahi poſſet: unde fœderatis & præcipue hoc caſu adflictis aliqvod reſpirandi ſpatium daretur. Imperium militare, capto Hornio, Duci Bernhardo commiſſum eſt: qvod factis promptus, & ut erga multitudinem benevolus, ſic eidem charus eſſet: reconcinnaturus, uti ſperabatur, præſertim ita honoratus, res proſtratas, & reconciliaturus induſtriâ prudentiâq; fortunam, qvam calidis ſuis conſiliis offendiſſet. Ad illum & reliqvos copiarum ductores, nec minus ad Principes, Reſpublicas, Civitates & alios, qvorum fides nondum labaſceret, Cancellarius ſcripſit, animans omnes ad benè adhuc ſperandum, cautè agendum, vires reparandum, hoſtis progreſſus conſiliis, opibus & copiis pro virili cohibendum. Alieniores adverſante fortuna factos coram in conventu Francofurtenſi, & poſtea Wormatienſi, ad conſtantius & rectius ſentiendũ, & nervis belli concuſſum militiæ ſtatum redintegrandum, iterum excitabat. Nunc verò conventui Francofurti demum finis imponebatur, qvem præſens neceſſitas urgebat. Decretorum ſumma hæc erat: *Renovatam conjunctionem, qvoad præſens bellum & profeſſos hoſtes, fideliter ſervandam eſſe usqve ad ſalutarem pacem, reſtitutam Evangelicis Ordinibus libertatem, & ſatisfactionem Reginæ ac regno Sveciæ præſtitam. Conſiliorum communicatorum ſcopum unicum, poſt Dei gloriam, ad pacis*

com-

communis & tutæ vias ac conditiones honeſtas directum, eoq́, fine acceptā eſſe interpoſitionem Regis Daniæ,& qvæ ad ejus præparationem & tractationem neceſſaria eſſent. Nulli Evangelicorum Ordinum fas fore ſe à ſociis ſeparare, aut peculiarem tractatum pacis cum qvoqvam, inſciis & inconſultis directore & Conſilio generali, inire. De ſatisfactione Coronæ Sveciæ præſtanda ſic inter ſex Circulos conveniſſe, ut ei adqvieturus ſit Cancellarius. Item de adminiculis continuandorum defenſionis armorum usq́, ad ſolidam pacem obtentam, in certis Receſſuum capitibus conſtituiſſe & determinaſſe. De poſtulatis à Rege Galliæ & Comite Palatino Neoburgenſi talem rationem iniiſſe & compoſitionem formaſſe, qva utrumq́, contentum fore ſperent. Præter hæc decreta, qvoqve receſſus triginta unius capitum factus, ſed non ab omnibus, nec ab ipſo Cancellario ſubſcriptus eſt. Qvamvis autem hæc ita pacta eſſent, tamen non pauci poſt cladē Nordlingenſem, more navigantiū & periclitantiū, in felicius latus inclinare cæperūt, & paulatim ſe à fœdere cumSvecis ſubtractū ivere: præſertim ex qvo Elector Saxonicus pacis cum Cæſare peculiaris Conſilium agitavit. Cancellarius qvidem fiduciâ prioris fœderis ab Electore per literas deſiderarat, ut præcaveret, qvantum in ipſo eſſet, ne hoſtis ulterius progrederetur, & ut urgeret Cæſareos in Bohemia aut aliis ejus hæreditariis regionibus: ad devertendum eos à Circulis ſuperioris & inferioris Saxoniæ,& divellendū vires Evangelico fœderi infeſtas; tamen ille ad hæc immotus, cum hoſte de pace Pirnenſi (& mox Pragenſi) magis ac magis agere pergit. Etiamſi verò Regina Chriſtina ſatis prævideret, qvomodo diſtractione animorum & virium Evangelici fœderis, ipſos inter ſe ſocios armis colliſos & attritos hoſtis facilius oppreſſum iret, eoq́ Electorem Saxonicum & Brandenb. amicè literis hortata eſſet: ut, *ut, qvo plus ſpei Pontificii in ſeparatione Evangelicorum Fœderatorum, qvàm propriâ ſua potentiâ fixiſſent, eò conjunctiores in communi cauſa eſſent, & unanimiter approbata conſilia maſculis animis exſeqverentur: ne plus periculi ex occultis & doloſis machinationibus & tractationibus infidæ pacis, qvàm aperta vi hoſtium metuendum eſſet;* tamen fruſtra hortabatur. Reliqvi Evangelici Ordines etiam monebantur, ut ſive ad pacem ſive bellum res vergerent, in mutuâ concordiâ perſeverarent; nec ullam pacem pro honorifica & tuta haberent, niſi qvâ omnes fœderati comprehenſi eſſent. Sed qvid monitis & perſvaſionibus iſtis neqvidqvam adhibitis effectum ſit, ipſa res docuit: dum divulſum communisEvangelicorū fœderis robur initio non parū elanguit, hoſtiū contra invaluit, At refectis poſtmodò viribus,& contra ſe invicē armatis ſociis, qvi primi deſeruerant ſocietatem,

tatem, belli malis proprias ſuas regiones maximè expoſitas eſſe viderunt: ut, niſi tandem communis pax interveniſſet, totius Germaniæ excidium ſubſeqvuturum videretur. In his rerum tempeſtatibus Regina nondum arma, multò minus animos depoſuit; per qvos adverſis eluctata, ſi à qvibusdam ſociis deſereretur, ut tamen, præter ſuas vires, aliorum, inprimis Regis Galliæ ope, laborantem in Germania Evangelici Fœderis ſtatum, paulatim recrearet, operam cum fidis ſociis navabat. Ab illis, cum Cancellarii literis fiduciæ, ad Regem Galliæ miſſi ſunt priores legati Löfflerus & Streiffius, ad porrò ſollicitandum in præſenti neceſſitatis articulo, & deſiderandum à Rege vel militaria vel nummaria auxilia. Rex ad iſtæc initio difficilior erat, obtentu non ſervatæ Romano-Catholicis promiſſæ qvietis, & pecuniæ antea ab ipſo ſuppeditatæ qvaſi in veros uſus haud impenſæ; tandem tamen ſi ipſi cederetur Alſatia, præcipuè Benfeldia & Briſacum, promiſit duodecies mille militum auxilium, & ſolitum ſubſidium nummarium. In ceſſionem Benfeldiæ, qvam in occultis mandatis habebant Legati, ſed ſub conditione majoris ſummæ pecuniariæ eliciendæ, ſimpliciter conſenſerunt, & plus qvam juſſi erant, ut nonnulli memorant, egerunt. At, qvum Cancellarius ipſe ſeqventi anno cum Rege Galliæ coram ageret de renovatione fœderis, miniſtri ejus iſtam ceſſionē non amplius urſerunt. Inter iſtæc, ne hoſtis, qvi partim ſucceſſu belli, partim ſpecie Pragenſis pacis multorum animos, tam cruentum hactenus bellum horreſcentes, jam occuparat; tandem omnia pro lubitu reciperet; præcipui momenti loca fidis Principibus, & ducibus ſuis Regina contra vim & inſultum hoſtilem defendenda commendabat. In ſuperiori Germania Mænum & Rhenum, eiqve adſita propugnacula & munitas urbes, Bernhardo, & Gulielmo Haſſiæ Principi; in Bohemia Albim & iſtic valida loca Johanni Bannerio; ad Viſurgim Alexandro Leslæo, ſedulò tuenda credebat. Dum hæc ita pro rerum & temporum fato agebantur, præter alias difficultates in inferioris Saxoniæ oris, præſertim in Ducatu Luneburgenſi & Brunſvicenſi, de metatis, contributionibus & aliis hujusmodi ortas, etiam in diœceſi Bremenſi mutatio qvædam accidit. Adminiſtrator enim Bremenſis, Johannes Fridericus, Dux Slesvvici, Holſatiæ, è vita migrat. Ejus locum & ſucceſſionem Fridericus Regis Daniæ Filius, poſtea ipſe Rex Daniæ, ſibi vendicabat: qvod anno MDCXXI. ab Ordinibus loci Coadjutor & futurus ſucceſſor renunciatus erat: indeq; jus iſtic qvæſitum, in pacificatione Lubecenſi (invitis licet Cæſarianis) ſibi reſervaſſe prætendebat. Idcircò *poſſeſſionem Archiepiſcopatus ſibi non invideri, multò minus ſufflaminari*, à R. Cancellario per literas poſtulaverat. Cancellarius, anteqvam ad eas reſponderet, Leslæum monebat,

bat, munita iſtic loca, qvæ in Reginæ & regni Sveciæ poteſtate nunc eſſent, benè cuſtodire, Laurentium Grubbe, agentem in rebus & negotiis Reginæ, patriæ utilitati ſedulò invigilare juſſerat; & Ordinibus loci perſvadere, ut rem in integro relinqverent, qvalis tempore prioris Archiepiſcopi Johannis Friderici fuerat, ac, ſede vacante, generali compoſitioni reſervarent. De qva etiam Diœceſeos Ordines, Wormatiæ (qvo Cancellarius conventum indixerat) collecti erant, cauſam ſuam iſtic acturi. Qvin & illi & Cancellarius ad Fridericum Regis Daniæ filium & ipſum Regem ſcripſerunt, in mentem eis revocantes: *Archiepiſcopatum armis Guſtavi Magni à vi & occupatione Cæſarianorum liberatum, atqve ſic jure victoriæ & belli ſibi adqviſitum eſſe. Guſtavum tamen priori Archiepiſcopo Johanni Friderico, tanqvam avunculo & amico ſuo, in protectionem ſuam recepto, dum vixerat, jurisdictionem & reditus loci conceſſiſſe; ſalvo nihilominus Reginæ & Coronæ Sveciæ jure ſuo & prætenſionibus, præſertim extincto dicto Archiepiſcopo. Eas ſibi integras usqve ad ſpecialem Legato Svecico dandam inſtructionem & compoſitionem, vel univerſæ pacis tractationem, ab Evangelico Fœdere, cujus Princeps Fridericus qvoq; membrum eſſet, cum Cæſare inſtituendam differri, nihilqve in eorum, qvorum intereſſet, præjudicium interea attentari, cupere.* Nihilo ſecus Ordines Archiepiſcopatus Bremenſis, urgente Rege Daniæ, Fridericum ejus filium, Archiepiſcopum, inconſultâ Reginâ, poſtulaſſe & elegiſſe, Sveones contendebant; neqvidqvam conteſtante Grubbio Reſidente, Reginæ & Coronæ Sveciæ nomine, ut negocium in ſuſpenſo usqve ad Legati Svecici adventum, indies exſpectandum, relinqveretur. Cauſa vel prætextus electionis obtendebatur, Ordinum Bremenſium remiſſior animorum propenſio erga Reginam & regnum Sveciæ, ob ſtativorum militis & præſidiorum iſtic tamdiu gravem ſibi adflictionem, à qva Sveci eos nondum liberaſſent, & adverſæ horum res, qvæ aliqvantum immutarant eorum animos. Seqventi anno Rex Daniæ Chri- 1635
ſtianus IV. cum Regina & Tutoribus ejus per Agentem in rebus ac negotiis regiis Petrum Wibe egit, *de cedendo Bremenſi Archiepiſcopatu Filio ſuo, ab Ordinibus loci ad eum poſtulato, & educendo iſtinc præſidiario ſuorum milite, qvi oneri eſſet incolis.* item *de ſua pro pace obtinenda interpoſitione, non eo deſiderio & animis, qvibus deberet, acceptata; & de promovendo pacis negotio, absqve ullis prolixis & moroſis impedimentis: cui ipſe pro ſua virili defuturus non eſſet.* Ad primum caput Regina reſpondit: *Se negotium de dicto Archiepiſcopatu amicè & ex utriusqve Regni dignitate tractandum Legato ſuo Johanni Skytte commiſiſſe.* Ille verò (ut hoc ſtatim ex occaſione ſubjungam) pacificè negotium ſub ratihabitione compoſuerat in hunc modum: *Ut Dux Fridericus neutra-*

 rum

rum eſſet partium; incolumi utriusqve amicitia & vicinitate. Ut Stada & Boxtehuda, præſidiis Sveticis inde evocatis; & Diœceſis Verdenſis Duci permitterentur, unâ cum ſtativorum & erogationum militarium immunitate. Ordines autem ditionis Bremenſis fœdus cum Chriſtina & regno Sveciæ redintegrarent. Ad alterum caput Regina reſpondit : *Integratum ſibi perceptu eſſe, Regis interpoſitionem non dignè acceptam fuiſſe; non ſatis autem meminiſſe, penes qvos hujus rei culpa ſit. Se verò cum ſuis hoc nomine, etiam ipſius Regis conſcientiâ, excuſatum iri : qvum & antehac & in poſterum nulla alia qvam pacifica conſilia meditata, & coram univerſo mundo profeſſa ſit : ſe non niſi æqvas pacis conditiones qvæſiviſſe & qvæſituram eſſe, qvo etiam fine negotium illud ulterius commendarit* Cancellario, *hac de re agendi poteſtate inſtructo. Qvum autem nunc in Sileſia apud Cæſarios, ob intempeſtivas, parum honorificas & intutas fidei pub. literas, remora negotio pacificationis injecta ſit; ſe vereri, ne in poſterum aliæ indignæ difficultates eidem objiciantur; qvas tamen ſperaret, Regis proviſu & prudentia ſuperatum iri.* Dum hoſtis ad Rhenum & in Svevia ulterius progreſſus erat, & Elector Saxonicus pacem cum Cæſare inire pararat; Sveones à plerisqve Fœderis Evangelici ſociis paulatim derelicti. de reparandis per novam Gallorum ſocietatem viribus porro cogitarunt. Qvamvis etiam qvædam in Alſatia & alibi loca occupata, Gallo deſideranti, in novæ amicitiæ auctoramentum, vel auro redimenda, vel certis legibus poſtea concederentur; per qvod Evangelici Fœderis ſtatui contributionis ſubſidia qvidem recidebantur; tamen perſpectâ Gallorum fide, amicitiâ atqve eximiâ ope in bello Germanico, & communi commodo, qvod cum Reginâ Sveciæ Rex Galliæ in conſervatione libertatis Ordinum Imperii habebat, auxilium Gallorum, ſtatu præſenti ſic depoſcente, per Sveciæ Legatum in Gallia Hugonem Grotium decenter qværendum & prorſus haud negligendum eſſe, viſum eſt. Qvin ipſe Cancellarius nomine publico in Galliam & Bataviam proficiſcebatur : ut præſentius & majori cum fructu de ſummâ rerum bellicarum & arctiori conjunctione, qvam invidi qvavis arte diſſolutum ibant, cum Rege Franciæ & Batavis negotium ageret. Interim Bannerium monuit, *incertis aut intutis nonnullorum ſociorum conſiliis, & nondum ſatis reſtauratis Sveticorum viribus, à vi intentanda tantisper ceſſare & qvieſcere; oras tamen maritimas bene communire : Magdeburgam & Halberſtadium tueri : exercitum ſuum in fide confirmare : cum Electore Saxone & aliis ſimultates evitare, nec offenſæ cauſam dare : cum qvibusvis pro virili ſua parte amicitiam colere.* Licet autem poſtmodo Electoris Saxoniæ milites aliqvantum obfuiſſent Banerio

in ſuis

in ſuis metatis & hoſpitationibus, tamen poſt longam diſceptationem, diſſidiorum fugiendorum cauſa, Saxonicis ceſſit, contentus urbe Erfurdia & Comitatu Mansfeldiæ ac Hohenſteiniæ, locis ſtativorum. Qvum Sanderslebii in Ducatu Anhaltino contractus de conventis metatis ſubſcribendus eſſet, reperit in exemplo literarum ſibi oblato Banerius qvædam majoris præjudicii verba, qvorum mens hæc erat: *ut Circulo ſuperioris Saxoniæ planè decederet, metata & hoſpitia militaria ſibi conceſſa per hanc ſaltem hiemem retineret:* qvo ei inter pocula obrepere conabantur: ubi mens vino prægravata, ſæpe à ſeriis divertit; vel non ſatis ſui campos parum intelligit, qvid aut qvomodo agat. Ille tamen, ſobrio animo cautior, ſubſcribere negabat, & abitum petebat ab Electore; qvi eum ad ſe in conclave vocans, in præſentia Principum Anhaltinorum vehementibus verbis inceſſebat, & extorqvere ipſi ſubſcriptionem conabatur; imò minitabundus dixit: *Sive ſubſcriberet Bannerius, ſive minus, ſe tamen hoſpitationem pro militibus dicto loco retenturum; aut ſi ultrò cedere nollet, eum vi expulſurum.* Ad hæc regeſſit Bannerius: *Hoc oportuiſſe ante aliqvot dies fieri, anteqvam Erfordiâ iſtuc adveniſſet; jam autem non tam facilè aliqvem metata ipſi erepturum, aut, ſi tentaret digitos aduſturum eſſe.* Hîc Elector ſe tangi credens: *Num ipſi digitos adurere vellet?* qvæſivit, & ex gravi ſtomacho ſimul in hæc verba erupit: *Ut Svedi faceſſerent & moverent ſe Imperii ſolo; aut ſe illos inde præcipites acturum.* Bannerius contra: *Hujusmodi indignis verbis non exceptos fuiſſe Svedos, qvum primum Imperii terras ingreſſi eſſent. Sed DEO committendum eſſe, rem eò deveniſſe. Se tamen non ſperare glorioſæ memoriæ Regem & regnum Sveciæ talem remunerationem promeruiſſe.* Ejusmodi plura dicta, non absqve aculeis ex animorum commotione natis, jaciebantur inter Electorem & Bannerium. Ille tamen mox mitioribus verbis uſus dixit: *Non eo animo hæc prolata fuiſſe, qvaſi regnum Sveciæ pro benefactis non dignè repenſurus eſſet. Ab Imperii Principibus, vel ſua authoritate & fide debitam ſatisfactionem præſtitum iri.* Sic bonâ cum gratiâ tandem diſceſſum, nec tamen inchoatus contractus ſubſcriptione impletus eſt, ſed intra ſola verba ſtetit. Nihilominus Elector Saxo literis egit cum Brandenburgico, ut Banerio in veteri Marchia cedere vellet hoſpitia pro aliqvot legionibus, qvod eum recuſaturũ non ſperaret, qvum aliqvot ſua agmina ſibi à Brandenburgico traditâ iſtic relicturus eſſet. Sed Brandenburgicus, ab Arnhemio, rem odioſè in majus extollente & invidente, perſvaſus, qvaſi Bannerius decem legiones iſtic impoſiturus eſſet,

qvum

qvum qvatuor tantum indicaſſet, inde Elector ad bilem concitatus hoc abnuebat, his etiam additis minis: *Si non aliter poſſet, vi prohibiturum.* Etiam verò Bannerio non defuiſſet copia & vires vim contrariâ vi, ſi illata fuiſſet propulſandi; communis tamen tranqvillitatis cauſa moderatius conſilium capiebat, & legiones confeſtim veteri Marchiâ excedere jubebat. At qvo nunc animo erga Svecos præcipua Imperii membra & Electores eſſent, ita ut odii ac diſcordiæ ſemina inter utrosqve magis creſcerent, inde liqvebat præſertim qvum ſe cum Cæſareis adverſus Svecos, obtentu regiones ſua ab extremo excidio vindicandi, conjunxiſſent. Saxo autem, ne temerè offenderet Brandenburgicum, dum ipſi pacificationem Pirnenſem qvoqve offerebat, poſtea literis ad eum excuſavit ſolum Bannerii deſiderium, qvod ſibi præjudicio eſſe nollet. Brandenburgicus, his prætermiſſis, de pacificatione Pirnenſi ſic judicabat: *Sibi expedire publico videri, pacificationem iſtam non nimis properari, ſed aliis Principibus & Ordinibus, qvorum intereſſet, ſpatium ad ulterius de eâ deliberandum longius dari: ſi fortè qvidam ex Ordinibus in iſta Pacificatione verborum ambigui ſenſus pleniorem elucidationem deſiderarent, aut ſi conſcientiæ cauſa, conditiones qvasdam, quæ ſummæ pacis nihil detraherent, addere neceſſarium ducerent. Inprimis in rem eſſe publicam, ut communis pax, qva nemo, cujus intereſſet, excluderetur, poſtliminio reduci poſſet. Præter incomparabilia verò Guſtavi erga Evangelicos merita, maximè æſtimanda, ſuum ſtatum ita regnis Sveciæ & Galliæ illigatum & devinctum eſſe, ut cum ſuis ditionibus & ſubditis nec poſſet nec vellet alicui eorum offenſioni eſſe. Se proinde in votis habere, cum utroqve Rege ſic agi, ut agentibus honori, dictorum regnorum conſtanti amicitiæ, & mutuo è re auxilio ac confidentiæ eſſe posſit.* Hæc Electoris Brandenburgici ſententia à Sveticis conſiliis non qvidem aliena erat; animus tamen ejus non per omnia nunc idem erga Svedos, qvi antea, fuit; præſertim in negotio de Pomeraniæ ſucceſſione: qvod eum propius tangebat, tam altè illius menti impreſſum, ut qvicqvid hîc Svedi ipſi offerrent aut promitterent, omne ei ſuſpectum eſſet. Qvæ qvum non ignorarent Regina & Adminiſtratores regni: ne viderentur adeò defixi in Pomeraniâ eſſe, ut ideò Electoris inimicitiam laceſſerent; tempori conſulentes, ejus (& Electoris Sax.) potius conjunctam amicitiam, & fidam ac communem omnibus pacem exoptabant. Ideò Regina ad Electorem Brandenburg. in hanc ſententiam ſcripſit: *Ut iſtam ſuſpicionem ex animo aboleret Elector, qvaſi Regina jus ſuum & prætenſionem cum ejus præjudicio adſerere vellet; ſe qvidem ſperaſſe, inæſtimabilem jacturam Parentis ſui laudatisſimæ memoriæ, & tam fideliter præſtitam ab ipſo opem, veris & gratis animis acceptum iri; non tamen hanc ſpem*

in ulla

in nulla re alia magis, qvam in Electorum Evangelicorum amicitia & proba voluntate fundatam fuiſſe. Quapropter ſe Cancellario in mandatis dediſſe, ut cum illis conjunctius & confidentius ageret, nihil dubitantem, hujus rei initium jam factum fuiſſe; & qvamprimum Cancellarius in Saxoniam adveniret, optatum finem, ad utriusqve expectationem, negocio impoſitum iri. Simul in mentem Electori vocabat: è re qvidem ejus non exigua fore, ut Evangelicorum res in Germania florerent: dum ejus regni ſecuritas ab ipſorum ſalute non parum penderet; nihilominus tamen Electorum & aliorum Imperii Ordinum eò pluris intereſſe, qvò propinqvius incendium eos contingeret. Qvare ſe ſibi perſvadere nolle, apud eos ullum privatum reſpectum tantum pondus habiturum, ut eos à communibus flammis extingvendis retineret. Se potius hanc bonam de Electore ſpem fovere, ipſum eò anniſurum, ut, ſi certa qvædam pax affulgeret, nulla alia, qvam qvæ univerſalis, honorifica, tuta, & uno verbo, ſic comparata eſſet, ut Ipſa Ejus regnum cum æqva ſatisfactione, & Rex Galliæ decenti modo eadem comprehenderetur. Si verò bellum perſeqvendum eſſet, qvia Electori ſatis notum, qvanti in tali caſu momenti eſſet unanimis Evangelicorum conjunctio, communis eum boni cauſa monebat, à ſeria ejus promotione nullo alio contrario effectu dimoveri. Se pro ſua parte ita animatam eſſe, ut ſinceram pacem velit; hac tamen deficiente, legitimum bellum reformidare nolit. Similis ferme argumenti literas ad Gulielmum Haſſiæ Landgravium & Georgium Ducem Luneburg. Chriſtina dedit: In qvibus *cordatos eorum animos & hactenus in Evangelico fœdere conſtantes prædicavit. Partem qvidem ſociorum ante cladem Nordlingenſem animos mutaſſe; neminem tamen, rebus paſſim non infeliciter fluentibus, de ſumma rei deſperaſſe. Simulac verò hæc procella ſuborta fuiſſet, ita animos deſpondiſſe, ac ſi jam omnia conclamata eſſent; qvum tamẽ Deus adhuc tam potens, qvàm ante, ſit, & res lapſæ cordatis conſiliis iterum erigi poſſint. Qvemlibet nunc oculos Saxonicæ paci intendere, magis tædio belli, qvàm ſpe communis ſecuritatis. Optandam eqvidem eſſe pacem honeſtam, æqvam & tutam, à qva neminem dehortari vellet. At ſi non eſſet communis, cui juxta cum Proteſtantibus Imperii Ordinibus Ipſa qvoqve & regnum ſuum ſecundum pacta, atq; Rex & regnum Galliæ includerentur cum aliis, qvorum intereſſet, qvibus etiã inſciis, aut non reqviſitis, cum Cæſare pax Electori ineunda non fuiſſet, illud novi & atrocioris belli materiam fore. qvod qvia ſatis compertũ illis eſſet, ſe ſperare, illos id operam pro ſua virili daturos, ut Evangelici non prius arma deponerent qvàm hujuſmodi pacem obtinuiſſent. Non abs re eſſe, qvod hoſtium vires ingentes ſint, non tamen tantæ, ut eis obviam iri, vel aliæ vires opponi non poſſint: modo negotium rectis conſiliis & intrepidis animis ſuſcipiatur. Proinde utrumqve ſe commonefacere, ut ſolita virtute operi perſeveranter inſiſterent, alios fœderatos unanimibus*

& maſculis conſiliis animarent; pacem, ſi, ut ante dictum, comparata ſit, haut rejicerent; intutam tamen fore, niſi communibus armis eam tueventur. Inprimis poſt Deum juſtitiæ cauſæ confiderent, cum ſuis in Germania diligenter in medium conferrent, ſic exiſtimantes: non parum ſitum eſſe in omnem caſum in animorum conjunctione: qvam ſi conſtanter retinerent, nihil dubitaturos, qvin Chriſtiana eorum conſilia tam ad communem Evangelici Fœderis ſalutem, qvàm propriam ſingulorum exiſtimationem atqve emolumentum directa, optatum finem habitura ſint. Hoſpitationem Bannerii militum in Luneburgica ditione, ægrè qvidem à Ducibus Luneburg. & Brunſvic. acceptam, ſed ad evitandam diſtractionem utriusqve exercitus, velut unius corporis, vi neceſſitatis, & communi utilitate lociqve commoditate Regina excuſabat. Cæterum, qvum pax Pragenſis publicata eſſet, Georgius Dux Luneburg. nomen ſuum ad eam amplectendam qvoqve profeſſus eſt, ſive ex modò dicta aliisqve cauſis offenſus, ſive magnis auctoribus & exemplis, Saxone, Brandenburgico, Anhaltino, Culmbacenſi, Mecklenburgēſi, Wormatia, Noriberga, Ulma, Francofurto ad Mœnum, Erfurdia, Argētina, Lubeca, Hamburgo, Brema, Brunſvviga & aliis, qvi magis amore qvietis, qvàm tædio Evangelici Fœderis eam acceptarant, excitatus. Solus ferme inter omnes Imperii proceres Gulielmus Landgravius Haſſiæ in fide & fœdere cum Sveonibus immotâ mente diutius perſtitit; ab Uxore ſua, cordata fœmina, potiſſimum animatus & confirmatus. Sed Dux Pomeraniæ & Ordines iſtic, ambigebant de acceptanda pace Pragenſi, ad eam utiqve inclinantes; niſi Ducatus eorum Sveticis præſidiis inſeſſus fuiſſet, & Theologi Stetinenſes ea de re conſulti prorſus disſvaſiſſent. Regina & proceres, dum ſatis intelligunt, in hoc rerum motu novis coorituris hoſtibus, integrandas eſſe vires exercitus, de Polonico bello ſopiendo cogitarunt: ut eo liberi, & exauctoratis iſtic copiis aucti, Germanico bello magis ſufficerent. De eo Proceres regni tale conſilium & mandatum Bañerio dederunt: *Ut conſervationi Sveticarum copiarum ſtudens, intra defenſionis terminos ſe teneret, ſtativa militum in Magdeburgenſi & Halberſtadienſi diœceſibus qværeret. Qvod ſi Saxo vel alius indignè ferret, eum ab hoſtili vi decenter dehortaretur, ad amicam cum R. Cancellario compoſitionem remitteret. Si verò Elector aliqvid hoſtile molíretur, conteſtatione prævia, ſe pro viribus defenderet. Præcipuè poſt Erfurdiam & Magdeburgam præmunitas, oris maritimis animum & curam intenderet; atq; ſi in ſuperiorem Germaniam movere daretur, omnia poſt ſe tuta, qvantum poſſet, relinqveret. Si verò hoſtis eum urgeret, è re videri pontem per Albim commodo loco tranſmittere, ubi liberum tranſitum & regreſſum haberet. Maximè operam navaret, vires ſuas cum Landgravii, Luneburgenſis & Weimarienſis copiis, in majoris auxilii*

robur,

robur, conjungere. Duo cumprimis ipſum in conſilio & cura habere, jubebant: Boruſſicæ pacis tractatione eventum & pacis Germanicæ progreſſum. Utroqve qvidem loco amicam qværendi compoſitionem, ſecuritatis regni cauſa, ſuis negotium dediſſe; ſed exitum in manibus Dei eſſe. Si pax in Germania communis obtineretur ad Wartam fl. verſus Poloniam ſe movere, volebant: ut ſuis in Boruſſia & Livonia reſpirandi ſpatium eſſet. At ſi pax Polonica prius qvàm Germanica procederet, juſtas ei copias ad Oderam ſubſidio miſſuros. Qvod ſi Gallia & Batavia hac occaſione bellum ad Rhenum perſeqverentur, atqve vel Polonia, vel Ungaria (uti ſpem fecerat Gallus) adverſus Cæſaris hæreditarias ditiones acciri poſſet, opportunitatem oblatum iri ulciſcendi eos, qvi ſalutaribus eorum conſiliis toties obſtitiſſent, & honorificæ pacis viam obſtruxiſſent. Si verò nec in Boruſſia nec Germania pax tam citò ſperanda, ſed arma continuanda eſſent, utrumqve qvidem bellum eos contingere, propius tamen Polonicum. Proinde ſi ex Germania dimittere exercitum non poſſet, aliqvot tamen agmina Germanorum militum in Boruſſiam expediret. Svecicas & Finnonicas eqveſtres copias, qvotqvot prædia ſua in patria immunia & ſalva eſſe vellent, domum redire juberet: ut novis copiis miſcerentur ac corroborarentur. Reliqvos eqvites noſtrates apud ſe retineret, Germanis ſuppleret, & qvaſi pro peregrinis haberet jam adſvetos Germaniæ; &, ne ſocios ſecum corrumperent, provideret. Eandem rationem cum pedeſtribus copiis iniret. Si verò vires tandem deficerent, atqve ita ratio belli exigeret, præſidia Erfurdiâ & Magdeburgâ expromeret. Hoc conſilium & mandatum non, ut immobilem normam, ſe ei præſcribere; ſed unde eorum cogitata melius pervidere, & pro re natâ inde qvid certi colligere poſſet. Reliqva ſe propriæ ejus fidei, atqve diligenti cum R. Cancellario & Stenone Bielke communicationi permittere. Cancellarius enim ex Gallia jam redierat. ubi nomine Reginæ & regni fœdus, ex obligatione mutuâ ad communis cauſæ tutelam, cum Rege Galliæ renovarat; & ne pax aut induciæ cum Domo Auſtriaca, niſi utroqve conſcio & conſentiente, fierent, ac certis firmisqve pactis; interim bello occupata uterqve fideliter tuerentur. Bannerius verò, imperio militari præcipuo accepto, dum Hornius in captivitate tenebatur, & Bernhardus ad Gallum iverat, vi ſui mandati ſe movens qvò debebat, ſatis turbatum in Germania & deſperatum ferme rerum ſtatum deprehendit, variis cinctus difficultatibus; qvas Cancellario, illarum non inſcio, ſignificavit. Ille verò ſuo eum exemplo animans, monet, non defatigari adverſis. Sibi qvidem tædio obſtantium, molem ſuæ functionis intolerabilem ferme videri. Studium tamen & pietatem erga Reginam ac patriam animos erigere, ut adverſus ardua qvæqve nitantur; & potius oneri ſuccumbant, qvàm aſperis & difficilibus turpi-

 ter

ter tanqvam victi cedant. Opportunè autem accidit, ut poſt triginta ſeptem annorum bellum cum Polonis, Sveones viginti ſex annorum induciis, capite Sveticæ Legationis Comite Petro Brahe, Stumisdorffii factis, non parum ſublevarentur. Eas etiam ſubitus Comitis Jacobi de la Gardie adventus promoviſſe exiſtimatur. Is enim cum inſtructo exercitu in ipſo diſceptationis & compoſitionis de pace actu, in Boruſſiam præter omnem Polonorum exſpectationem acceſſit: qvem ſenio confectum ne eqvum qvidem aſcendere poſſe, & Svetiam viribus prorſus enervatam eſſe, credebant. Armata verò vel ſub clypeo tractatio efficaciſſimè penetrabat. Inſuper ſedatus eſt tumultus ex occaſione deſiderii à Legato Regis Galliæ de concedendo Pontificiis in Livonia libero religionis exercitio propoſiti, ſed à noſtratibus denegati, ortus; qvum per hoc Polonici contra Sveticos ad arma concitati, mox præcautione prudenti Comitis Petri Brahe & aliorum placaretur. At Sveones excluſi pace Pragenſi, excedere etiam ſolo Imperii jubentur. Duces & milites Germanici, Cæſaris atqve Electoris ſeveris edictis, à Sveonum militia avocantur. Socii Fœderis in ejus partes paulatim ducuntur. Pax Pragenſis Svecis ex poſtfacto offertur; aut univerſæ pacis conditiones; ſed minis ac vi additis, niſi eas acceptent, aut ex Germania ultrò abeant. Illi hoc meritis ſuis prorſus indignum rati, contra vim ſe tueri parant. At Elector Saxo, qvid animo verſaret, factis expromens, in Magdeburgenſem diœceſin Bannerium ſeqvitur, & parva qvidem oppida ac loca, ſed ſibi percommoda circa Magdeburgam intercipit. Sed & Havelbergam, emiſſis Brandenburgicis, occupat, ſuisqve præſidiis roborat: ut ulteriori ripâ paulatim potiretur, tranſitumqve per Albim Svecis intercluderet; ſuas verò copias inter illos & mere medias collocaret, & conjunctionem eorum cum aliis impediret. Idcircò è re viſum & Bannerio & Conſilio bellico, ut Cancellarius ad oras maritimas ſe reciperet, ibiq; ita curaret, ut Pruſſicas copias traducere ad ſe poſſet: ne ſi fortè miles peregrinus, ductoribus ejus jam difficilibus, & contra Cæſarem ac Electorem, ob mandata avocatoria militare detrectantibus, defectionem meditaretur, aut tranſitus ſuis præcluderetur, illi qvaſi caſſibus includerentur; ſed ſalvâ ora maritimâ adhuc de pace tractare, aut tuto iſtuc receptu, honorificè bello exſolvi poſſent. Bannerius autem militem præſertim pedeſtrem, qvantum poſſet, in fide retinere, & ſuis copiis objectis Saxonem morari laboraret: ne is cum exercitu ad Albim tendens ipſum præveniret. Hoc conſiliũ Cancellarius approbans, qvũ Elector Sax. Magdeburg. diœceſin irrupiſſet, Magdeburgâ Wismariam ivit, ad iſtic omni diſcrimini pro viribus occurrendũ & præcaven

cavendum. Interea Cæſariani Garziam, incuriâ loci præfecti Erici Svenonis neglectam occupant. At Saxo, Sveticos jam pro hoſtibus habens propius cum valido exercitu, ductore ejus Baudiſſino, accedit, & eos metatis emotos, ad Havelam fl. clade aliqva affectos & pedetentim cedentes ulterius perſeqvutus, trans Albim in Mechlaburgum propellit. Bannerius tamen hoc commodi præ Saxonicis habebat, ut illis ad Albim præverteret, velitatione ad Altenburgum factâ. Ad obſidionem verò Domitzii vim à Saxone Svecis intentatam, & hoſtes eqvitatu deſtitutos Bannerius arcet, ductu Ridvvini & Duvvalii, qvater mille ſelectorum Saxonis militum cæſis. Dum autem ad Malchinum Bannerius ſubſtitit, Prutenicæ legiones, qvæ ad Wollinum caſtra metatæ erant, per Uſedomiam & Deminum in Pomeraniam ad illum tranſierunt. Prope Wollinum Torſtenſonius, tum rei tormentariæ præfectus, incidit in copias hoſtiles Marazini: qvas in fugam conjecit, perſeqvutus eas Stargardiam usqve. Stargardia verò, præfecto ei Jacobo Bohm, à Marazino obſeſſa, & apprimè ſe defenſans, tandem incendii, caſu an proditione orti, occaſione ab hoſte occupabatur; poſtea tamen à Svecis recuperata eſt. In Comitiis Stocholmenſibus hujus anni, præter alia, coram delectis Ordinum ſeorſim in conſultationem venit, nec in publico, ne ad hoſtes dispalleſceret: *Num pax Pragenſis acceptanda, an verò nova cum Cæſare pacis tractatio tentanda; irritaqve ejusſpe, bellum continuandum eſſet.* Hic delecti Ordinum regni, ſcripto Reginæ & Senatui tradito, *negarunt Reginam & ſubditos Pragenſem pacem honeſtè & tutò accipere poſſe: qvia ad illam, qvum decernenda eſſet, non vocati nec admiſſi; ſed illis inſciis & inconſultis facta eſſet. Et qvod Reginæ & Sveonum intereſſet, non ſolùm in ea omiſſum, ſed niſi ea adqvieſcere vellent, fœdus adverſus eos & conſpirationem à toto Imperio R. cogitatam eſſe: qvod & indignum & diſcrimine non vacuum judicarunt. Proinde, ſi Reginæ regniqve ſecuritas & exiſtimatio conſervandæ eſſent, alio tractatu de pace opus fore, in qvo horum ratio haberi poſſet. Illum verò cum ſolo Electore Saxoniæ plena poteſtate à Cæſare non inſtructo, ſed cum ipſo Cæſare ejusqve delegatis inſtituendam eſſe; aut certè ſub ſpe & conditione ratihabitionis Cæſarianæ.* Decretum autem omnium regni Ordinum tale erat: *Uti certò ſperarant antea, Evangelicos Electores & Ordines Imperii, in Germaniâ inter ſe, & cum Reginâ ac Coronâ Sveciæ, vigore pacti Fœderis in firmâ concordiâ & conjunctione perſtituros, donec ad honorificam compoſitionem deventum fuiſſet; ita illis ingratum nunc accidere, nec ſatis intelligere poſſe, qvid Electorem Saxoniæ moverit, qvod ipſe primus ab eo diſceſſerit, & non ſolùm Reginâ ac regno Sveciæ, aliisqve qvorum intererat, præteritis, pacem Pragenſem inierit, & in ea ſe cum Cæſare conjunxerit, ad eam vi*

 & armis

& armis unicuiq; obtrudendam, utcunqve ſuſpecta videri poſſit; ſed etiam poſtea partim tentamentis, partim minis pleroſqve Evangelicos Ordines adduxerit ad deſciſcendum à Svecis vel eos deſerendum. quod etiamſi prioribus pactis & laudatiſſimæ recordationis Regis ingentibus beneficiis & meritis, nec minus tot ante factis tam ſcripto qvam ore conteſtationibus & promiſſis directè repugnet; imò omnes illos, qvorum hic res agitur, in non leve diſcrimen conjiciat; tamen ut moderatio Ordinum regni in juſtâ ſuâ causâ coram univerſo mundo eò magis illuceſcat, & omne ulterius impendens periculum ſangvinisqve effuſio prævertatur ac evitetur, ſvadent rogantqve Reginam, ut adhuc tentet omnem viam ad hoc diſſidium pace, cum digno tamen ſui regniqve reſpectu ac ſecuritate, componendum. Atqve ſi Regina bonis conditionibus, tutâ & honeſtâ pace poſſit, pro conſultiſſimo hoc eos habere, & adqvieſcere. Si verò adverſa pars tam immota & pertinax ſit, ut pacem honeſtam & tutam nolit, ſed perſeveret in intutis & indignis conditionibus offerendis, atqve ſic Reginæ neceſſitatem belli continuandi faciat, obligant ſe omnes & ſinguli qvam efficaciſſimè ad periclitandam vitam, ſangvinem & fortunas pro Regina & patria, donec Deo placeat talem largiri pacem, quæ Reginæ dignitati, Regniq; ſecuritati conſentanea ſit. Hoc decreto facto, Cancellarius Stenoni Bielke, in Pomerania Legato, urbis Stetini ſecuritatem contra qvorundam machinationes, fidis excubiis & præſidiis tuendam, committit. animum qvoqve intendendum eſſe monet extraneis illis militiæ præfectis, qvi in urbe tuendâ & cuſtodienda ſub regno Sveciæ ſtipendia faciant; atqve, ſi de nonnullis ſuſpicionem non obſcuram capiat, ſpecie honoris aliò transferendos, & curandum, ut in fide copiæ militares conſerventur. De ſuſpectis literis hinc inde per vias publicas commeantibus, & proditionem forſan atqve inſidias tegentibus, qvid ſibi conſilii ſit, Cancellarius à Stenone conſultus reſpondet: *Clandeſtinas qvorundam molitiones & inſidias non ſibi videri, ut Steno putabat, detentione & inqviſitione literarum, per tubicinem transmittendarum, inhiberi vel averti poſſe. Nam hoc exemplo deterritis aliis, omnia iſtic literarum commercia ceſſatura, atqve, ſi nihilominus dictæ molitiones foveantur, par cum priori incommodum remanſurum eſſe. præterqvam qvod iſtud ſpeciem hoſtilitatis habiturum ſit, qvum hactenus tamen toleratum fuerit.* Proinde ſvadebat Cancellarius *liberum hic epiſtolis curſum relinqui. interim cautè verſandum & inobſervabili curâ penetrandas eſſe hominum ſuſpectorum actiones, quantum fieri qveat; præſidiis & cuſtodiis ſedulò præcavendum eſſe, ne pravè conſultis ac proditione ſubitò obruantur. prohibendas in urbe coitiones clandeſtinas & factiones; neq; cuivis fidendum eſſe: ſic tamen ut diffiden-*

diffidentia diſſimuletur; reliqvis tempori commiſſis. Qvum Elector Sax. paci Pragenſi conſtanter inſiſteret, & adverſus Sveones eam ob ante dictas cauſas repudiantes, etiam ex conſilio Regis Galliæ (qvi per Legatum ſuum Chaumontium ſeparatam cum Cæſare pacem Reginæ ſeriò diſſvaſerat) & novam defenſionem meditantes, hoſtilia magis & magis machinari videretur, Regina ex mente decreti Regni Ordinum cum eo prius mitiori viâ, qvàm armis experiri conſtituit: qvo animo nervoſas ac cordatas literas ad Electorem Sax. compoſuit, in qvibus qvid de pace Pragenſi ſentiat, prius exponit: dein de amicitia potius continuanda, pacisqve ſolidioris fundamentis cogitandum hortatur, qvàm vim hoſtilem intentandam. qvâ niſi abſtineat, ad eam repellendam ſe cogi. Has literas Melchior à Falkenberg, à Regina ad Electorem miſſus, ei tradebat, in hunc ſenſum ſcriptas: *Qvam arctè Rex glorioſæ memoriæ & Pater ejus dilectiſſimus Electori per mutuum fœdus obſtrictus fuerit, & qvam ſanctè ac fideliter illud ſervarit, evidenter teſtari pacta Fœderis, & heroica ejus facta: inprimis ultima officia ac beneficia, qvæ cum jacturâ vitæ ſuæ Electori, ſupremo fine, præſtiterit. Iſtæc non in chartam conjecta, vel æneis tabulis inciſa; ſed omnis mundi conſcientiæ ac notitiæ Regio velut ſangvine inſcripta extare. Se verò, ſicut regni ac regiæ ſedis Parentis ſui hæres fuerit; ita qvoqve in ejus conſilia & benevolentiam erga Evangelicos ſucceſſiſſe, & poſt mortem ejus nihil intentatum reliqviſſe, qvod ad conſervationem & incrementum ſocietatis ac amicitiæ cum illis facere viſum eſſet. Qvia verò per immaturam adoleſcentiam & muliebrem conditionem laudatiſſimo Parenti paria facere non potuiſſet; ſuis tamen in Germaniâ Legatis & bello præfectis ſemper in mandatis dediſſe, ut parentis ſui veſtigia preſſe ſeqverentur, & Electori aliisqve fœderatis auxiliares manus ex fide præſtarent; donec ſcopus Fœderis, honeſta, communis & fida pax obtineretur. Qvamvis autem miles Sveticus direptione vitæ ſubſidiorum, agricolis & civibus in Germania fortè gravis fuerit: unde apud ſubditos qvorundam locorum qverelæ natæ, belliq; incommoda ipſius qvoq; Electoris terris illata, non ignota ſint; ſe tamen ſibi certo perſvaſum habere, dictos ejus Legatos & præfectos, in officiis ſuis militaribus ſiniſtræ alicui ſuſpicioni non facilè cauſam præbuiſſe, ſed ita ſe geſſiſſe, ut ſperare velit, eos, ſi non apud qvos vixere, bonam gratiam & propenſionem, non tamen odium atqve inimicitiam promeritos eſſe. Qvæ qvum ita ſint, non aliter qvàm moleſtum ſibi evenire, imò non ſatis ſe adſeqvi vel admirari poſſe, qvibus ex cauſis indies magis & magis aliud comperiat. Hoc fortaſſe cuiqvam*

tanti

tanti non videri, quod pax Pragenſis, nullâ Fœderis communis habita ratione, ſe inſciâ & inconſultâ facta ſit; modo in illâ dignus Ejus reſpectus obſervatus fuiſſet. Nam licet quidem decuiſſet, ut Ipſa, cujus intereſſe in hoc bello maximè agebatur, vel per Legatos huic actui adhibita fuiſſet, ſe tamen in gratiam communis tranquillitatis & quietis huic tractatuum vitio libenter connivere voluiſſe, niſi in ipsâ Pacis ſubſtantiâ adeò poſtpoſita fuiſſet. Jam verò quum ex relatione plurium, in dicta pace potius fœdus adverſus ſe, quam ulla veræ pacis umbra contineatur, & tanquam inter alios transacta res Ipſam non obliget, ideò ſe absque extenſione & reſtrictione certâ; & ſic ulteriori tractatione, ſalvâ Regiâ exiſtimatione, iſtam pacem admittere non poſſe. Si Elector de ea ex dignitate cum Ipsâ egiſſet, aut ſaltem pati voluiſſet, ut cum Imperatore ad ipſam actionem perveniſſet, fortè majori patientiâ ferri potuiſſe. Quia verò neutrum horum hactenus præſtitum ſit, contra re ipſa cognoverit, quod aliena decreta ſibi invitæ obtrudere conatus ſit, ſe non poſſe quin ægrè ferat, merita ſua tam indignè accipi. Si verò hoc ab Electore quocunque prætextu excuſari poſſit, ſe tamen haut videre, qua juris ſpecie illud obvelari poſſit, quod experiri cogatur, quomodo tam reliquos Principes & Ordines Imperii, Reginæ fœderatos ad reſcindendum fœdus incitarit, quàm Germanicas legiones, poſthabito jurejurando & fidei nexu, arma contra ſe vertere ita impulerit; ut niſi de Germanicæ gentis integritate & fide certior fuiſſet, haud immeritò de conſtantiâ multorum dubitare potuiſſet. Utut autem hæc ſe habeant, ſimulac intellexerit, hujusmodi conſilia cudi, & Electorem armatâ manu Suecos aggredi, confeſtim ſuos juſſiſſe, quantum fieri poſſet, concedere, & fas & æquum rigori præferre, nec eò rem facilè delabi ſinere, ut ejus ad hunc usque diem juſta haut dubiè arma ullius fœderati ſanguine contaminarentur; niſi fortè ultima neceſſitas id exprimeret. Se etiam cognoviſſe, ſuas copias per aliquot Principum ditiones ceſſiſſe, donec Albi transmiſſo, nihil præter mare, quò concederent, ſupereſſet. & tandem adverſus continuam perſecutionem Electoralium neceſſariam defenſionem apprehendere, ad obſidionem Domitzii vim hoſtilem ipſis illatam pari oppoſitâ vi profligare, & intentatum malum avertere coacti fuiſſent. quod etiamſi ex juſtâ ultione divinâ ipſos auctores feriret; ſummè tamen dolendum eſſe; quod amicitia hactenus culta, & Evangelicum Fœdus tam indignum finem caperet. Sibi enim quaſi in ſpeculo repræſentari, quomodo communes hoſtes in ſinu gaudeant, artes ſibi ſuas tam benè proveniſſe; & nunc lætos ſpectare poſſe: Evangelicos ſuis inter ſe diſſidiis committi deperdique; imò ad propriam ſui dudum illis deſtinatam certamque oppreſſionem & interitum portas ac feneſtras aperuiſſe. Quæ omnia quum absque ipſius Electoris ditionum atque aliorum ſuorum cognatorum, quorum provincias belli moles preſſura ſit, ruinâ; quin absque irreparabili Status Evangelici detrimento, hoc modo non diu continuari poſſit; qua-

propter

propter ſe monere Electorem ſummopere per communem utriqve religionem, ne hujusmodi periculoſis conſiliis ſe ulterius circumduci patiatur, ſed de ſinceræ pacis reſtitutione cogitet. Qvod ſi huic locum dare, & Reginam hujuſmodi reſpectu & honore dignari velit, qvalem exteris Regibus & regnis haberi, eminentioris imperii dignitas reqvirat, ad reductionem optatæ pacis in Germaniam nihil in ſe deſideratum iri; prout ex R. Cancellario, vel, poſt ejus diſceſſum, aliis debito mandato inſtructis, & ſubſtitutis delegatis, tam Elector, qvàm alii, ad qvos hoc negotium qvoqve pertineret, pluribus accepturi eſſent. Si verò turpium conditionum repudio & neceſſitate cogeretur in armis perſeverare, ſperare ſe coram Deo & univerſo mundo excuſatum iri: qvod extremâ neceſſariæ defenſionis viâ uſa ſit; qvâ tamen erga fœderis & ſangvinis ſocios ſuperſedere mallet. Se Electoris ſuper hac re ſententiam & reſponſum cum Falkenbergio exſpectare; interim ipſi meliora & magis ſalutaria conſilia ex animo optare. Ad has Reginæ literas Elector poſtea in hanc ſententiam reſpondit: *Fœdus ejus cum Rege Guſtavo Adolpho defuncto exſpiraſſe, nec poſt ejus mortem renovatum fuiſſe: proinde ſe pacem Pragenſem cum Cæſare, inconſultis Reginâ & Corona Sveciæ, facere potuiſſe, tanto deſiderio & tam innumeris gemitibus tot oppreſſorum tamdiu expetitæ qvietis permotum; ut & ſuo & in primis uſu publico: ne ſuæ ditiones, & tota Germania, bellorum oneribus adeò exhauſtæ, prorſus tandem perirent. Pacis verò Sveonum cum Cæſare & Ordinibus Imperii tractationem ſe fruſtra promotum iviſſe: qvum accipere noluerint oblatas conditiones pro ſatisfactione duos cum dimidio milliones; etiamſi Rex eorum nulla præmia deſiderarit, victoriarum gloriâ contentus. Qvum ergo jure agere nolint, facti viam qværendam eſſe.* qvæ, & alia hujuſmodi deinceps, obſeſſa Magdeburgâ, publicâ Declaratione (Manifeſtum vocant) pluribus deduxit & exaggeravit. Sed his præter alia, Reginæ & Sveonum nomine ſic reſponſum eſt: *Qvum Rex Guſtavus Magnus ut ante vitâ, ita poſtmodò morte ſuâ conſtantis & fideliſſimi Fœderati ſociiqve officium feciſſet, Electorem Saxoniæ hoc ad R. Cancellarium ſummè prædicaſſe, & adſeveraſſe, ſe nunqvam illud oblivione transmiſſurum. Præterea fidem dediſſe, ſe vigore pacti Fœderis in nullam peculiaris pacis conventionem, absqve præviâ communicatione cum Corona Sveciæ, ejusqve conſenſu deſcenſurum. Non tam ipſos deſiderare ſatisfactionem, licet haud injuſtam pro expenſis belli & auxilii toties ſociis præſtiti, qvàm univerſam, ſolidam & conſtantem pacem.* A diſceptationibus fruſtra motis, paulatim ad arma capienda gradum fecere. qvæ Regina etiam literis ad Regem Daniæ hoc modo excuſavit: *Qvum Rex plurimum apud Electorem poſſet, modò rationum pondera apud eum locum haberent, ipſum ab iniqvis & ancipitibus molitionibus adverſus Reginam & regnum*

dehortari vellet. Si enim illa cogeretur in defenſione contra Cæſarem & ejus Fœderatos permanere, præcipuam armorum ſedem in inferiori & ſuperiori Saxonia fore; qvo cum emolumento vicinorum, religionis & ſangvinis ſociorum, Regem ſatis pro ſuâ prudentiâ providere poſſe; qvamvis mallet iis, ſi liceret, abſtinere. Si verò nulli amplius rationi locus eſſet, ut Rex perpensâ Reginæ innocentiâ & adverſæ partis iniqvitate, ſe excuſatam haberet, & ejus cauſæ conſtanti amicitiâ addictus permanere vellet, qvamdiu in extortis ſibi juſtæ defenſionis armis perſeverare cogeretur. In deliberatione Procerum & Senatus Regni de redintegrando bello, pacis qvidem ſcopum, præſertim regno viribus adeò exhauſto, ante omnia ſibi proponendum eſſe cenſuerunt. Sed ſi non poſſit honorifica & tuta pax niſi per arma obtineri, in his rectè feliciterqve gerendis cavendum eſſe, ne militaribus officiis admoveantur, qvi cum Electoribus aut aliis nunc Sveonum hoſtibus factis, ullo modo ſentirent, aut qvorum intereſſet, cum illis ſentire; ſed qvi bene erga Svecos affecti, ſuam fortunam ex eorum fortunâ facturi eſſent; ſecus animati, bonâ cum gratiâ dimitterentur. Exercitus robur ſi augendum ſit, ſatius fore Sveones & Finnones ex patriæ delectis copiis ſuppleri; extraneos autem ex aſſignatione ſtativorum: qvæ per occaſionem longius absqve regni impenſa proferri poſſint. Auxilia nummaria, ubi domeſtica non ſufficiunt, ex Franciæ, Britanniæ, Bataviæ & Hanſeaticarum Civitatum ſubſidiis ſedulò qværenda, & in proximum ver conficienda eſſe. Granarium ad oras maritimas, frumento ex Seciâ & vicinis locis collecto, conſtituendum eſſe. Si arma Svetica in Sileſiam & Cæſaris hæreditarias oras, vel in Miſniam & Thuringiam penetrare poſſent, optatum cum Deo exitum ſperandum eſſe. Si verò non iſtac, hoſtibus objectis, pateret acceſſus, eò connitendum eſſe, ut ſedes belli inter Albim vel Havelam & mare Balthicum locaretur; eorum aditus, tranſitus & commoditates ex re uſurparentur; atqve arma iis animis ac dexteritate adminiſtrarentur, qvibus hoſtis ad decoras pacis conditiones agi poſſit. His ita præmiſſis, & ſuſpectis cum gratia dimiſſis, at confirmatis Sveticæ partis ducibus, aliisqve rebus neceſſariis adornatis, ex auctoritate publica Bannerius conſilium capit adverſus Electorem Saxon. eundi. qvi in Ducatum Mecklenburgenſem pergens, iſtic Plavvenam, Graboviam, Parchemium aliaqve nonnulla loca jam occuparat; ſi forte Electorem opportunitate locorum & oris maritimis, qvas Sveticis præcluſum ibat, abſtrahere poſſet. Aliqvot Saxonicorum ad Goldbergam in dicto Ducatu Meklenburg. cæſis, ad Malchinum Bannerius ſuas cum Torſtenſonii copiis ſociavit; qvæ junctis viribus hoſtem ad Parchemium aggreſſæ, commiſſis aliqvot velitationibus, tri-

buno

buno & pluribus captis, eum ad Havelam fl. ſe recipere coëgerunt. qvò etiam Banerius contendit, & præter copias pedeſtres Saxon. majori parte eqvitum, qvibus tamen Svetici prævalebant, ſeptem legionibus, per Torſtenſonium in Marchia Brandenburg. ad Kiritzium, ubi ſe cum Marazino conjunctum ibant, fugatis, Havelbergam occupat. Dum verò de ceſſatione armorum Saxo cum Banerio, etſi irrito tentamento, agit, munimentũ Werbenianum per Kingium intercipitur. Bellinum in dicta Marchia per Axelium Lillie, Butzovium per Slangium, Zedenickia per Helmoldum Wrangel capiuntur, & totus fermè Ducatus Meklenburgicus ab hoſte paulatim relaxatur. Inde Bannerius Berlinum iter facit; cujus obſidionem, deprecante Electoris Brandenb. conjuge, intermittit hac lege, ſi ipſe Elector omnibus hoſtilibus actionibus ſuperſedere velit. Ineunte ſeqventi anno Holmiæ in Senatu iterum 1636 deliberatum eſt de ratione pacis cum Cæſare rectè ineundæ: ad qvam non una occaſio patere videbatur, per Regem Daniæ, Tagone Tottio, R. Daniæ Senatore & Legato eâ cauſa Stocholmiam miſſo, Reginæ oblata, & per Ducẽ Meklaburgenſem, qvi interponentis partes in propriâ perſonâ hactenus apud Electorem Saxoniæ, tanqvam Cæſareum Commiſſarium, ſedulò ac fideliter egerat, juncta ei Cancellarii operâ, & poteſtate ſub rato agendi. Sed irritus labor erat: qvum de pacis conditionibus nondum ſatis conveniretur. Pax tamen eò magis deſiderabatur, qvò magis belli difficultates creſcebant, præſertim ejus nervo, pecuniâ aliqvantũ deficiente; Gallia & Batavia nummarium ſubſidium nonnihil protrahentibus; donec ſublatis utrimqve ſuſpicionibus & difficultatibus nonnullis, renovati fœderis fructus, cum fama majoris ſtabilimenti, ſummæ rei profutura, reſtituerentur. Eqvidem qvod ad res Galliæ attinet, Avancourt de illis Holmiæ agens, à Regina nomine ſui Regis *deſiderabat ratihabitionem ante pacti cum Vicecancellario Löfflero, & ipſo Cancellario Axelio Oxenſtierna fœderis; quod à ſuo Rege conſtanter ſervatum iri pollicebatur; ſed & numerum certum exercitus à ſuo Rege in Germania alendi exprimi cupiebat.* Regina, laudata Regis Galliæ conſtantia in ſocietate armorum continuanda, hoc tamen oratori in animum revocabat: *Si Rex Galliæ bellum Cæſari ſeriò denunciare voluiſſet, & Fœderati in fide ſemel conventa perſtitiſſent, res Germaniæ ſe longè melius habituras. Jamverò, qvum ſocii partim a fœdere reſiliiſſent, partim ſe hoſtes Sveciæ profeſſi eſſent, partim promiſſa & conſveta ſubſidia ſubtraxiſſent, Reginam haud abs re dubitare, num Rex priora pacta, ad illos præcipuè ſpectantia, & præſenti ſtatui parum accommoda, rata haberi neceſſarium duceret; an verò nova pacta fieri, vel vetera præſentium tem-*

porum conditioni propius accomodari vellet, præterqvam qvod Regina comperiſſet, Regem Pontificis impulſu alia pacta cum aliis feciſſe. Sed qvidqvid foret ſe Cancellario ſuo de his ulterius cum Regis miniſtris è re agendi poteſtatem facturum. Avancourt iterum inſtans: *Si Reginæ priora pacta rata habere non placeret, tamen Fœderi Heilbrunnenſi à ſe ratihabito convenienter agere, Regis ſui cauſa* deſiderabat. *Pro duodecim millium militum auxilio & aliis ſubſidiis per Chaumontium Regis ſui nomine Reginæ oblatis, Alſatiam, & præcipuè Benfeldiam & Briſacum, vi Pariſienſium pactorum à Legatis Löfflero & Streiffio ſubſcriptorum, Regi ſuo reſignari* poſtulabat. *In reliqvis capitibus priora pacta integra fore.* Ultimò adjiciebat: *Reginam per tot obligationes cum Rege Galliæ, ſeparata & peculiaria pacis pacta cum aliis ſalvâ fide inire non poſſe.* Ad hæc Regina: *Se fœdus Heilbrunnenſe qvidem ratihabitione ſuâ confirmaſſe; ſed qvia illud per Regis, cum fœderatis Germaniæ Ordinibus, ſe inſciâ & inconſulta, conventionem, magnâ ex parte caſſum & irritum factum eſſet, ſe ad illud absqve præviâ & novâ tractatione obligatam non eſſe. Qvod Legati Löfflerus & Streiffius nomine Fœderatorum Pariſiis cum Rege tractaſſent & ſubſcripſiſſent, ad Reginam ſeorſum non pertinere: præſertim qvum Legati mandati fines migraſſent. Oblata per Chaumontium ſubſidia, pro reſiduo debito, non pro nova conditione ſe agnoſcere. Alioqvi mutato temporum ſtatu, novis pactis opus videri. Cum Evangelicis Imperii Ordinibus, qvi ante Ejus ſocii, nunc hoſtes facti eſſent, de pace, ſi honeſta & tuta foret, ſe illæſâ fide agere poſſe: idqve ipſi Regi & communi cauſæ magis è re fore, qvàm bellum tam cruentum longius produci. Parceret itaqve orator tam odioſis verbis. Sveticam gentem, ſi qva alia, ut fidem integrè ſervaret, operam ſemper dediſſe, & de cætero daturam eſſe.* Ex Germaniâ, in qvâ Cancellarius per decennium Legati publici & Fœderis Evangelici Directoris uſitato titulo ac dignitate, qvantâ cum prudentiâ & felicitate functus ſit, cui ignotum? in Sveciam, poſtqvam Wiſmariæ denuò Fœderis pacta cum Legato Regis Galliæ Chaumontio ſub ratihabitione renovaſſet, publicis patriæ rebus ſic depoſcentibus, in Svetiam revocatur, adſcito iſtic in ejus locum Stenone Bielke; cui, ſæpe adverſa valetudine affecto, Salvius & Steinbergius adjungebantur. Recollectis & ſuppletis domi foriſqve militiæ viribus, conſilium initur de tripartito exercitu adverſus hoſtem educendo ad Albim, Oderam & Viſurgim, & granario militiæ Magdeburgæ inſtituendo. Ad Albim præcipuæ copiæ B nnerio, ad Oderam Wrangelio ad Viſurgim, ut ante, Leſlæo, tribus Campi Mareſcallis ducendæ regendæqve committuntur: ne juncti plures duces, ex æmulatione rebus impedi-

mento

mento eſſent; & ut ſingulis neceſſaria magis ſufficerent; & incepta felicius procederent, Regio præcipuè auſpicio, ſuoqve conſilio rem geſturis. Ut enim Cancellarius in Senatu diſſerebat: *Bellum, ſi non tantis viribus, qvantis ante, conjunctis adhuc fœderatis, tamen majore vi & fructu geſtum iri. Quippe propriis in poſterum, non alienis aut mixtis conſiliis tot Principum & Ordinum Imperii, qvorum conſulta & conſenſus in rebus perpetrandis ſollicitè prius exqvirendus, & cum diſpendio temporis diu præſtolandus erat, negotium qvodcunqve ſuſceptum & confectum iri. Prius etiam tot diſſimilium & in diverſa ſæpe tendentium ingeniorum ambitione, invidia, contentione, variisqve ſtudiis multum boni impeditum, multum majoris præjudicii obortum, rebus gerendis haut exiguum injeciſſe obſtaculum. Nunc autem fœdere per ipſos ſocios reſciſſo, rei ſummam ad Reginæ ac regni poteſtatem, ſuâ vi nixam, liberamqve curam rediiſſe: qvæ expeditiorem & feliciorem agendorum progreſſum bono omine polliceretur.* In conſilium etiam itum eſt de provinciis & Principibus aliqvot vicinioribus, Regno Sveciæ, à qvo disjunctiores facti videbantur, conciliandis: id enim Statui publico expedire. Præcipuè Pomeranos, qvum rebus in Imperio clade Nordlingenſi aliqvantum mutatis, & duriori qvorundam jugo alieniores facti, inclinare viderentur ad motum fortunæ, maximè verò ad partes Brandenburgenſes; ita tractandos eſſe, ne ad res novas compellerentur: moderatè, juſtè ac benignè habendos, & amicè adhortandos eſſe, ut in præſenti ſtatu ac fide conſtantes eſſe velint. Electorem Brandenburg. Svvartzburgenſibus conſiliis averſum, per conjugem ſuam, erga ſtatum Sveticum non malè affectam, regno reconciliandum, Wilhelmum Wimarienſem, Georgium Luneburgenſem, Landgravium Haſſiæ in partibus Sveticis ulterius confirmandos eſſe. Bannerius, hoſtis ex Pomerania & Meklaburgo in proprias ditiones extrahendi cauſa, cum peditatu & duabus cohortibus eqveſtribus, verſus Havelbergam, qvam etiam occuparat, & Werbenam progreditur; maxima parte eqvitatus, ductoribus Ridvvino & Axelio Lilie, ad transeundum Havelam fl. præmiſſa. Illi ad Sandaviam tranſeuntes, & Magdeburgam pergentes, inde tribunum Johannem Wachtmeiſter Wanslebam mittunt: qvi iſtic cum ſuis cohortem Saxonicorum, ductorem Danæum habentium, profligavit. Ad Kalbam per Albim tendunt noſtrates Barbyum; qvo ſubſeqvutus eos Bannerius, urbem & arcem vi occupat. Ibi Mitzlau, præfectus Saxonicis caſtris, captus eſt. Ille qvum antea Svecis militaſſet, per ſpeciem officiorum militarium non parum illis offecit. Varias ſuſpiciones & ſimultates in exercitu ſeminavit, præſertim ad Neoburgum & Danubium (de qvo ſup. ſuo loco) ubi ſeditionis militum, ægrè compreſſæ,

auctor credebatur. Cancellario ſæpe adverſus fuerat, proſperos Sveticorum ſucceſſus, qvantum in ipſo erat, impediverat, de Svecis contumelioſa effuderat; & ut odium ſuum adverſus illos eò liberius exſerere poſſet, absqve honeſtâ miſſione, à Svecis ad Electorem Saxoniæ tranſierat. Hic captivus ad Cancellarium miſſus, ab eo in Finnoniam ad Novam arcem (vulgò Nyslott) deportari & cuſtodiæ tradi juſſus eſt. Poſtea elabendi viam qværebat; niſi, curâ & mandato Comitis Petri Brahe, Finnoniæ tunc Adminiſtratoris, ex fugâ reprehenſus, & firmiori cuſtodiæ incluſus fuiſſet. Nihilominus tamen verſipellis ille, tandem corrupto cuſtode Laur. Mullero, & mutatis excubiis, inde cum Mullero exceſſit & in Ruſſiam evaſit. Bannerius in Saxoniam pertendens, iſtic Hallam occupat; & Mauritioburgum obſidione premit. qvam tamen acceſſu Saxonici exercitus, qvo viribus minor erat, relinqvit, & inde Salam fl. tranſit. Interim Hermannus Wrangel ex Boruſſia cum ter mille militibus in Pomeraniam commodè advenerat, ille cum ſuis & aliqvot Bannericis pergens, Marvvitzianum munimentum, ex adverſo Gartziæ ſitum, ab hoſte deſertum per Dromontium occupat. Inde Lôchnitzium, adſcitis ſibi Dromontii & Johannis Skytte junioris copiis obſidione, tandemqve deditione capit. Gartziæ obſidionem ſuccurrente urbi Marazino, fruſtra molitur, & in meliorem occaſionem ſervat, Marazinum in Sileſiam & Luſatiam perſeqvutus, cum eo ad Gabelam congreditur, aliqvot hoſtium cæſis captisqve. In Weſtphalia Sveones duce Kniphuſio & Kratzenſtenio chiliarchâ Haſelunam aliaqve loca occupant; ſed gravi cum jactura Kniphuſii, egregii ductoris. Ab advolantibus ex Lotharingia copiis Cæſareis prævalidis trans Viſurgim repelluntur, ad Petershagam transvecti. Hanoviam inexpugnabilem ferme ad Mœnum urbem Ramſæus Scotus, nomine Sveonum, adverſus Cæſareos ſtrenuè diuqve defendit. Ut victus & potus obſeſſis in longius tempus ſufficeret, parca & frugali diſpenſatione proſpexit. Frumento fermè conſumto, ſegetem exemtis ſilicibus, in plateis ſeminavit; ex qva coctum panem modicè civibus ac militibus diſtribuit, donec plus annonæ à vicinis ſuppeditaretur. De vino, ne prodigè biberetur, ita conſtituit, ut nemini cujuscunqve conditionis intra vel extra domum ullus potus à caupone, ſe inſcio, præberetur. Ipſe cellam vinariam omnibus communem inſtituit; qvæ ſingulis hebdomadibus bis duntaxat aperiebatur: ut qvilibet inde pro præſenti pecuniâ ad neceſſitatem emeret, nec plus iſtis diebus qvàm heminam vini, qvibus pecunia

pro

pro emendo vino non ſuppetebat, aqvâ & pane vivere cogebantur. A Francofurtenſibus vicinis urbs annonâ, qvoad ejus fieri poterat, ſublevata, toleravit obſidionem, donec à Landgravio Haſſiæ Gulielmo, Sveticis auxiliis adjuto & Leslæo obſidione ſolveretur, Lamboyo, Cæſarianorum ductore, inde depulſo. Saxo cum Hatzfeldicis & Marazinicis ſe conjungens, adverſus Bannerium tendit: qvi ei viribus impar, Magdeburgam recedit. Illam & veterem Brandeburgam ac Ratenaviam præſidiis munit, pontemqve hoſti navalem ad Albim intercidit. Sed hoſtis transmittens Albim ad Witebergam copias ſuas, Bannerico ſubſidio ad Tangermundam, veteris Marchiæ urbem, cæſo, Magdeburgam gravi obſidione urget, & pulveris nitrati copiâ deſtitutam, deditione capit; Leslæo ſuas copias cum Bannericis conjuncturo, fruſtraqve urbem liberare conante. Gôtzius potitus Amœnoburgo, Homburga & Paderborna, crudeliter graſſatur. Landgravius in Weſtphalia qværit Sveticum & Hollandicum ſubſidium. Marazinus autem cum ſuo exercitu iterum in Pomeraniam movet, & Stargardiam urbem coronâ cingit: qvam etſi in cineres ante annum redactum, ut ſuo loco dictum eſt, tamen benè munitam Johannes Skytte junior, chiliarcha & urbi præfectus; Ihnæ fl. tranſitu hoſti præcluſo, ad ſeptem hebdomadas ſtrenuè defendebat, donec eo graviter vulnerato & capto, ac protribuno Bethone cum hoſtibus paciſcente, civitas ſe dedere cogeretur. At Marazinus tunc nihil ulterius in Pomerania attentans, trans Oderam abivit. Galli, ductore Bernhardo Weimarienſi, in Alſatia, Lotharingia & Burgundia feliciter agunt; de qvibus eorum ſcriptores, & Chemnitz in hiſtoria ſua fuſè. Pacta Neutralitatis nomine Reginæ & Coronæ Svetiæ, à delegatis Sveticis, Johanne Salvio, Aulæ Cancellario & Laurentio Grubbe, Secretario Status, cum Danicis delegatis Detlevo, Reventlovvio, Germanico Cancellario, Chriſtophoro de Lippe, Conſiliario & Cancellario Danico, Caſparo Schulte, Drotſeto Bremenſi, & Theodoro Reinkingk, Archiepiſcopi Cancellario inita, & à Regina & corona Svetiæ, Friderico Principi & Archiepiſcopo Bremenſi conceſſa talia erant. *Nomine Reginæ & regni Svetiæ totum Archiepiſcopatum (excepta civitate Brema, qvæ Reginæ & Coronæ in ſeparatis tractatibus inſtituendis reſervaretur) in præſenti bello, ab omnibus contributionibus, metatis & aliis oneribus publicis cujuscunqve nominis omninò exemtum fore, & regia Svetica præſidia Buxtehudâ confeſtim, poſt traditam Archiepiſcopi & ſtatuum Bremens. ratihabitionem horum pactorum, cum certis conditionibus, abductum iri. Vice*

verſa

verſa Archiepiſcopum, & univerſos Ordines obligatum iri, tali Neutralitate in præjudicium Reginæ & Coronæ Svetiæ nequaquam uti, nec innoxium tranſitum Ejus militibus & miniſtris ullo modo præpedire, ſed potius in transactionibus Bremenſibus antehac teſtatâ bonâ amicitiâ & vicinitate, honore, reſpectu & grato animo, nihil remorante hujusmodi Neutralitate, ſemper perſeverare, & ſigillatim illis quæ de deſiderata ſucceſſione vel coadjutore tunc decreta fuerant, ne minimum quidem adimere; ſed tàm hæc, quàm in dictis Transactionibus Reginæ & Coronæ reſervatum emolumentum, ad ſatisfactionem Reginæ & Coronæ, ſemper in debito vigore habere ſalvis Reginæ & Coronæ Svetiæ omnibus juſtis prætenſionibus. Ordines verò Bremenſes operam dare oportere, ut hujusmodi Neutralitatem ab altera militante parte quoque obtineant: ne Regina & Corona Svetiæ ab ea ullo modo infeſtetur; ſed ut hoſtis & alii Reginæ adverſarii pari modo, ſtante hoc bello, omnibus contributionibus, metatis, & aliis oneribus bellicis, omniqve alio modo Archiepiſcopatu abſtineant, & Archiepiſcopo atqve Ordinibus Brem. ſubditis & incolis neutralitatem à partibus alienam concedant. Si verò talis Neutralitas, præter ſpem ab altera militante parte intra ſex menſes ab hoc die impetrari, & ad Reginæ ac Coronæ ſatisfactionem ſecundum tenorem cum Eadem ſcripti communicati, in competenti loco tradi non poſſet, Reginam & Coronam æqvè minus obligatum iri, & omnia in priori ſtatu remanſura. Pro abductione præſidiorum Buxtehudenſium iisdem pactis certa pecuniæ ſumma promiſſa eſt, atqve ſi plenam Neutralitatem vel quietem à Reginæ & Coronæ hoſtibus Archiepiſcopus impetraret, ipſe & Ordines ſuper priorem, aliam pecuniæ ſummam polliciti ſunt: qvod tamen omne nullo modo ad illud qvod Reginæ & coronæ intereſt, producendum eſſet; atqve ſi Neutralitas convento tempore ab omni parte non inſinuaretur, nihilominus aliqvid de dictâ ſummâ dependendum eſſe, & Archiepiſcopatum in hac Exemtione usqve ad proximum Johannis feſtum relictum iri; interim de certa ſumma ulteriorem deciſionem inſtituendam eſſe. Præter hæc expreſsè qvoqve pactum eſt, ut Archiepiſcopus & ſtatus Bremenſis Regium Sveticæ aulæ Cancellarium Salvium in bonis ſuis in Archiepiſcopatu ſitis, vi privilegiorum & reſcriptorum ſuper illis acceptorum, & prout hactenus ea poſſediſſet atqve uſurpaſſet, non ſolùm qvietum & nullo modo turbandum relinqverent, ſed etiam ad meliorem eorum ſecuritatem priora duo Reſcripta Archiepiſcopalia hoc ipſo renovarent, & adverſus cujuscunqve interpellationem eum efficaciter in iisdem tuerentur. Si verò volens ea Ordinibus Brem. aut cœnobio cedere vellet, Reginam & Coronam Svetiæ non impedimento fore. De ratihabitione pactorum ita convenit, ut eam delegati regii Svetici intra bimeſtre Verdæ, ſed Archiepiſcopi & Ordinum delegati intra XII. dies Hamburgi repræſentarent. Epiſcopatus Verdenſis causâ pariter Neutralitas decernebatur in

hunc modum: *Ut Archiepiſcopus Epiſcopatus Verdenſis poſſeſſionem absqvè ullo impedimento occuparet, & ab omnibus contributionibus, metatis, belliqve oneribus cujuscunqve nominis, in qvantum ad Reginam & Coronam Svetiæ hoc attineret, ſtante hoc bello prorſus liberum & exemtum haberet. ſic tamen, ut Reginæ & Coronæ Sveciæ bono titulo adqviſitum in hunc Epiſcopatum jus, & qvidqvid hoc vel illo modo, præterito anno, cum loci Capitulo transactum eſſet, hic prorſus exceptum, Eiqve reſervatum eſſet. Vice verſa, Archiepiſcopum omnem honorem, amicitiam & gratum animum Reginæ & Coronæ qvovis tempore præſtiturum, & in qvod antea conſenſiſſet Capitulum, qvando de ſtatu Epiſcopali certior, & extra periculum eſſet, ita ſe comparaturum, ut Reginæ & Coronæ bona ſatisfactio obtingat. Se inſuper conventa Neutralitate non in Reginæ & Coronæ præjudicium uſurum, ſed Sveticis militibus & aliis miniſtris tutum & innoxium tranſitum permiſſurum, & laboraturum, ut ab altera parte militante, intra octo menſes parem neutralitatem adipiſcatur. In defectu verò hujus, etiamſi pro ſua perſona in Archiepiſcopatu Bremenſi ipſi neutrarum partiū eſſe liceat, Ordines tamen ad ante dictam transactionem & in ea conventas contributiones obligatum iri, & in tali caſu Reginæ & Coronæ ad eas recurrendi integram facultatē fore. Præter iſtæc Regina & Corona jus illud, qvod in præfecturam Rotenburgenſem habuerat, in Archiepiſcopum transferebat; ſi tamen peculiaris ſuper hoc factæ conventionis cæpti tractatus cum Campiduce Ranzovio continuarentur, &, ad æqvam ſatisfactionem, implerentur. Inſuper certam Donationem & tres Eccleſiaſticas Collationes, nomine Coronæ Sveticæ factas, ſe ſibi commendatas habiturum & procuraturum, ut à Capitulo prius comprobatæ, & ex parte adhuc reſtantes pecuniæ primâ occaſione & qvidem intra proximum Martini diem ſolverentur.* Hæc pacta etiam à Regina ratihabita & confirmata ſunt. Illa qvidem non improbabat pacis tractationem cum Electore Saxoniæ, nomine Cæſaris, ab eo plena agendi poteſtate inſtructo, interponente ſe apud Electorem Duce Meckelburgico. Sed qvum Elector adverſus Svedos jam ſumſiſſet arma, pacis tractationi apud eum parum loci fuit. Bannerius, locis ad Albim & Havelam annonâ præſidioq; bene inſtructis, Werbenâ motis caſtris, in Ducatum Luneburgenſem tendit. Ubi primò Ultzenam urbem reſiſtentem qvidem ſed centum duntaxat militum præſidio munitam, facili negotio invadit. Inde Luneburgum urbem aggreditur, & evocato ad ſe Senatui in mentem revocat civitatis cum Rege laudatiſſimæ memoriæ compoſitionem; contra qvam difficilis eorum Dux erga coronam Svetiæ, & urbs fuerit in præbenda ipſi annona & ſale ad caſtra Werbenenſia. qvia verò interſit ſtatus Svetici & Evangelici, de eorum fide & urbe certos eſſe, voluit præſidium in eam ad-

Pppp mitti.

mitti. qvod cum prorſus recuſarent, oblatâ tamen ei pecuniæ ſummâ; rem ſeriò egit, oppugnationem & cuniculorum ſuffoſſionem urbi minatus. Ita civitas cum Bannerio fidem pacta, calcis montem ei occupandum conceſſit. cui ille trecentorum præſidium impoſuit, urbemqve in Sveonum poteſtatem redegit. Qvam deditio Winſenæ munimenti mox excipit, hac arte facta: Protribunus cohortis Pfulenſis præfectum loci, tanqvam veterem & bonum ſuum amicum ad ſe blandè invitat, obtentu familiaris & ſecretioris colloqvii. Præfectus, amicitiæ prioris fiduciâ, nihil mali ſuſpicatus, ei ſe ſiſtit præſentem. At protribunus ei ſtatim manus injicit, captivumqve tenet. qvo facto, qvi in inſidiis collocati erant milites, impreſſionem in arcem facere jubet: in qva LXX. præſidiarii, ductore ſuo deſtituti, ſe repente dedunt. Qvum Elector Sax. adjunctis ſibi Hatzfeldicis copiis, ad Tangermundam ſtaret, ponte navali ſuper Albim ſtrato; Banerius, emendatâ prius in Pomerania militari diſciplinâ, Luneburgo rectâ viâ hoſtes adverſos petere decreverat; ut ſi fortè ceſſuri & dictum pontem tranſituri eſſent, ille reſciſſo ponte, properaret iter in Misniam ac Thuringiam, eòqve ſedem belli reduceret. qvod conſilium tamen hoſtis progreſſu ſuo ad Havelam & Albim irritum reddidit: dum per Klitzingum Havelberga, Werbeniano munimento, Ratenavia, & veteri Brandenburgo feliciter, inertiâ præſidiorum, potitus eſt; atqve ſic Havelâ Albiq; Banneriũ abſtraxit. Ille verò Leslæi & Wrangelii copiis per Vitzthumium ei ſubmiſſis, auctus, ſic ut novem millium, centum & qvinqvaginta eqvitum, ſeptem millium ducentorum & viginti octo peditum exercitum duceret, animum cum hoſte confligendi habuit, anteqvam Luneburgicarum & Götzianarum copiarum acceſſione magis firmaretur; aut ſi hoſtis, commodo ſtans loco, prælium abnueret, conſilium capeſſebat inter eum & Albim penetrandi, victusq; adminicula hoſti præcidendi. Eò fine Perlebergam ſe confert. Sed hoſtis ſtativis ſuis, qvæ duabus profundis foſſis, paludibus & ſenticeto ſepta & fermè inacceſſa erant, ad prælium elici non poterat. Itaqve Banerius eum præterit, & Wilſenacum iter habens, ibi paulum qvietis cauſa ſubſiſtit, præmiſſo Vitzthumio, juſſoqve Havelbergam invadere, ſi commodè poſſet: qvod etiam ex voto ſucceſſit. Banerius mox ſubſecutus, accepto, hoſtem caſtra ſua moviſſe, eaq; ad *Wittſtockium* poſuiſſe, & cum Klitzingianis copiis ter mille qvingentorum ſe conjunctum ire, id ut præpediret aut præverteret, ſuperatis difficili aditu ad Wertzdorfium, & propinqva ſilva dimidii milliaris, anteqvam ſpatioſum campum & aciei inſtruendæ aptum locum invenire poſſet, hoſti obviam procedit. qvi poſt aliam ſilvam in editiori

tiori monte receptaculis ac mole præſtructa, carrugine benè præmunito, & tormentis inſtructo, copias ſuas, Bannerianis validiores, collocarat. Itaqve iſtic hoſtem adoriri qvum planè temerarium fuiſſet, ſiniſtram eqvitum alam circum nemus & montem hoſtis: tergo à ſiniſtris infundi: cum dextra verò ala ſe vertit ad dextrum latus nemoris ex adverſo urbis ad pedem unius montis, hoſtis aciem attingentis, animo extrahendi hoſtem opportunitate ſtativorum ſuorum. qvod etiam accidit, dum hoſtis primam ſuam ſtationem mutare coactus eſt. Sed repente per ſilvam properans, omnem ſuum eqvitatum Banerianis ſuperfundit. Unde tam fervens, acer & ſævus conflictus exſtitit, ut Banerius ipſe faſſus ſit, tam calenti ac vehementi pugnæ ſe nunqvam interfuiſſe. Certè dextræ alæ tam acriter incumbebatur, ut ſexies, octies, imò decies cum hoſte commiſſa fuerit: & tamen inſtar muri immota ſtaret, niſi qvatenus arma & lacertos movebat. Tres cohortes Livonica, Wittenbergica & Wachtmeiſteriana, qvam in abſentia tribuni, Georgius Schild ducebat, etiamſi duobus ſignis Principis Poloniæ Caſimiri eqveſtri cohorti abreptis totam hoſtis dextram alam repellerent, tamen tanto pugnandi ardore defatigatæ & exhauſtæ, ferme jam vacillare cæperant. Et hoſtis inter ſuos, qvaſi Banerio cæſo aut capto, jam victoriam cecinerat. Eqvidem omnis acies Svetica à tantis viribus hoſtilibus diſturbata fuiſſet, niſi Leslæus cum aliqvot copiis, qvinqve Brigadis, ut vocant, illi ſuccurriſſet, hoſtemqve retrò egiſſet. Ita noſtri campo ſuperiores facti ſunt, omni hoſtium apparatu militari & XXXIII. tormentis occupatis. Hoſtium ultra MMMM. pedites, bis mille eqvites cæſi perhibentur; una cum tribuno Wildbergio, juniore Hatzfeldio & Comite de Falckenſtein; Marazino verò graviter vulnerato; CXXVII. ſignis præter XIX. ſtataria amiſſis. A parte Sveticorum ultra DCC. eqvites, CCC. pedites occubuerunt, & ductorū præcipui Kunigham atqve Sabortzky; vulnerati Crocowius & Gadovius; Thuro Bielke verò, qvi egregiè ſe geſſerat, ab hoſte captivus abductus eſt. Illa clade Minda & Neoburga, Georgio Duce Luneburg. eas obſidente, ab obſidione liberabantur. In Pomerania qvoqve Campidux Hermannus Wrangel proſperè rem agit, dum non ſolum Svetham ab hoſte deſertam intercipit & demolitur; ſed etiam Gartziam deditione recuperat; ex qva Pomerania toties ab hoſte infeſtata, non parum nunc ſpiritus recepit. Rex Daniæ denuò tractationem pacis urget, ſed inani ſpe. Regis Galliæ res curans in aula Holmiæ, Baro de Avancourt urget apud Reginam *fœderis Wismarici, qvod ante Cancellarius nomine Reginæ cum Chaumontio Regis Gall. Legato fecerat* (de qvo ſup.) *ratihabi-*

ratihabitionem; qvum jam qvatuor menſium tempus exactum eſſet; nec minus expetit miſſionem delegati ad conventum Colonienſem: ubi de communi pace communi conſilio agendum ſit. Ille reſponſum à Regina accepit: *Se ad ratihabitionẽ & traditionem dicti Fœderis paratam eſſe, ſi Rex Galliæ Cæſarem prius pro hoſte aperto pronunciaret, & in nonnullis fœderis capitibus, quorum elucidationem Legatus mandati defectu excuſaſſet, ſcriptum utrinqve conſilium cum utroq; communicaretur.* Avançourtio ſimul abſona qvædam ob oculos poſuit Regina; *de conventu Coloniæ jam ſe inſciâ inſtituto, atq; de arbitro pacis Papa, Evangelicis partibus adverſo. Si prius ſolidum fundamentum amicæ compoſitionis, ſive Coloniæ ſive alio commodiore loco inſtituendæ, poneretur, & de ſcopo adverſæ partis certior facta eſſet, ſe nihil prætermiſſuram, qvod ad honeſtam pacem reducendam faceret.* Bannerius, anteqvam ulterius pertenderet, tranſitus per Albim tuti reddendi cauſa, caſtellum Werbenianum & domum Plavvenam deditione capit; atqve ponte per Albim prope dictum caſtellum facto, tranſit per Albim Garlebam verſus, & inde adverſus hoſtem. Georgium Ducem Luneburg. fruſtra ad Sveticas partes & auxilium illis porrò ferendum hortatur. Ille enim ſe, Pragenſi pace accepta, ſui Ducatus tuendi cauſa, intra defenſionis terminos perſtiturum, reſpondet. In Thuringiam diſcedens Bannerius, ibi hiberna qværit. Eo nomine Erfurdienſes amicè convenit; illi verò neutras partes deſiderant. qvas illis denegans, qvod ſponte neqvit, vi extortum it, immiſſis in urbem ignitis globis, qvi in non uno urbis loco jam incendium excitarant. His minis tam præſentibus & efficacibus, Civitas amicam compoſitionem petit accipitqve, Cyriaci caſtello à ducentis præſidiariis inſidendo, Campiduci tradito, ejusqve copiis, qvoties neceſſe eſſet, innocentem tranſitum concedendo, cum aliis conditionibus, de qvibus Bannerio cavebant, ſanctè ſervandis, donec communis & ſolida pax in Germania facta eſſet. Hinc Bannerius in Miſniam ſe confert, animo vel impediendi conjunctionem Saxonis cum Klitzingio, vel devertendi alterutrum à Wrangelio; vel ex occaſione moliendi qvid adverſus Lipſiam aut Torgaviam; ſi ſuas prius vires cum Leslæanis conjunxiſſet. Dum in eo eſt, in tranſitu Naumburgum deditione acceptat. Ad Miſnenſes verò, anteqvam hoſtile qvid eis inferat, patentes literas mittit, qvibus hiberna apud eos deſiderat, ſpe facta non ſolùm abſtinendi à qvietis omnem vim, ſed etiam protegendi eorum fortunas & poſſeſſiones. ſed incaſſum, Electore defenſionem contra parante, Wrangel autem in Marchiam Brandenburgenſem mediam tendit; metatorum iſtic cauſa. qvæ qvum Elector, induciis oblatis, de-

negaret,

negaret, ea vi qværere pergens, in tranſitu tribunum Ungarum Lubbenæ opprimit capitqve. Dein Cuſtrinum, Francofurtum ad Oderam & Landsbergam minis armatis ad imperata compellere nititur. Sed nititur ſolùm, ingruente vi hoſtili: cui viribus inferior, in Pomeraniam & priora ſtativa recedit. At hoſtis, Sileſiacis, Saxonicis & Brandenburgenſibus XIX. cohortium & CXL. centuriarum conjunctis, iſtuc qvoqve ſubſeqvitur, & Sveticos ſubito impetu obruiſſet; niſi Vitzthumius, cui hæc res in tempore ſuboluerat, præveniſſet, & Stetinum cum ſuis copiis properaſſet, exercitu incolumi eò deducto. Contra hoſtis, eum veſtigio inſecutus, ſed non aſſeqvutus, aliqvid detrimenti accepit, dum Haraldus Stake protribunus, qvem Vitzthumius Tangermundarum parte copiarum Oderbergam miſerat, Knobelstorffianam cohortem profligat. Hoſte jam citeriori Pomeraniæ appropinqvante, & more ſuo graſſante, præter alia, conſilium Cæſaris adverſus Stralſundenſes detectum eſt. Ille per miniſtrum ſuum in Polonia reſidentem, Alexandrum Greiffenklavv, Stralſundenſes amicis literis & optatam Cæſaris clementiam ſpondentibus, contra Svedos, ob accepta ab eis intra urbem præſidia, commovere, & fidem eorum ſpe ſingularis libertatis ſollicitare cœperat. Etſi plebs initio eò inclinare videbatur, tamen rectius ſentientes & ſibi ab hoſte in ſpeciem reconciliato, & qvidem tam potente, atqve perſonatam amicitiam tunc præ ſe ferente, ſed animum haud dubiè cupidum ulciſcendi fruſtra à ſe tentatam deſertamqve Stralſundæ expugnationem ſervante occaſioni ſibi cavendum ducentes, hoc civiliter abnuebant. Nihilominus adventante propius Klitzingio cum copiis Cæſareis, Wrangel majoris ſecuritatis cauſa, tribunum Stenbock cum aliqvot copiis ad defendendum provinciæ limites, & Adolphum Hardt cum qvadringentis Stralſundã ad corroborandum iſtic præſidia miſit. Haud ſilendum, qvod Regina intra regnum ſuum, ad belli onera facilius à civibus ſuſtinenda, commerciorum commoda provexit; indigenis navigationem ad ſeptentrionales interioris regni oras, Norlandicas vocant, conceſſit, peregrinis interdixit: ne hoc cederet in fraudem & detrimentum emporiorum ac ſubditorum ſuorum; qvum tunica pallio propior corpori ſit, ut dici conſvevit. In emporiis præcipuis Holmiæ in Uplandia à die Michaelis, trium hebdomadarum, Aboæ in Finnonia ob octavo die Septembris etiam trium hebdomadarum, Calmariæ in Smalandia, ad d. XXV. Octobr, octo dierum Nundinas publicas inſtituit: ad levandum ab incolis emi, & promovendum ab iiſdem vendi ſolita, & neceſſaria qvæqve juſto pretio comparandum. Miniſtri Gallici 1637
denuò à Regina deſiderant ratificationem Gallici Fœderis ejusqve traditionem

tionem, & conventum Colonienſem, adduntqve: *Pontificem nomine Catholicorum ſe interpoſiturum, at Venetam Rempub. nomine Proteſtantium.* Regina cur traditio ratihabitionis hactenus in ſuſpenſo fuerit, antea dictam cauſam fuiſſe reſpondet: *locum conventus minus tutum, nec ex ſua dignitate fore. Papæ oblatam interpoſitionem* ſilentio transmittit: qvum ad eam antea reſpondiſſet. *Venetorum autem interpoſitionem ſe non qvidem improbare; ſed illam Rempubl. ne minimum qvidem de ea ſecum communicaſſe: qvod tamen mos gentium, rei neceſſitas, & Reginæ dignitas poſtularent.* Diverſi qvidem Principes ad pacem conciliandam operas ſuas obtulerunt, & inter eos Sigismundus Marchio Brandenburg. Auguſtus Dux Luneburg. Franciſcus Albertus Dux Saxo-Lavvenburgicus, præter alios antea nominatos; ſed mandato, tempore, loco, literis tuti itineris, & conditionibus vel incertis vel toties absqve fructu diſceptatis, interdum etiam captioſis qvorundam conſiliis, variisqꝫ machinationibus intercurrentibus; Sveticis cautè agere, nec temerè credere viſum eſt; donec conſtaret, hoſtem ſeriò pacem velle, & cui modo de ea agendi inſiſtere & perſeverare laboraret: ne vana ſpe & ſolo pacis nomine circumducerentur. Arnhemius, toties obex conſiliorum & actionum Sveticarum, & inſidiarum adverſus regnum ſuſpectus, juſſu Legati Svetici à tribuno Bohm Boitzenburgi in prædio ſuo capitur, & in Svetiam mittitur. Bugislavo, ultimo Pomeraniæ Duce absqve prole maſcula defuncto, Elector Brandenburgicus Georgius Wilhelmus, vigore pactorum antiqvorum & hæreditariorum inter utramqve domum & familiam, nexu fidei ac religione jurisjurandi, variis literarum monumentis, à Pomeraniæ Ordinibus eorumqve majoribus Domui Brandenburgicæ firmato, & Cæſareis inveſtituris corroborato jure, ditiones Pomeraniæ ſibi ſucceſſionis ac proprietatis titulo vendicavit, & Ordines ac ſubditos iſtarum provinciarum ad ſuum ſolius regimen obſeqvium & fidem edicto publico vocavit. Scripſit etiam ad Reginam Svetiæ, Proceres Regni ejusdem, Legatum Sveticum in Pomerania & Mareſcallum bellicum, ne ſibi impedimento, ſed auxilio potius eſſent in capeſſendo legitimo Pomeraniæ imperio. Illi non qvidem negabant jus ſucceſſionis Electoris in Pomeraniæ provincias, ſed tamen ex Reſervato Regis Svetiæ Guſtavi Adolphi in Fœdere cum Duce Pomeraniæ anno MDCXXX. facto, aliqvantum reſtringebant; & jus aliqvod Reginæ Svetiæ in iſtas ditiones inde prætendebant. Reſervatum autem ex ultimo capite dicti Fœderis tale erat: *Anteqvam in eventum mortis Ducis Pomeraniæ, futurus ſucceſſor Elector Brandenburgicus conventionem hanc ratam eſſe juſſiſſet, hisqꝫ provinciis liberandis opem tuliſſet; aut ſicubi Electori ſucceſſio ab*

aliis

aliis controverteretur; Regem Svetiæ ejusq́ ſucceſſores ſeqveſtratoria & clientelari, ut vocant, protectione retenturos Pomeraniæ ditiones, donec ſucceſsionis Electoris Brandenburg. negotium plenam ſortiretur determinationem, & Regi à ſucceſſore ſumtus belli rependerentur, atque hæc conjunctionis pactio rata haberetur & obſignaretur. Deinde jus illud Reginæ in Pomeraniam ex occupatione ejus jure belli facta tuebantur: cui ſi concedere ſponte nollent, vim & arma ex propinqvo minari videbantur. Contra iſtæc Elector: *Qvamvis dictum fœdus ſe inſcio nec adhibito percuſſum eſſet, eoqve ad ſui obligationem non pertineret; ſe tamen continuò ei, præſertim ultimo ejus Reſervato* (de qvo paulò ante) *contradixiſſe: qvod à Rege ſolo pactis inſertum, nec à Duce Bugislao, nec Ordinibus Pomeraniæ approbatum eſſet; nec in præjudicium tertii fieri potuiſſet. Se tamen amicam rei compoſitionem qvæſiviſſe; ſed de tempore in tempus ad futuros de ſumma negotii tractatus rejectum & dilatum fuiſſe. Sibi verò non conſtare, unde Coronæ Sveciæ ullus competeret titulus in Pomeraniam: qvæ nihil hoſtile unqvam adverſus Eam attentaſſet, ad qvam Rex Guſtavus defendendam, non opprimendam aut occupandam veniſſet.* Ad qvæ Regina in ſuis ad Electorem literis: *Clauſulam de Pomerania, in dictum eventum reſervanda, à ſolo Parente Ejus fœderi inſertam, nec à Duce & Ordinibus Pomeraniæ approbatam eſſe adfirmare, idem eſſe, qvod negare ſubſcriptionem & ſigillum defuncti Ducis atq́ Ordinum Pomeraniæ, & notam eorum exiſtimationi inurere velle. Parentem autem Ejus Pomeraniam non amico, ſed hoſti, à qvo tunc inſeſſa erat, ademtam, jure armorum occupaſſe.* Ad iſtæc iterum Elector in ſuis ad Regem Daniæ literis prolixè reſpondit; uti ex Actorum hujus anni publicè editorum commentariis liqvet. Cæterum controverſia hinc inde ſatis diſceptata, non prius qvàm communi pace à Cæſare & membris Imperii cum Regina & Corona Sveciæ facta, inter hanc & Electorem Brandenburg. compoſita eſt: dum illi citerior Pomerania, huic ulterior cum ditione Halberſtadienſi in compenſationem attribuebatur, velut ex Inſtrumento pacis videre eſt. Compoſitis etiam utcunqve difficultatibus de ratione adminiſtrandæ à morte Bugislai Pomeraniæ, Bannerius media hyeme in Saxoniam progreditur, adverſus Dænæum Electoris Saxon. copiarum ducem, qvi cum ſuis cohortibus ad Eulenbergam ſtabat, prius iturus, qvam Torgaviam: ne ipſi in ſuo inſtituto remoræ aut obſtaculo eſſet. Sed ille ante dimidium horæ jam à Stalhanſchio, trecentis captis, inter qvos etiam Schleunitzius erat, nec paucis cæſis Torgaviam repulſus erat. Illam claram Miſniæ ad Albim urbem, veterem Electorum ſedem, absqve ſangvine, certis pactis & conditionibus in Sveonum poteſtatem redigit Bannerius, qvinqvaginta uno ſignis captis.

Ean-

Eandem egregiè munit, & commeatu inſtruit: unde hoſti tot excurſionibus non parum incommodabat. Qvin ita ſe in urbe incinxerat & corroborarat, ut vix tota hoſtium vi inde pelli poſſe videretur. Tandem tamen eam relinqvere coactus eſt, ne circumfuſo paſſim ab hoſte omnia victus ſubſidia ipſi abſcinderentur. Lipſiam qvoqve aggreſſus eſt. Qvanvis autem urbs duplici muro, foſſis & propugnaculis cincta, validoqve duarum cohortium, qvæ nucleus exercitus Saxonici erant, præſidio firmata, à Trandorfio impigrè defenderetur; tamen operibus à Bannerio propius admotis & crebris tormentorum fulminibus urbe qvaſſata, & parte muri ad Grimmenſem portam diruta, ſuffoſſisq; cuniculis, jam expugnatio Lipſiæ parabatur; niſi ab hoſte cum triginta millium virorum auxilio ei ſuccurſum fuiſſet. Itaqve hoſti viribus longe majori in tempore & absqve ſuorum (non tamen hoſtium, bis mille ad Pegaviam profligatorum) inſigni jactura cedens, Eulenbergam ad Moldam fl. ſitam ſe recipit, & inde Torgaviam. Interim Phulius hoſtem in Hennebergenſi Comitatu cædit. Hoſtis autem munimentum pontis Wittenbergenſis deſeruerat. qvod, poſtea à Saxone refectum, Svetici per Schlangium & juniorem Wrangel, cæſo præſidio, capiunt. Leslæi qvatuor cohortes ſub Kinchii ductu ad Viſurgim reverſæ ſunt ut iſtic occupata tuerentur, vel in propinqvo ad hoſtis acceſſum eſſent. Ipſe Leslæus cum reliqvis copiis pauliſper ad Torgam ſubſtitit, Bannerio, ſi opus foret, ſubſidio venturus. Poſtqvam verò univerſa Cæſarei & Saxonici exercitus moles XXVI. ductoribus, ſubſeqvuta, per Albim ad Dresdam tranſiens, incubuerat Bannerio & Svetico exercitui ad Torgaviam, animo ſe interjungendi inter illum atqve in anguſtias cogendi; decrevit movere caſtra, iter faciens per Luſatiam ad Oderam, & Landsbergam ad Wartam. In tranſitu diverſæ qvotidie velitationes inter Sveticorum & hoſtium antecedentia ac poſteriora agmina coortæ ſunt. Herm. Wrangelii copiæ diſtribuuntur in Neomarchia metata. qva re, hoſtis ſubductis ei contributionis & annonæ ſubſidiis, Landsbergam deſerit. Cæſarei & Brandenburgici Neoſtadii protribunum opprimunt, cæſo iſtic præſidio, Iidem Oderam trajicientes, idem ad Göritziam & Sonneburgum contra Sveticos in Sternbergenſem ditionem diviſos moliebantur. Sed protribuni Haraldus Stake & Rochavv hoc animadvertentes, in campo cum hoſte concurrunt, id prohibituri; eo ſucceſſu, ut CC. hoſtium, C. noſtratium cæſis, ipſi caperentur. A Kingio tribunus Cæſareus Hermannus Both Boitzenburgi fuſis ejus CXX. eqvitibus, capitur, qvi varias machinationes præcipuè Ratzeburgo, Travemunda, Wismaria & aliis iſtic locis intercipiendis animo

co-

coxerat; niſi prius ipſe interceptus fuiſſet. de qvo inf. plura. Septem Cæſarianorum ſigna ad Viſurgim Stadthagæ à Konigsmarchio cæduntur. Sed Korbergerus Fridbergæ & Montron Dromburgi à Brandenburgicis opprimuntur; qvi etiam Satzika arce potiuntur; qvam Pomerani hactenus proprio præſidio tenuerant. Sed eam Svetici parvo temporis intervallo per Vitzthumium, ob penuriam pulveris nitrati, deditione recuperant. Brandenburgici in citeriori Pomerania ſtativa capientes, veterem arcem Oderbergam, in medio Odera ſitam, præſidiis communiunt, tranſitus iſtic loci tutioris faciendi cauſa. qvod impedire Svetici Stetino excurrentes potuiſſent, niſi penuria victus illis morã feciſſet: cujus qværendi cauſa Prentzlaviam & Paſvvalchiam ibant. Alexander Greiffenklavv (de qvo ſup.) iterum ad Stralſundenſes nomine Cæſaris ſcribit, eorum fidem erga Cæſarem verbis qvidem teſtatam laudans, ſed ad eam re ipſa exſerendam & præſidium Sveticum urbe ejiciendum, hamatis promiſſis hortatur. Senatus populusqve Stralſundenſis, fidei Svedis datæ conſtans, Halleno, Svetico apud eos reſidenti Oratori literarum iſtarum exemplum in Curia oſtendit; ſummopere ſe excuſans, nihil ſibi rei aut communicationis cum iſto homine, diffidentiam inter Sveticos & cives ſerere qværente, eſſe, eòqve à Senatu decretum eſſe, nihil ad ejus literas reſpondere. Herm. Wrangel Paſvvalchiâ movens, Svetam ſe confert animo partem ſuarum virium cum Bannericis adverſus inſeqventem hoſtem conjungendi. Sed ne ſic qvidem hoſti prævalidiori ſatis par, donec plures auxiliares copiæ ex patria transmitterentur; ad tempus cedendi cauſa, Stetinum ſe recipit, & pedeſtres copias in caſtris ante urbem, olim regiis, ſed nunc ita refectis, ut in iis contra hoſtem ſe tueri non vereretur, collocat; eqvites autem recreandi & reparandi ſe cauſa, in citerioris Pomeraniæ ſtativa & metata dividit. At Wrangel, præmiſſo cum aliqvot turmis Stenbockio, ipſe ſubſeqvutus, Anclamiam ſe confert: ut iſtic ad Panem fl. ſita, & ulteriorem Pomeraniã adverſus hoſtilem vim protegeret. In inferiori Saxonia res Sveonum parum ex voto cedunt. Halla ab hoſte recuperatur, & Mauritioburgum obſidetur. Egela & Garlebia Sveticis adimuntur. Sexcenti Haſſiaci Comitatu Pinnebergenſi à ruſticis expelluntur. Rex Daniæ Sveticos & tribuni Fiedvvodii protribunum, CXXX. milites ex Britannia ſecum adducentem, in Albi ægrè tolerat. Cæſar recens electus mandata avocatoria contra Svecos, præſertim Lubecæ & Hamburgi, publicat. Civitas Luneburga urget evacuationem præſidii Svetici; Civibus tumultuantibus, præfectus præſidio urbem deſerere cogitur. Archiepiſcopus Brem. autem ex voto pacta neutralitatis etiam à Cæſare acceperat.

qvorum autographum Salvio mittens, Reginæ ratihabitionem in compoſitione Stadenſi, deſiderabat. In Haſſia ſe Svetici, ductore Kingio, cum Landgravio conjungunt adverſus hoſtem: qvi iſtic ſatis graſſatus, paulum eis cedit. Sed mox firmatis viribus eos ad Viſurgim repellit; qvi Vechtam & Bilefeldam in Weſtphalia hoſti eripiunt. Interim Elector Brandenburgicus paſſim exemplo Cæſaris etiam mandata avocatoria adverſus milites à Svecis conductos publicat, & ſtrenuè exſeqvitur. Sed Svetici, niſi deſiſtat iis, jus talionis & retorſionis ei minantur. Hoſtis, recepta Landsbergâ, in citeriorem Pomeraniam abit, & caſtello Ukermunda, dedente Dromontio, potitur. Anclamiæ verò obſeſſionem, Sveticis appropinqvantibus, deſerit. Iſtic velitatione cum hoſte facta, Turo Oxenſtierna, præcipitante delapſus eqvo, capitur; qvum paulò ante ad Stargardiam, centum hoſtium deprehendens, dimidiam eorum partem fudiſſet, reliqvis captis, & in non unâ occaſione animoſæ virtutis decus, vulneribus etiam adverſa corporis parte acceptis, reportaſſet. Campi Mareſcallus Wrangel hoſtem ad Neobrandenburgum, per filium ſuum natu maximum, Carolum Guſtavum, agmen ſub eo ducentem, & prima virtutis militaris documenta edentem, ſternit, mille profligatis, CCC. captis. Svetici caſtra ponunt ad Loitzam & Demminum: qvæ loca qvum propius diſtarent, inſtar conjunctorum caſtrorum erant: in qvibus hoſtium machinationes magis obſervare, & ſecundum eas ſua inſtituere & conferre conſilia poſſent. Hoſtis ad Demminum ſtationem capit, operibus arci jam admotis; ſed Leonardus Torſtenſonius cum ſuo agmine accedens, eum inde repellit, qvingentis partim fuſis, partim captis; inter qvos Felix de Cuniga, præfectus olim Garziæ, erat. Hoſtis verò Malchinum ſe recipit, inde Wiſmariam, ut videbatur, iturus. At Carolus Guſtavus Wrangel cum M. eqvitum, D. peditum agmine contra aliqvot hoſtiles copias à patre emiſſus, eum ſtrenuè proſperèqve expellit Oſtenâ, Clempenovia, Fridlandia & ad Brookam tranſitu. Qvum Hungari cum aliis Cæſareis in citeriorem Pomeraniam incurſionem feciſſent, Svetici ductore Pfulio cohortem Garaditzkii cædunt. Dromontius trecentos Gartziâ Vierradam miſit, qvi arcem illam occuparent. qvod etiam ſucceſſit, præſidiis aut cæſis aut captis; & inter eos Erico Svenonis, qvi Gartziam hoſti antea prodiderat, eoqve meritâ pœnâ affectus eſt. Sed præfectus nunc Gartziæ, tribunus Bohm, dum venandi cauſa paulum, non ſatis ſibi cavens, excurrerat, qvidqvid forſan ferarum ille animi cauſa caperet, ipſe à Brandenburgicis ſeriò captus eſt. Hoſtis è Ducatu Mecklenburgenſi ductu Gal-

laſſii

laſii movens, ad Tribbeſeſium Kuſſovio & Georgio Behr nobilibus Pomeranis, ei tranſitum & viam monſtrantibus, in citeriorem Pomeraniam advenit. Ibi exploratis etiam per dictos nobiles eqvitatus Svetici ſtativis, primò aggreſſus eſt aggerem Anglico præſidio munitum. Ut verò res minus ſuſpicionis haberet, nec tumultum excitaret, ex ſuis hoſtis tribunum militum Scoticum eò miſit, qvi excubias ſuâ lingvâ allocutus eſt, ſpecie qvaſi amici eas circumventurus. Licet autem Campi Mareſcallus Wrangelius ubiqve ſuos benè vigilare, & ſuas ſtationes ſedulò ſervare juſſiſſet, tanta tamen nuper conductorum Anglicorum ſecuritas & deſidia erat, ut non modò vigilias non bene curaſſent, ſed ne aſſeres qvidem ſuper foſſas loco pontis ſtratos dejeciſſent. qvæ res, etiamſi levis videretur, tamen negligentibus occaſio cladis fuit. Hoſti enim per dictos aſſeres facilis patebat tranſitus, & omni vi hoſtili aditus & impreſſio in Sveticorum caſtra, poſtqvam pons verſatilis à tranſeuntibus aſſeres demiſſus erat; per qvem certatim incurſabant & irruebant primò in Flodvvidicas cohortes, qvarum qvinqve centurias prorſus internecione deleverunt. Inde progreſſi ad Svecos, eos in fugam pepulerunt, præſertim Uplandicos, Oſtrogothicos & Finnonicos, qvatuor ſignis ſtatariis ablatis, & qvotqvot poterant, in fuga trucidatis. Hæc clades, præter antea dictæ militum ſecuritatis & negligentiæ culpam, incuriâ Vitzthumii ductoris accidiſſe creditur: qvi ſolo ſuo eqvitatu nitens, qvo planè impar hoſti erat, ſuum recurſum, etiam aliorum, præcipuè protribuni Bernhardi Taube monitu, ad tormenta & pedeſtres copias in tempore non habuit. Ille verò in Sveciam excuſandi ſuas actiones cauſa abiit. Sed iſtic per annum & ultra detentus, inde clam diſceſſit. Bannerius Stralſundiam abit, iſtic præſidia aucturus. Sed ea tanqvam ſibi prægravia admittere recuſant cives; qvi tandem certum numerum peditum, non verò eqvites, intromittunt. Hoſtiles copiæ in Pomerania pergentes, Loitza, Uſedomia, Demmino, Wolgaſto feliciter potiuntur, partim multitudine ductum perplexorum, & diverſa mandata dantium, partim ignaviâ, inedia & ferme deſperatione præſidiorum: qvum parum ſupereſſet unde viverent, & contra vim frigoris corpora tegerent, ſacculos verò nummorum vacuos domum reportarent. Terra enim Pomeranica penitus ab hoſte devaſtata, exhauſta, inops & nulla erat; noſtrates intra Stralſundiam, Griphisvvaldiam & Anclamiam coacti & concluſi erant; ut hoſtis de rebus Svetiæ jam ferme actum eſſe, crederet. Afflicto ſic Pomeraniæ & militiæ ſtatu, tamen Bannerius animum non deſpondebat, ſed cum DEO, qvatuor vias reparandi ſtatus qværebat, concordiam &

conſtantiam in fide, qva Reginæ obligati eſſent, bonam diſciplinam militarem, ſupplementum copiarum, & erectionem certi granarii militaris. Qvum autem hoſtis viribus longe ſuperior urgere pergeret Sveticos animo interponendi ſe inter Bannerium & Wittenbergium ad Butznitziam vel ad prælium eos provocandi, vel in arctum cogendi cauſa, Bannerius per Luſatiam cum exercitu movit, deinde ad Furſtenbergam in Marchia Brandenburgenſi inter Croſſam & Francofurtum cum exercitu abſqve noxâ per vadum trans Oderam ivit, præmittens chiliarcham Johannem Haderslebium Landsbergam: ut aggreſſione qvadam hoſtium antecurſores ad alterum Wartæ latus diſtineret, donec Sveticæ copiæ tranſiiſſent. qvod aliqvot velitationibus cum hoſte feliciter confectum eſt intra biduum; tertio die Leslæi cohortibus Bannerio accedentibus. Interim verò Bannerius omnem hoſtilem vim trans Oderam prope Cuſtrinum in ſe prolectavit: ubi hoſtis ſe jam Sveticos in anguſtum, & planè ad incitas redacturum, ſibi perſvadebat. At Bannerius mutato tranſitu apud Goritzium inter Cuſtrinum & Francofurtum iterum cum toto exercitu, nullâ offenſus adverſa fortunâ, ſuperavit Oderam, & in ipſis omnium Cæſareæ militiæ præfectorum, numero triginta ſex, oculis, & Electoris Brandenburg. conſpectu præteriit Cuſtrinum urbem, fruſtra tentatam, duobus ſolùm majoribus tormentis, qvæ transvectu difficilia erant, nimiâ diſploſione disruptis; compoſitis tamen ordinibus Ukermarchiam Brandenburgenſem & inde Pomeraniam petivit, & exercitum ſuum in tuta reduxit. Itaqve fruſtra jactarat hoſtis: *Se Bannerium jam ſacco incluſum tenere, nec ullam evadendi ſpem ei eſſe.* Sed Bannerius argutè regreſſit: *Hoſtem oblitum eſſe conſtringere vinculis ſaccum.* Non minor eqvidem Bannerio ſervati exercitus gloria, qvam cæſi hoſtis debetur: cui viribus præpollenti cedere, providi ducis erat; qvemadmodum animoſi, ſi viribus æqvaret hoſtem, acie contendere. Licet autem hoſtis in Pomeraniam ſubſeqveretur, tamen Bannerius, conjunctis ſuis viribus cum Wrangelianis & Haſſiacis, ejus vim ita ſuſtinuit, ut parum detrimenti, niſi in ulteriori Pomerania, nullamqꝫ non cladem, reparabilem tamen, per Jeroskiſſenſem legionem in Paſſevvalchia caperet. Circa finem hujus anni Comes Petrus Brahe in Finnoniam profectus eſt, Generalis, ut vocant, ejus Gubernator conſtitutus. Eam tam probè adminiſtravit functionem, ut ab incolis *provinciæ pater* appellaretur; meru-

meruitqve eundem denuò honorem a. MDCXLVIII. Rebus Svetiæ foris 1638
laborantibus, vix aliud remedium ſupereſſe videbatur, qvàm ut vel tractatio ſeparata de pace cum Cæſare ſuſciperetur, vel fœdus cum Gallo, per traditionem ratihabitionis tandem iniretur, & bellum conjunctis viribus, ad communem pacem obtinendam, continuaretur. De pace cum Cæſare plus verborum hactenus, qvàm certæ ſpei factum erat, Cæſare victoriam perſeqvi ſtudente. Gallus autem attendere ad illud videbatur, qvid animi Reginæ de pace aut fœdere eſſet. Eam ſi cognoſceret hîc animo vacillare, diverſa forſan à prioribus conſilia capturum, & à communi cauſa diſceſſionem facturum, rumor erat. Qvod etſi non ſperabatur, tamen pro intutæ aut incertæ pacis tractatione, magis è re viſum eſt, certi qvid amplecti, & in Gallicum fœdus cum traditione ratihabitionis conſentire, addita conditione faciendæ communis & ſolidæ, qvantum fieri poſſit, pacis: ad qvam ſe qvoqve retulit Reginæ reſponſum ad oblatam Regis Daniæ & Venetorum interpoſitionem. Qvum verò non niſi ex felicibus noſtrarum partium armis pax tandem ſperari, armorum verò difficultas non niſi neceſſariis ac ſufficientibus regni Svecıæ adminiculis ſublevare poſſet, placuit Reginæ & proceribus regni eo fine Ordines regni ad comitia convocare: ut erudirentur de ſtatu tam pacis negotii, qvatenus de eo ſperandum vel deſperandum eſſet, qvàm de belli modo, fortunâ & conditione: & ut conſilia ſubſidiaqve in medium conferrent, qvæ Reginæ ac regno poſſent eſſe exiſtimationi, firmamento ac ſecuritati. Decreto Comitiorum facto, ſignificarunt Ordines regni, *qvomodo ſatis perceperint potentium patriæ hoſtium periculoſas machinationes: qvam avidè Domus Auſtriaca ſitiat qvæſitum dominatum, atqve extinctionem lucis Chriſtianæ & Evangelicæ religionis, in Svetiâ Dei miſericordiâ feliciter accenſæ.* Deinde conqveruntur Ordines, *qvod maxima pars veræ religionis ac fœderis ſociorum in Germania adeò oblita ſit promiſſi & obligationis erga inclytæ memoriæ Regem Guſtavum Adolphum, qvi tam promtè ſangvinem ſuum pro eorum ſalute profudiſſet, atqve erga Reginam & regnum Svetiæ; qvin propriæ & Eccleſiæ patriæ felicitatis parum memores ſint: ut pacem cum Cæſare facerent, inconſultis Regina & Ordinibus regni; nec id ſolùm, ſed etiam conjungerent arma ſua cum hoſtibus adverſus Svedos, & remunerarentur eorum beneficia, fœdera & amicitiam non meritâ inimicitiâ, &, qvod potiſſimum juſtâ qverelâ dignum eſſet, non promtum irent, ſed magis impedirent honeſtas pacis vias, & extorqverent Reginæ ac Sveonibus arma adverſus ſeipſos. Sed qvia hæc faciliora qveſtu qvàm mutatu ſint, Deo & tempori committenda; nullam interim occaſionem honeſtæ compoſitionis intermittendam eſſe.* Cæterum qvum hoſtium

periculoſæ molitiones, conſilia, vires & actiones majora continuandi belli; quam ineundæ pacis indicia præ ſe ferant, rationem & ipſam neceſſitatem ſvadere, ut cogitetur de efficaci armorum oppoſitione, quâ defenſionis via eò melius arripiatur & hoſtis ad tolerabiliores & honeſtiores pacis conditiones flectatur. Idcircò viſum eſt è re fore, & communi conſenſu approbatum, ut domi foriſqve vires belli juſti exercitu corroborentur, tàm per conſvetum domeſticorum militum delectum qvàm conductionem militum indigenarum & extraneorum, item procincta armataqve claſſe & reliqvo apparatu militari, annonâ & cenſu ex pecoribus, ſegete aut pecunia. Rex Daniæ à Svetiæ Regina ceſſionem urbis Wismariæ pro Ducibus Meklenburg. ut eam præſidiis munirent, deſiderarat: *ob oculos poſito periculo ac diſcrimine regnis Septentrionalibus impendente, ſi extraneus aliqvis monarcham accommodo ad mare Balthicum portu potiretur: qvod Cæſar & Rex Hiſpaniæ jam dudum qvæſiviſſent.* Regina *rationem periculi non qvidem inficias ibat: hanc enim inter alias fuiſſe cauſam belli Sveo-Germanici: qvum compertum eſſet, ibi ab hoſte fundamentum turbandi mare Balthicum & Arctoa regna poſitum eſſe. Sed conſilium de cedenda dicta urbe & portu ad ſuum præſidium ac firmamentum, Ducibus Meklenburgicis proficuum fore, ſe, perpenſis omnibus circumſtantiis, videre non poſſe: qvum Duces ad hoc usqve tempus de ſuis regionibus nondum per omnia certi ſecuriqve eſſent; ſed qvidqvid Cæſar illis imponeret, ſeqvi, & ejus juſſis obſeqvi cogerentur. Imò accidere poſſe, ut ad tempus à Cæſare de eo per ſatisdationem confirmarentur; ſed ſimulac occaſio ſe oblaturæ eſſet inſtitutum ſuum promovendi, Cæſareis non defore cauſas hoc excuſandi; velut Ducum ipſorum & Pomeraniæ antea exempla ſatis teſtarentur. Nec eſſe qvod qvis putaret, etiamſi mutarentur tempora, ideò conſilia & propoſitum in aula Cæſarea & Hiſpanica commutatum iri. Præter hæc Reginam adhuc aſſiduo bello implicatam eſſe, nec ſolum Cæſaris, ſed, qvod indignius, propriorum fœderis ſociorum deſciſcentium perſecutione, in armis perſiſtere cogi: proinde abſonum fore, ſi, rebus ſic ſtantibus, per ſpecioſas qvasdam pollicitationes & cautiones ea, qvæ in manibus teneret, dimitteret, aut deditâ operâ in anguſtum ſe compelli permitteret, qvousqve opportunitates ſuas conſervandi facultatem haberet; donec bono Deo hujusmodi conſilia ab omni parte ſuppeditare placeret, qvæ ad hoc bellum bono fine terminandum idonea eſſent. Qvid Ducum præſidia Reginæ & Coronæ Svetiæ profuiſſent, Roſtochium urbem, à laudatiſſimæ memoriæ Rege illis ſponte ceſſam, recenti exemplo eſſe.* His rationibus Regina circa finem addebat: *ſibi vitio vertendum non eſſe, ſi commoda ſua in hoſtis emolumentum è manibus dimittere non poſſet, anteqvam videret, hoc jure tutoqve fieri poſſe.* Simile ferme qvid de munimento Warnemundenſi, in portu Roſtochii à Sveticis ex-

ſtructo

ſtructo Rex Daniæ deſiderarat, *nimirum ut illud ſolo æqvaretur, & vectigalia iſtic tollerentur: qvum Cæſar majorem partem iſtius terræ jam poſſideret, & munimentum contra majorem vim defendi non poſſet. Si verò Cæſarei illud occupaturi eſſent, haud dubiè id firmaturos, vectigalqve aucturos: eo commercia in mari Balthico non parum turbatum iri.* Ad hæc reſponſum eſt: *Etiamſi munimentum illud forſan non validiſſimum contra omnem vim hoſtilem eſſet; tamen hoc in conſiderationem venire, ut ſi propter hujusmodi reſpectum poſſeſſa loca cedenda eſſent; aliud atq; aliud citò periturum. Qvod ad vectigalia attineret, ea præcipuam partem fœderis cum Duce Meklenburg. initi ſancteqve ſervandi fuiſſe. qvæ qvoad fieri poſſet, & belli necesſitas reqvireret, in ſuum uſum convertere, conſultius viſum eſſe, qvam in uno vel altero capite remittere. Accedere & illud, qvod, ſi Warnemundenſe munimentum aliqvo caſu in manus Cæſaris veniret, illudqve is tueri poſſet, vix dubitandum ſit, unà cum munimento etiam vectigalia uſurpaturum & pro lubitu aucturum, ſive Regina diutius retineret, ſive prius remitteret. Proinde hujusmodi abrogationem vectigalium irritam & absqve effectu fore.* Qvæ porrò de hac re agitata fuerint, ſuo loco & tempori ſervabimus. In Germaniâ fœdus Sveo-Gallicum cum Legato Regis Galliæ Comite de Avaux conſummatum ire, Regina Legato ſuo Salvio in mandatis dederat. Sed illud negotium non unæ difficultates remoratæ ſunt. Qvum enim Salvius nomine Reginæ, ſolennem belli denunciationem à Rege Galliæ adverſus Cæſarem & ſocios ejus, ut hoſtes, inſtituendam eſſe urgeret, legatus Gallicus eâ opus eſſe negabat: qvod Rex ejus jam per biennium in bello contra Cæſarem verſaretur. Tandem tamen utrimqve in hæc verba Fœderi inſcribenda, conveniebatur: *Decretum eſſe* (bellum) *ſic ut non ſolùm ad Regem Galliæ, ſed etiam Reginam Svetiæ reſtringeretur.* Præterea Salvius inſeri Fœderi numerum auxiliarium Regis Galliæ copiarum, & modum belli ad Rhenum à Rege Galliæ gerendi deſiderabat: cum onus belli in Germania præcipuè Svecis incumbens, per imperfectam & remotiorem Bernhardi Ducis diverſionem hactenus parum ſublevatum eſſet. Legatus Gallicus prætexens hic defectum mandati, rem iſtam melius Pariſiis tractari poſſe, ait; aut ſi Fœderi illud qvoqvo modo inſerendum eſſet, à Svetica parte idem præſtandum eſſe: in qvo tandem convenere. De cautione utriusqve religionis ſociis dandâ licet antea in pactis Wismarienſibus actum eſſet, tamen id legato Gall. nunc expreſſius gratificari viſum eſt. Utrinqve ergò placuit in fœdere ponere: *Catholici & Proteſtantes.* De tempore Fœderis, de ſubſidio nummario, terminis ſolutionis, & loco tractandæ pacis aut induciarum etſi variè diſceptatum, tandem tamen conventum & concluſum eſt, reſer-

vata

vata à Salvio ratihabitione Reginæ. Ipſius Fœderis formula ex Actis publicis liqvet. De pace tractatio à Cæſare Ducibus Saxo-Lawenburgicis, & delegato ſuo Comiti Curtio, Hamburgi, Lubecæ aut Luneburgi inſtituenda commiſſa; ſed Salvio nomine Reginæ ad communis pacis negotium peragendum, qvod Fœderi ſociorum conſentaneum eſſet, provocante, tunc ceſſavit. Cæterum ad ſeriem rerum militarium revertimur. Exercitus Sveticus, & qvidem eqveſtris ad Ihnam prope Stargardiam & Saganam, pedeſtris ad Wollinum hactenus contra hoſtem vigili curâ ſtabat. Nunc autem in hibernacula dimittitur, etſi ſatis exhauſta; præterqvam qvod commeatus & pecunia deficerent; de qvibus tamen exercitui ſpes facta eſt; nec minus Banerio de ſupplemento eqvitum, peditum, armorum & claſſis; qvum ejus conſilia bellica tam ad offenſionem, qvam defenſionem ſpectarent. Erfurdienſis civitas ad Campi Mareſcallum Banerium ſcripſit in hanc ſententiam: *Qvum præfectus urbi Goltzius cum hoſte per Ducum Saxoniæ interpoſitionem, qvædam tractandi poteſtatem urbi facere detrectaſſet, & omnia ad dominorum ſuorum arbitrium & mandatum remiſiſſet, inde occaſionem ad Campi Mareſcallum ſuas literas dandi ſumſiſſe, petentes ut Goltzio hujusmodi mandatum dare velit, qvo permittat Civitati, ſtantibus adhuc induciis, de negotio religionis aliisq; urbis privilegiis ac juribus amicam cum hoſte transactionem tentare; ſed non aliter, qvam ſub Reginæ aut Campi Mareſcalli ratihabitione.* Campi Mareſcallus ex Erfurdenſium literis, qvidqvid etiam coloris eis obductum irent, non aliud colligere poterat, qvàm qvod peculiarem cum hoſte compoſitionem, & à Coronâ Svetiæ defectionem affectarent: qvum in eo Reginæ ratihabitionem deſiderarent, qvod nunqvam approbatura eſſet, & qvod jam per aliqvot annos ob ſuum & ſociorum commune emolumentum, ex juſto zelo adverſus injuſtitiam, oppugnaſſet, nimirum hujusmodi ſingularem, inconſtantem & intutam pacem. Remiſit ergò eos ad compoſitionis pacta ante cum Regina ab ipſis inita, & regia promiſſa: *eorum beneficio, per communem pacem, civitatis ſaluti & ſecuritati ſatis conſultum & cautum iri. licet autem nunc aliqvanto remotioribus armis Sveticis, eorum protectionem tamen haud neglectum iri.* Ad animum porrò illis revocabat *occultam inimicitiam. qvam Electores Moguntini & Saxonici aliiqve vicini Principes à tot annis contra illos & civitatis privilegia geſſiſſent: qvorum arbitrio ſi ſe permitterent ac ſubjicerent, ipſos comperturos, unum atqve alium (qvò omnes æqvè adſpirarent) non tam facile ad libertatem recuperandam eis viam aperturum, nec admiſſos ſemel hoſpites tam proclivi negotio dimiſſum iri, qvàm cum Svetico præſidio faciendi animum habere poſſent. Iisdem ob oculos juxta ponebat recens exemplum civitatis Luneburgenſis, qvæ fractâ*

compo-

compoſitione, nihil aliud effecerit, qvàm ut privilegiorum & immunitatum ſuarum, qvas tot annis adverſus Duces tuiti erant, ſimul & ſemel jacturam faceret, & libertatem ſuam in ſervitutem qvandam commutaret, nec ſpem ſe iſto jugo ſubducendi haberet. Temere ipſos ſibi perſvadere, eorum privilegia tàm in eccleſiaſticis qvàm civilibus alio modo qvàm communi pace in ſolido conſervari poſſe: qvò etiam arma Svetica ſociaqve ſedulò conniterentur. Præfectum urbi Goltzium & protribunum Banerius qvoqve per literas monuit, *civium animos ad deſperationem fortè proclives erigere. Si verò præter omnem ſpem eò inclinarent, in tempore eos Cyriacoburgum inſidere jubet, & contra qvosvis fideliter defendere, nec ulli, niſi extrema neceſſitate urgente, cedere. Ipſos enim, ut ſtrenuos viros ac milites ſcire, militibus qvidem prævalente vi aliqvid abripi poſſe; ſed ultrò cedere, nec utile nec decorum eſſe. Idcircò præſtare, pro talis loci defenſione ſummopere dimicare & contra affectantem eum tot impenſas & capita, qvot opus fuerit, periclitari, maximoqve emere pretio, qvàm vili & indignâ ceſſione vendere.* Per hanc hiemem hoc ſolum in præſenti bello peractum eſt, qvod Banerius reputans omninò neceſſarium, ob conjunctionem inter ſe & Wrangelium, ac ſecuritatem influxus maris in Schvvinam, inſulam Uſedomiam poſſidere; munimentum ejus ex adverſo Wolgaſti ſitum, præſidio inde expulſo, capit. Contra hoſtis Gartziam Dromontio ob imbecillitatem præſidiorum, eripit: qva re motus Banerius, vicina loca magis firmavit. Legatus Sveticus Steno Bielke, poſt ſex hebdomadarum morbum Stetini deceſſit, in æde ſacra Upſaliæ primaria terræ mandatus. Dum vixit, non ſolùm inſigni peregrinatione, atqve variâ eruditione, ſed etiam peritia rerum civilium ac militarium, prudentia & dexteritate munus ſuum adminiſtrandi verè illuſtris: qvod tot inſignium actionum documentis ſatis teſtatum fecit; adeò ut Guſtavus Magnus ipſe de eo prædicaret: *ſi Rex & regnum Svetiæ Axelio Oxenſtierna per mortem orbaretur, non qværendum eſſe alium, qvàm hunc illi dignum ſucceſſorem.* Rerum autem militarium & politicarum in Germania cura Johanni Banerio à Regina credebatur; adjunctis ei Legato Salvio Hamburgi degente Lilliehök & Axelio Lillie vicaria gubernatorum citerioris & ulterioris Pomeraniæ operâ fungentibus. Hoſtis in Ducatum Meklenburgenſem iterum movens, iſtic crudeliter graſſatur: incolas omnibus fortunis exuit; rerum inopibus aures, nares & lingvam præcidit, qvi vitâ privari præoptaſſent. Exſpoliato Ducatu, in inferiori Saxonia hiberna capit. Anteqvam verò in ea diſtribueretur exercitus Cæſareus, Gallaſſius auctor fuit munimentum Warnemundenſe obſidendi Sveonumqve manibus eripiendi. Qvo propoſito qvater mille, ductore Vitzthumio de Eckſtedt, eò miſit. qvod ſimulac præfectus Wismariæ

accepit, qvinqvaginta milites confeſtim ad firmandum iſtic præſidia ire juſſit; & Bannerius adhuc plures eò deſtinavit; ſatis gnarus in hoc munimento non parum momenti eſſe: qvippe ſi hoſtis eo potiretur, illum aliqvot mille viros in naves ad Roſtochium ſtantes ſubitò conjicere poſſe, qvibus in inſulam Rugiam, aut littus maris inopinatam incurſionem faceret. Uti verò prius ſubſidium nimis exiguum erat, ita poſterius non tam repente, qvàm neceſſitas poſtulabat, expediri poterat. unde capitaneus loci Stiggo Arvidi, qvum hoſtis eum XV. tormentis & pluribus ignitis globis vehementer infeſtaſſet, propugnacula diverberando prorſus dejeciſſet, munimentum diutius tuendi planè impotens illud dedere coactus eſt. etiamſi hoſtis ipſius teſtimonio viriliter ſtetiſſet, ſexaginta hoſtium cæſis & ipſo Vitzthumio. Erfurdia, cupidè qværens liberari Sveticis præſidiis; prætendens, alendi milites ſubſidia deficere; & qvod vigore pactorum urbi contra hoſtem in tempore ſuccurrendi nulla ſpes à Sveticis apparere videretur. Bannerio autem fideliter urbem à tam male conſulto propoſito dehortante, tamen inclinat in partes Saxonicas, & cum hoſte tractatum it. Landgravia Haſſiæ inducias qværit ſecuritatis ſui ſtatus cauſa, accipitqve. Ramſæus pro tradenda Cæſari Hanovia, præter alia, promiſſos ſibi qvinqvagies mille daleros unciales, Edinburgum ad uxorem ſuam transmittendos, unà cum uſuris ad moram ſolutionis à Cæſareis exigebat; nec minus refuſionem pro bonis ſoli ſibi in Ducatu Meklenburgenſi donatis, ſi qvid difficultatis eo nomine apud Ducem interveniret qvod à Cæſare literis exprimi volebat. Dum in his tractandis nimis ſcrupuloſus, lentus & ad rem attentus eſt, Hanovia repentino inſultu Moguntiacorum & Francofurtenſium ſub ductu Comitis Ludovici à Naſſow Dillenburg. & tribuni militum Metternichii per vadum fl. Kintzig & foſſam tranſeuntium urbemqve invadentium, fruſtra renitente Ramſæo, vulnerato captoqve, recuperatur. Ipſe verò Ramſæus Dilleburgum deducitur, & in gravem cuſtodiam traditus, in eadem obit. Exemplum ejus qvod Poeta dicit,

Victa eſt ſapientia lucro;

licet ſpes lucri cum defuncto exſpiraret. Ducis Weimarienſis Bernhard felix erat ſucceſſus ad Rhenum, occupatis partim vi, partim dedition Laufenburga, Rheinfeldia, Friburgo Brisgoviæ; præcipuè Briſſaco Alſatiæ (de qva urbe inf. plura) profligatis inſuper hoſtibus & plerisqve militiæ præfectis vel cæſis, vel captis; qvorum præcipui erant Dux Savillius, Johannes de Werdt, Speerreuter & Enckefort, & XLII. vexilli

& XII

& XII. ſignis hoſti abſtractis. Toties iterata tractatio de pace, toties in irritum recidit, Cæſare & Rege Daniæ Salvio peculiarem offerentibus pacem, at Svedis hanc pro ſuſpecta habentibus, & univerſalem, qvam vocant, cupientibus, & qvidem cum conſenſu fœderati Regis Galliæ, ſimilem pacem urgentis. qvem etſi Cæſar ad hoc negotium admittere renuebat; admiſſus tamen eſt. Rex Daniæ aliqvot militares naves ad Warnemundam collòcat, prohibiturus aut averſurus, ne qvid hoſtile ex portu loci in mari oriretur. Mox eò qvoqve cum aliqvot navibus armatis accedit Danicus Admiralius Severinus Gabrielis, nomine ſui Regis cupiens pro Danicis libera commercia cum Roſtochienſibus, & immunitatem à vectigali. qvod ſi denegaretur, in mandatis habebat, Regis ſui ſubditis portum vi aperire, eosqve protegere. Bannerius, hoc cognito, dum confert lucrum vectigalis à Danis percipiendum, cum damno ex hoſtilibus actionibus, ſi erumperent, utrimqve metuendo, certò ſibi perſvadet; Reginam iſtud lucrum præ detrimento hoſtilitatis nihili facturum, & tàm remiſſionem vectigalis, qvàm ingreſſum portus permiſſuram; donec Deus Warnemundenſe munimentum recuperandi fortunam largiretur. Itaqve navibus & mercibus Danicis immunitatem à vectigali concedit, cum conditione tamen certificationis, ut vocant, à vectoribus exhibendæ, Danicas, non alias peregrinas merces eſſe, & illæsâ exiſtimationis Reginæ & Coronæ Svetiæ famâ. Inde progreditur ad inſtaurandum aulicum & civilem Pomeranorum ſtatum; qvi, etſi difficulter, Sveticam juriſdictionem agnoſcunt. Kingio conjunctionem armorum cum Haſſiacis, ſed non niſi poſt finitas inducias, ſvadet. Holſatia & Bremenſes redimunt à Cæſareis immunitatem à metatis, qvanta vi pecuniæ poſſunt. Rex Daniæ, per filium ſuum naturalem Comitem Chriſtianum Ulricum Gyldenlow, & oratorem ſuum hic reſidentem Petrum Wibe, denuo pacis negotium promoveri deſiderat, remoræ culpâ in Reginam & proceres regni conjectâ. qvam à ſe removent, & in hoſtem rejiciunt, deſiderium honeſtæ tutæqve pacis iterum teſtificantes. Fœdus Anglicum, Reginæ per Legatum Thomam Row oblatum, non eſſe repudiandum, in Senatu ſtatuitur; prius tamen, qvando, qvomodo & qvibus conditionibus acceptandum ſit, perpenſo. Cancellarius Reginæ nomine Legato reſpondit: *Si Legatus religionem, communem cauſam, Germanicam libertatem, reſtitutionem oppreſſorum Imperii Ordinum, præſertim Electoralis Domus Palatinæ, vicinorumq́ Principum ac Rerumpub. ſecuritatem ſeriò qværeret, neceſſarium fore tale Fœdus, qvod omne emolumentum ac detrimentum, lucrum, onus & periculum æqva lance*

inter omnes ſocios diſtribueret: ut arma pariter ſumerentur & pariter communi bono ponerentur. Hoc modo omnem diffidentiam ſublatum iri, & brevi pacem æqvam, honeſtam & tutam ſperandam eſſe. Si ſecus fieret, hujusmodi fœdus multis ſuſpicionibus & difficultatibus obnoxium fore, nec optati fructus ſcopum aſſecuturum. Elector Palatinus ad Reginam miſit, *expetens, in tractatu pacis Lubecæ, ut ferebatur, propediem inſtituendo, ſui & plenæ reſtitutionis Domus Palatinæ qvoqve rationem haberi;* ſimul hac occaſione Reginæ obtulit *conjunctionem armorum.* Ad prius aſſentiendo à Regina reſponſum eſt, ſed cum amico monito, *ut Princeps de uſurpatione ſui tituli ejusqve modo prius cum amicis communicaret: ne ea res compoſitioni impedimento eſſet.* Poſterius, cum Principis Legatus de eo plenam agendi poteſtatem non haberet, ad Salvium de conferendis utrimqve fœderis conditionibus, remiſſum eſt. In negotio pacis cum Cæſare iterum diſceptatum eſt de præparationibus ad eam, nimirum de delegatorum inſtructione, tuti itineris literis, die conventus, & aliis hujusmodi, ſed exiguo cum fructu. Bannerius in Pomerania, accepto ex Svetia militum ſupplemento, Gartziam adit expugnatqve; ſed ne hoſtes in ea ulterius nidificent, demolitur; ut & mox Marvvitzianum caſtellum. Inde pergit in citeriorem Pomeraniam,& cum univerſo exercitu Anclamiâ,in qva Ericum Stenbock cum ſua legione reliqverat, abit Loitzam, eâqve haud difficulter potitur, ut & Tribſeſia ac Damgarto. Hoſtis adverſus eum tendit; nec ille conflictum cum eo abnuiſſet, niſi victus penuria, & præſertim eqvorum morbus ac internecio obſtaculum illi injeciſſent. Erfurdia in victum duorum menſium pro Sveticis conſentit. Præſidia Wiſmariæ excurrunt adverſus Cæſarianorũ cohortem chiliarchæ Schrackenbergii,eamq; ad Grefsmulam campo cedere compellunt. Schlangius Wiſmariam à Bannerio mittitur cum D. eqvitibus, ad incommodandum pro viribus hoſti, & præcludendum commeatum. Ille in hoſtile agmen, inter Perlebergã & Neoſtadium incidens, illud ſic excipit, ut pauci ſalvâ cute evaderent. Arx Wolgaſtum deditione in Sveonum poteſtatem venit.Hoſtis fame cogitur ſtativis ſuis excedere; qvem Bannerius perſeqvutus,ad Havelam usq; fugat. Conjunctio Palatinorum militum cum Sveticis ductore Kingio facta magis noſtratibus nocumento,qvàm commodo fuit: qvum Palatini milites maximam partem ex Hollandis, moleſtiis itineris & inediæ non adſvetis, conflati, dein alii atq; alii dilaberentur & in patriam refugerent. Dux Bernhardus, hoſte cæſo, Kentzingam occupat, & Briſacum urbem gravi obſidione premit, præſertim fame intus pugnante. Arnhemius, Holmiæ cuſtodiæ in arce incluſus,

ſus, dolo elabitur. Morbum enim ſimulans, interea pro duobus ſuis miniſtris, qvaſi in Germaniam à ſe mittendis, literas commeatus impetravit, qvibus pro ſe uſus eſt: poſtqvam, convivio in arce celebrato, & qvibuslibet hilaribus, ille tanqvam ebriorum unus per excubias erupit, & parato eqvo ad Daniæ fines evaſit. Rex Daniæ in peragendo pacis negotio, ſtudii partium à Svecis magis magisqve ſuſpectus habitus eſt: qvum non ſolùm alii in aula Danica, ſed ipſe Rex in ſermone hæc ex impatientia effudiſſe ferretur: *Se tamdiu Gluckſtadii pacis conciliandæ cauſa cum tædio deſediſſe, ut ei magis ferendo non eſſet. Satius fore, ſe arma qvoqve tandem capeſſere, qvam ſic deludi. In Svecia non niſi ſenes, mulieres, puerosqve ſupereſſe; non itaqve eſſe, qvod tam arroganter de ſe ſentirent.* Præter iſtæc, Cæſaris actiones ſcripto velut juſtas pronunciarat, & omnem protractorum tractatuum culpam in Svecos conjecerat. Unde illi, qvaſi pacem nollent, paſſim male audiebant. Non aliter ergo poterat Salvius, qvin nationis ſuæ, præſertim Regium nomen à calumnia brevi ſcripto vendicaret. qvod tamen non ut Legatus, ſed amicus ad Comitem Pentzen & Secretarium Danicum Klain miſerat; ut ſi qvid fortè diffidentiæ inter Sveones & Danos enaſci poſſet, hi tanqvam præcipui miniſtri eam averſum irent. Literarum Salvii mens hæc erat: *Qvò minus honeſta, tuta, tranqvilla, ſolidaq; pax Germaniæ hactenus reſtituta eſſet, nullo modo per Reginam & Coronam Svetiæ, ſed per adverſam partem ſtetiſſe. Qvidqvid enim ab illis cupitum eſſet, ſive mandata, ſive fidei pub. literæ, ſive tituli eſſent, & qvæcunqve alia absqve majori præjudicio fieri potuiſſent, ipſos absq; temporis diſpendio ita præſtitiſſe, ut adverſa pars ne minimum qvidem in iis deſiderare potuiſſet. Contra qvidqvid illi concupiviſſent, etiamſi coram toto mundo tam juſtum ac æqvum fuiſſet, qvàm qvidqvam eſſe poſſet; tamen per varias & novas eluſiones vel denegatum vel dilatum fuiſſe.* Ad hoc probandum oſtendebat ordine, *qvid in Cæſareis fidei pub. literis adhuc deſideraretur. Ex qvibus eluceſceret, qvod adverſa pars hactenus ſe non tam bene explicuiſſet, nec omnes motos ſcrupulos ita ſuſtuliſſet, ut illa adeò purgaretur. Corona verò Sveciæ culparetur, præſertim in iſtis, de qvibus utriusqve Coronæ* (Sveticæ & Gallicæ) *Legati adhuc ulterius deliberandum cenſerent, anteqvam ex hujuſmodi fundamentis certum tractandi tempus præfiniri poſſet. Eos potius confidere, Regem ſecundum adeò illuſtratum regium ſuum intellectum per ſe dijudicaturum, qvia non illi, ſed adverſarii ſuper tot diſceptationibus novas ſubinde difficultates injicerent, aut veteres in medium rurſus producerent, illos nondum ſerio ad honeſtam & tutam pacem adſpirare; ſed inſtitutum ſuum & emolumentum cum incommodo atq; turbatione Europæorum regnorum promotum ire.* Inſuper petebat à Rege Salvius, *non ſiniſtri*

qvid inde ſuſpicari, qvod adhuc qvædam dilatio deſiderabatur, ſed regia ſua au-ctoritate rem ita diſpenſare, ut ſingula impedimenta ſemel removerentur, atqve ita ad princeps negotium, Dei ope, cum ſpe felicis eventus accederetur. In ſecundis li-teris excuſabat primas: ſuam mentem non fuiſſe, ut Regi contradiceret. Dein ſubjungebat: *qvod Regis Daniæ nomine à Cæſare deſideratum eſſet, ab eo præſti-tum, qvod verò Reginæ & Coronæ nomine qvæſitum eſſet, parum impletum fuiſſe.* Tandem Regem rogabat, *ut ſibi non imputaret, qvod negotium pacis nunc ali-qvantò tardius procederet, qvàm ſi Regina & Corona Sveciæ ſolæ fuiſſent, & liberas manus habuiſſent. Spem tamen faciebat, ſe cum Legato Gallico diligenter actu-rum, ut conjunctim negocium illud feſtinaretur; de qvo ulterius Regem prima oc-caſione certiorem facturus eſſet.* In Weſtphalia Kingio liberatio Vechtæ ab hoſte obſeſſæ à Banerio commendatur, ſed improſpero ſucceſſu. Banerius autem aliqvot hoſtium turmis cæſis, Perlebergam occupat. Illi deſertis ca-ſtris, in hiberna diſcedunt. at Banerius in Ducatu Mecklenburg. metato-rum cauſa ibat; à qvibus Sverinum, Guſtrovia & Boitzenburgũ, aulæ Prin-cipum liberæ erant: qvod annonam ſuppeditarent, qvantam devaſtatio terræ permittebat. In eundem Ducatum movet hoſtis eodem fere tem-pore, qvo Banerius Warnemundenſe munimentum adoriri qværit: qvod Carolo Guſtavo Wrangel in mandatis dederat. Ille, qvam citò cum ſuis copiis poterat, iter eò faciens, ubi acceſſit, nudum reperit munimentum, a-vectis inde per naves Roſtochienſes Cæſareis præſidiis, & ſedecim tormen-tis, qvæ Svecorum erant; ſed cives ab hoſte ſe emiſſe ferebant. nec illud modò, ſed etiam à Roſtochienſibus munimentum incenſum deprehendit; qvod ſi unius diei ſpatium habuiſſent, ſolo prorſus æqvaturi erant: ſic in-ter Regem Daniæ, Gallaſſium & cives convenerat. Banerius illud gravi-ter Civitati per literas exprobravit, tanqvã hoſtile facinus & ultione dignũ. Sed à Sveticis occupatum munimentum, ſecuritatis maris Balthici tuendæ cauſa, refectum eſt, præſidio ducentorum impoſito. A qva re qvum Rex Daniæ Bannerium ob ſuperius allatas rationes, dehortaretur; ille tamen ab inſtituto ſuo, vigore accepti mandati, abſterritus non eſt. Scripſit in-ſuper Rex Daniæ ad Campi Mareſcallum pro Ducibus Brunſvic. & Luneb. *ne velit eos, qvi ſocia cum Svedis arma pro communi religione & libertatis reſti-tutione tam fideliter ante geſſiſſent, eorumve terras metatis onerare; id intereſſe qvietis & iſtarum & vicinarum provinciarum, ne funditus exſcinderentur:* Re-ſpondet Campi Mareſcallus: *Etiamſi graves cauſas haberet Ducibus non par-cendi, ex qvo pace Pragenſi accepta, Svetica arma vel impediendi vel premendi occaſiones qvæſiviſſent; ne tamen penitus hoſtiles partes amplecterentur, illis neu-*

tra-

neutrarum partium conditiones obtuliſſe. Bannerius, annona deficiente excedit Ducatu Meklenb. Albim prima occaſione, qvum frigore concreviſſet, tranſiturus. Lilliehök oppidum Ukermundam expugnat, arcem deditione capit. Conventus Circuli inf. Saxoniæ Luneburgi à Cæſare non ſolùm permittitur, ſed etiam poſcitur, Principes & Ordines Imperii bello cum Svecis implicandi, ut ſperabat, cauſa. Sed à Principibus & aliis Imperii membris eo prætextu inſtituebatur, ut ſe neutri partium diſſidentium adjungendo, de modis defenſionis conſultarent: re ipſa verò, ut ſi ab oneribus publicis & tot difficultatibus ac malis belli non prorſus liberari poſſent, tamen de modis ea allevandi cogitarent. Bannerius autem, tuta eis ac pacata conſilia ſvadens, ad dicti conventus Collegium in hanc mentem ſcribit: *Qvid mali Pax Pragenſis publicè privatimq́ pepererit, in comperto eſſe, nimirum qvod Evangelicæ religionis & Fœderis ſocii ac fideles vicini in conſpectu veræ religionis hoſtium, cum ingenti eorum lætitia & commodo, ſe ipſos ſummè perſeqverentur, ſangvinem ſuum inter ſe, velut undam, effunderent, & in proprio ſuo incendio, cum tot millium animarum gemitu, ſeipſos comburere & conſumere cogerentur. Idcircò monentur hanc calamitatem in ſuo conventu ponderare, & à pacis oſoribus ignem non magis ſuſcitari, nec qvod majorem Evangelicorum animorum exacerbationem concitare poſſit, ſibi perſvaderi pati; in conſcientias ſuas potius deſcendere, & ea conſilia ac decreta complecti, per qvæ Svetica & ſociorum arma, tam iniqvè hactenus offenſa, non tam hoſtiliter porrò tractentur, & inimicorum parti nullo modo auxilia præſtentur; ſed potius vetus ac bona confidentia atqve amicitia poſtliminio revocentur & conſerventur: ut ad ſcopum tamdiu optatæ, ſinceræ, conſtantis & Chriſtianæ communis pacis propior acceſſus fiat, & reipſa obtineatur. Hoc ſe ideò illis ſignificatum voluiſſe, ut, in omnem caſum expeditionis ſuæ militaris, qvomodo ſe erga unum aut alium Principem aut ſtatum gerere debeat, ſcire poſſit, nec ex errore aut imprudentia alicui qvid iniqvitatis adferat.* Legatus Sveticus Salvius, & Gallicus de Avaux literas ad idem Collegium pari ferme ſententia ſcripſerunt, admonentes, *ne ad hoſtilia contra Fœderatos Reges ſe permoveri ſinerent; ſed eò potius contenderent, ut, hujuſmodi impedimentis è medio ſubmotis, verum & ſolidum fundamentum ad honeſtos tractatus aliqvando poni ac ſtabiliri poſſet. aut ſi uni parti accedere conſultum ducerent, arma ſua potius cum Germanicæ libertatis vindicibus ac propugnatoribus conjungerent, & per hæc communem hoſtem ad æqvitatem perducerent.* Erfurdia qværit continuationem induciarum, ad reſpirandum ab oneribus belli. Negotium pacis cum Haſſia concluditur usqve ad ratihabitionem Cæſaris; etſi Landgravia adhuc tergiverſabatur, & expreſsè ſibi reſervabat, ut ſi ratihabitio in capite religionis, eo modo, qvo ab

ejus

ejus parte concepta erat, non ſubſeqveretur, eam poſſet non acceptare, qvod per delegatum ſuum Vultejum Salvio ſignificari fecerat, hoc addito: *Qvod ſi ratihabitio rectè ſe haberet, non poſſit reluctari, & qvod velit excuſari tanqvam fæmina, qvæ ab Ordinibus ſuis ad hoc perſvaſa & penuriâ neceſſariorum coacta eſſet.* In Weſtphalia Kingius, cætera ſtrenuus & felix, cum Palatinis & ſuis parum feliciter agit: Lemgoviæ obſidione, dum ejus milites paſſim dilabuntur, relicta; etſi nonnullis Cæſareorum profligatis; ſed qvi hoc, duce Hatzfeldio, majori Kingianorum clade ad Flotham penſarunt. Dum enim ad Lemgoviam diutius moram trahunt, ab hoſte validiori ſubitò obruti feruntur. vel, ut alii memorant, qvod ſolo eqvitatu cum hoſte congreſſi eſſent, anteqvam pedeſtres copiæ & tormenta accederent atqve ordinarentur, etiamſi eqvites maſculè pugnarent, ſed imbecilliores: reliqva verò tumultuariò peragerentur. Qvicqvid ſit, mille veteres & exercitati milites noſtratium ab hoſte fuſi ſunt, unà cum tribuno militum Boy, Lumbsdaino & Broſſarto. A parte Palatinorum Rupertus Princeps, Electoris frater, Campi Mareſcallus, Ferentz & alii vel capti ſunt, vel occubuere. Kingius ad Vechtam ab obſidione hoſtis liberandam ſerò venit; qvum jam hoſti tradita eſſet. Lotharingici invadentes urbem Enſisheimium, in ea à Sveticis includuntur & conſumuntur. Dux Weimarienſis Bernhardus in obſidione Briſaci ſedulò pergit, Gotzio & Lamboio urbem fruſtra liberare ſatagentibus. Tandem fame exhauſtam deditione capit, cum magno virtutis & nominis ſui decore, majori Regis Galliæ honore ac emolumento, qvæ alii jam fusè & accuratè deſcribere occuparunt. Circa finem hujus anni deceſſit Catharina Princeps, Regis Caroli Guſtavi Mater, Johannis Caſimiri Comitis Palatini ad Rhenum Conjux, Chriſtinæ minorennis gubernatrix, pia, proba & prudens Princeps. Rex Daniæ ſe interponit pro Ducum Brunſvic. & Luneburg. expetito à Regina Svetiæ neutrarum partium ſtudio, Regina in id hactenus conſentit, ſi Rex prius à Cæſare ſcriptam ſatisdationem de eodem impetraret, & Duces Reginæ caverent de hoſtibus nullo modo fovendis aut juvandis, nec in hoc bello ſe cum hoſte directè vel indirectè conjungendis. In communi negotio de pace Hamburgi hactenus inſtituto Sal-
1639 vius Legatus ſuam prudentiam, fidem & curam ita Reginæ probarat, ut ex à Regina multum æſtimarentur, & Senatoriâ dignitate ornarentur. Duo tamen in eo à Proceribus deſiderabantur: unum, qvod erga Regem Daniæ ejusq; miniſtros interdũ nimis apertus fuiſſet; alterũ qvod nonunqvã ſubtimidus, nimiũ ſibi de illis perſvaſiſſet. Ideò monebatur potius aliqvantũ in hoc caſu diſſimulare, & mentẽ ſuã tegere, qvàm manifeſtius explicare: qvia conce-

concedendi qvoties placeret & ex publica re videretur, facultas; ſed ſemel conceſſa retractandi non tam facile ſpatium, tempus ac copia eſſet. Nec ſe ſtatim terreri oportere, licet aliqvis vicinus fulminaret. Si enim res ſuas & ſtatum in vicinorũ miſericordia fundare deberent, indignè cum illis actũ iri. Priores ejus literas ad Regem (de qvibus ſup. ad annum præcedentem) benè ſcriptas fuiſſe judicabant, & cur illis Rex offenderetur, ipſos cauſam non reperire; poſteriores verò (de qvibus etiam ſup. dicto loco) maluiſſe, ab eo omiſſas fuiſſe. Nam ſi res & conſilia in eo ſtatu eſſent, ut ſcriptum ejus offenſam pariturum eſſet, ſatius fuiſſe, hoc qvò citius, eò melius præſciri potius, qvam perſcribi: ut in tempore hoc adverti & conſilia inde formari poſſent. In poſterum ergò cautè, conſtanter & intrepidè, nec tamen tumidè eum agere hortabantur. Ex una parte ſuſpicionem ab illis, qvaſi pacem rejicerent, pro viribus amoliri. contra, verum eorum erga pacem deſiderium conteſtari. Ex altera verò parte, propter mundi dolos & aſtutiam, reſponſum ſuum non præcipitare, ſed oculos ſemper reflectere ad defenſionem juſtæ ſuæ cauſæ, & ſtatus ſui ſecuritatem ac dignitatem. Nec eſſe qvod turbaretur, etiamſi atra nubes orta imbrem aut procellam minaretur. Sed omnia Deo, cui eorum innocentia cognita eſſet, & qvomodo hactenus habiti tractatiqve eſſent, committenda, eorumqve exitum prudentiſſimæ illius diſpenſationi credendum eſſe. Qvod verò qvodam contemtu affecti eſſent, & Rex Daniæ eo ſe oblectaſſet, qvaſi in Svetia nonniſi ſenes, mulierculæ & pueri ſuperſtites eſſent, hoc reciproco contemtu ulciſcendum eſſe. *Perſvaderet ſibi tamen Rex Daniæ, viros, ſi neceſſitas exigeret, pro fœminis in Svetia repertum iri.* Proceres inſuper hoc addebant: *Etiamſi faciendæ paci impedimenta qvædam objecta non fuiſſent, tamen ab interponente ſe ſtudium partium oportere alienum eſſe. Per omnia Svecis culpam diu protractæ compoſitionis & belli continuationis imputari tam à Rege qvàm hoſte: qvaſi utriusqve æqualiter intereſſet, aut par utriqve offenſæ cauſa eſſet. Nulli excuſationi aut rationi, licet alii eas probarent, imò licet Daniam ſi non plus, tamen non minus attingerent, & parte Sveonum & ſociorum, locum eſſe, dum adverſæ partis jus ab illis adſeritur & vindicatur; proinde non adeò feſtinato opus eſſe.* Hæc Procerum mens & ſententia erat. Dum Salvius cum Comite Curtio & aliis de pace Hamburgi agit, Bannerius ad Albim, prope Dòmitzium ſex mille eqvites & totidem pedites, ſelectum exercitum, contraxerat, animo dictum locum præripiendi: præſertim præſidio iſtic exiguo, & ad pugnam ſegni. Sed partim ob exundationem aqvæ, qvæ hominum memoriâ tam altè non excreverat, & qvidem glacie, ſed non firma, coaluerat; partim ob famem ingraveſcentem, ad qvam

domandam, jam felibus & canibus veſcebantur, obſidione urbis decedere cogebatur. Ad Lavvenburgam, centum militum præſidio munitam, ulterius Albis latus cum ſuis copiis petens, ad urbes Hamburgum & Luneburgum de annona ſibi pro ære ſuppeditanda ſcribit; qvam ab illa, qvàm hac facilius impetrat. Johannem Wachtmeiſterum tribunum militum cum aliqvot copiis Garlebiam mittit, in qva Helmoldus Wrangel, qvi antehac ob homicidium ad Electorem Brandenburg. transfugerat, cum ſuis præſidiis erat. cum qvibus, nihil reſiſtens, ad Sveticos tranſit & dedit urbem Wachtmeiſtero, qvi ibi tribunum Strick cum aliqvot centuriis in præſidium collocat. Dux Brunſvic. & Luneburg. Auguſtus à Bannerio deſiderat, Helmſtadio aliisqve Ducatus locis abſtineri ſtativa & metata, ſimulqve qvietem expetit. Bannerius contra urget conjunctionem ejus cum Sveticis; tandem tamen ei Neutralitatem, ſed ſub rato permittit. In Miſniam abiens Bannerius per Stalhanſchium Saxonicos ad Dreſdam cædit, juniore Schleunitzio aliisqve captis. Demminum per Axelium Lillie deditione capitur: qvi ſolus locus in Pomerania adhuc ab hoſte tenebatur. Ordinato in Pomeraniâ ſtatu, Bannerius monet Vicegubernatores, iſtic incolas moderatè habere, & ut præſenti ſtatu magis contenti ſint, ſecundum provinciales eorum conſtitutiones & mores, illis jus dicere. Cauto tamen opus eſſe, ne qvis ſuperiorem adminiſtrationem extraneam nomine Electoris Brandenburg. agnoſcat. Qvamvis mox in conventu Stetinenſi Ordines ad privilegia ſua provocantes, inter alia, de qvibus proteſtabantur, hoc præcipuum haberent, qvod negotium de conſtitutione judiciorum ad Electorem Brandenburg. neceſſariò remittendum eſſe contenderent. Illud Gubernatorem malè habuit, illis in animum revocantem, qvod hujusmodi actuum vel ſubjectionis vel ſuperioritatis cum Electore, tanqvam nunc hoſte Sveticorum, exercitium planè interdictum eſſet. Landsberga in Neomarchia ad Wartham ſita, etſi præſidiis ſatis firmata, tamen in metu incurſationis Sveticæ verſabatur: præcipuè cum noctu copia luporum ad portam urbis usqve accurrens, hujusmodi terrorem civibus incuſſiſſet, atqve ſi hoſtis adeſſet. unde qvæ moveri poterant, urbe properè extulerunt & in Poloniam transmiſerunt. ex tam levi principio tam ſubita orta eſt formido. Stralſundia Civitas propriâ auctoritate, inſcio gubernatore Axelio Lillie, CL. milites clam conducere cæperat. De qvo qvum Axelius cum illis expoſtulaſſet; *illud ſecuritatis urbis & ſublevationis civium cauſa factum eſſe* prætexebant. At Regii miniſtri: *Rem magni præjudicii & contra regium belli ac defenſionis actum eſſe, & qvæ inito fœderi pactisqve pugnaret; eoqve ferendæ non eſſet*, reponebant.

Stralſun-

Stralſundenſes verò putabant, *hujusmodi conductionem ſibi licitam eſſe: qvum in Fœdere vigilias ſibi curare permiſſum, & hactenus non impeditum eſſet. qvin nuper ab ipſo Campi Mareſcallo Johanne Bannerio civitas intra defenſionis limites ſe tueri monita eſſet. imò qvum olim turmam equitum conduxiſſent, à Guſtavo Magno patentibus literis ratum habitum fuiſſe.* Ad hæc ita regerebatur: *curationem excubiarum ex civibus conflatarum qvà talem, & fœderi non contrariam, in medio relinqvi. Campi Mareſcalli reſcriptum accipiendum eſſe de juſta ſolitaqve defenſione Fœderi congrua, non verò de novatione, vel ut ſtatus novus in ſtatu prioris defenſionis faciendus eſſet. De turmæ eqvitum conductione illis à Rege conceſſâ longè aliam rationem eſſe: qvippe qvæ non ad urbem, ſed extra urbem ad civium agriculturam tuendam conſtituta eſſet.* Qvicqvid præterea contra diſputarent cives, tamen exauctorare milites conductos neceſſe habuerunt. Negocium pacis receptatur, interventu acris diſceptationis de tuti itineris literis. Bannerius cum majori exercitus parte in Miſniam pergit. Ibi admodum proſperâ fortunâ uſus inſigni victoria potitur. Summum vigiliarum præfectum & ducem Cæſareum Savilium, ſeptem qvidem cohortibus armatum, ſed Gallaſſii in hyberna ſe recipientis, qvem tardius inſeqvutus erat, ope deſtitutum, inter Reichenbachium & Ölnitziam fundit. Nec longa mora, dum cognito Cæſareos & Saxonicos inter Chemnitium & Zvickaviam ſtare; anteqvam ſociæ hoſtis copiæ, ductore Hatzfeldio, accederent, conjunctis ſuis cum Torſtenſonii, Wachtmeiſterii & Wittenbergii copiis, ſilente nocte ſic iter faciebat, ut inter utrumqve medius progrederetur, atqve conjunctionem eorum impediret. Glaucham & Hohenſtenium pertendens, ibi tres eqvitum hoſtilium turmas ad ipſum exercitus corpus repulit. Inde paludoſum locum, à dimachis vel deſultoribus occupatum pervadens, & jam in proximo verſans, hoſtem aciei ſe accingere videt. Ille verò ſiniſtrum exercitus cornu, eqvitibus ferme conſtans, ad latus oppidi Chemnitii dextrum, ſupra flumen, qvod urbi nomen à ſe dedit, ponebat. Bannerius dimachos ſuos, qvum aditus ob paludis profunditatem eqvitibus tranſitu difficilis eſſet, deſcendere eqvis & pedibus tranſire paludem juſſit. ubi hoſtiles dimachi non diu cunctati, cedere cæperunt, & Bannerio anſam tam colles occupandi, & campum intutum faciendi, qvàm eqvites ſuos traducendi præbuere. Bannerii cohors prætoria primò in ſiniſtrum hoſtium cornu provecta; ab hoſtili acie ſtrenuè excepta eſt, non paucis rejectis. Sed noſtrates à proximis ſubſidiis mox adjuti, & duas paludoſas foſſas cum magno hoſtium incommodo, ſed ſuo commodo à tergo habentes, receptis animo graduqve, ſic iterum inſiſtunt hoſti, ut ſiniſtrum hoſtile cornu in fugam

gam agerent. Mox ſuperato fluvio Chemnitio, & agminibus contractis, in dextrum hoſtium cornu irruunt, idqve ſociorum ſtrage conſternatum, ſeptem eqvitum turmis in fugam pulſis, diſſipant; inde pedeſtres copias præſidio eqvitum deſtitutas, feliciter debellant: qvum hoſti nulla in fuga fiducia, magna ejus pars à perſeqventibus oppreſſa; & in reſiſtendo, fuſis non paucis, parvus animus ac vis exigua eſſet. Qvippe præter fugatos, MD. hoſtium cæſi captiqve perhibentur, qvorum præcipui erant ſupremus vigiliarum eqveſtrium præfectus Comes Buchemius, tribuni Webel, Wangeler, Paradiſer & alii; ſex tormentis, XXVI. ſignis pedeſtribus, XL. eqveſtribus ablatis. Hinc Banerius Pirnam tendit, Albis ſupra Dresdā tranſeundi, forſan & ipſam Dresdam ex occaſione tentandi, & inde in Bohemiā, ut qvaſi cor Cæſaris peteret, commodius eundi. Pirnam etiam expugnat, & in tranſitu Mansfeldiam arcem deditione accipit. Dum in Pirnâ occupandâ diſtrictus eſt, præmiſit Stalhanſchium cum IX. turmis eqvitum & V. centuriis peditum & CC. ſclopetariis. Ille Leutmaritziam præſidiis deſtitutam ſubitò invaſit, & Mölnickiam vi expugnavit. Hic verò munitam arcem Terſchenam, qvæ noctu diuqve tranſitum per Albim defendere & prohibere poteſt, occupavit, reperta iſtic non exiguâ annonæ copia. Prius verò qvam ipſe Bannerius cum ſuo exercitu in Bohemiam ſubſeqveretur, patentes dat literas ad incolas iſtius regni, qvibus cavet, de incolumitate fortunarum ac bonorum ſuorum, ſi exercitui ſuo neceſſaria ſubminiſtrare velint, ſpondetqve, ſi cum eo conjungere vires ſuas non renuant, ſe eos jugo Pontificio ſubtrahere laboraturum, omni vi & inſolentia militari ſeverè interdicenda. Dum in eo eſt, ut tranſeat Albim, Hoffkirchius Cæſareus Campi Mareſcallus eum qvidem tranſitu prohibere conatur. Sed is arte à Bannerio eluſus & clade affectus eſt; qvæ tales erant: Locum illum, ubi Mulda in Albim defluit, inſtituto ſuo accommodum Bannerius elegerat. Ad ſeducendum verò hoſtem, exercitum ſuum ab altera parte Albis usqve ad Altenbuntzeliam prope Brandiſium tendere jubebat. qvem mox cum Leonardo Torſtenſonio ſubſecutus, ad urbem Brandiſium acceſſit. Percepto autem, Hoffkirchium cum decem turmis eqvitum & aliqvot ſignis peditum in altero amnis latere ſtare, hìc tranſitum ſimulavit, propugnaculo, cis pontem ſito, in ſpeciem tormentis qvaſſato. Curavit interea XXVII. navigia cum tribus pontonibus trans Albim Mölnickium verſus adduci, & ad anchoras ſtare, donec milites transvehendos acciperent. ubi hoc ipſis emolumento fuit, qvod poſt inſulam, mille paſſibus pone Mölnickium ſitam, qvæ arboribus denſa erat, naves hoſti inobſervatæ laterent.

rent. Poſt hæc Wrangelio & Phulio in mandatis dedit, cum aliqvot centuriis prope Brandiſium ad mane usqve conſiſtere, & hoſtem in ſuſpicionem adducere, qvaſi Svetici hic tranſitum unicè qværerent. Interim reliqvum exercitum & præcipuè pedeſtrem dumetis & nemore tectum, hoſte non advertente, tacitè & absqve tympanorum ſtrepitu cum involutis vexillis, retrò verſus Mölnickium reducebat. Simulac prævifum locum aſſeqvutus erat, tormenta ſua ita collocavit, ut exoneratis globis campum ultra Albim pertingere poſſent. pedeſtres verò copiæ præſentibus navigiis tam properè trajectæ ſunt, ut jam ante ſolis ortum inter duo fluenta in acie ſtarent. Eqveſtres copias traducere, majoris ac tardioris negotii erat, donec ruſticus, qvi transvectionem juverat, vadum detegeret, qvod eqvitando ſuperari potuit. ruſticus C. aureos, indicii præmium à Bannerio dono accepit. Hæc tamen tam occultè haud peracta ſunt, ut Hoffkirchius in eorum notitiam non veniret: qvi, ſi voluiſſet, in tempore & absqve periculo regredi potuiſſet. Sed audax & ſingulare facinus editurus, aut qvod hoſtilem eqvitatum tam citò non tranſiturum ſibi perſvaderet; primo mane qvinqve validas turmas ſub Comite de Montecuculi, cognoſcendæ rei & tranſitus prohibendi cauſa præmiſit. qvem cum pluribus copiis ſecutus, ad ſilvam, qvæ campum inter ipſum & Sveticos diſcrevit, pedem fixit. Velut autem Montecuculi ante ejus adventum, & eqvitum Sveticorum tranſitum, à tormentis eorum jam repulſus erat; ita non melius Hoffkirchio ſucceſſit: qvi à Bannerio contra eum per ſilvam emiſſis, ſtatione ſuâ dejectus eſt; donec illius cohortes pleno curſu advolarent. Bannerius, qvi nulla temporis momenta negligebat, eqvitibus ſuis, ſimulac vadum tranſierant, acie inſtructis, hoſti prælii copiam facit. At Hoffkirchius paulatim cedebat, donec æqvum campum & colles attigiſſet: in qvibus copias ſuas explicans, dimicaturi ſpeciem præbebat. Sed Sveticis ad pugnam ſe componentibus, initio Croatæ ex adverſo ſiniſtræ alæ, qvam Torſtenſonius ducebat, & mox Germanici eqvites, è regione dextræ alæ, qvam Stalhanſchius ducebat, terga verterunt; niſi qvod aliqvot ſigna junioris Buchemii velitari cæperant. Sed non diu reſiſtentes, commilitonum exemplo ſe qvoqve in fugam dederunt. Ita decem cohortes hoſtiles profligabantur, ipſo Hoffkirchio & Montecuculi captis. Hoſte feliciter in itinere ſtrato, Pragam advenit Bannerius eodem die, qvo Hatzfeldius cum qvater mille eqvitibus & bis mille peditibus eò acceſſerat. Iſtic CCC. Ungaricos eqvites in campo extra urbem ita excepit, ut turbatis ordinibus, in urbem ſubitò revolarent. Ipſam urbem Pragam, bene munitam intusqve tam patentibus ac latis porrectam ſpatiis, ut in iis ter mille

ferme eqvites aciem ſtruere poſſent, ipſiqve cives intra urbem & defenſionis commodum ſe tenentes,excurſionem nullam facerent,obſidere non è re viſum eſt. Unde eâ relictâ, Brandiſium & Reginogradecium deditione occupat; indeq; totam ferme Bohemiam perſultans,terram paſſim populatur. Hoſte autem ſe iſtic magis magisq; corroborante, ingentibus auxiliis & ex Ungaria & Auſtria adſcitis, qvum perpetuis vigiliis noſtrates contra eum occupati, non parum defatigarentur: eos per Sileſiam recreandi cauſa diſtribuere viſum eſt. Sed ibi qvoqve hoſte freqventi, parum tuta ſtativa fuere. Exſules verò Bohemi, qvi Bannerii adventum adeò deſiderarant & opem promiſerant, certatim in Bohemiam confluentes, tamen vel deſperatione fortunæ, vel metu hoſtium, operi manum admovere non audebant. imò potius retrahebant, ſi onere aliqvo contributionis preſſi, integrâ libertate non ſtatim fruerentur. Seges in agris exſtans, niſi qvæ perpetuo imbre corrupta erat, potuiſſet qvidem per hiemem militi panem præbere, ſed vacuâ incolis terrâ,deerant qvi demeterent. Incolæ adverſus Svedos adeò animis efferati erant, ut,ubicunqve poſſent, obvios trucidarent. Ex his aliisqve cauſis progreſſus armorum Bannerianorum in Bohemia conceptæ ſpei reſpondere non poterat; nec tractatus pacis Comitis Schlickii cum Bannerio: qvod de modo tractandi non convenirent. Qvum Hatzfeldius Weſtphaliâ exceſſiſſet,noſtratibus iſtic aliqvid reſpirationis contigit. Unde Kingius ſe movens, Lemvôrdam, Auburgum, Ehrenburgam & Dreckvôrdam ab hoſte relictas recepit. Kônigsmarchius Minda decedens, per Brunſvicenſem Ducatum in Eichsfeldiam tendens,ibi hoſtem fudit. Bernhardus Dux Weimarienſis diem ſuum obiit, non ſine veneni ipſi clam propinati ſuſpicione. Digno illum elogio in Achille ſuo Germanico prædicavit Johannes Freinshemius; ita ut meo opus non eſſe videatur. Regni Daniæ Senatus ad Regni Svetiæ Senatum ſcripſit: *Qva ratione propter multiplices ſubditorum ſuorum querelas de gravi & inſolito vectigali, qvo navigantes, præcipuè ad Roſtochium & Warnemundam à Sveticis onerarentur, Rex Daniæ conſtituiſſet, illis commercia ad dictam urbem, & omnes in Mecklenburgum & Pomeraniam devehendas merces interdicere: ut ſic eo onere levarentur. Se autem ſupplices rogaſſe, hoc interdictum omitti, donec cum Svetico Senatu rem eam communicaſſent.* Deſiderabat itaqve Senatus Danicus, *ut vectigal Warnemundenſe abrogaretur, & Regis ſui ſubditi melius ab iſtius loci præfectis tractarentur. Roſtochienſes ipſos ſuperioribus temporibus non habuiſſe poteſtatem ſubditis Danicis hujuſmodi onus imponendi; non ergo Coronam Svetiæ majus jus*

ſibi

ſibi vendicare poſſe, qvam incolæ ipſi habuiſſent. præterqvam qvod Roſtochium Sveticam jurisdictionem non agnoſceret, nec Corona qvidqvam ab urbe exigendum haberet. aut ſi fortè haberet, tamen iniqvum eſſe, ut Regis ſubditi, ad qvos eæ turbæ nihil pertinerent, id luere deberent. Senatus Regni Svetiæ in reſponſo *præcipuè provocabat ad peculiare Fœdus cum Duce Mecklenburg. cujus vigore vectigal introductum & exactum eſſet, ex qvo Guſtavus Magnus hoſtem iſtis terris expuliſſet.* Præterea Senatui Danico ſignificabant, *qvod Roſtochienſium & incolarum jura propugnare non in animo haberent, ſed iſtæc ſuo loco, donec omnia in priorem ſtatum reſtituerentur, relinqvere. Nec ipſos velle Sveticam jurisdictionem ulterius, qvam fas eſſet, extendere, ſed nomine Reginæ & Coronæ, ſe iſtis, qvæ æqvitati & rationi conſona eſſent, contentos eſſe. Num Svetia verò cum Roſtochio qvid negotii haberet, ſe illis dijudicandum & conſiderandum dare: qvomodo Roſtochienſis civitas non per ſe, ſed Sveticorum armorum ope à Cæſareis liberata atqve ita hoc beneficio, & fœdere Mecklenburgico Coronæ Svetiæ obligata ſit. Se alioqvi ſubditis Danicis non invidere illam fortunam, qvod præſentes turbæ nihil ad eos pertinerent, ſed optare, ut id diuturnum ſit ob communem ſecuritatem. Qvod verò ad Warnemundenſe vectigal ſeorſum attineret, ad illud ſe præſentis belli gravi onere cogi, & Danico Senatui perpendendum relinqvi, eorum & Danici regni ſimul intereſſe, qvalis ſit belli fortuna. Qvemlibet porrò Principem & Rempub. imò ipſum Regem Daniæ hujuſmodi jus alibi in pari caſu ſibi arrogare & uſurpare; qvamvis difficultates & onera non minoris, qvàm apud ſe, æſtimanda ſint. Proinde Danicos R. Senatores Svetiam excuſatores, qvod à Fœdere Mecklenburg. ejusqve fructu decedere non poſſet. Sveticos fidere Danicis Senatoribus, ipſos omnia in meliorem partem interpretaturos, & apud Regem amolituros, qvod fortè ſuſpiciones aut diſſenſiones parere poſſet. Si verò Regis ſubditi ab exactoribus vectigalis aliter, qvàm humaniter tractarentur, ſe curaturos, ut Regis amicitia & utriusqve regni confidentia per omnia obſervarentur, eisqve contraria è medio tollerentur.* Majoris verò munimenti tutandi cauſa ei Arnoldus Levitzovv præfectus eſt, juſſusqve neminem in munimentum admittere, niſi Coronæ Svetiæ peculiariter obligatum; & cauponam ante munimentum exſtruere, qva peregrini & iter facientes loco diverſorii uti poſſent. Ob irruptionem Hermanni Bothii in Livoniam proceres regni Svetiæ ad Senatum R. Polon. & Electorem Brandenburgenſem ſcripſere, deſiderantes hujuſmodi violentam invaſionem prohiberi avertiqve; de qva alibi plura. Teſtamento Bernhardi Ducis Wimar. aperto, deprehenditur qvod adminiſtrationem militiæ commendaverit Erlachio,

Ohmio,

Ohmio, Roſæ & Comiti de Naſſovv. Conſilia & deliberationes non unæ de Weimarienſi exercitu & locis ad Rhenum occupatis ortæ ſunt, non unis motis difficultatibus. Comes de Avaux Legatus Gallicus de eadem re cum Salvio fuſè diſſeruit; utrumqve ſuo Regi deberi exiſtimans: qvod ejus præcipuè auſpicio & impenſa bellum illud Bernhardus adminiſtraſſet; & qvæ plures adferebantur rationes. At Salvius hîc inprimis ad commune fœdus provocabat, & ſecundum illud, Ducis Bernhardi propriam cum Rege Galliæ compoſitionem, in communi fœdere fundatam. Monebat tamen Legatum, cautè nec præproperè hîc agere, remqve potius in integro, ad maturiorem cauſæ cum ſociis diſcuſſionem, & evidentiorem rei eventum, relinqvere. Elector Palatinus, Wilhelmus Dux Weimar, Bernhardi frater & alii eadem ambire cæperant; ſed horum tanta ratio non habebatur; qvum ea tandem obtineret Gallus. Tractatio cum Anglo, Tranſſilvano & Haſſiacis iterum ſuſcipitur, cum illo nullâ vel exigua, cum his aliqva ſpe conjunctionis. Svetici in Bohemia ad Albim in ſtativa diſtributi, cædunt hoſtem apud Glatzam & Saganam. Elector Saxoniæ fruſtra recuperatum it Pirnam à Bannerio ſtrenuè defenſam, & tandem ſolo propemodum æqvatam. Hatzfeldius ex Bohemia in Miſniam cum ſuis agminibus ſe confert. qvem Bannerius iſtuc ſeqvutus, ad conflictum perducere neqvivit. Per Schlangium duas Trautiſchii cohortes cædit. In Epiſcopatu Halberſtadienſi, Sileſiâ & Pomeraniâ ordinat ſtatum militarem. Lilliehök munimentum ad Oderbergam incaſſum impugnat, ad Wartham potitur Lantocheriano munimento. Landsbergam vi expugnat, munimentum ejus deditione accipit. Tribunus Devvitzius Francofurtum & Berlinum per deditionem capit, Goltzio, Guldackero aliisqve captis. Berlinenſes urbem à direptione viginti millibus dalerorum & ducentis eqvis redimunt, Brandenburgenſibus interim Spandaviam ſe recipientibus. Noſtrates Oderam trajicientes ad Beuthenam ſubſtiterunt & paulum qvieverunt. Inde progreſſi ductore Ribbingio, Plavvenam in Ducatu Mechlenburgico occuparunt. Major Pomeraniæ pars detrectat obſeqvium ſub imperio Reginæ, prætexens jura & privilegia ſua; tandem tamen placatur. Bautzena ab Electore Saxoniæ ſubitò opprimitur, ſed à Bannerio per Torſtenſonium recuperatur. Cæſar Bohemiam & hæreditarias ſuas provincias mole Sveticorum armorum liberaturus, reparat vires ſuas ad qvinqve millia eqvitum & duodecim millia peditum. Summam imperii militaris committit Archiduci Leopoldo Wilhelmo, Piccolomineo militiæ perito

atqve

atqve exercitato, ex Belgica accito, & Archiduci adjuncto. Cum hoſte tam valido, & qvod Saxonicos à tergo habiturus eſſet, & nulla ſpes ſubſidii à ſociis Germanici fœderis affulgeret, prælii fortunam periclitari Bannerius non auſus eſt. Interim nec ipſe, nec ductores ſub eo commodiori occaſioni alibi invigilare ceſſarunt. Sparsâ enim famâ, eqvitatum hoſtilem Pragæ tumultuari, hac opportunitate uſurus, urbem iterum adortus eſt, etſi irrito molimine; dum non modò urbs operibus ac præſidiis ita communita erat, ut inacceſſa ferme videretur; ſed etiam fames & peſtis iſtic ſævirent, vicina hominum corpora corripere ſvetæ. Milites tamen ejus felices iſtic in hoſtem excurſiones fecerunt, aliqvot turmis cæſis. In Sileſia Stalhanſchius proferens ſtativa, potitur Parchitziâ & Neomarchiâ. In Pomerania Lilliehôk Druſenam occupat. In Marchia Axelius Lillie Rupinum intercipit, fruſtra ſuccurrentibus Brandenburgicis. Kônigsmarchius in Eichsfeldia compos factus Gleichenſteinii, inde in Franconiam abiit, Herbipoli & Bamberga in contributionem redactis. Inde in Weſtphaliam, ſtatus ibi vel conſtituendi vel conſervandi cauſa, ſe confert. Bilefeldam armatâ manu ad præſidia intra urbem accipienda cogit. Eam verò hoſtis obſidens recipit, Kônigsmarchio ſerius ad liberandam urbem accedente. Gallus auxilia mittit Weimarienſibus, ad hactenus armis qvæſita firmandum, novaqve adqvirendum, Neoſtadio, Binga, Creutzenaco aliisqve locis potitus. Ineunte ſeqventi anno comitia Holmiæ habentur, in qvibus Ordinibus regni ſignificatum eſt: qvàm difficulter & lentè pacis negotium procederet: qvum hoſtis omnia effugia caperet vel ad differendum, vel detorqvendum illud ad Sveonum & fœderatorum diſtractionem, cum faciliori Evangelicorum oppreſſione. Rogant humiliter Ordines Reginam & Proceres, uti hactenus, ita porrò nullam honeſtæ communisqve pacis obtinendæ occaſionem & humani ſangvinis ſiſtendi viam negligere. Ad eam verò efficacius conſeqvendam, arma manibus retinere, & qvantum licet, corroborare. Conſentiunt Ordines in duorum annorum conſcriptionem militarem, atqve cenſum pro pecoribus & annonâ conſvetum. Regia Vidua Maria Eleonora ex Svetia clam in Daniam, excepta & deducta eò navi Regis Daniæ, & inde in Germaniam abit. Lutzovius Cæſareus Legatus, Hamburgum veniens, de pacis negotio fuſè diſſerit cum Legato Salvio, ſed non majori fructu, qvàm ante, re in ſolas diſceptationes de poteſtate agendi, de ſatisfactione & aliis hujusmodi tandem exeunte. Eodem modo in Bohemia idem negotium tra-

1640

 ctatur

ctatur, Sveticis eam pacem ſuſpectam habentibus, qva hoſtis ipſorum ac ſociorum animos vireſqve dividere qværeret. Legatus Gallicus Baro de Korte agit cum Salvio de prorogatione fœderis non ad certum annorum numerum, ſed ad finem belli. Salvius hoc remittit ad Reginam & comitia regni Svetici. Non obſcurè tamen innuit, difficultatibus belli creſcentibus, etiam adminicula belli augenda eſſe. Actum inſuper eſt de induciis belli. Legatus Gallicus ſignificabat Salvio, Pontificem qvendam Genuenſem Paulum Schielti Pariſios miſiſſe, longiorum induciarum cauſa: qvas eodem modo apud Cæſarem & Regem Hiſpaniæ qvæſitum iret. Regem qvoqve ſuum eas approbaſſe, ſed X. aut XII. annorum. Nec minus Reginam Svetiæ in eas conſenſum dediſſe, non ſolùm in Fœderis Hamburg. actis, ſed & Pariſiis per legatum Grotium; niſi qvod de ſumma ſubſidiorum non plenè conveniſſet. Non tamen ſperandum videri, ſtantibus induciis, plura qvàm Pomeraniam & Lotharingiam in poſſeſſione retineri poſſe. Salvius hoc ad referendum accepit; nihilominus tamen negavit ſe credere, Reginam inducias, ob præjudicium & difficultates, qvæ eas comitarentur, & ſub tam indignis conditionibus, acceptu ram. Conventus Ordinum Imperii Noribergam indicti cauſa hæc erat: *Qvomodo pax reſtituenda, & omnia ejus obſtacula removenda eſſent. Aut ſi oblatæ pacis viæ apud hoſtem locus non eſſet, qvomodo continuatio armorum abſqve omnimoda patriæ pernicie & exitio conjunctis viribus inſtituenda eſſet.* Non pauci Principum & Civitatum in ea ſententia erant, *commune belli malum commūnibus omnium animis & conſiliis ſanandum eſſe: ut qvod ex ſalute publica eſſet, majori circumſpectione decerneretur, & meliori ſecuritate ſervaretur. Actum itaqve eſt*, etiam ex Regis Daniæ mente, *primo de amneſtia, dein aliis, qvæ adverſariæ parti concedi poſſent, concedendis.* Sed hæc tandem ad Comitia Imperii, propediem inſtituenda, remittebantur. In Bohemia hoſtis hactenus ad Pilſam, Grunbergam & Glattoviam ſubſtiterat: dum ob valde latoſam viam tormentis & exercitui impeditū ac difficile iter futurum erat; nunc autem qvod facilius inſtans gelu reddere cæperat, adverſus Svedos ſe movet: qvi ad Albim à Bannerio collocati erant, vel hoſti illic tranſitum præcludendi, vel ſi hoc minus ſuccederet, ad Leutmaritzium opportuno loco occurrendi animo. Kőnigsmarchius autem in Miſnia Saxonicis non parum incommodans, Taubianâ & Hanovianâ cohortibus cæſis, Qverfurto oppido & Wendelſteinia arce captis; tamen, re ſic exigente, à Bannerio iſtinc in Bohemiam avocatus eſt ad auxiliandum.

dum. Hoſtis poſtqvam demigratione Sveticorum, exercitum ſuum ad Colinum per Albim traducendi occaſionem nactus erat, ad dextrum latus ſe vertit, & Sveticis optimas terræ partes, qvas ſibi commodas poſſidebant, ereptum, & ut ſimul tergum aditumqve in Sileſiam & Moraviam ſibi tutum redderet, arcem Clumnitziam adit & deditione accipit. Inde operibus Sveticis in ſuburbio Pragæ occupatis & deſtructis, Reginogradecio potitur, ut & qvinqve aliis arcibus & oppidis, Schmirſitzia, Iaromirſia, Konigshofio, Trautenavia & Neuſtadio. Inde progreſſus Gitſchinum invadit, ubi Phulius ſtativa ſua habuerat, ingentemq́ annonæ vim iſtic reperit. Bannerius qvidem hoſti obviam ire & prælii aleam tentare conſtituerat, ſed remittente hieme reſolutoqve gelu, invium, certè admodum difficile iter, remoram expeditioni faciebat. Præter hoc in mandatis à Regina habebat, ut conſervationi exercitus imprimis ſtuderet, & magis eum augeri, qvàm minui, operam daret; ideò mutato conſilio vitatoqve pugnæ diſcrimine, in Miſniam & Thuringiam abit: ubi ſe cum Weimarienſibus, Haſſiacis & Luneburgenſibus, ſi poſſit, conjuncturus, ſolidioris fortunæ fundamenta poneret. Eo fine præmittit Königsmarchium in Saxoniam, iſtic contra hoſtem qvid attentandi cauſa, aut inde motis ſignis, contrahendi in Weſtphalia & Eichsfeldia copias, qvantum abſqve præſidiorum detrimento fieri poſſet. Schlangium cum qvatuor turmis eqvitum ad ſiniſtram Egeræ, Cadam verſus, reliqverat: ut per eum cognoſcendi facultatem haberet, qvo loco res hoſtis eſſent, & qvò ſe moveret. In itinere præter alios, tribunum Cæſaris militum Saradetzkium ad pagum, duobus à Cada milliaribus, repellit. Hoſtis, comperto Bannerium exceſſiſſe Bohemia, eum veſtigio ſeqvitur. Per Sileſiam commeans, in tranſitu rapit Hernſtadium. Sed à Stalhanſchio, qvi per Oderam glacie duratum advolans, ei ſe inopinatò ſuperfuderat, eo loco ut & Gurowiâ & Wohlaviâ præceps exigitur. Brandenburgicus ex Boruſſia M. eqvitum collectas copias per Poloniam in Marchiam adducit: qvibus hoſtile qvid adverſus noſtrates moliatur. qvod tamen Lilliehök & Lillie qvantum valuere, præcaverunt, & ne in Pomeraniam vel citeriorem vel ulteriorem, præmunitis neceſſariis locis, irrumperet. Weimarienſes in Wetteravia Braunfelſiam, Fridbergam, aliaqve loca in ſuam poteſtatem redigunt. Reſponſi Reginæ ad Regis Daniæ literas de feſtinanda pacis tractatione, qvum jam tuti itineris literæ procuratæ eſſent, & de inferioris Saxoniæ Ordinum Neutralitate deſiderata. ſumma talis fuit: Ad primum caput ita reſponſum eſt. *Pacem cum aſſenſu ſociorum Fœderis tractandam eſſe.*

 Nec

Nec ſufficere tuti itineris literas, pro nondum reconciliatis ſolùm; ſed etiam pro aliis Evangelicis Ordinibus reqviri; ut in communi cauſa pari cum aliis benefi- cio fruantur, & illis deſiderium qvoqve ſuum exponere liceat. qvod ſi illis dene- getur, fore gradum ad eorum ſervitutem, & Septentrionalium regnorum perpe- tuum diſcrimen ac turbationem. De conditionibus pacis, ante impleta prælimi- naria, agere, intempeſtivum videri. Si tamen nunc eò deſcendendum ſit, tra- ctatum R. Cancellarii cum Electore Saxoniæ cæptum, eas monſtrare: nimirum reſtitutionem Electorum & Principum Evangelicorum in Germania; ſatisfa- ctionem pro Svetia & Gallia; & ſolutionem æris ac ſtipendii reſidui pro militibus. In primis, ſi reſtitutio in integrum, prout ante bellum fuerat, auctoritate Regis inſtaurari poſſit, reliqva faciliora factu fore: hanc eſſe præcipuum & verum fundamentum ſolidæ pacis futuræ. Ad alterum caput de deſiderata inf. Sax. Principum Neutralitate, reſponſum eſt: *Reginam eam religionis & fœderis ſociis non invidere; præſertim ſi via futura eſſet Evangelicas partes in integro ſtatu tenendi, & honorificam tutamqve pacem promovendi; atqve ſi res ita com- paratæ eſſent, ut ſervari poſſet, & militaris ſtatus communisqve cauſa per eam non magis gravaretur aut funditus perderetur. Ad interpoſitionem Regis, eam à Regina Domui Brunſvicenſ. & Luneburg. qvidem conceſſam eſſe; ſed omnibus Circuli inferioris Saxoniæ Principibus eam indulgeri, partim ſitum locorum non permittere, partim in hoſtium manibus jam loca qvædam eſſe, velut Mag- deburgam & Halberſtadium. Regem itaqve ſibi vitio non verſurum, ſi reli- gionis ſociorum & cognatorum emolumenti ſic rationem haberet, ne proprium ſtatum & ſalutem in diſcrimen conjiceret.* Hoſtis propius & in Miſniam ac- cedens, per Bredavium decem cohortes ducentem, Sveticorum ſiniſtrum cornu, ductore Wittenbergio, licet ille ſtrenuè ſe opponeret hoſti, attamen ſubſidio deſtitueretur, in Voigtlandia ſubita vi opprimit, du- obus ſignis ſtatariis ablatis, & Guſtavo Horn de Kankas capto. Con- junctio armorum non ſolùm Ducis Longevillani nomine Regis Gal- liæ, ſed etiam Weimarienſium, Brunſvicenſium & Luneburgenſium atqve Haſſiacorum, fruſtra eos dehortante Cæſare, tandem procedit. Verebantur enim, ne, ſi ſedes belli in eorum terras transferre- tur, auxilio nudati, facilè à majoribus hoſtium viribus opprime- rentur. Chemnitium hoſtis recuperatum, & primò vi expu- gnatum it: Sed urbe ac præſidiis ſe pertinaciter defendenti- bus, retrò agitur; donec copiis à Comite Sviſiano & tormentis cor- roboratus, urbi extrema minatur. Præfectus urbi Printze locum ad ne-

cem usqve tueri paratus erat; ſed refragantibus præſidiis ac civibus, tandem cum hoſte paciſci ac deditionem facere coactus eſt. Eodem die qvo Chemnitium, etiam munita arx Terſchena per deditionem in hoſtis manus venit. Qvi inde Salfeldiam movet; & adverſus eum trans Salam cum ſuis & conjunctis copiis intrepidè Svetici vadunt. Cis Salam colle occupato, ibi tormenta ſua ponunt: qvibus caſtra hoſtium ad aliqvot dies ita qvaſſarunt, ut ſtationem ſuam non ſemel mutare compellerentur. Qvia tamen in caſtris ſuis benè præmunitis, & operum ibi excitatorum commoditate inacceſſi videbantur, ea validis excubiis cuſtodiri, & corpus exercitus ſui cis montes ac rupes, & in reductis locis tutò condi curavit Leopoldus. Tormentis nihilominus ſe invicem ſtrenuè petebant: ita ut noſtrates majori damno hoſtem afficerent, qvàm ipſi ab eo afficerentur; excepto, qvod forti viro Slangio tormenti hoſtilis ictu brachium direptum eſt. Etiamſi verò hoſtis ex ſuis ſtativis extrahi non poſſet, nec in iis facilis aggreſſu eſſet; tamen conjunctæ noſtratium copiæ iſtic aliqvantum ſubſiſtebant, ſperantes hoſtem in illis anguſtiis, qvum à tergo vaſtum nemus Thuringicum, nec victus ſubſidia, & ante ſe Sveticos haberet, non diu hæſurum. Attamen ſupra vires ferme moram illic ducebat, animo, ut videbatur, Sveticos annonæ inopiâ, minori cum ſuorum diſcrimine, qvàm prælii fortunâ, atterendi; qvum tamen nec hoſti multum annonæ ſupereſſet, niſi qvantum ex Franconia ei ſuppeditabatur. Hinc permotus Bannerius, in tempore, anteqvam annona planè deficeret, conſilium ſuum mutare, & in Marchiam Culmbacenſem ire: ut in Cæſareos & Bavaros, qvi in Franconiâ ad Bambergam ſtabant, irruptionem faceret. Dum hoc agit, velitationes aliqvot inter Sveticos & hoſtes commiſſæ ſunt: in qvibus horum præfectus excubiarum Canis, obvius Svetico tribuno Eberſtenio, putavit hunc Cæſarianarum partium eſſe: dum uterqve viridia virgulta pileo infixerat. Itaqve ſecurus periculi, ad eum cum ſuis turmis intrepidè iter accelerat. Sed vix acceſſerat, qvum à medio noſtratium agmine circumfuſus, captusqve cum aliis in caſtra Svetica adduceretur; parvæ rei ſimilitudine non ſatis præcauta deceptus. Conjunctarum cum Sveticis copiarum (de qvibus ante) ſeparatio & ſeceſſio, partim ex annonæ anguſtiâ, & promiſſæ pecuniæ exſolutionis morâ, partim ex æmulatione & ambitione tot capitum, in diverſa tendentium, nunc metuebatur. Sed in tempore repreſſa eſt. Bannerius enim, qva erat

prudentiâ, duces & capita illorum, qvi ſejungi qvæſiverant, amicè compellans, ſi illos in ſuam adducere poſſet ſententiam; facile per ipſos membra militesqve ad ſaniorem mentem reductum iri, ſperabat. Idcirco Duci Longevillano reliqvisqve militiæ præfectis modeſtè in animum revocabat, ſi, qvi nuper partibus acceſſerant, hujusmodi diſſidium animadverterent, in proclivi fore, ut eorum animi antea integri, ſed exemplo corrupti, vel ambigui & remiſſi redderentur, vel prorſus ad deſperationem inclinarent. alii verò, qvi ad conjunctionem fortè propenſi qvoqve eſſe poſſent, ab eâ talibus motibus abſterriti, pedem referrent, contra hoſtibus animi inde augeſcerent, & firmiori fœderis vinculo occaſio inde daretur: qvod ut eorum rebus inſigni emolumento, ita Sveticorum ſociorumqve fortunæ non exiguo detrimento fraudiqve futurum eſſet. His rationibus Dux Longevillanus, vir probæ & candidæ mentis, & in aliis actionibus cum Bannerio plerumqve ſentiens, haud difficulter perſvaſus eſt. nec à Bannerii ſententiâ reliqvorum militum ductores, interponente ſe in primis Klitzingio, abierunt; effeceruntqve apud ſuos, ut qvieſcerent, & intra fidæ ſocietatis limites ſe tunc tenerent. Salefeldiâ Bannerius cum conjunctis copiis diſcedens, Neoſtadium in Franconiam ire cogitabat: ubi copia qvædam annonæ, reficiendo militi, adhuc exſtabat. Sed hoſtis eum occupatione loci prævenerat. In transcurſu tamen Mellerſtadium & Masfeldium noſtrates, ductore Königsmarchio, intercipiunt. Cæſariani cum Bavaris ſe conjungentes, belli onus in Haſſiam per Hatzfeldium devolvunt. Svetici verò Oderam trajiciunt, & in Sileſiam euntes, ad Beutenam, paulum recreandi ſe cauſa, ſubſiſtunt, intercepta arce Hornſtedenſi, & cæſis aliqvot in excurſu hoſtilibus centuriis per Bôtticherum. Cæſarei verò, Strigaviâ per deditionem acceptâ, Hirſchbergam tendunt; Saxonicos & Brandenburgicos adjungendi ſibi conſilio. Ne verò Hirſchbergam adimerent noſtratibus, aut ut conjunctio eorum impediretur, Stalhanſchius cum ſexcentis eis occurrit. Ad primum congreſſum ordines hoſtiles turbati: dum poſtremum agmen antecedens penetratum it; omnesqve in fugam pulſi ſunt, ſexcentis eqvitum, (præter Warlofskium & plures alicujus dignitatis,) captis. Eâdem operâ liberatur Hirſchberga. Saxonici autem & Brandenburgici regreſſi, in tutiora ſe receperunt. Pomerani tandem jurisdictionem Sveticam, tam in civilibus qvàm crimina-

libus

libus, agnoſcunt. Weimarienſes ad Rhenum Fridbergam præſidiis firmant, Hagenavium fruſtra attentant. Negoçiatio fœderis inter Svedos & Gallos iteratur, ejusqve continuandi conſilium Reginæ placet, vel eo modo, qvo anno M DC XXXVIII. Hamburgi transactum erat, vel ad finem belli, cum acceſſione ſubſidii monetarii centum millium, Gallo præſtanda. Legatus Gallicus nomine ſui Regis qvinqve tonnas auri, à decurſu trium annorum computando, usqve ad finem belli, promittebat, ſi Regina locum tractandæ pacis mutare vellet; elegerat autem Lubecam vel Hamburgum. Bannerius in Ducatu Luneburg. & Brunſvic. ſtativa & metata, nolentibus volentibus Ducibus pro ſuo exercitu diſtribuit, neceſſitate ſic imperante, ne fame contabeſcerent. Brandenburgici Francofurtum ad Oderam recuperatum eunt vel dolo, ſpecie plauſtrorum frumento oneratorum, intus milites & arma occultantium; ſed mox detecto; vel vi & oppugnando. cæterum hîc qvoqve conatu ſuo excidunt, inde rejecti à Sveticis, præfecto loci Radikio. Johannes Nicodemi Lillieſtröm Regius Commiſſarius à Stalhanſchio miſſus in Pomeraniam, auxiliares copias deſiderandi cauſa, à Brandenburgicis in itinere capitur. Cæſarei recuperant Hirſchbergam, fruſtra ſuccurrente urbi Bannerio: qvum hoſtis eum viribus longè ſuperaret. Sed ante traditionem urbis eâ excedunt omnes Evangelici cives, extrema ab hoſte victore metuentes, magis tamen amore ſuæ religionis; ſic ut octo Pontificii ſolùm in eâ remanerent. A Cæſare Hamburgum veniunt tam diu deſideratæ tuti itineris, vel ſalvi conductus literæ pro Svecorum fœderatis; qvas Rex Daniæ in Sveciam mittit. At Lutzovius exemplum Pacificationis Salvio oſtendit; qvi ad communes tractatus rem remittit. Qvæ procerum & Ordinum regni ſententia de productione fœderis Gallici fuerit, ad ſeqventem annum dicetur. In Comitiis Ratisbonenſibus pax ex parte Cæſaris & Ordinum Imperii certis conditionibus decernitur. Svetici in veteri Marchia arcem Tangermundæ & Heldrungam & Wendelſtenium occupant. In ſuperiori Germania ad Rhenum Weimarienſium ductor Roſa Homburgâ potitur & ad Hohentwielam Cæſareos profligat, mille partim cæſis, partim diſperſis. Anteqvam hinc ad ſeqventem annum eamus, qvæ intra regnum Svetiæ à Reginâ in pacis ſtudiis perpetrata ſint, enarrabimus. Præcipiti anno, fœdus inter Svecos & Batavos renovatum, & poſt qvinqvennium iterum confirmatum eſt.

Illius

Illius ſumma hæc erat, ut ſimul cum defenſione vel regnorum vel provinciarum utriusqve fœderati, & conſervatione dominiorum, jurium, immunitatum, pactorum & receptarum conſvetudinum, libertas commerciorum & navigationis in mari Balthico & ſeptentrionalibus oris Fœderatæ Belgicæ concederetur. Lilliehökius Reginæ ſtatum Pomeraniæ per literas commendavit, inprimis de reducendis ac reſtituendis tribunalibus eccleſiaſticis ac civilibus, bello turbatis: de conſervandis veteri Academia Griphiswaldenſi & Pædagogio Stetinenſi: de ſublevandis oneribus publicis. Lilliehökii epiſtolam comitabantur ſupplices Ordinum ad Reginam literæ. Chriſtina tempori, & ingenio ſuo ad juvandam provinciam & ſtudia propenſo, conſentanea reſpondebat. Nec illud præterire fas eſt, qvod auſpiciis Chriſtinæ Reginæ, in ipsâ Finnoniâ & qvidem Aboæ, curâ & proviſu Comitis Petri Brahe, tunc iſtius magni Ducatus Adminiſtratoris, optimarum literarum ſtudia dignè æſtimantis iisqve faventis, Academia hoc anno ſolenniter erecta eſt; cujus etiam Cancellarius conſtituebatur. præterqvam, qvod idem Comes Gymnaſium Wiburgi per Senatorem Regni Ericum Gyllenſtiern aperuit. Idem fundavit Scholas non modò in ſuo Comitatu, ſed etiam Tawaſthuſiæ, Nyslottæ, Kexholmiæ & alibi: ut cultus bonarum diſciplinarum & artium etiam ſub frigido cœlo magis magisqve incaleſceret, animiqve incolarum vera religione ac moribus felicius imbuerentur. Regina Chriſtina inſuper in Oſtrogothia ex monaſterio Vadſtenenſi ejusqve fructibus ac reditibus Strategotrophium, ſive domum alendis laceris & egenis militibus exſtrui curavit: ut illi ſolatium aliqvod exantlatorum militiæ laborum ac debilitatis ſuæ haberent. Hoc eodem anno deceſſit Gabriel Oxenſtierna Regni Svetiæ Drotſetus, qvi in locum Comitis Magni Brahe anno MDCXXXIII. defuncti, electus erat. Illius elogium alibi oratione funebri complexus ſum. In illius locum ſeqventi anno ſurrogatus eſt Co-
1641 mes Petrus Brahe. Cum renaſcente hoc anno iterum Comitia Stockolmiæ habentur. In illis *Ordines Regni ſcopum & conſilia Reginæ de honeſtâ pace ſeriò qværendâ ſibi placere ſignificabant: ut tanta ſangvinis effuſio tandem ſiſti ac mœſti miſeriqve in Germania religionis ſocii depreſſi aliqvando reſurgere, & Svetia tam gravi belli onere liberari poſſit. Cautè tamen agendum eſſe: ne fucatis hoſtium verbis & doloſis machinationibus circumveniventur. Adverſus internorum fortè motuum periculum, ſpondent ſe conniſuros, ut omnia domi in tranqvillo & pacato ſtatu conſerventur, & ſecus forſan à nonnullis accepta dextrè ſubditi interpretentur. Si qvid adverſæ tempeſtatis*

peſtatis fortaſſis ex viciniâ impendeat, ad illud vel prævertendum vel amoliendum, vigilibus oculis, ſanis conſiliis, conjunctâ ſedulâqve operâ opus fore. Ipſos, ut fidos ſubditos deceret, Reginæ manus pro viribus & obligationis vinculo, qvoties opus fuerit, porrecturos. Fœdus Gallicum continuandum ſvadent, ſed cum acceſſione CM. dalerorum ad priora ſubſidia à Rege Galliæ præſtanda. Nec cum Batavis fœdus negligendum eſſe. De diſceſſu clandeſtino Reginæ Viduæ ex Svetia, præterito anno, non absqve regni contumelia facto, qvid ſtatuendum ſit, eos procerum & Senatus regni prudenti diſcuſſioni committere; ſic tamen ut Reginæ Chriſtinæ Filiæ ejus, patriæqve exiſtimationi ac ſecuritati conſulatur. Rex Daniæ denuò per Legatum ſuum Georgium Wind R. Senatorem & Qvæſtorem, pacis tractandæ negotium urget, hujusmodi literis: *Sibi nuper à Cæſare per Legatum ſuum eſſe ſignificatum, literas ſalvi conductus pro regni Svetiæ fœderatis in perfectâ & ampliſſimâ formâ concinnatas eſſe; ita ut non videat, qvid in illis deſiderari poſſit. Eas ſi à Regina acceptum iri conſtaret, & vice verſa ſalvi conductus literæ à Regina pro Cæſareis, Moguntinis & Brandenburgicis, in pari forma producerentur, ſtatim in promptu ad tradendum fore; qvarum exemplar Legatus penes ſe haberet. Qvum ergò tàm Cæſar, qvàm univerſum Collegium Electorale hoc modo coram toto mundo demonſtrarit, qvod omnia illa, quæ à Corona Svetiæ præcipuè ad faciendæ pacis principia deſiderabantur, præſtare non intermiſerint; Regem ſperare, Reginam cum regni Svetiæ proceribus ac Senatu pro ſua parte nihil omiſſurum, qvo hoc diuturnum ac pernicioſum bellum aliqvando ſopiatur, & Romano-Catholicis gloria, qvod majori & contentiori ſtudio, qvàm Evangelici ad pacem & qvietem, & provinciarum ſuarum ſalutem adſpirarint & collaborarint, adimi poſſit, & culpa in cœlum clamantis necdum ceſſantis innocui ſangvinis effuſionis non in ſolos Evangelicos conferatur.* Legatus porrò verbis conteſtatus eſt, qvantum detrimenti Svetiæ vicini & ejus Rex per hoc bellum facerent: dum ejus ſubditi in perpetuo belli metu non ſolùm verſarentur, ſed etiam propter valida hoſtium arma regni Danici finibus toties imminentia, ſemper in parato & procinctu cum non levi rei familiaris & commerciorum diſpendio ſtare cogerentur. Qvamvis autem hoc bellum religionis & libertatis Germanicæ vicinorumqve conſervationis & ſalutis cauſa inchoatum hactenus geri feratur, deprehendi tamen proh dolor! in una parte viciniæ omnia ferme templa, & ſcholas ad vaſtitatem & ſolitudinem redactas, Sacerdotes è ſuggeſtu ad mendicitatem compulſos, innumeros pagos & oppida devaſtata, &

maximam partem incolarum, adhuc à ferro & fame liberorum ac ſuperſtitum, nusqvam domi eſſe, niſi ubi ex alienâ & Chriſtianâ miſericordia ſuſtentari poſſint. Ita ut ex his aliisqve cauſis ſummè neceſſarium ſit, nullam occaſionem præterire, qvâ tanta miſeria in meliorem & lætiorem ſtatum commutari poſſit. Ultimò Legatus deſideravit, qvosdam R. Svetiæ Senatorum à Regina delegari, qvi de certo die & loco tractatuum deliberarent: ut ita felix initium, & Dei auxilio optatus exitus ad tutam & honorificam pacem obtinendam fieri ac ſperari poſſit. Ad hæc procerum & Senatus regni Svetiæ reſponſum erat: *Ex Senatu jam conſtitutos eſſe, qvi cum Legato, velut deſiderarat, conferrent. Ex communicatis autem deſcriptionibus literarum ſalvi conductus tantum ſe cognoviſſe, qvod verba* nondum reconciliati *jam omiſſa, & alia, qvorum vigore regni Sveciæ fœderati per ſe vel delegatos Coronæ tractare poſſent, inſerta eſſent: ut ſic maximæ difficultatis ſaxum ſublatum eſſet, & his literis, qvoad ſubſtantialia adqvieſcere poſſent. Attamen adhuc qvidam errores in iis notati* Legato oſtendebantur, *qvi non eo modo in autographo forſan exſtarent; aut ſi exſtarent, mutandi eſſent. velut inter cætera, licet Regina Cæſari ſuum competentem titulum tribuiſſet, tamen non vice verſa. Reginæ à Cæſare ſuus eſſet attributus titulus, ſed qvaſi obiter* Sereniſſimam Reginam & Coronam Svetiæ, *ſcriptum eſſe. Qvod etiam Landgravia Haſſiæ in Ipſius ſalvi conductus literis cum omiſſione decentis tituli ſaltem* Illuſtr. *cum decurtatâ & ad oram epiſtolæ poſitâ ſcripturâ, vocaretur: ut ita ignoraretur, num Illuſtris vel Illuſtriſſima diceretur. Idcircò ex his inſinuatis deſcriptionibus non ſatis poſſe judicari, an literæ ſalvi conductus acceptæ, vel minus eſſent. Proinde neceſſarium videri, ut autographa ipſa producerentur: ne qvid in illis, emendatione vel mutatione egens, omitteretur. id qvod ad Legati Salvii collationem Hamburgum remiſſum eſſet. qvi ſi autographa liqvida comperiret, literarum commutatio cum reliqvis ſociis fœderis & Evangelicis procederet: ne qvis, in ſua cauſa ſe non auditum eſſe, qvereretur.* Locus Tractatuum Proceribus & Senatui regni nunc viſus eſt commodus, Lubeca vel Hamburgum. De tempore verò non poſſe certi qvod præfiniri; niſi re prius ex pactis fœderis cum Rege Galliæ communicata. Ei tamen feſtinationem operis commendatum iri. Reginam qvoqve, ſi videret adverſam partem ad pacem ſeriò propenſam eſſe, præter Salvium nunc Hamburgi res ejus curantem, primo vere miſſurum in Pomeraniam aut Mechlenburgum aliqvot ex Senatu regni delectos: ut eò propius adeſſe, momenta temporum ac rerum obſervare, & omnibus impedimentis

mentis ac ſupervacuis dilationibus eò melius occurrere pro viribus poſſent. Inſuper à Reginâ commendata eſt Regi Daniæ procuratio literarum ſalvi conductus vel tuti itineris pro Ordinum fœderatæ Belgicæ delegatis: ne qvid in his remoræ capiti rei eſſet. Qvia verò & antea non ſemel, & nunc in literis Regis Daniæ verbisqve Legati, culpa protracti belli, & inde orti mali, ab adverſa parte in Reginam conferri videbatur, neceſſarium eſſe duxit, Regi contrarium demonſtrare: qva ratione non ipſi, ſed potius adverſariis ejus imputandum eſſet, qvod cruenta arma hactenus ad nullam compoſitionem, multò minus qvietum ſtatum deducta eſſent. Idcircò in hanc ſententiam reſcripſit: *Ab adverſaria parte ſemper diſſenſionis & diſtractionis inter Reginam & Fœderis ſocios ſemina jacta eſſe, nec absqve communis cauſæ gravi obſtaculo, & extremo fermè interitu. Subinde enim peculiares & ſeparatos tractatus ei oblatos; de pace multa verba, ſed re caſſa & inania facta eſſe. Miniſtros ipſorum, qvorum diverſi de ſibi commiſſo pacis negotio gloriati eſſent, vel nullo vel non ſufficienti mandato inſtructos fuiſſe. Præterito anno conventum Noribergæ, & deinde comitia Ratisbonæ, ſub obtentu deliberandi cum Imperii Ordinibus de modo Imperii R. ad qvietem reducendi inſtituta, annon potius de bello & ejus efficaci continuatione egerint & decreverint, acta eorum conventuum teſtari. Hoc eqvidem difficile negatu eſſe, qvod Rom. Imperiò ſtatus præſertim Evangelici; tàm nondùm reconciliati, qvàm reconciliati (ut nunc appellentur) parum ſolatii ex dictis conventibus hauſerint; & in adverſa parte exiguum pacis deſiderium ſit deprehenſum. Si ergò per adverſariæ partis culpam mora compoſitioni hactenùs facta vel ulteriùs facienda, & inde nunc adeò graſſans terrarum ruina, deſolatio & calamitas contra omnium ſpem diutius continuanda & vicinorum periculoſus ſtatus, incommoda & alia hujusmodi non ceſſatura eſſent, ſperare Reginam, ſibi non imputatum, multò minus jure exprobratum iri: Qvod bellum pro natura & fato ſuo, ubi geritur, ſævum ac pernicioſum, non ſcopum initio propoſitum aſſecutum ſit, ſed potius contrarium effecerit: præſertim poſtqvam adverſariorum proprii, & qvorum res præcipuè agebatur, fœderis ſocii, per intempeſtivam ſuam defectionem, & nunqvam ſatis deploratam pacem Pragenſem, atqve hinc contra Reginam obverſa arma, prioris belli rationes prorſus mutaverant, benè cogitatum inſtitutum turbarant, atqve ſic absqve ulla Reginæ culpa, excidium propriarum regionum, templorum & ſcholarum, urbium & domorum ſibi ipſi conſciverant & in cervices ſuas attraxerant.* Cæſareo delegato Lutzovio negotium pacis, cum Salvio pertractandæ, magnæ curæ eſſe videbatur, de præcipuis ne-

gotii capitibus ſtudioſè cum eo in medium conferenti. Auxilii nummarii conſummatio in Gallia fermè claudicabat, monito regii ærarii præfecti Bullionii, nuper mortui, in aulâ non parum ponderis habente: *Regem amicitiam & fœdera cum aliis Regibus colere & fovere poſſe, etiamſi ſubſidia pecuniaria cuiqvam non ſuppeditaret: his ad ſeipſum ſtabiliendum & fines ſuos tuendos opus eſſe. Alios Principes absqve iſtis, ex proprii ſtatus ratione communem Europæ ſecuritatem defendere & adjuvare oportere.* Qvo Comitis de Avaux ſermo cum Salvio qvoqꝫ propendere videbatur. Haud obſcurè tamen præ ſe ferebat, *ſe fœdus magis produci, qvàm tolli velle.* nec tamen penitus diſſimulabat, *ſi Rex ejus ſeparatam cum hoſte pacem deſideraret, indies eò viam ipſi patere.* Salvius reſpondit: Ita fore, *ſi omnia occupata hoſti reſtituere vellet.* Legatus negavit, *id neceſſe eſſe, modò hoſtis Briſacum recuperaret.* Poſtea, qvum Legatus aliud à Rege ſuo mandatum accepiſſet, ad rem propius acceſſit: *Nimirum Regem ſuum qvingenta millia qvotannis ſoluturum, ſi Regina locum tractandæ pacis mutare vellet. Qvod niſi fieret, ſe rem pro irrita habere, & pro conjunctione mox disjunctionem ſubſecuturam. Regem verò ſuum toti mundo dijudicandum relicturum, annon pro communi cauſa ſummâ fide ſtetiſſet, & Svetia ipſum ob tantillam rem deſeruiſſet; eoqꝫ modo fœdus planè ſublatum iri.* Salvius *gratias agebat Legato, qvod Regis ſui animum in hac cauſa ei bona fide detegere voluerit: ut aliqvando ex incertitudine emergeretur.* Primum Salvius acceptum habere viſus, poſterius ad Reginam ejusqꝫ ulteriorem declarationem remittebat: qvum ea de re nullum mandatũ haberet. Hoc reſponſo accepto, Legatus Gallicus ejus rei cauſa S. Romanum in Svediam mittit, & reſidua ſolvit: ne qvid difficultatis eo nomine porrò moveretur. Duces Brunſv. & Luneburg. ratihabitionem fœderis cum Sveticis denuò qværunt. Hermannus Bothe, & Soltavius, qvi ſe pro ejus Secretario gerebat, Hamburgi à Salvio vadimonio attenti ſunt. Ille ad mare Balthicum opportuno qvodam loco, imo ipsâ Viſmariâ potiri qværebat, ut ibi firmum pedem ponere & motum qvendam excitare poſſet. Aut in Livoniam arma ferre in animo habebat (qvod & poſtea fecit) ut in gratiam Cæſaris ex Imperio Germanico exercitum Sveticum eò avocaret. Sed ille Hamburgo mox elapſus eſt. Soltavium Salvius blandis verbis in domũ ſuam allicuit, ubi vinctum in rhedam ſuam conjici &, inobſervata re, Lavvenburgum, inde Viſmariam, & tandem in Sveciam avehi curat. Ubi qvod natione Svecus hoſti varia proditionis conſilia in claſſem Regiam dediſſet, & alias ſceleratas machinationes inſtituiſſet, capite, palo infixo, plexus eſt Holmiæ. Cæterum iſtius hominis, tam ſubito comprehenſi & abducti cauſa, Salvius à Cæſareis miniſtris & Senatu urbis conventus eſt. Miniſtri Cæſaris, præcipuè Lutzovius & Siberius Soltavium pro Cæſareo protribuno habentes,

bentes, à Senatu urbis deſiderabant, ut Salvium, qvod illi, qvi in officio Cæſaris eſſet, manus temerè injeciſſet; ad ſatisfactionem juris viâ compellerent. Senatus autem ſibi perſvadebat, hoc facto jurisdictionem Hamburgenſem violatam eſſe, Soltavium in integrum reſtitui cupientes. Adverſus Cæſareos adſerebat Salvius: *Soltavium jam ante annum miſſionem ab Archiduce Leopoldo accepiſſe, & impenſa Reginæ ad duos menſes ſuſtentatum eſſe: qvod ſyngraphâ & apochâ ejus probabat; eoqve in miniſterio Cæſaris jam non eſſe.* Senatui urbis reſpondebat: *Soltavium gente Svecum, Reginæ miniſtrum, juratâ fide Ei obnoxium, & in ſuo domo captum eſſe. Omnes autem Legatos poteſtatem habere ſuos miniſtros in ſua domo comprehendendi & puniendi, etiam inconſulto loci magiſtratu. Qvin ſi magiſtratus hoc impediret, facturum contra Regis, à qvo Legatus miſſus eſt, eminentiam & omnium gentium jura. Legatorum verò immunitates & privilegia ſe extendere etiam ad eorum currus & cymbas: qvæ qvaſi mobilia eorum domicilia eſſent. Idcircò non habere Senatum, qvod indignè acciperet, ſe in ſuo carpento Soltavium ex urbe ſuper eorum ſolum avehi feciſſe. Etiamſi enim fundus & ſolum eorum eſſet, tamen currum, & qvi in eo ſederat, ad ipſum pertinuiſſe; & qvi apprehenderet ac attineret hujuſmodi currum, jus gentium ac Legationis violare. Liberum ipſi eſſe, alium ſuorum miniſtrorum ſuper illorum ſolum transvehere; qvidni liceret ei pro facinoroſo miniſtro tranſitum non præjudicialem habere? Se hæc non loqvi tanqvam Salvium, ſed tanqvam Reginæ Svetiæ Legatum, imò tanqvam Reginam Ipſam, cujus vices ſuſtineret. Jurisdictionalia civitatis eſſe juris poſitivi Germanici; nullius autem Monarchæ Legatum illis ſubjectum eſſe; ideoqve non adverſus iſtæc peccare poſſe. Præterea nullum ſe propoſitum habuiſſe, jurisdictioni illorum vim aliqvam aut injuriam faciendi, ſed unum infidelium ſuorum miniſtrorum ad obſeqvium redigendi.* Tandem hæc controverſia conticuit, & prorſus ſopita qvievit. Bannerius in ſuperiorem Palatinatum cum ſuo exercitu movit, ad præpediendam ſociorum hoſtilium conjunctionem, & comitia Ratisbonenſia diſturbanda. Eâ cauſa præmiſit Kônigsmarchium, qvi in itinere, ad Ambergam Trukmulleri & Kolbii binas turmas fudit & in fugam compulit, plerisqve eorum eqvis potitus. Rei tormentariæ præfectus Mercius Ambergæ ſubſiſtebat; ad colligendum in ſuperiori Palatinatu Bavaricas copias. Qvum verò Svetici tam repente ſe illis ſuperfudiſſent, è re ſuorum magis fore duxit, omnia victus adminicula noſtratibus præripere, & Cæſaris copias absqve more adducere. Cæſar autem cum Ordinibus decernit Ratisbonæ permanere, urbe interim

magis communitâ & qvater mille militum præſidio auctâ, evocatisqve e Bohemia reliqvis agminibus. At Bannerius ad Noribergenſes ſcribit *ſuum illis adventum indicans; & ſimul admonens eos prioris erga Coronam Svetiæ & Evangelicum ſtatum conſtantiæ, ac benevoli animi retinendi; & ut porrò ad communem ſcopum obtinendum ſua conſilia factaqve conferre velint. Si non ſolum eorum commercia & victus compendia, ſed etiam poſſeſſiones tam extra qvam intra urbem, non absqve ſingulari ipſorum fructu, protecturum.* Inde Ratisbonam pergens, eam ejusq; pontem recognoſcit, & qvid hoſtis moliretur. Ille verò in urbe ſe qvietum tenebat. Ipſe Cæſar uni virginum aulicarum nuptias faciens, acceſſu Sveticorum nonnihil conſternatus, tripudiis lætitiaqve præſenti ſuperſedit. Cæterum glacies ſubito imbre reſoluta, & Danubius repentè intumeſcens atqve excreſcens, navalis pontis uſum & tranſitum Bannerii impedivit. Attamen nihilominus conſilio ſuo inſiſtendi, certè in Cæſaris & Bavari regionibus ſedem belli ponendi ſpem habebat; niſi repentinum obſtaculum ex transverſo ipſi objectum fuiſſet, nimirum ſeparatio Gallicorum Weimarienſium à Sveticis auctore inprimis Tupadelio, inevitabilem Catholicorum eqvitum ſeceſſionem & abitum prætendente. Bannerius tam ore qvàm literis ab iſta ſeparatione illos ſedulò dehortabatur, oſtenſo ingenti periculo, ab hoſte per eam metuendo. Si enim hoſtis hoc animadverteret, hinc occaſionem in illos irruendi & in aſſidua disjunctione retinendi, alios atqve alios globos Sveticos delendi occaſionem hinc capturum. Itaqve ſummoperè rogabat, ut penes ipſum remanere vellent, donec cum ratione, tutoqve & juſto tempore in ſtativa vel ſuperioris Palatinatus vel Bohemiæ diſtribui poſſent. Sed ad hæc omnia ſurdi, pertinaciter in ſeceſſione perſiſtebant. Bannerius ergo hinc recedens, oppidum Chamam deditione capit: ut tergum ad Bohemicum nemus tutum haberet. Animus qvoqve ipſi erat Nabam ire: ubi ſubſiſtebant Gallo-Weimarienſes, ſi eos forſan in ſuas partes reducere poſſet. Sed illi mox Mœnum tranſierunt, in Epiſcopatu Bambergenſi hiberna qvæſituri. Inde in Voigtlandiam ſe contulerunt, perſvaſi à Königsmarchio, ſe cum Sveticis iterum conjungere. In transcurſu per VVrangelium arce Furtâ occupatâ, bona annonæ copia iſtic reperta eſt: dein etiam arce Ketzdinga potitur. Slangius à Bannerio evocatus, ut ſe cum Sveticis conjungeret, ab aliqvot Cæſarianis in oppido Neuburgo cinctus capitur: cum ibi diutius commoratus eſſet, & oppidum per ſe infirmum parvoq; præſidio munitum eſſet. Captus eſt ibidem Carolus Magnus Marchio Badenſis, tunc magiſter eqvitum ſub Slangio, præter alios;

qvi

qvi Ratisbonam ſingulari cum pompa ab hoſte deducti, tamen animos non dejecerunt: ita ut Ratisbonâ ad amicos de illis ſcriberetur: proverbium illud, *qvod captus leo tamen animum leoninum retineret*, apud eos locum habuiſſe. Hoc autem Sveticorum incommodum illud commodi ſecum ferebat: qvod, dum hoſtis ad Neoburgum aliqvantum detinetur, noſtrates, hoſti impares, ſpatium Cadenam regrediendi, hoſtem præveniendi, & Egera fluvio ſuperato, ad Bohemicum nemus absqve noxa perveniendi tempus & opportunitatem nacti ſunt. Conſtituto prius Erico Johannis Ulfspar Viſmariæ præfecto, Bannerius deinceps Zvickaviam & in Miſniam abit: ut ibi inter Moldam & Salam usqve ad Albim ſtativa caperet, & qvam commodè poſſet, ſe ſuosqve qviete aliqva reficeret. Sed ibi ſumma rerum penuria erat, colonis partim exſtinctis, partim in munitas urbes receptum conſecutis. Qvin Bannerius in hoſtis eum ſubinde ſubſeqvuti manus incidiſſet, & de ſumma rei periclitatus eſſet, niſi dimidia hora ei prævertiſſet. Ille verò cum omni ſuo exercitu, tormentis, & alio apparatu in ſalvum evaſit Zvickaviam, qvò etiam Comes Guebrianus & Comites Naſſoviæ ad eum pervenerunt. Qvibus Gallo-Weimarienſium ſeceſſionem ac ſeparationem comm..moravit: qvam illi prorſus improbarunt; licet cauſam diſceſſionis annonæ inopiam prætexerent. Ob continua itinera Bannerius tertiana Febri corripitur; qvæ vires corporis non parum debilitavit ac fregit. Haſſiaci ex urbe Lipſtadio excurſionem facientes, tribuni Neppeni CCC. eqvites disjecerunt, paſſim in fugam ſparſos. Stalhanſchius ex Sileſia abit in inferiorem Luſatiam & Marchiam Brandenburg. In itinere domum Jeſſenam invadit & demolitur. Porrò Svetici præter alia Ruppino & Havelberga potiuntur; Ratenaviâ præſidiis munitâ novus Elector Brandenburgicus, defuncto patre, qværit cum Sveticis pacem aut inducias: hoſtilia contra Svedos in Pomerania prohibet, & comprobat dimiſſionem captivorum Johann. Nicodemi Lillieſtröm / & Caſpari Kempendörff. Literæ Cæſaris, in qvibus Reginæ plenus & competens tribuitur titulus, advenerunt. Sed de loco tractandæ pacis iterum diſceptatum eſt, Rege Galliæ Monaſterium, Regina Svetiæ Oſnabrugam offerente; item de ſatisfactione, exſolutione pro exercitu, & conventu omnium Evangelicorum Principum & fœderis ſociorum; item de termino fœderis cum Gallis, & de amneſtia. Qvæ tandem etſi lentè, privatis ſimultatibus publicæ tranqvillitati condonatis, conciliata & conventa ſunt; ut ſuo loco dicetur. Literæ Imperii Ordinum Ratisbonâ ad Reginam

ſcripta

ſcriptæ ſunt; qvarum argumentum hoc erat: *Eos non, ut vulgò ferretur, de producendo bello, ſed pace rectè obtinendâ in Comitiis conſultare. Ab ejusdem deſiderio Reginam non alienam fore, ipſos ſperare. Qvod ut teſtatius faceret, delegatos quoqve ſuos Noribergam, aut qvò placeret, ad commodius de pace agendum mittere vellet.* Ad eas Regina nervoſè in hunc modum reſpondit: *Se* (Reginam) *in conſideratione cauſarum tam belli inter Ipſius & præſentis Cæſaris Dnn. Parentes orti, propagati, & per tot jam annos continuati, qvàm modorum & viarum ad arma deponenda repertarum nihil minus credidiſſe, qvàm animos adverſæ partis, præcipuè illorum, qvi clavum actionum & conſiliorum tenuiſſent, ſeriò ad qvietem Chriſtianis qværendam propenſos fuiſſe. Inclutæ memoriæ Dn. Parentem ejus, etiamſi Cæſareos nulla re offendiſſet, tamen bis in Boruſſia, extra Romani Imperii fines, eos bello inſectatos fuiſſe, mare Balthicum initio piraticâ infeſtaſſe, deinde ingenti claſſe compleviſſe. Qvàm Fridlandus contra morem majorum, liberum commerciorum uſum, atqve jus populorum, ad littora iſtius maris habitantium, armaſſet: in qvo, ut inſtitutum ejus minus lateret, Admiralii titulum ſibi arrogaſſet. Duces Mecklenburgenſes, & alios eorum cognatos oppreſſos, Ducatibus & regionibus ſuis exutos atqve ejectos fuiſſe. Præſertim illum planè inſontem Ducem Pomeraniæ contra jus & æqvum, & tot Cæſarea promiſſa, ſub jugum redactum, & dominiis ac portubus ſuis emotum fuiſſe: ut per omnia hoſtis expeditiorem faceret ſibi viam ad regna & urbes ad mare Balthicum ſitas invadendum atqve in anguſtias cogendum. Si qvis Rom. Imperium ejusqve genuinam faciem, detractâ larvâ, eo tempore rectè intueri voluiſſet, qvomodo Principes & Ordines, provinciæ & ſubditi, potenti & aſſidua militia, poſtpoſitis Imperii Conſtitutionibus ac libertate, vexati ac depreſſi fuerint; ſi qvis eorum conſilia diligenter qvoqve obſervaſſet, qvem ſibi conſiliorum ſcopum propoſuiſſent, nullum, niſi rerum prorſus imperitum, ignorare potuiſſe; nihil de avita Germaniæ libertate ſuperfuiſſe, & omnes vias compoſitionis neglectas fuiſſe. Poſtqvam verò bellum exortum fuerat, & multi Principes ac Civitates Guſtavi Magni juſtis armis ſe aſſociarant, fœderibus cum illo ictis; ne tunc qvidem hoſtem cogitaſſe de remediis, qvæ ſanandis Imperii vulneribus apta eſſent, & de priori amicitiâ Cæſaris & Imperii cum vicinis Regibus ac Rebuspublicis redintegrandâ nullam ſuſcepiſſe curam; ſed qvomodo ſocii diſparandi, & hi ex Imperii ſolo profligandi, illi opprimendi, alii exhauriendi & enervandi eſſent; ut ſic propoſitus illis dominatus in Germaniam, cum extremo vicinorum pe-*

riculo,

riculo, intrudi, defendi ac ſtabiliri poſſet. Si hujus rei nullum aliud exſtaret experimentum, ſatis indicio eſſe Pacem Pragenſem, & eam ſubſeqvutam variarum actionum turbationem, verum (ut, qvod res eſt, dicatur) fontem omnis mali, calamitatis & excidii: qvibus inde, in ſummo flore antea vigens Germania inundata fuerit, & ad hodiernum usqve diem auctores ejus & alii ſubmerſi teneantur. Si moderatis conſiliis locus fuiſſet, & ſummi Dei juſtitiæ atqve omnipotentiæ, qvi ſingula hominum facta ac cogitata ad ſui nominis gloriam dirigere novit, debitus honor conſtitiſſet, nunc per Germaniam & in vicinia omnia in tranqvilliori ſtatu fore. Se qvidem non dubitare, qvin Romani Imperii Ordinibus nihil magis curæ ſit, qvam vera pacis reſtituendæ ratio. Si verò modus in tam arduo opere procedendi ponderetur, facile inde conſtiturum, hactenus nihil aliud agitatum fuiſſe, qvàm qva ratione non qvidem negotium illud abrumpi, ſed in ſuſpenſo relinqvi poſſet, aliter atqve aliter pro re natâ inſtituendum. Vel de ſolis præparatoriis non ſimplici vice, ſed diverſis temporibus & per diverſos interponentes actum eſſe. De deſideratis autem & neceſſariis tuti itineris literis nondum conveniſſe; qvamvis ab Ipſa & ejus fœderatis nihil, qvod non æqvum & ad opus promovendum utile, & dignitati ac libertati Imperii Ordinum conſentaneum eſſet, poſtulatum fuerit. Illis meritò ſumma cum laude acceptum ferendum eſſe, qvod dictæ literæ ad pertinax eorum deſiderium tandem expromtæ & traditæ fuerint. His & aliis hujuſmodi rectè perpenſis, non eſſe, qvod Imperii Ordines mirentur, ſi Ipſa talium memor, & qvæ in Comitiis Ejus propoſita & decreta fuiſſent, ſedulò conſiderans, graves diffidentiæ ſuæ cauſas hactenus habuerit, & poſt maturam rei deliberationem eas nondum animo penitus excludere poſſit. Ceterum his omnibus poſthabitis, nihil ſibi charius & gratius fore, qvam ſi legitima, tuta & honeſta pacis via reperiri poſſet, per qvam collapſus & turbatus Imperii ſtatus in veterem vigorem & priſtinam libertatem, qvod non ſolùm illorum, ſed omnium qvoq; Regum & Rerumpublicarum intereſſet, reſtitueretur, oppreſſi erigerentur, & in priores ſuas poſſeſſiones ac immunitates reponerentur, & communis pax cum Regina, Rege Galliæ & aliis, qvi ea comprehendi vellent, honorificis & æqvis conditionibus iniretur & ſtabiliretur. Qvod attineret ad literas tuti itineris à Cæſare transmiſſas, qvarum exemplum à Rege Daniæ ſibi traditum eſſet, Se eas qvidem acceptaſſe, ſed ea conditione, ut prius pauci qvidam errores, qvi vel ſcribarum negligentiâ irrepſiſſent, vel ſtudio inſerti eſſent, mutarentur, eædemqve Regi Galliæ placerent. Commendabat qvoqve illis Fœderatæ Belgicæ cauſam, qvanti eorum hic intereſſe poſſet. Literas tuti itineris pro Cæſareorum, Moguntinorum & Brandenburgenſium delegatis ſe jamdudum Hamburgum ad Salvium miſiſſe, ut ibi

cum Cæſareis commutarentur. Qvi etiam in mandatis haberet, omnes negotii pacis pertractandi honeſtos modos arripere, & cum Legato Gallico iſtic communicare. De loco Tractatuum ſecum Rege Galliæ ſic conveniſſe, ut Colonienſis Tractatus Monaſterium, Lubecenſis aut Hamburgenſis Osnabrugam, in Weſtphaliam, transferretur: ut eò commodius & absqve longiori mora, cum non levi emolumento tam Imperii Rom. qvam Regum & Rerumpublicarum negotium tam grave iſtic pertractaretur: Qvod dictis literis etiam inſerendum eſſet. De reliqvis, qvæ ad præparationem facerent, & de tempore congreſſus ab utriusqve partis delegatis certi qvid decerni poſſe, idqve volentibus Cæſare & Imperii Ordinibus. Pro ſua parte omnia ad tractandum parata fore, ſimulac cognoſceret, dictas literas invicem commutatas ac traditas eſſe, & de loco ac tempore congreſſus omni ex parte conveniſſe. Hæ Reginæ literæ in Comitiis Ratisbonenſibus coram Ordinibus Imperii prælectæ ſunt. Ducum Brunſvicenſium & Luneburg. deſiderio de ceſſione munimentorum in medio Ducatu & remiſſione contributionum à Regina ſatisfactum eſt: ne prorſus à Svetia alieniores fierent. Hoſtis ad Salam ſeqvutus Bannerium, ex parte repellitur. At noſtrates decernunt Sala relicto, ad Halberſtadium ſtationem capere, & ibi granario militari frui, donec auxilia Brunſvicenſia & Haſſiaca ſibi adjungendi occaſionem acciperent. Cæterum Campi Mareſcallus Bannerius Halberſtadium deductus, poſt ſeptem hebdomadarum morbum ibi a. d. XIII. Cal. Junii piè animam efflavit. Eqvidem haut aliter judicare poſſumus, qvam illum, ſingulari Dei diſpenſatione, ingentibus actionibus & inprimis rebus Evangelicorum in Germania, pro ſua virili parte, imperio & auſpicio Regio, velut eximium inſtrumentum, vel tuendis vel reſtituendis, ſervatum eſſe. Qvum enim infans V. annorum in arce Hörningholmenſi luderet, linteum veli vicem ad feneſtram, flante vento cum fratribus protenſurus, *in Germaniam ſe vela dare velle* dixit. At per feneſtram ex alta domo in confragoſum ſubjectæ terræ locum delapſus, ſalvus tamen evaſit, ab hortulano candidâ veſte induto ſe exceptum ferens; qvi haud dubiè Dei Angelus fuit. Dux exercitus non minus cautus, qvàm fortis erat, animi impetum ratione frenare doctus. Pericula tam ſuorum militum, qvoties poterat, avertere & evitare, qvàm hoſti inferre promptus. Populationes graviores etiamſi in ſuo exercitu improbaret; tamen, ſi ſtipendia non ſemper, ut volebat, exactè procederent, qvaſi neceſſarium malum prorſus mutare non poterat. Facta conſultis, factis plerumqve proſpera comites habuit. Plura his addi poſſent, niſi jam occupaſſet hanc operam Daniel Behmer, aulæ Conſiliarius, luculenta & tam laudato heroë digna laudatione funebri. Poſt obitum Bannerii, vicario militiæ imperio interim Adamus Phul, Carolus Guſtavus

Wran-

Wrangel, Arvidus Wittenberg & Joh. Chriſtophorus Kónigsmarch fungebantur, donec in defuncti Bannerii locum eligeretur Linnartus Torſtenſonius, inter arma educatus, & ad virtutis militaris uſum ac fortunam non parum exercitatus. Etiamſi verò adverſæ valetudinis excuſatione fruſtra uteretur, tamen Regis Guſtavi Magni de ſe judicio permotus, præfecturam militiæ tandem in ſe ſuſcepit. Qvum enim ab hoſte captus eſſet, Rex Cancellario in mandatis dedit, *ut Linnartum qvibus poſſet modis è captivitate liberaret. Se enim ſcire, talem eſſe eum, qvi vel ſolus totum exercitum regere poſſet.* qvod Cancellarius in Senatu retulerat. A Senatu & Ordinibus regni 1642
Svetiæ in Comitiis decretum eſt, in poſterum arma longius, præſertim in hæreditarias Cæſaris ditiones transmovere: ut hoſtis ad propius incendium, diligentiori ejus exſtingvendi curâ, & majori pacis reſtituendæ ſtudio duceretur. Meminerant enim verborum Guſtavi Magni: *Niſi Cæſari in ditionibus ſuis hæreditariis arma inferrentur, & colligendarum virium compendia ſubtraherentur, pacem ſperandam non eſſe.* Torſtenſonius autem ad remotiora abiturus, non ſemper præfinitâ mandatorum neceſſitate adſtringi, ſed è re liberè in publicum conſulendi poteſtatẽ ſibi permitti, petiviſſe dicitur. Qvā etiam Regina ipſi à Se confirmato, tutò fecerat: qvippe cujus non ſolùm virtus ac prudentia, ut cordati ac circumſpecti viri, ſed etiam fides ac integritas erga patriā, ut boni civis, ei ſatis antea cognitæ erant. Et rectè judicabatur à regni Proceribus, per ſtrictos in bello mandatorū fines auctoritatẽ, curam & induſtriā imperatoris in arctū cogi: nec id ſemper è publica re eſſe, ob reſpectū jubentis, incertas hoſtiū machinationes, varios belli ſubitosqve caſus, & ancipites eventus; qvibus conſilia & facta pro re ac tempore accomodanda ſint. Accedere & illud, ut, ſi mandata ſuperiorū prius è longinqvis oris exſpectanda ſint, interea rei agendæ opportunitates facilè omittantur: qvæ à præſentibus magis, qvàm abſentibus intelligi qveūt, & absq; cunctatione peragenda ſunt. Si tamen res magni momenti morā ferret, incepta ejus ſibi prius cum lege ratihabitionis aperiri, & actorū rationẽ relationemq́ꝫ ſecum communicari, Regina volebat. qvod etiam factū eſt. Poſtqvam, fœdere cum ſociis ſtabilito, induciis cum Electore Brandenburgico factis, belli qvoqve ſubſidiis decretis, omnia expeditioni militari parata erant, Campi Mareſcallus Torſtenſonius juſto cum exercitu in Germaniam abitum, etiam prodigiis qvibusdam, ut volunt, præmonitum, & fauſtis ominibus adjutum, parat. Eò qvum veniſſet, Kónigsmarchio, ſupremo vigiliarum præfecto, anteriora ſtativa adſignavit: ut propius hoſtem curaret, & velut in excubiis pro Svetico exercitu cum expedito milite ſtaret. Hic in Saxonia ad Apenburgum & Oſterburgum hoſtem tranſitu Albis pro viribus prohibitum ivit.

Inde progreſſus, qvater mille Cæſarianos interHalberſtadium & Aſcherslebiam improviſò oppreſſos profligavit; & arcis Mansfeldianæ obſidione depulſos perſeqvens omni fermè Saxonia exegit. DuxLuneburgenſis per ſuos ablegatos metata & hoſpitia militum Sveticorum in ditionibus ſuis apud Torſtenſonium deprecatus: ſimul Goslarienſem conventum excuſavit: eum Reginæ non fore præjudicio, nec ſuæ fidei & amicitiæ fraudi. Torſtenſonius eum ad continuandam ſolitam ſocietatem & opem, atqve ut conventum ad compoſitionem de communi pace reſervaret, hortatus eſt. Qvamvis autem ante Sveonum fortuna in Germania aliqvantum mutari cœpiſſet, tamen cum adventu Torſtenſonii benignior fortuna rediit ac refulſit. Qvippe Stralſundiam accedens, qvum in Pomerania, ac deinde Ducatu Mechlenburgenſi rectè conſtituiſſet, qvæ ad provinciarum iſtic ordinationem & munitionum defenſionem pertinerent, ac Sveticos milites novâ virium ac ſtipendiorum acceſſione refeciſſet & exhilaraſſet; jamqve ubi hoſtes erant, propius adeſſet, tantus terror invaſit hoſtes, ut Gottingæ in Saxonia obſidio, etſi cæſo Roſâ, eqvitum Sveticorum ductore, omnibus viribus à Piccolomineo tentata, tamen ſubitò ſolveretur. Inde progreſſus ex Brunſvicenſi Ducatu, inter Havelam & Albim ductis per Saxoniam copiis, Luckenam deditione accipit. Junctis verò ſuis cum Stalhanſchio copiis, poſt occupatam ab illo Gubenam, pulvere nitrato ac neceſſariis defectam, à Königsmarchio Sonnevoldam captam, atqve majorem ſuperioris Luſatiæ partem tributorum oneri ſubjectam, in ipſam Sileſiam penetrabat. Iſtic absqve longiori mora Sagano, Soraviâ, Sprottaviâ & Freiſtadio qvaſi in transcurſu ſubactis, majorem Glogoviam obſidione cingit. Hoc opus tam ſtrenuè ac feliciter aggrediebatur, ut qvo die urbem oppugnarat, eodem, loricis ædis Cathedralis primùm tormentorum vi dejectis, dein mœnibus urbis vehementer qvaſſatis, absqve ruina tamen, urbem conſternatam ac præſidiis non ſatis munitam, Rothavio & Schoneckio illam fruſtra tutantibus, prima impreſſione expugnaret. Præſidia & major pars civium, qvæ in armis erat, fundebantur, ipſa urbs diripiebatur, magna vi frumenti & paratus militaris ibi accepta. Præfectura urbis Wittenbergio commendata eſt. Tantæ civitatis ſortem minores facili negotio ſeqvutæ ſunt, Volavia, Trachenberga, Mielitza, Javeria, Striga. Qvibus obtentis, vias ſibi ab excurſionibus hoſtilibus tutas fecit: auxilia hoſti ex Bohemia præſcidit: neceſſaria victui ſuis procuravit. Ad Sveinitziũ Franciſco Alberto Duci Lawenburg. qvi cum X. legionibus, ſub ductu Comitis de Suiſs, Cæſareis & Saxon. opitulaturus, venerat, per Königsmarchium præmiſſum occurrit, ejusqve copias ſuis mox adductis circumfundit, relictis

relictis ad urbem pleriſq; tormentis & impedimentis. Initio qvidem ſiniſtra hoſtium ala primum Sveticorum impetum fortiter ſuſtinuit; ſed dum noſtrates pertinaci ardore inſiſtunt reliqvis, urgendo feriendoqve, his tandem nutantibus ac cedentibus, omnes in fugam ſe dedere. qvos Svetici ad qvinqve fermè milliaria, non levi ſtrage data, perſecuti ſunt. Præter CCCXL. gregarios, & præfectum vigiliarum Hanovium, ipſe Dux Lauenburgicus captus, & qvum ſe dedere nollet, aliqvot vulneribus affectus eſt; ex qvibus intra paucos dies mortem obiit. Hac Sveticorum proſperitate perculſæ urbes Sileſiæ, Sveidnitzium, Noveſium, Namslavia, Keſſelia & Oppelia deditionem ſponte fecerunt; ac tota fermè Sileſia in poteſtatem Sveonum conceſſit. Hinc verſis ad Oderam ſignis, ibi pauliſper ſubſtitit; ut ad hoſtis ulterioris molitiones attenderet. Cæterum qvum hoſtis in Moraviam perrexiſſet, ad ſe iſtic contra Sveticos præmuniendum; Torſtenſonius ſubſeqvi, & hæreditarias Cæſaris regiones adire: ut præcordia ejus propius tangeret, & vel ſic pacem hoſti extorqveret, ex conſilio Gùſtavi (de qvo paulò ante) utile judicavit. Itaq; nihil cunctatus, cum ſuis copiis in Moraviam ivit. ubi, præter alia minora oppida, Olomuzium, Moraviæ caput, octingentorum præſidio munitum, adoritur, obſidet, atqve brevi temporis ſpatio urbis deditionem facere cogit Antonium Miniatem, urbi præfectum. Ille, qvum legiones Cæſaris longius ad fines Ungariæ digreſſæ eſſent, ſuppetiis deſtituebatur. vel, ut alii ferunt, ad rem faciendam magis, qvàm ad ſibi commiſſa tuenda attentus; vel terrore præventus, incautius egiſſe putabatur: qvod etiam capitis ſupplicio poſtea Viennæ luebat. Devictæ urbis, novis operibus & propugnaculis magis munitæ, cura & cuſtodia Paikelio & Hammerſtenio tribunis & protribuno Vankio, cum DCCC. & amplius præſidio, credebatur. Urbs omnis generis pretioſis rebus ac opibus referta fuit; ſed, qvam præ illis ſolam æſtimabat Regina Chriſtina, inſigni Bibliothecâ, ipſi transmiſſa. Peragratis tam feliciter Sileſia, Luſatia & Moravia, tempeſtatis inſtar, ſubitò ſe vertens Torſtenſonius, nobilem Sileſiæ urbem Brigam MD. præſidio roboratam aggreſſus, jam oppugnare cœperat. Sed Leopoldo & Piccolomineo urbi ſuccurrentibus, eorum viribus minor, ab urbis obſidione diſceſſit, & Konigsmarchio Moravicæ Neapolis occupatione in tranſitu commiſſa, qvod feliciter effecit, ipſe transmiſſo Odera, Bernſtadium ivit, inde Oelſiam & tandem Guram: ut Oderæ propior eſſet, & averteret, ne auxilia è Svecia exſpectata & cum eis conjunctio ipſi præciderentur. Inde in Luſatiam movit, militis iſtic recreandi cauſa. Konigsmarchium & Kretzenium ad Albim præ-

 miſit.

miſit. Qvo ſe etiam dein movens, Lipſiæ obſidionem meditabatur. Sed hoſte eum ſubſeqvuto, repentè ſe contulit Braitenfeldam: ubi acie congreſſus cum hoſte, pedeſtria ejus agmina & partem eqvitatus fundit, Comite de Suiſs & aliis præcipui nominis captis, hoſte in Bohemiam ſe recipiente. Exinde cum Königsmarchio ſe conjungens, Lipſiam adoritur: qvum nulla meliora loca, ad diſpeſcendum in hyberna exercitum, qvàm in Saxonicis terris tunc reperiret. Omnibus viribus urbem circumvallat, & tormentis ad portam Grimmenſem admotis, vi qvaſſat. Interim Archidux Leopoldus & Piccolomineus Electori urbiq; magnis cum copiis auxilio accurrentes, prælium cum noſtris decernunt, ſpe liberandæ Lipſiæ, & anteqvam Weimarienſibus copiis aliisve è regno auxiliis invaleſceret. His intrepidè obviam procedit Torſtenſonius, & prælii copiam in eodem loco, qvo, ante XI. annos, cruentũ illud, Guſtavo Magno imperatore ſteterat, illis offert. Cæſariani & Saxonici cum eo manibus ſignisqve collatis audacter congreſſi, primo impetu atq; ingenti animorum fervore Sveones retrò egerunt. Sed hi mox recollectis animis, & copiis ſiniſtri cornu productis, primò eqvitatum hoſtilem, prædæ magis qvàm pugnæ addictum, dein ab eqvitibus deſertam maximam pedeſtrium agminum partem profligarunt ac fugarunt, exutam impedimentis, XLII. tormentis, omni inſtrumento militari, & Archiducis argento caſtrenſi atq; ſecretioribus ſcriptis. In hoc prælio CAROLI GUSTAVI tunc Principis, poſtea Regis Svetiæ, ardor animi primis, ſed inſignibus documentis emicuit. Qvippe à Principe Celſiſſimo, Parente ſuo, commendatus Linnarto Torſtenſonio militiæ præfecto: ut ſub ejus diſciplinâ, maſculi animi & peritiæ militaris exempla caperet, & ipſe cum tempore ederet, ab eo cohortis prætoriæ magiſter eqvitum in experimentum creatus, etiã in minoribus muniis (ſic Pater & Filius volebant) ita virtutes ſuas exſeruit, ut ſe paulatim majorum capacem redderet. Eqvidem in dicto ad Lipſiam prælio ſtrenuè ſtetit, nec abſq; diſcrimine, eqvo ejus, cui inſidebat, transfoſſo. Hac inſigni victoriâ, licet etiam Svedis haut incruentâ, inprimis Lilliehökii pro patria fortiter dimicantis generoſâ morte, Lipſia, licet MM. præſidio munita, tamen poſt ſtrenuam III. hebdomadarum defenſionem, victori ſe dedidit. qvi juſtis urbi præſidiis, nimirum legione Petri Ribbing, & præfecto Axelio Lillia impoſitis, cives direptionem urbis qvindecim millium nummorum unciali tributaria pecuniâ redimere permiſit. Potuiſſet qvidem majorem ſummã civitati extorqvere; ſed ſaluti commerciorum in futurum conſulere voluit; & ut præſidia intra urbem accepta facilius ac promptius à civibus alerentur; ut ipſe ad Reginam ſcripſit. Major & præcipuus victoriæ hujus fructus fuit: qvod Cæſari & Electori tandem ſe-

rias

rias pacis cogitationes injecit: ut qvæ ad præmoliendum ei facerent, nunc recognita, rata haberentur, & Tractatus pacis Oſnabrugæ & Monaſterii in Weſtphalia, ſolenniter cœptus, poſt octennium demum conſummaretur: de qvo alibi. Proinde præviſo, lentum hoc fore negotium, convenit inter Svecos & Gallos, ſub clypeo pacem tractare, atq; Cæſarem ac Electorem ad properandum pacis negotium magis adigere, conjunctis animis & auxilio XXXM. hac lege & conditione: ut Sveci in Weſtphalia, Saxonia & propriis Cæſaris regionibus hoſtem invaderent; Galli ad Rheni oras & illis adſita bellum proveherent; occupatis cuiq; ad pacem usq; relinqvendis; qvæ tamen neutro inconſulto facienda eſſet. Torſtenſonius autem in Saxonicis terris progreſſus, variaqve loca occupans; inde in Moraviam revertitur: ut impendentibus iſtic incommodis occurrat, & Olomucio ſuppetias ferat; qvum ejus recuperationem Cæſarei qværerent; & præſidiarii cum civibus in fide vacillare viderentur; etiamſi conjuratio de præſidiis necandis ante detecta, auctore ejus eqvis membratim diſtracto, & XXIV. capite plexis, ſeverè repreſſa fuiſſet. Simul acceſſerat, Cæſarianos obſidione amovit, præſidia firmavit, motuum minas repreſſit, annonâ ac neceſſariis urbem auxit. Hinc in Saxonicas terras regreſſus, Freibergam, montanum Miſniæ oppidum aliqvot hebdomadarum obſidione fatigavit. Sed urbs internis operibus & ſtructuris validè munita, à Sveinitzio ei præfecto ſtrenuè defenſa, Piccolominei & Colloredi ex Bohemia adventantia ſubſidia, nullaqve præliandi occaſio, obſidionem ei ſolvere ſvaſerunt; integrum exercitum alii & inopinatæ impreſſioni, qvantum inclemens tempeſtas permiſerit, ſervaturo. Mox in Sileſiam, etſi fruſtra reluctantibus Cæſareis, & ductore eorum Buchemio iſtuc miſſo, ſed in itinere à Sveticis malè tractato, movit: ut dum Königsmarchius in inferiori Saxonia, Weſtphalia & Bremenſi ditione hoſtem diſtrictum tenet, ille Cæſareos in Pomeraniam iter parantes, vel ex Sileſia emoveret, vel prælio frangeret. At neutrius facultate data: qvum tranſitus ſatis firmaſſent, & omnia ad Albim commoda loca tenerent; tamen iſtic ad menſem ſubſtitit, ſuis & hoſtium rebus intentus, nec ab excurſionibus in hoſtem per occaſionem ceſſavit. Interim Cracovius, ſupremus vigilum apud hoſtem præfectus, cum ſuis copiis per Bohemiam, Luſatiam, Sileſiam & Poloniæ limitem, in ulteriorem Pomeraniam irruit, eamqve, non uno loco capto direptoqve, populationibus pervagatur: qvod tormentis & aliis neceſſariis deſtitutus, ſe iſtic diu tenére non poterat; donec Königsmarchius appropetans, eum Belgardæ incluſum, plerisqve locis recuperatis, caſtris munitis, & ipſa Pomerania expulit. Hoc anno a. d. XXIII. Martii, ingens procella, 1643
cum

cum gravi turbine & intenſo frigore, complures exſtinxit homines in itinere verſantes. Guſtavus Horn, novem annorum in Bavaria captivus, pro Johanne de Werdt & Enkefort commutatus & priſtinæ libertati redditus eſt. Inter Sveones & Danos ſubitò cogitatum & mox exortum eſt bellum, variis hominum judiciis obnoxium, anteqvam ejus cauſæ publicarentur, ob qvas Regina ac Regnum Sveciæ à Rege & Regno Daniæ ad arma ſe provocari conteſtabantur. Illæ tales (prioribus qvæ ſub Carolo IX. & Guſtavo Magno contigerunt, ſuo loco commemoratis, eòqve hîc miſſis factis) ſeqventi anno in publicum edebantur: *Qvod naves Sveticas in freto Sundico & Balthico non ſemel attentas, & inter illas aliqvando regias, præter apluſtrium & velorum dimiſſionem, inqviſitione & excuſſione mercium, ſarcinarum bonorumq; interceptione & reſignatione literarum Dani oneraſſent. qvod vectigali nimium aucto, omnes fermè Europæas nationes in freto Sundico, pro nudo ſolùm tranſitu, tributarias, & inter eas qvoqve Revalienſes, Rigenſes, Narvenſes & Parnovienſes, Regno Sveciæ ſubjectos, feciſſent. qvod inuſitatum diſcrimen bonorum ac mercium Sveticarum alioqvi liberarum introduxiſſent: ut, qvæ ad rem bellicam pertinerent, non, ut olim, liberè, ſed ex ſingulari ſolùm indultu per fretum Sundicū transveherentur; & ut alienæ qvorumcunq; merces à propriis diſtingverentur: qvod, cum non levi rerum ſuarum diſpendio, in longa naviū detentione, venti & itineris neglectu conjectū eſſe, mercatores qvererentur. Qvū olim anni M DC XXIV. compoſitione hoc ſedulò urſiſſent Dani, ut Svecorū literis, qvæ de mercibus teſtantur,* Certificationes *vulgò vocant, illa verba* Propria eorum bona, *ad obreptiones, eluſiones & fraudes mercatorū in peregrinis mercibus, ſub nomine Svetico fallentibus, vitandas insererentur, hoc illis denegatū à Svecis eſſe: qvū commerciorū uſus absq; gravi detrimento facultatū & fidei, qvæ commerciorum vinculū eſſet, ita adſtringi neqviret. qvod itaq; tunc non obtentū fuiſſet, fruſtra nunc in dubiū & controverſiam vocari. Ob Svecorū mercatorū Certificationes doli inſimulatas, ideoq; litibus, impenſis & temporis jacturâ vexatas (qvæ tamen fundamentū immunitatis Svecorum, & documentum eſſent, qvod merces ad illos ſolos pertinerent) eorū naves ſæpius detentas, militibus Danicis obſeſſas & Hafniam abductas, Collegii maritimi (Ammiralitatē vocant) cenſuræ & judicio ſubjectas; qvæ ex pactis ab utriusq; Regni delegatis decidi potuiſſent; iſtic lentis juris proceſſibus, aut merciū in publicū addictione & confiſcatione gravatas, intolerabili damno affectas, ac more hoſtili tractatas fuiſſe: unde tandem commerciorum incrementū & vigorē non absq; regni exitio extingvi, neceſſe fuiſſet. Ut tutius & ſimul promptius Dani nocerent, hoſtilibus molitionibus clā agitaſſe contra Svecos arma, eruptura in apertū bellū, ſi matura eorum conſilia & occaſiones fuiſſent. Reginā viduā ex Svecia Danicâ navi probroſè evehi*

Regem

Regem Daniæ curaſſe, & inteſtino Sveciæ ſtatui ſe immiſcuiſſe. Cum Magno Moſcoviæ Duce fœdus Regno Sveciæ ſuſpectum & invisum, ſpecie nuptiarum filiæ ejus cum Valdemaro, iniviſſe. Obtentu procurandæ in Germania pacis, ex invidia erga Svecorum fortunam, atque ad jus & emolumenta eorum labefactandum & ſocietates diſtrahendum, Cæſaris partibus in rem ſuam ſtuduiſſe. Hæc & plura hujusmodi, qvæ in publicè editis ſcriptis, Manifeſta vocant, exſtant, Reginam moverunt, ut in occultis daret mandatis Torſtenſonio, ſubitò transferre arma in Holſatiam, Jutiam & Daniam, ulciſcendi injurias jam factas, & antevertendi fortè venturas, pacem tutiorem exprimendi cauſa. Ille, in ſuperiori Germania firmatis præcipuis locis, mirâ diſſimulatione & ſilentio, conſciis ſolum Wittenbergio & Wrangelio, præcipuis copiarum ductoribus, inopinatò advolat. Superatis Viadro & Albi, pronunciat iter Ratzeburgum & inde in Holſatiam, hybernorum ſpecie. In itinere imparatis & obviis fuſis, ab Oldesloa Segebergam, Holſatiæ iſtic arcem non procul Lubecâ ſitam, & inde Kilonium, commerciis & annuo Nobilium Holſatorum conventu celebrem urbem, pergit, non absq; magnâ, ut res eſt, hominum & incolarum conſternatione, tumultu ac fugâ. Jam ager Pinnenbergenſis à Montaignii cohortibus occupatus erat, anteqvam rei rumor ad Regis Daniæ aures acceſſiſſet. *Ille qvum nullam offenſæ cauſam Svecis,* ut ajebat, *dediſſet, dolos eorum in vectigalibus legitimo modo ſublatum iviſſet, Moſchi & aliorum amicitiam integrè coluiſſet, belli onere Svedos levare, & pacem cum Cæſare illis conciliare bona fide qvæſiviſſet; tamen illos ex odio adverſus Danos conſveto, & latius regnandi cupiditate, bellum ſibi inſcio & non merenti, contra pacta Stetinenſia, contra fas & jura gentium absq; tempeſtivâ denunciatione, nec prætentatâ compoſitionis viâ, intuliſſe* expoſtulabat. *Jus verò ſibi in ſuo Regno reſervatum eſſe, ut aliis Regibus in ſuis ditionibus, diſpenſandi vectigalis modum, nec legem ſibi ab aliis hic dicendam eſſe,* contendebat; uti ex ejus libello, Manifeſtum nuncupant, publicato fuſius patet. contra qvod Sveci Refutationem iterum edebant; & ad priora ſe qvoqve referebant; donec à verbis & convitiis utrimqve factis & redditis, ad vim profeſſam deſcenderetur. Præter alia, Rex Daniæ monetam cum hac inſcriptione *Jehova juſtus judex*, in publicum emittebat: ut Deum ultorem iſtorum facinorum advocare intelligeretur. Sed Sveones ad divinum judicium confidentius provocabant: dum ad perſeverantes à Rege Daniæ illatas injurias & vim propulſandas neceſſaria arma ſe capere conteſtabantur. Qvæ qvum feliciter evenirent, uti ſuo loco memorabitur, ultio divina adverſus Svecos invocata, in ipſos Danos expetiiſſe dicebatur. Qvamvis autem ante arma ſumta, non unis ad Regem Daniæ lite-

ris, de injuriis ſibi palam factis, atqve, ſi illis remedium in tempore non fieret, juſtè vindicandis, qvid in animo haberent, ei ſatis ſignificaſſent; tamen ineunte ſeqventi anno etiam Fecialem indicendi belli cauſa in Daniam ad Regem miſerunt: ne & hoc defuiſſe videretur. Sed ille ſerum pro irrito habuit. Interea Torſtenſonius, qvæ in Holſatia peragenda erant, urget. Rendensburgum per Wrangelium, Bredenburgam per Montaignium adit & potitur; qvam vicina Itzehoa ſtatim ſeqvitur. Chriſtianpriſiam altero à Kilonio milliari ſitam, portu præſtans caſtellum, ſuum laborem ipſe Torſtenſonius facit, & prima aggreſſione expugnat. Licet verò contra niterentur præſidiarii, tamen numero Sveticis inferiores, acceſſu terreſtri non ſatis communito, ceſſerunt. Inde in Cimbriam vadit: ubi præter multatos pecuniâ nobiles, ipſe Princeps qvietem CM. Joachimicorum impenſa emit. At Rex Daniæ, accepto Fridericiburgi de Svecorum ulteriori impreſſione nuncio, absq; mora properat Hafniam, confirmatis ſuorum animis, & idoneis defenſione neceſſariis, qvoad in iſta feſtinatione licuit, conqviſitis; nihil recuſat, qvod ejus prudentiam, præſentiam vel auctoritatem deſideraret, omnia pro tutela ac ſalute regni ſubditorumqve terra mariqve auſus; etiamſi fortuna ei parum reſponderet. Qvippe Torſtenſonius, prævio in Jutiam Douglaſſio, raptim conductos MD. hoſtium ſub ductu Buchvaldii eqvites, ad Coldingam fundit, reliqvis in Fioniam fugatis. Inde progrediens ad caſtra Andreæ Billii Regni Danici Marſchi, qvæ in littore anguſti freti, qvod Jutiam à Fionia dividit, Middelfartum appellant, tenebant, poſt tridui oppugnationem capit, pluribus Danicorum in poteſtatem redactis. Montaignius autem in Dithmarſiam, Helmoldus Wrangel in extrema Jutiæ Borealis, alii in alia dimiſſi, vel cladem agreſtium armatorum vel prædam fecerunt; uti clariſſimus hujus belli ſcriptor, qvem hîc ſeqvor, memoriæ prodit. Idem adfirmat, intra duos menſes ex Jutia Holſatiaqve (exceptis Crempa & Glukſtadio, munitis oppidis & valido Danorum præſidio inſeſſis) hoſtiles copias à Torſtenſonio expulſas fuiſſe; tantus terror eas invaſerat. Acceſſit qvoqve in Scaniam cum juſto exercitu Dux Guſtavus Horn, præcipuis adminiſtris Wachtmeiſtero & Sperlingio, illo eqveſtrium, hoc pedeſtrium copiarum ductore. Transmiſſis ad Sunderloam ponte ſtrato copiis, Helſingborgam à præſidio & civibus deſertam invadit, & Ôreſundam pergens, obvios agricolas armatos, pervicaces & prædones per Wachtmeiſterum, Klingſparium & Stakium cædit, promtis obſeqvio parcit. In Scania verò, præreptis aliqvot oppidis, hæret, donec ex occa-

 ſione

ſione totam occupet. Dum hæc agebantur, Comes Petrus Brahe, Laurentius Kagge, Nicolaus Azariæ & Frid. Steenbock Weſtgothiam & vicinos fines adverſus Ebbonis Ulefeld irruptionem defendit, ſtationibus iſtic & ad limitem Norvegiæ in Dalia & Vermelandia collocatis. Hannibal Seſted, collecto in Norvegia qvantum poterat agricolarum, & roboratis ad Uddevallium caſtris, leves etiam irruptiones in limites Sveciæ ſubinde faciebat; ſed exiguo fructu. Easdem qvum MM. ſclopetarii tentaſſent in Vermelandiam ad Magnorebroam, Olaus Stak (qvi etiam in Dalia Sveticis contra Danos ſtrenuè adfuerat) centuriâ eqvitum in tres turmas diviſâ, imaginem adorituri & ſimul circuituri hoſtem præbens, hunc promtæ ſolertiæ fructum cepit, ut hoſtis ſole adverſo & nube pulveris objectis, qvò minus paucitatem illam conſpiceret, præpeditus & majores vires credens, recedendi conſilium caperet. Pari fermè modo, qvum Jac. Ulefeld per Jemptiam in Helſingiam, Medelpadiam & Angermanniam impreſſionem pararet, trepidantibus ruſticis opitulaturus Henricus Flemming ſenior cum Joh. Oxenſtierna, adverſus hoſtem acie progreditur, ſi prælii (qvod Oxenſtierna magis, qvàm Flemming urgebat) facultas ſe offerret. Cæterum hoſtis copiarum & aciei benè inſtructæ formam, & duo tormenta ponè trahi eminus cernens, pugnam ſubterfugit, velitationibus tamen utrimqve commiſſis. Fructus hujus expeditionis, Jemptia Svecis ceſſit. qvæ tamen inde diſcedente Flemmingio, eiqve ſuccedente Joh. Strichio, iterum defecit. Ad defectionem incitabat plebem Chriſtophorus Eraſmi præfectus centuriæ: qvi, turba è montanis Norvegiæ accurrente, tumultum augebat. Tandem Strichium munitioni Frôſienſi ad tres menſes incluſum, & fideliter ſuos ac munimentum defendentem, majorum præſidiorum parte morbo correptâ, ad deditionem munimenti hoſtes compulerunt. Sed hactenus fortuna terris, nunc etiam mari tentata eſt. Poſt præluſiones qvasdam Cornelii Nicolai Amſterodamenſis, & duas naves in anguſtiis Hallandici freti Danis ope XXX. opificum & nautarum abreptas & Gotheburgum abductas, ipſe Rex Daniæ, undecim navibus armatis & multâ materiâ munimentis exſtruendis ſupportata, Gotheburgi, præcipui finium iſtic munimenti, obſidionem ſeriò aggreſſurus, portumqve urbis obſtructurus erat; niſi adventu conductæ à Sveonibus Batavicæ claſſis, relictis aliqvot ad Gotheburgum, ex qvibus qvinqve fugatæ, domum revocatus fuiſſet; in procinctu tamen ſtante urbi præfecto Mannerskôld, & promto ad urbem ſtrenuè tuendam. Ex iſta Batavorum claſſe una, S. Matthæi nomen & ima-

imaginem præferens, qvum Gotheburgum præmiſſa eſſet, inopinatò incidit in ſtationarias Danorum naves: à qvibus attenta, mox tamen venti ſecundantis ope, fruſtra in eam fulminantibus ex claſſe & caſtello Danis, per mediam eorum claſſem incolumis evaſit, optione & nautarum uno ſolùm cæſis, XVII. autem, ut ferunt, in Danica claſſe. Sed & navium minorum una, cui à galea nomen, ſeqvi navem ſociam tunc non auſa, velis in altum reflexis, ad promontorium Schagam adverſante vento detenta, poſt triduum tamen, inobſervato per Danicas naves tranſitu noctu penetravit, & Matthæum adſecuta eſt. Qvod ita commovit Regem Daniæ, ut qvinqve ex ſuis, ob culpam excubiarum negligenter actarum, in crucem tolli juberet. Ut autem Sveciæ major vis maritima terreſtri conjuncta plus valeret, vigeſima tertia Maji tumentibus velis & vento ſecundo è portu Stocholmenſi, & ineunte menſe Junio, portu Dalerðenſi ſolverunt XLVI. naves militares inſigniter armatæ, ductore Claudio Flemming R. Senatore, claſſi præfecto. His intra qvartum diem ad deſtinatas oras feliciter appulſis, duæ, Leò Smalandicus & Draco explorandi cauſa præmiſſæ, cum tribus Danicis per octo horas acriter decertarunt, easqve repulerunt. Inde tota claſſis Chriſtianpriſiam ſe contulit: ubi Flemmingius cum Torſtenſonio de ſummâ rerum bellicarum deliberavit. Collatis conſiliis, ſtetit, Femeram, Holſatiæ inſulam, attentare. Qvippe, præterqvam qvod Svedis inde non ſemel incommodatum eſſet, locum hoſtili militi colligendo opportunum eſſe, hactenus eidem rei uſurpatum, animadverterant. Proinde impoſitis claſſi CCL. eqvitibus, C. dimachis & CC. peditibus Flemmingius ſolvit circa veſperam & XXIX. Junii die admovet claſſem, qvàm propè poteſt, dictæ inſulæ littori oppoſitam. Mox Femeram, naturâ & opere munitam, majoribus tormentis qvatit: ut negocium faciat defenſoribus ejus CCCC. militibus & DCCC. agreſtibus; qvi denſa vi globorum ferreorum infeſtati non ſatis præſidio valli reductibus & munitionibus eſſe poterant. Ita dubia ſpe ſe defendentium, Torſtenſonius occaſione uſus, cum pedeſtri CCC. ſclopetariorum agmine in terram expoſito inſulanos rectà petit, animoſè incurſat, eosqve propugnaculis uno conflictu exigit, cæſis qvotqvot in armis erant. Victoria nocte diremta, ſeqventi mane continuata eſt, fuſis obviis & ducentis in fidem Sveonum acceptis, Femeraqve occupata. Interveniens dies Dominica qvieti & ſacris data eſt. Seqventi die, qvi erat primus Julii, qvatuor naves à Flemmingio ſpeculatum mittebantur, qvo loco & qvantis viribus claſſis Danica eſſet. Illæ redeuntes, duxere

ſecum

ſecum liburnicam Danicam, qvam ad inſulam Mœnam ceperant. Iſta nunciabat ipſum Regem Daniæ cum claſſe ſua XL. navium prope abeſſe, animo ſuccurrendi Femeræ profligandiqve Svecos. Simulac Flemmingius claſſem Danicam, plenis velis & vento in Sveticam provectam, in conſpectu habuit, ſublatis anchoris & obliqvato curſu, præter Petersdorpienſe promontorium, ad inſulæ littus progrediebatur: donec circuito dicti promontorii flexu, converſa ſua claſſe, interceptoqve hoſti vento, plenis velis in eum ferebatur. Ubi jam tormenti ictus intervallo invicem diſtabant, primus Danicæ claſſi præfectus in Svecicam ſemel exonerare tormentum cæpit. At claſſi Sveticæ præfectus ſenis vicibus reſpondit. Utrimqve tormentis æqvâ pugnâ aliqvantum dimicabatur, donec obliqvo rurſus curſu, propius & infeſtius congrederentur. Flemmingius Danorum prætoriæ inſtans, eam capere potuiſſet; niſi alii navarchi in ſuo officio remiſſiores fuiſſent. Sanè per tres horas continuis tormentorum ictibus ita diverberata erat, ut ad ſe reficiendam digrederetur. Hinc hoſte jam inclinare viſo, Flemming ſuas ſe naves per medium hoſtem ſeqvi juſſit. Sed paucæ magnanimi ducis exemplum ſeqvebantur, reliqvas metus retardavit. Ideò hoc tertio conflictu prætoria Flemmingii navis aliqvantum perterebrata, reparatione opus habebat: interim hoſtilis acies ſe reſtituendi ſpatium nacta eſt. Qvarto congreſſu hoſtis vela paulatim retrò tulit; qvem noſtra claſſis perſeqvuta fuiſſet, niſi nox & tenebræ intercedentes, amici & inimici diſcrimen ſuſtuliſſent. Proinde accenſis lucernis, in tuta deducere claſſem placuit, qvæ longius à littore in altum progreſſa erat. Media nocte ad prælii locum reverſus Flemming, nullam Danicarum navium vidit. Idcircò ſe cum ſuis Chriſtianopriſiam recepit, reficiendarum navium, & opperiendi claſſem Hollandicam cauſa: ut junctis cum ea viribus denuò & majore vi cum hoſte manus conſereret. Hoc modo prælium navale feliciter absqve inſigni Sveticorum clade peractum eſt, ex eorum parte cæſis ſolùm XXX. militibus, L. vulneratis, nullo majoris nominis deſiderato. Naves verò, qvotqvot in pugnam exiverant, omnes in portum ſalvæ reverſæ ſunt: niſi qvod qvædam ictibus tormentariis lacerarentur, & Pelicanus ad Lalandiam deſidens, inde poſtea extraheretur. Inter Danos ex ipſorum relatione, LXXIII. cæſi, & CLX. vulnerati ſunt: inter qvos præcipui erant Ericus Laur. Canutus & Ellerus Ulefeld. Georgius Wind, Regni Daniæ archithalaſſus ex vulnere ictu tormenti in genu accepto, intra paucos dies mortem obiit. Ipſe Rex Daniæ feſtucâ ligni in unum oculum incuſſa, ejus uſum in poſterum amiſit.

Flemmingius poſt tres aut qvatuor dies iterum excurrere mente conſtitue-rat, ad qværendam hoſtilem claſſem; niſi continua procella & adverſus ventus egredi portu Chriſtianpriſiano prohibuiſſent. Interea claſſis Danica, dum Sveticam iſtic adverſa tempeſtate incluſam hærere ſentit, ſe recolligens & revertens, ad dictum portum anchoras figit. Ex Lalandia & Fionia bis mille milites coactos opportuno adverſus Chriſtianpriſiam excitato noctu aggeri, unà cum majoribus tormentis, imponit hoſtis: ut inde Sveticam claſſem propius impeteret. qvod Hermannus Flemming, tunc uni armatæ navi præpoſitus, nunc R. Senator & Admiralius Regius animadverterat, & parenti ſuo indicarat: ut animum ad præcavendum periculum attenderet. Ejus rei ſeqventi mane, diſplosis tormentis, periculum hoſtis facturus, etiamſi Sveticæ claſſi nullum gravius detrimentum adferret; tamen unus globus, advolans & ſuprēmas undas bis ſtringens, feriebat claſſi præfectum Claudium Fleming, in ſuperiore navi, lavandi faciem & manus cauſa, adſtantem; ſic ut dextrum ejus femur abrumperet; ex qvo vulnere poſt duarum horarum ſpatium piè deceſſit: eo majori jacturâ publicâ, qvò utilius regno patriæqve inſtrumentum fuerat. Promtus in conſiliis ex uſu publico dandis, civium cauſis ex æqvo & juſto dijudicandis. Honorificam qvoqve ejus memoriam regiones & plateæ urbium ac ædificiorum, dimenſis ac directis vicorum ordinibus, tam concinnè ex auctoritate publica diſpoſitæ teſtantur: inprimis manu factorum paſſim in regno officinæ, & res navales inſigniter inſtauratæ. Hanc inexpectatam ejus mortem Torſtenſonius ita ultus eſt, ut ſelectâ ſuorum eqvitum militumqve manu Danicos in caſtello ſuo opprimens, mille qvingentos neci daret, reliqvis captis, ſex tormentis, qvatuor ſignis & alio inſtrumento bellico inde ablatis. Qvum verò ille contra Cæſareos, à Gallaſio in Holſatiam Regi Daniæ ſuccurrendi cauſa adductos, iterum moturus eſſet, & Svetica claſſis ad ſe reparandam ac nova mandata accipienda, Holmiam rediiſſet, interim princeps Senatus Regni Comes Petrus Brahe Gotheburgum in Weſtrogothiam cum aliqvot cohortibus & copiis pedeſtribus advenit: qvas Laurentio Kagge contra hoſtilem ducem Annibalem Seſted, qvi tunc ad Hiſingiam caſtra locarat, ducendas tradidit. Ille re feliciter acta, copias hoſtiles Bahuſiam pepulit, hoſtili munimento in Hiſingia & aliqvot tormentis bellicis potitus. Qvum Archiepiſcopus Bremenſis, Fridericus Princeps, Patris ſui Regis Daniæ partes in hoc bello foviſſet & armis juviſſet, poſtpoſitâ lege pacti cum Svecis antea initi de qviete & neutris partibus, de Verdæ Bremenſis arce cum præſidio à Principe, usqve ad compoſitionem retinenda,

nenda, ſalvâ tamen Reginæ Sveciæ provinciæ Bremenſis poſſeſſione, de annona & conventa pecunia Kônigsmarchii copiis præbenda, & omnibus in præſenti ſtatu conſervandis; Sveci hoc indignè tulerunt. At Princeps, *pietatis; fidei & auxilii patri debiti ſanctius jus, qvàm cum qvocunqve alio conventionis aut pacti modum eſſe* contendebat. Sveci contra: *Pactum illud, in qvo eorum partes nunc ejeraſſet, tempore prius, non prætermittendum ipſi fuiſſe*, regerebant. *Eo fracto, pactorum jure ſe privaſſe. Pietatem ſemper parentibus debitam, certi temporis & legis expreſſæ conventioni non præjudicare. Patris cauſſam voto & affectu, non armis ſociis juvare oportuiſſet: ſpeciale pactum, ex fide data & accepta ſervandum, aut, ſi frangeret, proprii ſtatus periculum eum incurſurum.* Accedebat & hoc, qvod poſteà exactionibus & inſolentia militari incolæ onerati; itinera prædationibus infeſta reddita, tranſitus Cæſareis conceſſus, Sveticis negatus, & arx in præjudicium pactorum firmata erat: Unde Kônigsmarch, etiam non exſpectato Reginæ mandato, Verdenſem arcem occupavit, exarmatis concurrentium adverſus ſe militum turmis aut exſpoliatis. Qvod ſe *animo caſtigandi violatam fidem, & gravius impendens diſcrimen præveniendi feciſſe* fatebatur. At Archiepiſcopus, *absqve belli indictione ſe vim paſſum* expoſtulans, arma contra ſumſit; eo fructu: ut avocato inde aliò Kônigsmarchio, & Kônigſeckii clade ad Aſcherslebiam proſpero, Verdam non absqve Sveonum ſangvine & Langvedeliam vi caperet. Illam qvidem Kônigsmarchius redux recuperavit, hæc verò à Principe retenta eſt; cujus tamen auſa Wittenbergius poſtea reprimere jubebatur. Nec interea Gluckſtadienſes qvievere, effuſi in cohortem tribuni Dôrflingii, qvum in ſtativis Itzehoæ eſſet: Cohortem ſubitò oppreſſerunt, optione & centuriis aliqvot Galbrechti vel captis vel profligatis. Itzehoa qvoqve, incuria præſidiorum, ultrò citròqve commeantes non ſatis examinantium & excutientium, hoſti traditur. Portâ enim mane apertâ, plauſtrum trabibus oneratum, cum fabris & militum nonnullis agreſti habitu ſeqventibus, intra urbem admittitur: qvi ſtatione excubitorū & plerisq; præſidiorū iſtic verſantibus, interemtis aut captis, urbē occupant, qvā mox excepit cladesColdingenſis, jactura molis Middelfartanæ, & mors Stalhanſchii fortis viri. Sed & Gallaſſius cum expetito à Danis decē amplius milliū exercitu acceſſit, expugnato in tranſitu Boizenburgenſi caſtello. Veritus Torſtēſonius, ne ſuis à Gallaſſio intercluderetur iter inter Stapelholmiū & Sleſvicū, caſtra Sleſvicum & inde Stapelholmiū movit, in paluſtribus ſe, qvantum potuit, præmuniturus. Kilonio urbe

hoc u

noctu capta, Gallaſſius adverſus Torſtenſonium iter intendit. qvi ſin mora per pontes Eidoræ ad Rendesburgum inſtratos copias transmittit & apud Neomonaſterium Cæſarianos præſtolatur. At Gallaſſius oppor tuno & inacceſſo fermè loco ſubſiſtebat. Itaqve Torſtenſonius abit Segebergam; nec ibi pugnæ copiam faciente hoſte, Ratzeburgum, & annonâ Lubecæ ſibi comparatâ, Bernburgum, & inde Halberſtadium abit qvum in unum contractæ ejus copiæ commodè in Dania ulterius commorari non poſſent, Gallaſſio neceſſariis ibi ſuppeditatis. qvi etiam prævertendus erat, & præverſus eſt ad Bernburgum à Torſtenſonio, atqve ſic in anguſtias coactus, ut omnibus annonæ ſubſidiis excluderetur, etiam deperditis ſarcinis eqvisqve non paucis; ac militibus pluribus fame confectis. Qva cauſa Gallaſſius Magdeburgum ſe recipere coactus, pro lucro reputavit, qvod cum reliqviis exercitus ſui absqve ſummæ rei diſcrimine eò perveniſſet. Etſi pedites ejus, paulatim diſſipabantur, eqvites verò Magdeburga Wittebergam transcurrere conantes à Torſtenſonio cædebantur. Gallorum inſuper felix ad Rhenum ſucceſſus erat: dum Philippiburgo aliisqve locis ibi potiebantur. varia autem eorum fortuna erat cum Bavaris; de qvibus, præter alios, Brachelius libro ſexto hiſt. fuſè. Guſtavus Horn in Scania Landscronam oppugnans deditione occupat, acceptâ ibi magna annonæ copiâ, & duobus minoribus tormentis, olim Calmariæ interceptis. Johannem Wachtmeiſterum Uſtadium cum mille peditibus & delecta militum manu ire jubet & iſtic regionem tributariam facere, & alia qvæ ad ſecuritatem nuntiorum, viarum, & littoralis tractus ſpectent. Stenbockio fines regni tuendos commiſit. Ipſe verò motis caſtris in Blekingiam conceſſit, ut tributa abnuentes in ordinem redigeret. Qvum in deliberatione cum Laurentio Kaggio, non diſplicuiſſet conſilium ex rerum præſentium ac temporum uſu, aliqvid in potentiores hoſtis inſulas conari, hîc Malmogia primum adorienda viſâ eſt: qvâ occupata nihil Daniæ Regi ſatis validum aut tutum in viribus inſularibus fore credebat; qvod Danus præſentiens ac præcipiens, trium millium præſidio eam firmarat. Hornius præmiſſo Comite Carolo Leionhufuud, ſtrenuè adverſus hoſtem ſtante, & re accuratius exploratâ obſidionem urbis qvidem tentavit: ad qvam qvum majori apparatu, annona, copiis inſtructioribus, & claſſico auxilio opus eſſe videbat; qvæ tunc non aderant, & jam in caſtris noſtris morbi vulgari cœperant, ab obſidione tandem receſſit, cæſis tamen in tranſitu fermè CCCC. & à Petro

Ribbin-

Ribbingio præfecto Laholmiæ CL. hoſtium, à Wachtmeiſtero ad pontem Onsvallenſem centum triginta captis, & Alefeldio tribuno vulnerato. Comes Frid. Stenbockius in Hallandia ad Aſebroam ſuas turmas cum tribuni Wrangelii cohorte ſubſidiaria tenebat; verùm hoſte ruſticorum rebellium & præſidiariorum Halmſtadenſium & Norvegicorum copiis aucto, certamine ſtrenuè facto, ad Kircketorpienſem in Marchia adituum receptum petiit. Sed hinc revocatur, limitibus tutandis invigilandi cauſa: qvum in ejus abſentia, hoſtes per incuriam præfectorum & excubiarum non ſemel Varberga & Wennersburgo in Veſtrogothiæ interiora effuſi, prædando non leve detrimentum incolis attuliſſent. Qvum Sveci adverſus Regem Daniæ claſſe potentem, & regnum ejus mari ac inſulis dives, ſubſidium claſſicum ex fœdere à Batavis, maritimorum armorum peritis, per Ludovicum Geerium expeterent; Ordines negabant ſuorum fidem ad ſocietatem armorum obligari, niſi prius communicatis conſiliis bellum caperetur? qvod noſtris occulta contra imparatos agitantibus non expedire videbatur. Rex Daniæ verò per ſuos in Batavia legatos omni conatu impeditum ibat auxilium claſſis Hollandicæ Svecis præſtandum, injuſta eorum, ut ajebat, arma & ambitionem apud Hollandos exaggerans. Qvin novis immunitatum aliqvot & compendiorum in freto öreſundico promiſſis ad ſuas partes allicere Batavos, vel ut qvieſcerent, perſvadere laborabat. Sed operam luſit: qvum jam Reginæ curâ, & Geerii induſtriâ conducta claſſis Batava XXXII. navium, qvam hactenus adverſa tempeſtas, tumultus aliqvot nauticorum, & non unus cum obviis navibus Danicis conflictus, in qvo etiam tribunus eorum Lohuſius occubuit, ad portum Lieſterdiepenſem retentarat, exſpectatâ felixq; , præfecto Thiſenio, Gertſenio ac Blumio ſenè vicariam operam præbentibus, advenit. Qvum Thiſenius audenti animo cum tota ſua claſſe impunè atq; innoxiè transfretaſſet Öreſundam, regia claſſis Stocholmiam, ductore Carolo Guſtavo Wrangelio, advenerat. Qvo comperto, Thiſenius præterit Bornholmiam, & claſſem ſuam in freto Calmarienſi collocans, ipſe Stocholmiam abit. Hic Wrangelio parte claſſis regiæ commiſſa, & conjunctione ejus cum Thiſiana claſſe decreta, utraqve ſe Calmariæ ſociat & inde Wiſmariam vela facit. Wiſmaria conjunctim Bornholmiam & porrò Mônam hoſtis qværendi cauſa vela dederunt; qvem infra Femeram, intra Lalandiam & Langelandiam ſtare comperiebant. Oborta vehemens procella utramqve claſſem ad biduum intra ſtationem ſuam continuit. Tertio die, ſereno cœlo, ſublatis anchoris, hoſtem petiverunt. Inter decimam & undecimam horas congreſſæ, infeſta tormentorum diſploſione utrimqve

fulminabant. Wrangelius verò non nudâ diſploſione contentus, impactus hoſti, in hoſtilem claſſem irruere milites jubet, ac ſuo exemplo fortiter præit. At dum venti beneficium majores naves captant, minores ad vadum deflectunt, illæ ad ſtatarium prælium adiguntur, hæ in Batavam claſſem incidunt. qvæ qvatuor hoſtilium navium occupatis, reliqvis fugam arripientibus inſiſtens, qvatuor egit in vada: à qvibus tamen mox liberatæ ſunt; tres brevibus adhærebant. Una à Delphino, incendiaria navi, ad littus inflammata eſt, altera Hollandica nigri ſerpentis nomine, à Danica trium Leonum depreſſa eſt. In prætoria hoſtium navi, noſtrates prælio incaleſcente, Proſmundum claſſi præfectum, ad necem usqve fortiter pugnantem fuderunt, non agnitum in mare projecerunt. Grabovius, qvum ejus navis prætoriæ proxima jam ignem concepiſſet, ad proram ſaltu ſe demittens, ſervatus, aliis, captus dicitur. Certè Jasmundus cum vicariâ ſuâ ſe noſtrorum poteſtati tradere coactus eſt. Hoc modo decem inſigniter armatæ hoſtium naves, tam ſubiti ac repentini Sveonum reditus ac prælii ſecuræ, in Sveonum manus devenerunt: qva Danorum jacturâ, redemtio Elfsburgi ſatis penſata eſſe creditur. Præter captos, inter qvos etiam Ulefeld qvidam erat, tormenti ictu cæſus, ex qvo poſt triduum obiit, mille militum Danicorum, LX. noſtratium cecidiſſe ferunt. Carolus Guſtavus Wrangel egregiæ virtutis militaris eximio præmio, *Comitis* honore à Regina donatus, in inſignibus ſuis, præter alia ornamenta, etiam navem prætoriam, ut tanti facinoris ac victoriæ decus ac illuſtre monumentum retulit. At Thiſenius Hollandus, virtutis ſuæ cauſa, à Regina nobilitatis honore ornatus, Ankerhelmius appellari meruit. Qvum verò Rex Daniæ, damnum acceptum ulturus, ad Chriſtianiam in Norvegia aliqvot naves ſaxis oneratas, obſtruendo & corrumpendo portui Gothoburgico, demergere deſtinaſſet, qvibus octo naves præſidii vicem, ductore Oveno Giedde, addiderat; Ankerhelmius, curſum huc dirigens, hiſce deſtinatis occurrere conabatur. Sed præmoniti Dani, Marſtrandiam ſeceſſerunt, donec claſſis Batava diſcederet; annonâ deficiente & intendente hyeme, non diu permanſura. Proinde Ankerhelmius octo majores ſuarum navium cum tribus Gerianis, ductore Henrico Gertſenio, in portu Gothoburgico relictas, adverſus Danicas expedivit. Verùm nauticis ex impatientiâ dilati ſtipendii iſtum ductorem abnuentibus, cum conſilio præfecti Gothoburg. in claſſem
a. d. CCCC. Sveticorum militum recepti ſunt, ductore eorum Gordiano, qvi ſo-
VIII. ciata cum Batavis opera naves Danicas adorirentur. Circa finem hujus anni,
Dec. Reginæ CHRISTINÆ, decimum octavum annum agenti, plenum

Regni

Regni imperium à Tutoribus, qvi illud per XII. annos inſigni cum laude adminiſtrarant, traditum eſt. qvod ab Illa, ex more Regni Svetici, ſcripta Cautione de vera religione & qvæ eò pertinent tuendis, R. Senatus honore, Ordinũ jure ac privilegiis conſervandis, Regno ex jurisjurãdi fide adminiſtrando confirmatũ, omnis patriæ gratulationibus exceptum eſt. In iſta traditione imperii ingens argenteus Nummus in rei memoriam cudebatur. In ejus una parte, à dextrâ imaginis Reginæ imperium capeſſentis, qvinqve Regni procerum, inſignia Regni præferentium, à ſiniſtrâ qvatuor delectorum ex omnibus Regni Ordinibus imagines incifæ erant, cum his verſibus:

Imperium proles Guſtavi Maxima Magni
Suſcipit. Innumeris vivat Chriſtina triumphis!

In altera parte Nummi victoria pugnæ navalis nuper partæ ſculpta erat cum his verſibus:

Auguſtæ prendit dum ſceptra potentia, lauro
Cingit ſacratum Balthica pugna caput.

His & aliis perpetratis, & reliqvis Batavorum navibus domum reverſuris, ſed gravi tempeſtate conflictatis, pacis inter utrumq; Regem conſilium agitari cæpit, operam interpoſitionis Rege Galliæ & fœderati Belgii Ordinibus per legatos ſuos offerentibus. Circa hujus anni initium, qvùm Svetici delegati Oſnabrugam, Gallici Monaſterium perveniſſent, de pace cum Cæſare ſeriò qvoq; agi cæptũ eſt. Helmoldus Wrangel, à vulgò, qvi rerum ſpecies à rebus ipſis ſatis diſcernere neſcit, *furioſus* pro audente & callido dictus ac habitus, in Holſatia Juthiaq; à Torſtenſonio relictus, feliciter iſtic rẽ egit. Pinnebergenſem arcem à Danorum obſidione liberavit. Kilonienſem arcem & munitionem Neoſtadienſem deditione cepit; arcem Haderslebiæ qvarto ab obſidione die recuperavit. Caſtris ſuis ad Randershumiũ munitis defenſus, circumveniri & oppugnari neſcivit. Expeditas ſuas cohortes per Holſatiam Altenaviam usq; ducens, emtâ Hamburgi annonâ, Königsmarchium in Bremenſi bello adjutum accurrit, detento in paluſtribus hoſte. Bauwerium, & Alefeldiũ Archiepiſcopi duces cum ſuis copiis per Sveticos eqvites ſtationarios Elmenshorniã repulit, & occupata munitione, trecentos fudit ac cepit. Recollectis mox hoſtilibus copiis, Helmoldus Regreſſum in Jutiam ſimulabat. Hoſtis, agreſtium nunciis facilè credens, dividit copias; qvod Helmoldus qværebat. Confeſtim enim recurrit ad munimentum, illud tormentis qvaſſat, tranſitum foſsâ ab altera parte ponte junctâ minatur. Ita qvi iſtic 1645

tendebant & ſubſidio miſſi erant, omnes formidine repleti, fugâ ſibi conſulunt, ipſo Bawerio fugæ ſocio. De ſexcentis pleriqve aut cæſi aut capti ſunt; inter qvos non pauci noſtratium fuere, qvi Coldingæ & Itzehoæ in hoſtium poteſtatem traditi erant. Altero die Helmoldus iter Kilonium ſimulat, ſed mox regreſſus arcem Steinburgenſem cum C. militum præſidio & præfecto capit. Pari aſtutia qvum pergere videretur, repentè ſe vertens, arcem Haſeloviam aggreſſus, intra triduum occupat, C. præſidiariis & præfecto captis, nec minus munitionem Stapelholmenſem & Brunsböttelenſem. Ita hoſte paſſim deluſo, ubiq; terrore illato, ſine ſuorum clade maximam partem paluſtrium orarum vel ſubegit vel depopulatus eſt, hoſtiumq; vires disjecit. Qvod non ſolùm ejus ſolertiæ & efficaci induſtriæ, ſed & Bawerii cum Comite Pentzio diſcordiâ colliſi culpæ tribuitur: dum à rebus communi conſilio & curâ adverſus hoſtem gerendis, diſſidium eos in ſeipſos convertit. In agrum Bremenſem, caſtello Hornburgenſi prius capto, ſuos immiſſos Altelandiam acceſſum ſimulare mandat: qvo cum agricolæ ad munitiones confugiſſent, ille arte ſolitâ milites navibus aggeri Albis advectos exponi juſſit: qvibus conſpectis ruſtici aufugiunt, relliqvis aut fuſis aut captis. Inde ad oppidum Rensburgum, præſidiis firmatum, obſidendum redit. Urbem Stadam Königsmarchius hoc modo poteſtati Sveonum ſubjicit; Qvum ad aggerem amnis Zvingæ, prope locum influxus in Albim, excitaſſet munimentum præſidio inſtructum, eo tempore, qvo Zvinga defluit, cum aliqvot peditum ſignis juxta Zvingam ab utraqve aggeris parte progreditur. qvo obſervato, cives tormentis & bombardis majoribus ſtrenuè impetunt accedentes. Foſſam inſuper ſtato defluxu vacuefactam, ut tranſitui opportuna eſſet, reſeratis cataractis ita implerunt, ut milites brachiis & collo tenus vix aqvâ eluctarentur. Qvi tamen interriti ſuburbium à centum præſidiariis primo inſultu, non paucis ſtratis aut captis, occuparunt. Fervente hoc tumultu, ſuburbii portæ recluduntur, ex duobus mortariis ignes in urbē ſparguntur; opera & acceſſus properantur. Seqventi die, periculo vel expugnationis vel incendii urbis præſente, dedunt eam oppidani; & ad ejus exemplū Buxtehudam, Bremervördam, Ottenbergam & Rotenburgum horū locorū incolæ, ſic ut intra binos menſes omnis ditio Bremenſis ac Verdenſis in poteſtatem Sveonum veniret; ſerò meditante provinciæ iſtius invaſionē per Melandrū Cæſare. qvod tamen Archiepiſcopus maluiſſet, ut ex interceptis literis & ad Reginam miſſis liqvet. Suppletis copiis & munitis neceſſariis locis, iterum cogitatum eſt de Malmogia obſidenda. Sed nervus conſilii deerat claſſis, qvam XLVI. navium ex Svecia Ericus Ryning adducturus erat, can-

dem duobus amplius menſibus anxiè Guſtavus Horn exſpectarat. Egreſſa tandem portu, qvo per menſem, reflante ſemper vento, prohibita erat, per dies XV. procellâ & ventis admodum jactata, tandem Bornholmiam acceſſit, claſſi Caroli Guſtavi Wrangelii Wismariâ advectæ jungenda. Velut autem proditiones erunt, donec erunt qvi corrumpant & corrumpantur; ita proditoris cujusdam opera mille nummis uncialibus conducta erat à viro ignoto, ut ferebat, qvi claſſem Sveticam occulto ſcelere incenderet in Regis Daniæ gratiam. Duas ciſtas ſub ſpecie mercium aut pretioſarum rerum in Sveciam deportandarum, vario fomite & automatario ad excitandum ignem opere (qvod in armamentario R. Marſchi Caroli Guſtavi Wrangelii adſervabatur) intus inſtruxerat, alteram Prætoriæ trium Leonum, alteram Draconi navi inferendam. Et jam unâ ciſta illatâ, res ſingulari Dei proviſu detecta eſt. auctor Wismariæ deprehenſus, debito ſupplicio afficiebatur. Wrangelius autem ſolvens portu Wismarienſi, Bornholmiam inſulam cum arce, expoſitis in littus militibus, & tormentis urbe qvaſſa, cepit, & præter duo ſigna, ſeptem tormenta, qvorum qvinqve Erici Svecorum Regis fuerant. qvam fortunam paulum turbavit disjecta ſæva tempeſtate ad Sandvicum claſſis Wrangeliana. Qvæ verò Ryning in mandatis à Regina habebat, cum Wrangelio in conſilium vocabat, de infeſtandâ claſſe Danica, inſulis maris Balthici aggrediendis, & Malmogia tentanda. Sed vis illa continentibus ventis & adverſante tempeſtate, ab incolis, ut credebatur, à Deo exoratâ, prohibebatur. Cui accedebant deficiens annona, è Germanicis portubus petenda, freti Danici conditio accuratius inveſtigata, qvod brevia plura inter Dragoram & Saltholmiam grandioribus navibus inacceſſa eſſent; pontonibus etiam Danicis & demerſis navibus obſtructum iter Öreſundam non niſi ſingulis navibus pervium, neqve notum ſatis nautis alveum eſſe: qvæ omnia Ryning diligenter & explicatius ad G. Hornium perſcripſerat, dum claſſis ad Dragoram ſtabat. Qvidqvid horum eſſet, Hornius tamen Malmogiam petere decrevit: ut vel paratior hoſti ad officiendum eſſet, perſeverante bello, vel ex hoſtico alere exercitum poſſet, donec pax conventa rediiſſet. IdcircòComiti Guſtavo Leionhuſuud copias Danorum Blekingicas ſubigendas commiſit. qvod ille ſedulâ operâ effecit. Inde Hornius caſtris motis Wachtmeiſterum cum parte eqvitum Warburgã ire, reliqvas copias ad Munctorpium non procul à Malmogia conſiſtere jubet. Ipſe cum parte ſuorum Scanorum pergens, cum Ryningio & Wrangelio in colloqvium deſcendit. qvi licet adhuc confirmarent, in freto inter Malmogiã & Saltholmiã claſſem, ob dictas ante rationes, ſtare non poſſe; ſibi tamen

men uſui futuram arbitrabatur, ne caſtra in ripis ponenda ex ipſo mari infeſtarentur. Et jam acceſſus ad Malmogiam facere cœperat, qvum pacis conventæ nuncio revocatur ab armis. Itaqve Ryningii claſſis cum potiori Wrangeliana Sveciam repetit, cum reliqvis Wrangelius Wiſmariam redit. Sed & Belgica Anckerhelmii claſſis reparata & Gothoburgum reverſa, claſſis Sveticæ digreſſu, nihil aliud potuit, qvam percurſare mare, impedire Danorum ſubvectiones in Norvegiam, & Norvegorum ex Marſtrandia incurſiones, & defendere portam urbis Gothoburgi; qvam Dani non modò terrâ, ſed & mari attentabant; etſi ſtrenuè eam defendente Mannerſciöldio. Rex enim Daniæ ſex armatas naves præter XL. minores, duce Oveno Giedde iſtuc expediverat, & portum occludere conatus erat, donec deperditâ naufragiô claſſe, demerſaqve Sophiâ, Öreſundam regrederetur, motus inprimis non ſolum claſſi Sveticæ, ſed etiam Batavicæ VVittenii exſpectandæ famâ; qvæ tamen ceſſarunt interventu compoſitionis. Etſi verò Annibal Seſted in VVeſtrogothiæ limitem novem millia militum effuderat, providâ tamen Laurentii Kaggii, Palenſtorpii in tractu Scaraburgenſi conſiſtentis, curâ parum effecit. Qvum enim cum Haraldo Stakio adverſus eum tenderet, licet commodo ad Lergenſes munitiones loco ſtaret, tamen poſt leve prælium ceſſit, & ponte à ſe facta in Hiſingiam tranſiit; non absqve probro à Sveticis impacto, ob noſocomium Gotheburgenſe, ut fama erat, expugnatum, cum XVIII. egenis & imbellibus à ſæviente ejus milite interfectis. At Kagge transmiſſis in Hiſingiam copiis, recta Bahuſiam ivit. Ab hoſte præventus colles ſibi opportunos occupante, tamen qvatuor eum tumulis emovit, noctu fretum trajicientem. Inde Kagge Bahuſiam movens, inſedit collem arci ſubjectum, ex qvo arcem tormentis qvaſſavit. Seſtedius coactis ſuis copiis, acri certamine Kaggium colle expulit. Qvi tamen ſuas vires reparans & ſe præmuniens, hoſtem iterum profligavit. Qvamvis autem emiſſæ manus Seſtedii paſſim diſtraherent copias Kaggii per Hiſingiam diſpoſitas; tamen ille plus damni intulit hoſti in capto munimento, (præter alia qvædam in Norvegia à noſtratibus ante occupata) qvod Seſtedius ad lapideum pontem freto divertendo impoſitum excitaverat, & in Bahuſiæ urbe inflammata; ad cujus arcem expugnandam jam omnia pararat; niſi arma ponere, domo juſſus eſſet; dum de pace ſerio agebatur. Ad pacis tractationem dicto tempore Brömſebroam in limite regnorum, ex Svecia convenerunt Axelius Oxenſtierna, R. Cancellarius, Johannes Skytte, Matthias Soop, Turo Bielke, Regni Sveciæ Senatores. Ex Dania

Cor-

Corfitius Ulefeld, aulæ præfectus, Chriſtianus Thomæ, Chriſtophorus Urne, Georgius Seefeld, Regni Daniæ Senatores. Regis Galliæ nomine Caſpar Cognetus Thuilerius Legatus, cujus, præter alios, inſignis hîc induſtria, & ſolertia laudatur, Belgii Ordinum nomine VVitte, Bicker & Staveneſo conſtituti ſunt. Salutationibus per literas nunciosqve factis, anteqvam propius coirent, Galliæ legatus cum Svecis de modo tractandæ pacis egit. Ex Danorum ſententia ſcripturam & arbitrorum pacis operam colloqviis præferre viſum, ad verborum aſperitatem vitandam. In utrumqve ſe paratos oſtenderunt Sveci. Sic recognitis ab utraqve parte literis de paciſcendi poteſtate, propius congrediebantur ante memorato loco. Signo tubâ dato Senatores Svecici & Danici è ſuis tentoriis ante utrumqve collocatis pontem egreſſi, arbitris & delegatis in medio colle ad lapidem, qvi limitis indicio fungitur, conſiſtentibus, ſibi invicem occurſant, junctis dextris. Mox Regni Svetici Cancellarius in hanc mentem verba facit: *Svetiæ Reginam tam amore pacis, qvàm ſtudio Chriſtianiſſimi Regis & Fœderatorum Belgii Ordinum, per Legatos bellum componere & amicitiam redintegrare cupere, poſtqvam Regem Daniæ idem velle comperiſſet.* Igitur inſpectis comprobatisqve literis, qvibus inſtructi adeſſent, nihil ſupereſſe, qvàm, qvod felix & fauſtum eſſet, animos & laborem ad ipſum negotium conferre. *Eâdem cauſa, inſtituto & ſpe, ſe & ſuos collegas huc acceſſiſſe*, reſpondit Ulefeld. Ita porrectis utrimqve dextris disceſſum eſt. Deinde ſcriptis mutuis de capite litis diſceptatum eſt, qvod Svetici præcipuè faciebant *navigationis & mercium immunitatem*, aliter *pacis viam fruſtra tentari* ſignificantes. Dani *reſtitutionem injuſto*, ut ajebant, *bello ſibi ablatorum* urgebant; *libertatem autem navium & mercium cum jure ſui Regis in freto öreſundico pugnare.* Seqveſtres ſeponi illud jus maritimum Danicum, qvod partium eſſet, & de immunitate mercium ac libertate tranſitus navium ſcriptis agi ſvadebant. Dum in horum diſceptatione verſantur, Johannes Skytte, pars legationis Sveticæ, morbo fatali correptus, diem ſuum obiit, alibi digno meritis ejus elogio ornatus. Qvibus verò conditionibus ac legibus, poſt varias hinc inde diſceptationes, ipſa Pax tandem coiverit, ex ipſa pacificatione ad finem operis repoſita, ſatis liqvet. Qvamvis autem à Friderico Principe reſtitutio Archiepiſcopatus Bremenſis qvoqve deſideraretur ac urgeretur, tamen ob pacem properandam haut impleta eſt. Nihilominus ad peculiarem cum Regina Sveciæ tractatum remittebatur, promiſſa à ſeqveſtribus pacis commendatione ad Reginam.

nam. Sed poſtea pace Germanicâ cum Svecis factâ, dum publica Imperii auctoritate & Ordinum conſenſu Archiepiſcopatus Bremenſis in ſecularem ſortem & Ducatum, ut Imperii partem, mutatus, & Reginæ Sveciæ Ejusqve Succeſſoribus in Feudum & perpetuam ditionem conceſſus eſt, ſtatu rei non amplius integro, peculiares de eo tractandi poſtulandiqve modos in poſterum ceſſare & qvieſcere voluerunt. qva de re ad annum M DC XLIIX. inf. plura. Hæc ex trium annorum luculentâ Hiſtoriâ Bœcleri à me excerpta, ſed brevius contracta, nonnullis additis, illi me debere fateor. Nunc cum Torſtenſonio, rei bellicæ in Dania ſummam juſſu & auſpicio Regio, Carolo Guſtavo Wrangelio committente, redimus in Germaniam & Imperium: qvod ejus digreſſu interim occaſioni & rebus ſuis invigilarat. Gallaſſius, ut perhibent, non præſtita ſibi à Danis pro ferendo auxilio deſideratâ ſatisfactione, nimirum non modò trium menſium ſtipendio in anteceſſum ſolvendo, velut poſtularat, ſed etiam præſidio ejus unà cum regio in urbem Gluckſtadiam & Crempam recipiendo, ac hoſpitiis & ſtativis ejus exercitui in Dithmarſia atqve Eiderſtedio præbendis, indignante animo ex Holſatia in Sileſiam diſceſſiſſe dicebatur; nec tamen invitis prorſus Danis. Tales enim hoſpites, more erinaceorum, ut eſt in fabula, cum tempore aculeorum ſuorum vim exſerere, & hoſtilem in modum cum admittentibus eos agere ſolent: qvod per bellorum calamitates, multi malo ſuo didicerunt. Qvum autem Torſtenſonius accepiſſet Cæſarem in Bohemia non ſolùm omnes ſuas cohortes, nimirum Gallaſſii, Hatzfeldii & Gǫtzii, ſed etiam Saxonicas & qvinqvies mille Bavaricas coegiſſe, ut totis viribus adverſus Svecos uteretur; ille poſtridie, poſt habitas preces, caſtris motis, iter qvoqve cum ſuis copiis in Bohemiam fecit, pergens Glattoviam & inde Horaſchovizium; ubi hoſtem ante ſe deprehendit. Sed qvia major pars hoſtilium copiarum brevi ante adventum ejus flumen Ottovam ſuperarat, qvi per dictam urbem decurrit, poſt aliqvot horarum velitationem cum turmis hoſtilibus extra urbem ſtantibus, & captos nonnullos, pertendit ad unum & hoſtis ad alterum fluvii latus, Strackovitziam verſus, deſultoribus infeſſam; ubi in via tormentis ſe invicem petunt, etſi absqve inſigni ſtrage. Qvum verò hoſtis ipſum dicto fluvio depellere atqve tranſitu in Moraviam & Auſtriam prohibere moliretur, ſumma celeritate, fl. Muldaviam ſuperare pertendit, & cùm copiis ſuis Veditzam & Jancoviam acceſſit. Nec hoſtis interea cunctatus eſt, ſed extemplò Taborem tribus miliaribus à vico Jancovia diſtantem, ſe recepit, & impedimentis partim iſtic, partim Budovitzi relictis, ut in tuto

eſſent,

eſſent, ante Torſtenſonii propiorem acceſſum, omnes colles & loca uſui ſuo accommoda præoccupavit, & ita poſuit ſtativa ſua, ut Iancovia inter utrumqve exercitum media eſſet. Situs autem & natura loci hujusmodi eſt, ut propter iniqvos & prærupt os ejus montes acies commodè formari non poſſit. qvia tamen hoſtis ad Sveticos ſubindè excurrebat, & eis jam aſſiduo itinere & frigore defatigatis ſuâ impreſſione non parum incommodi adferebat; ne prorſus exitio daret, viſum eſt eum cum DEO, qvacunqve etiam fortunâ, adoriri. Proinde Torſtenſonius, etſi pedibus ex podagrâ æger, ut lectica geſtandus eſſet; tamen animo ſanus & integer, & dolore pedum velut ſtimulatus ad iram in hoſtes effundendam (ſæpe etiam præ ardore pugnæ dolorem non ſentiens) ille in pugna leo, extra eam agnus, conſilio cum præcipuis ducum habito, Sveticas copias ad dextram adverſus collem, in qvo hoſtiles excubiæ ſtabant, paulatim gradum ferre juſſit. Hoſtis poſt iſtum collem intra ſilvam, aptum receptaculum, ſe ſuosqve condiderat, qvam etſi egregiè defendebat, Sveticis tamen inſtantibus; tandem cum trium tormentorum jactura deſerere coactus eſt. Inde ſe ex uno colle in alium & priora ſtativa recepit. qvem Torſtenſonius tam compoſitis agminibus, qvàm per acclivia & ſilveſtria loca licuit, veſtigio perſeqvutus eſt. Qvamvis autem Cæſarei Sveticos ter mille fermè eqvitum numero ſuperarent, ſed pedeſtribus copiis ferè æqvarent & ingenti ardore in Sveticos proveherentur, hi tamen tam expeditis armis & audentibus animis contra iverunt, ut poſt totius fermè diei pugnam Cæſariani magna ſtrage qvater mille militum ab illis afficerentur ac fugarentur, & hi præ illis campo, XXVI. tormentis, LXXIX. ſignis atqve omni inſtrumento militari potirentur; licet à tergo in Sveticos irruentes, impedimenta qvædam diripuerint. Campi Mareſcallus Götzius & tribunus Waldeckius, præter alios hoſtium, in acie occubuerunt. Hatzfeldius, Mercius, Broius, Saradetzkius, Felix, Tranditſchius capti ſunt. Ex noſtris præter Goldſtenium, Mullerum & Pentzium vulneratos, ac gregarios ſtratos, tribuni Reuſchius, Seſtedius, & pleriqve Caroli Guſtavi Principis legionis ductores deſiderati ſunt, & virtutem ſuam ſangvine obſignarunt. Ipſi Principi victoriæ etiam adjutori, capronæ globo dejectæ ſunt: tam prope capitis periculum erat. In caſtra redux, capronas demum ablatas ſenſit; qvod in prælii fervore non adverterat. Cæſar, comperta ſuorum clade, confeſtim Praga Viennam abiit. Torſtenſonius autem, ut ad Danubium ſtationem caperet & hoſtem ulterius perſeqveretur, perruptâ Moraviâ, Iglaviam, Cremſam, Znainam, Spitzam, Steniam, Drendorffium, Tyrinſteniam, arcem Gravene-

kiam, Cornewburgum, aliaqve Moraviæ loca, Labam, Falkenſtenium, Stetzam, Wölffersdorfium, Gödingam, Wedeliam, Oſtraviam, & novam Sveitloviam, munitisſimas etiam arces Ravensburgum & Nicolaiburgum, expugnando vel deditione cepit, compluribus tormentis bellicis ablatis. Adeò victoria ad Iancoviam, noſtratibus Moraviam, qvaſi animis & armis ſimul exutam, aperuit. Præter Eulenburgum & Neoſtadium, urbem Olomucium, diuturna obſidione hoſtili ſolutam, novis præſidiis communivit. Sola Brinna, firmiſſimum totius Moraviæ munimentum, ſuis ſe & Cæſaris viribus adverſus Torſtenſonii vim tutatum eſt; etſi diutina & acri obſidione premeretur. Non iſtic effugere Torſtenſonius hominum rumuſculos & cenſuram potuit, qvaſi deſiderio opum eò congeſtarum ac prædæ tamdiu & vehementer urbis obſidioni, etſi fruſtra, inſtitiſſet. Atqve ſi hoc feciſſet, qvid novum in ducibus? hac ſpe labores militiæ ac moleſtias ſolantibus. Cæterum cauſas dictæ obſidionis attentatæ, & poſtea relictæ ipſe perſcripſit ad Reginam in hunc modum: Qvum Brinna in media Moravia ſita ſit, absqve ejus occupatione, in iſta provinciâ non commodè ſubſiſtere poſſe viſus eſt: hac autem occupatâ validis præſidiis urbi impoſitis, totam Moraviam in ordinem cogere, & regionem hoſtium excurſionibus liberare poterat. qvò etiam Rakocii Principis Transſilvaniæ auxilia tunc ſibi adjuncta non parum valere, ſibi perſvadebat. Sed morbus Torſtenſonii, qvo per totam fermè æſtatem afflictus erat, ipſum omnibus, ut decebat, ordinandis non ſemper præſto eſſe ſinebat. Huic illud accedebat, qvod magna pars pedeſtrium copiarum tot pugnis & locorum occupationibus ante enervata ac defatigata, viribus hoſtium atqve lentæ oppugnationi urbis non ſufficeret; eqvites verò tandem pabuli ac pulveris nitrati penuriâ laborarent. Fœdus inter Cæſarem & Hiſpanum novum pro communi defenſione Rheni & Moſellæ initum eſt. Königsmarchius antea Hornburgo, nunc Rochlitzia, Iegerndorfia in Sileſia aliisq; locis & Miſnia ad Albim occupatis, & Saxonis provinciis populatione exhauſtis, ita eum urſit, ut ſex menſium inducias à Svedis expeteret & obtineret, ſubinde ad exitum usq; belli prorogatas. qvod Sveticis hactenus prodeſſe poterat, ut in expeditionibus ſuis in Bohemiâ & Cæſaris oras hæreditarias, tuti à tergo eſſent, & Elector proclivior ad pacem promovendam. Torſtenſonius ob ingraveſcentem ex continuo podagræ dolore adverſam valetudinem (qvæ etiam poſt qvinqvennium eum terris exemit) accepta à Regina dimiſſione, militiæ præfecturâ ſe abdicat, & qvidem proſperâ ac tot victoriis inſigni famâ. Interim militaris imperii vicem ſuſtinet Wittenbergius, & dein Carolus

lus Guſtavus Wrangelius, ſucceſſor Torſtenſonii à Regina confirmatus: qvod in caſtris educatus & exercitus, tot virtutis militaris argumentis editis, ingentem de ſe ſpem concitarat. qvam præfectus militiæ in omnibus ſuis actionibus non ſolùm dignè ſuſtinuit, ſed in multis etiam ſuperavit, vir magni conſilii, majoris animi, virtutis ac felicitatis: unde tandem R. Marſchi magnum honorem titulumqve meritus eſt. Qvum Torſtenſonius ab exercitu Lipſiam diſceſſiſſet, copiæ Sveticæ in Bohemiam moverunt; & primò Fridlandicam arcem, & deinde Leutmaritziam, incolis inde dilabentibus vacuam. CampiMareſcallus Auguſto Saxoniæ Duci, Archipræſuli loci, fidem dat de ſolvenda Magdeburgæ obſidione, ſi cives ſuis præſidiis urbem tutarentur. Wrangelius Lipſiam qvoqve profectus eſt, conferendi iſtic cum Torſtenſonio, tanto militiæ magiſtro, de belli ſtatu conſilia animo. A qvo edoctus qvod neceſſe erat; præter alia accepit, è re militiæ, pro præſenti rerum ſtatu, fore, exercitus, prioribus expeditionibus non parum attriti ac debilitati, recreationi & conſervationi operam dare, nec fortunam temerè periclitari; niſi præter turmas Kőnigsmarchii, & qvidqvid aliunde colligi poſſet, ex regno Svetiæ nova adveniſſent auxilia; aut Gallicæ copiæ ſe Sveticis conjunxiſſent: atqve ſic auctis viribus in hoſtem ire, eumqve Danubio avertere. Conjunctio Sveticarum duce Wrangelio & Gallicarum copiarum, ſeptem fermè millium, ductore Turainio ad Gieſſam in Haſſia facta eſt. Illi ad Bonamiſum, dimidio milliari ab urbe Francofurto tranſitum primò tentant, intercludendi hoſti annonam & iter ad Danubium conſilio. Qvo facto, in Franconiam, ſuperato Nidda fl. pergunt, & Aſchaffenbergiam hoſti capere cogitanti intercipiunt, aditu hoſti eodem à Kőnigsmarchio, Gelhuſæ occupatione, præcluſo. Turainius autem Auguſtam Trevirorum, Steinhemium, granarium hoſtile, & Scharerdorfium, præpoſito ei cum DC. præſidiariis Grotii filio, occupabat. Comes Magnus Gabriel de la Gardie, R. Cancellarius, Legatus in Galliam ivit: ut præter alia, Reginæ Svetiæ Chriſtinæ nomine, Regi Franciæ debitas haberet gratias pro ſedula & fructuoſa ſua ope in bello Germanico, atqve interpoſitione de pace inter Sveones & Danos, & ut de conſtanti amicitia Reginæ Regem porrò confirmaret. Illud tanta dexteritate & exiſtimatione Comes peregit, ut ante eum nemo Regiorum Miniſtrorum & Oratorum melius. Wittenbergius in Sileſia hoſtium vires diſtrahere qværens, urbem & arcem Polckenhainam, inter alia, expugnavit, præſidiis & commeatu inſtruxit. Wrangelio ad tempus ſubſidio veniens, in Sileſiam inde rediit, ſtatum ejus tutandi, Iglaviam ab obſidione Comitis Buchemii libe-

randi, Pomeraniam vicinam & oras maritimas ab hoſtium invaſione pro-
1647 tegendi cauſa. Regina intra regnum utiles publicavit leges & edicta de venatione & aucupio, non promiſcuè qvibusvis, nec ſemper, ſed definito tempore permittendis. de ſilvis non temere cædendis, nec ad ſegetem aut ſementem exſtirpandis, præſertim in fraudem & detrimentum metalli fodinarum: qvibus vicinæ, earum uſui inſerviunt. In Comitiis Stocholmiæ habitis Regina ipſa Ordines regni in hanc ſententiam alloqvebatur: *DEO immortali primò gratias agebat, qvi ſe ad id ætatis benignè ſervare dignatus eſſet; ut apta imperio, regium ac paternum faſtigium adſcendere poſſet; quod divina benignitas ſtatum regni ſingulosqve Ordines eximiâ ac paternâ benedictione cumulaſſet; armorum ſucceſſui faviſſet, & hoſtes qvodammodo ad honeſtæ pacis conſilia flexiſſet.* Deinde ſignificavit, *ſe illud regio favore agnoſcere & amplecti, quod Ordines ac ſubditi ſe diligenter ac freqventer comitiis ſtitiſſent: in medium conſulturi, qvid in poſterum publicæ rei ex uſu eſſe poſſet.* Orationem Reginæ exceperunt capita, à regni Cancellario propoſita, de qvibus conſultatio Ordinum reqvirebatur: Nimirum *an & qvibus conditionibus cum hoſte paciſcendum: quomodò exercitus, hoſti formidoloſus, parandus ſit: ne, ſi Sveticos ſegniores deprehendat, oblatas pacis leges in deterius convertat. Et tandem, fallente forſan ſpe pacis, qvibus modis juſtus exercitus ſit ſuſtentandus.* Ad hæc ex voto & animi ſententia regni Ordines reſponderunt: *Pacis ſed honeſtæ viam non negligendam: exercitum more uſitato ad biennium ſcribendum: conſvetis & auctis in majus ſubſidiis alendum eſſe.* Wrangelius cum novis ex Svetia & Bremenſi Ducatu collectis copiis in Bohemiam ivit. Arcem Brixienſem in tranſitu in Reginæ poteſtatem redegit. Inde Egram movens, hoſtis machinationes porrò cogniturus, mox à Regina revocatus eſt. In itinere Sileſiam verſus, chiliarcha Reichvaldius ductu Wrangelii Cæſareum tribunum Comitem Palvicum cum decem ſignorum Croatis ad Jungenbuntzeliam fudit, CCC. eqvitibus ipſoqve tribuno & aliis alicujus nominis captis. Famâ ad hoſtem de hoc ſucceſſu allatâ, Franckenſtenii & aliorum in Sileſia locorum obſidionem deſeruit, & evaſit hoſtis. Pars copiarum à Wrangelio emiſſa, ut captivos qvosdam apprehenderet, ex qvibus hoſtilis molitio cognoſceretur, uno à Cronacho milliari, in Archiducis Leopoldi prætoriam cohortem bene armatam incidit, & omnes ductores præter LXXX. gregarios milites, eqvos & arma cepit, reliqvis internecioni datis. Hinc Viſurgim verſus & in Weſtphaliam tendit, ad purgandum hoſtibus infeſta ibi loca, & qvæ alia iſtic occaſio belliqve fortuna ſubminiſtrare poſſet. inprimis ne vicinam Haſſiam Sveciæ ſociam, amplius infeſtent hoſtes. Hoxteram,

ram, ex qva pridie cum ſuis copiis Holſatiæ Dux evaſerat, obſeſſam brevi temporis ſpatio cepit. Qvia verò hujus urbis defenſio majora præſidia reqvirebat, & tamen tanti non erat, cujuscunqve victoris arbitrio ſubjecta; eam demoliri & ſolo æqvare viſum eſt, ne hoſtis tam facile in ea rurſus nidificaret. Hôxteram mox Paderborna, Douglaſſii virtute & induſtriâ, ſeqvuta eſt; item Lemgoviæ, Statbergæ, Amœnoburgæ & Marsbergæ deditio. Inde Marpurgum ſe noſtrates contulerunt; qvi, dum in Weſtphalia & Haſſia verſabantur, hoſtis in Auſtriâ alia atqve alia loca recuperavit: qvuum Wittenbergius iſtic ejus impar viribus, reſiſtendo non eſſet. Wrangelius præſidio legionis, ductore Bulovio, Nordlingæ impoſito, Donavertam perrexit, & pontem Danubii jam ab hoſte incendi cœptum, hoſte fruſtra reluctante, refecit, & exercitu per eum noctu transmiſſo, Donavertam, cum ingenti copia ſalis, occupavit. Hinc Rainam ivit, qvam ope Turainii & Kônigsmarchii copiarum ad deditionem compulit, hoſtium præſidiis defenſionem detrectantibus: atqve ſic viam ſibi in Bavariam aperuit. Qvamvis Fridbergam, duobus milliaribus ab Auguſta inflammaſſet: ne hoſtis, aggeribus iſtic jactis, in ſuum emolumentum eâ uteretur, & Auguſtæ urbi ſuccurreret, qvam obſidere in animo habebat; tamen, qvum eam jam obſidione cinxiſſet, operibus & viis obſidionalibus ad eam confectis, hoſtis ad Ratisbonam & Straubingam Danubium cum ſuis copiis trajiciens, obſeſſis in occulto & humilis ſitus aditu ad Lekhuſiam auxilia absqve ullo impedimento ſubmiſit. Qvum noſtrates & continuare obſidionem, & hoſti ſimul reſiſtere non poſſent; nihilominus acie inſtructa illum ad prælium laceſſebant; qvod hoſtis abnuebat. Poſtea Kônigsmarchius Mundelheimum, unde hoſtis à tergo noſtratibus non parum incommodabat, occupare juſſus, feliciter rem confecit. Tandem Auguſtæ, ab hoſte viribus firmatæ, fruſtra liberatione ejus tentata, obſidio ſolvitur, atqve ſedes belli ulterius in Bavariam devolvitur. Lavinga à Wrangelio & Turainio munitur: ut ad Danubium firmum pedem habeant. Indè progreſſi, Landsbergam occuparunt, & trajecto Lyco fl. hoſtem, qvi jam Iſaram fl. transierat, à Bavaria fruſtra remotum eunt. Qvippe Johannes de Werdt, qvi cum bis mille eqvitibus Monachio Pruckam moverat, à tergò Svecos incurſans, trecentos eorum partim ſtravit, partim captivos abduxit; cæſo etiam Uplandicorum eqvitum magiſtro Pancratio, ſtrenuo viro, & optionibus Guſtavo Wrangelio, Prengelio & Benedicto Hornio captis. Qvum Sveci poſt Memmingam & Friſingam occupatas, ulterius iter facerent; ut Bavari terram inter Iſaram & Oenum porrò depopulando pervaderent; hic

 Galli-

Gallici milites ſe difficiles qvocunqve obtentu præbuerunt, & in Svevian expeditionem urſerunt: qvam VVrangelius nolens volens approbavit devaſtatis tamen obviis: ne hoſti vitæ ſubſidia iſtic reliqva facerent. In ſuperiori Svevia & Algovia miles uterqve ferociter atqve immaniter, ut ſolent tales, ſi ſibi permittantur, absqve ullo religionum diſcrimine graſſabatur. Interea qvidam delegati Monaſterio ad VVrangelium venere, referentes, inducias à Cæſare, Gallo & Bavaro, cum Regina & fœderatis ineundas, oblatas fuiſſe. qvod qvum VVrangelius inutile Sveticis atqve iſtius temporis conditioni judicaret, ſed ad redintegrandas vires hoſti utile; tamen defectu Regii mandati prætenſo, reſponſum diſtulit, & rem integram ſervavit; donec pleniorem hic agendi poteſtatem à Regina acciperet Ulmæ de eadem re tractatio tunc irrita fuit. VVrangelius cum Montaignio & Douglaſſio Bobenhuſiâ movens, ad fauces usqve Brigantinas penetravit. Ruſticos Brigantinos, ultra ſex mille latentes iſtic deprehendit qvi à tergo oppidi Iſnæ ſe circumvallantes, non levi Sveticis incommodo erant. Illi eos, ſuperatis cum labore Alpibus, qvò ſe receperant, inſeqvuti & in plana depellentes, non exiguam eorum partem fuderunt, propugnacula hoſtium, inprimis caſtellum Neuburgum, in Comitatu Brigantino, cum urbe Iſna & tranſitu ex adverſo Lindaviæ ceperunt, ſibiqve viam in Helvetiam reſerarunt. Helvetiis, id deſiderantibus, qvies nomine regio confirmata eſt. Inde VVrangelius pertendens, inſulam & arcem Meinoviam, inter Conſtantiam & Uberlingam ſitam, facili negocio occupavit, arcem Pfannenbergam diruit; ipſam Lindaviam tentaturus, niſi annona defeciſſet. Itaqve Danubio trajecto, in Franconiam reverſus eſt: ubi Sveinfurtum brevi mora expugnat, & melius communit. Induciæ à Regina ſeorſum cum Bavaro & Colonienſi Ulmæ tandem per delegatos factæ, poſtqvam earum interventu terræ illorum à Sveticis armis liberatæ, inprimis Gallica auxilia à Svecis ſeparata erant, eâ re unicè à Bavaro & Colonienſi qvæſitâ & obtentâ, mox eædem ruptæ ſunt, primò Johanne de VVerdt & Sporkio ſeceſſionem & tranſitionem à Bavaro ad Cæſarem facientibus; deinde ipſo Bavaro & Colonienſi armorum otio renunciantibus, prætextu, qvod Svetici pacificationis negotium difficilius ſubinde facerent; qvod tamen promiſerant ſe ſedulò feſtinaturos; item obtentu contributionis, qva Landgravia Haſſiæ & Kȯnigsmarchius ipſorum terras oneraſſent. VVrangelius Cæſaris copias in Bohemiam tendentes perſeqvuturus, Egram, qvam Paradiſerus non ſegniter tutabatur, in oculis exercitus Cæſarei fruſtra ſuccurrentis, vi, operibus & cuniculis ad deditionem cogit. Ad

Tri-

Tribellam Sveci à Cæſarianis inopinatò oppreſſi turbatiqve, à VVrangelio ſuperveniente reſtituti in ordines, hoſtem inſigni clade mulctarunt; niſi qvod Helmoldi VVrangelii, egregii ducis, globo trajecti obitus victoriam aliqvantum interpolavit. Qvum Turainius cum ſuis copiis jam ſeorſum agere cœpiſſet, Regina, ſi ille ſe noſtratibus, ut ante, conjungere nollet, VVrangelium tamen cum eo conſpirantibus conſiliis, & deſtinatis contra hoſtem armis ſeorſum movere voluit; qvamvis conjunctim agi præſtare videretur VVrangelio. Sed Turainius obtentu offenſæ à Kônigsmarchio acceptæ hoc recuſabat. qvippe Germanicæ qvædam legiones à Turainio ſeceſſerant, ad Cæſarem tranſituræ. qvod ne fieret, Kônigsmarchius eas communis boni cauſa conduxerat, & jurejurando Reginæ Sveciæ obligarat; has ſibi prius reſtitui Turainius volebat, qvàm ſe Svecis conjungeret. Poſtqvam Cæſarianorum qvater mille in Haſſiam expeditionem ſuſcepe- 1648
rant, ad qvam Melander Galaſſio defuncto ſurrogatus Cæſarem, privato adverſus Haſſicam aut Caſſelianam domum odio incitaſſe ferebatur, VVrangelius eodem iturus erat, ſimulac, recreato in hibernis milite, Kônigsmarchii auxilia, cum VVrangelianis & Haſſiacis jungenda, adveniſſent. Marpurgum urbem Cæſarei qvidem occuparunt, ſed arcem ejus munitam & ſociâ ope adjutam expugnare non potuerunt. Qvum hoſtis Haſſiam reliqviſſet, VVrangel cum ſuis legionibus Mœno ſuperato, in Franconiam redit. VVinshemum à Bavaris recuperat, Dunckelſpielum deditione capit. Turainius, offenſâ compoſitâ, ſe iterum cum VVrangelio conjungit. Illi Cæſareos & Bavaros MCCCC. Auguſtam tendentes ad pagum Suſmershauſiam dimidio milliari ab Auguſta ex improviſo adoriuntur, & præmiſſo tribuno Guſtavo Kurck cum DCCC. eqvitibus, dein ſubſecutis legionibus, cædunt; ita ut ipſe Melander campi Mareſcallus in hac clade, præter alios, occumberet. Hoſtem transmiſſo fl. Lyco ſeqventes, ad Rainam duas legiones pedeſtres collocarunt, tuendi aditus & caſtelli pontisqve Iſaræ reficiendi cauſa. qvod licet hoſtis impeditum iret, tamen ubi admotis tormentis rem ſeriò agi vidit, diffugit. Ad Landaviam Sveci contulere manus cum Druckmullero, MCCCC. eqvites ducente. In ea velitatione vigiliarum hoſtilium præfectus, Dux VVirtenbergicus duo magiſtri eqvitum & CC. eqvi à Sveticis capiebantur. At Kônigsmarchius per ſuperiorem Palatinatum graſſatus; varias arces & oppida, nullo vel paucis reſiſtentibus, invadit. Hinc in Bohemiam irrumpens, Glattaviam, Falckenaviam & Taborem capit. Qvin de ipſa Praga tentanda conſilium animo verſat: qvod exiguo tunc præſidio teneri dicebatur. Ex transfugâ

fuga jam acceperat, propugnaculum & cœnobium Capucinenſe imperfectum, & pontem eò ferentem adhuc iſtic relictum eſſe. Eò præire juſſo Oſvaldo tribuno, ipſe cum qvater mille ſubſeqvitur. Primò ad S. Margaretæ ædem, inde per viam ad Capucinenſe monaſterium & dictum pontem acceſſerunt. Ubi parvam urbem (ita vocant parvum latus urbis) etiam aliqvot Bohemicis captis & coactis à noſtratibus, ut ad illorum perſecutionem, etſi fictam, fugam ſimularent & intromitti peterent: ut qvidam fecerunt illos admiſſos, noſtrates fictis ſignis ſubſecuti, & urbem, occiſis excubiis, & portis apertis, ingreſſi, regiam occuparunt, ærarium exſpoliarunt, nobilioribus obviis aut interfectis aut captis; exceptis Coloredo & Michna: qvi per poſticam & Muldam, in veterem urbem ægrè evaſerant. Sub veſperam Comes Bucheimius laboranti urbi auxilio properè venit. qvæ obſidionem, mixtis civibus & Studioſis etiam impigrè opitulantibus, ad initium menſis Septembris conſtanter ſuſtinuit; nihil remorante auxilio Wittenbergii ex Sileſia huc evocato. Sed qvum à Regina, verâ virtutum ac fidei Principis æſtimatrice, Princeps CAROLUS GUSTAVUS Sveticæ militiæ ſupremus adminiſtrator creatus eſſet; & cum novis è Svecia copiarum ſupplementis adveniens, noſtris vires animosqve addidiſſet, ingenti ardore cives Pragenſes oppugnati ſunt; poſtqvam majori parte muri jam ad paſſus fermè DC. tormentis dejectâ, crebris impreſſionibus, cuniculis & aggreſſionibus infeſtati erant. Qvamvis autem tot obſidentium machinationibus obſeſſi impigrè reſtiterint, tamen pertinaci virtuti & viribus obſidentium, etiam pulvere tormentario jam deficiente, tandem manus dediſſent, niſi novo exoptatoqve Pacis Oſnabrugæ ac Monaſterii factæ nuncio, res confecta fuiſſet. Velut autem ante XXX. annos Praga ſedes ac principium diuturni & cruenti iſtius belli Germanici, ita nunc ejusdem meta finisqve, juſtâ benignâqve DEI providentiâ, fuit. Qvanqvam arma Sveonum tunc adhuc erecta & integra vigebant, tantisqve copiarum viribus, locorum opportunitate, potentiæ munimentis & caſtellis roborata, qvæ diuturnæ eorum conſervationi facilè præſidia ſuppeditare potuiſſent: ut pacem vel ſollicitare, vel invitis obtrudere neceſſe non haberent; tamen, ex ſociorum & amicorum conſilio, crebrisqve Imperii membrorum obteſtationibus, publicæ Imperii & omnium, qvorum intererat, qvieti honeſta pace potius conſulendum, qvàm arma perſeqvenda eſſe duxerunt. Jam verò lentus fuit pacis tractatus (de cujus modo & exitu jam alii plura memorare occuparunt) non ſolùm, qvod omnia difficilia tardos habere ſoleant progreſſus, ſed qvod vel pacis hoſtes, vel cunctatores tempori inſidian-

tes, diverſas belli fortunæ vices opperirentur, indeqve conſilia ſua vel ad pacis vel armorum arbitrium moderarentur, aut varias machinationes ex adverſo objectarent. Hoc ſatis etiam ex uno paucorum dierum præliminari, ſic vocant, opere, ad aliqvot annos producto, liqvet. ut jam ſileantur tot artes in diſſociandis fœderatorum animis, tot ambiguitates in turbando ſolidæ pacis ſucceſſu excogitatæ & adhibitæ. His acceſſit, qvum jam pacis leges præter extraneos à Regiis Legatis, præcipuè Comite Johanne Oxenſtierna & Barone Johanne Salvio Adler, Regni Senatoribus, qvibus hîc induſtriæ & prudentiæ laus immortalis debetur, tandem elaboratæ, publicandæ, & ut de aliorum, qvorum intererat, conditionibus, à non uno hiſtorico jam commemoratis, nihil dicam, cum totius Imperii conſenſu, præter ſatisfactionem in magna vi pecuniæ (V. millionum) citerior Pomerania, Bremenſis & Verdenſis ditio Reginæ Sveciæ, Ejusqve hæredibus ac ſucceſſoribus Regibus, Regnoqve Sveciæ, prout ultimi Principes & Archiepiſcopi eam poſſederunt, cum omnibus & ſingulis ad eam pertinentibus, ubicunqve ſita ſunt, eccleſiaſticis & ſecularibus bonis & juribus, velut in Inſtrumento Pacis fuſius deducitur; item VViſmaria & portus Pomeraniæ ac Mechlenburgi in perpetuam, ceſſerunt poſſeſſionem. Per Legatos Principum, his privandórum, graves qvidem proteſtationes, expoſtulationes & qverelæ movebantur: *Iniqvum planè eſſe, belli cum Cæſare & Auſtriacis geſti pœnam & impendia illos luere, victoriæ præmia ſpoliorum inſtar illis detrahi, pro qvorum ſalute, libertate, reſtitutione arma ſumſiſſe profeſſi fuerint ſocii. Ab amicis exigi, qvod haut rarò inimicis remittere ſoleat generoſi victoris indulgentia. Violari cognati cum Brandenburgico ſangvinis reverentiam, corrumpi reductorum ab exſilio Meklenburgenſium gloriam. Fridericum Holſatum à Sveciæ Regina pro Archiepiſcopo Bremenſi perpetuò agnitum, congratulatione, ipſius Salvii miniſterio, honoratum, addita libertate, ut ſibi neutrarum partium eſſe liceret; tamen nullâ ſuâ culpâ, nullâ prævia belli denunciatione à Königsmarchio ditione proturbatum, tandem in pacificatione inter Svecos & Danos, reſtitutionis ſpe facta, ſine perfidiæ notâ Epiſcopatu privari non poſſe. Eſſe præterea hactenus inauditum & rem ſine exemplo, unius Cæſaris arbitrio & nutu tanta perpetrari*; velut primarius Principis Wirtenbergici Miniſter, & eximius Politicus Chriſtoph. Forſtnerus, qvi tunc qvoqve Monaſterii fuerat, in epiſtola ad amicum, ubi de tractatu pacis varia hominum, & præcipuè illorum, qvos res propius tangeret, judicia perſcribit. Verùm hæ conteſtationes & qverelæ irritæ fuere. Nam, ut in aliis ad amicum literis idem ſcribit: *Cæſarianis qvocunqve pretio pacem redi-*

 mere

mere ſtatutum erat? Ultro etiam ex Brandenburgicis quærebant, an exercitus, vires, pecuniæ ſuppeterent, quibus à poſtulatis depellere Svecos confiderent. Memmius qvoqve præcipuus pacis interpres, potentiam Svecorum nullâ ex adverſo vi ſuperabilem: illos exercitibus, ducibus, armis ſuccinctos; inermem contra Electorem oſtendebat, nec qvicqvam aliunde opis Cæſarianis, unicum deſperatis rebus ſuffugium, pacem præcipitare. Et mox: *Friderico Holſato, Daniæ Regis Filio, & Duci Mechlenburgico non idem, qui Brandenburgico, honor habitus. Wiſmaria & Brema Svecis conceſſæ, dominis, poſtqvam conſentire recuſabant, invitis. Abiit Oſnabrugâ Legatus Mechlenb. iratus & irritus. A Friderico Holſato nuper advenit Theodorus Reinkingius IC. non jam Bremenſem Archiepiſcopatum, ſed exemplo aliorum Principum, ademti compenſationem petiturus. Hic fuit exitus negotii difficilimi, Claudii Memmii præcipuè (qvod grata poſteritas agnoſcat) ope, induſtriâ diligentiâqve prope incredibili confecti.* Sed & hoc ab urgentibus pacem addebatur: *Indomitæ hic neceſſitati parendum eſſe. Si à Svecis, in Germania & Imperio armis occupata, reſtitui velint, aliqvot Imperii portionum damno ſalutem & ſecuritatem publicam redimendam eſſe, ut mercium jacturâ navis ſervari, & ruinis incendium exſtingvi ſolet. Hæc inter illa referenda eſſe, quæ ſolum habeant ex detrimento aliqvo remedium. Sed illud damnum non adeò æſtimandum eſſe: qvum Brandenburgico & Meklenburgico compenſatio præſtita ſit. Bremenſem verò ac Werdanam ditiones, à Svedis non ſemel armis adqviſitas, dein pace factâ, non ex ſolius Cæſaris arbitrio, ſed totius Imperii conſenſu, fide & tutela, Sveciæ-Regi & Regno in perpetuam poſſeſſionem cum dictis locis, conceſſas, cauſam Imperii nunc factas eſſe, à qvo ſatisfactio deſideranda fuiſſet.* Executio pacis non leve qvoqve negotium faceſſebat: ut, niſi ſub præſidio ac metu armorum, auctoritate & auſpicio Reginæ, curâ ac ſingulari induſtriâ CAROLI GUSTAVI Principis poſtea Regis Sveciæ & tot novis conventibus ac laboribus Noribergæ peractis, tam feliciter proceſſiſſet; ſi non irritæ prorſus,

1649. certè feræ admodum ſpei ac fructus fuiſſet. Poſtremò, faciente DEO, Pax obtenta, &, ut eò firmior ac ſolidior, imò perpetua eſſet, in publicas Imperii leges relata eſt. Hinc Innocentius X. Papa omnem machinam fruſtra movit, qvâ Pacem illam, qvaſi ſe invito, vitioqve factam, irritam pronunciare conatus eſt. Certè Regina Chriſtina, qvamvis tot ingentibus bellis cum Rege Poloniæ, Cæſare & Rege Daniæ tanto ſucceſſu geſtis, felix & clara per orbem terrarum eſſet; tamen inter præcipua laborum publicorum ac meritorum ſuorum decora reputavit, confectam hanc, tam diu ſperatam & innumeris hominum præſertim Imperii civium ſuſpiriis expetitam, Pacem. Æternum verò nomen à memore tanti beneficii poſteritate repor-

te reportabit; qvod depoſito tam longo & cruento bello, non ſolùm pacem Germaniæ, ſed in ea ſibi qvoqve Germaniam reſtituit. Poſt peracta Holmiæ Comitia, in qvibus de publica Supplicatione & gratiarum actione ſolenni propediem habenda pro obtentâ Pace, de Coronatione Reginæ, inſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, recenſione legum patriarum; duello, luxu abrogandis, oneribus publicis minuendis; aliisqve ſalutaribus inſtitutis actum eſt. Regina Natalem ſuum diem IIX. Decembr. ſolenniter Holmiæ celebravit, & ſimul Supplicationem ad DEUM, principem pacis conditorem, ac Gratiarum actionem publicam ac feſtam per univerſum ſuum Regnum pro Pace Sveo-Germanica indixit. In iisdem Comitiis univerſi Regni Svetiæ Ordines CAROLUM GUSTAVUM Principem hæreditarium, regni ſucceſſorem unanimiter deſignarunt. Cauſas deſignationis ponunt, qvod in Svetiâ ex regio ſangvine, qvoad familiam maternam natus, in verâ religione Evangelicâ, Svetica lingva, jure patrio ac moribus educatus, regiis virtutibus præditus ſit, periclitatus vitam ſuam ac ſangvinem pro Regina, patria ac civibus, intrepida mente, fortitudine ac fide in non unis & primariis regni muniis. Qvum Rex Daniæ cum Fœderatæ Belgicæ Ordinibus redemtionis, ut vocant, pactū iniviſſet, qvo vectigal freti Öreſundici ab illis conductum erat; Regina verita, ne id libertati maris Balthici, regnorum Septentrionalium regalibus, & pactis Brömſebroënſibus præjudicio eſſet: præſertim qvum non, ut antea, & ut concepta pactorum verba volunt, in Camera telonaria Danica, ſed Belgica ac miniſtris Belgicis Literæ aſſertoriæ vel Certificationes, ut appellant, à Sveticis nautis ac mercatoribus exhibendæ & ſchedulæ dimiſſoriæ à dictis miniſtris petendæ eſſent, qvod ſi nollent Sveticæ naves, vectigalium oneri, aut ſi peregrinis navibus merces adveherent, detentioni, viſitationi, excuſſionibus, examinibus & proceſſibus juris obnoxiæ eſſe cogebantur. Hæc indignè ferens Chriſtina, in binis ad Daniæ Regem literis parvo temporis intervallo datis incommoda hujus rei exponit; & qvod pugnarent immunitati ab hujusmodi oneribus & pacificationi Brömſebroënſi; ideò tolli deſiderabat. Seqventi anno Exſecutio pacis Sveo-Germanicæ nomine 1650.
Reginæ per Principem Carolum Guſtavum, uti ante dictum, peracta & impleta eſt. Eam excepit inauguratio & Coronatio Reginæ Chriſtinæ, tam inſigni & ſplendida pompâ celebrata, ut parem Svecia nunqvam ante habuerit; alibi à me & aliis deſcripta. Circa Coronationis primordia, peractis ſacris, Regina ex regni lege, ad exemplum majorum & Parentis ſui, Ordines Regni omnes & ſingulos de verâ Chriſtiana religione, legibus &

jure, juſtâ libertate & privilegiis tam eccleſiaſticis qvam civilibus ſolenni jurejurando confirmavit. Ordines Regni ſacramento reciproco caverunt Reginæ de ſubjectione debita, fidelitate & obſeqvio. In eadem inauguratione CAROLUS GUSTAVUS, Regni Sveciæ Princeps hæreditarius, conſentientibus omnium R. Ordinum animis, publicè ac ſolenniter declaratus ac renunciatus eſt, præſtito Reginæ ac Regno fidelitatis jurejurando. Coronationem feliciter peractam ſubſeqvutus eſt dies Comitiorum. In illis Ordines Reginæ de proſperâ inauguratione gratulati ſunt, cum voto ad DEUM pro ſtabiliendâ & conſervandâ porrò Regia Ejus ſede. Se qvoqve operam daturos promittunt, ut Regina in jure ſuo Regio, eminentia & Regalibus corroboretur ac defendatur, vigore Legum regni, antiqvi uſus & Guſtavi I. Teſtamenti; velut prolixius id Reginæ, jurisjurandi religione, confirmarint. Inſuper gratias ei agunt humilimas pro reſtituta Regno pace ac qviete cum Cæſare ac Daniæ Rege, rogantes, ut de Polonica pace perpetuâ tractationem etiam promotum eat. Si patriæ ſecuritas poſtulet, exercitus ſupplementum & neceſſaria adminicula pollicentur. Diurna opera & angarias colonorum cenſualium, uti vocant, ad juſtam moderationem & æqvalitatem Regiâ auctoritate redigi petunt & obtinent. (qvæ ulterius annis ſeqventibus confirmata, & nova conſtitutione regia roborata ſunt) Actum deniqve eſt de ſucceſſione Principis CAROLI GUSTAVI, in eventum mortis Chriſtinæ, in ipſo & maſculis ejus hæredibus ſtabiliendâ. qvam, poſt decretum Ordinum regni, Principis Satisdatio, vulgò Aſſecuratio, hujusmodi ſubſeqvuta eſt: *Nos CAROLUS GUSTAVUS, Svecorum, Gothorum & Wandalorum electus Princeps hæreditarius, Comes Palatinus Rheni &c. notum facimus, cum Regina Sveciæ CHRISTINA, ejusqve Regni Senatores atqve Ordines, Nobis & liberis noſtris maſculis Principatum & ſucceſſionem Regni Sveciæ hereditariam publico decreto contulerint, neceſſarium duximus, ſuper ea re animi noſtri ſententiam declarare.*

I. *Primùm gratias agimus Reginæ pro hoc, & cæteris beneficiis, quæ nobis per omnem vitam liberaliter præſtitit. Illam pro Domina & Regina noſtra agnoſcimus, cujus ſit imperare, noſtrum autem parere & obſeqvi, atqve ideò illi omnem debitam fidem, obſervantiam atqve obedientiam promittimus.*

1650

II. *In gubernatione regni & inde dependentium qvum Regina nobis promiſerit, nihil ſe contra noſtram voluntatem ac conditionem nobis mandaturam; promittimus viciſſim, nos vivente ac regnante Regina, nihil eorum, qvæ ad publicam regni ſalutem pertinent, ut bellum, pacem, fœdera, tractatus, aliaqve hujusmodi magni momenti, & adminiſtrationem regni concernentia aggreſſuros aut decreturos, niſi id fiat cum vo-*

luntate & conſenſu Reginæ, conſilio Senatorum regni, & R. M.tis inſtructione ac poteſtate. *Qvia verò Regina cum Regni Senatu in rem eſſe publicam duxit, ne* III.
Regnum in poſterum dividatur, ſed ſemper ſit & maneat unum corpus, neqve nos neque liberi noſtri in poſterum Ducatum hæreditarium poſtulabimus, ſed qvod Regina & Ordines regni nobis conjugiqve & liberis noſtris in ſuſtentationem & dotem ex facultatibus ærarii regii decreverint, eo contenti erimus. *Si qvæ verò bona* IV.
ſoli legitima adqviſitione nobis aut liberis noſtris obvenerint, ea poſſidebimus eo jure & libertate, qva cæteri Nobiles ſuis utuntur, atque ea quæ illi titulo eorum præſtant, nos quoque & liberi noſtri præſtabimus; ſalva tamen nobis jurisdictione & poteſtate in familiam noſtram aulicam, qvalem ante Principes hæreditarii in ſuam familiam habuerunt. *Si poſt obitum Reginæ nobis ditio aliqva extra regnum offe-* V.
ratur, eam iſta conditione acceptabimus, ne extra Sveciam ſedem ac domicilium noſtrum transferamus. *Qvando inire conjugium conſtituemus, cum Regina* VI.
& Senatoribus regni communicabimus, neq; ejusmodi inibimus, qvod Reginæ aut regno officiat. Conjugem verò non aliam ducemus, qvàm qvæ invariatæ Auguſtanæ Confeſſionis ſit; in qva etiam liberos noſtros educabimus. *Cum ad regni* VII.
adminiſtrationem pervenerimus, illud cum regni Senatus conſilio, ſecundum jus Sveticum & regni conſtitutiones adminiſtrabimus. *Omnes & ſingulos regni* VIII.
Ordines & ſubditos in puro & claro DEI verbo, prout in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis conceptum, & in invariata Auguſtana Confeſſione & concilio Upſalienſi ulterius declaratum eſt, tuebimur. *Cuilibet Ordini & ſubditis ſuum jus, liber-* IX.
tatem & privilegia ſarta tecta ſervabimus; & ne cui cujuscunqve conditionis vis aut injuria in corpore, membro, famâ, bonis inferatur, cavebimus. *Reginam* X.
viduam Mariam Eleonoram amore & honore debito ſemper proſeqvemur, qvæqve ipſi à Regina Filiâ ad ſui ſtatus conſervationem collata ſunt, tuebimur. *De-* XI.
niqve præſtabimus omnia, qvæ in teſtamento Regis Guſtavi I. atqve in Unione hæreditaria ab hæreditariis Principibus pro ſalute regni reqviruntur, qvæqve antecedentes Sveciæ Reges ex jurejurando & Cautione præſtare obligati fuerunt, exceptis iis, qvæ in hujus anni comitiis immutata ſunt. *Poſtremò hæc omnia, qvæ nos* XII.
promiſimus ac præſtare parati ſumus, noſtri qvoqve maſculi heredes & ſucceſſores præſtare, non minus atqve nos, obſtricti erunt. Sic beneficio qvietis publicæ de rebus regni rectè conſtituendis inter Reginam & Ordines unanimiter actũ & decretum eſt. Sed ea qvies, uti nihil ſub ſole ſtabile eſt, ſeqventium annorum externis motibus iterum concutiebatur, & primò ex Poloniâ. Præterqvam enim, qvod, ſtante adhuc bello Germanico, tribunus Boothius 1651.
Livoniam, tunc neceſſariis præſidiis deſtitutam, vel inſtinctu vel permiſſu Polonorum, armis vexarat; ita ut facilè ſubigere potuiſſet, niſi præpedi-

tus fuiſſet; etiam poſtea Cracovio tranſitum per ſuum regnum in Pomeraniam permiſerunt, non abſqve præſenti diſcrimine iſtius provinciæ & ſecuritatis vicinorum. qva de re ſup. *Qvam inſidioſè Öſilienſes & ipſos Livonos ad defectionem allicere niſus ſit Uladislaus, ex interceptis & Bergio regio cubiculario traditis literis patere*, Sveones arguebant. Item *Johannem Caſimirum Regem, Fratri defuncto ſurrogatum, Coſaccos ad irruptionem in Livoniam ejusqve turbationem incitaſſe. Duobus Lubecæ conventibus de tractando pacis negotio Svecos deluſiſſe, præſertim poſt victoriam, Tartaris & Coſaccis ad Bereſtesboam cæſis, acceptam. Regem & Rempubl. Poloniæ ſuis delegatis Lubecam miſſis in*
1652. *mandatis dediſſe, ut ſub præliminarium recognitione, penetratis Svecicorum delegatorum animis, qvam commodè & dextrè poſſent, conventum Lubecenſem diſſolverent*, temporis nimirum redimendi, atqve, ſi bellum ingrueret, ſuas vires corroborandi cauſa. Hoc fruſtra tentato, qvum Reginæ delegati Polonicorum mandata recognita, ut parum ſufficientia, diſputaſſent, Gallico Legato Chanuto, hujus rei arbitro ac teſti fidem dederunt, *ſe intra qvatuor hebdomadas ſufficientia ex Polonia mandata habituros & producturos.* Interim impenſæ & majori temporis jacturâ demorati ſunt Sveticos delegatos, qvi qvum deinceps Regis Poloniæ tituli reformationem urſiſſent, tandem apud Polonicos in conſultationem deductum eſt, *an hoc publicè expediret.* Lectis Magni Poloniæ Cancellarii literis de non approbando Sveticorum poſtulato circa titulum Regis Poloniæ hæreditarium, à Polonicis in hanc ſententiam itum eſt; *potius tractatum in aliud tempus rejicere, qvàm de titulo regio aliqvid remittere: cum ejus remiſſione ceſſaturam tractatuum materiam.* Qvidam Caſtellanus auctor fuiſſe fertur *præcavendi, ne nimiâ tituli propugnatione Svecis anſa diſceſſus, it ſiusve belli præberetur, obtentu reſciſſorum pactorum. Amoliendi verò belli neceſſitas qvanta illis, ob acciſas adeò regni Polonici vires, incumberet, cuivis notum eſſe.* Huic ſententiæ acceſſere Caſtellanus Gneſnenſis, & Capitaneus Mitavienſis. Ille tamen ſvaſit: *Ut non nimis abruptè, ita nec abjectè cum Svecis agendum eſſe: Siqvidem Svecis æqvè ac Polonis pax deſideranda ſit. Etiamſi verò Poloniæ vires attritæ ſint, tamen opibus Auſtriacæ Domus refici poſſe. qvæ ab ineunda pace ipſos revocans, ex Hiſpaniâ armatam claſſem & belli ſubſidia adverſus Sveciam, ſub ſolâ commerciorum cum Polonis libertate obtinendâ, promiſerit. Ex ipſius & Regis Poloniæ re fore, ſi maris Balthici dominium armata claſſe pro ſuis partibus qværeretur.* Hæc ex actis publicis Lubecæ ſcriptis à Reginæ delegato Matthia Biornclou, qvi tunc Viennæ nomine Regio de mutuæ amicitiæ inter Cæſarem & Regem ulteriori confirmatione ac ſecuritate, & de inveſtitura provinciarum Reginæ in Germania

mania agebat, excerpta, ut alia nunc prætereantur, facilè oſtendunt, qvid animi conſiliiqve Polonicis tunc fuerit. Eqvidem Przimskius, haut exiguæ dignationis Polonus, ingenuè faſſus eſt: *culpam reſuſcitati poſtea belli penes eos fuiſſe, qvi Lubecæ tractatus non conſummaſſent: præſertim cum Sveci ad eos tam faciles ac proni fuiſſent.* Præcipiti hoc anno Regina Gothoburgum in Weſtrogothiâ ob comoditatem portus ac ſitus & in urbis incrementum jure Stapulæ donavit. Bremenſis urbs privilegiis imediatæ, ut loqvuntur, & liberæ imperialis Civitatis, impensâ CM. aureorum (ut ipſi delegati urbis in comitiis Ratisbonenſibus hujus anni corā Legatis Sveticis faſſi erant) adqviſitis, à Cæſare in Comitiis Ratisbonenſibus anno M DC XLVI. ornata, ab homagio, devotione & obſeqvio, Reginæ & Regno Sveciæ, velut Archiepiſcopis antea præſtiterat, præſtando divortium qværebat. Cæterum Regina hoc indignè ferens, *inter Legatos Imperiales & civitatem, inſciis & inconſultis ſuis Legatis, absq; prævia cauſæ cognitione, & qvidem in præjudiciũ eorum, quæ palam inter partes tractabantur, iſtæc acta eſſe* expoſtulabat. *Imperatorem non poſſe illæsâ ſuâ Capitulatione, in diminutionem juris territorialis ante Archiepiſcopo, & nunc Reginæ & ſucceſſoribus Regibus ac Regno Sveciæ competentis, civitatem municipalem eorum ſubjectioni eximere.* Qvamvis autem Bremenſes & eorum patroni ad ſtatum immediatum probandum atteſtata Legatorum Imperialium producerent, qvibus declaraſſent, verba illa Inſtrumenti Pacis: *Civitati Bremenſi ejusqve territorio & ſubditis, præſens ſuus ſtatus, libertas, jura & privilegia in eccleſiaſticis & politicis ſine impeditione relinqvantur*, intellexiſſe *de ſtatu immediato civitatis*; tamen Svetici regerebant: *Interpretationem non uni parti ſoli, ſed ambabus ex æqvo & palam tractantibus competere; nihilqve operari propoſitum vel intentionem in mente retentam.* Per *præſentem* verò *ſtatum intelligendum eſſe mediatum, qvem ipſius Imperatoris Mandatum Caſſatorium de anno 1643. p. fuiſſet, & in qvo ſenſu Regina in Reſponſo ſuo, anno 1649. Civitatis Bremæ ablegato, Stocholmiæ dato, de nondum formato, ſed formando prius per ſuos Commiſſarios Bremenſi ſtatu accepiſſet. Qvod verò atteſtata nitantur etiam Diplomate Imperatoris de anno 1646.* (de qvo paulò ante) *fundata in hoc, qvaſi Brema civitas multis retrò annis libera & immediata, & ſic Imperio ſoli ſubjecta fuerit; unde Imperator illam qvoqve pro tali declararit & confirmarit; illud illegitimo fundamento & falſis Bremenſium narratis ſuperſtructum eſſe: qvum ex pluribus documentis, quæ in publicis Actis editis exſtant, jam ab aliis probatum, & reipſa compertum ſit, Civitatem Bremenſem nunqvam antea pro immediato Statu aut libera Imperiali Civitate habitam eſſe. Fundamento autem deſtructo, ipſum ædificium corruere. Denique quod in Inſtrumento Pacis §. Civitati verò*

1653.

Bre-

Bremenſi &c. *mentio vel amicæ compoſitionis, vel judicialis deciſionis facta ſit in his verbis:* Si qvæ autem ipſi (civitati Bremenſi) cum Epiſcopatu ſeu Ducatu aut Capitulis ſint, aut in poſterum enaſcantur controverſiæ, eæ vel componantur amicabiliter, vel jure terminentur, ſalvâ interim cuiqve parti ſuâ, qvam obtinet, poſſeſſione; *illud vel ſtatum controverſum inferre, vel qvalitatem ſuperioritatis Sveciæ & ſubjectionis Bremæ ſupponere*, Svetici respondebant. Poſt hanc diſceptationem, qvum Brema Civitas juri territoriali & ſubjectioni Sveciæ, vi Privilegii Imperialis & Inſtrumenti Pacis; ut obtendebat, nihilominus ſe ſubtractum iret, qvid inde offenſæ in animo Reginæ & Succeſſoris Caroli Guſtavi Regis natum, & poſtea compoſitum ſit, ad vitam Ejus pluribus dicetur. Legati ex Dania Magnus Hóög & Petrus Jul, præter conſilium, de impendentibus, ut videbantur, ex Anglia Daniæ, ob detentam Anglicam navem, periculis, à Regina per Regem Daniæ deſideratum, ad qverelas Sveonum de gravatis in freto Sundico non ſolùm à Danicis, ſed etiam Belgicis miniſtris, contra pacta conventa Sveticis navibus & mercibus (de qva re ſup. ad annum M DC XLIX.) reſponderunt partim excuſando, partim defendendo. Sed qvum Reginæ hoc reſponſum non prorſus ſatisfeciſſet, promiſsâ à Legatis emendatione, & pactorum, ſi qvid contra ea admiſſum eſſet, ſtrictiori obſervatione, tandem ad-
1654 qvievit. Regina hoc anno in Comitiis Upſaliæ habitis, inopinato prorſus incepto, conſilium de abdicando Svetiæ regno Senatui & Ordinibus regni aperuit: imperii onus, Principis cognati humeris, & ſpem nuptiarum ac prolis habituri, hæreditario juri & ſucceſſioni accommodatius, qvietis ſtudium & valetudinis ſuæ curam cauſata. Senatus regni, & in eo præcipuè Drotſetus ac Cancellarius feriò graviterqve Reginam ab hujusmodi conſilio dehortati ſunt. Sed & regni Ordines ſtudiosè, qvantum poterant, Reginæ inceptum deprecantes, & felicem regni adminiſtrationem, ut hactenus, ita porrò ab eâ continuari rogantes; ultimò, Reginæ pertinaci deſiderio victi, ceſſerunt. Illa regio cultu, prælatis ſibi regni inſignibus, regiam Upſaliæ ingreſſa, Senatum atqve Ordines regni luculenta oratione affatur, & laudatâ erga ſe eorum fide, induſtriâ & obedientiâ, voluntatem & inſtitutum ſuum de abdicando regno cordatè exponit, atqve ſanctè conteſtatur, ſe de dignitate & amore patriæ, qvamvis abſentem, nihil remiſſuram eſſe. Tandem ſponte imperium, & ore & ſcripto inſtrumento ceſſionis atqve abdicationis regni in perpetuum, deponit ac renunciat. Scheringius Roſenhane, regni Senator, qvædam reſponſi loco nomine Senatus regni & Ordinum præfatus, dictum Inſtrumentum publicè prælegebat; &

mox

mox Codicillum regni Ordinum de impenſa ac reditibus ex Norcopia urbe & arce, eòqve pertinentibus, ex Ölandiâ cum Borcholmiâ, Gothlandiâ cum oppido Wisbyenſi & arce, Öſilia cum Arensburgi oppido & arce, Pôhle & Nycloſter in Ducatu Meklenburg. Wolgaſto, cum bonis ad Ducalem menſam pertinentibus, in Pomerania percipiendis: qvibus Regina aulam ſuam dignè usqve ad vitæ finem tueretur. His ita prælectis, Chriſtina ſe regni inſignibus exuit, non ſine ſtupore vel lacrymis adſpectantium, eaqve Proceribus regni ſingula tradit; qvi eadem in menſa, ad qvam Rex futurus adſidebat, reponunt. Poſtremò etiam Principem Carolum Guſtavum alloqvuta, in eum, ut dignum ſucceſſorem & jam conſenſu Ordinum monſtratum, regni inſignia atqve imperium à ſe transferre, qvod felix & fauſtum ſit, indicabat. Hoc Princeps verbis gratæ ac devotæ mentis, ut Filii erga Matrem (qvo etiam titulo Reginam honorabat) ſignificationem oſtendentibus, decenter excipiebat. Inde ad regni Senatum & Ordines converſus, prædicato eorum erga ſe affectu & conſenſu, de Regis officio prudenter diſſerebat. Qvibus peractis, in ædem ſacram ibatur: ubi poſt concionem à Strengnenſi Epiſcopo D. Johanne Matthiæ habitam, CAROLUS GUSTAVUS Rex ſolenniter inauguratus & coronatus eſt. de qva re in ejus vita. Qvum Regina, regno exceſſura, ſupremum vale diceret, qvantum in omnium, præſertim illorum, qvibus benignè fecerat, (& qvibus non benefecerat?) animis deſiderium reliqverit, haut facile dictu eſt. Eâ enim humanitate, benignitate ac munificentiâ erga qvosvis cujusvis loci & ordinis erat, inprimis qvi dignè peterent, aut, ſi non peterent, tamen mererentur: ut, qvod in ejus manibus ac poteſtate eſſet, ac honeſtè dari poſſet, nulli denegaret. Privilegia omnium regni Ordinum non ſolùm confirmabat, ſed etiam nova illis dabat; & ſingulorum fortunas amplificare ſtudebat. Qvamvis autem non more ſemina parcâ manu ſpargentium, ſed liberalius ac prolixius in muneribus ac largitionibus ſuis verſaretur, ut nonnullis etiam modum egredi videretur; tamen benefaciendo & donando nunqvam defatigata eſt: regium eſſe exiſtimans & proprium Chriſtinæ, de qvamplurimis benè mereri. Nonnullorum etiam importunis ac pertinacibus flagitationibus, an obreptionibus, vel hoc modo liberari qværebat: qvi etiamſi Reginæ & publico graves eſſent, tamen qvævis fermè, qvæ donari poſſent, concupiſcebant. Eqvidem ad præmia, præſertim dignis largienda, Regina longè promtior, qvàm ad ſupplicia facinoroſis irroganda erat; etſi gladium in nocentes ſtringendum eſſe haut ignorabat. Certè pœnis capitalibus exſeqvendis aliqvando eam inla-

crymaſſe conſtat. Præter iſtæc, ut lingvis ac literis non ſolùm exoticis, ſed etiam elegantioribus, & qvæ illis deſcripta exſtat, rerum divinarum humanarumqve ſapientiâ, qvod ingenio excelleret, inſigniter exculta erat; ita verè eruditos omnibus modis fovebat. Qvare viri cujuscunqve gentis, literarum & eruditionis famâ præcipui huc ab ea, de communibus ſtudiis conferendi, & coram audiendi cauſa, evocabantur. Nec minus illi tanti Reginæ ingenii admiratione adducti aderant: qvos illa munificè dimittebat. Ejusdem munificentiâ alii huc allecti, ſub eruditorum nomine & umbra latentes, etſi nonnulli eorum leves & vani, nec niſi commoda ſua captantes; tamen, qvia pro doctis ſe venditarant, & ad Chriſtinam, tanqvam eruditionis columen & pauperum præſidium, confugerant; qvi inopes & ære vacui huc acceſſerant, graves argento domum redibant. Nec Academias & Scholas patriæ, earumqve doctores Regina negligebat. Vel emendatas veteres, ſublatis corruptæ inſtitutionis & diſciplinæ cauſis, vel novas literarum & doctrinæ officinas erectas & apertas, beneficiis, privilegiis & bibliothecis ornabat. docentes & bene meritos vel ad majora provehebat, vel muneribus ac præmiis afficiebat. Qvanto verò ardore patriæ bonum promovendi flagraret (qvod primo loco dicendum erat) qva prudentia in publicum conſulendi, animo ſupra ſexum excelſo, ac virilibus curis eſſet, qvotidianæ ejus actiones & regni negotia, qvibus adeò invigilabat, ſatis teſtabantur. Inter continuas fermè belli ſollicitudines & moleſtias, non exigua tamen armorum proſperitate ſublevatas, & tot victoriis inſignes; pacis cum hoſte faciendæ negotium præcipuè & gnaviter urgebat; & in ipſo belli fremitu, tamen pacis artes domi multùm provehebat, in recognoſcendis regni legibus, & augendis tribunalibus, ubi neceſſe foret, in rei metallicæ & commerciorum collegiis; Poſtarum, qvas vocant, & rei tabellariæ inſtitutione; in ſumtibus conviviorum & veſtium, non ſolùm interdicto, ſed etiam exemplo ſuo minuendis, in urbibus exſtruendis, viis reficiendis, egenorum cura & ſuſtentatione: ut CHRISTINA bellis & pacis ſtudio incluta, MATER CASTRORUM & PATRIÆ meritò prædicaretur.

CAROLUS GUSTAVUS.

In prima ac florenti ætate feliciter non modò ſub conſpectu & curâ Celſiſſimorum Parentum educatus, & magnis virtutum exemplis eruditus, ſed in iisdem, degens in aulâ GUSTAVI MAGNI & CHRISTINÆ, magis confirmatus eſt. Nec literarum & artium ſtudia prætermiſit: ut excel-

ſum

ſum ingenium etiam his præſidiis & ornamentis ad militaria atqve civilia magis excoleretur. Anteqvam in exoticas regiones & Academias peregrinandi conſilio diſcederet, Upſaliæ ſtudiorum fundamenta in veræ religionis & humaniorum diſciplinarum doctrinâ poſuit; præter alios, meâ etiam qvalicunqve operâ, in eloqventiæ ac politicis exercitationibus, uti non dedignatus. Ex peregrinatione ſuâ per præcipuas Europæ oras,in regnum redux, virtutum ſplendore, in bello præſertim Sveo-Germanico, adhuc adoleſcens, non parum conſpicuus, ipſos militiæ gradus per tyronis, magiſtri eqvitum & ducis munia cum laude emenſus eſt. In pacis cum Imperio Romano à Svecis factæ exſecutione, ſingulari prudentia, promptitudine ac diligentia; aliisqve mentis dotibus Principe dignis præſtans, dignus ſucceſſione regni judicatus, ante qvinqvennium Princeps hæreditarius regni Svetiæ in publicis comitiis ab Ordinibus regni deſignabatur. In Reginæ Chriſtinæ publicâ inauguratione deſignatio ejus ſolenniter confirmabatur. Tandem qvum Chriſtina regendi onus deponeret, & in humeros CAROLI GUSTAVI transferret, Upſaliæ, ſolennibus adhibitis, publicè 1654
coronatus eſt. Prius tamen ex regni hujus conſvetudine & lege, præter d 7. Jul
jurisjurandi in Coronatione præſtandi religionem, Ordinibus regni ſcriptam dedit Cautionem *de vera religione in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis expreſsâ, in Auguſtana Confeſſione per articulos breviter declarata, tuendâ, nec ullo alienæ religionis ad qvodcunqve munus admittendo; nec ullâ licentiâ contra iſtæc cuiqvam permittendâ; de blaſphemiâ in DEUM, remotione ab officio, aut ſecundum delicti rationem, capite plectenda. De regno Sveciæ vi jurisjurandi adminiſtrando: præcipuas regni dignitates & munia indigenis Nobilibus committendo; iisdem in debito reſpectu, cum liberalium ſalariorum attributione, habendis. tribunalibus ſuperioribus & inferioribus in ſuo vigore conſervandis, & cuiqve ſuum, tam egenis, qvàm divitibus, ſecundum leges tribuendo. De electione Epiſcoporum, Superintendentium & Paſtorum, ſecundum Ordinationem Eccleſiaſticam anni MDLXXI. receptam inſtituenda. De tuendis Academiis, Scholis & ptochotrophiis in ſuis privilegiis, ſalariis, & ſuſtentatione, & ſingulis Ordinibus in jure Svetico & privilegiis ſuis tutandis.* Rex Virginem Principem HEDWIGEM ELEONORAM, Friderici Holſatiæ Ducis Filiam, formâ,ſed magis animi ornamentis ac virtutibus inſignẽ, huc à Comite Erico Oxenſtierna Legato & Vice-Cancellario R. (mox in Regni Cancellariatu Parenti ſuo defuncto ſuccedente) adductam, & Holmiæ regali pompa exceptam, in ſpem familiæ, ſibi matrimonio junxit, nuptiis regio ſplendore non Upſa- a.d. 24.
liæ (ut qvidam ſcribunt) ſed Stocholmiæ feliciter peractis & dotalitio firma- Octob
tis.

tis. Regis imperium nuper cæptum, non diu, ut ſunt res humanæ, in tranqvillo fuit; licet, ut recens ſtabiliretur, pace opus habere videretur. Rex eqvidem libenter publicam & regni qvietem amplexus fuiſſet, honeſtumqve otium non invitus conceſſiſſet ſubditis ſuis, ſi per ipſum ſtetiſſet. Cæterum qvum invidia, qvam Svecia ſub Guſtavi Adolphi & Chriſtinæ felici imperio, atqve benè confecto in Germania bello ſibi concitarat, per pacem Osnabrugenſem exſtincta penitus nondum eſſet; ſed ex certis indiciis & argumentis conſtaret, qvicqvid Rex Poloniæ per ſuam nuper proteſtationem adverſus Regis Caroli Guſtavi Coronationem, & Civitas Brema in Sveciæ præjudicium machinabantur, ex uno & eodem & qvidem priſtino conſiliorum Sveciæ adverſorum fonte fluere, Rex ſibi vigilandum eſſe duxit. Proinde neceſſe habuit non modò domeſticum firmare exercitum, ſed etiam de peregrino milite colligendo cogitare: ut in omnem eventum accinctus & paratus eſſet adverſus illos, qvi Sveciæ vim & injuriam illaturi eſſent. Matthias Biörnklovius, tunc Boruſſici Status conſiliarius, nunc Regis ac regni Sveciæ Senator, qvi poſt factam pacem primus à Regina Chriſtina ad Imperatorem Ferdinandum III. miſſus erat, & poſtea in Comitiis Ratisbonenſibus unà cum Pomeraniæ Cancellario Bohlio, Ducatuum Svecicorum Legatum in Imperio egerat, reverſus Ratisbonâ menſe Julio, Regi Carolo Guſtavo ſignificavit, *Bremenſes clanculum animari & tantum non impelli ab aliis contra Sveciam; palam tamen per Imperium diſſeminari, qvaſi Svecia iniqve orſa ſit iſtius actionis & motus adverſus eos telam, iniqvius verò pertexat.* Ut ergo Rex Electores & Principes Imperii de ſuo & regni ſui jure rectè prius erudiret, dein oſtenderet ſuam propenſionem ad pacem & qvietem publicam, in ſalutem regni tuendam; ab eo mittebatur Baro Scheringius Roſenhane, Regni Senator & aliis muniis publicis conſpicuus, in Ducatum Bremenſem: ut controverſiæ iſtic componendæ cum plena poteſtate præeſſet; & Comes Schlippenbach ad Imperii Electores & Principes: ut eos de ſincero Regis in pacem animo, & religioſo amicitiæ concordiæqve cultu confirmatum iret. Cæterum ut de principiis & cauſis controverſiæ inter Regem Sveciæ & Civitatem Bremenſem res magis in liqvido eſſe poſſit, ex Archivo Regni Sveciæ & Actis publicè editis breviter repeti meretur. Bremam ab origine civitatis usqve ad annum MDCXL. fuiſſe mediatam, ita vocant, municipalem & provincialem, atqve Archiepiſcopatui Bremenſi ſubjectam Urbem, eiq; omnia illa præſtitiſſe, qvæ Civitas Archiepiſcopo jure præſtare debet, in confeſſo eſt: adeò ut, ſecundum conſvetam atqve à prioribus Archiepiſcopis conceptam formulam,

mulam, ultimo Archiepiſcopo Friderico, nunc Regi Daniæ, anno MDC XXXVII. homagiali jurejurando ſe devinciret: qvam ſubjectionis teſſeram in tractatu Stadenſi anno MDC XXXIX. iterum agnovit ac repetiit. Sed qvum fervente adhuc bello inter Imperatorem & Sveciam, dicto anno MDC XL. Ratisbonæ comitia haberentur, Imperator, non adeò attento Statu municipali qvarundam Civitatum provincialium, invitavit eas ad dicta comitia in conditione urbium Imperialium, & inter eas cumprimis Bremam & Verdam, nuper fidelitatis & ſubjectionis jurejurando, ut paulò ante memoratum eſt Archiepiſcopo obſtrictas. Verda animadvertens errorem Imperialis Cancellariæ, & ſuæ obligationis erga Archiepiſcopum memor, dictis comitiis ſe non ſtitit. At Brema occaſione oblatâ frui prompta, iſtic comparet, & ſeſſionem ac ſuffragium in collegio Imperialium Civitatum obtinet. Huic incepto Archiepiſcopus non ſolùm contradixit & ſolenniter adverſus illud proteſtatus eſt, ſed etiam Collegium Electorale duobus ſcriptis coram Imperatore teſtatum fecit; *hanc rem errore admiſſam, novi & mali eſſe exempli, nulloqve jure fundatam: qvum Brema jus Comitiorum non habeat, nec unqvam ante annum MDC XL. in comitiis imperii, ut Civitas Imperialis, comparuerit: qvippe qvæ ſit civitas Archiepiſcopalis. Idcircò rogat Imperatorem, per Decretum imponere Bremæ, ut prætenſo jure ſeſſionis & ſuffragii in Comitiis deſiſtat, donec in petitorio per legitimam juris viam jus comitiorum pluribus probet; Archiepiſcopus autem in qvieta ſua poſſeſſione relinqvatur ac defendatur.* His motus Imperator, unicum illum ſeſſionis & ſuffragii actum & obreptitiè impetratum, promulgato Decreto (qvod autographum in hujus regni Archivo adverſatur) anno MDCXLIII. caſſum & irritum pronunciavit, Bremamqve ad priſtinum ſuum ſtatum & conditionem ſubjectionis remiſit: donec anno MDCXLVI. à Ferdinando III. Imperatore immediata & libera Imperialis Civitas declararetur & confirmaretur; de qva re ad vitam Chriſtinæ plura. Qvum verò in tractatu pacis Oſnabrugenſis Svetia in ſatisfactionem inter alia poſtularet Archiepiſcopatum Bremenſem, unà cum omnibus & ſingulis ad eum pertinentibus juribus, prout ultimi Archiepiſcopi eum habuerant ac poſſederant, & ex conſeqventi civitatem Bremenſem, hîc Legati Imperiales exceperunt eam, in ejusqve favorem hujusmodi formulas Inſtrumento pacis inſerere conati ſunt, qvæ urbem ſubjectioni eximerent: qvum jam libera atqve Imperialis à Cæſare declarari cæpiſſet; qvod illi antea diſſimularant. Legatio Svetica contra conteſtata, *negavit ſe Bremam pro ea agnòſcere, pro qva ſe nunc gerere vellet, poſſe: qvum à longo retrò tempore jus de ſubjectione urbis*

quæſitum & à deceſſoribus, qvibus Rex & regnum Sveciæ ſuccedant, præſcriptum habeant: qvod illis ſine conſenſu & facto ſuo adimi non poſſit. Tandem tamen de certâ formâ Inſtrumento pacis inſerendâ, qvalis nunc in eodem exſtat utrimqve conventum eſt. Accedebat & illud, qvod bona nonnulla ſub immedietate ut loqvuntur, ſuâ cenſere & tributis eximere Civitas Bremenſis volebat, qvæ à Nobilibus emerat, in qvibus erat præfectura Bederkeſia qvæ tamen Sveci alio jure Civitatem Bremam non poſſidere poſſe contendebant, qvàm qvo auctores, à qvibus in eos translata erant, poſſederant Poſtqvam his ita diſcuſſis, Brema nihilominus in ſuo inſtituto perſeverans & *meri mixtiqve imperii uſurpatione, homagio fidelitatis,* ut ajebat, *non ſubjectionis, ultimo Archiepiſcopo & Regi præſtito debitoqve, jure collectandi in Imperio Imperiali auctoritate, & obtentis ab ea privilegiis aliisqve prætenſis,* ad qvæ ab adverſaria parte prolixè reſpondebatur, *mixa,* Regis imperium, tanqvam libera & immediata Civitas agnoſcere detrectaret, Rex, ut ad obſeqvium eam redigeret, qvædam vicina urbi loca, velut Leham, Vegeſaccum & Burgum per Comitem Kônigsmarchium à ſuis militibus occupari, & muniri vel juſſit vel permiſit: unde certamina & velitationes utrimqve exortæ ſunt. Bremenſes verò Burgum per inſidias nocturnas recuperarunt; qvâ fortuna magis animati, effuſis agminibus, obvia populati ſunt. Wrangelius Comes Stadâ adveniens, & ei adjunctus Comes Guſtavus Otho Steenbok, ſummus vigiliarum præfectus, collectis aliqvot è regno copiis iſtuc à Rege miſſus, plerosqve peditum Bremenſium ſtravere eqvitesqve fugâ ſparſere. de qva re Thuldenus plura. In proclivi qvidem Regi fuiſſet urbem armis in ordinem redigere; niſi induciis intervenientibus, res compoſita fuiſſet. Qvid enim urbs una, licet alienis opibus adjuta, atqve civili diſcordia & diffidentia qvadam adverſus magiſtratum ſuum, uti tunc fama ferebat, commota, contra tantas Regni vires potuiſſet? Kônigsmarch autem ſeptem millium copiis roboratus, qvatuor diverſis locis, Burgum urbi proximum munimentum, tentabat. Etiamſi verò obſeſſi, præfecto munitioni Balthaſare, ſtrenuè ſe tutarentur, & omnibus acceſſibus obſtructis, etiam foſſarum objectu hoſtiles mlitiones turbare niterentur; tamen Kônigsmarhii fortis & indefeſſus animus non conqvievit, anteqvam munimentum deditione reciperet. Principes & Anſeaticæ urbes, Bremæ fœderatæ, ſatis animo præcipientes, qvò res Bremenſium evaſuræ eſſent, eos ad conciliationem hortabantur. Hoc monito accepto, prius duorum menſium inducias cum Kônigmarchio pacti ſunt; dein res ad compoſitionem vigore Inſtrumenti pacis, qvod enatas controverſias vel amicè cõponi, vel

vel jure terminari vult, ſalvâ interim cuiqve parti ſuâ qvam obtinet poſſeſſione, deducta eſt: idqve Rex qvieti publicæ Germaniæ dedit. Rei componendæ negotium à Rege Baroni Scheringio Roſenhane, Regni Senatori præcipuè commiſſum eſt. Qvod cum Bremenſibus delegatis, dilatâ & ſepoſitâ in alium tractatum controverſiâ de immedietate, qvam vocāt, & libertate civitatis, de homagio Regi Sveciæ, tanqvam Duci Bremenſi, ejusqve ſucceſſori, poſt Inveſtituram Cæſaream, ſolenniter præſtando, aliisqve certis conditionibus, qvas Pacta publica fuſius oſtendunt, pertractabatur. His ita tunc tranſactis, Brema qvidem, poſt dictam Inveſtituram, CAROLO GUSTAVO, Regi Sveciæ ſolenne homagium præſtitit; ſed jus immedietatis nihilominus urgens, reliqvorum qvoqve pactorum violatorum à Succeſſore CAROLO XI. Rege Sveciæ poſtulata, velut ex deductione juris Regis & Coronæ Sveticæ in Civitatem Bremam anno MDCLXVI. Holmiæ editâ liqvet, eodem anno à Sveticis obſeſſa eſt: ut, ſi non aliâ viâ poſſet, armis ad obſeqvium redigeretur. Sed interponentibus ſe aliqvot Electorum & Principum Legatis, res cum regni Svetiæ Marſcho vel Campi domino Comite Carolo Guſtavo Wrangelio dicto anno, a. d. IX. Novemb. in caſtris Habenhauſenſibus, & ſeqventi anno Stadæ certis pacis legibus compoſita, & homagium Regi Sveonum CAROLO XI. Bremæ à civibus præſtitum eſt. Interim Brema ſeſſione & voto in Comitiis Imperii usqve ad annum MDCC. & titulo liberæ Imperialis Civitatis ad Regem Sveciæ & Regios Miniſtros, ut & in libris, ſcriptis & edictis abſtinere tenetur, uti præter alia conventum eſt, de qvibus ſuo loco. Cæterum dicto ſuperius anno MDCLIV. novæ ex Polonia tempeſtates impendebant, qvarum principium & progreſſum memorare, ad rem facit: qvum bello inter Sveones & Polonos novo materiam dederit. Ut priora in rebus geſtis Chriſtinæ allata, & alia, jam utrimqve magna contentione diſceptata, nunc præteream, ipſius belli præcipua ſemina, capeſſente CAROLO GUSTAVO regnum, orta, perpendere operæ fuerit: inde enim cauſæ ſuæ juſtitiam Rex æſtimari & dijudicari voluit. In comitiis hujus regni Upſaliæ A. 1654. habitis, ubi præter alia de maximè arduo negocio, de regno Sveciæ, renunciante ei Reginâ Chriſtinâ, in CAROLUM GUSTAVUM, regni Sveciæ Principem hæreditarium, ex convento & unanimi Ordinum voluntate transferendo, agebatur; Canaſilius Regis Poloniæ huc miſſus delegatus, pro arbitrio ſuo aut Regis Polonorum, hîc, qvaſi Varſaviæ in Comitiis verſaretur, atqve ſententiæ dicendæ veniam aut facultatem haberet, adverſus

præſen-

præſentem hujus regni ſtatum, & Regis Guſtavi Caroli, mox ſolenniter creati, dignitatem, & jus regni hæreditarium, nomine ſui Regis Caſimiri non ſolùm palam proteſtari auſus eſt, ſed etiam periculoſos & ad rebellionem ſpectantes ſermones inter populum & qvosdam etiam conſpicui nominis diſſeminavit. Qvæ Rex, ut res erat, ad animum feriò revocavit, & admodum ægrè tulit, atqve expoſtulavit: *his pacta induciarum à Rege Poloniæ Caſimiro violata eſſe: qvum per delegatum ſuum ea adverſus ſe tanqvam legitimum* SUCCESSOREM *Reginæ, durantibus induciis, molitus eſſet, qvæ directè in præjudicium ac detrimentum Regis ac regni Sveciæ vergerent. Unde ſatis juſtæ cauſæ ad hanc injuriam armis vindicandam vel ex hoc ſolo haberet.* Delegatus ob tam indigna incepta atqve auſa à plebe fermè, ut noluiſſet, exceptus fuiſſet; niſi Regina, qvod, ut alio qvidem tempore, ſed præſertim in fine abdicati à ſe regni, motus excitari nollet, interceſſiſſet; & qvia fide publicâ delegatus venerat, eâdem illum dimittere perſvaſiſſet. Offenſæ verò Regis & populi mitigandæ, Legatos à Rege & Republica Polonica propediem de perpetua pace ſolenniter agendi cauſa huc miſſum iri, promiſit Canaſilius. Ad iſtæc Rex Carolus Guſtavus per Regni Cancellarium Canaſilio tale reſponſum dedit: *Regem etſi graviter offenſum, ſingulari tamen deſiderio pacis omnibus præferendæ, & tam diuturna & cruenta bella aliqvando componendi ſtudio flagrare; modò abſqve ambagibus & pro præſentium temporum neceſſitate, talis pax & compoſitio obtineri poſſet, per qvam Regis & Regni Sveciæ dignitati atqve incolarum ſecuritati ſatis conſuleretur. Sed qvando in memoriam præteritorum rediret, ſe non temerè vereri, ne res, ut antea, vel morâ temporis lucrandi cauſa trahatur, vel in deluſionem Sveonum irrita evaneſcat. Non tamen ex dignitate Regum eſſe, ita ludificari non ſolùm illos, qvorum præcipuè negotium agitur, ſed etiam exterorum Regum ac Principum legatos, negotio componendo adhibitos, inani interpoſitionis ſpe morari, fatigare ac dimittere: unde vicinorum populorum deſpectus, interponentium ſe ſuſpiciones, & animorum fortè implacabilium non levia odia concitentur. Per duos, qvamvis irritos Lubecæ congreſſus, à parte Sveonum rei ſatisfactum eſſe. qvod verò uterqve reſciſſione Polonorum cluſus eſſet, non poſſe non vel patientiſſimi Principis animum commovere. Si Rex & Reſpublica Poloniæ ſerio pacis ſtudio ducerentur, omiſſis inutilibus, præjudicium & iniqvitatem redolentibus, legationibus aut literis, per qvas Regis ac Regni Sveciæ juri & exiſtimationi derogaretur, huc abſqve cunctatione mitterent legatos, plena ac ſufficienti de pace agendi facultate inſtructos. Si ſecus fieret, certo fore argumento nihil ex amore*

ac de-

ac deſiderio pacis, ſed rem per ambages circumducendi animo agi. ***Ex qvo non*** *aliud judicari poſſet, qvàm qvod Rex Poloniæ fidem de pactis ſanctè ſervandis, qvæ pacem æternam & ſolidam qværere juberent; ſusqve deqve haberet.* Poſtmodò Rex Sveciæ accepit, ex qvo Canaſilius miſſus erat in Sveciam ad proteſtandum contra Caroli Guſtavi Regis Coronationem, Regem Poloniæ egiſſe per ſuos ablegatos cum Electore Brandenburgenſi & Duce Curlandiæ de uſu portuum, qvi ad eos pertinerent. Conſiliarius Regis Poloniæ de By mittebatur ad Regem Daniæ, Ducem Holſatiæ, & Fœderatæ Belgicæ Ordines ad invidiâ onerandum Svecos, & ſollicitandum partim de navium ſubſidio, partim de ſecuritate portuum; adeò ut Rex in Octobri menſe Fœderis exemplar concinnatum inter Poloniam & nonnullos alios adverſus Sveciam adipiſceretur. Interea dum talia à Rege Poloniæ agitantur conſilia, componitur (ut ante dictum eſt) controverſia Bremenſis. Mox Canaſilius ad Galliæ Legatum in Svecia communis inter utrumq; Regem fœderis cauſa tunc degentem, Baronem de Avancour ſcribit, ſe ſignificaſſe Regi Poloniæ reſponſum, qvod Regni Sveciæ Cancellarius ſibi ex Svecia abituro dediſſet, & Regem Poloniæ decreviſſe absq; mora in Sveciã Legatos ſuos ſufficienti mandato inſtructos mittere, ad tentandam omnium diſſenſionũ compoſitionem. Legati tamen Polonici, ut Canaſilius & voce & ſcripto pollicitus erat, non advenerunt, ſed vir eximiæ alioqvi dignationis Johannes Morſteinius: qvem qvum Rex Sveciæ convenienti honore excipere conſtituiſſet, & Morſteinius etiam literas fiduciæ exhibuiſſet, deprehenſum eſt in iis, qvod circa finem Rex Poloniæ temporis Regnorum ſuorum (qvum unum Poloniæ duntaxat haberet) injecta mentione, & aliis incertis præjudicia præ ſe ferentibus, titulum in Sveciam haut obſcurè ſibi adſertum, Regi Sveciæ detractum aut imminutum ibat. licet Morſteinius hoc errore ſcribæ admiſſum excuſare vellet: qvod fortè ruſticis ac imperitis, non rerum prudentibus perſvaderi poſſe, Svedi adfirmabant. Poſtqvam verò Rex animadvertebat, hunc errorem ſtudio comiſſum & directum contra regiam ſuam dignitatem, & ejusdem prorſus eſſe indolis, qvalis Canaſilii proteſtatio erat; Morſteinius, qvi coram Regni Cancellario profeſſus erat, ſe nihil de pace tractandâ in mandatis habere, ſed præmiſſum ſolùm eſſe, ut nunciaret Legatos brevi venturos, ad audientiam non admiſſus eſt, & mox hinc diſceſſit. Rex tamen ſuis & Senatus regni literis Holmiæ datis Regni Poloniæ ſenatoribus ob oculos poſuit injuriam ſibi & Sveciæ à Rege Poloniæ factam; etiam in hoc, *qvod ſub ſpecie abſtinendi titulo Regis, Gallico interea ſermone ac more, qvo ſolennia titulorum non ſemper obſervantur, ad Reginam Sveciæ literas compoſuerit. Vel ſi ex recepta conſvetudine Latinè ſcriberet, titulo Regis Svetiæ uſus ſit: qvod directè contra induciarum pacta pugnaret. Præter-*

 qvam

qvam qvod claſſem in mare Balthicum, ad aſſerendum ſibi ejus dominium, contra eadem pacta adducere in animo habuerit, & pernicioſa conſilia ac fœdera cum aliis Principibus, adverſus Regem ac Regnum Sveciæ inierit, aliaqve in præjudicium ſtatus Svetici terra mariqve agitarit. Qvum ergò nihil certi præſidii in illis induciarum pactis, qvæ mutua conſtent obligatione, ſed ab altera parte violata ſint, Rex ponere potuerit, inprimis pro injuria, ſibi ſeorſim non ſemel à Rege Poloniæ præſertim in ipſo ſucceſſionis Regis in regnum Sveciæ primordio, illatâ vindicandâ, pro dignitate ac jure Regni ſui hæreditario, patriæqve ſecuritate tuendis, & perpetua pace aliqvando firmandis, & ad occurrendum Polonicis conſiliis, niſi in tem-
1655 *pore eis obviam iret, prævalituris, arma ſe juſta capere* profeſſus eſt, etiam Regni Ordinibus in Comitiis publicis iſtud bellum, ut legitimum & occaſioni accommodum, approbantibus ac decernentibus. In dictis autem Comitiis, præter illud de præſidiis belli adverſus Polonos ſuſcipiendi, etiam de reductione bonorum à Corona alienatorum, atqve ordinatione vectigalium actum eſt. In Senatu verò à Rege de Legatis ad Cæſarem, ad Czarem Moſchoviæ, Protectorem Britanniæ & alios mittendis, & ſingulis de vera amicitia confirmandis, agebatur. Ad Cæſarem & Electorem Saxoniæ Ammiralitatis Conſiliarius, Baro Steno Bielke, ablegatus & ante eum Kleji miſſus fuit ad aulam Cæſaris, tanqvam Reſidens. Ad Protectorem, Baro Chriſtiernus Bonde R. Senator, ut Legatus extraordinarius, & paulò ante eum Petrus Julius Coyet, ut ablegatus mittebatur. Ad Czarem Moſchoviæ R. Senator, Baro Guſtavus Bielke cum Legati dignitate proficiſcebatur, comitibus Eſſenio & Kruſenſtierno. Pacta enim Stolbovenſia anni M.DC XVII. volunt, ut qvodcunq; Regnum ſive Sveciæ ſive Ruſſiæ, decedente priore Rege ac imperante, novum ſucceſſorem accipit, alterū Legati miſſione, firmandæ pacis & amicitiæ cauſa, honoret, & alterū pari modo deinceps reſpondeat. Decreto jam in Comitiis bello Polonico & conſtitutis Theſaurario Regni, Comite Magno Gabriele de la Gardie, præfecto Regio exercitus, per Livoniam in Lithuaniam ducendi, & Comite Wittenbergio, ut in Pomerania præeſſet exercitui in Germania collecto; qvi etiam illico expediebatur cum mandatis aggrediendi Poloniam; Legati Regis Poloniæ, qvorum Princeps erat Comes Leſcinskius & ejus collega Narrutzevitius, uterqve ex Senatorio ordine, tandem Holmiam advenerunt: *qvi in prioribus induciarum pactis manere, vel de compoſitione agere,* enixè deſiderabant. Sed Rex per ſuos reſpondit: *Illos tardius, qvàm à Canaſilio promiſſum erat, veniſſe; Regemq; Poloniæ poſt abitum ejus, injuriis partim inferendis, partim parandis non deſtitiſſe: ſe ergò pactis iſtis non amplius fidere potuiſſe. Ad ejusmodi verò injurias vindicandas ſe collegiſſe exercitus & in Svecia &*

Germania. Wittenbergium ex Pomerania cum ſuis copiis moviſſe, & ſe jam in procinctu ad bellum ſtare: ut in omnem eventum Wittenbergio adeſſe poſſit. Ad hoc tractatus pacis Stetinum remiſſus eſt, conſtitutis ibi nomine Regio Legatis Comite Johanne Oxenſtierna & Johanne Lillieſtrõm. Cum Legatis Electoris Brandenburgici Schuerino & Dobrzinſchio iſtuc etiã ea causâ venientibus, ad aliqvot dies, etſi nullo fructu tractatũ eſt. At Holmiâ legati Polonici diſcedebant Gedanum. Rex autem ſolennibus Pietatis & funeris Guſtavi Magni Conjugi & Reginæ Viduæ MARIÆ ELEONORÆ præſtitis, & dein finibus Regni benè muniri juſſis, cum tota claſſe XXXVI. navium armatarum, in Julio menſe Daleróna ex Svecia ſolvit, &, in Pomeraniam ad Ruden advenit; inde in Poloniam, inuſitato majoribus ejus exemplo, ſed utili conſilio, translaturus molem belli: ut vitalibus ejus regni petitis, Regẽ Caſimirum ad conſilia pacis facilius flecteret. In Pomerania verò Rex, recognito ad Deminum exercitu, qvi tunc tredecim millium deprehenſus eſt, ex ſucceſſu in majus auctus, comperit, præmiſſam partem exercitus Regii, etiam copiis à Kõnigsmarchio in Weſtphalia & Saxonia collectis, aucti in Poloniam ductore Wittenbergio jam iviſſe, & felicibus qvidem cæptis. Qvippe Wittenbergius cæſis ad fl. Netzam Polonis, duos Palatinatus Poſnanienſem & Caliſienſẽ primo acceſſu ad deditionẽ egit, pactis cum Chriſtophoro de Bram Opalinskio, Andrea Carolo Grudzienskio, Paulo Gembeskio & Maximiliano Miskonaſchio, nomine dictorum Palatinatuum initis. In deditionẽ acceptis dictis Palatinatibus, tantus applauſus plebis iſtic Polonicæ fuiſſe fertur, ut fortunæ aurã ſeqventes, Svecis acclamarent: *Veſter Rex, noſter Rex.* Dum autem Rex Ragoznâ ad Archiepiſcopalẽ urbem Gesnam & inde Coninum, ubi Wittenbergiꝰ cum ſuis copiis Regis adventũ exſpectabat, porrò pertendit; Opalinskius & Chruſinskius ad Regẽ acceſſere, humaniter ab eo excepti, & de pactis cum Wittenbergio confirmati. In hoc itinere Rex ad Netzã & alibi, inprimis Brombergam, Cruſevitzium, aliaq; loca præſidiis firmavit, in Poſnanienſi & Caliſienſi Palatinatibus granaria militaria conſtituit; neceſſariaqve præſidiis iſtic tuendis ordinavit. Hinc ſuperato fl. Warthâ, progreſſus Colum, atq; iſtic à Wittenbergio feſtâ lætitiâ exceptus, cum eo ſe conjunxit; emiſſis ibidem aliqvot turmis, qvæ, ubi hoſtis ſubſiſteret, explorarent. Comperto Regem Poloniæ ad Lovitium ſtativa cepiſſe, & inde ad Pionteckam caſtra formaſſe, interea Chriſtophorus Prmziemskius Caſtellanus Culmenſis, Regis Poloniæ Cubicularius, cum literis fiduciæ ad noſtrum Regem à ſuo venit. Ei ad animum revocat, *qvomodo hactenus Poloniæ regnum à tot diverſis barbaris tam hoſtiliter & immaniter acceptum fuerit. In qvo adflicto rerum ſtatu Regem*

 ſuum

ſuum non ſperaſſe, Regem Sveciæ Chriſtianum idem armis infeſtaturum: præſertim qvum Caſimirus huic bello, qvantum ſibi conſcius eſſet, nullam cauſam præbuerit, aut ſi qvid hujusmodi accidiſſet, alia leniori viâ componi potuiſſe. Qvum autem Regi armata manu reſiſtere jam impotens ſit, ab eo pacem expetere, bellum deprecari; aut ut tantisper gradum ſiſteret rogare, donec primaria intra paucos dies Legatione ad eum miſſa, in omnibus Ei ſatisfacere ſtuderet. Rex in reſponſo ſuo per Biörnclavium, delegato & per eum Caſimiro Regi *acta præteriti temporis in mentem reduci curavit, ex qvibus in conſcientia ſua de cauſis belli judicare poſſet. Jam ab initio imperii ſui ſe dehortatum fuiſſe Regem Poloniæ à periculoſis contra ſe molitionibus: qvibus non ſolùm non deſtiterit, ſed etiam hujusmodi conſilia agitarit, ut, niſi Rex illis in tempore prævertiſſet, Regni Svetici ſtatus in ultimum diſcrimen conjectus fuiſſet. Se fiduciâ divini Numinis & juſtæ ſuæ cauſæ, ea ſeqvi apud animum ſuum conſtituiſſe, qvæ ratio belli ipſi dictatura ſit. Si delegatus habeat poteſtatem in medium afferendi, qvæ ad pacem inſtaurandam faciant, Regem ſuos qvoqve delegatos ei fini conſtiturum. Inducias verò tempori & occaſioni ſolùm lucrandis deſtinatas permittere non poſſe. Si Stetinum tractandæ paci non ſatis commodus locus videretur, alium ſibi magis in propinqvo deligerent; velut Rex jam Leſſinskio ejus rei anſam dediſſet. Cæterum collationem nuperam inter Biörnclou, Canterſten & Polonicum delegatum inſtitutam, irrito effectu deſiiſſe.* Qvum delegatus Sabotham, qvæ media eſt inter Pionthecam & Lovitſium, tractandæ paci dixiſſet, Rex reſpondit: *ſe propediem ad ipſum viſurum.* Legiones autẽ Sveticæ, ductore rei tormentariæ præfecto Comite Steenbokio, ſe porrò moventes, ad Sabotham ſtationem capiebant. Qvum priora agmina Svetica Maſſurios iſtic & ad Zacroſinũ profligaſſent, Czarneckius cum qvater mille fermè eqveſtriũ copiarũ accedens, gravẽ impreſſionẽ iſtic fecit in Svecos, anteqvã pedeſtres legiones adveniſſent. Sed à Rege Sveciæ maſculè repellebatur ad caſtra usq; Polonica ad Pionthecã. Regis inſtitutũ erat, præmiſſis Douglaſſio & Comite Palatino Sultzbachenſi, (qvi inter Regis Pol. caſtra & Varſaviã obvios, & Regi Poloniæ ſe conjuncturos ſpargerent & disjicerent, qvod etiam feliciter ſucceſſit) rectà aggredi Polonos, qvalicunq; vallo munitos; ſed poſtqvam Czarneckius, tentatis ſemel Svecorum viribus, majorẽ ſuorum formabat frontem, qvàm pro numero eqvitũ in receſſu, ſpeciem Svecis validioris exercitus præbuit. Itaq; aliorum conſilium erat, ad ſeqventem diẽ præſtolari agmina pedeſtria. qvod nec ipſi Regi diſplicebat: unde regreſſus eſt ad tranſitum, animo cum Polonis poſtero die acie decernendi. Cæterum præcurſores ſignificabant Regi Sveciæ jam in procinctu ſtanti, qvod, dum Czarneckius producebat in longius frontẽ & ſimulabat prælium, Rex Poloniæ

niæ ad Sveticorum acceſſum cum toto exercitu fugæ ſe dederit, retrocedens Lancitzium & ſic ad fluvium Pilezam. Inde progreſſus Cracoviam noctu evaſit; ita ut Sveci ſeqventi die nihil iſtic niſi nuda caſtra reperirent. Poſt meridiem Rex Walleſchiam (aliis Valævitziam) regreſſus, cum omnibus copiis ibi paulum reficiendi militem cauſa ſubſtitit. mox ex conſilii ſententia hoſtem perſeqvi ſtetit. Itaq; copias in duas partes diviſit, unâ cum Wittenbergio præire juſsâ, alteram ipſe Rex duxit. Advolante in urbem Warſaviam famâ de propiore Regis adventu, vel ſola formidine, vel horrore regii nominis percita civitas, ex ſenatu delectos qvosdam Regi ad unum miliare obviam mittit, qvi ſe cum civibus in poteſtatem Regis dediderunt. Hoc modo Carolus Guſtavus *Varſaviam* caput Maſoviæ, nullâ vi admotâ, ultrò in fidem ſuam accipit. in arcem urbi vicinam, Iasdovam paulum divertens, Laurentium de Linde, Douglaſſium & Polonicum Procancellarium, in urbem ſibi tradendam ac fidelitatis ſacramento obligandam, miſit. In armamentario regio urbis L. tormenta, cum alio apparatu bellico reperta, trans Viſtulam deportata ſunt. Hoc ſucceſſu ſpes reſiſtendi Sveticis, aut auxilii à Rege Poloniæ, à qvo ſe deſertos eſſe qverebantur, ferendi munitis in Boruſſia locis, prorſus fermè decollavit. Fortunâ ſucceſſus ulterioris ſpem alente, Rex, militum victoriâ excitatiorum flagrantibus animis utendum, atqve famæ, in novis cæptis validiſſimæ, inſiſtendum ratus, ad plura ſibi qværenda pergit. Varſaviâ præſidiis inſtructa & Nereni fidei commiſſa, cum tribus legionibus eqvitum, una deſultorum & duobus cohortibus prætoriis, Rex inde diſcedens, ad VVittenbergium, in Opocinenſi campo ſuos tenentem, accedit. Superato cum copiis loci tranſitu, & tormentis atqve impedimentis ſubſeqventibus, ad dimidium miliare præmittit antecurſores ad recognoſcendum hoſtem, & inſidias præcavendas. qvi extemplo cis montem in hoſtiles turbas incurrerunt; cum qvibus velitari cæperant. Sed illæ vel Svecis impares, vel ut longius eos prolectos, toto exercitu hoſtili prope ſtante circumfunderent, retrò ceſſere. Qva re cognitâ, Rex acie inſtructa ſuos progredi juſſit; ubi hoſtis ad paſſuum millia Czarnovam movens, cum qvindecim millium copiis ad ſilvam conſiſtebat. Illis Sveticæ turmæ ſe oſtenderunt, velitatione rurſus facta. Interea pedeſtris Regis exercitus cum tormentis compoſito ordine acceſſit. Ab illo ſalutatus hoſtis, ſolito Svecis more ac ſigno, duobus tormentis diſploſis, mox ſe-nis tormentorum ictibus exceptus, pedem in ſilvam retulit; qvem Svetici intrepidè ſubſeqvuti, ſed imbre cadente paulum retardati ſunt. qvo remittente, iterum tormentis impetitus eſt hoſtis, & penitius in nemora compul-

ſus. Svetici verò tormentis campeſtribus eum ad ſolem usqve occidentem urgentes, ex uno ſaltu in alium inſtar ferarum ante ſe propulerunt, donec ad loci tranſitum tripartitis agminibus evaderent. Sveticus interim exercitus ad ſiniſtram ſuperato tranſitu qvadringentos hoſtium in paludibus obhærentes cecidit. Rex impedimentis vallo carrorum cinctis, & ab una vel alterâ legione cuſtoditis, Regem Poloniæ ad unum milliare perſeqvutus eſt; hoſtemqve adeò preſſit, ut ille in fuga mille currus poſt ſe relinqveret; atqve internecione deleri potuiſſe creditur, niſi nox interveniſſet. Satis tamen hoc ultionis fuit pro Comitis Ponti de la Gardie legione, ex qva in congreſſu qvodam cum hoſte CC. eqvites cæſi erant, Forgelio & Königsmarchio juniore captis. Seqventi mane Rex motis caſtris rectâ Cracoviam iter intendit. In itinere noſtrates bis mille hoſtium offenderunt: qvi conſpectis Sveticis, illicò tribus viis diverſi Cracoviam petierunt; eos ad urbem fermè Rex conſectatus eſt. Sed illi, Viſtula trajecto, elapſi ſunt. Anteqvam propius urbem Rex acceſſiſſet, Comitem Palatinum Sultzbachenſem cum una legione, & aliqvot deſultorum ſignis præmittit ad ſuburbium Caſimiriam, urbi vicinam, occupandum & perſpiciendum eadem occaſione, num ab hac parte commodior in urbem Cracoviam acceſſus pateret. Hoc ille benè feliciterqve peregit, dum non ſolùm Caſimiriam oppidum, ſed etiam pontem Viſtulæ & ſuburbium Stradoniam ſubitâ impreſſione intercepit: in qvo CCCC. Heiducci partim cæſi, partim capti ſunt. Et jam aliqvot dimacharum ad urbis portam penetrarant, ſed cum à pedeſtribus copiis, qvæ tam celeriter adeſſe non poterant, ſubſidio non juvarentur, eam deſerere coacti ſunt. Qvanqvam autem in urbe Cracovia Rex Poloniæ tribunos Czarneckium & Wolffium cum MDCCC. virorum præſidiis reliqverat: qvæ tormentis & ſclopetis impigrè exceperunt Svecos; tamen Rex arcem & urbem ſatis munitam ex ſuburbio Stradonia, admotis aliqvot tormentis, expugnare inſtituit. qvod incolæ advertentes, ſuburbium inflammarunt: ut Regi aditum denſo fumo & ardore, aut occaſionem ſe iſtic præmuniendi occluderent. Hoc ergo commodo ſibi prærepto, Rex ex adverſo portæ S. Nicolai ſuggeſtus fieri, & in iis tormenta collocari juſſit, qvibus urbis mœnia qvateret, acceſſibus obſidionalibus etiam ad Jeſuitarum collegium factis. Qvum autem Rex comperiſſet, maximam partem copiarum hoſtilium ad fluvium Donitzam ſtare: ne urbi ſuppetias venirent, eis cum aliqvot eqveſtribus & pedeſtribus agminibus Bochnam usqve obviam excurrit. Inde Douglaſſium, Landscroniâ, munita arce montan a, ad qvam occupandam à Rege miſſus erat, jam potitum, ulte-

rius

rius ad hoſtem perſeqvendum emittit: qvi in itinere etiam munitam arcem Weünitziam deditione ceperat. Rex autem progreſſus, obvium habuit hoſtem cum qvatuor ſignis Qvartianorum, qvinqve Huſſarorum, & compluribus Wallachiorum, ac gregariorum militum, præoccupata demiſſa & cavâ viâ, opportuno ſibi loco. Ubi Rex hoſtem, præcipuè Huſſaros cum Smalandica & Wittenbergica legione adortus eſt, Chiliarcham Bötcherum cum ſua legione, ad qvam etiam acceſſit Sultzbachii & Iſraëlis legio, in alas hoſtilium eqvitum irruptionem facere juſſit. ad qvam hoſtis illicò terga dedit, ſuperato fluvio Donietza. Sveci eorum terga ad Tarnaviam usqve prementes, aliqvot centurias profligarunt, capto etiam præter alios Henrico Danhovio tribuno militum, & ipſius Regis vexillo ſtatario. Rex autem Poloniæ centuriis aliqvot Germanicorum eqvitum ſolùm comitatus, trajecto Viſtula, receptu ſibi in Sileſiam & minorem iſtic Glogoviam, & tandem Oppeliam conſuluit. Unde qvatuordecim millia (qvidam IVM. ſolùm) Qvartianorum probatæ fortitudinis militum, ductoribus Alexandro Conitzpolſcio ac Sapieha, & poſtea aliqvot civitates Boruſſicæ Regis Svetiæ fidei ſe tradiderunt: *qvod per iſtam Regis ſui*, ut ipſi dixere, *fugam, ſe à fidelitate erga ipſum & conſcientiæ vinculo ſolutos crederent.* Sed & imperator militiæ Potoſcus, & Palatinus Cracovienſis ad Regem Sveciæ de legibus ſubjectionis miſerunt: *urgentibus obniti fatis, & in ſummam obſtinationem novos patriæ ſuæ motus conſciſcere nolentes*, ut ipſi ad Regem ſcripſere. Præter hos aliis etiam Palatinatibus ad Regis patrocinium & tutelam tuta via per Comitem Ericum Oxenſtierna, R. Cancellarium, Comitem Benedictum Oxenſtierna R. Senatorem, Matthiam Biörnklou, tunc Secretarium ſtatus, Varſaviæ ſubſiſtentes, ſub Regia ratihabitione facta eſt. qvamvis initio pauci Regis fidei ſe permitterent, donec Rex *Cracoviam* occuparat. Chmielniſchius & Principes Moldaviæ ac Tranſilvaniæ Regi etiam operam ſuam & amicitiæ officia certatim, orientem ſolem, ut dici ſolet, adorantes, obtulerunt. Urbs *Cracovia*, nulla auxilii à Rege ſuo ſpe adfulgente, poſt defenſionem ſui non deſidem, & acrem Svecicorum oppugnationem, cuniculorum ſuffoſſionem, & partem murorum jam dejectam, Regi ſe, Comite Slippenbach & Secretario Svalch cum præfecto urbi nomine Regis tractantibus, certis pactis, à Comite VVittenbergio & Czarneckio ſubſcriptis, tradidit. Rex autē impoſitis urbi præſidiis XVIII. peditum centuriis, cūm II. eqvitum cohortibus, Wurtziū & Ferſenū urbi præfecit; in qva præter XCIII. tormenta minora & majora occupavit.

Præſidia

Præſidia verò Polonica in Sileſiam ductoribus Czarneckio & Wolffio dimiſſa ſunt. qvæ qvamvis iſtic jam hoſpitiis diviſa, ſpes eſſet, ad Svedos tranſitionem factura, tamen ad Regem Caſimirum iter cogitabant. Qvod cum Burchardus Muller eqveſtrium centuriarum legatus Sveticus animadvertiſſet, in mandatis dat Sadovio, ut D. Qvartianorum & CC. Germanorum eqvitum ad Sileſiæ limitem traducat, qvi dicta præſidia acceſſu prohibeant, dein in Svecorum fidem accipiant. Sadovius fideliter negotium obit, & præſidia, jam ſublatis ſignis ad Regem Poloniæ tendentia, ſic eqvitatu ſuo cingit, ut nulla elabendi ſpes eſſet, & eos ſacramento Svedis obligaret. VVolffium autem in pago qvodam deprehenſum, intentato pectori ejus ſclopo, cum cæteris captivum Cracoviam abduxit, atqve eum ſua arte deluſit. Poſt Cracoviam occupatam, Rex Comitem Benedictum Oxenſtierna R. Senatorem, Claudium Rholamb bellicum & aulicum Regis Conſiliarium, & Baronem Guſtavum Banner mandato inſtruxit agendi & tractandi Varſaviæ cum Regni Poloniæ & illi annexorum Ducatuum & ditionum ſive Palatinatibus ſive aliis peculiaribus locis, qvi Regis partibus accedere & Regiæ protectioni ſe ſubmittere vellent, qvæ ſunt ipſius Mandati Regii verba. Et qvidem tres Palatinatus, duo Ducatus, octodecim Terræ, erectis inſtrumentis, in poteſtatem & fidem Regis & Regni Speciæ conceſſerunt. Sic intra breve temporis curriculum Rex Sveciæ Regem Poloniæ non exigua parte regni ſui exuit, & propugnaculis ad Viſtulam & Bugam excitatis, ſibi de tuto tranſitu cavens, viam ad reliqva in Boruſſia & alibi conficienda munivit. Coſtinіam tamen Poloni, cæſo oppidi præſidio, receperunt. Ad eam Fridericus Haſſiæ Landgravius, ſtrenuus Princeps, Regis Affinis, qvum à Svecis adhuc eam teneri crederet, incautius approperans, glande plumbea trajectus eſt. In Lithuania nova ſors affulſit Regi Sveciæ. Dum enim Ruſſus ex Livonia movet in Lithuaniam, armis ſuis adverſus Poloniam continuatis, ibi more ſuo graſſatur, & jam magna Magni Ducatus parte occupata, cedente qvoqve validioribus hoſtis viribus Lithuanorum Principe Ratzivilio, & ad Regis Sveciæ partes tranſeunte, ipſam VVildam, primariam Ducatus urbem, miſerè diripit qvatuordecim mille hominum, ut fama fuit, vel excarnificatis vel trucidatis, juvenibus & puellis inſtar pecorum colligatis & in Ruſſiam ad ſervitutem abſtractis. Ne ergo ſuperſtites ſæva morte prorſus perirent, aut jugum intolerabile ſubire cogerentur; ſimulqꝫ evitarent ſummum periculum, qvod illis ab armis Sveticis impendebat: dum nihil opis aut ſpei à Rege Poloniæ tunc exſule comparebat; inevitabilis neceſſitatis imperio adacti proceres & Ordines dicti Ducatus, in protectionem

& fidem

& fidem Regis Sveciæ ſe dedi.ierunt. Comes Magnus Gabriel de la Gardie, Regis ac Regni Sveciæ Senator ac Theſaurarius, Generalis Ducatus Livoniæ civitatisqve Rigenſis Gubernator, & Generalis Exercitu m ſtatusqve bellici per Livoniam, Eſthoniam & Ingriam Vicarius &c. & Baro Benedictus Skytte, Regis & Regni Sveciæ ſenator, Gubernator Eſthoniæ Generalis, Arcium Revalienſis & Vittenſteinenſis Caſtellanus, & ad Exercitus Legatus &c. Regii delegati, nomine Regis eos ſolenniter in fidem accipiunt. Poſtea ad Czarem Ruſſiæ mittunt, ab ipſo deſiderantes, ut Lithuaniæ, jam Regis Sveciæ juris factæ, non amplius incommodaret. Qvod ille malè accipiens, inprimis Ducatum, qvem deſiderio & ſpe jam ſuum feciſſe videbatur, ſibi à Svecis intercipi; licet jam ante qvædam hoſtilia Livoniæ intentaſſet; nunc rupto palam cum Svecis æternæ pacis fœdere indictoqve bello, ſe apertum adverſus eos profitetur hoſtem: non habita ratione ejus, qvod per Nobilem Aulicum & tunc Judicii Regii Holmenſis Adſeſſorem, Uddonem Ödelum, & poſtea per publicum Legatum, Guſtavum Bielke de amicitiâ ſuâ Rex eum confirmaſſet. Sed hac de re ſuo loco plura. Inter Regem Sveciæ & Electorem Brandenburgicum de ſocietate & conjunctione armorum contra Polonos, à Brandenburgenſi ſedulò prius qvæſita, actum eſt. Ille enim coram Miniſtro Svetico, in aulâ ejus ſubſiſtente, *ſibi gratulatus erat de occaſione vindicandi injurias Polonorum; atqve ne ſolus validioribus collideretur. Certè gratum ſibi fore illud fœdus, per qvod ditionum ſuarum ſecuritatem protectum iri ſperabat.* Nec illud Rex prorſus abnuebat, ne per Electoris abalienationem, vel ab ipſo, vel ex ejus provinciis obſtacula qvædam & detrimenta ab hoſte exſpectanda haberet. Cæterum, Electore deinceps vacillante, Rex non modò ejus ablegatis, ſed ipſi qvoq; in mentem revocavit, *qvod ſe per omnia non gerat, qvalem initio præ ſe tulerit: qvum tractatus cum Sveticis vices callidè variet, aliaqve in præjudicium Regis molitus ſit. in abſentia ejusdem & itinere verſus Cracoviam valentem exercitum in Boruſſiam traduxerit; Regis inſtituta coram Boruſſiæ Ordinibus vellicarit, eosqve, comitiis provincialibus indictis, ſub ſuam protectionem, præſidio eorum urbibus impoſito, vocarit; etiamſi erga Regem ejusqve miniſtros ſingulare conjunctionis ſtudium profeſſus ſit.* Elector autem, qvidqvid egiſſet, vel *excuſabat mutatione temporum, vel ad ſui ſtatus conſervationem feciſſe*, reſpondebat. Nihilominus Regi Sveciæ Poloniam ingreſſo obviam mittebat Schuerinum & Dobrzinskium cum mandato denuò paciſcendi. qvod etiam, ut cum illis per Comitem Benedictum Oxenſtierna & Matthiam Biörnklou fieret, Rex permiſerat; etſi irrito molimine, qvum de conditionibus utrimqve non

convenisset. Qvum verò Rex Electoris delegatos monuiſſet: *Si Elector ex fide agere vellet, neceſſe eſſe, ut conſiliorum Regis Poloniæ ſe participē non reddat; & militem intra provincias ſuas contineat*, mox Elector ſuis ad Regē literis declaravit: *Se in ſincerâ cum Rege amicitiâ perſtiturum, ſi Rex ei conditiones æqviores & poſſibiles dare velit*. Rex in ſuo ad Electorem reſponſo *eas pro iniqvis & impoſſibilibus haberi poſſe* negabat: *qvum illas ſic attemperaſſet Electoris deſiderio, ut in multis ſibi demtum, Electori ſatisfactum eſſe crederet. Legatos tamen Electoris eas variis exceptionibus & limitationibus fermè inanes reddidiſſe. Sed & ab ipſo Electore aliqvot præjudiciis & locorum nonnullorum in Boruſſia occupatione eis tantum non contraventum eſſe*. Exeunte hoc anno, Rex rei tormentariæ præfectum Comitē Steenbockium, qvi ad Bochum fl. & in Maſſovia rem maſculè & feliciter egerat, cum aliqvot legionibus in Boruſſiam Regalem mittit, qvi clave provinciæ & Strasburgo urbe capta, inde ſibi viam ad reliqvas regionis urbes patefecit. Hieronymus Radzieuskius cum ter mille eqvitibus Thorunium movet, & deditionem ei perſvadet: qvippe urbs regiis viribus impar, & ope Polonorum, exſule ipſorum Rege, nudata, Regis Sveciæ fidei ſe permittit. Hujus exemplū Graudentium, per Laurentium Kruſe, Brunsberga, Elbinga, Slochovia, Meva, Dirſavia, Mariæburgū, & deinde arx urbis, (ad qvam Gedanenſes ſerò, præſidio jam arce educto, auxilia miſerant) induſtria ac virtute Guſtavi Ottonis Steenbock, Laurentii de Linde, Comitis de Dona, Henrici Horn, primariorum militiæ ductorū aliorumq; in poteſtatē Regis venerunt, qvæ jam ab aliis prolixè memorata ſunt. Ita major pars Boruſſiæ Regalis in Regis partes conceſſit, Erico Oxenſtierna R. Cancellario, qvi prudentiâ ſtudioq; patriæ ante annos inſignis erat, ei præfecto, ſed poſt biennium iſtic tanqvam fatali loco ex ardenti febre, exſtincto. Hic verò annus non ſolùm Regiis victoriis, ſed etiam natalibus Filii Regis CAROLI, altera ſpe Regni; atq; Edicto regio de Chriſtianæ noſtræ religionis exercitio & conſervatione, felix ac fauſtus fuit. Seqventi anno Rex in Ducalem Boruſſiam movens, cum copiis ſuis Regiomontem tendit: ſi forſan vi præſentiæ ſuæ & armis urbi Electorali imminentibus, tanqvā efficaciori argumenō, conſummationem fœderis Electori perſvadere poſſet. Etenim qvum Rex præter alia munitum iſtius loci oppidum Velaviam vi cepiſſet, & Pregola atqve Alla fluviis trajectis, Regiomonti magis propinqvaret; Elector, etſi fide Caſimiro Regi Poloniæ innexus, adverſæ tamen tempeſtati fruſtra reluctaturus, inducias à Rege Sveciæ deſideravit, & ter pactis intra unius anni ſpatium in Januario, Julio & Novembri menſe initis, tandem ſpe ipſi facta de Epiſcopatu Warmienſi, & Boruſſiæ Ducalis à fiduciario vinculo exemtione liberiqve

(a. d. 24. Nov. natus eſt.)

1656

dominii

dominii jure, fœdus contraxit, qvod paulò ante pugnam Warſavienſem (de qvâ mox) perfectum eſt, operam hic ſedulam nomine Regis non ſemel navantibus prima vice Comite Erico Oxenſtierna, R. Cancellario, ſolo, alterâ vice ſociis Barone Scheringio Roſenhane, & Barone Stenone Bielke, tertiâ vice Comite Slippenbach, Matthia Biörnklou & Bartholomæo Wolfsberg; nomine Electoris Georgio Friderico, Comite de Waldeck, Nic. Erneſto de Platen, Swerino, Dobrſinskio, JC, Jena, & aliis. Polonorum qvinqve millia uno lapide ab urbe Cracovia prope Cœnobium Moguellum ad Viſtulam ſtationem capiunt. Præfectus urbi Wurtze, reſtitutâ valetudini majori parte præſidiorum, ante morbo correptâ, & ejectis urbe rebellibus nonnullis civibus, Jeſuitis ac monachis, & relicto in urbe cum aliqvot ſclopetariis protribuno Mouſtcampio, noctu cum ſilentio absq; tympanorum ſtrepitu, ducens ſecum bis mille & aliqvoties centum atq; XX. tormenta, adverſus hoſtem excurſionem facit, & copias ſuas in æqvo prato ante urbem tenet; donec magiſter eqvitum Chriſtianus Saſſe cum prioribus turmis ad recognoſcendum hoſtis caſtra præmiſſus revertiſſet. Ille non moratus ab excubiis hoſtilibus binos tormentorum in ſuum militum ictus bis hoſtilia caſtra noctu prorſum & rurſum perſultabat, obviis cæſis; donec hoſtis excitatus arma caperet. Reverſo eqvitum magiſtro, Wurtz diſplodit in caſtra hoſtis tormenta tam continentibus ictibus, ut ille tandem caſtris excedens, receptum peteret ad Viſtulam: ubi Svetici eum veſtigiis perſeqvuntur, plerisqve cæſis, tormentis, ſignis & impedimentis captis; Sveticorum qvinqve ſolùm, ut ferunt, deſideratis. Ad cœnobium Tenitzam hoſtem iterum cædit, capto vigiliarum præfecto, natione Anglo, & rebellibus iſtic ad obſeqvium redactis. Rurſus in plano ante urbem campo hoſtem Sveticos ordines turbare conantem bipartitis agminibus invadit, tormentis infeſtat, & propulſat. Octiduo elapſo, qvum ex arce Witzneſa centum eqvites in urbem accepiſſet, tertia vice urbe excurrit in hoſtem, erectis ſignis ſtatariis, ad ſuſpicionem hoſti injiciendam de novis auxiliis ſibi ſubmiſſis. Aliqvantum progreſſus, hoſtilem eqvitatum in acie ſtantem deprehendit; ad qvem pleno & citato curſu contendit, interponens ſe medium intra hoſtes & caſtra eorum. Qvi conſpectis Sveticorum novis vexillis ſtatariis, planè ſibi perſvadebant, eos valida ſubſidia conſeqvutos eſſe. Proinde ſe minus adverſus eos poſſe arbitrati, fugâ Landscronam, ante à Rege Svetiæ occupatam, ſed poſtea à Polonis recuperatam, petunt, non paucis eorum aut fuſis aut captis. Sed & peditatus hoſtilis caſtra ſua deſeruerat, relictis iſtic tormentis & omni apparatu

 bellico.

bellico. Qvarta vice excurſione ex urbe facta, cœnobium Pielovam tertio lapide à Cracovia, accedit, ad compeſcendum iſtic rebelles, obſeſſo cœnobio, tormentis & vi eos ad deditionem, fidem & contributionem compellit. Ita ſub acri fidoqve duce ſtrenuus militum vigor & tuta urbis cuſtodia ſtetit. Poſteaqvam Rex Poloniæ à Pontifice, Cæſare & Domo Auſtriacâ (fruſtra dehortante eam Rege Sveciæ) & aliis Principibus, novis viribus & ingentibus copiis ex Germanis, Polonis, Coſaccis & Tartaris adjutus in Poloniam ab exilio redierat; Qvartiani & plerorumqve Palatinatuum Nobilitas, etiam Pontificis aliorumqve inſtinctu, à Rege Sveciæ defecerunt, primò leniori, dein ſeveriori edicto fruſtra ad obſeqvium & fidem revocati. Prætexebant enim: *Qvum ſimul Svecus, Ruſſus & Coſaccus infeſti illis ingruiſſent, tunc ceſſiſſe tempori ac ſe Regis Sveciæ fidei permiſiſſe. Nunc verò Regi ſuo reduci & patriæ magis, qvàm Sveco obſtrictos eſſe; nec fas eſſe Polonos contra Polonos pugnare. Præter iſtæc, violatam eorum religionem: qvum Svetici milites vim intuliſſent illorum templis, Epiſcopis & Sacerdotibus; atqve oppreſſam libertatem in indignè habitis Nobilibus, & direptis eorum bonis, diſceſſionem illis à Sveco ſvaſiſſe.* Contra Sveci regerebant, *hæc ab illis temporariæ & lubricæ fidei obtendi: qvum certis documentis comperiſſent, ipſos etiam Polonos, caſtra Svetica ſeqventes, ſub mendaci Svecorum veſte & nomine multa patraſſe & admiſiſſe nefanda.* Primò autem, qvum Rex adhuc in Boruſſia verſaretur, ab eo Qvartiani ſub Potoſcio & Lanskorofskio defecerunt, Douglaſſio etiam Sandomiriâ Varſaviam regredi coacto; reliqvi verò Qvartianorum ſub Könispolſcio & Sapiehâ tunc à Regis partibus adhuc ſtabant. Sed qvum Rex iter haberet ad Zamoſciam & inde Jarislaviam (de qvo mox) reliqvi majoris Poloniæ nobiles, qvi jam deſciverant qvidem, ſed melius de Regis erga ſe animo à Claudio Rhalamb, eo nomine à Rege ad illos miſſo, edocti, ad obedientiam & fidem redire deſtinarant; niſi à Czarnechio, Campi domino, ſubitò ſuperveniente aliter perſvaſi, ipſum & ejus partes ſeqvi coacti fuiſſent. Czarnechius autem cum aliqvoties mille Polonis & Sandomirienſibus nobilibus animo fixum habebat, ut Rex acceperat, adverſus Comitem Douglaſſium Lovicii (urbs eſt ad dextram ripam Ezure ſita) fuſis fugatisqve inde Polonis, ſtativa copiarum ſuarum habentem, movere: ut vel iis incommodaret, vel conjunctionem regiarum copiarum cum illis impediret. Ad id præcavendum, Rex ipſe cum ſuis Lovicium ivit. Ibi comperto, Czarnechium jam Viſtulam tranſiiſſe, ad hoſtem ulterius inveſtigandum, protribunum Rutgerum

ab Aſchenberg cum CCXXX. eqvitibus emiſit. Ille juſſu Regis iter faciens, in via qvidem ex rumore accepit, hoſtem Radumum verſus tetendiſſe: Sed qvum nihil certi comperiſſet, & appetente nocte defatigatisqve eqvis, dictum locum adſeqvi neqviret, in nobilis cujusdam prædio Sacherhuff dicto, prope à Radumo diſtante, pernoctavit. Qvum ſeqventi mane eò cum ſuis excurſurus, ſignum tubâ dari juſſiſſet, ex diſpoſitis excubiis percepit, hoſtium bis mille ex Qvartianis, Huſſaris, nobilibus & aliis coactas copias iſtic adeſſe. qvæ totum pagum & dictum prædium circumſidentes, undiqvaqve in Svecos impetum dedere, non minori tamen ardore ab his profligati, qvàm illi in hos invecti erant. Hinc irâ conciti, qvam in Sveticos fruſtra acuebant, in prædium ſe effundentes, totum incenderunt. Igne flagrante, cum omnibus ſuis agminibus eqveſtribus & pedeſtribus totisqve viribus in protribunum & ejus copias ruentes, Numine propitio virtute & ferro Svecorum repulſi ſunt. Qvum eorum vim decem conflictibus magis excitatam, qvàm expugnatam deprehendiſſent, colloqvii copiam ſibi fieri deſiderarunt. Eâ factâ, Svecis ad ipſorum Regem transire, ſpe ac promiſſis perſvaſum ivere. Sed Aſchenbergius, *qvem Regem agnoſcerent*, ex illis qvæſivit; *Se non aliter ſcire, qvàm & ſuos & illos in unius Regis nimirum Sveciæ fidem juraſſe; & illos Qvartianos ac Huſſaros eſſe.* Ipſi verò negarunt, *ſe eos eſſe; pro qvibus haberentur, ſed nuper à Cæſare veniſſe, & ſub Caſimiro Rege ſtipendia mereri.* Contra protribunus: *Si reverterentur, ita exceptum iri, ut ipsâ re comperirent, Regem Sveciæ ſub ſuis ſignis non ſolùm fidos ſibi milites; ſed etiam adverſus hoſtem viros ducere: per qvos Deus hoſtilia perjuria ſeverè ulturus eſſet.* Hoc colloqvio finito, Aſchenbergius ſuos ad fortiter agendum hortatus eſt: ſi fortè hoſtis extremam adhuc aleam cum illis experiretur. Qvod moniti erant, non tam verbis, qvàm ipſo facto, qvum in rem præſentem veniretur, adfirmarunt. Undecima vice Svecos in campo aggreſſi, ita accepti ſunt, ut confuſis ac tumultuariis ordinibus ad unum fermè milliare in nemus propellerentur. Eqvidem ipſos hujus rei puduit: dum ſe invicem turpis ignaviæ ac degenerum animorum damnaſſe perhibentur: qvòd bis mille ſub octo ſignis, à trecentis Svecis, ut ajebant, campo pulſi eſſent. Hoſtium amplius centum cæſi LXXX. vulnerati ſunt. Ex Svecis viginti unus ſolùm deſiderati, triginta duo vulnerati ſunt. Mille trecentis eqvis & alia præda potiti, Suchovolæ ſe qviete reficientes, inde Radumum ſe receperunt. Iſte Aſchenbergii & Svecicorum progreſſus eò valuit, ut hoſtis, cognito ipſius

 Regis

Regis ad Viſtulam adventu, ſubſiſtere non auderet, & Sandomirienſes nobiles ab eo diſcederent. Hæc non ſolum Aſchenbergius ad Regem, ſed ipſe Rex ad Comitem Benedictum Oxenſtierna ex ſtativis Wloſtovitzianis perſcripſit. Qvamvis autem Rex cum ſuis copiis MMM. eqvitum & MM. Polonorum feſtinaret trans fluvium Pilczam ad pagum Bronchoviam verſus Radumum, & ad reprimendum rebellium motum; in itinere verò reſciviſſet, hoſtem ad latus Viſtulæ Solitzam regreſſum eſſe, ne forſan hoſtis à tergo ſe ipſi ſuperfunderet, aut relictis ſub ſupremo vigiliarum præfecto Bulovio pedeſtribus copiis & ſarcinis, infeſtus veniret, Rex mutato conſilio hoſtem recta adire conſtituit. Progreſſus, hoſtem ad Caſimiriam & inde ad pagum Golombam moviſſe comperit: ubi Rex veritus, ne fortaſſis hoſtis per tranſitum in latus exercitus impreſſionem faceret, eum veſtigio inſeqvi decrevit, animadverſurus, ſi forte Podlochiam verſus iter intenderet. At cognito, hoſtem jam longius antegreſſum eſſe, in ſtativis Wloſtowitzianis aliqvantum moræ recreandis copiis dare voluit. Mox ex aliqvot captivorum indicio accepit, Czarnechium cum LXXX. ſignis, C. virorum ſingulis, propius iſtinc abeſſe ad unum nimirum & dimidium milliare; proinde cum legionibus Henrici Horn, & Comitis Woldemari ſtatim ſubſeqvi juſſis, adverſus hoſtem exivit. Qvem qvum ad Golombam offendiſſet, duas legiones Qvartianorum & Chiliarchæ Nimritzii ac tribuni Guſtavi Kurke copias hoſtem velitationibus diſtinere mandavit, donec ipſe cum toto exercitus corpore accederet. Interim eqveſtrium copiarum, qvantum in impeditis locis fieri potuit, aciem ordinavit, & ſiniſtram Douglaſſio, dextram alam Wittenbergio regendam commiſit. Regis frater autem à ſiniſtra ala ad dextram, Rege ſic volente, eqvitaturus, lapſu eqvi fractoqve dextro poplite, acie, qvamvis invitus, curandi poplitis cauſa abeſſe cogebatur. Ne hoſtis, qvod minari videbatur, ad dextram in latus Sveticorum irrumperet, mutatâ paulum aciei formâ, Douglaſſium ad ſiniſtram in hoſtis latus irruere juſſit. Qvo facto, etiamſi hoſtis cum duabus noſtratium alis maſculè committeret aciem, tamen in libero campo profligatus & in fugâ pulſus eſt, non paucis cæſis, & aut Viſtula aut Wipera, qvo ſe receperant, glacie fractâ ſubmerſis, XVII. ſignis, inter qvæ duo ſtataria erant, hoſti à Laurentio Kruſe tribuno erepta, & aliqvot centuriis præter tribunos, captis. Poſtqvam Rex hoſtem ad Golombam ceciderat, è re fore duxit eum perſeqvi, atqve ſi concludi poſſet in locis commeatu

& ci-

& cibo vacuis, ad incitas redigère. Itaqve perſeqvutus eſt hoſtem Rex Lublinum usqve: ubi copiis ejus oppido appropinqvantibus, cives ſe Regi ultrò dediderunt. Zamoſciam, qvum alienum anni tempus obſidionem ejus non permitteret; globis ignitis impetiit: ſi fortè ſic ad deditionem compellere poſſet. Sed qvum locus munitiſſimus parum inde detrimenti acciperet, Rex hoſtem magis ac magis cedentem perſeqvutus; Iarislaviam, rubræ Ruſſiæ in Præmislenſi tractu ad ſiniſtrum Sani littus urbem excurrit. Ibi aliqvantum refecturus exercitum, donec viæ commodiores redderentur, præmiſit Andream & Aſchenbergium cum aliqvot turmis ad occurrendum hoſti. Poſt aliqvod temporis intervallum hoſtis cum ter mille ſuorum ad Iarislaviam, animo eam obſidendi, ſe oſtendit, & CCL. eqvitibus ſub ductu Laurentii Kruſe tribuni urbe effuſis ſe oppoſuit; ubi poſt acrem dimicationem in tutum ambo ſe recepere. Sed Rex cum parte copiarum eqveſtrium in eum provectus, Præmisliam receptum petere compulit. Illam tunc obſidere cæperat Douglas, qvi impar hoſtilibus viribus, inde mox revocatus eſt. Tribunus Sinkler Sandomiriâ cum aliqvot turmis ad Regem tendens, ab hoſte ferme interceptus & cæſus cum ſuis fuiſſet; niſi Rex ei in occurſum auxiliarem manum ſubmiſiſſet, qvæ eum Przeboreckum in ſalvum deduxit. Ipſe Rex primò in urbe Iarislavia, dein arce Rudnica ad Sanum ſita; majoribus copiis hoſtilibus & tam arctè cinctus dicitur, ut præſenti periculo expoſitus videretur; niſi campo & poſtea Viſtulæ liberum pedem inferre contigiſſet. Ubi tamen ex utraqve ripæ parte Palatinus Vilnenſis & Alexander Conitzpolſcius atqve à tergo Czarnechius ſubſeqvebantur; donec Sandomiriam Svetico præſidio infeſſam attigiſſet. Ibi pontis navalis, per qvem traduceret copias ſuas, perficiendi facultas ipſi præciſa eſt; Stanislao Machoviô qvatuor dierum oppugnatione pontem recidente. Hoſtis autem Sveticis parum incommodi attulit; niſi qvod ex poſteriori eqvitum agmine ad Niſcho & pabulatoribus, qvidam in locis intutis ab hoſte, poſtea tamen repulſo, cæſi ſunt. At Fridericus, Marchio Durlacenſis Badæ, cum bis mille militum auxilio ad Regem Sandomiriam; ſed aliqvantò tardius, iter tenens, à Czarnechio ſubitò opprimitur. Svetici qvidem, ductore Marchione ad Varicam, oppidulum ad Pilczam fluvium ſitum, gradum ſiſtebant, pugnam non detrectantes; vel ex occaſione hoſtem inſidiis, aliqvot turmis in proximam ſilvam abditis, circumvenire parati. Nec incruenta utrimqve pugna per duas horas incaluit. Sed Marchio, cum

cum ſuis numero hoſte paucioribus,tandem clade affectus, cum fratre Guſtavo Adolpho, Comite Slippenbachio, Wejero, Pettero, Benſio & aliis (qvorum periculi etiam conſors fuit Edvardus Ehrenſteen Secretarius Regius) in caſtellum Czirsko ſe recipere coactus eſt. Unde poſt tertium diem magno cum diſcrimine ſuo & paucorum comitum, inter copias hoſtiles paſſim vagantes, Varſaviam evaſit. Poſt ſtragem iſtam, inſuper tria millia Svecorum, hoſti obvii, immaniter, qvum nemini vitam paciſci liceret, à Polonis vias paſſim obſidentibus trucidati ſunt; & qvidem ab illis ipſis, qvos antea in tutis ſtationibus ac locis ſuis ex fide publica, à Rege Sveciæ iſtis conceſsâ defenderant. adeò recens beneficium, jam ejus uſu ceſſante,animis exciderat: imò in trucem hoſtilitatē verſum erat. Poſtqvam verò hoſtes Regem ad Sandomiriam,in cineres caſu redactam, totis viribus circumvenire & velut plagis clauſum capere allaborabant, ille in agrū ripæ ſubjectum ſuas copias eductas ad ſtrenuè hoſti reſiſtendum hortatus, modò arte eluſit, modò vi repulit, modò compoſito & tuto receptu potentiorē hoſtem declinavit, tormentis Sanum verſus deductis, ad defendendum pontem navalem, qvem Rex iſtic moliebatur. At Sandomiriæ arx à Sveticis LX. ſolùm militum præſidio tenebatur, qvi ad tuendam contra hoſtem arcem impotentes, neceſſariis prius elatis, Regis juſſu deditionem ſimularunt. Rex eò qvoqve miſerat tribunum Martinum Törneskiöld cum mandato ſuffodiendi cuniculos & pulverem nitratum arci ſubdendi, ut flammis traderetur. qvod ille ſedulò confecit. Mox, dum Poloni, Svecis ab arce digreſſis, eam occupant, conclavia benè obſerata, & cellarum januas diffringere & aperire, theſaurosqve ibi, ut credebant, reconditos ſcrutari pergunt; arx, incenſo pulvere pyrio ſubitò in altum eliſa, ſuo ſecum excidio involvit Polonos: qvi nihil mali ſuſpicati, inter lituorum & tubarum cantus, tympanorum ſtrepitum & de victoria plauſum, vi ignis lætitiam inopinatò turbantis, in partes diſcerpti & in aërem excuſſi, repentina morte è medio ſublati ſunt. Funus Laurentii Wallerſted Secretarii, ibi depoſitum, eodem incendio in ſublime raptum, in cineres, alioqvi tumulo deſtinatos, celeri ac tumultuario caſu redactum eſt. Sed ſalvâ animâ, corporis & ſepulchri levis jactura eſt. Tandem Rex, percepto, partem exercitus hoſtilis, nondum ſuperato Viſtula, ſtare ad Baranovam, parte copiarum ſuarum eqveſtrium illam & legionem Coniſpolskii inde pepulit. In regreſſu Palatinum Viteposcium, ab hac parte Sani fl. pontis conſtructionem impedire conantem, qvoqve repulit, propugnaculo hoſtis iſtic occupato,

cupato,

cupato, uno ſigno & tribus tormentis, præter cæſos, captis. Poſt iſtæc Rex feliciter Sanum & Wiperam trajiciens, incolumis Warſaviam præſenti ope divinâ rediit; etſi non absqve ingenti expeditionum & viarum difficultate, periculis & vigiliis. Etenim per XX. dies Rex veſtes ſuas non exuerat; ipſo etiam corpore vi ſudoris, pulveris & continui itineris laboribus non parum vexato. Qvantâ verò Reginæ, qvæ nuper è Svecia in Boruſſiam advenerat, & improſperæ, ut videbatur, de morte Regis Gedani jam vulgatâ famæ metu præter alios conſternata erat, tantâ nunc lætitia, aliorumqve gaudio Rex excipiebatur! Warſaviæ relictis impedimentis partitisqve agminibus, Rex iterum reverſus eſt in Boruſſiam, & cum Regia conjuge Elbinga Mariæburgum ſe contulit. Ubi acceptâ famâ de ſucceſſu rerum in majori Polonia, & rebellium in Maſſuricis finibus ad Regis obſeqvium regreſſu, partem pedeſtrium copiarum circa Graudentium aliqvantum qvieſcere juſſit. Interea munimentum Dantiſcanorum ad Stiblaviam & Höfdam recognovit, ac deprehendit, eos in iſtis operibus ad defenſionem paratos eſſe: Proinde non absqve moleſtia & temporis impendio aggrediendos ratus, à parte qvidem Mariæburgi tale qvid minabatur. Pedeſtres verò legiones Graudentio per Comitem Steenbockium ita deducendas fecit, qvaſi Conitiam tendere eumqve locum à Weieri obſidione, qvam fama ſpargebat, liberare deberent. Rex autem Comiti in ſecretis mandatis dederat, cum pedeſtribus agminibus ad latus Dirſaviæ conſiſtere, donec Rex Mariæburgo eò accederet. Accedens noctu cum legionibus eqveſtribus & deſultoribus, in circuitu ſex miliarium iter confecit, donec prima mane ad tranſitum Nudlo dictum pervenit, ubi qvædam Dantiſcanorum eqvitum turmæ locum iſtum contra Regem tueri conatæ ſunt. At poſtqvam Rex Steenbockium cum pedeſtribus copiis per leviores pontes, qvos carris vehebat, ire juſſerat, ipſe verò cum eqvitibus vadum tranſiverat, hoſtis metu repentè Gerbinum & Liboperenſe munimentum, eqvitatus verò Dantiſcum ſe recepit. Gerbinum Rex ſtatim deditione cepit, XLVIII. præſidiariis in fidem acceptis, ſed Liboperenſe munimentum, qvod ejus cuſtos & præfectus defenſum ibat, duobus tormentorum ictibus etiam Regi & Steenbockio, ſed absqve noxa, intentatis, Rex ex latere munimenti, qvo hoſtis minimè exſpectabat, prima aggreſſione expugnavit, centum cæſis, trecentis in fidem acceptis. Tubicine cum protribuno & literis Dantiſcum miſſis, civibusqve monitis, ut pacatiora caperent conſilia, Rex movit ad *caput*, munimentum *Höfdenſe* vulgò: qvod præter exſpectationem à præſidio deſertum reperit. Ubi caſtris firmatis,

 matis,

matis, Gedanenſes non parum incluſos tenet. Interea nuncius ad Regem advenit de rebellibus Samogithis à Regni Theſaurario DCCC. cæſis & DCCC. captis, & Cujavenſibus nobilibus ad fidem reverſis. Inde Rex per ſuos Olivam cepit, vectibus & repagulis munivit, ſed mox ab urbe Gedano dejectis; Stiblaviam aliaqve loca dein occupavit, ad Dirſaviam, fruſtra tentatam, qvingentos ferme vel profligavit vel fugavit. At Gedanenſes his non adeò moti, in partibus & fide Caſimiri Regis Poloniæ perſiſtebant, ab eodem literis & promiſſis novarum immunitatum ac beneficiorum animati, ſuaqve pertinaci conſtantiâ firmati, contra Svecos, à qvibus ſe jam ſatis laceſſitos exiſtimabant (nec mirum, qvum neutris partibus & commerciorum libertate Civitati à Rege Svetiæ permiſſis, ſed à Civitate neglectis, bello Polonico ſe miſcuiſſet) hoſtilia porrò moliti ſunt, incenſo ſuburbio & neceſſariis defenſioni paratis. Qvum enim, uti Rex ad eos ex caſtris Stieblavenſibus ſcripſerat, *non ſolum ad Mariæburgenſem urbem & arcem à Rege obſeſſam, auxilia etſi ſerò transmiſiſſent, ſed etiam repagula ad Olivam cœnobium, à Sveticis in via pro defenſione poſita, per ſuum militem violenter dejeciſſent & diffregiſſent; incendia Dirſaviæ ædibus & operibus intuliſſent; famoſos & mendaces rumores de Rege Sveciæ Gedani ſpargi & edi permiſiſſent; fœdera cum malè affectis & adverſus Regem concitatis iniviſſent; nihil denique infectum reliqviſſent, quod offenſus hoſtis facere conſuevit; liberorum commerciorum uſum, ipſis à Rege, ſub quietis lege & conditione, oblatum reſpuiſſent; ideò Regem ſe quoque pro hoſte adverſus Civitatem geſſiſſe, monereqve, Rege potius clemente & amico uti, atqve ſuis commodis & ſaluti urbis conſulere, qvàm perniciem ſibi, ſi ſecus fecerint, accerſere.* Ad Regis literas S. P. Q. Gedanenſis modeſtè qvidem & civiliter reſpondit in hunc modum: *Ex eo tempore, qvo in fide Regum & Reipublicæ Polonicæ Gedanenſes fuiſſent (fuiſſe autem ſupra CC. annos) nihilominus debito obſervantiæ honore Sveciæ Reges coluiſſe, illorum gratiam ſæpe pluris qvam privatas ſuas utilitates feciſſe; inprimis dignè æſtimare didiciſſe Regis Caroli Guſtavi favorem ac benevolentiam, & qvantum illa Civitatis ſuæ rebus expediat: ideò ſe nunqvam aut ſuâ temeritate, aut ſtudio gloriæ aliave cupiditate eò adductos eſſe, ut Regem irritando aut contemtui habere aut offendere cupiverint. Sed, quod conditiones à Rege ipſis oblatas accipere non potuerint, fidem clementiſſimo ſuo Regi* (Poloniæ) *ut legitimo domino, religione jurisjurandi obligatam, quam, honeſto majorum exemplo, inviolatam ſervare velint;*

velint; haut admiſiſſe: eoqve vim illatam repellere viribus coactos eſſe. Qvas cauſas ſi Rex clementiſſimè ponderet, nullos ſe dubitare, qvin ipſo æqviore, & tanqvam Chriſtiano Principe Evangelicæ religioni addicto, erga ejusdem religionis ſocios benigniore, & qvi eorum excidium nolit, uſuri ſint; certè qvi, ſi ejus ſubditi illorum loco eſſent, tam inexpugnabilem conſtantiam erga legitimum ſuum Principem in ipſis meritò prædicaturus eſſet. Incendia Dirſaviæ, à ſuis militum præfectis, Gedano nolente, illata eſſe. In librarios ſuos & typographos, ſi qvi mendacia & calumnias in Regem emiſerint, aut typis ediderint, debito modo animadverſum iri; & qvæ plura in hanc rem ſcripſerant. Qvum tamen nihilominus in inſtituto ſuo perſeverarent, Rex non ſolum ſuperiori anno Carolum Guſtavum Wrangel, claſſi Regiæ præfectum ad Gedanenſium portum claſſem collocare juſſerat; ut tamen, ſi qvieſcerent, vim ab illis abſtineret; ſed etiam à tranſeuntibus navibus vectigal exigi in mandatis dederat; idqve tam jure belli, qvàm ex recepta conſvetudine: qvæ fœdere cum Danis & Belgis ſuperiori tempore, qvum bellum ſub Guſtavo in Boruſſia gereretur, pactisqve tunc comprobata eſt. Gedanenſibus etiam id oneris, nullo tamen commerciorum præjudicio, impoſitum eſt, donec Regi ſe accommodarent. Illi tamen ſuſpenſis commerciis, vectigal, gravius illis viſum, pendere recuſabant. Poſtmodò abducta claſſe, ſed nihilominus hoſtilitate Gedanenſium adverſus Regem, & piratica in mari invaleſcente, Rex paucas naves ad piraticam prohibendam iſtic excubare fecit, & ab amicis Principibus atqve Civitatibus per literas deſideravit, ut ſtante bello, ad id neceſſariis in urbem Gedanum deportantis abſtinere vel lent. Commeatus etiam urbi à Rege per Steenbockium terrâ intercluſus eſt, præter munimenta, (de qvibus ſup.) illis intercepta. Poſtea in autumno unum Viſtulæ oſtium obturatum eſt, in urbis hoſtilis, donec reſipiſceret, non commerciorum incommodum: qvum per aliud grandius oſtium commodior tranſitus illis pateret, aliaqve jure gentium adverſus hoſtes hoſtilibus machinationibus attentata ſunt. Qvum Czarnechius rectà in majorem Poloniam iviſſet, animo adoriendi Poſnaniam (vulgo Poſam) in qva paulò ante Poloni, in Sileſia tunc commorantes, per iſtius loci nobiles & monachos conati erant è medio tollere Claudium Rhålamb, iſtic tunc temporis provinciæ curatorē ſubſiſtentem, ac præfectū & præſidia urbis; niſi re in tempore exploratâ, LXX.

 monachis

monachis urbe ejectis, ſuburbio incenſo & urbe communita ſibi præcaviſſent. Czarnechius autem, qvum ſuorum ter mille per fluvium Wartham transmiſſis, urbem ab utroqve latere aggredi molitus, jam Goslinam prope urbem adveniſſet, cognito, ſuffoſſum per cuniculos urbi & arci pulverem nitratum eſſe, propius urbem aggredi, inſidias metuens, haut auſus eſt; & mox Princeps Adolphus Johannes exercitus præfectus & Carolus Guſtavus Wrangel, Campi Mareſcallus à Rege emiſſi, hoſtem cum ſuis copiis, occupatis in tranſitu arcibus hoſtilibus Golenſcha & Gothiera, adſeqvuti ſunt. His accedentibus, Czarnechius contraxit copias ſuas ad Gneſam, animo congrediendi cum Svecis; velut Princeps ex Comite Urſeſovitzio præmiſſo accepit. Unde Princeps motis caſtris Gneſam ivit, antecurſoribus per oppidum Clozko paulatim progreſſis, qvi adverterunt hoſtium paucos ſeparatim nemore egredi; mox tribuno Angelio juſſo ad captivos adducendos excurrere, qvi hoſtium ſtationem, vires & auſa edocerent. Sed ille ad certamen à prioribus agminibus hoſtilibus, & qvidem validioribus, provocatus, ſigno receptui dato recedere coactus, nullos captivos accepit. Qvapropter Princeps majores hoſtis vires poſt ſilvam ſtare ſuſpicatus, tranſitu innoxiè ſuperato, acie inſtructa & recognitis cum Wrangelio diligenter locis eorumqve facie, decrevit ad ſiniſtram ſilvæ partem in hoſtis latus impreſſionem facere. Dum verò in aggreſſu hoſtis dextra ala in ſiniſtram Wrangelii alam impetum fecit, Princeps autem ob voraginoſum & paluſtrem locū paulatim ſubſeqvi cum ſuis legionibus coactus eſt, Wrangelius interim in hoſtē invectus, priores ejus legiones ad fugam compulit. qvod ubi priores hoſtiles turmæ cum Sveticis preſſius comiſſæ, & à Sveticis deſultoribus in ſilvā reconditis nō ſegniter exceptæ, deprehenderunt, referre greſſum conatæ ſunt; Sed intra duas Svecorū alas implicitæ & incluſæ pedem referre, plerisq; cæſis, prohibitæ ſunt. Reliqva pars ad pagum Ziezmarckium trans undas receſſit. Tormentis verò ex colle in ſubjectos diſploſis, tantū temporis Svetici lucrati ſunt, ut & ipſi aqvam ſuperare poſſent. Hic acie reſtituta, hoſtis ingenti fervore in Sveticos ruens, eorū ordines turbatū ivit. Sed auxilio divino, & animoſâ ductorū dexteritate, ſic repulſus eſt, ut poſt diverſos qvinq; horarū conflictus nec paucorū ſtragem, præter ſubmerſos in fl. Wartha, plenis paſſibus fugā capeſſeret; in qva Svetici milites eum perſeqvuti; ex animi acerbitate paucis vitæ incolumitatē dare volentes, haut paucos trucidarunt. Rex iterū moturus adverſus Czarnechium, qvi Coninū & Caliſcum petierat, qvū ob antecurſores ejus, qvi vias paſſim infeſtas reddebant, de hoſtilis exercitus ſtatu nihil comperti certiq; ad Regem adferretur, ille ſummum vigiliarū præfectū Mardeſelt cum aliqvot

copiis

copiis eo fine Brombergam in Palatinatu Pomer. ſitam emiſit. Ille progreſſus ad Bromundam, commodo loco, foſsâ & aqvâ circumfuſo, ſubſtitit, ſi fortè iſtic reſciſcere poſſet, ubi ſe hoſtis teneret. Inde Brombergam pergit, ignarus urbem & arcem, qvæ penuriâ pulveris nitrati ſe Polonis dedere coacta erat, D. militum & eqvitum Polonicorum præſidiis munitam eſſe, expugnationi impar, regreſſus eſt in caſtra ſua. Mox Czarnechius cum ſeptem ſignis advolans, in caſtra Svecorum impreſſionem minitabatur; ſed tormentariis ictibus repulſus eſt. Mårderfelt cum CCC. eqvitibus adverſus hoſtem excurrens, manus cum eo commiſit; donec pars copiarum hoſtilium, ſuperato fl. Bruma, Svedos à tergo circumveniret, more Polonicorum eqvitum: qvi, ſi non detur pectus in acie hoſti opponere, tergum præbere ac ſolitudinem inſeqventibus facere; mox ex occaſione ſubitò recurrere & ſecuros improvidosq; opprimere ſolent. Cæterum tormentis à Svecis repreſſi, circa veſperam Brombergam ſe receperunt. Poſt paucos dies primo mane qvater mille Qvartiani advenerunt, qvum Sveticus eqvitatus per Viſtulã reverſus fuiſſet; illi cum eo congreſſi, pedeſtrium agminũ tormentis ac ſclopetis ita excipiebantur, ut ad ſuos citò ſe reciperent, aliqvot eorum cæſis, & inter illos Tartarico tribuno. Qvum verò Mårderfelt iterum cum ſuis moviſſet Brombergam, Czarnechius ad Svetici exercitus acceſſum eam deſeruit, parte civium ſpoliata, reliqvis magno terrore de Sveticorum vi injecto: unde pleriqve cum ſuis aufugerunt, urbe nuda relicta. Ita Sveci oppugnatis urbe & arce, tandem coëgerunt obſeſſos ſuo arbitrio ſe permittere; qvibus tamen vitæ gratia facta eſt, præſidiariis & ſclopetariis Svetico militi mixtis. Urbe Bromberga occupata, Rex cum parte exercitus ex inſula Gedanenſi advenit, & intelligens, hoſtem Czarnechium cum XI. legionibus Qvartianorum non longius Bromberga, qvam qvinqve milliaria abeſſe, eòdem tendit. Sed ad Regis acceſſum hoſtis bis retrò pedem tulit. qvem ad duo milliaria noſtrates veſtigiis perſeqvuti, in paludes fugarunt, aliqvot centuriis cæſis ac duobus ſignis captis; præter alia iſtic geſta. Ut autem Svecorum Res in Polonia feliciter hactenus evenere, ita in Lithuania & Samogithia improſperè cadebant. Qvippe nobiles, ſacri ordinis homines & tota plebes agricolarum iſtic Regi Sveciæ rebelles, armis, ductore Gonſefuio, correptis, interſerentes prætextum excutiendi jugi Svetici, & refrenandæ præſidiorum petulantiæ atqve ex ſolutâ diſciplinâ inſolentiæ, in rapinis & incendiis ædium, populationibus agrorum, ſtupris & contumeliis virginum ac matronarum, omnes legiones Sveticas in ſtativis ſuis inopinatò oppreſſerunt & immaniter trucidarunt, atqve à Rege poſtpoſita religione fidei tam

ſanctè juratæ, ut antea memoratum, iterum defecerunt. In Polonia qvoq; deinceps fortunâ vertente, Rex Poloniæ reparatis ingentibus viribus, obſidere cæpit LM. militibus, uti tradunt, urbem Warſaviam, ſpe eam recuperandi. Et qvidem poſt menſis obſidionem (de qva jam alii fuſè) & octo oppugnationes, à præſidio MD. militum vel toleratas vel repulſas tandem obſeſſos, ut qvidam ferunt, fame, ut alii, viribus hoſtium, in ſuburbana ſubitò irrumpentium, ad deditionem urbis adegit. Svetici autem exercitus ductorem, ſtrenuum & prudentem virum, Comitem Wittenbergium, Joh. Wrangelium, ſummum vigiliarum præfectum, Weyerum vigilantiſſimum urbis Warſovienſis cuſtodem & defenſorem, Comitem Ludovicum Levenhaupt, Præſidem Status Bremenſis Erskin, Laurentium Canterſten Secretarium, Commiſſarium Buſſovium, Schlangenfeldt & Hammerskiöld contra pacta, ſecundum qvæ Thuronium deducendi fuiſſent, in cuſtodiam Zamoſcianam abſtrahi vel curavit vel permiſit: niſi qvod Comes Benedictus Oxenſtierna ægrotus & delegatus Puffer Varſaviæ relicti ſunt. Rex Poloniæ, & qvi apud eum erant, R. Senatores præ ſe tulere, qvaſi male ipſos haberet, pacta non eſſe ſervata; excuſantes ſe, qvod populi & Qvartianorum, qvibus hæc pacta æqva mitiora viderentur, eòqve illis interceſſiſſent, voluntati & potentiæ in præſenti morem gerere neceſſe haberent. Alii, par à Svecis exemplum in Wolffium, Cracoviæ præfectum, editum contendebant; de qvo antea ſuo loco. Sanè fidem militarem hic revera violatam, Sveci expoſtulabant; qvocunqve etiam colore tegeretur. Claſſis Hollandica XL. velorum, ſatis armata, Gedanum advenit; cui Danica ſeptem navium acceſſit. Utraq; negabat *ſe qvid hoſtili contra Regem Sveciæ moliri, ſed ut liber commerciorum curſus in mari Balthico cum conſveto ac moderato vectigali conſervaretur, huc veniſſe: qvod utriusqve, imò omnium iſtac navigantium intereſſet; nec minus, ut compoſitio diſſidiorum inter Regem & civitatem qværeretur.* Qvamvis autem Svecis iſta claſſis nihil hoſtile ex profeſſo intulerit, tamen illis ex una caduceum, ex altera parte arma præferre videbatur: ut, ſi illud non poſſet, hæc aut fortunæ aut pacis arbitrium inter utrumqve facerent. Certè urbem Gedanum, ex fœdere & convento, non modò copiis, armis & commeatu adjuvit; ſed eandem qvoq;, & mare Balthicum, ſi ita uſus poſceret, aut vis adverſa intentaretur, contra iſtam armatâ manu tutatura credebatur; præterqvam qvod urbi piraticam & Kénigsmarchium ab ea capi, permiſit. Eqvidem illâ armorum & claſſis utriusqve oſtentatione Regis conſilia & actiones non parum turbabantur, & belli difficultates adoleſcebant; etiamſi Batavi pacis & redintegrandæ amicitiæ ſtudium

dium præ ſe ferrent. Ad eorum ſanè deſiderium, Elbingæ Regis Sveciæ nomine delegati Comes Ericus Oxenſtierna, Steno Bielke & Guſtavus Baner, cum Hollandicis delegatis Godefredo de Slingeland, Friderico à Dorp, Petro de Huyberd & Johanne Isbrands congreſſi ſunt; & de renovando utrimqve fœdere atqve amicitia, qvæ à multis retrò annis inter Reges Svetiæ & fœderatos Belgas fuerat, inprimis de libertate atqve ſecuritate commerciorum, & moderatione vectigalium, ſalvis utrimqve Regalibus & juribus, certa pactorum lege egerunt & decreverunt. Ratihabitio tamen eorum ab Ordinibus Belgicæ fœderatæ longius protracta eſt, ob prætenſam majorem elucidationem qvibusdam capitibus addendam. Svetici verò delegati urgebant traditionem ratihabitionis in ipſo negotio prius præſtandam; de qva re ad annum ſeqventem plura. Pergimus ad Regis Sveciæ & Electoris Brandenburgici memorabilem victoriam, de Polonis, Lithuanis & Tartaris ad oppidum Pragum è regione Varſaviæ ad Viſtulam ſitum, poſt trium dierum prælium reportatam, & Varſaviam ipſam feliciter recuperatam; cujus vel liberationem vel recuperationem Rex ob dubiam Brandenburgici fidem hactenus diſtulerat. Juſſerat qvidem Principem Adolphum & Wrangelium ad Zacrozinum ſuppetias ferre Varſaviæ; ſed qvum ſe impares hoſti deprehenderent, Rex inivit cum Electore Brandenburg. in oppido Boruſſiæ Hollantho & confecit ſocietatem armorum, ſic ut conjunctis viribus aggrederentur hoſtem. Poſtqvam certò exploratum erat, hoſtem ductore Gonſieskio ad Oſtrolenkam ſtare, & Poltoroskiam obſediſſe, Rex cum ſuis copiis eò ſe conferre deſtinavit. Sed prius Carolum Guſtavum Wrangelium cum bis mille eqvitibus ad caſtra Electoris Brandenburg. qvæ Plonskæ, IV. milliaribus à Novodvora erant, proficiſci juſſit, & aliqvot eqvitum turmas ſibi iſtic conjungere. Rex cum illis & bis mille deſultoribus atqve aliqvot tormentis caſtra movens, hoſtem inter Bucham & Narvum ad Poltoroſchiam offendit. Cæterum ob pontes duos, unum per Viſtulam ad Zacrozinum, & alterum per Bugam fl. Novodvoram ſternendos atqve exundantem aqvam, donec deflueret, aliqvam moram in itinere fecit. Interea Rex Comitem Douglaſſium Campi Mareſcallum ſe ad oppidum Tichozinum, ad XVIII. lapidem ad Novodvora ad fl. Narvum ſitum, qvod Principis Radzivilii imperio paret, à nobilitate Maſſurienſi & Podlachienſi obſeſſum, ſe cum ſuis copiis movere, idq; obſidione liberare juſſit. Qvod etiam, cæſis bis mille fermè hoſtium fugatisqve, benè proſpereqve peregit, & oppidum neceſſariis inſtruxit. His ita confectis, qvum Rex cum ſuis copiis propius acceſſiſſet, hoſtis Poltoroskia repentè decedens,

Buga

Buga fl. ſuperato, Varſaviam ſe recepit. Itaq, Rege regreſſo Novodvoram in caſtra ſua, Elector Brandenburg. cum ſuis copiis Zacrozinum advenit. Ibi conjunctio utriusqve exercitus facta, habitoq; conſilio, decretum eſt, vel Lithuanicum exercitum ad Pragum adoriri, vel, ſi recedat, pontem ad Varſaviam demoliri, & Bugam ad Novodvoram iterum trajicere, & poſtqvam pontem ad Zacrozinum factum Svetici ſuperaſſent, acie cum hoſte experiri. Plures tamen ex primis ductoribus diſſvadebant Regi, *cum hoſte tam valido, tot copiis variarum gentium aucto, & noſtros viribus multum ſuperante, atqve, qvod rei caput eſſet, ad fortunam inſtaurandam extrema periclitaturo, prælii diſcrimen adire; ſeqve temerè in præcipitium dare.* Pauci contra, *decernendi cum hoſte, viribus magis qvàm viris numeroſo, auctores erant; præſertim, ne diffidendo, noſtris animi minuerentur, hoſtibus creſcerent, atqve majori eorum robori ſpatium, occaſio ac vis permitterentur. Licet autem in aperto prælio præſentius eſſet diſcrimen; tamen ſi proſperè depugnaretur, virtutem conſpectiorem, victoriam glorioſiorem, & fortunam majorem fore.* Hanc ſententiam Rex cum Electore amplexus, addidiſſe fertur: *Fortunam vel cum vitæ diſcrimine tentandam eſſe: præſtare generoſam mortem ignaræ formidini, vel turpi fugæ, vel hoſtili jugo.* Ad Electorem hæc verè cordata & regia effatus eſt verba: *Hic eſſe campum, in quo oſtenderent mundo, qvales eſſent viri.* Eâ verò animi magnitudine & alacritate Legato Gallico, prælium non ſpernendis rationibus diſſvadenti, reſpondit: *Se optare hîc omnes ſuos ſibi objectari hoſtes, qvos in hoc campo unâ eademqve operâ ſe ſuperaturum ſperaret.* Ita pericula altum animum non modò non dejiciebant, ut etiam magis erigerent; adeò, ut fortunæ culpam non extimeſceret. Primo mane acies Svetica hoc modo ordinata eſt; Dextram alam tenebat ipſe Rex, & poſt eum frater ejus Adolphus Johannes, Comes Douglaſſius, Carolus Magnus Marchio Badenſis, Philippus Comes Palatinus Sultzbach & Henricus Horn, eqveſtrium legionum ductores. Pedeſtres copias primæ alæ adjunctas ducebat Bulovius. Rei tormentariæ præfectus Comes Guſtavus Oxenſtierna ſuas etiam copias ducebat. Ad primum conflictum primæ alæ deſtinabatur Comes Palatinus Sultzbachenſis, ad ſecundum Marchio Badenſis, ad tertium Henricus Horn. Siniſtram alam tenebat Elector Brandenburg. & Comes Carolus Guſtavus Wrangel. Eqvitatum ducebat Comes de Waldeck cum ſummis vigiliarum præfectis, Cannebergio, Comite Claudio Tott, & Böttichero à Rege Electori adjunctis: ut utræqve alæ viribus æqvarentur. Rei tormentariæ præfectus Sparrius unà cum Comite de Waldeck & Goltzic atqve ſeptem legionibus medius inter binas alas ſtetit. Acie ſic ordinatâ

Rex

Rex cum ſua ala ad dextram progreſſus, celeriter ſilvam petiit; præmiſſis DC. eqvitibus & aliqvot deſultoribus, qvi recognoſcerent ſilvæ ſitum & proximum campum. Rex absqve mora ſubſeqvutus, ſitum loci talem deprehendit, ut Viſtulam ad dextram, ſilvam ad ſiniſtram, usqve ad hoſtis excitatum aggerem ſe fermè porrigentem, haberet. Qvum verò loci natura non permitteret, alas omnes rectâ & ſimul in aciem producere, neceſſe fuit legiones ſe veſtigiis inſeqvi. Poſtqvam hoſtis cum ſuis præcurſoribus initio inter ſilvam & Viſtulam ſe oſtenderat, Rex Wrangelium in hoſtem ire juſſit: qvi eum usqve ad aggerem continuum proſeqvutus eſt. Qvum autem Sveticæ turmæ paulo longius à cæteris legionibus provectæ eſſent, non temerè injecta Regi eſt ſuſpicio, hoſtem in ſilvis occultaſſe majorem copiarum ſuarum partem, qva regiis turmis receptum præcideret. Itaqve Rex qvatuor cohortes ſilvæ proximas confeſtim ſubſidio ductu Douglaſſii illis miſit, qvæ hoſtem ad aggerem ſuum & ſclopetarios propulere. Ingruente verò nocte, & nube pulveris objecta, nihil ulterius iſto die confici potuit. Idcircò Rex cum dextra, & Princeps Adolphus Johannes cum ſiniſtra ala, donec pedeſtres copiæ etiam accederent, inter ſilvam & Viſtulam noctu ſubſtitit. Seqventi mane hoſtem intra ſua opera ſibi tam commoda, Sveticis & Brandenburgenſibus acceſſu difficilia, aggredi non è re viſum eſt: ſed ad ſiniſtram agmina circumagere, & colle, proximè ad ſilvam ſito, occupato, ſubjectum inde campum commodius inſiſtere. Qvod copiæ Electorales feliciter tentarunt, non absqve tamen magna moleſtia & labore tormenta per tam paludoſam viam transvehendi. Mox ex editiori loco de hoſtis poſitura & loci ſitu melius judicari potuit. Elector verò explicatâ verſus ſilvam alâ, copiis pedeſtribus & tormentis ordine diſpoſitis, ita ſe protexerat & communiverat, ut à tergo ſibi nihil facilè metuendum eſſet. Ex dicto colle Sveci non ſolùm circumivere ſilvam; ſed etiam planum & æqvum campum usqve ad ſtativa hoſtis deprehenderunt: unde colligebant, hoſtem copias ſuas ad dextram contraxiſſe, tam ad latus in Electorales, qvàm à poſtera parte ſilvæ, impreſſionem in Regiam alam à tergo faciendi opportunitate & conſilio. Proinde Rex hoſti, in ſuos irruenti, ſex turmas eqvitum circumfudit. Illi utrimqve tam vehementer concertarunt, ut hoſtis intra primam & ſecundam aciem Sveticorum ſe immergens, eos nonnihil permiſceret, & jam loco dimovere cæpiſſet; ſed mox in ordinem reſtituti, tertio congreſſu hoſtem repulſarunt; qvi dein in campo ſe Electoralibus objecit. Ne verò tota hoſtilis moles illis ſolis incumberet, Rex aliqvot cohortes illis ſubſidio miſit; qvæ conjunctim

hoſtem ſuſtinuere, donec Electoris tormenta in collem educenda, per voragines & paludes transvecta, advenissent. Qvia verò Rex è re fore exiſtimavit, non viam paluſtrem, qvàm Electorales transiverant, ſed viam poſt ſiniſtram alam circa nemus, ubi Tartari Regem à tergo invadere qværiverant, inire; tamen ex hoſtis molitionibus conſilium mutandum fuit; ita ut Regi ad Viſtulam, Electori ultra paludes aliqvantum ſubſiſtendum eſſet: qvum hoſtis non ſemel in utrumqve irruendi impetum capere viſus eſſet. Unde conſilii non fuit, ſubitò dividere copias: ne id hoſti commodo foret. Qvum ergò hoſtis altera vice ad dextram cum omnibus ſuis Tartaris in Electorales tam à latere qvàm tergo & fronte ſimul ire niteretur, Electorales fortiter obluctantes, eum tandem profligarunt; ſociâqve Regis operâ, continentibus tormentorum fulminibus in ſua caſtra repulerunt. Per hanc occaſionem Rex cum ſuis copiis ſecedendi tempus nactus, cis Electoralem alam per ſilvam in planum conceſſit. Qvum enim hoſtis præcipuum ſuum robur & omnes Huſſaros ad dextram collocaſſet, & compoſitis ordinibus in campum prodiiſſet, Rex copias ſuas ad ſiniſtram explicuit, ſpatii præoccupandi, & hoſti in æqvo loco in conſpectum ſe dandi cauſa. Rege alæ ſuæ adjungente aliqvot tormenta & tres pedeſtres legiones, qvibus hoſtẽ in plano petere, & tormenta ejus in colle arenario cum pedeſtribus agminibus poſita circumire qværebat, inde compoſitis ordinibus propius accedente, hoſtis confeſtim pagum ad dextram ſitũ inflammavit, & poſt pagũ ſe recondidit, conſilio in regias copias iſtac prætereuntes à tergo impreſſionẽ faciendi. proinde Henricus Horn cis pagũ cum ſuis turmis tertio conflictu ſuccurrere juſſus eſt. qvo animadverſo, hoſtis ad alterũ pagum etiam incenſum & paludem paulatim regreſſus eſt. Sed qvum Rex pagum ob paluſtria loca circuire in rem fore non putaret, pedeſtres copias trium turmarum ad iſtum ſubſiſtere juſſit, donec in primo & altero conflictu pagum à tergo haberet; ubi acribus tormentorum ictibus non parum cladis utrimqve factum eſt. Cæterum qvum Regis intereſſet, ſiniſtram ſibi tutam reddere, poſtqvam pagum à tergo habebat, à fronte Tartaros, poſt pagum ad ſilvam cum aliqvot Qvartianorum turmis, impreſſionem in Regiorum latus minantes, inceſſere animo conſtituit. Interim præcipuæ vires exercitus hoſtilis, inprimis pedeſtres copiæ in colle ſubſiſtentes, & Huſſari cum qvinqvies mille eqvitibus, Regii exercitus frontem petivere, non levi clade duabus Sveticorum turmis illata; qvam Svetici unà cum Brandenburgicis ita ulti ſunt, ut à latere in eos invecti, ſic excipe-

exciperent, ut pauci evaderent in collem antea occupatum. Tartari verò, qvum in Sveticos à tergo involare tentarent, Rex qvatuor turmas, ductore Fratre in eos emiſit, qvi illos in paludes ſtrenuè repulerunt, in qvibus complures obhæreſcebant. Qvum in tam diverſis locis non uno edito conflictu, Rex neceſſarium duceret, legiones ad priorem ordinem & locum reducere, ſedulò illud egit: ut hoſtium commodis & collibus, ex qvibus Sveticos non parum infeſtabant, interceptis, poſt exſtructa opera, commodiorem totis viribus præliandi facultatem haberet. In eum finem mane diei Dominicæ Rex unam manum peditum illam partem ſilvæ, ubi eqvitatus ante ſteterat, inſidere juſſit: ut, ſi Rex eò tenderet, tutum haberet tergum. Deinde rei tormentariæ præfectus Sparrius cum tormentis & qvinqve eqveſtrium turmarum ſignis, hoſtem ad dextram ſilvæ partem propellere ab Electore juſſus erat: qvod ille ſingulari dexteritate & ordine peregit: dum hoſtem per ſilvam perſeqvutus, eum inde repulit. Elector ipſe cum ſex legionibus collem ſubiit, eo hoſtem fortiter emovit ad lævam in paludes, qvò priori die Tartari ſe receperant. At Comes Wrangel & Comes Waldeck cum ſuis copiis virilem qvoqve in modum decertarunt, dum Tartaros in paludes fugâ prorſus compulerunt, plerisqve cæſis aut ſubmerſis. Conſtituerat qvidem Elector in pedeſtres hoſtium copias, qvæ jam tormenta ſua deſeruerant, impetum facere; ſed incolumitatem vitæ paciſcentes, & receptum ad pontem navalem, ab ipſis à tergo dirutum, petentes non amplius perſeqvutus eſt. Tandem Rex & Elector conjunctis viribus ita hoſtem preſſerunt ac profligarunt, ut primo ſiniſtra ala & pedeſtres copiæ hoſtiles, deſertis caſtris & omnibus tormentis, dilaberentur; dein dextra ala & major pars inter Pragum & prope ſitam ſilvam ſtativa ſua habens evaderet; etiamſi Rex Poloniæ qvi, ab initio ad finem usqve præſto fuerat, eos ad ſtandum & renitendum exemplo ſuo ac verbis, ſed fruſtra, animaſſet, per omnes enim vias, qvà dabatur, veſtigiis fugæ paſſim ſparſis, abſceſſerunt. Rex Sveciæ verò fugientes primo die parum perſeqvi potuit, nec è re eſſe duxit: qvum exercitus ejus tridui labore & inedia non parum defatigatus eſſet. Seqventi tamen die ad ſex milliaria hoſtem noſtri perſeqvuti ſunt. Caſimirus autem poſtqvam ſuum exercitum campo decedere comperit, proximè ante pedites pontem tranſiit, & inde Varſaviam abiit. Regina verò, qvum per triduum ex arcis feneſtra cum aliqvot Senatoribus & nobilibus fæminis prælii faciem ac fortunam ſpectaſſet; in tertio prælio Svecos & Brandenburgicos in caſtra Polonorum irruere videns, in tempore urbe exceſſit. Urbs ipſa, præ-

fecto Zaillaro, primo mane diei lunæ cum omnibus tormentis & apparatu bellico, ſe in Regis poteſtatem iterum tradidit; cui Regis & Electoris cohortes prætoriæ præſidii loco, præfecto Bulovio, impoſitæ ſunt. Regis & Electoris exercitus LX. turmis eqvitum & IV. legionibus deſultorum conſtitit. Pedites in XII. cohortes diviſi erant. Polonicus exercitus ex communi fama, octo millibus Qvartianorum, ſedecim millibus Polonicorum viritim ſcriptorum, qvinqve millibus Lithuanorum, ſex millibus Tartarorum, & qvatuor millibus peditum conſtabat; etiamſi ſe ipſi ultra centies mille vulgo jactarent: qvarum virium fiduciâ ſibi certam promiſerant victoriam. Sed Numen hic Sveticorum & Brandenburgenſium, venti commodum, qvocunqve ſe verterent, præcipientium, fortunæ maximè favit: etſi non incruentâ prorſus ipſis victoriâ. qvippe ex præcipuis illorum in primo conflictu tribunus Senckler tormento percuſſus cecidit, ſummus vigiliarum præfectus Cannenberg vulneratus eſt; gregariorum qvadringenti fermè cæſi. Qvatuor millia hoſtium partim in acie, partim in fuga occubuere. Sunt qvi ferunt noſtros obviis vitæ incolumitatem denegaſſe, clamantes: *Pactio Varſavienſis;* exprobratâ nimirum illis perfidiâ in Svecos, Warſaviâ ante occupatâ, captos exercitâ, de qva ſup. ſuo loco. Priſci ſuas qvantum volunt, extollant pugnas, cum hoſte potenti feliciter depugnatas: hæc ſanè veteribus ſi non major, eqvidem illis prudentiâ, fortitudine & ſucceſſu non cedet. Atqve licet Sveci Polonis viribus inferiores; animis tamen pares; ordine, arte & fortunâ belligerandi illis, præſertim tot tumultuariis ſociorum hoſtilium copiis, ſibi magis, qvàm hoſti gravibus, ſuperiores erant. qvod robori ac numero deerat, conſiliis & induſtriâ ſupplentes. Qvamvis etiam ipſe Rex & Elector Brandenburg. intrepidis animis militi præeuntes, atqve in acie ſtantes, aliqvando Tartaris, cum ipſius vitæ diſcrimine, immixti eſſent; & Rex ab Huſſaro conto peteretur; cujus ictum gladio eluſiſſe, mox implicitum regii eqvi frenis, ſclopo trajectum eqvo dejeciſſe perhibetur; tamen faciente DEO, præſens periculum, etſi non absqve periculo, vicerunt; & inſigne magnanimitatis decus inde ad poſteritatis memoriam tranſmiſerunt. Ut autem hujus victoriæ fructum ulterius producerent, Rex auctor fuit ſedem belli in Podlochiam & Breſchiam transferendi; ſed Elector, ut in Pruſſiam rediretur, animo limites ejus adverſus hoſtis incurſionem tuendi. Et à Rege traditæ ſunt Electori octo legiones, qvæ pro limitibus Ducalis Boruſſiæ excubarent. Sed illæ à majoribus Tartarorum copiis ſubitò oppreſſæ, & Brandenburgicis cedentibus, eorum auxilio deſtitutæ, non levem cladem à Tartaris acceperunt.

runt, Iſraële, Angelio, Kock, Ulfspar, Scharenberg & aliis in fœdam ſervitutem Tartaricam abductis. Alexius Michaël Ruſſorum Czar, à Cæſare, per præcipuum ejus miniſtrum Allegrettam, & à Polonis ſpe pacis aut induciarum, imò ſucceſſionis in regnum eorum, aliisqve fœderatis, & ut volunt, Rege Daniæ per internuncium Oldlan, præcipuè à propria libidine, & auctoritate patriarchæ Nicanis excitatus & illectus, perpetuæ pacis pacta cum Svecis frangit, & arma contra eos capit. Cauſas belli qvidem prætexebat, qvaſi non ſolùm ejus titulus, circa qvem valdè religioſus eſt, à noſtris perperam poſitus, ſed etiam ipſe à Svecis ſimulatione amicitiæ ulterius confirmandæ ac ſpecie fœderis circumventus eſſet: dum Lithuani ejus hoſtes à Svecis in fidem accepti, ipſius arbitrio & dominationi non eſſent relicti; qvum Ruſſi jactaſſe ferantur: *Poſteritatem veſtigia Ruſſorum in Lithuania agnituram.* Hinc Legatos Regis Sveciæ, eorumqve comites, contra jura gentium & non unam ſcriptam ſatisdationem, per biennium in tam arctâ cuſtodia & tam indignè habuit, ac ſi ſceleris alicujus rei eſſent; qvi tamen bona fide, perpetuæ pacis fœdus redintegraturi, acceſſerant. Sed velut iſta vis ac injuria, Legatis illata, ad ipſum qvoqve Regem pertinebat, ita non inultam reliqvit; uti poſtea memorabitur. Qvomodo verò Ruſſus à Duna fl. & Rigenſi ditione, Livoniæ & Eſthoniæ agros, poſſeſſiones, arces & villas usqve ad extima Ingriæ cædibus & populationibus ad vaſtitatem redegerit, ecqvis ignorat? Etiamſi, Rege in Polonia ſatis armis diſtricto, in Livonia Duneburgum & Kokenhuſam vi interceperit; Dorpatum oppidum obſidione cinctum, poſt aliqvot oppugnationes, à Laurentio Flemming, provinciæ ejus & loci præfecto toleratas, tandem deficientibus oppido ſufficientibus defenſionis ſubſidiis, majoribus viribus, tormentis & pulvere nitrato, deditione ceperit; Revaliam tamen, ad vim propulſandam ſatis accinctam, intentatam reliqvit. Narva verò, Kexholmia & Nôtheburga, neceſſariorum ac præſidiorum proviſu à Rege procurato (de qvo infra ſuo loco) & Guſtavi Leyonhufuudh, iſtuc à Rege contra Ruſſum, & ad tuendam Livoniam cum copiis miſſi, longiori vita, ſi per fata licuiſſet, ob *leoninum* adverſus hoſtes *animum* digni, & Guſtavi Horn de Kankas, poſtea in ejus locum iſtic ſuffecti, virtute, ab obſidione ejus ac vi liberatæ fuerunt præterqvam qvod Svetici ad latus Fioniæ prope Nyam ductore Burmeiſtero, hoſtem non ſemel caſtris aut campo exegerunt, aliqvot centuriis fuſis. Inprimis ad Rigam, fortiter à Sveticis & obſeſſis civibus defenſam, ferocia ejus non parum frenata, fortuna ac potentia refracta eſt: qvod pluribus exponi, operæ pretium erit. Qvo fine Ruſſus urbem

bem illam præ cæteris in Livonia aggreſſus ſit, non eſt difficile cogitatu. Qvippe ſatis ſciebat, Rigam debellatam, vel reliqvas Livoniæ urbes ſecum tracturam, vel ſolam ſubactam, qvæ per Livoniam præcipua commerciorum ſedes ac officina eſt, ei ſatis grande laboris pretium & impenſæ fructum laturam; ſi non libidinis hoſtium victima & ſpolium futura eſſet; Regi verò & urbi non leve diſpendium allaturam. Sed propitiis urbi fatis aliter res accidit. Legionibus Ruſſicis præfectus Jacobus cum primi ordinis eqveſtribus octo millium præmiſſus, qvas octoginta millia ſubſeqv. ferebantur, ad Bertholdi vel Wolffenſchildii prædium accedens, caſtra verſus Dunam metatus eſt. Poſtero die eqvitatus urbis Rigâ emiſſus adverſus hoſtem, majore vi repellebatur, cæſis eqvitum ductore Henrico Comite Turriano, protribuno Cronmanno & vigiliarum præfecto Rebindero, aliisqve vulneratis. Comes Turrianus, non degener patris filius, ſi juveniles ſpiritus cum tempore & uſu magis moderari contigiſſet; dum animoſius qvàm cautius in hoſtem invehitur, haut ingloriâ morte occubuit. Hoſtis ei & ſocio caput à cervice recidit, à ſuis poſtea redemtum. Poſt biduum majorem cymbam qvæ Rigâ ſolvens Mithoviam tendebat, & viginti homines, atqve inter illos diverſas uxores, virgines & liberos Rigenſes vehebat, hoſtis, cum viginti mille uncialium pretio æſtimatis bonis, intercipit. Inde confert ſe citra nova urbis opera exteriora & colles arenarios, ad Duntii & Horneckii prædia, ibiqve caſtra ſua & ſtationem locat. Qvum verò cives hoſtem operibus exterioribus imminere cernerent, ea pro virili defenderunt. Sed penuriâ juſtorum præſidiorum & militum cedere coacti, ſuburbia, anteriorem pontem & molam trans Dunam, aliasqve ultra caſtellum Kobranſicum ſitas ædes combuſſere, ne hoſti uſui eſſent. Flagrante tamen incendio, hoſtis interim exteriora opera adſcenſu ſuperavit, hortis urbis & arcis foſſæ, tectus arborũ iſtic ſerie, ſe inſinuavit, & foſſis curſoriis magis appropinqvare, atqve paulo poſt ſigno per tubicinem dato, deditionem urbis expoſcere cæpit. Primo die Septembris, in qvem Ruſſorum novus annus incidit, hoſtis graviorum tormentorum, excitatis ſex ſuggeſtibus, vehementi diſploſione, ſaxorum & globorum ignitorum immiſſione qvatiendi urbem initium fecit, & interdiu noctuqve usqve ad finem obſidionis eandem continuavit. Qvamvis autem tot continuis tormentorum verberibus & globis pulvere pyrio repletis injectis, urbem vel in flammas dare, vel deperditis tot hominibus, ad deditionem compellere decreviſſet, aliqvid detrimenti qvidem urbis ædibus, propugnaculis, turri arenariæ & templis intulit; minus tamen damni

& actu-

& jacturæ hominibus fecit. qvi in tuenda urbe aſſidui, qvotidianis fermè excurſionibus militum præſidiariorum, qvibus etiam cives, non ſolum viri juvenes, ſed ſenes qvoqve LX. annorum immixti, qvibus adhuc viridis & vigens ætas, aut ſupra ætatem animus erat, ſponte ſua ſociam & fidam operam præbuerunt; hoſti non parum obſiſtentes, aliqvot millibus profligatis, & non paucis ſignis ablatis. Pro ſingulis autem vexillis, domum ab hoſte reportatis, & Comiti Magno Gabrieli de la Gardie, Livoniæ Gubernatori, traditis, ille ſingulos eis potitos viginti nummis argenteis uncialibus donavit; qvo reliqvi ad parem audaciam & animos excitabantur, Alioqvi ex urbis vallo & loricis, freqventi tormentorum diſploſione hoſtis non parum infeſtabatur: qvod alacrius fecerunt, qvum ſubſidio legionis Kônigsmarchii & aliis copiis à Rege juvarentur. Qvin ipſe Rex in animo habebat urbem obſidione liberare, jam deſtinatis eo ſub Steenbockii ductu copiis, Memelam ponte facto tranſire; niſi interim certus nuncius, Reinholdus Taube, tribunus, de ſoluta à Ruſſo obſidione, ad Regem adveniſſet. Ultimo die, poſtqvam Jeſuitarum ædem, in qva ſuggeſtum erexerat, incendiſſet hoſtis, ſtationibus & viis obſidionalibus extra neceſſitatem, nullo urgente, relictis, tormentis vel abductis vel demerſis aut defoſſis, ſublatis ſignis, ſeptem hebdomadarum obſidionem, præter omnium obſeſſorum aliorumqve opinionem, cum non exigua ſuorum jactura, ſolvit. Sunt qvi cauſam diſceſſus ejus faciunt, literas Regis ad Helmfeldium de auxilio urbi propediem mittendo datas, & ab hoſte interceptas; item flammis perditum ſuum armamentarium, tuguria & opera; præfecto urbi & præſidiis Simone Helmfelt non ſemel incurſionem in ea faciente & flammis ſubjiciente: unde turbati ordines copiarum Ruſſicarum, ductorum primi vel in fugam conjecti, vel in paludes repulſi ſunt. Qvin ipſe Czar non absqve deteſtatione patriarchæ, qvi hujus belli ſvaſor fuerat, ut volunt, ab urbis obſidione diſceſſit. Alii dyſenteriâ militem hoſtilem correptum & infectum, alii commeatus, præcipuè ſalis, penuriam cauſam diſceſſionis fuiſſe volunt; qvæ ſive ſingulæ, ſive omnes conjunctæ huc concurrerunt. Præcipuè verò terror hoſti divinâ vi incuſſus eum ab urbe pepulit, & habenas ejus immanitati injecit. qvo nomine etiam publicè DEO gratiæ actæ ſunt. Poſt hunc, indefeſſa & benigniſſima Regis erga civitatem cura in transmiſſis ſuppetiis, eximia prudentia Comitis Magni Gabrielis de la Gardie in ſuppeditatis & communicatis cum Civitatis Senatu conſiliis, ſtrenuus animus Simonis Grundelii ab Helmfelt, vigilantia Senatus urbis, induſtria & alacritas civium militumqve, fidas ac mutuas operas ad tutan-

tutandam urbem contulerunt. Dum Ruſſus ad Rigam ſedebat, biennii inducias per Electorem Brandeburg. Regi Sveciæ obtulit; velut Elector ad Regem ſcripſit. Rex ei reſpondit: *Qvum Moſchus temerè omnia fidei publicæ repagula ruperit, & innoxiis provinciis ac ſubditis regiis immanes ac truculentas cædes ac devaſtationes intulerit, qvid ſibi Rex de ejus conciliatione polliceri debeat, Electorem prudenter conſideraturum. Interim tamen & dum certiora indicia expectat, qvod hoſtium animus ſincerè vergat in ſatisfactionem, & redintegrationem conculcatæ amicitiæ, Simo Electori ſignificandum duxit, qvod à juſtâ pace & convenienti ei viâ nunqvam abhorreat: tum qvod Chriſtianum ſit qvamprimum ſiſtere innoxii ſangvinis effuſionem: tum qvod optimè deſtinata Electoris in uſum communem & mutuam ſecuritatem, irrita fieri non cupiat.* Poſt iſtæc, Rex duas Legiones Narvam, & unam Revaliam ex Boruſſia miſit (plures enim tunc non poterat) qvi hoſtem abſtinerent primariis locis; ſi caſtellorum occupatione ac terræ Livonicæ populatione non prorſus prohibere valerent. Ut enim Rex prudenter ad Senatum regni ſcripſit: *Infirma iſta præſidia non qvidē eſſe paria ad agendum cum hoſte in campo, aut tuendum omnia minuta loca & caſtella. Sed hoc non moturum aliqvem, cogitantem, ſi primaria loca defendi poſſint, minora de cætero recuperatu faciliora fore. Velut ad redimendum corpus, interdum membro, gangrænâ correpto, carendum, aut, ut ſecetur vel uratur, ferendum eſt; ſic ad ſervandum rerum bellicarum & patriæ ſtatum præſtare pati, in provinciâ aliqvâ ab hoſte devaſtari aliqvantum terræ, qvàm vires integras confici, & foris domiqve ad reſiſtendum inhabiles reddi.* Ut autem Comes Magnus cum ſuis copiis hoſtem Livonia deverteret, atqve vim hoſtilem iſtic ſupra modum exercitam juſta ultione rependeret, tranſiit fines Ruſſiæ ad Augdoam usqve, etſi non absqve itineris difficultate propter iniqvas aqvas ex inundatione amnium; atqve copias ſuas ad hoſtile ſolum populandum emiſit. qvæ centum circiter majores pagos inflammatos, & urbem Petſchuram inter Dorpatum & Pleſcoviam, à Benedicto Horn, cum ſuis copiis, qvas ducebat, illis ſtrenuè ac feliciter ſuccurrente, incenſam cineri tradiderunt; præter non paucos Ruſſorum trucidatos. Licet duodecim ſigna Ruſſorum Sveticos, tabe non parum attritos ac turbatos, Augdoâ Waſchenarviam usqve perſeqverentur; & his cedentibus ac regreſſis, ſibi viam ad Narvam referarent, Poſtea Comite Magno ad Parnoviã & Narvam ac Guſtavo Horn de Kankas ad Kexholmiam rem fortiter ac proſpere contra Ruſſos agentibus, horum vires non parum acciſæ ſunt. In medio armorum fremitu, Rex pacis & populi commoda, ex qvacunqve occaſione non neglexit. Privilegia enim & Conſtitutiones de Banca & Cambio (ſic

vulgò

vulgò appellant) in Regia urbe Stockholmia & alibi inſtituendis, id petentibus civibus dedit; qvæ ſeqventi año editæ ſunt: qvod cujuscunq; conditionis hominibus, in mutuò accipienda aut locandâ pro æqvis uſuris, ſex pro centum ſub pignoris fide, pecuniâ, & nummis majoribus ac ſolidis pro minoribus permutandis aut transſcribendis, valdè utile erat, modo rectè administraretur. Qvum Poloni, fœdere cum Palatinatibus Cracovienſi & Sandomirienſi inito, ſub regni Polonici Mareſcallo aliqvot millibus collectis, inter Caſimiriam & Wiclezkam, caſtra poſuiſſent, animo redintegrandi fortunam ſuam & recuperandi Cracoviam, urbi præfecto Wurtzio & præſidiis iſtic ad qvinqve hebdomadas commeatu intercluſo, conjurarunt, ſe non prius hinc pedem moturos, qvàm urbem ſub ſuam poteſtatem recepiſſent. Præfectus his nihil territus, cum aliqvot turmis adverſus eos urbe exivit, & ad Caſimiriam ter mille fermè Qvartianos adortus, D. eorum fudit, D. cepit, urbemqve liberavit. Princeps Transſilvaniæ Ragotſcius antea ad Regem, & poſtea ad Wurtzium ſcripſerat, de ſuſcepta Coſaccorum protectione, jam in procinctu ſtare atqve cum triginta millibus (alii viginti millibus) in Poloniam iter parare, cum Rege ſuas copias conjungendi animo. Præcipiti anno, qvum Viſtula ponte fruſtra commiſſus eſſet: qvod ingens procella & impacta glacies eum disjecerant; tandem acri gelu concretus, pontis vicem præbuit. Eum Rex ad Mevam ſuperare in animo habebat, rectà adverſus hoſtem tendendi propoſito. Mox tamen conſilium mutavit: perpendens hoſtem, qvi tam diu in uno loco commoratus, omnem qvaqvaverſum commeatum ad ſe pertraxerat, difficile ſibi iter facturum: locis, per qvos Regi eundum erat, victu exhauſtis. Proinde poſtqvam impedimenta prius in tutum deducta erant, movit in Gedanenſem inſulam, periculum facturus, ſi inter Polonicum exercitum & urbem Gedanenſem medius, à latere hoſtem invadere poſſet; aut ſi hoc non liceret, præteritis ejus caſtris, in tractu Lauenburgico eum adoriretur. Hoc decreto, caſtra Spraudio, uno ab oppido Meva lapide movens, adventum ſuum hoſti ſolitâ tormentorum ſalutatione indicavit; cui non minus reſpondit hoſtis: ex qvo Rex eum pugnæ fortunam tentaturum ſibi perſvadebat. Sed ille motis ſignis confeſtim evaſit. A Rege emiſſus protribunus qvidam, ad indagandum qvò ſe vertiſſet hoſtis, in ejus impedimenta incidit, qvingentis carris præda refertis potitus. Sed impar hoſti, mox regreſſus eſt. Aſchenberg cum aliqvot legionibus eqveſtribus, & Planting ac Waſſov cum DCCC. eqvitibus denuò expediebantur, explorandi hoſtis iter & ſtationem cauſa. Dum illi in eo ſunt, Rex in Dantiſcanâ inſula relicto cum ſuis copiis Douglaſſio, motisq; Stibbeloviâ caſtris, Aſchenbergium ſubſeqvitur.

ſeqvitur. Ille in itinere Regi per literas ſignificat: qva ratione eqveſtria agmina Polonorum & XXXV. ſignorum turmæ, Reginam Poloniæ Dantiſcum ſub Czarnechio deducere juſſæ, circa Conitziam paſſim in pagis ſex ſtativa ceperint, qvas ſummo mane circa horam tertiam ſecuras & in utramvis aurem dormientes oppreſſiſſet, non exigua parte militum inprimis Dominici Wietznivitzii legionibus, & primariis ductorum hoſtilium & tribus eqvitum magiſtris, inter qvos unus Zamoſciani generis fuerit, cæſis & incenſis pagis, ter mille eqvos cum parte hominum ac impedimentorum in cineres verterit. Mille trecentos eqvos, cum aliis ſarcinis igne liberatos, turmis ſuis in prædam conceſſerit. Si majores vires in promtu habuiſſet, totum Polonicum exercitum iſtic occidione deleri potuiſſe, ſibi perſvaſit. Hoc & prius Aſchenbergii tribuni facinus Regi ita placuit, ut rei tormentariæ præfecturam, ſpectatæ virtutis præmium, ei deſtinaret. qvâ modeſtè ab ipſo, ut nonnulli ferunt, recuſatâ, cingulum campeſtre qvod vocant, aut humeralem faſciam ei ſuâ manu Rex impoſuit, *enſem*, id eſt eqveſtrem dignitatem mox ſubſeqvuturam, confirmans. Protribunus Spentz Jacobi F. etiam Slockoviæ Polonicam ſtationem oppreſſiſſe & qvatuor ſigna Czarnechianorum profligaſſe ferebatur. Rex ulterius perſeqvutus hoſtem, aliqvoties mille

1657 adConitziam in Pomerellia ad fl. Bojum ſitam, Regi Poloniæ à Principe Anhaltino ante traditam, à Sveticis circa novi anni initium recuperatam ſtravit, & omnem circumqvaq; oram tributariam fecit. Ad Conitziam ex diverſis hoſtium literis interceptis Rex cognovit, Czarnechium omnia ſua impedimenta poſt ſe ad Gneſnam reliqviſſe, & in Boruſſiam profectionem cogitare. Rex eum inſeqvutus qvidem eſt, ſed ille primò in Cujaviam, inde Neomarchiam & tandem in Maſſuriam regreſſus eſt. Etiamſi verò Rex per biennium Sveciâ abſens, libenter in regnum ſuum, publici ſtatus propius & melius iſtic cognoſcendi, & ubi neceſſe foret, emendandi cauſa, redire exoptaſſet; tamen propter adminiſtrationem neceſſariam belli, tot ſubortis paſſim hoſtibus & communicationem conſiliorum cum amicis ac fœderatis ſuis, qvæ ipſius Regis præſentiam & auctoritatem maximè deſiderabant; non ex ſalute regni fore duxit, exercitu relicto, rei ſummam aliis prorſus committere. Verumtamen ut fidelia Senatus & Ordinum Regni conſilia opemqve ad conſervationem ſtatus publici ac militaris expeteret, provinciales conventus per Senatores regni indixit, & ex animi ſententia peractos, accepit, adjutus trium annorum ſcriptione militû, & reliqvis ordinariis atq; extraordinariis ſubſidiis. Qvamvis autem ex Regis & Ordinum qvoq; regni placito, de pace cum Rege Poloniæ ejusq; delegatis agi cepiſſet, per Regis Galliæ legatum de Avancour, & ex

Sveticis,per Comitem Benedictum Oxenſtierna, Comitem Slippenbach & Matthiam Biörnklou,ita ut de loco in Boruſſia jam conveniſſet;tamen res in irritum cecidit:partim,ut Svetici culpabant;ſacro ordine in Polonia à Domo Auſtriaca corrupto;partim intercedentibus eluſoriis conditionibus & exceptionibus tam in ipſo tractatus actu, qvàm præliminaribus. Qvin ipſe Rex Poloniæ,utut ad pacem proclivis,tamen à præfecto militiæ Polonicæ,ut produnt,inprimis ab agente in rebus Auſtriacis ad aulam Regis,Liſolâ,atq; conſiliis Auſtriacis à tam ſalutari opere averſus eſſe creditur. Domus enim Auſtriaca,ſub ſpecie fœderis,amicitiæ & opis Polonis præſtandæ,ut illi deſiderarant,ſuã rem impenſius agere cernebatur;etiamſi Poloniæ defenſioni;& mox profeſſis adverſus Regem Sveciæ armis,in eliminato Oratore Svecico Viēnæ reſidente extra provincias ſuas hæreditarias, & ipſis deinceps armis in Poloniam,in Boruſſiam,tandem etiam in Daniam & Pomeraniã adverſus Svecos latis, alias cauſas inferret. Sed prius de cauſis defenſionis Poloniæ, cui tales obtendebat:*Ut nimirũ conſervaret pacem Imperio nuper partam,& præverteret, ne debellatâ Poloniâ cum Svecico exercitu orientales barbari populi conjuncti Imperiũ aperto invaderent bello;præcipuè ne ipſe Turca,neglectis induciis,huic motui implicaretur. Qvod Rex Sveciæ Regem Poloniæ,vi pactorũ Weſtphalicorũ amneſtiâ generali comprehenſum, tamen armis adortus eſſet. Qvod nuper à defuncto Cæſare oblatã interpoſitionẽ inter belligerantes Reges Rex Sveciæ recuſaſſet,in qvartũ menſem fruſtra nec abſq; contumeliâ detento Cæſareo ablegato,Procancellario Franciſco Euſebio,Comite de Pœttingen;qvanqvã Cæſar nihilominus in ſuo inſtituto conſtanter perſeveraverit. Qvod Rex Sveciæ pace inter Sveciam & Poloniã facienda Cæſarem comprehendi noluerit, ſed immani bello perſeqvendo inſiſtens, Regem Poloniæ regno ejecerit,& Sileſiã infeſtaverit,anſamq; præbuerit Tartaris imminendi Imperio. Qvod Rex Sveciæ,inſtinctu Regis Galliæ,decreverit,poſt ſubactã Poloniam,ſedẽ belli in Auſtriacas ditiones tranſferre; eoq; fine apud portam Ottomannicam laboravit,ut Princeps Tranſſilvaniæ Poloniam bello aggrederetur. Non ergò hic Cæſari, & poſt ejus obitum, Regi Ungariæ ac Bohemiæ dormiendũ fuiſſe;ſed antequam Polonia penitus opprimeretur,& tot Barbarorũ agmina Imperio imminerent,è re ſua & Imperii judicaſſe,ſuccurrere Poloniæ;non animo iſtic qvadã occupandi, ſed;qvia mitiori viæ locus non eſſet,armata vi flectendi Regẽ Sveciæ ad æquas pacis conditiones.* Verùm Rex Sveciæ in aliqvot literis ad non unũ Principẽ,& Memorialibus ad Electores Imperii, & ordinariã,qvam vocant, Deputationẽ, ſeorſim verò ad Electorẽ Moguntinum,per ablegatũ ſuũ Biörncloviũ (ex cujus Memoriali, publica jam luce donato,qvæ ad præſens inſtitutũ facere videbãtur, excerpta ſunt)ad priora regerit:*Cæſarẽ & poſt eum defunctũ,Regẽ Bohemiæ & Ungariæ,alia*

omnia feciſſe, qvàm ut, ob Imperii qvietem, pacem inter Sveciam & Poloniam promoveret. Regem qvidem Poloniæ pactis Oſnabrugenſibus incluſum fuiſſe, ſed ſub clauſula generali & eo modo, qvo alii Reges & Principes, absqve præjudicio controverſiæ inter Reges Sveciæ & Poloniæ, de jure Regni Sveciæ, qvæ ad tractatum Oſnabrugenſem, à qvo planè aliena ſit, trahi non poſſit. Hoc potius in pactis Stumsdorfinis anni MDCXXXV. cautum fuiſſe, ut inter duo Regna de perpetua pace ſeorſum ageretur, unde etiam poſt obtentam Germaniæ pacem, Lubecæ peculiaris de ea tractatus inſtitutus ſit. Sed qvomodo illum delegati Poloniei eluſerint, alibi oſtenſum eſſe. Præterea Czarem Moſcoviæ à Cæſare & domo Auſtriaca ad bellum contra Regem Sveciæ excitatum fuiſſe; diffidentiæ ſeminibus inter Sveciam & Moſcoviam à legatione Cæſarea prius ſparſis. Qvod verò Rex Sveciæ dicatur *rejeciſſe interpoſitionem Cæſaris, detento ad qvatuor menſes ejus ablegato*, ad illud ſic reſpondebatur: *Adveniſſe illum legatum Thorunium, qvum Rex anno MDCLV. in Decembri cum exercitu ad oppidum Ducatus Boruſſiæ Fridlandiam ſtaret. Ad maturandum autem ſuum iter, & qvidem tutò, à loci præfecto CC. equites, qui ipſum deducerent, qvò vellet, accipere ei licuiſſe. Sed illum Thoruni præſtolari maluiſſe, donec nobilis cum tubicine in caſtra Sveticca miſſus, cum regiis tutioris itineris Elbingam deſtinati literis rediret. Qvamvis autem iſte nobilis, ob neceſſarias Regis expeditiones, aliqvantum detentus eſſet, interea tamen ablegatum Elbingam profectum fuiſſe: fortè ut iſtic Regem, adverſus Gedanenſes, uti putabat, iturum opperiretur. Cæterum Regem itineri verſus Warſaviam ad comprimendum Qvartianorum motum ſe committentem, per Cancellarium ſuum ei ſe ſignificaſſe, ſe eum vel Lovicii vel Varſaviæ ad audiendum admiſſurum. Tandem Regi ex Palatinatu Leopolenſi Varſaviam redeunti, in oppido Prago ad Varſaviam mandatum ſibi negotium, unà cum traditis Regi Cæſareis literis, ablegatum expoſuiſſe, qvod qvum aliqvantum protractum fuerit, vel propriæ ablegati cunctationi, vel qvod à Liſola & ejus comitatu impeditus fuerit, imputandum eſſe. Ipſius verò Cæſaris, partibus Polonorum addictioris, minaces & imperioſas exprobrationes, Regis animum ab accipienda ejus interpoſitione avertiſſe. Qvin ſi qvis procul affectu odioqve totum interpoſitionis negotium, ejusqve circumſtantias accuratius perpendere velit, inde perſpecturum eſſe, Auſtriacos nihil aliud qvæſiviſſe, qvàm ut hoc ipſo Regi daretur anſa rejiciendi Cæſaream interpoſitionem, & Auſtriacis alios exciendi contra Regem, tanqvam omnia pacis media repudiantem; uti fecerint non ſolum in Czare Moſchorum, ſed & Principe Transſilvaniæ, Zaporoviana gente, Turcis, Tartaris & Danis: & tamen culpam hujus rei in Regem conferri. Si autem Cæſar pace Sveo-Polonica comprehendi voluerit, cur per Liſolam de ea re non erudiverit aut*

Regem,

Regem, aut fœderati Belgii Legationem, tum mediatoris munere fungentem? At ſi Cæſar præſciverit, Sveciam & Galliam, compoſito bello Polonico, Imperium invaſuras, cur non convocarit Imperii Electores, Principes & membra ad comitia, de tam ardua re deliberaturus? Sed interfuiſſe Auſtriæ, ut Imperii Ordines ejus conſilia ignorarent; & ut Polonis, imminente Transſilvaniæ & Coſſaccorum exercitu, preſſis, citius prætenſæ conditiones extorqveri poſſent. Qvi verò penſitet, qvot modis Auſtria non modò tractatum pacis inter Sveciam & Poloniam impediverit, ſed etiam qvot hoſtes adverſus Svetiam, Moſchos, Danos & tandem Brandenburgenſes concitarit, non inficias iturum, Auſtriam in cauſa fuiſſe, ut Rex etiam alios, & inter illos Principem Transſilvaniæ, Coronæ Polonicæ oblatione deluſum, & hinc bello rem vindicandi cauſam arripientem, adverſus Poloniam in ſocietatem armorum admitteret: cujus ſcopus fuerit fœderatorum ſecuritas, & honeſta cum Polonis pax. Si autem Auſtria, non animo aliqvid adqvirendi in Polonia, auxilium ejus Regi tuliſſet; cur ergo ambiverit & amplexa ſit Coronam Poloniæ, ipſi ſub illa conditione oblatam, reſervato ſibi qvoqve perpetuo ſucceſſionis jure? Sed de his prolixius in Regiis literis & memorialibus non ſemel in publicum editis, qvibus qvid deinceps Auſtriaci, & Sveci illis repoſuerint, ex Actis publicis perſpicere eſt. Qvum autem Imperii Electores atqve Ordines ſibi ſatis ob oculos ponerent Imperii periculum ex ardente vicinio bello Polonico, ſi id clam vel palam à domo Auſtriaca viribus ac fœdere foveretur; tamen in adhibendis remediis, qvæ ad conſervationem qvietis Imperii facerent, adeò ceſſari Rex per ſuos ablegatos qverebatur. Ut hoc per occaſionem addam; Epiſcopus Moguntinus, ſeriò rem perpendens, convocatis Francofurtum Electoribus, ut Rom. Regem eligerent, fruſtra aliis *Deputatorum auctoritatem extenuantibus; aut impendente eligendi Cæſaris tempore, alia negocia civilia qvieſcere volentibus; ille hoc tantum negotium absqve Electoralis auctoritatis & ipſius electionis præjudicio deliberari poſſe, & in tam præſenti diſcrimine debere,* contendebat: *præſertim qvum illorum, ut præcipuorum Imperii membrorum, eſſet providere, ne Imperium qvid detrimenti caperet.* Sed Auſtriacorum & qvi cum eis faciebant, interventu iſta conſultatio relicta eſt, urgentium, Cæſaris electionem eſſe præmittendam. Inter cætera in iſto conventu qvidam ſtatus Rhenani & inferioris Saxoniæ conſultum duxerunt de communi fœdere cum Regibus Sveciæ & Galliæ ineundo agere, pro inteſtina defenſione publicæ pacis & tranqvillitatis Germaniæ; ex qvo Domus Auſtriaca ſceptro Imperiali potita eſſet. Sed qvum illam conjunctionem lubrico niti veſtigio Rex ſibi primò perſvaderet, qvâ ſuæ & ſuarum in Germania provinciarum ſecuritati parum conſuleretur: qvod iſtud fœ-

dus eò præcipuè directum eſſet, ut, ſi forte contra Regem & ſocios alii exſurgerent hoſtes, eis conjunctim ſuas opponerent vires, uti qvidam Ordinum haut obſcurè ſignificarunt; Rex alienior ab iſto cogitato fœdere factus, Biornclovio & Snolſcio, fidis ſuis miniſtris, certam hîc mentis ſuæ declarationem, qvam agendi normam haberent, dedit. Poſtea tamen, velut Ducem Bremæ ac Verdæ, & Dominũ Wiſmariæ, ad dictum fœdus ſe qvoq; profeſſus eſt. Sigillatim verò Biornclavium cum Legato Gallico decenter agere juſſit: ut, ſi aliorum deſtinata, fictæ amicitiæ fuco tincta, fallerent, ambo Reges tamen pro cõmuni cauſa cõniterentur, & hujuſmodi conſilia caperent, qvæ utriusq; Regni conſervationi & bono ſervire poſſent. qvod à Biornclovio prudenter & feliciter effectum eſt. qvippe Gallicus Legatus poſtea etiam ſua Memoralia ſcripta Collegio Electorali Francofurti inſinuavit, qvæ ſui Regis adverſus Domum Auſtriacam Gravamina continebant. Et qvum Cæſar tandem electus eſſet, ejus Capitulationi ſimul inſerebatur, ut, poſt aſſumtionem Cæſarei Imperii abſqve mora Polonicæ pacis tractatus ad debitum finem promoveretur; etiamſi poſt mortem Regis anno demũ M DC LX. ad finem decurreret. Sed de hoc alio loco. Nunc ad arma revertimur. Etſi Gedanenſes urbe effuſi Gerbinum (Gribbinum al.) caſtellum vi recuperarant, præſidio Finnonum XL. militum iſtic trucidato, qvi mortem deditioni prætulere, fatis tamen vindicatam, jacturâ CC. Gedanenſium. Arendſonium ſtativa Bretziæ in Cujaviâ habentem, & ægre ſe defendentem, Poloni invaſerunt, animo iſtic hiberna intercipiendi. Cracoviæ qvinqve menſium obſidionem ſolvit Georgius Lubomirskius: partim ut imminentis Ragotſcii molitionibus cum copiis ſuis occurreret: partim qvod intellexiſſet, commeatu & præſidiis novis firmatam urbem, à Wurtzio ei præfecto, Polonis in non una excurſione aut caſtris exutis aut cæſis captisve, conſtanter defendi; cujus ipſe fortitudinem in ſuis ad Wurtzium literis prædicavit. Amicâ pacis viâ fruſtra cum Polonis iterum tentatâ, Rex continuationem belli, velut unicum ad flectendos aut compellendos hoſtium animos ad pacis cogitationes cuneum judicavit: qvi ut efficacius penetraret, oblatum à Principe Transſilvaniæ binis ad ſe legationibus ſibi, ſocios in tam gravi bello pariter deſideranti, haud negligendum eſſe duxit. Negotium de dicto fœdere jam à ſuis ad Transſilvanum ablegatis eò provectum eſſe intellexerat, ut pacta armorum conjunctione Princeps, Zaporicæ militiæ armis corroboratus, in Poloniam cum ſuis copiis tenderet, ibiqve cum Regiis ſua ſociaret arma. Rex autem reſpectu iſtius fœderis, animoqve reprimendi ſpiritus hoſtiles, in rem eſſe judicavit, è contractis ſuis copiis conflare expeditum levis armaturæ exercitum

citum

citum (volantem vulgò vocant) qvi conſtaret ex eqvitibus, deſultoribus, & aliqvot levioribus tormentis. Cum his Rex Thurinio excurrit Bretziam & Caralevam, adveniens eodem tempore, qvo Poloni iſtic coëgerant copias ſuas ad excipiendum armata manu Ragotſcium. Rex inde pergebat Cracoviam, animo offendendi iſtic Ragotſcium, atq; conjunctim perſeqvendi hoſtem. Cæterum conjunctio fiebat initio Aprilis, non procul Opatovia ad pagum Middibozizam, ubi Rex præcipuā ſtationē habebat. Ibi qvoqve Princeps Ragotſcius, Paulo Wurtzio ejusq; aliqvot turmis comitatus, in aperto campo à Rege iſtic in acie ſtante ſolenniter excipiebatur. Qvi absqve cunctatione cum Principe de ſummâ belli verba fecit, & ſeqv. die contra hoſtē conjunctis viribus moverunt. Hoſtis, ut rumor erat, ex adverſo Viſtulæ littore copias ſuas contrahebat. Rex autem Zatvichoſtiam ivit, ibiq; Viſtulā ponte junxit, tam ab utraq; parte fluvii hoſti occurrendi, qvàm eidem ſpatiū ad vires ſuas colligendas præcidendi conſilio, dum pons ab hac parte conficeretur. Qvippe Rex ſemper vigilantē curam de rerum felici ſtatu gerebat: & ne in uno vel altero loco ſalutaria per novum fortè emergentē caſum corrumperentur, pro virili providebat. Ideò complures literas & legationes ad varias orbis oras expedivit. Ad portam Ottomanicā vel aulam Turcicā primò Claud. Rhalamb, conſiliarium Regis aulicum & bellicum, ablegavit. Sed qvū ille, ob denegatas ſibi in aula Viennenſi liberi itineris literas, ad aliqvod tēporis ſpatiū iſtic commoratus, vel cæſus vel interceptus putaretur, Rex etiā Georg. Welling chiliarcham eò miſit. Scopus & ſumma legationis erat, non, ut qvidā ferebant, qvaſi Rex cum Turc. Imperatore ſcriptum fœdus contra ſuos hoſtes ferire vellet; multò minus, ut alii calumniabantur, qvaſi Turcam adverſus Chriſtian. Principes concitatū iret; ſed ut eum de externa amicitia, qvam Guſtavus Adolphus cum Sultano Murathe antea inierat, à ſe continuandâ per ablegatos ſuos confirmaret; & ſimul informaret de ſtatu Polonico; juſtisqve ſuis in Polonia armis: ne fortè qvid ſiniſtri ſenſus caperet de ſuo bello, vel conjunctione armorum cum Ragotſcio: qvem Portæ Ottomannicæ fidei nexu obligatum, Rex adjutum iret ad promovendum omne ejus honeſtum inſtitutum. Item ut invidiâ Turcæ hoc tempore vacuus eſſet, qvam ipſi Domus Auſtriaca creatum iviſſet, qvaſi Rex cum Ragotſcio qvid in Imperatoris Turcici præjudicium aut incommodum moliretur, qvod nunqvam in animo habuiſſet. In mandatis etiam habebant ablegati in regiâ Turcicâ ſollicitare, ne Turca Chamo, vel, ut vocant, Hano, Chrimenſi Tartaro ſibi obnoxio, permitteret ſuppetias ferre Regi Poloniæ (qvod agitabatur) adverſus Regem Sveciæ, Portæ Ottomannicæ amicum; vel ne forſan ipſe Turca vim ſuā cum vaſtis copiis, ut ferebatur, in emolumen-

lumen-

lumentum ſuum adverſus eum aliosve Chriſtianos exerceret. Rex inſuper Ragotſcium per ablegatos ſuos decorè commonefecerat, aliqvam argenti vim in Tartaros, pro ſtipendio militare ſvetos, impendere, atqve qvantillâ pecuniâ conſenſum & favorem aulæ Turcicæ, ut moris eſt, emere: ne in contrarias deflectendi partes anſam haberent. Sed ille pecuniæ parcus, ſi Rex Poloniæ crearetur, ut perſvaſus erat, iſtâ impenſâ non opus fore credebat. Præter dictos ablegatos, Rex etiam Guſtavum Lilliecron emiſit ad Coſaccos & Zaporovicam militiam, perficiendi fœderis cauſa, qvod per mutuas legationes contemplatione belli Polonici jam percuti cum illis cæperat. Sed & qvendam ex miniſtris ſuis Rex in Moldaviam & Vallachiam ablegavit, qvi ibi reſidens non ſolùm ex omni occaſione domum referret, qvid iſtic ageretur, ſed etiam omni cum dexteritate Palatinos iſtorum locorum & Coſaccos in bona animi propenſione ac Regis fide retineret. In aula Turcica Claudius Rhalamb nihil eorum intermittens, qvæ in mandatis à Rege acceperat, & fido Regis miniſtro peragere incumbebat, induſtriâ & prudentiâ ſuâ rem eò tandem deduxerat, ut Chrimenſis Tartarus, jam in Poloniam cogitans, intra fines ſuos ſe continere à Turca juberetur; & Ragotſcio, ad Regis Svetiæ interpoſitionem, admiſſi ſui, qvod inconſulto Imperatore Turcico in Poloniam exercitum duxiſſet, venia ab Imperatore promitteretur. At delegatus Polonicus interea Conſtantinopolin adveniens, ope Catholicorum miniſtrorum, rei fauſto progreſſui non leve impedimentum injiciebat. Dein fama de clade Ragotſcii Conſtantinopolin perlata, & malè volentium inſtinctus animos Imperatoris Turcici & procerum magis & magis exulcerabant & alienabant: adeò ut miniſtri Rogotſcii etiam in carcerem Conſtantinopoli conjicerentur. Animis commodâ interpretatione Legati Rhalambii utcunqve mitigatis, ille ad primarium Viſirem, Hadrianopoli cum exercitu tunc ſubſiſtentem, ſcribebat, dimiſſionem ſui urgens: qvam tandem, & qvidem honorificam impetravit. Cæterum hinc ad priora cum Ragotſcio à Rege tranſacta, conſiliorum & rerum mutationem revertimur. Juſſerat Rex præfectum Cracoviæ Wurtzium poſt contractum à Rege cum Ragotſcio fœdus, urbem in ejus manus & poteſtatem tradere; utriusq; tam Regis qvàm Principis præſidiis in urbe relictis. His peractis, & ponte trans Viſtulam confecto, Rex cum ſuis ſociisqve copiis eum tranſivit. Sed qvum uterq; exercitus in Lublinenſem Palatinatum moviſſet, Regius ad ſiniſtram, Ragotſcianus ad dextram, allatus eſt rumor, hoſtem ad alteram Wiperæ partem ingentes copias coactas tenere, ductoribus Czarnechio, Sapieha & Gonſevskio. Proinde Regi viſum eſt, copias ſuas cum Ragotſcianis conjungere, ho-

re, hoſtemqve recta adoriri: qvi motis caſtris tunc inter Viſtulam & Bucham ſtativa ſua habere dicebatur. Rex rapidum flumen Wiperam cum eqveſtribus copiis trajiciebat in adverſum hoſtem contendens. Is tamen prælium abnuit, acceptâ de Regis adventu famâ, & cum Czarnechio Viſtulam ad Warſaviam ſuperans, per diverſas vias in Lithuaniam abſcedit. qvem Rex è veſtigio inſeqvutus usqve ad munitum caſtellum Bretziam, illud ex occaſione aggreditur, & aliqvot tormentorum verberibus qvaſſatum deditione accipit, atqve Ragotſcio tradit. Dum in his Rex totus erat, paulatim literæ ad ejus manus pervenerunt, referentes de Regis Daniæ machinatione. Ex omnibus rerum molitionibus Rex ſatis colligere poterat, poſt ſedulò fideliterqve per Regium in Dania reſidentem miniſtrum Magnum Durell & alios delegatos tentata ſed fruſtra remedia & conciliationé, inde nihil aliud qvàm apertum bellum exſpectandum eſſe, etiam prodigiis in ſole occidente, globos majores & minores radiis emittere Iónecopiæ viſo, & terræ motu, Scaræ & uno milliari circa oppidum, cognito, præfiguratum, ut videtur; de qva vi armatâ conſilia diu domi meditata, tandem ſub Friderico III. Rege Daniæ matura hoc tempore in nervum eruperunt, ex cauſis, qvas Rex Seciæ compoſitu faciliores, ſi conciliatio ab utraqve parte admiſſa fuiſſet, qvàm ut bello vindicarentur, judicabat. Illæ in duobus ſcriptis Danicis, qvorum unum ſub titulo *Juris Fecialis armatæ Daniæ*, qvo bellum Regi ac regno Seciæ à Rege & regno Daniæ denunciabatur, alterum ſub *Manifeſti* nomine, qvod belli momenta ulterius perpenſum ibat, publicabantur. Ad qvæ Svetici fuſè reſponderunt. Longum eſſet omnia hic repetere. Præcipua eorum capita erant, *de vindiciis Archiepiſcopatus Bremenſis & Epiſcopatus Verdenſis, qvi olim Friderici Principis, nunc Regis Daniæ, fuiſſent. Sed hodie ſine ulla compenſatione ſibi factâ, ad Regem & Regnum Seciæ translati eſſent.* Hos Svetici *ante jure belli à ſuis occupatos, & poſtea ex Imperii & Ordinum ipſiusqve Cæſaris auctoritate, Pace publica comprehenſos, Seciæ Regibus ac Coronæ in perpetuum ceſſos & lege publicâ confirmatos, nunc fruſtra diſputari repetive* contendebant. Item *de defraudatis & imminutis Regis Daniæ vectigalibus, per incertas & falſas mercatorum Seciæ contra pacta certificationes, alienis & peregrinis mercibus propriis mixtis.* Hæc *auctorum, non Regis aut regni culpa eſſe à Svecis nomine Regis dicebatur: qvum Rex Seciæ ad ſubditos in freto Danico navigantes edictum publicaſſet, ne qvidqvam in certificationibus vel minima reprehenſione dignum adverſus pactum committerent; & ſimul ſuo miniſtro in Dania reſidenti injunxiſſet, ut collatis rationibus cum Danicis miniſtris & cognita re curaret, ut qvæ liqvida & pactis conſentanea deprehenderet, religiosè obſervarentur.*

qvæ autem ulteriori enodatione egerent, ad Regem & ejus notitiam absqve mora perferrentur: ut remedia ex lege pactorum illis idonea adhiberentur. Qvorumcunqve verò culpa eſſet, non tamen tantam eſſe, ut ob eam tam indignè tractarentur; & qvæ extra neceſſitatem armorum emendari potuiſſent. Deniqve, *de recepto in patrocinium, contra pacta Stetinenſia, Corfitio Ulfeld exſule.* qvod Sveci *pactis Stetinenſibus repugnare negabant: ſi exſul & ſupplex patrocinio Regio & publica fide usqve ad cauſam dicendam frueretur. Id ipſorum Danorum non uno allato exemplo, Reginam Chriſtinam, qvum Corfitium primo in patrocinium ſuum ſuſcepiſſet, in ſuo ad Daniæ Regis literas reſponſo plenius deduxiſſe.* Hæc & alia qvum ſatis utrimqve publicis & in lucem editis ſcriptis, mox & armis diſceptata ſint; nunc verò Pace factâ, perpetuâ injuriarum oblivione ſepulta, hîc faſtidioſè repeti, è re non videtur. Inter tot autem hoſtes & tam arduas belli occupationes, Rex eò magis curas & cogitationes ſuas in Daniam defigebat, qvò propius & gravius inde periculum regno ſuo ac patriæ impendebat: præſertim qvum inter fœderatos ac conſpirantes hoſtes ita conveniſſet (velut ex certis documentis, & ipſâ re compertum), ut non ſolùm Dania terra mariqve infeſtaret Svetiam, ſed etiam domus Auſtriaca irrumperet Poloniam, & Ruſſus ab altera parte regni, uterqve Regis progreſſus cum valido exercitu ſufflaminaret, conſiliaqve turbaret. Rebus ita comparatis, Rex animo ſuo non dimiſit paternam curam de patriæ ſuæ ſalute. Proinde in interiora Poloniæ profectus, ut Auſtriacorum conſilia & ſcopum de Regiis copiis inopinatò opprimendis opportunè præveniret. Hinc Regi Daniæ, cui jam maximè opportunum ulciſcendi Sveciam, ejusqve Regem, bello Polonico diſtrictum, tempus videbatur, occurrere neceſſarium duxit: ne in Regis Germanicis provinciis vel Regno nimios ſucceſſus ex voto & ſententia ſua nanciſceretur. Nec tamen infecta Poloniæ negotia Rex abiturus reliqvit; ſed ea conſilia cum fœderatis Electore Brandenburg. & Principe Ragotſcio communicavit; unà cum proviſu exercitus regii, ejusqve præcipuo imperio Fratri, Principi Adolpho Johanni, in ſua abſentia commiſſo, & aliorum neceſſariorum curâ: ut ſi unus ſociorum vacillare noluiſſet, alter ex ſuâ ſolius ſententia & arbitrio omnia non egiſſet, ſed communibus conſiliis, maximè Regis, mutuaqve Coſſacorum operâ uſus fuiſſet; non ſolùm res in Polonia incolumes ſtare, ſed etiam Princeps Transſilvaniæ extra detrimentum & cladem, poſtea acceptam, eſſe; & Polonorum ac Cæſarianorum potentia magis reprimi potuiſſet. Qvum enim, ut ſupr. tactum

tactum eſt, Rex ſtaret ad Bretziam, comperto, qvod Auſtriacus exercitus jam in Poloniam ire cæpiſſet, Rex modicum ſolum auxilium MCC. eqvitum & MD. dimacharum ab Electore deſiderabat; ſed illud, etſi creſcente periculo, non accipiebat. qvod ſi accepiſſet, & cum ſuis ac Ragotſcii armis conjunxiſſet, non modò adverſus Auſtriacos tendere, & periculum inde formidandum DEI ope in ipſa herba opprimere, ſed etiam ex utraqve Viſtulæ parte talem inire rationem potuiſſet, ut omnia locorum commoda hoſti præripiendi copia fuiſſet. Qvamvis autem Elector Regis conſilium haut improbaret, tamen ad illud tunc ſeqvendum induci non poterat, ſed moræ ſuæ excuſandæ, præſentis colloqvii ſub ſpe pacis cum Polonis procurandæ occaſionem obtendebat. At ne videretur partes Regis ſtatim deſeruiſſe (qvanqvam inter ipſum & Gonſevskium tam benè jam convenerat, ut facto armiſtitio, absqve hoſtili tentamento utriusqve exercitus ſe invicem præteriret) adverſus Poltovſcium aliqvot ſuas turmas ductore Geurtſio miſit. Cui, ut & Ragotſcio, qvum Rex perſvaſum iret, ut unà cum regiis copiis ductu Comitis Steenbockii Varſaviam propius peterent, ad opus conjunctim aggrediendum, Geurtſius reſpondit: ſe tale qvid in mandatis non habere, ſed ut Regem cum ſuis copiis inde in Boruſſiam comitaretur, ad defendendam communibus viribus adverſus hoſtes provinciam, nullâ non clade à Tartaris acceptâ. Ex hac Electoris tergiverſatione, & qvum ad fines Boruſſiæ Rex perveniſſet, qvod per delegatos cum eo Elector agere vellet, alieniorem illius à priori propenſione ad communem cauſam promovendam animum ſatis animadvertit. Qvamvis autem poſt Regis abitum ab ejus Fratre auxilium expediverit Elector, tamen hoc magis ad probandam ejus ſinceritatem feciſſe creditur, qvàm ut eo revera uti vellet contra illum hoſtem, cum qvo jam conciliatus eſſet. Licet etiam ad opem ferendam paratus eſſet Princeps, vel ad hoſtem conjuncta manu petendum; tamen Elector mox remiſit, indicans, ceſſante periculo, ope ejus opus non eſſe. Si verò ei denegaſſet, inde culpandi anſam arripere potuiſſet. Qvum Princeps Adolphus poſteà deſideraſſet, ut Elector ſuas cum Principis turmis ad Soldaviam vel alium commodum locum conjungeret, ad prohibendum hoſti incurſum in Boruſſiã & Livoniã, ibiqve ſucceſſum, ille recuſavit. Præterqvam qvod Czarnechio per ſuas regiones tranſitũ & viam in Pomeraniã patefecerat: ubi Poloni varia immunitatis exempla exercebant, Wuſſovio olim tribuno Svetico, etiam ſepulcro terraqve effoſſo & combuſto. Hinc patebat, Electorem à priori mutatum eſſe; qvod ulterius ipſo facto ſatis compro-

comprobavit, poſtqvam à Rege, in Daniam cum copiis ſuis abeunte, diſceſſionem fecit, ita ut pactis ac fidei ejus renunciaret; & cum Rege Poloniæ, ſatagente Comite Hatzfeldio, in gratiam & amicitiam rediret, atqve Bromiobergæ juratam cum eo conjunctionem, Butovia & Leoburgo Pomerelliæ Satrapiis ei fiduciario jure conceſſis, & fide confirmationis pro ratione temporis & ſtatus de abſoluto Pruſſiæ Ducatus dominio facta, iniret; atqve poſtea faceret cum Auſtriacis & Danis, velut adverſus Regem Sveciæ ſociis & fœderatis, qvi ſinguli ſuæ occaſioni & commodis intenti erant. Sed Elector *ex neceſſitate temporis, & ſalute Reipublicæ ſuæ ac ſubditorum ſe conſilia ſua mutare coactum eſſe conteſtabatur. Qvum enim à Rege ſocio ſuo, profecto in Daniam cum majori exercitus parte, deſertus eſſet, nullam aliam expeditiorem ac tutiorem conſervandi ſe & ſubditos ſuos, adverſus ingruentem Cæſarianorum & Polonorum proximis incendio belli provinciis ſuis vim jam intentatam, fuiſſe; niſi eorum partes amplecteretur, qvibus major ipſi nocendi, qvam ſibi ſe tuendi, abſente ſocio, facultas eſſet. Pacta etiam iſtæc, Rege conſcio & non abnuente, qvum per Dobrſinſkium id Regi prius ſignificaſſet, inita eſſe. Accepiſſe ſe qvidem à Sveco beneficia qvædam & dona in Borusſia; ſed ne domino ſuo* (Regi Poloniæ) *perirent.* Rex contra: *Se potius ab Electore qvàm Electorem ab ipſo deſertum eſſe. Qvippe qvi à fœderibus etiam hæreditariis & ternis pactis cum Rege tam ſanctè factis tam facile diſceſſiſſet; priusqvam aliqvid detrimenti eâ cauſa pati voluiſſet. Qvum tamen fidum & conſtantem fœderatum ac ſocium deceret, quidvis potius ſubire, qvàm à ſemel pacta fidei religione, qvæ non dextras ſolùm, ſed etiam animos atqve conſcientias colligaret, temerè decedere. Sed eum exemplo illorum ſociorum feciſſe, qvi plus ſtatui ſuo, ſi utilitates aliqvantum fortè diſtrahantur, qvam obligationi fidei conſulunt, &, prout conducit, ita amicitias & inimicitias æſtimant. Polonorum ſocietatem per clandeſtinas literas, colloqvia & legationes jam ſtabilitam, anteqvam cum Rege aliqvid de ea communicaſſet, prætuliſſe Regiæ, poſthabitis etiam Regis erga ſe meritis: non ſolùm ut tuto cum ſuis degeret; ſed etiam ut magis frueretur præſentibus, & præter accepta à Rege in Boruſſia, ſibi à Polonis confirmanda, etiam plura illis exprimeret, nimirum Elbingam, qvando recuperaretur, & Pomerellica qvædam oppida & Satrapias. Ad pacta Electoris cum exteris aliqvot obtentu neceſſitatis ab eo excuſata, Regē qvidem conſenſiſſe, ſub iſta tamen conditione, neqvid pactorum hujuſmodi contra eorum amicitiam fieret. Cæterum perverſis qvorundã conſiliis Electore, cætera ſincero, aliter perſvaſo, qvum iſtæc mutari non poſſint, ſibi de alia via ad Regni ſui defenſionē cogitandũ eſſe.* Ragotſcio verò Rex auctor

fuerat,

fuerat, ut qvum Cæſaris præmiſſæ turmæ jam in Polonia eſſent, ille cum ſuis copiis regrederetur ad fines ſuos: qvod, ut tutò & absqve periculo poſſet, ad Zacroſinum tranſiret Viſtulam; ubi Steenbockius Campi Mareſcallus pontem inſterni curarat; atqve ad proximum pagum vel in commodis ad latus Viſtulæ locis caſtra poneret, donec hoſtile inſtitutum ac molitiones cognoviſſet; atqve ſi neceſſitas ita imperaret, in validum ipſi à Rege traditum caſtellum Bretziam recederet; ibiqve ex Ukrania, Moldavia & Tranſilvania, pro rei uſu ac neceſſitate novis copiis ſe firmaret. Si autem exercitus Auſtriacus cum Polonicis inopinatò tranſiret Viſtulam, & Principem veſtigio ſeqveretur, ita ut ei reſiſtendo non eſſet, tunc ad validum & Coſacicis præſidiis munitum locum Pinskam ſe reciperet, atq; pro ratione rerum & temporis vel cum hoſte manus confereret, vel, ſi prælii diſcrimen reformidaret, absq; metu & detrimento in Moldaviam ac porrò in Tranſilvaniam reverteretur: Hæc Regis benè conſulta, & ab ipſis Coſaccis, bellorum peritis, approbata, atqve à Steenbockio, qvi adhuc cum regiis copiis apud Principem erat (poſtea avocatus inde ad Regem) amplius confirmata, nihil apud ipſum valebant, ſed omni ſalutari ratione ſpretâ, ſuo ſolùm arbitrio, viam ad Cracoviam ferentem inſiſtebat: ubi uterqve exercitus, Auſtriacus & Polonicus viribus pollens ipſi obviam fiebat; per qvod omnia in metum & conturbationem conjecta ſunt, & Cracovia à Polonis ac Cæſarianis deditione recepta eſt; honorificis tamen cum Wurtzio pactis & conditionibus: qvi, qvum in ſecundum jam annum cum præſidiis ſuis & Svetici nominis gloriâ urbem illam ſtrenuè defendiſſet, inde in Pomeraniam cum copiis ſuis conceſſit, Stetino præfectus. Sed & qvidam ductores exercitus Ragotſcii ſeductores potius fuiſſe creduntur, ſvadentes ut trans Viſtulam, inter Sandomiriam & Zavichoſtiam iret; ubi pluribus objectis fluentis retardatus, etiam vitæ ſubſidiis deſtituebatur, & tandem in illam viam incidebat, per qvam Tartari in Poloniam irrumpere ſolent. Unde non aliter poterat, qvàm ut in miſerandam potius qvam mutandam calamitatem præcipitaret: qvinq; millibus Ragotſcianorum à Rege Poloniæ & Ungariæ profligatis, novendecim tormentis & octo millibus eqvorum ademtis, &, ut ipſe Ragotſcius hoſtium manibus liberaretur, indignis & gravibus prorſus pactionibus cum illis initis. Hæc omnia vitare in proclivi fuiſſet, ſi rebus adhuc integris, qvum ipſe ſibi ſatis conſulere non poſſet, Regis & aliorum ſaniora conſilia acceptaſſet. Etiamſi verò multùm in SvecorumRegem qveſtus ſit, qvaſi ab eo in plagas inductus eſſet; tamen omnes ſtudio partium vacui, rerum iſtarum & conſiliorum haut ignari, hinc facilè æſtimabunt, cujus culpâ, Regis an Principis, hæc admiſſa

 fuerint.

fuerint. Non enim Regi integrum fuit, diutius in Polonia aut Boruſſia commorari, conſtitutis ad defenſionem neceſſariis; ſed qvum Auſtriacæ vires, ex fœdere cum Polonis & Danis facto, jam ingruerent, ad morandum & occupandum in Polonia Regem; ne Sveciæ ſuccurreret; eò magis in Holſatiam ac Daniam iter maturandum erat, qvò periculum certius, & tanqvam in præcordiis regni Svetiæ verſabatur. Scripſerat Transſilvaniæ Princeps Georgius Ragotſcius ad ablegatos in Turciam Sveticos ſuas etiam literas: *In qvibus totum illud, qvod vel præteritum doleret, vel timeret futurum malorum & infelicitatis, ſe Regi Sveciæ tribuere* adfirmabat: *qvod non ſatis ſervarit pacta fœderis inter ipſos facti: qvod abitu Regis ex Polonia, & avocatione Comitis Steenbockii ejusqve copiarum, illata amicitiæ injuria fuerit. Nihil tamen inde ortum eſſe, qvod Regi dicati ſemel Principis animi integritatem immutare valeat.* Ablegati Svetici ad iſtas Principis literas, præter alia, ſic reſpondent: *Ipſos arbitrari, Principem tam æqvum cauſarum cenſorem fore, ut ex ſui natura res judicet, noveritqve, vel ipſis tacentibus, omnium contractuum reciprocam eſſe obligationem, inqve iis dijudicandis intentionem contrahentium inprimis eſſe reſpiciendam. Sic in præſenti caſu fœderatos non obligari conventionis vi, ut alter alterius lateri ſemper adhæreat; ſed eandem obligationem, qvæ ſingulari caſu jubeat conjunctionem, urgente contrario caſu ſeparationem admittere, nec ultra poſſibilitatem* (ſonante ita verbo Transactionis art. 2.) *obſtringere: cum ſit reciproca, & unius æqvè ac ulterius velit conſervationem. In qvantum etiam neceſſitas antiſtet commoditati, in tantum conjunctionem, qvæ Principi forſan fuerit commoda, cedere ex contractus natura debere ſeparationi, qvæ rei communi fuerit hac vice neceſſaria. Nec tamen inde malum & infelicitatem Principi natam fuiſſe: qvum ſufficienti & numeroſiore, qvàm Steenbockius, ſtipatus fuerit exercitu, haut longè à partibus & præſidiis Regis locatus; qvò, ingruente periculo, ſemper tutus fuerit receptus. Si itaqve Princeps in illis partibus egiſſet (qvod cur non fuerit factum, illorum non eſſe inqvirere, ſed ſuis dubio procul niti rationibus) aut repetendo fines ſuos, tutiori viæ inſtitiſſet, rem adhuc omnem ſartam tectam fore. Enimverò ut inferamus bellum, non ſemper reqviri, ſed arcere haut raró uſu venire belligerantibus: neutrum indecorum, hoc aliqvando tutius eſſe. Velle Principem animo ſecum peragere, num rationi conſentaneum fuiſſet, ſi Rex provincias in Polonia occupatas omni præſidio denudaſſet, & Comitem Steenbockium lateri Principis adhærere, Transſilvaniamqve verſus iter intendere paſſus fuiſſet, qva ratione tutum illi poſtmodum patuiſſe reditum? qvo ipſi præcluſo, ut in Transſilvania ſtativa ageret, nec ex dignitate Regis, nec Principis fuiſſe utilitate. Fatendum eſſe, in ipſo rei benè gerendæ articulo hanc mutationem accidiſſe; ſed non fuiſſe poſitum in manu*

Regis,

Regis, tempora eligere. adhibendum fuiſſe malo remedium, qvum ingrueret, & conſilia tempori accommodanda; fruſtra conatus illorum avertere allaboraſſe, illis ad conſummationem redactis. Ne prorſus deſiiſſe florere res communes in Polonia Regis abitu; Steenbockiumqve etſi à latere Principis, non tamen è Polonia omnes copias revocaſſe, aut curam rerum Polonicarum planè projeciſſe. Octodecennali Germanico bello qvoties Sveci cum Gallis conjuncti, qvoties ſeparati fuerint? Germanicos Principes, qvibus cùm Svecis tunc interceſſerit fœderum nexus, Svecis alibi occupatis, propulſaſſe interim in Germania bellum, donec ſerenior fortuna, conjunctis iterum viribus illi incumbere licuit; hæc tamen omnia ſine ulla fœderum violatione, & illatâ amicitiæ injuria fuiſſe. Pari modo hac vice nihil à Rege pactionibus contrariis actum, ſed fortunæ ceſſum; qvæ etſi aliqvando pertinacior (qvo in bello nihil magis tritum) non tamen oportuiſſe de ſtatu mentis dejici, ſed majori animo impetum ejus excipere ac declinare. Si Principi reditus in Transſilvaniam benè ſucceſſiſſet, & reduce Rege in Poloniam (ut conſtitutum erat) à fœderatis omnibus redintegratum fuiſſet bellum, lætoqve & illuſtri fine terminatum, nullam in Regem, qvod par ſit credere, conjectam fuiſſe culpam. Qvamdiu Princeps in Polonia egerit, Regem in perſona lateri ejus adhæſiſſe, loca maximo impendio hoſti erepta, Principi poſſidenda non tradidiſſe ſolùm, ſed etiam haud ſpernendo ſuorum ſubſidio firmaſſe. Intereſſe Principis apud portam Ottomannicam procurare allaboraſſe, idq; non ſine optato ſucceſſu; ſed turbatum aliunde fuiſſe. Ut præfectus legionibus & Varſaviæ Wurtzius cum ſuis ad reditum Regis Principi adjunctus maneret, ultrò Regem obtuliſſe. Qvid ulteriùs hoc rerum ſtatu à Rege præſtari potuerit, eos animo concipere haud poſſe. Qvod ipſe Poloniâ exceſſerit, qvod ſociale exercitum longinqvo Transſilvaniam verſus itinere perditum noluerit magis, qvàm à latere Principis avocaverit, rationibus ſupra dictis, & coram omnibus iis, qvi ſine præjudicio rem conſiderent, ſufficientiſſimis niti. Exigere itaq; videri Regis erga Principem candorem & animi promptitudinem, efflagitare ſtudium regium promovendi communis boni, poſtulare ipſam Regis innocentiam, & illum, qvem profiteatur Princeps, Regi dicatum animum, ut cauſam infelicitatis ſuæ præteritæ vel in hallucinationem Conſiliariorum, vel in cunctationem, ſeditionem detrectationemqve militiæ ſuorum militum, vel inevitabilem fati ſortem vel qvamcunq; aliam cauſam potius conjiciat, qvàm Regi imputet. Futurum autem malum, qvod Princeps timeat, num Regi poſſit adſcribi? Si regii voti res eſſet, haud eventura timenda, ſed optanda eſſe. Benè conſulendo, benè conſulta ſtrenuè exſeqvendo, noxiis aut conſiliis aut animis tempeſtivè prætervertendo, qvidqvid reſtet difficultatis ſuperare perfacile eſſe. Hoc anno diem ſuũ obiit Comes Jacobus de la Gardie,

die, regni Svetiæ Marſchus; & qvidem Scaræ in Weſtrogothia: dum public rei cauſa, in negotiis regiis iſtic conficiendis verſatur. Heros non minus re rum prudens, qvàm armorum fortis & felix, præſertim in bellis adverſu Ruſſos & Polonos. Fidei ſuæ (licet ab hoſte aliqvando magnis promiſſis, ſe in caſſum ſollicitatæ) erga Regem ſuum & patriam, & ultimum usqve vit ſpiritum, integer & immotus, in adverſis & ſecundis animi conſtans, i omnibus ſuis actionibus Deo & publico devotus, deditusqve: qvarum glo riâ ſummisqve meritis invidiam qvoqve ſuperavit; præterqvam qvod ann. M DC XV. à Guſtavo Magno Comitis titulo honoratus, & aliis dignitatibu ac præmiis affectus eſt; hoc inſtar maximæ laudis ſit, qvod Rex ipſe eum ar tis ſuæ bellicæ magiſtrum agnovit. Exemplum verò virtutum maximè illu ſtre in Liberorum tanto Parente dignorum mentibus, immortale nominis ſu decus in poſterorum fama & laudibus reliqvit, qvæ plura adſtrui herois elo gio poſſent, Schefferus noſter oratione funebri abundè ſupplevit. Et absqv hac eſſet, vita atqve res ejus geſtæ ſatis loqvuntur. Redimus ad principia & progreſſum belli Sveo-Danici. Denunciato Regi Regnoq; Svetiæ bello, jam Rex Daniæ tres naves Sveticas ſale onuſtas, ex Luſitaniâ redeuntes, in freto Sundico interceperat. mox alia hoſtilia & qvidem in Ducatu Bremenſi mo litus erat, de qvibus ſuo loco. Nec minus Svetiæ minitabatur per exercitum in limite regni conſtitutum. At Comes Petrus Brahe, regni Drotſetus, in utrumqve, juris & armorum præſidium, ſi neceſſe ſit, paratus, etiam hîc vigi labat. Qvippe regni Marſcho mortuo & abſente Rege, re tamen Regi & regni Senatui per literas ſignificata, & ex Regis voluntate conventibus per regni Senatores, in diverſis provinciis, de patriæ ſalute, delectu militum, belliqve ſubſidio habitis; Comes, ut reliqvi regni Senatores ſuo ſinguli loco, popu lum in Smalandia hortatus eſt ad fidam finium defenſionem; licet ægrè ſib perſvaderent, periculum belli tam in propinqvo eſſe. Sed cautior Comes Petrus Brahe, ex auctoritate regia, qvam Rex benevolis ad eum literis con firmarat, in limite regni ſedulò providebat, ne iſtic ortæ belli flammæ in Sve tiam latius ſerperent. In Warnemô Smalandiæ luſtrabat copias, qvantæ iſtic erant: ne imparati noſtrates ſubitò ab hoſte opprimerentur. Inde ad Liungby ſe contulit cum qvinqvaginta peditibus à centurione Hillebardo ipſi Jône copiam transmiſſis, & qvotqvot ex ſuis Wiſingsburgi armare ſubitò poterat. Qvum tranſiiſſet Toftcholmiam & veniſſet ad Liungby, iſtic offendit rei tor mentariæ præfectum Comitem Ericum Steenbock, trecentos eqvitum vel deſultorum penes ſe habentem, qvi miratus Comitem cum tam paucis mili tibus adverſus hoſtem exire auſum eſſe, de ſuis copiis ei qvosdam obtulit.

Eos

Eos tamen Comes Petrus noluit, Dei protectione fretus, magis de neceſſariis in limite parandis, qvàm hoſte tunc provocando ſollicitus. ideoqve in finibus regni, ut munimenta & aditus itinerum præſidiis benè firmarentur, præcingerentur ac cuſtodirentur, curavit. Inprimis ad Toftaholmiam commodo loco propugnaculum excitari fecit, ad provinciæ iſtic & Jönecopiæ firmiorem defenſionem; qvinqvaginta militibus & aliqvot armatis ruſticis inſtructum. Hinc rumor in Daniam vulgatus de valido belli paratu ſub regni Drotſeto, & ingentibus exercitus Svetici eo in loco viribus hoſtem intra caſtra ſua & aliqvot milliaria à Liungby retinuit; tunc non auſum in fines Svetiæ irruptionem facere. Comes, cum collecto in vicinia exercitu, & per Petrum Andreæ Linderooth adducto, iter in Hallandiam habuit, ad comprimendum ibi tumultuantes & in fide regis continendum; nec minus circumſpiciendum hoſtis ad Helſingeburgum ſtantis molitiones, & qvæ ad Smalandiæ & Weſtrogothiæ tutelam facerent, procurandum. Dum verò Comes Petrus cum ſuis turmis ad Laholmiam ſtabat, acceſſerunt ad eum rei tormentariæ præfectus Comes Ericus Steenbock & alii aliqvot militum præfecti cum numeroſiori exercitu & nonnullis tormentis. Unum ex illis præfectis ſtatim expedivit ad defendendum limitem regni prope Norvegiam. Ipſe verò, accepto nuncio hoſtem Engelholmiam ſe recepiſſe, & qvendam vagum nomine Svenonem Pauli cum ſuis deſultoribus in Hallandiæ collibus ſubſiſtere, circa veſperam cum ſuo exercitu movit, & in via ad Scaniam ferente per præcurſores milites velitationem cum dicto Svenone periclitatus eſt. qvæ primo diluculo ſeqventis diei, ad tranſitum Hemslæ, feliciter ſucceſſit: dum iſte Sveno cum noſtratibus congreſſus, ex duobus ſignis, qvæ ducebat, paucos ſecum reducebat Engelholmiam, majori parte cæſa vel diſſipata. Comes inde pergit in Scaniam, Gothſtadium verſus. viſo Svetico exercitu, hoſtis, cum octo navigiis per mare abit. Sed Comes, relictis peditibus ad Gothſtadium, unà cum tormentis ac impedimentis, duo ſolum minora tormenta & XIV. turmas eqvitum & D. deſultores ſecum Engelholmiam verſus abducit, ad explorandum hoſtis molitiones. Ubi propius acceſſit, hoſtem dejeciſſe pontem, qvà tranſeundum ad urbem erat, deprehendit. Per vadum tamen tranſiit cum ſuis & præmiſſis, qvi irruebant in anteriores excubias hoſtiles, ducentis firmatas. hæ qvidem initio ſpeciem repugnantium præbuerunt, ſed mox, turbatis ordinibus, ad urbis usqve portam repulſæ ſunt. Comes cum ſuis copiis inſecutus, in patenti campo ſe aliqvamdiu tenuit. Sed qvum majora tormenta & pedeſtrem exercitum ſecum non haberet, & eqvitatus continui diei & noctis itinere defatigatus eſſet, pabulaqve pro

eqvis iſtic deficerent, hoſtis verò urbis munitione ſatis defenderetur; fortunæ periculum Comes facere tum noluit, ſed regreſſus in tutum, exſpectavit, qvid hoſtis moliturus eſſet. Qvi paulò poſt cum eqveſtribus copiis, qvæ amplius bis millium erant, ductoribus Axelio Urup, & Guldenlovv, caſtris excedens, ſub tutela tormentorum in aggere continuo circa urbem conſidet. Nihilominus Comes Petrus duobus majoribus tormentis ſalutatum ad pugnam laceſſit. Sed hoſtis pugnam detrectans, Helſingburgum ſe recepit. In receptu tamen XL. hoſtium ceciderunt, præter vulneratos aut captos; Sveticorum qvinqve ſolùm cæſi, tres capti ſunt. Rex & Regina Daniæ pridiè Engelholmiæ ad duas ſolùm horas ſubſiſtentes, inde in Sialandiam conceſſerant. Comes autem receſſit Båthſtadium & inde Skottorpium, ob inopiam pabuli, in magna aëris ſiccitate. Ibi literas à Rege accepit de imperio militiæ domeſticæ terra mariqve ſibi commiſſo. Hinc in Scaniam reverſus, iter perſeqvitur circa templum Karopianum, trans Hallandiæ montes, & ad veſperam pagum Erarpum adſeqvitur non procul Engelholmia ſitum. cui hoſtis excubiæ, in colle arenario poſitæ, ad Comitis adventum, magis appropinqvabant. Comitis autem excubiæ anteriores iſtum collem occupabant. Simulac pons ſupra amnem refectus erat, exercitus eum tranſiens caſtra figebat ad pagum. Ex dicto colle arenario caſtra hoſtis & conſpici, & LX. tuguria numerari poterant. Cognito verò Comitis acceſſu, hoſtis exoneratis tribus tormentis ſignum dedit, egreſſus caſtris cis urbem, acie ordinata. Sed imminente nocte, nihil, niſi velitationes qvædam inter excubias proceſſere. Poſteri diei mane Comes ſe cum eqvitatu ſiſtebat in campo & hoſtem ſalutabat, exploſis duobus tormentis. qvo facto, anteriores excubiæ hoſtiles ſtationem ſuam deſeruerunt. Comes verò per pagum Rippelsbergam prope urbem ſitam cum eqveſtribus copiis commeans, adverſus hoſtem exibat, prælii copiam ei facturus. Præmiſſis etiam præcurſoribus, duas validas hoſtis anteriores excubias ita urgeri fecit, ut præcipites trans Engelholmiæ amnem propellerentur. Atqve licet in tranſitu amnis haberent rotundum collem aqvâ circumfluum, aptum defenſioni locum; tamen hunc qvoqve dereliqverunt. Progreſſi paulò ulterius ibiqve ſiſtentes, tormentorum campeſtrium aliqvot ictibus acti ſunt in urbem. Sed dictum collem circumfluum Comes à centurione la Chapel circumvallari, & à centum ſclopetariis inſideri juſſit. Reliqvum diei velitationibus & mutuis tormentorum fulminibus conterebatur; etſi cum exiguo Sveticorum detrimento.

mento.

mento. Interea hoſtis ſuas ſarcinas convaſabat & Helſingburgum mittebat; caſtra verò promovebat propius noſtratium caſtra, hoc ſolùm agens, ut illis præpediret tranſitum ad ſeſe. Cæterum noſtrates penuriâ commeatus Laholmiam regredi coacti ſunt, & qvidem hoſti inobſervati. Poſt aliqvot dies, occidente ſole, cum CCC. eqvitibus in noſtrates effuſi, acriter urſerunt anteriores excubias Sveticas LX. virorum. poſt tres tamen velitationes tandem repulſi ſunt. Seqventi die hoſtis cum toto exercitu ſe oſtendit, & propius caſtra Comitis, jam aggere & foſſis munita ab hoſtibus ad mille ſolùm paſſus diſtantia, acceſſit. Sed ibi non niſi levibus præliis concertatum eſt, cum nullâ non utriusqve, ut ſolet, jactura. Defatigato noſtro militi, qviete & refectione aliqva opus eſſe videns Comes, Halmſtadium recreandi ejus cauſa ſe contulerat. Interea ſummus vigiliarum præfectus Haraldus Stake, ex Weſtrogothia ſecum aliqvot ſigna eqvitum & peditum adduxerat; qvibus ſibi adjunctis decreverat Comes Petrus Brahe hoſtem invadere, & liberationem Halmſtadii ab hoſtis obſidione experiri. Sed hoſtis, comperiens Sveticis auxilia adveniſſe, inde Laholmiam diſcedit. Ubi in foro ſuggeſtum tormentis excitat, cœmiterium vicem propugnaculi capit, pontem ſuper Lagam fl. ſternit, & utrinqve receptaculo (*reductu* vulgò) munit. Ex ulteriori ſuggeſtus parte Sveticum munimentum tormentis verberat, exiguo tamen præſidiorum damno, fidâ curâ præfecti Waſenbergii. Dein ſigno utrimqve tormentis dato, hoſtis cum toto exercitu inopinatò invehebatur in CCCL. ſclopetarios, ductore Jacobo de Hargen; qvos Comes primo ſuo adventu ad pontem Genevvadh ejusqve tranſitum tuendum collocarat. Qvum autem hoſtes omni eum vi urgerent, qvam initio ſtrenuè retundebat, ſed ultimò impari Comes ſuccurrit, Comiti rei tormentariæ præfectus: inde gravis pugna ſurgere cæpit, qvæ inter ferro diſceptantes de tranſitu, ab hora qvarta pomeridiana ad decimam nocturnam producta fervebat. Hoc tamen emolumenti præ hoſte Comes habebat, qvod ventus & pulveris tormentarii fumus ipſi ſecundi, hoſti adverſi in oculos ferebantur; & pleriqve ejus ictus ex editiori loco vibrati, innoxii transvolabant. Tandem, Deo adjuvante, hoſtis coactus eſt Sveticis tranſitu concedere, nec absqve utriusqve ſtrage; majori tamen hoſtis, uti creditur. Poſtea Sveticorum qvædam, præſertim Nobilitatis eqvitum ſigna, ad Knæheredh non procul Halmſtadio in Hallandia, à Danicis in fugam ſubitò pellebantur. Res ita ſe habet, ut ipſe Comes Steenbock Campi Mareſcallus ad Comitem Petrum

Brahe, ex Draheredh a. d. VII. Octobr. hujus anni perſcripſit. Qvum dictus Comes Guſtavus Otto Steenbock cum ſuis copiis iter ex Knåheredh Halmſtadium intenderet, præmiſſæ turmæ ad diverticula viarum, in tranſitu conſpexerunt hoſtem cum juſto exercitu appropinqvare. Nec mora, dum diſploſis contra ductorum imperium à milite ſcloppetis, non pauci transcurrerunt ad hoſtem, eorum fugam Barone Guſtavo Banerio & Drakenbergio fruſtra ſiſtere conantibus. Sed & duæ centuriæ Nobilitatis eqvitum, mercede ex opificum vulgo, ut ferebatur, magna ex parte conductorum cum ſuis ſignis per dimidium milliare receſſerunt ad viam publicam & impedimenta ſua. Hoſtis ea re ex colle viſa, fugitivos perſeqvutus, duo ſigna ſtataria, unum Nobilitatis eqvitibus, alterum Uplandicis abſtulit. Siniſtræ vel alæ poſteriora agmina & pedeſtres copiæ, tormenta ſeqvi juſſæ, ob anguſtas iſtius loci vias, non tàm repente qvàm neceſſe erat, accelerare iter, & ſubvenire noſtratibus poterant. Unde hoſtis, noſtratibus validior, pergens, etiam colle, qvem præteribat, ducentos ſclopetariorum Sveticorum expulit. Nec res majori periculo vacabat; niſi Comes Steenbock, vir ſtrenuus & vigilans, acceptâ legione tribuni Svinehufuudh & optionis Påſvenfeldt, cum aliqvot tormentis, & opportunè ſuperveniente ſiniſtra ala cum parte dextræ, repreſſiſſet vim hoſtis, velitatione utrimqve ad ſeram usqve diem protracta. Tenebris ingruentibus, Svetici ſervatis ordinibus ſe in tuta receperunt. In hoc conflictu tribunus Ribbing, præfectus vigilum Lilliehök, thorace ferreo inaurato conſpicuus, & protribunus Hård pro patria fortiter occubuerunt; magiſtri eqvitum Kuhlbars & Baggehufvudh capti ſunt; hic autem paulò poſt deceſſit. Tribuni militum Drakenberg & Morath icti ſunt, ſed non lethaliter. Ex gregariis pauci cæſi, pleriqve vulnerati ſunt. Hoſtium præcipui chiliarchus Koos & Comes qvidam vigiliarum præfectus, cum tribus optionibus, præter gregarios cædebantur; ita ut noſtratium clades non multum excederet hoſtilem; etiamſi hoſtis viribus eqveſtribus ſuperaret Sveticas. Comes Petrus Brahe cum aliqvot copiis per Hallandiam in Weſtrogothiam abit, hoſti, cujus ductor erat ſtrenuus Ivarus Krabbe, & ex Norvegia iſtuc irruperat, occurſandi conſilio. Dehinc Comes qvietis alicujus cauſa digreſſus Wiſingsburgum, defenſionis in limite regni ad Norvegiã negotiũ commiſit rei tormentariæ præfecto Comiti Erico Steenbock; qvum ipſe reliqvis ſuis eminentibus meritis, etiam patriæ in limite regni pro virili ſua parte defendendæ decus addidiſſet. In finibus regni, ad latus Norvegiæ firmabatur præſidiis

pro-

propugnaculum Froſiö, ex qvo totius Iemptiæ defenſio fermè pendebat. Hanc tamen operibus clauſam, Georgius Bille exeunte Novembri ſub Regis Daniæ poteſtatem redegit; Jona Andreæ ei præfecto, ad hoſtem reprimendum minus potente, & obſeſſis aqvæ penuriâ laborantibus. Rei tormentariæ præfectus Ericus Steenbock, adminiſtratione belli in Norvegia ab ipſo Rege accepta, cum Haraldo Stake, viro ad exſerendam, qvàm jactandam virtutem promptiore, deliberavit & decrevit de impreſſione in hoſtile ſolum facienda, & diripiendis munitionibus ad Hiertom & Kiöpingam, ad excurſionem in Sveciam & receptum Norvegorum extructis. Qvod feliciter ſucceſſit, ejectis præſidiis, & caſtellis exuſtis. Eodem tempore non ſolùm confoſſus eſt eqvus ſub Haraldo Stake, qvæ facilis erat jactura, licet non absqve periculo vitæ ſeſſoris; ſed qvæ major fuit jactura, tribunus militum Johannes Stake, Haraldi agnatus, à proprio miniſtro, qvi transfugerat ad hoſtem, ſceleſtè & nefariè proditus & obtruncatus eſt. Rex Boruſſiâ decedit, Fratre iſtic ſuo, Principe Adolpho Johanne, ad defenſionem illius provinciæ cum neceſſariis copiis relicto. qvam etiam Princeps ad biennium pro virili, eaqve dexteritate, qvâ poterat, ſuſtinebat. Rex inſuper conſtituerat duos delegatos, Comitem Benedictum Oxenſtierna & Comitem Slippenbach, inſtructos ſufficienti mandato & poteſtate agendi de pace, ſi Rex Poloniæ ad eam feriò propenſus eſſet; vel cum Boruſſiæ ceſſione, ſi neceſſe foret. in qva re tamen tempora & momenta conſiliorum pro ſua prudentia, jam ſatis perſpecta, obſervarent. Abit autem inde Rex cum qvinqve millibus eqvitum, tribus millibus circiter peditum: qvod Boruſſia pluribus ſepta munimentis & rebus cum Electore Brandenburgico, ita, ut notum erat, comparatis, iſta loca eqvitatu non adeò egere videbantur. Præmiſſo verò cum aliqvot copiis Comite Palatino Sultzbachenſi, Rex primò in Pomeraniam, ut iſtic neceſſaria conſtitueret, & inde in Holſatiam properabat, adventus ſui famã præventurus. Exercitui tamen ad ſe recreandum ab itinere aliqvot dies prope Hamburgum in pago Ottenſenio dedit. Interim ut aliqvot navigia adducerentur fecit, qvibus copiæ in Ducatum Bremenſem transveherentur. Iſtic enim hoſtis, trajecto Albi, cum novem millibus militum & XL. tormentis, jam Bremerfördam, urbis præfecto, irrita auxilii ſpe, fruſtra locum tutante, præter aliqvot caſtella, Geſendorfianum & Leherianum, occupatat. Proinde Rex neceſſarium duxit, eò mittere Comitem Carolum Guſtavum Wrangel, provinciam Bremenſem, qvantum poſſet ab hoſte vindicandi ac tuendi conſilio. Qvod etiam proſperè evenit: ut brevi absqve gravi diſpendio Sveticarum copiarum, omnia caſtella recuperaret, excepta Bremerförda:

(cujus obſidio ne majora remoraretur, Aſchenbergio commendabatur, & pace factâ Svedis reſtituebatur) hoſtiumqve tria millia partim profligaret & in fugam averteret, partim caperet. Interea Rex ab hac parte Albis non ceſſavit, ſed in Holſatiæ interiora magis penetrans; & providens, ne Danicæ turmæ, qvæ ſeparatæ erant, ſe conjungerent, tria caſtella ad Elmenshorniam expugnavit. Inde perrexit Itzehoam, Stormariæ urbem, prope qvam aliqvot mille Dani caſtris locum ceperant, qvæ Holſatiæ pro muro & propugnaculo contra Svedos eſſent. Urbs iſta, qvum oblatam amicis conditionibus à Rege deditionem præfectus ei facere nollet, & tamen per ſe parum munita Sveticis obſiſtere aut ſe ſatis tutari non valeret, Rege in ultionem excandeſcente, aſſiduis tormentorum ictibus & globis ignitis accenſa, pertinaciæ pœnas reddens, flammis deflagravit, ita ut vix, uti fama erat, duodecim ædes ſalvæ remanerent. Effugerant etiam urbe incolæ, præcipuis ſuis facultatibus Crempam & Gluckſtadium, bene munita oppida, translatis. Ad famam enim Regis in Holſatiam irruptionis, incolas tantus terror invaſit, ut pars in vicinas munitas urbes, pars in Juthiam, pars in prævalidum munimentum Fridericſuddam, pars in Fioniam dilaberentur. qvo Rex hoſtem veſtigio ſubſeqvutus, tam Iuthiam, qvàm Holſatiam ſibi ſubjectam ac tributariam fecit. Dum Rex ad ſocerum ſuum paulum animi & viſendi cauſa excurſurus Gottorpium, in itinere adhuc verſatur, ex Dania ad eum venit Electoris Brandenburg. Legatus Evaldus Kleiſt, *proponens qvædam de pacis negotio inter utrumqve Regem, Svetiæ & Daniæ, tentando. Simul offerebat Regi Electoris ſui nomine omnia huic rei accommoda officia & interpoſitionis partes.* Rex ei reſpondebat: *Qvam propenſus ſemper ad pacem fuerit, ipſum Legatum ſatis ſcire, qvi pars tractatuum in Dania cum Regio iſtic delegato fuerit, & qvàm promtus ad omnes conſervandæ pactionis Brömſebroënſis, & ſtabiliendæ ſinceræ inter utraqve regna ſeptentrionalia amicitiæ modos. Sed qvum Rex Daniæ omnes pacis vias repudiaverit, & regias tam in Germania, qvàm Sveciæ regno provincias belli flammis infeſtarit, Regem coactum fuiſſe, tantâ cum impenſa & damno huc movere. Qvum verò res non amplius integra, ſed in alio ſtatu ſit; atqve Elector non ſolùm non convenienter pactis Pruſſicis egerit, ſed etiam æqvè ac alii Imperii ſtatus, vi Inſtrumenti Pacis ſe obligatum eſſe norit ad tuendum Regem in conſervatione pacis Oſnabrugenſis: Ita Regem bonam de eo fiduciam fovere, qvod hoc ipſe ſeriò penſitaturum, communiqve conſilio & ope cum reliqvis Imperii membris eò collaboratum ſit, ut regiæ in Germania provinciæ ab hujuſmodi violentâ invaſione liberentur. qvo facto, Regem haut alienum fore à tractanda per bonos amicos pace, & omnes vias libenter initurum, qvæ ad ejus promotionem facere poſſint.*

ſint. Qvum paucos dies ſocero Gottorpii dediſſet, deſiderio flagrabat ſciendi, qvid claſſis ejus in mari adverſus hoſtem poſſet. Qvippe commodiſſimum reputabat, in hujusmodi temporum conditione propius adeſſe, ad mandata de rebus militaribus terrâ mariqve danda. Proinde ex Juthia, ubi caſtra Rex habuerat, directione eorum Wrangelio relicta, Wiſmariam profectus eſt: qvo regia claſſis, poſt prælium cum aliqvot Danicis navibus, inprimis Elephante, vehemens nec infelix ad Mônam inſulam, tunc appulſa dicebatur. Hinc Rex abiens Flensburgum (nam & hanc & vicinas urbes Haderslebiam & Coldingam jam occuparat) in itinere obvios habuit Belgicæ fœderatæ legatos. Illis Senatum dare, vel admittere Rex ipſe prius noluit, qvam offenſæ ejus placatæ & compoſitæ eſſent, qvæ erant de Regi Sveciæ prohibita apud Batavos militum conductione, & incluſis ejus miniſtris; de Rege Daniæ contra ſe ab illis milite & opibus adjuvari cæpto, & de oratore Regis apud Batavos reſidente; qvem detrectarant velut ineptum ac inutilem, ideoqve in Svetiam ex eorum ſententia revocandum; imò plectendum eſſe: qvod eorum ſtatum, ut ferebant, calumniatus eſſet & circumveniſſet: dum arcana qvædam eorum conſilia, qvæ ſcire Regis intererat, reſciſcens, Regi bonâ fide patefecerat. Rex, præter cætera etiam injuriam oratori ſuo factam, regiam amicitiam & exiſtimationem qvodammodo lædere judicans, illud non diſſimulavit, atqve oratorem patrocinio ſuo protexit, qvod Oratoris fidei erga Regem integræ inſigne teſtimonium erat. Legatis itaqve ſcripto ſignificavit: *Qvamvis eorum amicitiam dignè æſtimaret, tamen qvæ ei pugnarent, iniqva ab illis profecta ad animum revocare, & ut idonea huic rei remedia adhiberent, cupere.* Illi qvidem reſponſo ſe purgatum ibant, ſed parum ex decoro rem agere viſi, Regi non ſatisfaciebant. Tandem, placatis utcunqve offenſis, & Regis in rebus agente in integrum reſtituto, ad audientiam qvidem admiſſi ſunt, non tamen ad compoſitionem, vel mediationem, qvam vocant, nomine Ordinum in negotio tractandæ cum Rege Daniæ pacis. Qvum autem Elbingenſis negotii conſummationem & elucidationem urſiſſent, Rex conſtituit delegatos Comitem Benedictum Oxenſtierna, Matth. Biôrnclou & Petrum Julium Coyet. Sed re irrita, Wiſmariæ de eadem re per Stenonem Bielke & Coyet actum eſt. Poſtea, qvum Flensburgum legati veniſſent, prius, qvam cum illis tractaretur, Rex ſcire voluit: *qvo in loco res ejus eſſent cum fœderatis Ordinibus; num Elbingenſem tractatum ratum habere velint, an minus, anteqvam ſuper oblatam ab illis compoſitionem mentem ſuam exponere, vel in elucidationis opere pergere poſſit. Si enim decenter, & intra præfixum diem à tempore fœderis numerandum ratihabitionem expromerent, Regi trade-*

traderent, atque præſtanda præſtarent, Regem qvoad compoſitionem ſe ita comparaturum, ut nullam conqverendi cauſam haberent; eisqve in elucidationis opere ita manus porrecturum, ut effectum dicti tractatus re ipſa ſentire fruiqve poſſint; ſic tamen ut id publicæ Regni utilitati fraudi non eſſet. Qvin Rex animum ſuum adeò exſeruit, ut profiteretur, *ſe Elucidationis continuationem permiſſurum, etiam ante expromptam ratihabitionem, ſi duntaxat prius certus & confirmatus eſſet, qvod Legati eam in decenti formâ conceptam in manibus haberent: ut ita deprehenderet Ordinum Bataviæ ſeriam contrahendi ſecum fœderis mentem.* Qvum autem Rex ex diverſis relationibus certò accepiſſet, Ordines Hollandiæ non obſcurè præ ſe tuliſſe, *ſtatus eorum maximè intereſſe, ne Daniæ ſalus periclitaretur; aut ut æqvilibrium inter utrumqve Regem Svetiæ & Daniæ teneretur,* tractatus ratihabitionem eò magis urſit, non ſolùm apud delegatos Hollandiæ hîc præſentes, ſed etiam apud ipſos fœderatos Ordines, per delegatum ſuum Coyet, virum rerum civilium, ſtatus patrii & exterorum, præſertim Batavorum, peritum. qvi ea cauſa etiam ad Batavos poſteà miſſus eſt: *ut Regi conſtare poſſet, num ejus fœderati vel indifferentes amici, vel hoſtes eſſe vellent; ac Rex in tempore inde conſilium capere poſſet.* Legati Batavi Elucidationem præmitti nihilominus deſiderabant, variis eluſionibus, prætextibus & exceptionibus hactenus protractam: ut tempori, & rebus ſuis ac Danicis interim velificarentur. At Rex eorum verſutiam in uſum ſuum vertens, cum illis tractationem tunc ſtudio abnuit: ut ratihabitione non tradita, ſub prætextu nondum compoſitæ ab ipſis elucidationis, à mediatione, qvam vocant, aut conciliatione Sveo-Danica arcerentur: qvod partibus Daniæ nimis ſtudere viderentur. Illi verò, qvum pax Roſchildenſis fieret, ejus exſeqvutionem per delegatum ſuum Beuningium in certis capitibus, qvæ in ſui præjudicium vergere exiſtimabant, impeditum ivere; de qvibus, qvum ad Pacem Roſchildenſem devenerimus, plura dicentur. Anno ad finem decurrente, Rex, ne qvid ulteriori progreſſui obſtaret, præter Alſenam inſulam poſt ſecundam expeditionem, Sunderburgum & alia loca ſuo tempore occupata, ſed poſteà ab hoſte recuperata, inſigne illud munimentum Fridericiuddam in Iuthia meridionali ad minus fretum Balthicum ſitam per Wrangelium feliciter expugnavit; qvod in hunc modum accidit. Qvum Rex Wrangelio militiæ præfecto aliqvot centuriarum pedeſtrium ſubſidium ductore Ferſenio, qvi continuo itinere ex urbe Varſavia eò advolarat, in caſtra ſubmiſiſſet, cum mandato expugnationem Fridericiuddæ periclitandi; Wrangelius poſtqvam opera, vallum, inprimis qvâ parte oppugnatio munimenti commodiſſimè ſuſcipi poſſet, per fidos ac peritos homines, qvi noctu mani-

bus

bus pedibusq; munimento arrepentes, omnia ſcitu neceſſaria ſedulò obſervarant, accuratè prius perveſtigaſſet, habito conſilio militari, tandē poſt varias ultrò citroq; diſceptationes, & maturas conſultationes a.d. XXIV. Octobr. noctu ante diem, nihil tale tunc exſpectantibus præſidiis, caſtelli expugnationem tribus locis moliri aggreſſus eſt. Primò ſteterat, ut ipſe Wrangelius duo propugnacula, proximè ad aqvam è regione freti Middelfartenſis ſita, adſcitis ſibi copiis pedeſtribus Comitis Nicolai Brahe, Petri Sparre, Ferſen & Spenſe, eqveſtribus verò Principis Anhaltini legionibus Uplandicis & Weſtrogothicis, cum rei tormentariæ præpoſitis adoriretur. At Comes Jacobus de la Gardie cum ſuis qvatuor cohortibus juſſus erat proxima colli patibulario duo propugnacula attentare. Fabianus Berends cum tribus legionibus eqvitum appropinqvare foſſæ in mandatis habebat: ut ſimul ac tertia aggreſſio, à deſtinatis ei rei eqvitib9 Oſtrogothicis, Anhaltinis, Darmſtadienſibus, Croienſibus & Aſchenbergicis facta eſſet, ille cum ſuis impreſſionem in munimentum faceret. Omnes autem copiæ dicta nocte, cum tuto ſilentio in ſuis ſingulæ ſtationibus ſe tenentes, indicatam horam matutinam avidè exſpectabant. Ea inſtante, & ſigno oppugnationis, villâ in proximo pago incenſa, dato, unà cum teſſera militari, *Adjuva Jeſu*, & faſciculo ſtraminis, ad amicos ab inimicis diſcriminandum, pileis impoſito, totus prorupit exercitus. Comes autem Wrangel XIII. fabros cum aliqvot inferioris loci ductoribus præcedere, & ſudes valli ad viam eqviti faciendam recidere juſſerat. Eos ſeqvuti ſunt rei tormentariæ curatores cum CL. pyrobolis manuariis & L. peditibus, qvi in juſſis habebant dimidium propugnaculi ad undas ſiti ſuperare; qvos Comes Nicolaus Brahe & Sparre cum ſuis copiis intrepidi atq; primi vallum ſcandentes, ſubſeqvebantur. ſed propugnaculum ad ſiniſtram tribunus Spenſe animoſè adſcendebat. Dum autem milites in eo erant, ut ſuperarent vallum, Princeps Anhaltinus cum ſuis legionibus eqvitum, duos ordines ſudium, à propugnaculo ad undas usq; protenſarum, præteribat, animo à poſtica parte in propugnaculū penetrandi; ſed qvū ad tertium ordinē perveniſſet, aqvam nimis profundā nec tranſitu facilē deprehendit. Idcircò qvosdam eqvitū eqvis deſcendere, & foramine ſecuribus per ſudes facto in caſtellum irrumpere mandavit. Qvo peracto, obvias hoſtiles copias è medio ſubmoverunt. Inde reliqvæ pedeſtres & eqveſtres Svecorum copiæ, ſuperatis hinc inde propugnaculis, ductoribus Comite Jacobo de la Gardie & Fabiano Berends, portis patefactis irruebant, ſtrenuè qvidem ſed incaſſum defenſante munimentū hoſte, inprimis Regis Daniæ Mareſcallo Andr. Bille vulnerato. Sic unâ expugnatione noſtri validū illud munimentū qvinq; mil-

lium præſidio, ut ferebant, inſtructum, invaſerunt. Re deſperata pleriqve ducum hoſtilium ad minus caſtellum receptum petivere, conſilio inde per fretum in Fioniam tranſeundi. Sed reflante vento, nolentes volentes iſtic ſubſiſtere, & præter bis mille hoſtium occidione cæſos, dictus Andreas Bille & Magnus Hök R. Danici Senatores ſe fidei noſtrorum permittere coacti ſunt, præter ingentem numerum captorum, & inter illos qvi cum dignitate aliqva erant, & magnam vim annonæ, ſignorum ac L. tormentorum occupatam. Sed & ſummus vigiliarum præfectus Bodeker felicem excurſionem in partem provinciæ Alburgenſis Venſiliam fecit, tribus caſtellis iſtic vi occupatis; præter alia alibi capta. Qvamvis autem Rex Galliæ, Angli & Batavi per ſuos legatos de pace inter Regem Sveciæ & Daniæ concilianda agerent, & noſter Rex, ut ad ſerio & ſeorſum cum Rege Daniæ de pace non infidâ tractandum ſe paratum eſſe oſtenderet, duos ſuo nomine delegatos Comitem Corfitium Ulfeld & Baronem Stenonem Bielke conſtituiſſet; tamen Rex Daniæ non ſatis tunc propenſus erat ad ſeparatam & peculiarem cum Rege Sveciæ compoſitionem; ſed hujusmodi pacem volebat, cui & ipſe & fœderati ejus omnes ſimul includerentur: qvod ſic inter eos conveniſſet. Nec illam Rex prorſus improbabat, ſi rite inſtitueretur, uti publicis ſcriptis ac literis declararat. Cæterum qvum admodum intenſo frigore Deus glacialem pontem per utrumqve fretum Balthicum ſtraviſſet: qvo ſuperato, Rex arma ſua in ipſum velut cor provinciarum Regis Daniæ deſtinarat, & Fioniam occuparat: hoc demum ad pacem obtinendam profecit; uti ad ſeqventem annum fuſius memorabitur. Qvum Poloni ductore Gonſefskio urbem Rigam obſidione urſiſſent: qvod, dum noſtri in Dania ſatis negotii habebant, nihil ſubſidii urbi à Svecis ſperandum crederent, eòqve certi deditionis eſſent; ecce inopinatò Riga bis millium auxilium Wiſmariâ à Rege accepit. Unde præfectus urbi Helmfeld, hoſtem trans Dunam ex adverſo urbis ſtantem, mille cæſis, ab urbe repulit. Sic Riga ab hoſtium obſidione, Dei tutelâ, Regis curâ, præfecti ac militum vigilantiâ ac virtute iterum liberata, incolumis viget. In Norvegia & Dania hoc anno res feliciter Regi Sveciæ evenerunt. Qvippe qvum campi Mareſcallus Guſtavus Otto Steenbok Comes ex Scania, & ſummus vigiliarum præfectus Comes Guſtavus Oxenſtierna conjunctim ex Vermelandiæ finibus agmina adducentes, decreviſſent hoſtem ad Oddevalliam tunc ſtantem adoriri, præmiſerunt Haraldum Stake cum duobus ſignis eqvitem & duobus ſignis deſultorum, ad recognoſcendum hoſtem. Sed qvum ille nihil certi & explorati de hoſtis ſtatione & viribus comperire

poſſet

poſſet, omnibus obviis pagis qvolibet colonorum, qvi in colles aut aliò refugerant, vacuefactis; viſum eſt, oppidum, etſi ſudibus & munimento ſatis incinctum & tormentis inſtructum, tentare. Nec alea ſic jacta infeliciter cecidit: dum ſudes ſecuribus concidentes eqvites, utut tormentis petiti, tamen absqve ullius jactura, oppidum occuparunt, aliqvot civium ac militum captis; ex qvibus cognoverunt Krabbium priori nocte inde ad pontem Qviſtrom diſceſſiſſe. Redeunte Haraldo Stake, placuit præfectis caſtrorum alia via, nimirum inter fines Aggershuſiæ & Norvegicum exercitum in Norvegiam incurſionem facere, ad præpediendum auxilia qvæ Krabbius exſpectabat. Sed ille, rogis in ſignum adventus Sveticorum accenſis, hinc qvoqve Hallam abit. Sveticis eum perſeqventibus & poſteriora agmina carpentibus, ſed Hallam absqve tormentis & majoribus pedeſtribus copiis adoriri non valentibus (poſtea tamen ſuburbio capto & incenſo) interim dicti præfecti caſtrorum præfecto munimenti Oddevallæ deditionem imperant, eorumqve ſe arbitrio tradere cogunt. Qvum hoſtis impresſionem in Bahuſiæ ditionem cum VIII. M. tentaſſet, præfectus ditioni eum, collectis aliqvot agminibus, animoſè repreſſit, tribus ſignis ſtatariis ei abreptis, & XXX. captis, præter apparatum belli occupatum, & non ſimplici vice bis mille cæſis. Poſtqvam Rex in Holſatia Kilonium conſcripſerat præcipuos 1658
militiæ præfectos: ibi cum iis de nova expeditione in Fioniam & ad eam neceſſariis conſultavit & decrevit; ſive frigore jungerentur freta ſive non. In omnem enim eventum claſſem, qva copias transmitteret, etiamſi frigus non intenderetur, in promptu habebat. Ibidem capite Legationis in Poloniam, de pace tractanda, ante conſtituto Comite Magno Gabriele de la Gardie, tunc Regni Theſaurario, nunc R. Cancellario, non ſolùm ſupremâ Regis voluntate, ſed etiam omnium R. Ordinum communi conſenſu creato, qvin à Deo & naturâ ad id facto; cui adjuncti erant Comes Benedictus Oxenſtierna & Comes Chriſtoph. Carolus Schlippenbach, R. Senatores, & Andreas Gyllenclau, Regius Conſiliarius ſtatus & per Pomeraniam regiam regiminis & juſtitiæ Præſes, eum Rex præmiſit Kilonio in Poloniam. Ubi ſe Rege Galliæ interponente, per legatum ſuum Antonium de Lumbre, dein in Poloniam qvoqve, poſt biennium, qvo exſpectarant fidei publicæ literas à Polonis & Cæſarianis, & tandem in debitâ forma ſcriptas acceperant, Legatus profectus Comes Magnus, cum eodem & collegis ſuis, atqve Regis Poloniæ legatis in Inſtrumento Poloniæ nominatis, providè ac ſedulò collaborantibus, non modò cum Rege Poloniæ, ſed & Cæſare ac Electore Brandenburg. fœderatis, à morte Regis omnibus diſſidiis compoſitis & ſopitis, optatam pacem, à CAROLO ſucceſſore confirmatam,

dextrè ac feliciter confecit: de qva ſuo loco. Inde Rex ſe confert Got torpium,ad faciem aëris ac tempeſtatis præſtolandam; GottorpioFlensbur gum: ubi Aſchenbergicam & Weimarienſ. legiones è Ducatu Bremenſi ex ſpectabat. Qvæ qvũ adveniſſent,Rex abit Haderslebiam. Qvum verò inſve ta vis frigoris utrumqve fretum Balthicum ita glacie vinxiſſet, ut etiam ma chinis ac militi ferendis duraſſet; ne tamen Rex ſe & ſuam ſalutem, qvæ o mniumSveonum erat,ne tot fortium virorum ac militum capita glaciei non ſemper fidæ temerè periclitanda committeret, aliqvot ex ſuis nec ſimplic vice emiſit,qvi ejus craſſitudinem ac ſtabilitatẽ diligenter explorarent. Ha ſatis explorata,Rex nihil cunctatur, ſatis prudens, in occaſione belli dextrè feſtinatâ ſæpè plus ſitum eſſe,qvam in intempeſtiva & tardâ virtute; in tem pore in pago Amsleto,inter Haderslebiam & Coldingam, ubi ſtationem ce perat exercitus,copias recenſebat. Qvum accepiſſet,tribunum hoſtilem See ſtedh cum duobus Alefeldis & copiis ſuis ad littus ſtare, noſtros excipiend animo,eò tribunum Bormannum cum primis agminibus præmiſit. Interim ipſe ordinat aciem ad Brandsöö,prope fretumBalthicum minus; Marchionẽ Badenſem & Comitem Tott pro dextra, & Fabianum Bernds pro ſiniſtra ala eqvitum conſtituens; ſed pro pedeſtribus copiis Comitem Jacobum de la Gardie cum vigilum præfectoWavaſore.Qvum autem aliqvanto tardius ac- cederent pedeſtres copiæ,qvod iſto mane unius cum dimidio milliaris iter confecerant,& chiliarcha Bormannus ſignificarat,hoſtem plures contrahere turmas,accepturus mandatum Regis de impreſſione facienda, vel pluribus ſubſidio exſpectandis,Rex Comitem Wrangelium propius adverſus hoſtem dextram alam admovere,è re eſſe cenſuit; ſed ut ipſe paulum ſubſiſteret tam ad opperiendum pedites,qvam ſi hoſtis ſe fortè movens promontorio, ſuas copias ad latus Holſatiæ ſubductum iret,ipſum occurrendo prævenire & op- primere poſſet. Sed dum conſpiciebatur hoſtis promontorio decedere, Rex etiam movebat ſiniſtram alam ex Brandsöenſi inſula. Poſtqvam in eo eſt,in via accipit nunciũ, Wrangeliũ jam manus conſeruiſſe cum tribuni Seeſtedh turmis,easq; profligaſſe,capto ipſo tribuno cum omnibus legionis ductori- bus: reiq; teſtandæ,Regi duo ſigna ſtataria confeſtim obviã mittebat.Eò cõ- tentius Rex properat tranſitũ,& adventans deprehendit præfectũ militum Jönſſiũ,qvi apud hoſtẽ vices Chriſtiani Ulr.Gyldenlew tunc ægroti ſuſtine- bat,cum XX.unâ centuriis eqvitũ,CL.deſultoribus,& IV. tormentis ad ſilvã Fioniæ ſatis commodo loco in aliqvot conſeptis dumetorũ conſiſtere: qvẽ Wrangelius jã adoriri deſtinarat.Sed Rex dextrã alã ita dividebat,ut primas turmas cũ IV.ex priori cõflictu cohortibus Wrangelio traderet,ipſe reliqvas

Mar-

Marchionis Badenſis & Tottii retineret; in mandatis dans Wrangelio, ut tantiſper prope undas ad dextram ſe teneret, donec Rex cum ſuis copiis à tergo circumiret hoſtem, animo ſic Jönsſium, callidum & rebus bellicis exercitum virum, cum ſuis circumfundendi & concludendi, ut pauci evaderent. Qvum verò Rex obſtantia virgulta, & qvidem in conſpectu hoſtium penetrare cogeretur, interim in campo Marchionem ad ſiniſtram tres cohortes continere jubet: ut ſeipſum medium inter Marchionem & Wrangelium cum qvatuor cohortibus ſiſteret. Ita inſtructa acie Marchionem in hoſtem invehi jubet. qvod tam acriter ac feliciter aggreſſus eſt, ut in primo congreſſu qvatuor hoſtiũ cohortes funderet. Mox etiam in adverſum hoſtem cum ſuis ruit Wrangelius. Cæterum hic infelici fato fracta & ſubſidens glacies & Waldecenſi & Königsmarchiana legionibus, duas centurias aqva abſorbſit: unde reliqvis unà cum Bormanni legionibus pugnæ locus non dabatur. Qvum autem hoſtis videretur moliri irruptionem in latus legionum Wrangelii, Rex Comitem Claudium Tott paratum eſſe iuſſit cum Uplandicis copiis ad ipſi ſuccurrendum, ſi neceſſe foret: qvod ille promtè exſeqvutus eſt. Reginæ verò legio prætoria, ductore Lybeckero protribuno, jam ſola hoſtis reliqvias campo expulerat. Tandem deſultores hoſtium circumventi, juſſu Wrangelii arma deponere cogebantur, & Jönsſius eum recognoſcens, ipſi obvius ſe ultrò dedebat. Hoc modo hoſtilis ille exercitus MMM. eqvitum profligabatur, parte cæſa, pluribus in ipſo pugnæ loco aut fuga captis, ut tantùm CC. ſalvi evaſiſſe in Holſatiam perhibeantur. Rex autem inſtans fortunæ, ſine mora victoriam perſeqvebatur: ſic ut ejus beneficio totam tandem Fioniam ſub ſuam redigeret poteſtatem. Qvippe, per Comitem Tott, legionum eqveſtrium ductorem ſtrenuum, delectos plebis MD. Ifversnäſa vel fundit vel capit. Fabianum Bernds cum duabus legionibus Svvenburgum ire jubet, ad cædendum qvatuor ſigna ex Langelandia moventia, & ad explorandam inter inſulas glaciem; qvod ille feliciter peregit. Aſchenbergium cum ſua legione ad invadendum ſuperſtites ad Middelfartum emittit, qvi tamen acceptâ de ſuorum clade famâ jam inde diſceſſerant; ut & Steno Bille cum D. eqvitibus Othoniam, Henricſonius cum DC. peditibus & aliqvot tormentis ad Hönſegafuelgård, uti locum nuncupant. Qvo Aſchenbergius eum ſubſeqvutus, ad deditionem cum ſuis compulit, acceptis etiam LX. tormentis majoribus & minoribus, una cum magna vi annonæ & navigiorum. Præfectum vigiliis, ſub Wittenbergii legione Rex miſerat Othoniam: ubi offendit qvatuor ex regni Daniæ Senatoribus Gundonem Roſencrantz, Ottonem Krage, Georgium Brahe, Ivarum Wind, juxta cum Chriſtiano Ulrico

 Gylden-

Gyldenlevv, qvi omnes capti in Regis poteſtatem ſe dediderunt. At Steno Bille præfectus eqvitum in foro cum ſuis conſiſtens, etiamſi repugnantis ſpeciem præberet, tamen prima aggreſſione turbatis ordinibus, ſigna eorum ipſumqve præfectum Sveci cepere. Tandem etiam Henricus Ranzovv, unus Senatorum, ad Rensburgum, qvò confugerat, apprehenſus eſt. Nocte appetente, Rex ſtativa in pago paræciano Kongſochn, duobus milliaribus ab Ifversneſa cepit. Poſtridie Wrangelium cum majori parte pedeſtris agminis & aliqvot tormentis Nyburgum expedivit, non modò ad iſtum locum, ſed etiam qvatuor hoſtium naves, glacie iſtic attentas, occupandum, ſi poſſet. Nyburgo qvidem ſtatim potitus eſt, naves autem diffracta glacie ſolutas, & longius in altum provectas, non erat tormentis contingere. Pergens inde Rex, ſtationem & aliqvot dierum qvietem Othoniæ cepit. Iſtic qvatuor regni Senatores, antea capti, ad Regem admitti petebant. qvod poſtqvam eis conceſſum eſt, Regi ſuam de pace qværenda & à ſuo Rege obtinenda mentem aperiunt. Rex qvæ in rem viſa ſunt, reſpondet, illis in mentem revocans: *Qvàm iniqvè cœpiſſent hoc bellum, qvàm gravia inde obſtacula & incommoda ipſi enata eſſent. Qvum verò Deus juſtæ ejus cauſæ & armis patrocinatus ſit, & per varia emolumenta, maximè verò per intenſum frigus ſtraverit ei pontem, & evidenter paraverit ei viam ad hanc ultimam victoriam, per qvam Rex illis qvaſi cor tetigerit; non tamen ſe inde animo elatum mutaſſe pacis conſilia, ſed ad eam æqvè nunc atqve antea proclivem eſſe. Poſſe fortè qvosdam variis modis remoram ac impedimentum huic rei injectum ire, vel aliorum diſſidia ac utilitatem privatam ei miſcere velle; ſed ipſos, ut bonos patriæ cives, ſui regni commodorum ac ſecuritatis maximam habere rationem, fas eſſe. Se verò adhuc, ut antea ſentire, nimirum ſeparata ſeparatim tractanda eſſe, nec ullius arbitrio ſe ſubmittere velle, qvamdiu Deus ipſe vires & intelligentem utendi armis animum daret. Proinde illos ſeorſim intra clauſas fores congredi poſſe, adſciſcentes qvem vellent, & in medium qvàm optimè conſulere. Si verò qvis eorum Hafniam ire, vel alium hujus negotii cauſa ablegare velint, ipſis integrum fore: ut negotium eò melius atqve expeditius promoveri & ad finem perduci posſit.* Illi ſua excuſantes arma, ut poſſunt, reliqva de tractanda pace cum gratiarum actione accipiunt, ſimul conteſtati, *ſe ad illam per ſe ſatis propenſos, nunc eò impenſius urſuros & laboraturos, qvò lubentius Regis ſeriam de illa mentem intellexerint; nulli dubitantes ſuum Regem pari animo & ſententia fore.* Poſt aliqvot horas advenit etiam Regis Daniæ tubicen, cum emiſſo ab extraordinario Protectoris Angliæ ad Regem Daniæ ablegato Medovio, literas ſecum ferens, qvibus legatus ſignificabat: *Danos nunc prorſus ad tra-*

ctandam

citandam & intra paucos dies faciendam pacem inclinare. Jam duos ex Senatu delegaſſe Gersdorfium & Chriſtianum Scheel, ad conveniendum cum illis, qvibus hoc Rex committere velit, loco & tempore ab ipſo qvoqve definiendis. Iſtæc non poterant non grata eſſe Regi. Sed qvia ex iſtis non ſatis certus eſſe videbatur de ſerio Danorum ſtudio pacis; & multa concurrebant, qvæ hanc ei ſuſpicionem moverent, qvaſi ſic oblata non aliò ſpectarent, qvàm ad ſiſtendum ulteriores ejus progreſſus; ita Rex nihil è re ſua nunc magis fore judicabat, qvàm, qvoad fieri poſſet, uti fortunâ divinitus ſibi oblatâ: ut hoſtis arctiori neceſſitate circumventus, ad rem ſeriò agendum validius inſtigaretur. Idcirco poſtqvam Dahlberg tribunus, qvi à Rege juſſus erat indagare firmitatem glaciei inter Langlandiam & Laalandiam, nunc redierat, adfirmans ſe glaciem iſtic ſatis probaſſe, ſperabatqve ſuſtinendo exercitui fidam fore; & Wrangel idem confirmarat de Arensdorfio, militum manum iſtac trajiciente; Rex noctu ſe contulit Nyburgum, de qvibusdam cum Wrangelio iſtic agendi, & Anglicum nuncium cum reſponſo ad Legatum remittendi animo. Reſponſum fuit hujus ſententiæ: *Licet ex Danorum actionibus Rex hactenus perſpexerit, illos pacis negotium non ſeriò urſiſſe, ſed per varias ambages qvæſiviſſe ſolùm rem difficilem aut irritam reddere: qvæ Regi cauſam de eorum voluntate dubitandi præberent; nihilominus tamen, ut coram univerſo mundo teſtificaretur animum ſuum pacis amantem, ſibi non nolenti fore à Danis oblatam pacis tractationem. In qvem finem etiam à ſua parte deſignarit delegatos Corfitium Ulfeld & Stenonem Bielke, qvi cum illorum delegatis intra octiduum, vel in Spro vel Langelandia convenire poſſent, ad finiendas & ſopiendas inter hæc duo Arctoa regna controverſias ac diſſidia. Qvod ut eò citius fieri poſſit, ſe ſimul transmittere Danicis tuti itineris literas.* His ita expeditis, interea magna procella cum imbre coorta erat, cujus vi glaciem putabant reſolutum iri; præſertim qvum qvidam ad recognoſcendum emiſſi, glacie ruptâ ſubmerſi fuiſſent; præterqvam qvod æſtus etiam glaciem atterere cæpiſſet; ideò hoc conſilium pro tempore captum eſt, ut legiones in Juthiam ad priora ſua ſtativa reducerentur, præter pedeſtres copias & paucas turmas in urbe Ottonienſi collocandas. Verùm poſtqvam Rex ex qvibusdam acceperat, procellam & imbrem nive mixtum parum obfuiſſe glaciei, qvæ potius inde magis indurata eſſet; ſi Deus hyemem redire faciat, Rex animo conſtituit movere Nyburgo, & noctu ſe conferre Svenburgum. Sed iſtuc adveniens, comperit legiones inde juſſu priore regio, eadem veſpera, ductu Marchionis ad Langelandiam ſe

contuliſſe

contuliſſe, & tribunum Kruſe juſſum ire Nyburgum, errore mandati cum legione ſua iviſſe Svenburgum: idcircò Rex illo ſibi conjuncto, reliqvos per noctem ſubſeqvitur Rudcôpiam. Ubi ad ſubſeqventem usqve diem ſubſiſtebat, opperiens iſtic legiones recenſionem ſubituras. Qvum verò emiſſi ad inveſtigandum glaciei duritiem, conſtanter adfirmarent, ſatis adhuc validam eſſe, Rex mittit Lindebergium ad Wrangelium, cum mandato,ut colligat copias eqveſtres paſſim ad prædandum palantes, atqve cum illis & pedeſtribus copiis Regem ſeqvatur: qvi cum legionibus tunc præſentibus, per majus fretum Balthicum Langelandiâ movet Lalandiam. Qvum autem aliqvot hoſtium eqvites, ad Regis antecurſorum acceſſum, ſe recepiſſent in urbem Naſcoviam, uno inde lapide diſtantem, benè munitam, & MD. præſidio firmatam; & Ulrici Chriſtiani legio iſtic propinqva ferretur receptum petere in Falſtriam ac Sialandiam, Rex extemplò circa veſperam tubicinem Naſcoviam de deditione mittit. Etiamſi verò tubicen contumelioſis verbis acceptus ac dimiſſus eſſet, tamen qvum Rex tribuno Overbeqvio in mandatis dediſſet, ut circumſideret urbem, & res tam feliciter eveniſſet, ut, qvum CC. eqvites à Rege ad recognoſcendum emiſſi, CC. hoſtium pedites, Naſcoviæ ſubſidio cum VI. tormentis deſtinatos, abreptis tormentis,ad Mariæbo ſternerent, Naſcovienſes, Corfitii Ulfeld potiſſimum minis & perſvaſione, poſtero die deditionem facerent Svecis: qvi ruſticos exarmatos domum remiſerunt, & XLVIII. tormenta tàm ænea qvàm ferrea iſtic occuparunt. Interim Rex, Svantone Petri Baner cum juſtis præſidiis Naſcoviæ præfecto, pertendit, eademqve veſpera Saxcopiam, & poſtridie trajectus locum ad Falſtriam accedit, atqve ſtativa capit in pago Wolſe, legione Smalandica & aliqvot dimachis caſtra ponere juſſis in altera parte ad arcem Wordingzburgum. Poſtqvam Rex ipſe eò proficiſcebatur, tranſitus iſtic melius cognoſcendi & exercitus ordinandi cauſa, obviam ei fit Anglicus ablegatus Medovius, unà cum duobus Danicis delegatis, Gerſtorpio R. aulæ magiſtro & Chriſtiano Skeel R. Senatore: qvi venerant Haffniâ pacem Regis ſui nomine offerentes. Auditis illis & Legato, qvi etiam modeſtè deſiderabat, *Regem ſiſtere arma & fortunâ moderatè uti velle, de Danicorum ſerio pacis ſtudio ſanctè conteſtatus*; Rex ad agendum cum illis de procuratoriis mittit aulæ conſiliarium Cojet. Mox etiam poſt ſe relinqvit delegatos ſuos Comitem Corfitium Ulfeld & Baronem Stenonem Bielke apud Danos in caſtello Wordinburgenſi, ad urgendum pacis tractatum. Ipſe verò pergit iter cum copiis pedeſtribus à Wrangelio adductis & XIV. tormentis in Sialandiam ad pagum Aleslôff: cum hoſte ſub clypeo tractaturus. Inde Côgam

à præ-

à præſidiis Danicis, ad rumorem adventantium Svecorum deſertam; altero die Torslundam Maglam movet, ibidem ſtativa capiens, atq; jam ipſi Haffniæ imminebat, duorum tantum milliarium intervallo. Sanè Regem cum tanto exercitu, tot tormentis & impedimentis, per XII. milliaria mare glacie inuſitato more conſtrictum non modò tam feliciter ſuperaſſe, ſed etiam ipsâ Fioniâ, aliisqve inſulis, tam brevi temporis ſpatio potitum eſſe, multis inſtar miraculi erat; certè à vi majori ac divinâ eſſe, qvivis judicare poterat. Sed propinqvum adeò Haffniæ periculum Danos maximè percellebat. Etiamſi enim urbs munita ac præſidiis inſtructa eſſet; tamen fames in tanto hominum confluxu eò ſe recipientium, ligni penuria, & vis frigoris molas ſiſtens, non parum urbi infeſtæ atq; inimicæ erant. præterqvam qvod, tam præſenti diſcrimine omnium civium animis conſternatis, pleraqve iſtic tumultuariò agerentur: ut ſi Rex absqve morâ urbem adortus fuiſſet, haut dubiè capere potuiſſe crederetur. Sed ille moderatus ſibi ac victoriæ, pacis amorem prætulit; præſertim qvum ipſum Daniæ Regem Fridericum in ſuis ad Regem Sveciæ literis propriâ manu ſcriptis eam tam ſeriò expetere cognoviſſet. Qvod verò præter Gyldenlevv ad Regem miſſum, Ovenus Juul, regias literas exhibens, Regis ſui nomine deſiderarat mitigationem qvandam conditionum Wordinburgi oblatarum; & armiſtitium, dum de pace tractaretur; Rex hoc ſtatim recuſavit, excepto uno die & nocte, qvibus ab armis ceſſabat. Ad deſideratam autem conditionum mitigationem reſpondit: *Ipſos ſatis ſcire, qvàm graviter ab illis offenſus eſſet: non itaq; eſſe qvod mirarentur, ſi incommodorum æſtimationem inde faceret. Non tamen ſummo jure uſurum, ſed ex æqvo cum illis acturum, nec plura poſtulaturum, qvam ſtatus regni, ſecuritas & ſalus civium neceſſariò ſvaderent.* Cum hoc reſponſo ſuâ manu ſcripto Rex dimiſit Ovenum. Ita interponentibus ſe Regis Galliæ Legato de Therlons & Protectoris Angliæ Legato Medovio, Regis Sveciæ delegati Corfitius Ulefeldt & Steno Bielke, cum Coyetto & Ehrenſtenio; acta conſignante Secretario Hoghuſio; Regis verò Daniæ delegati Gerſtrupius & Scheel, Secretarii Lente & Lerke cum Conſiliario Mullero, Torſtrupii convenerunt ac de pacis articulis egerunt: qvæ tandem Roſchildiæ elaborata & conventa, à Legatis ſubſcripta, & ab utroq; Rege rata habita, atq; publicata eſt. Qvin ipſorùm Regum Fridericiburgi conventus ac præſens colloqvium, ad arctiorem conjunctionem & pacem inſigne fuit momentum: eò magis memorandum, qvò rarius eſt exemplum, ſubitò poſt bellum vix dum terminatum, hærentibus adhuc copiis Sveticis in viſceribus regni Daniæ, & animorum ægritudine nondum utrinqvè plane depoſita, duos Reges coram congreſſus eſſe,

Mmmmm &qvi

& qvi antea infeſtis ſignis ac hoſtilibus animis, nunc humanitate certaſſe. Qvid ſi alter alterius inſidiis tàm obnoxius, qvàm opportunus fuiſſet? Etenim Rex Daniæ non modò pluribus copiis prætorianis, qvæ ad latus erant, ſed etiam non paucis legionibus ex Scania Hafniam traductis valebat; qvod etiam Regi Sveciæ occaſionem dedit lentè ſuas à ſe copias dimittendi, donec tutus in Scaniam jam ſuam perveniret. Sed omnia ſalva, feliciterqve peracta fuerunt ab illis, qvi non more levium, malignarum ac plebejarum animarum, ex inſidiis ac dolo, ſed tanqvam Reges, virtute, integritate, & fide ut habitâ ſic accepta, rem agebant. Excepit Rex Daniæ Regem Sveciæ uno fermè milliari à caſtello in denſa & alta nive, deſcendentem ex curru amplexus, ſuo proprio curru exceptum fauſtâ gratulatione in caſtellum adduxit, & regio more tractavit. At ſoli Reges, remotis arbitris, mutuâ fiduciâ ac benevolentiâ provocati, multa inter ſe contulerunt, præcipuè qvæ ad firmius animorum vinculum & regnorum ſuorum ſecuritatem facerent. Tertio die Rex Sveciæ dimiſſus, à Rege Daniæ rurſus ad unum ferme milliare cum honore in iter ſuum comitatus ac deductus eſt. Veruntamen qvum iterum ſuboriri cæpiſſent non ſolùm qvædam inter ipſos, qvorum præcipuè res agebatur, diſceptationes; ſed Rex etiam cognoviſſet, inprimis peregrinos qvosdam miniſtros, ſuorum dominorum nomine, non una obſtacula ac prætextus apud Regem Daniæ, ad impediendam pacem, objeciſſe, Rex ipſe contulit ſe Roſchildiam. Qvæ illius præſentia eò valuit, ut omnia in integrum redirent, Inſtrumentum pacis concinnaretur, utrimqve ſubſcriberetur & in lucem ederetur. Qvæ etiam Ruſſum ad pacis conſilia flexit, cogitantem, Regem molem virium in illum verſurum, devoluto à ſe gravi belli Danici onere. Inde Rex ordinatis prius, qvæ in adqviſitis provinciis neceſſaria erant, Gotheburgum in ſuum regnum abiit. Verumenimverò Pax Roſchildenſis ſimul cæpta, ſimul ferme deſiit, ac, vix depoſitis armis, iterum diſturbata eſt, armaqve reſumpta ſunt: veluti navis, qvæ ingenti tempeſtate conflictata, terram qvidem attigit, ſed ad anchoras in intuto & inqvieto portu ſtetit, ac rurſus in procelloſum mare propulſa eſt; qvemadmodum Rex in ſua oratione ad convocatos Regni Ordines præter alia his etiam verbis graviter ac nervoſè uſus eſt. Qvàm anxius verò & ſollicitus Rex Sveciæ in continuando hoc bello fuerit, ne temerè continuaſſe videretur, vel inde liqvet: qvod non modò Regem Daniæ ore Legatorum & ſcriptis monuit, in pace ſemel facta perſiſtere; ſed etiam ſuos ac regni

ſui

ſui Senatores, qvos tum non paucos ad manus habebat, ſæpius Flensburgi, Gottorpii, Oldensloæ, Wismariæ & Gotheburgi, eorum ſententiam non ſemel rogavit: ne qvid ſuo ſolum arbitratu ſtatueret. Hi omnes, perpenſis periculis undiqve circumſtantibus, unanimiter cenſuerunt, armis cogendum eſſe Daniam ad implendas pacis & fœderis Roſchildenſis leges. Qvum verò reliqvi Regis Sveciæ hoſtes, cum Daniâ facientes, in perniciem Sveciæ pariter in Daniâ coirent; vim & impetum eorum in ipsâ Daniâ atqve hoſtili terrâ potius ſuſtinendum, & in viciniâ à finibus Sveciæ eos amovendos eſſe è re viſum eſt, qvàm rebus ſic ſtantibus, deductis è Dania copiis, Sveciam majori qvam antea periculo exponi. Illud Senatorum, & deinceps qvoqve Ordinum Regni in comitiis conſilium Regem in continuandis armis confirmavit. Præſertim verò, qvod exſecutio pacis, qvæ Danis extorta & nimis gravis videbatur, variis interpretationibus & eluſionibus de die in diem magis producebatur, adeò ut detrectantium ſpeciem haberet, etiam ſvaſu Regis Daniæ præfectorum & Nobilium aliqvot Holſatiæ, ut & Conſilii ſtatus, Gluckſtadienſis, hanc pacem Rege Daniæ indignam judicantium; qvorum hac de re ad Regem Daniæ literæ à Svedis interceptæ & publicè editæ exſtant; nec minus invidiâ extraneorum aliqvot Principum & populorum erga Regis Sveciæ proſperitatem, & metu potentiæ majoris Svecorum. Sanè præcipuus qvidam miniſter Auſtriacus in conventu Francofurtenſi dixiſſe fertur: *Qvando vicinus nimis creſcit, paci non amplius locum eſſe.* Proinde hinc factum eſt, ut Regis Daniæ, tunc imbecillioris, ſtatus tuendi ſtudio, & ſuorum periculorum metu inſtigati extranei ac potentes aliqvot Principes ac Reſpublicæ conjunctionem virium ſuarum, tanqvam bilancem adverſus præponderantem Regis Sveciæ potentiam, ut ferebant, opponerent ac ſimul tenerent. Etiamſi verò Rex illuſtri legatione Comitis Nicolai Brahe, ſupremi tunc Regis Cubicularii & militiæ pedeſtris præfecti, nunc Regni Senatoris, & Matthiæ Biörnklou, in Ducatibus Bremenſi & Verdenſi tunc Præſidis, nunc qvoq; regni Senatoris, extraordinarii antea ad Imperium Ablegati, tunc cum Comite Legati ordinarii, ad Imperii Electores, Principes & Status, Francofurti in Electionis & ordinariæ Deputationis, qvam vocant, negotio congregatos, publicam ſecuritatem, per ſe non turbandam, Cæſari atqve Ordinibus confirmaſſet; modò ab illis ſibi & regno de non turbando caveretur; eandem per Slippenbachium Electori Brandenbur-

gico ſeorſum obtuliſſet; tamen gliſcente novi belli materiâ inter Sveones & Danos, Cæſar & Brandenburgicus cum Rege Daniæ, conjunctis eidem Polonis & Ruſſis, fœdera *contra Regem Sveciæ, tanqvam communem hoſtem* (hæc enim verba fœderibus inſerta erant) iniverunt. Inde qvoqve factum eſt, ut fœderati Belgii Ordines, per ſuum miniſtrum & in Dania tunc reſidentem Beuningium, claſſe & auxilio intra tres hebdomadas Danis promiſſo, pacem Roſchildenſem, præſertim duo ejus capita diſceptarent, *unum de renunciatione fœderum in præjudicium regni Sveciæ factorum, alterum de communi defenſione maris Balthici adverſus qvamcunqve externam claſſem armatam*: qvam ipſi Dani in Roſchildenſi & Torſtrupenſi tractatu adeò urſerant, & Legatis Regis Stenoni Bielke & Petro Julio Coyet Haffniam eo qvoqve nomine miſſis, decem benè inſtructas naves, in ſocietatem defenſionis & ſecuritatis maris Balthici obtulerant. Hæc Batavi per ſuum miniſtrum, tanqvam qvæ ſibi præjudicio forent, ideoqve Inſtrumento pacis excludi, aut ejus pacta, mutari deſiderabant; mutari autem jam utrinqve ſubſcripta & publicata non poterant, niſi rupta violarentur. & tandem violata ſunt, ſed qvorum culpa, in diſceptationem venit. Hoc qvidem in comperto eſt, rem iſtam multorum cenſuræ & variis judiciis obnoxiam fuiſſe: *Cur Rex Svetiæ pacem à Rege Daniæ dilatam non urgeret potius & exſeqveretur (velut in pace Sveo-Germanica fecerat) qvàm armis reſumptis, eam diſſilire permitteret; niſi ſtudio belligerandi & ulterius amplificandi regni duceretur? Dani qvoqve Svecos novum ipſis bellum extra juſtam cauſam feciſſe pacemqve priores rupiſſe*, arguebant. *Si fortè qvædam ex ſua parte, vi factæ pacis nondum impleviſſent, dilata ſolùm ob inopinatò emergentes cauſas, non negata fuiſſe; aut pro non impletis ſatisfactionem præſtituros. Svecos ipſos ad amuſſim non omnia impleviſſe; ad dictum diem non evacuaſſe Fridericſudam & Fioniam; nec eduxiſſe præſidia. Novis contributionibus & exactionibus incolas Daniæ non uno loco contra pactorum fidem oneraſſe*; & qvæ alia objectabantur. Contra Sveones: *Non novum Danis ſe intuliſſe bellum, ſed priora arma ſecuritatis Regni ſui cauſa continuaſſe; qvum Dani ſubſidiorum belli promiſſis à Batavis in novam ſpem erecti, priora pacta faſtidire cepiſſent, nec peregiſſent vel peragere diſtuliſſent; qvæ pacis leges imperarent; aut admiſiſſent, qvæ contra leges pacis eſſent: atqve ſic pacem factam non ſervaſſent. Bellum enim terminatum dici non poſſe, niſi impletis legibus, qvarum præviâ conditione pax reducta intelligi debet. Qvippe Danos conventum equitatum Regi non integrè & in tempore, variis prætextis, tradidiſſe,*

*didiſſe, munimenta in Scania & alibi, die pactis præfinito, non vacuefeciſſe,
Vördæ Bremenſis reſtitutionem retardaſſe: ut in Auſtriacorum manus ar-
e ſua traderent. Conjunctius fœdus inter utrumqve Regem Sveciæ Regi à Rege
Daniæ oblatum, vel per ipſum, vel ſocios extraneos partim obtentu, qvod priori in-
er ipſos fœderi pugnaret, partim novâ auxilii ſpe in rem ſuam turbatum & in-
erruptum fuiſſe. Pactorum Roſchildenſium præcipua capita de regalibus & do-
miniis in ceſſis provinciis, captioſis vel detortis interpretationibus, ut etiam de Hu-
na inſula, ad Scaniam, ut noſtri probatum ibant, pertinente, & de Societatis Gvi-
neenſis prætenſione, qvam opus ſupererogationis Dani per ludibrium appellarant,
Charloſo proditore in protectionem accepto, variè diſputata, aut tricis eluſa, aut
morâ dilata fuiſſe, cum non levi Regis Sveciæ detrimento, non unâ conſiliorum
mutatione, occaſionum, expeditionum, & ſubſidiorum contra remotiores hoſtes,
præſertim Polonos, ſubmittendorum fruſtratione, cum eorundem emolumento ſpa-
tio & opportunitate recuperandi ablata. Poſt pacem factam in controverſiam vo-
caſſe Danos Sveonum immunitatem à vectigali in freto Öreſundenſi, idqve eorum
navibus imponere cœpiſſe. Adverſus pacta extraneæ armatæ claſſi tranſitum per
mare Balthicum vel indulſiſſe vel non improbaſſe. Pace qvoqve facta, non exau-
ctoraſſe peregrinum militem, ſed novis copiis collectis aut conductis ſuppleviſſe &
corroboraſſe; qvo alio fine qvàm ut matura occaſione violarent pacem, & arma
reſumerent? Secundum pacta non renunciaſſe præjudicialibus fœderibus cum Re-
gis hoſtibus, Polono, Ruſſo, Cæſare, Brandenburgico, ſed omni modo foviſſe contra-
ria eorum conſilia & molitiones adverſus Regem. Præcipuos Regis Daniæ mini-
ſtros non ſolùm intra animum & cogitationum penetralia occultaſſe, ſed etiam
verbis haut diſſimulaſſe, hanc pacem, tanqvam vi & iniqvitate temporum illis ex-
preſſam, & hoſti magis qvam ipſis utilem, haut diuturnum fore. qvum tamen il-
læ pacis leges & pacta, qvæ forſan una pars vi belli coacta absqve dolo cum altera
parte inivit; qvibus etiam conſenſus utrimqve paciſcentium acceſſit, jure genti-
um obligationem pariant, ex fide data ſervandam. Sed qvum Rex ex ipſo exitu
comperiſſet, hæc pacta ex parte Danorum magis ſimulata fuiſſe, qvam vera: ne
per ea ſecuritas ſua Regniqve ſui periclitaretur, Dei juſtæqve cauſæ fiduciâ, Ordi-
numqve Regni tunc præſentium conſilio, arma ſibi iterum induenda & continuan-
da fuiſſe.* Hæc ex ipſius Regis ad Regem Galliæ literis & ulteriori Legati
Matthiæ Biörnclou, ad dictum Regem deinde ſolenniter de communis pe-
riculi demonſtratione, de fœderis & amicitiæ inter utrumqve Regem ſtabi-
limento, & auxilio contra tot hoſtes deſiderando miſſi, accurata expoſitio-
ne coram factâ clarius pateſcunt; ut etiam ex Regiis epiſtolis ad Britannos,
Electorem Moguntinum, Belgii fœderati Ordines & alios ſcriptis, cum con-

firmatione de integra amicitia liberisqve commerciis, nec minus ex conti-nuati belli cauſis in lucem editis, & utrinqve diſcuſſis: qvæ in multorum manibus ac notitiâ verſantur. Hinc ad arma rurſus deventum eſt: qvæ qvod eorum fortuna ſæpe anceps & incerta eſt, tam honorificæ paci, ſi certa & conſtans fuiſſet, à Svecis præferri ſtolidum fuiſſe, intelligentes judicabant. Licet verò Rex, dum adhuc in vivis erat, animo renovandæ cum Rege Daniæ honeſtæ fidæqve pacis, non qvalis Hagæ definita ac ſcripta erat, ſed cujus tractatio ex conſvetudine omnium gentium & inter duo regna Sveciæ & Daniæ, accepta & rata eſſet, & qvæ in tempore ac loco certo, per delectos, utrimqve agendi poteſtate legitimè inſtructos, tractaretur, jam ex ſuis delegaſſet duos Regni Senatores ac Barones, rerum non ſolùm benè intelligentes, ſed etiam Regi patriæqve fidos, Scheringium Roſenhane & Stenonem Bielke; atqve Rex Galliæ Ludovicus XLV. per Legatum ſuum Hugonem Terlonium, Protector Angliæ initio per Ablegatum ſuum Medovium, ſed pro vario Angliæ tunc temporis ſtatu à Parlemento qvatuor Legatos huc miſſos, inter qvos erat Montacutius, & eo cum claſſe domum revocato, per relictos hic ad finem tractatus, Algernonem Sidneium & Hoonivodium; Ordines fœderati Belgii per Legatos ſuos Godfridum de Slingeland, Petrum Vogelſang, Petrum de Huybert & Gritmannum ab Haren ſedulò partes ſuas interpoſuiſſent; tamen cunctantibus Danis, animo tentandæ prius recuperationis Fioniæ, & Hollandis qvibusdam, contra armiſtitii leges, naves qvasdam Sveticas attinentibus, à morte demum Regis omnibus diſſidiis compoſitis, Pax renovata & ad finem feliciter perducta eſt. Cæterum, ut ad priora redeam, poſt ruptam pacem Roſchildenſem, occupatâ iterum à Svecis, ad Friedericiuddam & Aſſenam ſtationem habentibus, Fioniâ, inde reliqvæ copiæ à Rege Kilonii adeſſe juſſæ, qvum nemo ſciret, qvò Rex iter deſtinaſſet, mox claſſe XII. armatarum & LXX. actuariarum navium militibus, & eqvis repletarum Corsöram, & inde in Sialandiam feliciter traductæ ſunt. Præmiſſus autem à Rege fuit Comes Claudius Tott Hafniam, ut prohiberet Danicas copias in inſula diſperſas introitu in urbem: qva re confectâ, ſimul aliqvot Germanorum eqvitum centuriæ impigrâ & animoſa ejus operâ in Regis Sveciæ poteſtatem pervenerunt. Simulac Sveci in conſpectum urbis prodiere, Dani ſuburbium flammis ſubjecerunt: ut expeditius urbem tutarentur. Statuerat qvidem Rex Hafniam, anteqvàm civitas ſe recolligeret & defenſionem moliretur, confeſtim oppugnare; ſed habito conſilio, Wrangel & alii Regi difficultatem ac periculum monſtrarunt, ſuburbio à civibus in-

cenſo

cenſo, tormentis in vallum urbis eductis, urbeqve præſidiis munita, totum corpus exercitus ſtatim diſcrimini objectari; ſubitæ oppugnationi obſidio prælata eſt. Cæpta obſidione, Legatus Steno Bielke, qvi adhuc regiorum negociorum, inprimis fœderis faciendi cauſa, Haffniæ commorabatur, & alii nonnulli Sveonum iſtic in cuſtodia diſtinebantur, donec pax redintegrata eſſet; non attento, qvod Rex Legatos Danicos, absqve fidei publicæ literis ad ſe ultrò citroqve commeantes, detinere potuiſſet, donec ejus Legati & miniſtri ex urbe Hafnia dimiſſi fuiſſent; Danicos tamen Legatos Rex, reverentiâ juris gentium, liberos abire permiſit. Alioqvin Legatos Sveticos Rex Daniæ honeſtè habuit. Archithalaſſus autem regni Wrangel in mandatis à Rege habebat arcem Cronienſem (*Croneburgum* vulgò) attentare: ut, ſi hoc munimentum expugnari poſſet, Rex majus pro ſe & adverſus hoſtes propugnaculum in Sialandia, & munitum locum ad ſe ſuosqve iſtic melius conſervandum haberet: inprimis ut freti Danici clauſtrum firmius poſſideret; ſimulqve frenum ad reprimendum extraneos fortè inhiaturos & inſidiaturos freto Öreſundico ac maris imperio: qvum nonnulli jam ſub prætextu ferendæ Dano opis in faucibus maris Balthici, ſtabilire potentiam ſuam maritimam, ad amplificandum navigationes ſuas, & ad ſe trahendum fructus commerciorum, cogitaſſent. Expugnatæ verò tam validæ arcis famâ, urbis Hafniæ obſidionem commodius ac majore vi ac ſucceſſu proventuram, Rex ſibi perſvadebat. Dictum caſtellum Wrangel, ex turri conditionem & ſitum arcis ſpeculatus, aggreditur, tumulum inter urbem & arcem erigit, ex qvo arcem aſſiduis tormentorum ictibus qvaſſat; in colle autem ex adverſo arcis aggerem excitat, ex qvo pilis Granatenſibus & ignitis globis eandem petit: idqve tam continenti ac vehementi vi, ut licet arci præfecti, vicinis ædibus incenſis ac dirutis, vim pro viribus propulſarent ac defenderent, tamen jam tertio aggeris ſuggeſtu diverberato & disjecto, atqve acceſſibus obſidionalibus ad ſudes propugnaculi & foſſas usqve promotis, præfecti jam de pactione & deditione conſilium agitarent; ſi prius ad Regem Daniæ de ſpe & exſpectatione ſubſidiorum ſcripſiſſent. Sed hoc ipſis denegatum eſt. Tandem rebus ad extrema redactis, a die ſexto Septembris deditionem arcis fecerunt, pactis cum Chriſtophoro Bilde Gubernatore, Paulo Benfelt & Carolo de Brunovv præfectis arci, de traditione cum Archithalaſſo regni Comite Carolo Guſtavo Wrangelio initis. Ita arx illa, ſitu & opere pro inexpugnabili habita, in Regis

manus

manus venit. Ibidem magna vis annonæ, pulveris nitrati, tormentorum & inſtrumentorum bellicorum reperiebatur. Arcis, poſthæc magis munitæ, cuſtodia tribuno militum Johanni Hård cum qvingentorum præſidio credita eſt. Tormentis verò pluribus ex arce caſtra ad Haffniam munita ſunt. Rex ingentem onerariarum navium Hollandicarum claſſem, qvæ in fretum Sundicum advenerat, ſtante oppugnatione Croneburgi, ſine damno tamen, detinuerat, qvam, ſi voluiſſet, retinere potuiſſet; ſed maluit vacuus Hollandorum offenſione eſſe, qvàm inimicis criminandi cauſam præbere. Qvapropter etiam mox ſolutâ obſidione relaxavit, atqve inſuper ejus detentionem per eorum in Dania reſidentem La Maire, in Bataviam abeuntem, excuſavit ad Ordines Fœderatos hac epiſtola: *Se non ſperare, ipſos hoc ſeqvius interpretaturos. Non inſvetum hoc eſſe gentibus, circa tales actiones. Hanc moram non ipſorum modo naves, ſed aliorum qvoqve populorum, adeoqve regias ipſas ſubiiſſe, dum ſteterit oppugnatio Croneburgi. Qvæ omnes, occupatâ jam arce, ſuæ libertati reſtitutæ, ipſæ facilè remoræ excuſationem allaturæ ſint. Rex autem illos certos eſſe jubet de ſua benevolentia, amicitiâ, navigationis & commerciorum libertate.* Velut Elector Brandenburg. ſuperiori anno ter ad Regem ſcripſerat de pace cum Polonis concilianda, ad cujus literas etiam Rex prolixè reſponderat, ita hoc anno circa adventum Regis in Sialandiam legatos ſuos Ottonem Lib. Baronem à Schverin & Juriſconſultum Weimannum ad Regem miſit, acturos cum Rege de communi vel etiam peculiari cum Polono pace, ad qvam tractandam Elector interpoſitionem ſuam promittebat, & de amicitia cum Rege ſeorſum redintegranda; & de Pruſſiæ ceſſione, pro certa pecuniæ ſumma, ut qvidam addunt. Rex cauſatus, *qvod jam ex publicâ Actorum conſcientia conſtaret, Electorem non ſolùm à fœdere cum Rege reſiliiſſe. ſed etiam inſuper habita neutralitatis aliqva conventione, fœdus cum Rege Poloniæ, Rege Ungariæ, & tandem qvoqve Rege Daniæ contra ipſum, velut communem hoſtem, pepigiſſe, & qvo animo erga Regem eſſet, hoſtilibus molitionibus oſtendiſſe, in milite ſuo juxta fines Pomeraniæ ad prædandum & devaſtandam iſtic provinciam collocato, in præpedita per publica edicta innoxia collectione militum per Imperii terras, in detentis contra pacta jusqve gentium in Pilloâ pulvere tormentario & aliis, qvæ in ſubſidium defenſionis regiorum locorum deſtinata erant, in Frauenburgo ejusqve arce occupatis, & regio milite inde prohibito atqve pluribus hujuſmodi hoſtilibus molitionibus, negavit ſe ob iſtas cauſas cum Electore, tanqvam amico Principe, agere poſſe.* Legati nihilominus aditum ad Regem ex mandato Electoris, urgentes, in literis ad Comitem Slippenbachium *mirari ſe* ſcripſerunt, *cur Rex, qvum Gotheburgi eſſet, gratam ſibi legationem à Brandenburgico*

gico fore ſignificaſſet, & huc accedere permiſiſſet, nunc poſtquam Legati acceſſiſſent, illos ad audiendum admittere nollet. Rex illis per ſuos delegatos Davidem Mevium, Svederum Theodorum Kley & Eduardum Ehrenſteen, viros ad civilia rectè tractanda ingenio, arte & uſu factos, reſpondit: *Etiamſi antea Gotheburgo ſignificaſſet Electori animi ſui propenſionem ad renovandam amicitiam, eoque nomine tractatus admittendos, miniſtris ſuis jam ad hoc delectis & ſufficienti mandato inſtructis; tamen parem propenſæ benevolentiæ neceſſitudinem ab Electore exſpectaſſe. qvum vero multum intereſſet, an cum amici Principis, an cum hoſtis Legatis res eſſet, & Rex Electorem ex ante dictis qvæ præceſſerant, non niſi hoſtem, qvalem ſe verbis & actu indicaverit, reputare deberet, non potuiſſe non Regem ſub adventu legatorum per hos delegatos ſuos mentem mittentis, rationem legationis, & poteſtatem ablegatorum, pro more inter Reges populosqve conſveto, ſciſcitari, antequam inter tot tantaqve dubia de admiſſione qvidqvam decerneretur. Qvamvis etiam Rex Legatis huc venire permiſerit, tamen inde minimè excluſa putari poſſe, qvæ neceſſaria ab ipſis explorare, qvæqve congrua ordinare ac tractare licuerit; non defutura inpoſterum Legatis audientiâ, ſi prius ex iis qvæ præcedere deceret, conſtitiſſet, amica an hoſtilia adferrent, adeoqve an eos admittere è dignitate Regiâ, ac rerum ſtatui conveniens eſſet.* Legati in ſuo ad Regios delegatos reſponſo, *Se dolere,* oſtendebant, *qvod admiſſio, qvam nullus non Principum Legatis antè omnia dare ſoleat, ad Regem non ſolùm illis dilata, ſed etiam denegata ſit à Rege, remittente ipſos ad qvosdam ex ſuis audiendos. Ex Electoris dignitate ac more communi eſſe negabant, Legatos ante impetratam admiſſionem cum delegatis Regiis in collocutionem deſcendere.* Obliqvè etiam perſtringebant illos, *qvaſi injuſſu Regis feciſſent.* Ad hoc Legatorum reſponſum repoſuere Regii Delegati, & ſeorſim qvoqve Comes Slippenbach: *Etiamſi Legatis ſua conſtare debeat ſecuritas ac dignatio per jus gentium; ejusdem tamen juris & penè qvotidiani moris eſſe, Legatos, qvum ab hoſtibus, à dubiis & ſuſpectis mittuntur, non prius admitti, qvam adventus ſui, inſtituti & eorum qvæ Legationis præparatio eſſent, declarationem aliqvam dediſſent; qvæ non niſi hiſtoriarum orbisqve negotiorum ignaris ignota eſſe poſſent. Non ſe videre qvid inter hoſtem & inter hoſti fœderatum interſit. non enim, ut Romani dixerunt, è dignitate Reipub. eſſe, ut hoſtium Legati in curia audiantur. Ipſos autem ſi à nondum profeſſo hoſte, tamen hoſtis ſocio & qvi multa hoſtilia jam adverſus Regem pactus & meditatus eſſet, venientes, non poſſe officia amicis tribui ſolita poſtulare, niſi ex ſua parte in conſpectum produxerint, qvæ amicitiæ reſtaurandæ neceſſaria eſſent. Audaci fronte objecta delegatis, non ſua ſed Regia agentibus, à veritate & modeſtia alieniſſima eſſe.* His ita utrinqve diſceptatis, clam noctu infectoqve negocio diſceſſere legati. Sed

mox in apertam inimicitiam res erupit, dum Elector cum Polonis & Auſtriacis Regi Daniæ ex fœdere auxilio venit. Licet autem fœderatorum milites, qvibus etiam Poloni mixti erant, in Holſatia & Juthia latè fœdèqve ferro & igne graſſarentur, tamen omnibus circumqvaqve jam ante devaſtatis, exuſtis & nudatis, iſtic non diu ſubſiſtere potuerunt. Qvum Rex Ringſtadium adveniſſet, duo Regis Daniæ Legati Magnus Høge & Chriſtianus Skeel acceſſerunt, *admirantes qvid Regem moviſſet ad repetendam Sialandiam, & claſſem collocandam in freto Danico; ſimulantes qvaſi ignorarent cauſam rei, & præ ſe ferentes, ut ſi qvid adhuc deſideraretur in exſecutione pacis Roſchildenſis, operam daturos ut impleretur.* Rex reſpondit, ut ante: *Nimirum ad hoc eum moviſſe Danorum tergiverſationes, cunctationes, contraventiones & eluſiones, in implendis pactis; & qvod Rex in tam intuto ſtatu diutius verſari nollet.* Exinde operibus ſuis ad Hafniam paulatim confectis, tam prope ad urbem acceſſerat, ut ejus copiæ à vi tormentorum & excurſionibus, præcipuè ad portam urbis occidentalem poſt antepagmenta ſuburbica latitantes, ut qvidam Danus ſcribit, in poſterum tutiores eſſent, & Rex terra mariqve commeatum ſive ex vicinis locis & Lubeca, ſive Hollandia advehendum, urbi præcluſum iret; in ſuis caſtris commeatu non deficiente. Sed de urbis obſidione, oppugnatione & defenſione qvum alii Hiſtorici jam prolixè agere occuparint, eò lectores remitto. In Amagiam Hafniæ vicinam inſulam velut ejus penuarium, Rex partem copiarum emiſit, ad præcidendum urbi neceſſaria; inprimis ſegetem, qvam Regni Danici Senator Axelius Urop urbi, ut tuto loco, in tempore inferre Amagienſes fruſtra monuerat. Inſulæ iſti præerat Joh. Alefeld cum præſidio ſexcentorum. Sed Sveci cum qvingentis eqvitibus in lembos & navigia impoſitis, accedentes Danorum ſtationes littore depellunt, & in terram exſcendunt, hoſte fruſtra renitente. Terram depopulati, famâ appropinqvantis claſſis Batavæ eam relinqvunt; milites verò complures Sveticorum à majori hoſtium vi ex urbe erumpente in inſula capti vel cæſi ſunt. Comes Jacobus de la Gardie junior, pedeſtris militiæ ductor, qvum eodem tempore, qvo irruptio in Amagiam fiebat, in terræ firmæ foſſis curſoriis, vel operum appropinqvationibus, juxta ſudes hoſtium præfixas, ad diligentius omnia cognoſcendum propius acceſſiſſet, ex hoſtili pontone tormentis onuſto ictu mortifero percuſſus, & poſt dimidiam ferme horam extinctus, pro patria ſua occubuit; etiam ipſo Rege condolente; patriis veſtigiis, ſi vixiſſet, uti ſpes erat, inceſſurus: qvorum haut exiguas proluſiones & documenta jam dederat. Ipſe Rex in inſula Amagia in magno fuit periculo, officio ſuo malè fungentibus cohortibus qvibusdam eqveſtri-

eqveſtribus; tum etiam qvum in navi ſua militari reverteretur Croneburgum, illa in brevia & ſyrtes incidit. Paucos poſt dies qvum veſperi abiret ad viſendam navim qvandam ad anchoras ſtantem, circa crepuſculum qvædam noſtratium ſubito impetu ei obvia, & in cymbam qva Rex vehebatur imprudenter impulſa, eam & Regem ferme evertiſſet, niſi præſenti Dei auxilio ſervatus fuiſſet. Qvamvis autem crebris impreſſionibus Haffnienſes, victus & ligni inopiâ non parum fatigarentur, lenta tamen urbis obſidio ſufflamen aliqvod currentis fortunæ Regis erat; niſi qvod alibi locorum res non infeliciter provenirent. Rurſus enim jam agitarat pacis cum Rege conſilium, poſt liberatas arcem validam Jamos per Chriſtiernum Horn, & Narvam obſidione Ruſſi, literis ad Naſſokinum in Livoniam ea de re ſcriptis; jam induciæ triennii Vallifaræ prope Narvam, per Guſtavum Bielke Regni Senatorem, qvi, cuſtodiâ Ruſſicâ liberatus, caput legationis erat, & dein eo domum & in Sveciam reverſo, ſed morte prævento, egregio patriæ inſtrumento, cujus tamen virtutes & facta in memoria viventium ſuperſunt, per Benedictum Horn Gubernatorem Eſthoniæ & legionum eqveſtrium præfectum, ac Johannem Silverſtiern, aulæ Conſiliarium, & Philippum Cruſenſtern, Collegii commerciorum adſeſſorem, conventæ erant, dictis inſuper loco & die de tractanda pace, qvæ anno M DC LXI. impleta & legatis hinc inde miſſis, ab utroqve contrahente ſeqventi anno confirmata, anno M DC LXVI. decurrente, in parva peninſula fl. Pleiſſæ, limite utriusqve regni, demum, incidentibus interim aliqvot controverſiis & tunc ſopitis, impleta eſt: de qvibus ſuo loco & tempore. Ut verò Rex Daniæ Haffniam, caput ac ſedem regni ſui, & per eam, qvantum poſſet, reliqvum provinciarum corpus defenderet, præcipuas in eam vires & ſociorum auxilia contraxit. Claſſis Batava XL. navium majorum, præter minores & incendiarias naves, MM. militibus (al. MMMM.) annonâ & armis onuſta, duce & præfecto claſſi Jacobo Waſſenario de Obdam, Danis opem ferendi cauſa, Croneburgum advenit. Qvamvis autem Batavi verbis præ ſe tuliſſent, qvaſi nihil hoſtile Svecis illaturi eſſent; ſolùm ut, fœderi & pactis cum Danis ſatisfaciendi animo, illis opitularentur; Sveci tamen hoc pro eodem interpretabantur, *ac ſi qvis alteri alapam ducens, nihil ſibi rei cum illo eſſe dicat*, ut qvidam jocatus eſt. Qvippe Croneburgo, freti Hafnici propugnaculo ac præſidio, jam à Sveticis occupato, libertati commerciorum iſtic ſuæ metuentes (licet Rex Sveciæ literis ſuis ad eos iſtum metum exemtum iret) ad hoc præveniendum, Regi Daniæ omni ope ſuccurrere de-

re decreverunt, & opprimere pro viribus vim hoſtilem Sveonum laborarunt. Velut enim ex Obdamio transmiſſis, ſed interceptis mandatis conſtabat, ille ab Ordinibus juſſus erat, *ut ubicunqve claſſem Sveticam deprehendere poſſet, eam adoriretur, & vel potiri vel perdere qværeret, & transportaret Regis hoſtes, quocunqve poſſet, & damnum inferret Svecis, ubicunqve poſſet.* Itaqve hoſtium loco jure Rex eos habebat, qvi non ſolum ſuis opibus, armis, copiis & commeatu hoſtium vires contra ipſum adjutum venerant, ſed & Sveticam claſſem hoſtili animo adoriebantur. Svetica claſſis XLII. navium, ſelectis militibus & tormentis bene armata, jam in procinctu ſtabat, & ad inhibendam pro viribus conjunctionem Batavæ claſſis cum Danica, tranſitum per fretum Sundicum, & auxilium laboranti urbi ferendum & ad vim intentatam profligandum. Rex inſuper littus vicinum eqvitatu & legionibus Muſtonii inſideri fecerat: ad excipiendum, ſi qvi hoſtium in terram evaderent, aut ad opem ferendam, ſi neceſſe & commodum eſſet. Suos ad pugnandum fortiter hortatus, *fortunam cuiqve ſuam in dextra eſſe, eosdem animos retinere mari, qvos terrâ; ſegnes ac timidos in tempore diſcedere* jubebat: *ne prælii decus ac fortunam ignavia corrumperent, aut formidine retardarent.* Plerisqve tamen tam inferioris qvàm ſuperioris loci mirus inerat pugnandi ardor, haut infelicis prælii omen. Biduo ante pugnam Rex habuit conſilium, *an claſſem hoſtilem ad promontorium Coll. ſtantem prior aggrederetur;* qvò non parum inclinabat: *qvod faciliori negotio ſic diſſipari claſſis iſta poſſe videretur.* Attamen prævaluit illorum ſententia, *qvi potius in freto palam excipiendam* ſtatuebant: *ad evitandum malevolorum criminationes, & ad retinendam qvalemcunqve amicitiam cum gente non ſemel fœderata, qvam non temerè provocaſſet.* Horâ ſeptimâ matutinâ claſſis Batava latus Scanicum tenens, ex arce Cronenburg. & Helſingburgica, qvas vento ſecundante jam tranſire cæperat, nec ex more vela demittebat, à tormentis Svecorum primùm ſalutata, non reſpondit. Sveticæ claſſis, in qvatuor contubernia & ordines diviſæ, primos ducebat Henricus Gerhardi Siöhielm cum ſua navi propprætoria, qvam proximo loco ſeqvebatur prætoria, Victoria, ductore regni archithalaſſo Wrangelio, tertio ordine Draco, duce Ammirali Bielckenſtiernio; qvarto Guſtavus Wrangel ad Huenam inſulam in ſubſidiis ſubſiſtebat. Primo ordine Wittenus inter hoſtes vehebatur, cujus proprætoriam navim in tranſitu Comes Wrangel bellè perforavit; dein converſus in medio claſſis hoſtilis in Obdamii prætoriam navem Concordiam dictam & LXXII. tormentis munitam perrexit, cominus cum

ipſa

ipſa manus conſerendi animo. Sed qvod ventus Obdamio favebat, aciem melius inſtruere, claſſem commodius circumagere, & ſociæ naves ipſi facilius ſuccurrere poterant: unde propius eam contingendi facultas non erat. Nihilominus Wrangel generoſo & intrepido animo cum octo ſolus aliqvandiu conflixit; ita ut cruenta iſtic pugna edi cæpiſſet, donec ejus prætoria navis ab hoſtili ei incumbente crebris tormentorum pilis, præſertim ad gubernaculum dejectum, lacerata & inutilis reddita, ad ſe reparandam recederet; & ei adjunctæ non tam proſperè, adverſante vento, ſubſeqvi poſſent. Itaq; ſucceſſit ei Bielkenſtiern, qvi pro viro contra virum Wittenum Witteni ſtetit, dum poſt arduum inchoatum certamen (qvod navi tormentis hoſtilibus pertuſa & refectione opus habente, continuare non poterat) nihilominus potitus eſt hoſtis nave proprætoria, Brederodia dicta, LX. fermè tormentis armata, in qva C. fuſi, CC. partim cæſi, partim vulnerati ſunt: enſibus enim qvoqve cominus pugnabatur. Nec centurio Klepper hic ſilendus eſt, qvi in Lucifero ſuo mediam Witteni & Obdamii navem tormentis diverberavit, donec ejus navis deprimeretur. Ipſe Wittenus usqve ad vitæ terminum ſtrenuè pugnavit, & qvum acceptis duobus vulneribus vires corporis defeciſſent, acclamantibus noſtratibus militibus, ut gladium deponeret, negavit ſe gladium, qvem ad annos XXX. fortiter pro patria ſua geſtaſſet, ne vili alicui militi traditurum, navis Sveticæ centurioni tradidit. Sveci, jacente hoſte, odium ponentes, holoſerico tegmine capulum ejus ornarunt. Henricus Gerhardi Siöhielm tertiò aggreſſus eſt ſubprætoriam Hollandorum navim præfecti Petri Floriſon. Ipſe Floriſon glande plumbea ictus periit. Potuiſſent Sveticæ naves hoſtem ulterius perſeqvi, niſi ventus adverſatus fuiſſet, & niſi decem navium ex Haffnia ſubſidium eum exſpectare, fama tuliſſet. Feſſas autem integris, & numero ac viribus minores pluribus concurrere, temeritatis fuiſſet. Nihilominus tamen tam vehementer per ſex aut qvinqve horas depugnatum eſt, ut milites Batavi deditionem fruſtra poſtulantes, cum ſuis præfectis faſſi ſint, *qvamvis complurıbus hujusmodi balneis, & ſæpè non infeliciter, uſi fuerint, nunqvam tamen tam calidè, atqve hîc, laviſſe* Item: *cædem magis, qvam pugnam hanc fuiſſe.* MD. Batavorum præter Wittenum Witteni & Petrum Floriſon proprætorem, cæſi, nongenti in univerſum vulnerati perhibentur. Qvinq; hoſtilium navium periiſſe partim depreſſas, partim incenſas volunt., præter prætoriam malè laceratam, Sveticas tres, Luciferum, Leopardum & Pelicanum deſideratas, plures damno ſed reparabili affectas fuiſſe; præter CC. cæſos, CL. captos. Reliqvæ verò Batavorum naves circuitu Sveticas eludentes, inter flammarum & fumorum

 globos,

globos, tenebrarum & venti beneficio Haffniam evaſerunt, exoptata ſubſidia obſeſſis jam ad anguſtum redactis advehentes; qvod illis, eo fine præcipuè advenientibus inſtar victoriæ videbatur; qvæ tamen potior noſtratibus, loco pugnæ in mari etiam potitis, ceſſit. Poſtero die aliqvot Danicarum cum Sveticis, ductore Speck, commiſſæ, ac ſtrenuè decertantes, æqvâ tamen fortunâ diſceſſere. Naves hoſtiles Sveticæ claſſi in portu Landscronæ ſtanti, igniveris navibus emiſſis, vel incendium parantes, vel obſtructo ſaxis & navibus demerſis portu, exitum præcludere conantes; tamen vel adverſo vento in vadum rejectæ, vel flammis crematæ; vel uncis ab acceſſu portus retractæ, in brevia ſubſederunt, vel demerſæ, Sveticæ claſſi pro propugnaculo fuerunt. Ita fortuna & cura Regis (licet aliqvando non absqve vitæ ejus periculo) ac induſtria militum nauticorum pro cuſtodienda dicta claſſe, certatim excubabant. Qvin tot inſidiæ Helſingôræ & Malmogiæ adverſus ipſius Regis caput cogitatæ, tot rebelliones & conjurationes tentatæ; divinâqve vi ac providentiâ, & qvidem inuſitato modo per bruta, & vulpem literas conjurationis ex humo effodientem, detectæ, in ipſorum auctorum capita reciderunt. Inter illos erant qvidam non exigui nominis, qvi lubidinem aut defectionem transferentes, unde ultio aut utilitas oſtenderetur, majorem cautionem, qvàm fidem merebantur. Hollandi per mare curſitantes, tamen qvas potuerunt, naves piratico more interceperunt, ad Alſenum inſulam, Brandenburgicis transvectis. Rebelles agricolas Blekingenſes Georgius Gyllenſtiern, præfectus Smalandiæ, ex regia auctoritate ſtrenuè compeſcuit & ad officium redegit, coactis aliqvot millibus Smalandorum, qvos non pueros, hædorum cuſtodes, qvibus ſolis provinciam illam repletam eſſe, hoſtes cavillati ſunt, ſed viros & rebellium vindices reipſa deprehenderunt. Cæterum ex Dania & vicinis locis paulum in Curlandiam digredimur. Non abs re multis rei ignaris mirum, qvibusdam etiam improbum ac inauditum facinus viſum eſt, Douglaſſium hoſtili animo Curlandiam invaſiſſe; qvum tamen Dux Curlandiæ vigore Neutralitatis ipſi à Regina Chriſtina antea conceſſæ, qvieverit, ut volunt, nec bello Polonico ſe miſcuerit. Cæterum ſciendum eſt, Regem Sveciæ Douglaſſio in arcanis mandatis, nec temerè qvidem, dediſſe ut, ſi in Ducem manifeſtum bellum gerendum non eſſet, tamen pro hoſte haberetur. Qvippe, qvod ex ſcripto Germanicè ea de re in lucem edito, & aliis documentis conſtat; *Dux Curlandiæ arguebatur ſimulaſſe amicitiam cum Rege ac Regno Sveciæ, ortoqve cum Polonis bello, urſiſſe confirmationem Neutralitatis apud Regem: qua*

qvæ ipſi, ut regni Poloniæ membro, pro iſtorum temporum in Moſcovia, Dania & Hollandia ſtatu, denegata erat. Ille tamen, qvæ potuerit, contra machinatus eſſe, (etiam contra leges Neutralitatis) inſimulabatur, modò Ruſſis, modò Polonis, modò Electori Brandenburg. adverſus Svecos faviſſe, prout varia mutationum fata inciderint. A Ruſſorum Czare literas protectionis accepiſſe, qvum Svecones ad ſe protegendum valere & promiſſa ſervare negaſſet. Conciliationem Ruſſi cum Svecis diſſvaſiſſe; & obſidionem Rigæ pro viribus ſuis faciliorem ei reddere conatum eſſe; interdicto urbi ex Curlandia commeatu; ſi fortè, ſubactâ Rigâ, Lithuanica & Ruſſica commercia Mithoviam traducere poſſet. Ex interceptis ejus ad Naſſokinum & Gonſefskium literis detectum fuiſſe dicitur illius conſilium de Moſchis cum Polonis conjungendis, & contra Svecos incitandis, atqve impedita horum cum Ruſſis pace, per Bradſchavium Legatum Anglicum tentanda. Qvod cum Legato Anglico egerit de Britannorum commerciis Mithoviam Rigâ transferendis. Qvod rebus Sveciæ pro viribus offecerit, in ſpem gratiæ Regis ac Reipub. Polonicæ, atq; abſoluti Ducatus adipiſcendi. qvod communicatis ejus cum Gonſefskio conſiliis, rebellio in Lithuania excitata ſit. qvod ter mille milites Mithoviæ habuerit, auxilio mittendos Polonis & Brandenburgicis in Boruſſiâ contra Svecos. Qvod exorto bello Danico, per uxorem ſuam, Regiomontem profectam, auctor fuerit Electori Brandenb. affini ſuo, diſcedendi à fœdere Svetico, & ſe conjungendi cum Polonis, Moſchis & Danis adverſus Svecos, tanqvam infidos, & qvæ plura contumelioſa in illos jaciebantur. Hæc & alia hujusmodi moviſſe Svecos, ut ſibi ab illo occulto hoſte & beneficiorum ab illis non ſemel acceptorum tam immemore caverent, donec per pacem liberarentur his motibus ac molitionibus. Ad hoc qvidem Ducis nomine reſponſum eſt, ſed ſcriptum cavillationibus & calumniis repletum, qvod videre non contigit, eſſe fertur. Douglaſſius autem aſtu rem aggreſſus, Jacobo Yxkyl negotium dederat, ut D. partim eqvitibus, partim peditibus in XXIV. lembos impoſitis, noctu vel ante diem eos in portum deduceret. Qvum excubiæ, propius illis accedentibus, qvæſiviſſent, qvinam eſſent, reſponſum ab eqvitibus præfecto Richtero acceperunt, *amicos ſe ac Svedos eſſe, ægrotos ac vulneratos milites, ex hoſtium conſpectu ac vitæ diſcrimine lembis Rigam advehentes.* Dum primos vigiles ita fallunt, pergunt ad ſecundam ſtationem & cuſtodes, qvos reclamantes glandibus plumbeis transverberant. reliqvis fugam capientibus, ſtationis tertiæ excubiæ ad arma ſocios excitant. Sed priusqvam illi arma arriperent, Sveci jam admotis ſcalis, præeunte Roderſcôldio, aſcenderunt vallum, & remotis obſtantibus, inde portam petiverunt; ſignoqve Douglaſſio dato, urbem & arcem ſubita incurſione occuparunt. Dux Curlandiæ nihil hoſtile à Svecis exſpectans, cum con-

juge

juge ſua puerpera & omni familia captus atqve phaſelo impoſitus, in cuſtodiam primò Rigæ, dein Narvæ, remotiori à Curlandia loco, datus eſt; expilatâ ita ejus aulâ, ut militaris inſolentia atq; avaritia parum reliqvum faceret, qviqve, qvum prohibere poterant, extra Regis juſſum permiſere, non excuſandi eſſent. Qvippe Rex juſſerat *Ducem non indignè tractari: ſed nocendi facultatem ei ſolum adimi, nec aliqvid pretioſiſſimorum bonorum auferri.* Poſt Mithoviam occupatam, Libavia, expulſis præſidiis, & reliqvæ inde urbes, & tota tandem Curlandia ſub poteſtatem Regis pervenit: qvæ reſtituta eſt Duci cum aliis mobilibus non diſtractis, pace facta, ut videre eſt ex Pacificatione inter Regem Sveciæ & Regem Poloniæ ac confœderatos de A. 1663. 3. Maji artic. VI. Sed hinc diſcedimus in Norvegiam, relaturi qva ratione Rex Daniæ Nidroſienſem vel Trundhemenſem ditionem, pactis Roſchildenſibus Regi Sveciæ antea addictam, ruptis illis, poſtea deditione recuperarit. Qvum Trundhemenſis ditionis Ordines poſt initam pacem Roſchildenſem, fidelitatis jusjurandum Regi Sveciæ, curante ditioni præfecto Claudio Stierneskǒld præſtitiſſent, mox allato nuncio de interrupta illa pace hoſtis ex Aggershuſæ & Bergenſi ditione collectis copiis, ductore Georgio Bielch, inprimis hortatu Cancellarii Norvegiæ Johannis Bielch, irruptionem in Nidroſienſes oras prætentavit. Ad hanc prohibendam præfectus in mandatis dedit protribuno Alexandro Morath colligere ſignum CXX. eqvitum per regionem diſtributorum; eosqve ad limitem Aggershuſiæ tuto loco hoſti opponere. Sed qvum hoſtis majoribus viribus MD. militum perrumperet, & armare cœpiſſet aliqvot naves, qvibus per mare in ditionem Trondhemenſem proveheretur, juſſus eſt Morath cum ſuo milite aliqvantum regredi in tutiorem locum: ne hoſtis eum à tergo circumveniens, receptum in urbem præcluderet. Eidem ſubſidio miſſi ſunt tribunus Planting & protribunus Axelius Poſſe cum qvinqvaginta ſclopetariis: qvi hac exigua manu hoſtiles copias terrâ accedentes tamdiu diſtinuerunt, donec hoſtis armatam claſſem ad urbem appuliſſet; cui reſiſtere impares, revocati ſunt. Interim Gubernator Stiernskiǒld, & urbi præfectus Svinhufvud diſpexerunt commodiſſima defenſioni urbis, alioqvin apertæ, loca. Sed exſtructio propugnaculorum lentè, invitis ac tergiverſantibus civibus, & materiâ deficiente, procedebat. Hoſtis autem ductore Georgio Reichvein, adveniens, confeſtim in collibus in urbem velut propendentibus, ſuggeſtum tormentarium & acceſſus operum fieri fecit. Hinc aſſiduis tormentorum ictibus, miſſili igne & pilis Granatenſibus, urbem continuè, non absqve præſente incendii, fortunarum & vitæ obſeſſorum periculo, qvaſſavit. Nihilominus

Sveci

Sveci ſe & urbem maſculè tutati ſunt, ut ipſe hoſtis conſtantiam ipſorum laudaret. Qvippe non ſolùm tormentis ſuis hoſtis ſuggeſtum, etſi exiguâ pulveris nitrati copiâ inſtructi disjecere, & hoſtiles naves bis repulere, ſed etiam aliqvot eruptionibus hoſti non parum obfuerunt, acceſſibus operum ejecto, qvadringentis fuſis, duobus tormentis abreptis. unde hoſtis tandem adductus eſt relinqvere caſtra ſua priora, & editiorem collem inſidere, majoris ſuæ ſecuritatis cauſa. Interim Rex tribunum Henricum Flemming cum ſuis & Comitis Johannis Oxenſtierna præfecti Norlandiæ copiis, Svecis ſubſidio miſit. Eqvidem niſi præſidia vi graſſantis morbi ad dimidiam usqve partem imminuta, & pulveris nitrati vix ad tres horas ſuffecturi penuria deditionem imperaſſent, extrema Sveci periclitati eſſent. Sed & civium deficiens auxilium ac tumultus, vel maximâ Gubernatoris induſtriâ non reprimendus, fortunæ Svecorum multum obſtitit. Qvum deniqve nulla liberationis ſpes appareret, poſt XI. hebdomadum obſidionem, in tanta rerum anguſtia toleratam, coacti ſunt cum hoſte, honorificè tamen, paciſci, eiqve tradere urbem. qvâ evacuata, & hoſtium, pace iteratâ facta, præſidia Svetica Herdaliam deducta ſunt. Et hoc modo ſimul ſopita eſt lis de Rumsdalia, qvam Sveci, præfecto Laurentio Creutz, Nidroſienſi ditioni ſubjectam adfirmabant; Dani, præfecto Petro Wibe, negabant. Qvamvis autem Rex per Chriſtiernum Svinhufuudh & adjunctas ſibi copias Oſtrogothicas & Weſtrogothicas urbis recuperationem tentaret, fruſtra tamen fuit. Dum reductis ad unum milliare & firmatis caſtris, expugnandæ Hafniæ conſilio capto, jam omnia parata Rex habebat, modum & tempus expugnationi præfinitum ſedulò occultans, ſatisqve ſciens, ea conſilia, qvæ ſolus imperator ſciret, hoſtis neſciret, tutiſſima eſſe; tamen hoſtis, ut plerumqve fieri conſvevit, ſpeculatores & exploratores in Sveticis caſtris habuit, per qvos pleraqve Regis conſilia & molitiones reſcivit; eòqve adverſus illas detectas ſe promtius feliciusqve præparare ac præmunire valuit. Rex urbis expugnationem noctu aggreſſurus, & rivo glacie conſtricto inter Amagiam & continentem Sialandiæ in rem ſuam uſurus, iſtic inter octavam & nonam veſpertinas horas, admovit copias urbi in pago Valbyenſi. Qvia verò hoſtis in dicti rivi latere, ubi impreſſio præcipua facienda erat, in unda navigabili navem militarem & pontonem octo tormentis inſtructum collocarat, inde Sveticis non parum incommodatum eſt. Itaqve Rex per ſuos pontonem iſtum occupari, & tormentis in profundum demerſis, incendi curavit. Sed huic rei per noctem tantum operæ inſumtum eſt, ut tandem illuſceret, atqve opportunitas non ferret ad aciem inſtruere militem: unde Rex magis in rem

1659

ſore ducebat, aggreſſionem in ſeqventē diem differre. Qvum ſeqventis diei veſpera inter nonam & decimam pedeſtria agmina dicto loco iterum adeſſent, prius tamen Rex ſcire avebat, an ponto penitus igne deflagraſſet, & numqvid inde ſuis periculi, & qvomodo glacies usq; ad cœcas cryptas & opercula viarum comparata, & num ferendo eſſet; inde tempus iterum ad ſeqvens mane protractum eſt. Qvum autem Rex haut è re fore exiſtimaret, interdiu oppugnationem moliri: ne hoſtis, beneficio lucis, ſibi magis præcaveret, & ſubitæ impreſſioni minus opportunus eſſet; Svetici verò interdiu ictibus tormentorum facilius paterent, in mediam noctem iterū indicta eſt. Qva compoſito ordine manus aliqvot pedeſtrium ſignorum ſub hoſtiū tormenta obſidionalia ductæ, & virgultis juniperi ac ſtramine caſſidi infixis, & parte præſertim nauticorum miniſtrorum palos, qvibus vallum præſeptum erat, reſcindere juſſorū, albis induſiis amictas, qvibus vel ab hoſte dignoſcerentur, vel in nive progreſſi, hoſtem magis fallerent ac laterent, unà cum teſſera militari *Deus adjuvet*, inter milites diſtributa ſignum ad incurſionem exſpectarunt. Mox dato ſigno, incenſis duobus orcis picis, Rex qvi, ab initio ad finem oppugnationi ipſe interfuit, aut potius præfuit, ut conſiliis & conſtantiâ ſuis præiret) centurionem qvendam cum L. ſclopetariis molem vallo præſtructam invadere jubet. Eum ad dextram, pone ſeqvebatur tribunus Gennek cum CC. peditibus, rectà petens, inter vallum & clandeſtinos meatus propugnaculum. Ad ſiniſtram verò tendebant tribuni Delvigii cohortes in dimidium ſinuatæ lineæ munimentum. Ad dextram iterum ſummus vigiliarum præfectus Ferſenus cum ſuis cohortibus premit veſtigia Gennekii. Eosdem exceperunt ad dextram Palatinæ, ad ſiniſtram Anglicæ copiæ properantes ad propugnaculum ab hoſte inter regium ſtabulum & occultos meatus factum. A dextris illas comitabantur CLXXX. ſclopetarii, ductoribus præfecto vigiliis pedeſtribus Schmidio & vigiliis nauticis præfecto Buhrio, viam affectantes ad navem armatam ſupra dictam & pontonem. Tribunus la Voyette appropinqvabat domui cereviſiæ coqvendæ exſtructæ, ut juſſus erat. Hunc ſeqvebantur Oſtrogothi & tribunus Aſchenberg cum CCC. eqvitibus, qvi deſcenderant eqvis, ut ad pugnandum expeditiores eſſent. Simulac dictæ cohortes propius acceſſerant, hoſtis à ſuo Rege, juratæ fidei vinculo, animoſâ præſentiâ, promiſſis ac robore aucto, incitatus, & propriæ ſalutis curâ ac tutelâ inflammatus, imò ex ipſa deſperatione animos capiens, fortiter Sveticis reſtitit, & ex omni parte in confertos tormenta grandine conciſarum pilarum oppleta certatim exoneravit: qvibus non pauci fundebantur. Nihilominus aliqvot legiones Ferſeno & Delvigio ſtrenuis ductoribus, pone Gen-

nekium

nekium intrepidè atq; eò usq; progrediebantur, ut jam hoſtium ſudes vallo præductas contingerent, & parte earum conciſâ, foſsâq; occupatâ, mox ſcalis applicatis vallum aſcendere cœpiſſent; imò pars legionis Ferſenicæ jam in valli loricâ ſtabat. Interea dum reliqvæ copiæ, mœnibus ſucceſſuræ opemq; laturæ, accedunt, illæ in loricâ ſtantes valdè infeſtantur; & confeſtim tribunus Palatinæ legionis Gengel pilâ tormenti trajicitur, tribunus la Voyette lethaliter vulneratur; Heiſterveich, Weiſenſtein & Aſchenberg tribuni, vulnere, non tamen lethifero, adficiuntur: unde copiæ eorum non parum conſternatæ ſunt. qvod Rex animadvertens, rei tormentariæ præfectum Comitem Steenbock eis cum Smalandica cohorte ſuccurrere mandat. Dum ille in eo eſt, ut hoſtilia opera ad Sveticos pontes obſidionales tranſeat, partem dictarum copiarum diſturbatam, nec tam facilem in ordinem reſtitui, deprehendit; qvapropter eam præterire, & recta regium ſtabulum petere conſtituit. Interim in pectore lethifero tormenti ictu cæditur, & protribunus Smalandorum Nicolaus Kagge graviter vulneratur, ita ut cohors illa capite deſtitueretur. Reliqvæ cohortes Petri & Caroli Sparre, appropinqvare juſſæ, pertendebant qvidem, ſed infeſtis admodum hoſtilium tormentorum fulminibus, & tot pilis Granatenſibus obſiſtere non valebant. Et licet aliæ copiæ, ductore Guſtavo Banner, ſummo & impigræ virtutis vigiliarum præfecto, novum caſtellum, orientalem & borealẽ portam peterent, ad hoſtis vim divertendã, tamen Wavaſoris, Stalii, Lenemañi & Vitinghofii copiis ſubſidio ſerius accedentibus, hoſtium, ſuas copias interim Batavorum militũ iſtic in ſtatione poſitorũ ope augentium, viribus impares erant. Rex ſpe de urbis expugnatione conceptâ fruſtratus, ne videretur prodigus ſangvinis ſuorum, qvi in nuda glacie adverſus hoſtem in commodiſſimâ & tam benè armata ſede ſe tenentem extrema tentarant, poſt tot frigore confectos, atq; acrem triũ horarum conflictum & ternas oppugnationes fruſtra tentatas ſignum receptui dari juſſit, rem in aliam occaſionem dilaturus. Hoſtis III cIↄ. Sveticos cæſos ferebat, at noſtri D. neci datos, DC. vulneratos numerabant, præter Comitem Palatinum Homburgenſem, qvi crus ſuum globo tormenti diverberatum ex eruptione hoſtium ante amiſerat. Et pari occaſione Barones Svanto Baner, vigiliis præfectus, & Paulus Kevenhuller antea ad Hafniam pilâ tormenti cæſus, egregii juvenes, gloriâ morte militari redemtâ, obierunt. Sed in hac ultima oppugnatione gravis fuit jactura Stenbockii, la Voutte & Wavaſoris inſignium virorum, Wavaſori Hollandicus qvidam miles binas aures præcidiſſe dicitur, *unam pro Wittenio Witteni, alteram pro Petro Floriſon eſſe*, qvi in prælio cum Sveticis maritimo occubuerant, ut

ſup. memoratum, per ludibrium jactans. Qvamvis autem mortuo hoſti, præſertim tam egregio ductori, inſultare & illudere indignum fuerit, qvod nec ipſe Rex Daniæ probaſſe perhibetur; tamen non dedecori defuncto, ſed auctori erat, lictoris ac ſpiculatoris hîc operam occupanti. Qvum Britanni, ſui qvoqve ſtatus intereſſe judicantes, Svetici regni ſtatum incolumem & erectum ſtare, per ablegatos Regis Sveciæ Baronem Fletvod, Friſendorff, & Leionbergh Commiſſarios; imò per ipſum Legatum publicum Baronem Chriſtiernum Bonde R. Senatorem (qvi jam è Britannia Gotheburgum redierat, ſed mox cum non levi patriæ jactura deceſſerat, vir prudens & diſertus) Regem certum reddidiſſent de auxilio claſſis propediem ipſi mittendo, præſertim ſi Rex Daniæ ad pacem non inclinaret, & de fœdere ac defenſionis opere continuando, modò ab internis negotiis ac motibus, illis foris liberè agendi facultas daretur; claſſis Anglica XL. navium, etſi reflante vento aliqvantum retenta, tandem tamen advenit. Illa aliqvot millium exercitu, tormentis & omni apparatu inſigniter armata atqve inſtructa, ductu archithalaſſi Montacutii, Regi, cum acclamantium, Ipſi auxilio ſe miſſos credentium gratulatione, lingvâ Anglica factâ; *Blis de King, Felicitas Regi*, proſperè ſe ſtitit. Etiamſi verò Regi amica veniret, tamen ex conventione & concentu cum Batavis, magis ad utriusqve Arctoi Regis animos ad pacem flectendos, aut, ſi neceſſe foret, nolentem compellendum, qvàm ad opem Regi reapſe præſtandam, acceſſiſſe eam fama erat; vel, ut alii ferebant, ad prohibendum vel Hollandis vel Auſtriacis maris Balthici imperium. Rex, diſſimulatis, qvæ alienos facere poſſent animos, gratias Britannis egit, qvod claſſe miſsâ eum tot hoſtibus ſuccumbere noluiſſent, & negotio de arctiori fœdere cum Britannis, de qvo Medovius Legatus ſpem ante fecerat, ſed poſtea in ſuſpenſo relinqverat, irrito, & Montacutio hîc ſe indifferentem gerere, atqve pacem ſedulò promovere juſſo, muneribus affectos honorificè ac civiliter dimiſit. Ut tamen eorum operam ac fidem non prorſus neglexiſſe videretur, ex iſta claſſe præfectum Aſchi & præfectum Cox, antea in Angliâ conductos, unà cum XII. centurionibus & optionibus, CCCLX. miniſtris nauticis delegit, ſuæ claſſi ſocia arma pro juſtis præmiis præbituros. Brevi poſtea etiam nova Batava claſſis XL. navium armatarum & qvater mille militum, præfecto Reutero, acceſſit, & portum Landscronæ inſedit. Hæ duæ claſſes in id, qvod paulò ante dixi, convenerunt. Hollandica tamen hîc, vel Sveticæ vel Britannicæ, an utriusqve forſan coniungendæ potentiæ metu, nihil hoſtile contra Sveticam tentavit. Virium tamen armatarum minis reconciliationem partium utraqve ſvadere viſa eſt. Tandem armiſtitio

facto,

facto, de reconciliandis hoſtibus ultrò actum eſt. Hagæ a Gallis, Britannis & Batavis per ſuos delegatos pacis leges primò qvidem in tractatu Roſchildenſi fundatæ, dein pro arbitrio mutatæ ſunt. Ad qvas Rex tamen alligari noluit, ſed pacem voluit ex more gentium & liberè tractari, uti ſup. dictum eſt. Ut autem Svetici in Hafniæ obſidione adhuc perſeverantes, obſeſſis commeatum ex vicinis inſulis præcluderent, initium fecerunt ab inſula Langelandia: qvâ archithalaſſus Wrangel hoc modo potitus eſt. Ad d. XX. Martii, cum Comitis de Waldeck & Hornii ſexcentis peditum & aliqvot Kønigsmarchii & Oeſneri ſignis, Neoburgi in Fionia ingreſſus naves, è regione Strandburgi ad Langelandiam vela fecit, exſcenſione iſtic ſimulata: ut prætentaret iter & hoſtem. Poſt tres horas cum novem armatis navibus verſus boream ad dictam inſulam revera tetendit. Qvamvis autem vela armatarum navium aliqvantum contrahi juſſiſſet, tamen pontones & ſcaphæ, pedeſtribus copiis onuſtæ, citò eas adſeqvi non poterant. Interea hoſtis in inſula ſpatium & tempus ſe roborandi nactus, tormenta adduci, aciem inſtrui fecit. Qvum verò accedentibus navibus, Svetici exſcenſionem pararent, ab adverſo hoſte tormentis & ſclopetis ita excepti ſunt, ut pauci, qvippe nullo munimento incincti, in littore gradum caperent. Eqvites verò ob paludoſum iſtic fundum ægrè educi poterant; & Lindenberg cum L. peditibus in hoſtium manus venerat; proinde Svetici rem alio aggreſſi ſunt modo. Placuit illis tale conſilium, ut, dum Hornius dimidium copiarum hoſtilium velitationibus diſtinebat, naves noctu in terram tribus inde milliaribus inobſervatæ appellerentur. Hinc expoſitæ pedeſtres copiæ prius ligone terram qvàm armis hoſtem aggreſſæ, excitato aggere ſe communiverunt, mox CXX. eqvites exſcendentes, IV. tormenta ſubſeqvuta ſunt. Etiamſi verò hoſtes ſe Svecis ad littus duobus locis objectarent, tamen Sveci eos viribus ac fortunâ ſuperabant: ita ut uno tormento, & non paucis cæſis aut captis poſt ſe relictis, Strandburgum, ad ſocios, Hornio objectos, receptum peterent. Sed iſtic ſtantes, compertâ fugientium fortunâ, ſuam qvoqve ſtationem deſeruerunt; inde Hornius in terram exſcendendi ſpatium accepit. Tandem ipſe qvoqve archithalaſſus Wrangel & Campi dux Waldeck cum omnibus copiis & tormentis acceſſerunt, & in tranſitu ducentos in caſtello vel arce Langelandiæ Tranekera, qvi ſe ad defendendum pararant, aggreſſi & vim minantes deditione ceperunt. Ita inſula iſta cum eqvitum magiſtro Stenone & C. eqvitibus, chiliarcho Sebaſtiano cum CC. peditibus, CCC. fuſis, reliqvis captis, atqve inſigni copia annonæ; in Regis poteſtatem venit. Inde Wrangel Foburgum, Foburgo Flensburgum, qvatuor iſtic Da-

 nicas

nicas naves adoriendi animo ivit. Sed adverſante vento, eas contingere ne qvivit. Poſt Langelandiam occupatam, in morbum incidente archithalaſſ Rex ipſe expeditionem ſuſcepit in Falſtriam, expoſitis in ripam prope Gul bergæ trajectum copiis. Ubi licet hoſtis cum L. eqvitibus acceſſum Svetico rum prohibitum iret, tamen à protribuno Schverino cum X. peditibus ad ſe pimentum ſtationem capiente tantiſper diſtinebatur, donec ei reliqvæ copi ſubvenirent. Qvibus ſe oſtendentibus, hoſtiles eqvites aufugerant, Svetici i terram exſcendentes, Falſtriam, absq; ullius ferme noſtratiū jactura, ceperun qvam Lalandia mox ſeqvuta eſt. Simulac enim Rex tranſitum inter Gulberg trajectū, & ab hoſte in parte Lalandiæ excitatos ſuggeſtus tormentarios, atc hinc inde diſpoſitas ad littus turmas recognoviſſet, & qvinq; naves paulatin ad trajectum inter duas inſulas & ſubtus ſuggeſtus dictos applicari curaſſet mox ex navibus ſuis hoſtiles turmas & caſtellum ad trajectum continente tormentis diverberari juſſit. Hoſtis, tormentis ſuis uti non valens, & qvi ir caſtello erant, diffugerunt; in qvod Rex C. ex ſuis præſidium repoſuit. Sec qvum caſtellum ad latus terræ continentis apertum eſſet, à turma hoſtiliun eqvitum impetebantur: qvos Svetici ita exceperunt, ut non absq; ſtrage re cedere cogerentur. Et qvamvis hoſtilis tribunus Körber cum duobus validi agminibus illis ſubveniret, non melius tamen accipiebatur à firmatis regii copiis, qvàm ut poſt unum conflictum, in qvo non pauci ex ejus eqvitatu ca debant, & ipſe in axillis vulnerabatur, ex Sveticis duobus ſolùm, ut ferebant vulneratis, loco ac ſtatione cederet. Danica XIX. navium claſſis, ductore Henrico Bielch, & aliæ ſeptem ſub Mönam ſitæ, ductore Obdam, omnes numero XXVI. Hafniâ excurrerunt, ſuppetias laturæ vel ſe conjuncturæ adverſus Sveticos cum aliis ſedecim in ſinu Flensburgico ad anchoras ſtantibus. Qvum verò ad Ellenbogam Lalandiæ appellerentur, Ammiralis Sveticus Bielkenſtiern cum XVIII. navibus tam propè in earum latera provectus eſt, ut res in acre certamen exarſura videretur. Sed qvum Danis & Batavis tunc animus non eſſet in prælium deſcendere, reliqvarum ad Flensburgum ſtantium navium ſubſidio & juſtis militum viribus deſtituti, abitum vento favente pararunt. Nihilominus Sveticæ naves eas perſeqvutæ mediam hoſtium claſſem perruperunt: ubi cæſis utrimq; nonnullis, ipſe qvoq; Ammiralis Bielkenſtiern globo tormentario graviter, non tamen lethaliter, vulneratus eſt. Inde Comes Palatinus Sultzbachenſis inſulâ Mönâ, poſt commiſſam velitationem, in qva XXX. Sveticorum, plures hoſtium occubuerunt, feliciter potitus eſt. Sed & Comes Carolus Guſtavus Wrangel vim hoſtilium navium Middelfarto & Fioniâ ſtrenuè repreſſit; qvod hoc modo accidit, ut ad ipſum Regem Wrangelius ſcripſit. Fœderatorum hoſtium naves militares

qvinq;

qvinq;, ad Fŏnŏram ſtantes, receptis noctu numeroſis pedeſtribus copiis (ultra qvinq; millia numerant) ſecundo vento per fretum Sundicum ivere; donec Middelfartum cum pontonibus & lembis pluribus accederent. Ubi exſcendentes milites, acie ex adverſo urbis inſtructa, & ex militaribus navibus per qvatuor horas Middelfartũ tormentis qvatiebant. Interim omnes lembĩ ad hoſtilis claſſis præfectum convenerunt, ſtationis ſub protectione tormentorum in adjacentibus ædibus capiendæ cauſa. Sed qvia Sveticorũ ſtationes, undeqvaq; ſclopetariis benè inſtructæ, in adverſos hoſtes continuè diſplodebant, pluribus etiam lembis grandine conciſarum pilarũ depreſſis, reliqvos, qvantum etiã laborarent hoſtes, terræ advertere vi tormentorum Sveticorũ prohibebantur. Qvin ipſæ naves hoſtium militares, tormentis Sveticis perforatæ, vela retrò dare cæperunt. Inter qvas proprætoria Hollandica initiũ fecit, littori inter Middelfartum & Fridericiuddam reficiendi cauſa admota; qvam reliqva navigia tumultuariâ fugâ ſubſeqvebantur, & militem in terrã exponebant. Hac re animadverſâ Wrangelius iſtas tormentorũ ictib9 acriter infeſtabat; ut tandem Fridericiuddam peterent, non absq; inſigni qvadã clade: qvum in undis vacui paſſim lembi & ſcaphæ defluentes, multo ſangvine conſperſæ viſæ ſint; in qvibus eqvitum Hiſpanicorum mala Granatenſia, bipennes, ſecures, ligones, aliaq; inſtrumenta bellica reperiebantnr. Cauſa, qvæ hoſtes ad hunc locum aggrediendum inſtigarat, Wrangelio non alia fuiſſe videbatur, qvàm qvod ſibi perſvaſerant, tormenta Svecorum pleraq; è regione inſulæ Fŏnŏræ non in hoc loco ſtare, nec tam citò huc transferri potuiſſe: illos interea minori cum periculo, majoriq; ſucceſſu inſtitutum ſuum promoturos eſſe; qvæ tamen opinio eos fefellit. Poſthæc urbs Lalandiæ Naſcovia, poſt aliqvot menſiũ obſidionem, induſtriâ ac virtute Comitis Guſtavĩ Ottonis Steenbock, militumq; acri ac indefeſſa oppugnatione, ipſiusq; urbis penuriâ pulveris nitrati, per deditionẽ ſe Regis poteſtati tradidit. Huic Regis ſucceſſui hoc inſuper fortuna adſtruxit, ut propræfectus claſſi Cox feliciter rem ageret. Ille cum octo armatis navibus à Rege emiſſus erat ad diſſipandũ Hollandicas naves, Electori Brandenburgico ad transvehendum ejus & fœderatorum exercitũ in Fioniã commodatas; qvas tamen Hollandici Legati, apud Regem ſubſiſtentes, & de pace, ut medii, tractantes, etſi ſæpius de hac hoſtilitate admoniti, pro ſuis agnoſcere nolebant; priusqvam indignatio ex navibus captis vel deletis orta confeſſionẽ extorqveret. Ex iſtis qvatuor naves militares & complures onerarias in ſinu maris Balthici Ebeltofta, poſt vehemens prælium, cum omni apparatu militari Cox occupavit, cæſo claſſi præfecto. Sed proprætoria navis Enkhuſiana tam preſsè inhærebat

rebat

rebat vado, ut inde extrahi non poſſet: itaqve, exportatis tormentis & aliis neceſſariis, exuſta eſt. Inde Cox pergens Arhuſium, ibi qvaſi o tormentis propugnaculo, inde Polonos ejecit, & expoſitis in terram militibus, XL. fermè domos in urbe, & XXX. onerarias naves in portu excubantes incendio perdidit. Cæſariani & Brandenburgenſes ex Holſatia & Juthia in Pomeraniam, hoſtis ſui devertendi ſpecie, profecti, Griphiswaldiæ occupationem bis magna vi, ſed fruſtra moliebantur, urbem cum ſuis fortiter defendente Mullero. Sed Dammio, Demmino & Wollino urbibus iſtic feliciter occupatis, etiam Stetini obſidionem attentantes, Wurtzius urbi præfectus cum præſidiis & civibus urbis, acrior repulit, ac Stetinum tutatus eſt. Poſtqvam enim Cæſareus rei tormentariæ præfectus de Souches cum copiis ſuis per pontem ad urbem Griphenhagam moverat, confeſtim Stetinum ab eqveſtribus copiis circumdari juſſit, donec ipſe cum toto exercitu accederet, & in veteribus operibus ad Paſſovienſem portam ſtationem caperet. Poſt biduum aliqvot legiones Brandenburgicæ advenerunt, qvæ qvum aciem ordinaſſent, tubicen ex munimento ſtellato, ſic vocabant, à Comite de Dohna miſſus eſt ad urbem cum duabus epiſtolis, una ad Wurtzium, alterâ ad Senatum urbis, deditionem poſcentibus. Wurtz decente titulo non honoratus, & ſuſpectas habens ad ſe datas literas, eas ad Comitem de Dohna remiſit. Mox ſalutatâ ab hoſte tormentis & ſclopetis urbe, & reſalutato à Sveticis ſecundum morem hoſte, ille ſe Oderbergum vertit & ſeqventi nocte, beneficio veterum operum, acceſſus obſidionales ad urbem fecit, poſitis ad inferiorem ſinum, verſus Oderburgum & magnum Reckelitzum tormentis: qvibus uſum Oderæ fl. & prati laniorum impedire, & turrim ac domum telonariam demoliri conabatur; ſed omnibus his machinationibus ex urbe ſatis obſtaculi objectum eſt. Ante Spiritus S. portam hoſtis verticem montis, etſi cum XXX. virorum jacturâ, occupavit. Ante portam fœmineam, ita nuncupant, usqve ad præfixas ſudes progreſſus eſt; & in colle adſito, propter meliorem operum ſuorum defenſionem, trium majorum tormentorum ſuggeſtum erexit, ex qvo urbis opera deperditum ibat, injectis qvoqve non ſemel in urbem malis Granatenſibus & globis igniferis, ſed absqve majori detrimento. Contra per eruptionem Wurtzii, militum ejus & civium urbis operâ mero meridie inſtitutam, hoſti ſtrage ſexcentorum vel cæſorum vel captorum illatâ, & poſtero die auxilio per architalaſſum Wrangelium in urbem adducto, deniqve per tribunum Schuerinum annonâ hoſtili vel combuſtâ vel abreptâ, hoſtis expugnationem urbis deſperans, ab ejus obſidione diſceſſit. In urbe verò defendenda Wrangelius,

Wurtzius

Wurtzius & Schuerinus fortitudinem ac prudentiam ſuam, cives ac milites fidem & viriles animos Regi ſic probarunt: ut in meritorum præmium Rex laudatâ & ſuo tempore repensâ ductorum virtute, civitatis etiam rationem haberet; ejus inſignia in melius augeret, magiſtratum Nobilitatis privilegiis donaret, honoris ſtatuâ etiam in urbe ſtatuenda. Nec Wrangelii virtus & fortuna defatigabantur, dum recuperatis aliqvot Pomeraniæ urbibus, inſigni præſidio provinciæ cum ſuis copiis fuit. Hoſtis autem hinc in Ducatum Meklenburgenſem iterum tendebat; qvum antea territorium Wiſmarienſe exſpoliaſſet. Dum autem Svetici in Dania & Pomerniâ occupati erant, interea Cæſariani ac Poloni in Boruſſia conjunctim ſuam rem agere nitebantur. Rex eqvidem ante abitum ſuum ex Boruſſia eas vires & conſilia ſuppeditarat, velut ipſe in ſuis ad Electorem Brandenburgicum literis ſcripſit, ut ſi audita ea & uſurpata fuiſſent, & Elector pro mutuâ ſalute cum ipſo concurrere ſuſtinuiſſet, utriusqve, licet abſente Rege, conſervationi apprimè inſervire potuiſſent. In eum enim finem ſub ductu Principis Adolphi Johannis, Regis Fratris, Boruſſiæ tunc Adminiſtratoris, non ſpernendas copias, cum Electoris copiis, qvandocunqve opus videretur, conjungendas reliqverat, ad tuendas utriusqve provincias & ſuſtinendos hoſtium impetus; validiores relicturus, ſi communi ſtudio ab Electore aliqva acceſſio opis facta fuiſſet. At poſt diſceſſum Regis, eò provectus eſt Electoris cum hoſte conſenſus & conjunctio, ut mirum videri non debeat, ſi mutuorum auxiliorum ratio vileſceret; uti pluribus ſcripſit Rex, eâqve de re jam ante ſuo loco fuſius dictum eſt. Princeps Adolphus Johannes tamen, qvantum in ipſo erat, fidâ curâ fortiqve animo Boruſſiam tutabatur, dum ei cum imperio præerat, ac hoſtiles machinationes pro viribus amoliebatur; etiam Dirſchavia in Pomerelliâ, V. milliaribus Dantiſco ſita, occupatâ. Sed hoſtium ſubinde auctis viribus per Auſtriacos, & Regis ſociis vel infeliciter abſcedentibus, vel in Auſtriacorum partes concedentibus, benè cogitata & deſtinata ſolus cum ſuis copiis ſemper perficere non valebat. Tandem enim hoſtis Boruſſiam ingreſſus, Thorunium iſtic Auſtriacorum ope obſidere cœpit. Etſi verò urbs cura ac proviſu Regis Fratris, allatis Graudentio adjumentis adductisqve qvibusdam copiis, per ſemeſtre ſe ſtrenuè adverſus hoſtiles impreſſiones atqve oppugnationes defendebat, tamen poſt dictum tempus fame & oſcedine victis præſidiis, hoſti ſe dedere coacta eſt; præter alia qvædam loca deinceps recuperata, de qvibus jam alii memorare occuparunt. De recuperatâ verò à Danis Fioniâ, qvum varii diverſis modis referant, à ſpectatæ fidei atq;

integritatis primario viro Sveco; qvi tunc in propinqvo apud Regem fuit, acceptam commemorationem bonâ fide lectoribus reddam. Hollandica claſſis Kilonii MD. eqvitum & MM. peditum Danicorum ductore Schackio, & qvater mille Batavos (præter aliqvot millia Cæſarianorum, Polonorum & Brandenburgicorum aliâ viâ Middelfartū circumvectâ) tunc transvehendos acceperat, Gotheburgo, ut primus ferebat rumor, minantes. Sed iſta claſſis cum dictis copiis prius Nyburgum transfretavit, portumqve ingreſſa, exſcendentium iſtic ſpeciem præbuit, alliciendi iſtuc ad reſiſtendum Sveticos, & eludendi propoſito. Qvod poſtqvam ſucceſſit, inde ſolverunt omnes & receperunt ſe Charthemundam; ubi ſtatim tormentis navalibus pontem fluvii iſtic in mare decurrentis disjecerunt atqve corruperunt. Unde Svetici ad occurrendum majoribus hoſtis molitionibus, per tria milliaria circumire partem ſinus maris coacti ſunt, anteqvam ad deſtinatum locum pervenirent. Interim hoſtis absqve ullo obſtaculo copias in terram exponere, & commodam ſtationem capere poterat. Hîc Sveticis animus erat in illos irrumpere, qvi ad Middelfartum exſcenderant, nimirum Cæſarianos, Polonos & Brandenburgicos, pedeſtres mille qvingentos, eqveſtres ferme qvinqvies mille. proinde ductor iſtic exercitus Svetici, Comes Palatinus Sultzbach, Princeps fortis & rerum militarium peritus, per fretum Othonicum eò tetendit. Henrico Hornio ſummo vigiliarum præfecto, exercitæ in militiâ virtutis viro, negotium qvoqve dedit cum aliqvot legionibus impreſſionem in hoſtem faciendi; qvem majores copiæ ad ſuppetias ferendum ſubſeqvi juſſæ erant. Sed diverſis Regis mandatis acceptis, & in gravioribus periculis, conſilia, ut ſolent, titubant. Dum enim Hornius jam iter ingredi cæperat, ſubitò à Principe revocatur. Itaqve Svetici vires hoſtiles, ſe interponendo, disjungere non valentes, nullam partem hoſtium ſeparatim adoriri potuerunt. qvod absqve magno diſcrimine ac difficultate tam exercitati milites potuiſſent, ſi ſtatim adverſus hoſtem iviſſent, dum Middelfartum transiverat. Verùm dum Sveticæ iſtæ cohortes Nyburgum reducebantur, interim hoſtium copiæ conjungebantur, viresqve creſcebant. Cum qvibus adverſus aliqvot copias Sveticas pedeſtres, qvæ Nyburgi erant, & eqveſtres, qvæ prope Nyburgum conſiſtebant, movebant. Ubi non tam ex claſſe Hollandicâ, qvæ jam Carthemundâ redierat, qvippe remotiori, noſtrates infeſtabantur; etſi receptu in Sialandiam ab eâ præcluſi; qvam qvod hoſtes eos terrâ incurſantes, eqvitatui eorum inprimis ſtragem dabant.

Rex

Rex qvidem Corſörâ aliqvot centurias peditum illis ſubſidio miſerat; ita ut copiæ Svecorum in Fionia MMM. eqvitum & MD. peditũ eſſet; eòdem Campi Mareſcallum Comitem Steenbock amandarat, ut è re in medium conſuleret; ſed iſtis advenientibus, ſemel jam admiſſa hujusmodi erant, ut non niſi vehementi atq; ancipiti pugnâ emendari, ſi tamen emendari poſſent. Svetici eqvidem, cum ipſorum hoſtium admiratione ad mortem usq; ad viri ſteterant ac pugnarant, tandem tamen hoſtium multitudine oppreſſi fuſiq; ſunt; eqvitatus maximâ parte deletâ. Bötker & junior Konigsmarck hoſtiles copias perrumpere ac turbare qværebant; ſed Batavi contis & pilis ſe ita præmuniverant, ut penetrabiles non eſſent. Inter reliqvos Dux Vinarienſis Adolphus Wilhelmus fortiter agebat: dum non ſolùm propriam ſuam legionem adverſus hoſtem educens, cum eo ſtrenuè dimicabat; ſed etiam, poſtqvã aliarum legionum ductores occubuerant, & eqvites, qvi erant flos exercitus, turbati ſeipſos in ordinem redegerant, eosdem adverſus hoſtem non inultos; nec absqve nominis ſui decore ducebat. Sunt qvi qvater mille Sveticorum (alii bis mille) partim occubuiſſe, partim captos, tradunt: qvum nullum in inſula effugium pateret. Supremus vigiliarum præfectus Bötker, expertæ virtutis vir, iſtic qvoqve cecidit, Henricus Horn captus eſt. Egregius apparatus rei tormentariæ cum LX. tormentis, qvorum majorem partem ipſi Seci ad Middelfartum clavibus infixis inutilem reddiderant & corruperant, ab hoſte cum aliis pretioſis abreptus eſt. Atqve hac clade Svecis illatâ, Dani Fioniam recuperant. Etenim qvum belli proſperitas ſæpe varia, rarò propria qvibusdam & perpetua ſit; poſteriora non ſemper reſpondent primis rerum ſucceſſibus. Nec enim ſeqventi anno res in Norvegia ex voto, ut antea, evenere. Conjunctis enim Laurentii Kagge R. Marſchi, Guſtavi Horn & Haraldi Stake, prudentium & ſtrenuorum virorum copiis, qvibus etiam acceſſere Dalecarli numero DCCC. ductore Laurentio Creutz, tamen ditionis Aggershuſianæ occupatio fruſtra tentata eſt; ſicet Rex ipſe opportunitate frigoris & glaciei, atqve ſi hoſtis commeatu exueretur, debellatu eam faciliorem fore ſperaret. Initio qvidem aliqvoties centeni hoſtes Sveticis à tergo ingruentes in tranſitu cædebantur; ſed qvum exercitus admoveretur Hallæ, non ſolùm præſidiis hoſtilibus ſatis inſtructæ, ſed etiam tot in collibus editoq; excitatis propugnaculis, unde noſtrates facilius qvam hoſtis, globis peti poterant, præmunitæ; deprehenſum eſt, oppugnationem irritam eſſe. Accedebat, qvod itineris & intenſi frigoris difficultas inceptum non parum retardabat. Hoſtem verò commeatu exutum ire, fruſtra erat: qvùm ſua jam in tutum reportaſſet;

1660

 unde

unde noſtrates annonæ penuria premebat. Ita fortuna belli more ſuo mutabat, adverſis temperari ſveta. Qvæ tamen omnia Rex regio animo & capere & ferre poterat. Eadem meliori ſpe penſaturus, novisqve conſiliis & viribus emendaturus, Gotheburgi cum regni Ordinibus comitia inſtituit: qvæ Regis ipſius præſentia, admoto ſibi ad dextrum latus, ſed ſede paulò demiſſiore, Principe Filio, & oratione ad regni Ordines plurimùm honoravit. In oratione ſua, *anteacta ſtrictim repetiit, auctorqve fuit pacis, ut ab hoſte non petendæ, ne victi, ita oblatæ non repudiandæ, ne ſuperbi victores viderentur. Si verò hoſtis pacem honeſtam nollet, adjumenta belli animosqve inſtaurandæ fortunæ reparari* hortatus eſt. Comitiorum præcipua capita maturè deliberata & decreta hæc fuere: *Pacem qvavis honeſta ratione qværendam eſſe. qvæ ſi haberi non poſſit, bellum animosè perſeqvendum, milite ad qvatuor annos conſcripto: ſic ut ex Nobilium ruſticis qvilibet decimus pro annis MDCLX. & MDCLXI. ſed pro annis MDCLXII. & MDCLXIII. qvilibet vigeſimus ſcribatur; ex ſacri ordinis duobus Paſtoratibus unus pro præſenti anno, ſed pro ſeqventibus annis ex tribus Paſtoratibus unus idoneus eqves; ex plebe pro præſenti & ſeqventi anno octavus, pro reliqvis duobus annis qvilibet decimus legatur; bellumqve ordinariis adminiculis ſuſtineatur. Ordines præterea de Parente Rege & Filio Principe coram conſpectis & incolumibus unicè ſibi gratulati ſunt, fauſtis votis fuſis.* Rex paulum excurrens ad regni limitem, ordinaturus iſtic qvæ è re viſa ſunt, rediens ex itinere, malignâ febri corripitur. Ingraveſcente morbo, ſuprema conſtituit, & ſatis gnarus, qvantum in Filii ſui, ad tantam fortunam & ſpem ſucceſſionis nati, recta educatione momentum ſit, eam cum tutelâ Principis impuberis Reginæ Conjugi ac Proceribus regni ſedulò commendavit; jam ante, dum integrâ valetudine erat, Filii ſtudiis præfecto Secretario Emundo Gripenhielm, politiorum literarum & rerum civilium perito ac præſtante viro. Supremo Numini conciliatus, piè deceſſit heros, irreparabili, ut videbatur, jacturâ; niſi Princeps CAROLUS, nova ſpes & incrementum regni, natus fuiſſet. Hunc regni Ordines in dictis comitiis Gotheburgenſibus & poſtea Stokholmenſibus, ſecundum Unionem hæreditariam anni MDCL. & MDCLIV. atqve de maſculorum Regis hæredum ſucceſſione in regnum, jura & pacta hîc repetita, pro legitimo ſuo Rege regniqve ſucceſſore agnoſcunt, acceptant & confirmant. Circa finem hujus anni in comitiis Stokholmenſibus, præter alia, *de certa regiminis conſtitutione in impubere ætate Filii Regis, & funere Patris defuncti* decretum eſt. Ejus de-

ductio

ductio prorſus illuſtris & tanto Rege digna fuit. Qvi qvantæ, præter Svecicæ fortitudinis ac fortunæ famam inter exteros antea partam, apud omnes, etiam rerum potentes exiſtimationis fuerit, vel hoc ſit teſtimonio: qvod, qvum appararet bellum adverſus Poloniam, & tamen illud ad exitum veris, qvo abitum parabat, cautè occultaſſet; omnes ferme Reges & Principes, qvaſi omnes petendi eſſent, ab eo ſibi vel cavebant vel metuebant, & adverſus incerta caſusqve belli ſe certatim præparabant. Qvum verò res ipſi in bello proſpere eveniſſent, erant qvi cohibendæ ejus fortunæ ac per eam potentiæ vires ſuas conjunctas opponebant. Qvantus autem in armis fuerit, tot atqve tam arduæ ejus expeditiones ac pugnæ, etiam oſtento ad Rasboam non procul Upſaliâ, paulò ante Regis abitum, adumbratæ; atqve ſex hoſtium, viribus & opibus potentium, magnitudo loqvantur. Qvibus tamen non territus, hoc ad ſe ſuosqve magis erigendum, & ad militum ſpem atqve animos confirmandum, in ore habebat: *Qvò plures hoſtes, hoc majorem virtutis in difficilibus & arduis exercendæ materiam fore.* Qvod etiam ipſa re comprobavit, dum tot inſignibus victoriis reportatis, tot periculis terra mariqve ſuperatis, tot urbibus, inſulis, provinciis, ac totis ferme regnis debellatis, tam feliciter & glorioſè ſe geſſit; ut orbi terrarum admirationi eſſet. Ille verò fortunâ ſuâ modeſtè æſtimatâ, qvidqvid hujus eſſet, manui divinæ & ab hac armatæ ſuæ virtuti acceptum ferebat. In rebus perplexis & periculoſis, qvum alii vel inopes vel incerti conſiliorum eſſent, ille promtum & expeditum conſilium, cum omnium ſtupore, vel ex tempore dare poterat. Nec minus ſolers in hoſtium conſiliis inveſtigandis, iisqve vel antevertendis vel turbandis erat; ut tamen prius hoſtis ingenium ac vires, ſpatium vel cunctandi vel locos mutandi, pugnæqve tempus & modum explorare ſtuderet. Uti in laceſſendis pugnæ periculis non temerarius, ita adeundis impavidus erat: præſertim ſi ſumma res ageret, qvæqve præſentiam ejus expoſceret. Sed, extra ſummam rei, à ducibus rogatum accepimus, ut, ſi ipſos tales eſſe vellet, illis ac militi diſcrimina relinqveret, ſibi publicoqve vitam ac imperium ſervaret. Licet autem nihil per injuriam negligeret, aut per metum defugeret: ut, æqvato cum militibus vel labore vel prælii alea, parem illis ardorem atqve animos adderet; qvoties tamen miles in aciem producendus erat, providè & cautè agebat, qvantum per adverſa belli licebat; qvæ evitare, non ſemper, etiam in prudentis ducis manu eſt. Qvum alii belli imperatores in hybernis, inter epulas & pocula corpus molliter curare ſoleant, ille in media

hieme ſe militemqve ſuum ſub dio tenebat & fatigabat. Robuſtâ ſua virtute, duris gaudente, æſtum, frigus & aſpera qvæqve facilè tolerabat. Laſſitudinem corporis ex perpetuis itineribus, tot præliis ac labore militari contractam, integro mentis vigore discutiebat. Moderationis in victoria gloriam prætulit ſangvinis hoſtilis cupiditati: prohibens deteſtansq; seriò belli flagitia, etiam à ſuis admiſſa. Qvum Przimskius præcipuæ nobilitatis Polonus aliqvando Stetini ex Rege qvæſiviſſet: *Num qvid adhuc gens Polonorum aliud vel ſperandum vel timendum haberet, præter ſui excidium?* Rex heroicè & benignè reſpondit: *Nunqvam ſibi vel cogitatam vel expetitam fuiſſe hoſtium ſuorum extra aciem internecionem. Qvod ſi hactenus multa admiſſa fuerint vel ex ſolito belli more, vel inſolitâ nonnullorum tribunorum licentiâ, & qvidqvid aliud odioſorum exemplorum eſſe poſſit, hæc vel ſe invito, vel in ipſo rebellionis Polonorum æſtu facta eſſe.* Velut mirâ ſuâ comitate amorem, ita magnitudinis Regiæ fulgore, prudentiâ & auctoritate ſibi reverentiâ militum populiq; conciliabat. Tàm promtus dignè meritorum remunerator, qvàm ſeverus adverſus facinoroſos judex erat. Ut magnum crederes, ad motum animi pronus, ſed placabilis erat, nec ultra oderat. Etſi totum ejus imperium nihil ferme niſi militia fuit; tamen pacis, ſed decoræ & tutæ, viam qvavis legitima occaſione qvæſivit. Ad legationes & negotia publica foris domiqve peragenda viros cum judicio deligebat & aptiſſimos qvosqve: ut, vel hinc æſtimares Regem. Laborum, qvi non ſolùm ad militares, ſed etiam pacatas regni res pertinebant, tam patiens erat, ut ſi per dies militiæ deſtinatos non liceret, noctium horas operi adderet; & qvæ Regi jubenda, aliis facienda erant, ipſe ſæpe perficeret, vel exemplo præiret, vel auctoritate ſua diſpenſaret, vel conſilio dirigeret. Sanè laboribus etiam Cancellariæ, dum in militiâ verſabatur, unà cum Senatoribus regni perfunctus eſt; ſed maximè ſolus, ex qvo R. Cancellarius obierat, & abſentibus Senatoribus: qvâ re corporis vires qvidem onerabat, ſed ingenium, per experientiam civilem, & peritiam publicarum rerum, etiam inter arma, plurimum acuebat. Qvin Secretarios ſuos in expeditionibus ſæpe ſub frigido cœlo, inter nives & gelu, ſub periculis & laſſitudine ferme non minus qvàm militem tenebat: ut vel ſuis vel regni negotiis ſcripto peragendis nullum tempus, ne cœli qvidem aſperitas eriperet. Certè poſt Dei cultum, publicam rerum patriæ curam ſibi præcipuam ac propriam faciebat, totus in illâ, & totus ex ſeſe. Unde illius Regis exſtincti deſiderium eò majus erat, qvo minus ejus imperio, præſertim in pacato regni ſtatu, diu frui licuit. Qvantum tamen per exiguum illud temporis ſpatium, excelſo animo, indefeſsâ virtute, ſudoribus bellicis

ciſ, ac victoriis non ſibi ſolum immortalis famæ decus, ſed etiam regno Sveciæ fructum pepererit; & conſervatio patriæ, & proximè à morte ſuâ cum omnibus hoſtibus ſuis, invidis fruſtra reluctantibus, optâta pax facta luculenter teſtantur. Illis enim Regii faſtigii, nominis ac tituli illibatus honor adſertus, principium imperii Succeſſoris CAROLI Regis coram omni mundo inſigne factum; & præter publicam ſecuritatem, ampliſſimis provinciis Livoniæ Septentrionalis, arcis Bahuſiæ ejusq; ditionis, Scaniæ, Hallandiæ, Blekingiæ perpetuis proprietatibus ac poſſeſſionibus Regnum Sveciæ locupletatum eſt: qvæ velut membra ad ſuum corpus, cujus olim fuere, reverſa, finem veteribus diſſidiis factura ſunt. Præter hæc, cum Rege & Regno Sveciæ, ejus ante hoſtibus, Cæſare, Rege Daniæ, Rege Poloniæ, Czare Ruſſorum, Electore Brandenburgico, Duce Curlandiæ & Batavis pace reconciliatis, vigor commerciorum intra & extra regnum redintegratus, patriæ tranqvillitas, reqvies & ſalus ſtabilitæ ſunt. Illam pacem eò firmiorem fore ſperamus, qvò minus properata aut neceſſitate expreſſa, ſed utrimqve perpenſis ejus momentis, ſponte pertractata, atqve cauſis odii, qvantum potuit, ſublatis, æqvis legibus & pactis inita eſt. qvæ non modò arbitrorum componendo bello lectorum cautione de ſecuritate, ſed etiam fido inter Reges ipſos, Principes & Reſpub. honeſtæ pacis & qvietis amantes, amicitiæ vinculo mutuoqve reſpectu conſtringetur & ſervabitur, qvod à DEO optamus.

IN NA-

IN NATALEM
CAROLI
CAROLI GUSTAVI,
Regis Sveciæ FILII, Principis Hæreditarii,
nunc
REGIS SVECIÆ.

FElix illa dies, qvæ tanti conſcia partus,
Luce novâ florens ſæpe redire velit!
Delectat generis ſibi ſpem genuiſſe Parentem:
Plus Patris & Patriæ ſpem genuiſſe juvat.
Æmula virtutum Patris & vulgaria ſpernens,
Prima ætas CAROLI regia corda fovet.
Nam qvoties patriâ ludebat parvus in aulâ,
Ex PUERIS agmen condere promtus erat,
Ad fictam pugnæ faciem & præludia veræ
Ducit, & Imperii ſub titulo hoſce regit.
Aſt animo magno melius clarente per annos,
Edere ſtat belli cum ſimulacra VIRIS.
De rebus regni qvoties conferre placebat,
Auctor conſilii non puerilis erat.
Tantus erat primis qvando & puerilibus annis,
Qvantus erit, qvum Rex, Vir & adultus erit.
Qvi facere à teneris & recta & ſtrenua ſveſcit,
Rex bonus & fortis Dux erit ille ſuis.

IN

IN EJUSDEM REGIS SVECIÆ

Effigiem, cum Voto pro Regii Imperii publicâ proſperitate.

TAle os Rex Sveonum CAROLUS faciemqve benignam,
Incinctus lauru tempora ſacra, gerit.
Ingenuus vultus, frons pulchraqve pectoris index
Illius eſt, qvod ibi pulchrior hoſpes habet,
Nempe animus verè qvi auguſtus, Regia Virtus
In regni Patrio nata ſedere loco.
Te Numen ſervet, cujus Te munus habemus,
Imperiumqve beet proſperitate Tuum!
Sive tonet Martis fulmen, ſileatve qvietis
Tempore, Te incolumem protegat usqve Deus!
Nominis haud hæres ſolùm, ſed laudis avitæ
Et patriæ, Heroum conſpicuumq́; genus.
Sis generis tanti Rex ò CAROLE incrementum,
Maximus atqve annis non meritisqve minor!

BREVE CHRONICON ET SERIES REGUM SVECIÆ.

Lectori S.

CHronologia antiqvior in hiſtoria Sveonum valde lubrica & incerta eſt, priſcis rerum qvàm temporum obſervantioribus. Proinde, ne lectori ſtudiosè imponerem, nullam potiùs, qvàm incertam annorum ſeriem ad oram Annalium meorum attexere viſum eſt; donec ad ætatem Suercheri II. deveniretur: ubi certior & Chronologorum conſenſu comprobata temporum ratio ſe offert. Si tamen placet qvalemcunqve intereaboni conſulere, donec melior detur, ſi modò dari poſſit, hîc habes ex Jacobi Gislonis, P. Petreji & Joh. Svaningii Chronologia breviter excerptam, paucis à me additis. B. V.

Año Mundi | Juxta ordinem operis mei Hiſtorici.

2014. ERICUS I. Serugi, Abrahami proavi ætate, hoc eſt ducentis præter propter poſt diluvium annis vixiſſe putatur. Sed natales Serugi referunt Chronologi ad A. M. 1819. vel 1820.

UDDO, ALO, OTHENUS, CAROLUS I. BIÖRNO ET GETHARUS, REGES obſcuri, qvo tempore vixerint, incertum.

GYLVUS vel GYLFO circa tempora Odini vixiſſe creditur.

JUDICES.

ODINUS. Arngrimus Jonæ Island. cap. IV. Odinum A. 24. ante C. N. primum ex Aſia in Sveciam veniſſe dicit. Sed antiqvus ille, Odin bingamble dictus, multo longius retro ponendus erat: qvum in Chronic. Norveg. p. 4. & 25. inter primos qvi præfuere Svetiæ, collocetur.

NIORDUS & ſeqventes vel ſocii, vel poſteri Odini Freius, Odder, Fiolmo, Sveigder vel Schvercherus I. Walander, Wisbur, Domalder, Domarus, Vignerus, Dagerus, Ingemarus, al. Agnus, partim cum eo, partim poſt eum vixere, incerto tamen temporis ordine.

2537. qvidã 2629. alii 2673. alii 3110. ponũt. HUMBLUS. Hoc tempus non longè abit ab eo qvod Joh. Gothus ab Erico I. usqve ad Danem ſupputavit: Sed Svaningius Danem ſub A. 2910. ponit pag. I. & 25.

SIGTRU-

A. Mundi

2712 SIGTRUGUS al. SIGTRUDUS al. SICHTUNIUS. Circa hoc tempus
al. 2758 à Joh. Magno & aliis qvibusdam Gothilas ponitur, ſed is exterorum
2760 Gothorum rex à Jornande dicitur.

2831 SVIBDAGERUS. Svaningius in Chronol. Daniæ interv. 3. art. 1. *Pri-*
al. *ma unio trium Borealium regnorum, Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ facta eſt*
2165 *ſub auſpicio Svibdageri.* Num unio verè dicenda?

2891 ASMUNDUS al. AMUNDUS, HASMUNDUS dicitur Crantzio.
al. 2870

2939 UFFO. Saxo & Crantzius poſt Asmundum ponunt Gramum; ſed no-
al. 2943 ſtri Annales Uffonem.
al. 2952

2983 HUNDINGUS. qvibusdam HUNNINGUS dicitur.
al. 3001

3031 REGNERUS.
al. 3018
al. 3051

3060 HOTHEBRODUS.
al. 3038
al. 3020

3125 ATTILUS I. aliis ATISLUS, al. ATTILA.
al. 3088
al. 3151
al. 3127

3174 HOTHERUS.
al. 3201

3252 RODERICUS Slingebandh.
al. 3213

3336 ATTILUS II. al. ATTISLUS. Hic veteres Annales faciunt interval-
al. 3551 lum annorum pene ſexcentorum. alii qvingentorum, qvo vel nulli vel incerti memorantur Reges: qvod præclara in ea gente facinora per incuriam ſcribentium ſepulta ſint, ut vult Krantz. Hiſt. Svec. l. 16. & Dan. l. 24. Johannes & Olaus Magni hîc inſerunt novem Reges, Botvildum, Carolum II. Grimmerum, Tordonem, Getharum, Adolphum, Algothum, Ericum II, & Lindormum; qvos alii non habent. Vid. Joh. Magn. Lib. 1. in fin. & lib. IV. usqve ad cap. XIV.

3916 ALRICUS aliis ALARICUS.

A. M.

3929 ERICUS III. cognomine ſapiens vel diſertus. Joh. Magnus & Jacobus
al. 3931 Giſlonis annis 34. ante Chriſtum natum, Meſſenius Speculæ Svec. cap.
Año Chriſti XI. annos 24. Speciæ præfuiſſe conjicit. Vid. Obſerv. Hiſt. ipſo initio.
43 HALDANUS I. Joh. Magnus hîc Gothricum, & Nordianum inſerit.
al. 52 Vid. in vita Haldani.
al. 30
100 SIVARDUS, aliis SIGVARDUS I. Joh. Magnus poſt Sivardum ponit
al. 103 Carolum III. qvem alii hîc non agnoſcunt. Ericus Upſal. hîc Sivar-
al. 104 dum & ſeqventes ſex Reges tranſilit.
169 ERICUS IV.
al. 170
al. 180
181 HALDANUS II. cognomento Bergram.
al. 180
194 UNGVINUS, aliis EUGINUS.
203 RAGVALDUS al. REGNALDUS.
220 AMUNDUS, Saxoni HANUNDUS.
al. 221.
226 HAQVINUS al. HACHO.
al. 225

OSTENUS I. qvidam poſt Urbarum ad A. 262. ponunt eum.
ALVERUS, nonnulli cum Alarico eundẽ faciunt & ad A. 356. rejiciunt.
240 INGO I. Hîc ſeqventes in noſtris Annalibus ſive Judices ſive Reges
al. 241 Saxo & Crantzius non habent; Sed annales Sturleſonii, Erici Upſal.
& hiſtoria Joh. Gothi habent, licet non omnes eodem ordine ac tem-
pore.
262 FIOLMUS aut FIOLMO. Hunc Sturleſonius proximum ab Oddero
ponit. vid. ſup. in NIORDUS. Noſtri annales qvinqvageſimum no-
num Regem faciunt. de qvo ordine, dubiâ & incertâ veteri Chronolo-
giâ, nihil certi adfirmaverim.
378 INGELLUS.
382 JERUNDER al. JORUNDER al. GERMUNDUS.
al. 383
387 HAQVINUS RINGO.
38? EGILLUS cognomine WENDELKRÅKA.
405 GOTHARUS al. OTHARUS.

ADE-

Añoſ Chriſti

433 ADELUS.

437 ÖSTENUS II. vel EISTENUS, ut alii.

453 INGEMARUS vel INGEVARUS, aliis CANUTUS.

455 HALSTANUS I. Poſt hunc Joh. Magnus ponit XVI. Reges, RAGVALDUM, SWARTMANNUM, TORDONEM, RODOLPHUM, GOSTAGUM, ARTHUM, HAQVINUM, CAROLUM IV. CAROLUM V. BIRGERUM, ERICUM V. TORILLUM, BIÖRNUM, ALARICUM: qvos omnes Ericus Upſal. & alii veterum non agnoſcunt. Et tamen tanto temporis intervallo nimirum 343. circiter annis, oportuit fuiſſe Reges.

780 BERO vel BIÖRNO III. Hoc imperante primùm Herbertus à Carolo Magno huc miſſus, fundator Eccleſiæ Lincop. fuit. Deinde A.C. 816. Anſcharius Hamburg. & Brem. Epiſcopus, à Ludovico Caroli M. filio huc miſſus in Svetiam venit, & multos ad Chriſtianam religioné convertit. qvod etiam Adamus Brem. qvi ſcripſit circa annum Chr. 1077. confirmat, ubi in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica de Ansgario loqvitur: *Ipſe cum Withmaro in Sveoniam transfretavit, ubi benignè a Rege Biörn ſuſcepti ſunt. multos itaqve per annum integrum lucrati ſunt Domino J. Chriſto: in qvibus Herigarius, oppidi Bircæ præfectus credidit; qvem tradunt etiam miraculis & virtutibus inſignem* Licet autem Adamus hîc certum tempus non exprimat, tamen id ſub Biörnone contigiſſe refert. In dicto autem tempore conveniunt Lupoldus Bebenburgenſis in libro de *Zelo Principum Germ[illegible] erga religionem* (qvem etiam ad teſtimonium citat Joh. Magnus Lib. XVII. Hiſt. Svet. cap. 11. ubi tamen pro *Labenburgenſi* emendandum eſt *Bebenburgenſi*, ut titulus ipſius libelli ſatis indicat) item Joh. Magnus dicto loco, Jonas Magni in Synopſ. Hiſtor. P. Petreius in Chronic. & alii. Nec remiliginem objicit, qvod qvidam A. 832. ut Joh. Magnus dicto loco notat, alii A. 834. ut ex Ludovici Imp. literis apud Pontanum Hiſt. Dan. lib. IV. p. m. 97. liqvet, item A. 858. ut Albertus Abbas Stadenſ. in ſuo Chronico obſervat. in Svetiam veniſſe perhibent: plus enim ſimplice vice huc profectus eſt dicti finis cauſa, ut Joh. Magnus dicto capite rectè obſervavit, & ante eum jam dudum Rembertus, auctor & ſcriptor vetus Anſcharii Vitæ p. 182. 183. & p. 210. 211. edit. Lambec item Helmoldus Chron. Slavor. lib. 8. cap. V.

824 AMUNDUS, aliàs BRAVTAMUNDUS dictus, ex qva cauſa, in ejus vitâ notavi.

A. C.

827 SIVARDUS II. FRO aliàs appellatus.
834 HEROTUS, al. HARALDUS.
856 CAROLUS VI.
868 BIÖRNO IV.
883 INGELLUS vel INGEVALDUS, al. INGIALDUS.
891 OLAUS I. TRETELIA.
al. 894
900 INGO II.
907 ERICUS VI. *Ventoſipilei*, Wederhat.
817 ERICUS VII. VICTORIOSUS.
al. 988
940. 980 ERICUS VIII. aliis STENCHILLUS & Åqrſel.
al. 1032. OLAUS II. SKÖTKONUNG. Confer Sturleſonium in vita Olai Haraldi pag. 208. Chronici Norveg.
1019 ANUNDUS CARBONARIUS.
al. 1032
1035 EMUNDUS. Qvidam eum proximè ante Ericum Victorioſum collo-
al. 1043 cant. Vid. Eric. Upſal. lib. 2. p. 69.
1041 HAQVINUS III. RUFUS.
al. 1042
1059 STENCHILLUS. hic ante Haqvinum ponitur in Chronico Norveg. Snorronis pag. 395.
1059 INGO III.
al. 1061
1064 HALSTANUS II. Ingonis frater.
1080 PHILIPPUS Halſtani F.
al. 1082
1110 INGO IV. Philippi F.
1129 RAGUALDUS KNAPHÖFDE. Hactenus incerta chronologia. ſeqventium Regum certior eſt, ad oram ſingulorum ſuo ordine fuſius notata: itaqve hîc ſolùm qvo anno Reges eſſe cæperint, indicaſſe ſatis habebimus.
1140 SVERCHERUS II.
1160 ERICUS IX. cognomine Sanctus.
1162 CAROLUS VII.

CANU-

A. C.

1168 CANUTUS S. ERICI F.
1192 SVERCHERUS III.
1211 ERICUS X.
1219 JOHANNES I.
1223 ERICUS XI. cognomento Balbus.
1251 WALDEMARUS.
1277 MAGNUS I. cognomento Ladulås.
1291 BIRGERUS Magni F.
1319 MAGNUS II. cognomento Smeck.
1360 ERICUS XII. electus Rex Svetiæ, à propria matre Blanca veneno occiſus perhibetur.
1363 ALBERTUS Megapolitanus.
1395 MARGARETA Danica.
1396 ERICUS XIII. Pomeranus trium Regnorum Svetiæ, Daniæ & Norvegiæ Rex.
1441 CHRISTOPHORUS Bavarus.
1445 CAROLUS VIII. CANUTI cognomine.
1457 CHRISTIERNUS I.
1471 STENO STURE Senior, Regni Adminiſtrator.
1497 JOHANNES II.
1504 SVANTO STURE, R. Adminiſtrator.
1512 STENO STURE junior, R. Adminiſtrator.
1520 CHRISTIERNUS II. tyrannus.
1523 GUSTAVUS I. Regno hæreditario facto.
1560 ERICUS XIV.
1568 JOHANNES III.
1594 SIGISMUNDUS.
1600 CAROLUS IX.
1611 GUSTAVUS ADOLPHUS II. cognomine MAGNUS.
1644 CHRISTINA.
1654 CAROLUS GUSTAVUS X. abdicante Regina imperium & in Ipſum transferente.
1660 CAROLUS XI.

EX CHRONOLOGIA

REGUM SVETIÆ,

Auctoris

DN. OLAI RUDBECKII, Profeſſoris Academiæ Upſal. Publici.

ANno à condito mundo
3590. *Wilchin*, de qvo hiſtoria in vet. MS. Svetica exſtat, propediem edenda.
3610. *Ferniotus.*
3640. *Pore* al. *Thore.*
3670. *Niord.*
3700. *Geiter.*
3730. *Gylfe.*
3760. *Niord.*
3790. *Yngve.*
3820. *Fiolner.*
3850. *Sveigder.*
3880. *Vanland.*
3910. *Wisbur.*
3940. *Domalder.*
A. C.
20. *Domar.*
50. *Dygve.*
80. *Dager.*
110. *Agni.*
140. *Alric* vel *Ericus.*
Thorborg, Erici filius, ſeorſum aliqvamdiu regnans; de qva illud Taciti in German. 45. 11. *Femina dominatur*, ex temporis ratione Rudbeckius collectum ibat.
170. *Yngve.*
200. *Jorunder.*
230. *Anni.*
260. *Getar.*
290. *Adulf.*
320. *Algut.*
350. *Erich.*
380. *Linderm.*
410. *Sivar.*
440. *Egil.*
470. *Ottar.*
500. *Adelus.*
530. *Eiſtanus.*
560. *Inguor.*
590. *Omund*, al. *Brantomund.*
620. *Ingiald.*
650. *Harald*, al. *Olaf Tretelia.*
680. *Urbar.*
710. *Eiſtan Illradi.*
740. *Biörn Iernſiida.*
770. *Erich.*
800. *Biörn*, Erici F. Biörnonis Iernſiida nepo[s]. Hic etſi ab omnibus ſcriptoribus præteritus, ta- men, ut eſt in hiſtoria S. Olai, *tenuit regnu[m] firmus viribus florens.* Idem fertur *bonus* & *manſvetus erga ſuos fuiſſe.* ibid.
830. *Ericus & Biörno* ſimul imperarunt.
860. *Amund* vel *Emund*, Biörni F. *al.* Ingo d[i]ctus.
890. *Ericus* Emundi F. cognomine *Ventoſi p[i]lei.* Licet alii Scriptores de eo pauca ref[e]rant, tamen Torgnyus Legifer in S. Olai H[i]ſtoria cap. 75. in Oratione ſua, egregia ej[us] facinora refert in Finlandia, Carelia, Eſthoni[a] Tartaria aliisqve regionibus latè potent[i]bus.
920. *Olaf*, pater Styrbierni.
950. *Erich Segerſell*, pater Olai Skötkonung.
980. *Olaf Skötkonung.*

In reliqvis cum ſerie Regum à me promiſsâ, convenit.

PACI

PACIFICATIO
INTER
CHRISTINAM
Reginam Sveciæ, &c. &c. &c.

&

CHRISTIANUM IV.
Regem Daniæ, &c. &c. &c.

Brömſebroæ in finibus Regni

13. Auguſti Anno 1645.

inita.

NOs Chriſtina Dei gratiâ, Svecorum, Gothorum & Vandalorum deſignata Regina & Princeps hæreditaria, Magna Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ & Careliæ, Domina Ingermanniæ, Notum facimus, qvod poſtqvam præterita hyeme octavo die Februarii emiſimus noſtros plenipotentiarios Commiſſarios, ut in limite ad Brômſebroo congrediantur cum potentisſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. Chriſtiani IV. Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regis, Ducis Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, Noſtri cognati & vicini, plenipotentiariis & commiſſariis, & ibi per potentisſimi ac Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. Ludovici XIV. Regis Chriſtianisſimi, Franciæ & Navarræ, Ejusqve nomine, Chariſſimæ Dominæ Matris, Potentiſſimæ & Sereniſſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ Annæ, Regnatricis & Reginæ Franciæ & Navarræ, dilecti Noſtri Fratris, Fœderati, Sororis & Amicorum, interpoſitionem & mediationem componant & decidant omnes ſubortas ſimultates, ſuſpiciones, & bellum eorumqve loco ineant & concludant conſtantem pacem, fidam amicitiam & bonam conſvetudinem inter Nos, ſuam dilectionem, Regem Daniæ, ut & utriusqve noſtrum Regna, Sveciæ ac Daniæ eisqve ſubditos. Ideo benè nominati Noſtri plenipotentiarii convenerunt & mediante ſuæ dilectionis Regis Galliæ Oratoris Illuſtriſſimi Domini Caſpari Coignetz de la Thuilleries, Eqvitis, Courſonii Lib. Baronis & ConſiſtorialisComitis, ut & in hæc Regna ſeptentrionalia extraordinarii Legati, diligenti, circumſpecta & efficaci tractatione res tandem eò deducta eſt, ut ſubſeqventi die, omnis controverſia, inimicitia, disſenſio, disſidium & bellum tolleretur & amoveretur, & ſolida ac irrevocabilis pax, bona confidentia & amicitia in ejus locum reſtauraretur inter Nos, ſuam Dilectionem, Regem Daniæ, Noſtra regna & ſubditos. Ipſa verò pacificatio ad verbum ita ſonat.

Potentiſſimæ ac Sereniſſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ Chriſtinæ, Svecorum, Gothorum ac Vandalorum deſignatæ Reginæ & Principis hæreditariæ, Magnæ Principis Finlandiæ, Ducis Eſthoniæ & Careliæ, Dominæ Ingriæ, Reginæ & Dominæ Noſtræ Clementiſſimæ, ut & Regni Sveciæ Senatores & plenipotentiarii Commiſſarii, Nos Subſcripti, Axelius Oxenſtierna, Liber Baro in Kimitho, Dominus in Fiiholm & Tidöön, Eqves auratus, Regni Cancellarius & Judex provincialis in Occidentali Bothniâ & Lappmarchia, Matthias Soop in Målsåker & Biurum, Judex provincialis In-

lis Ingermanniæ, Thuro Bielke, Lib. Baro in Salſtadh, Dominus in Fröösswiik, & Thuro Sparre in Erichſtadh & Kafvvelås, ſinguli tres Adſeſſores in Regio Judicio Holmenſi, his notificamus, qvod qvum aliqvamdiu qvædam ſimultates & ſuſpiciones ortæ ſint inter ſumè memoratam Regiam Majeſtatem & Sveciæ Coronam ab unâ, & Potentiſſimum ac Sereniſſimū Principem ac Dominum, Dn. Chriſtianum IV. Daniæ, Norvegiæ, Vandalorū & Gothorum Regem, Ducem Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitem Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, & Daniæ Coronam ab altera parte, & inter alia ſpeciatim de navigationis, Commerciorum, ac vectigalis libertate ac immunitate in Freto Öreſundenſi, & inde dependentibus qvæ, omnia tandem eò eruperunt, ut ex ſe generarent & accenderent hoc jam fervens & ardens bellum inter ſuarum Majeſtatis Majeſtatis incluta Regna Septentrionalia; in non exiguum utriusqve Regni iisqve Subditorum & incolarum detrimentum, incommodum, impedimentum & perniciem; Proinde Potentiſſimus & Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Chriſtianiſſimus Rex, Franciæ & Navarræ, Ejusqve nomine dilecta Domina Mater, Regnatrix in Gallia Potentiſſima & Sereniſſima Princeps & Domina, Domina Anna, Regina Franciæ & Navarræ, ex ſingulari affectione & Chriſtiana condolentia tam erga hæc Borealia Regna, qvàm totam hactenus diuqve perturbatam Chriſtianitatem, è re eſſe duxit, qvod verè omnia poſſibilia & rationabilia media, per qvæ hujus incenſi & circumqvaqve graſſantis belli flamma, ſpeciatim in his Regnis Arctois extingvi ac deprimi, ejusqve loco pax, ſecuritas, amicitia & bona confidentia reſtabiliri poſſit: qvo omne ulterius malum præveniatur, & ſic initium fiat ad univerſalem, adeò neceſſariam, & ab omnibus deſideratam Chriſtianitatis pacem ac unionem. In eum finem præterito anno miſit ad utramqve S. Majeſtatem Majeſtatem in Sveciam & Daniam Legatum, Illuſtriſſimum Dominum Caſparum Coignetz de la Thuillerie, Eqvitem, Courſoni L. Baronem, Conſiſtorialem Comitem, & in hæc Borealia regna extraordinarium Legatum, cum mandato ad remonſtrandum utriqve Majeſtati Majeſtati Chriſtianitatis Statum; dein adhortandum ad conciliationem & & pacifica conſilia offerendum Domini ſui interpoſitionem, cum propria ſua moleſtiâ ac labore, idqve qvo citius, eò melius. Unde Regia Majeſtas permota, tam reſpectu Majeſtatis Majeſtatis Galliæ, qvam propria cupiditate ac deſiderio exſtingvendi & domandi hoc belli incendium, ac fruendi & conſervandi pacem & tranqvillitatem intra omnes Regni ſui fines, & fiducialem amicitiam, & bonæ conſvetudinis uſum cum omnibus vicinis,

ſigillatim cum Dania & Norvegia, qvæ in prolixis finibus & pluribus aliis modis multum Communionis habent cum hoc Regno; Majeſtatis Majeſtatis Galliæ amicum Conſilium & oblatam interpoſitionem approbavit; Et poſtea qvum Majeſtas Daniæ ſimili modo ſuam propenſionem declaraſſet, evenit ut mediante bene memorati Gallici Legati transactione Conventus in limite ad Brómſebroo, inter utriusqve Regni Commiſſarios ac plenipotentiarios, qvatuor numero & paris utrinqve conditionis a d. 8. Februarii comprobaretur & decerneretur, ubi nos prænominati dicto die & loco congreſſi ſumus cum R. Majeſtatis & Regni Daniæ Senatoribus & plenè inſtructis Commiſſariis, Generoſiſſimis, Illuſtribus & Nobiliſſ. Domino Corfitio Ulfelt in Ekeskogh, Eqvite, Regni aulæ Magiſtro & præfecto Mœnæ, Domino Chriſtiano Thomæ in Stagardh, Eqvite, R. Majeſtatis Cancellario & Præfecto S. Canuti cænobii, Domino Chriſtophoro Urne in Asmarck, Eqvite & Præfecto in Dragsholm, & Domino Georgio Sefelt in Reffz, Judice provinc. in Sialandiâ & præfecto Cænobii Rintreſtadtt. Et poſtqvam utrimqve Singulorum Inſtructionem & procuratorium perluſtraveramus, integrum & ſufficiens compereramus, & ab utraqve parte permutaveramus & tradideramus, in nomine S.S. Trinitatis convenimus, & per omne hoc tempus Summâ induſtriâ perpendimus atqve examinavimus illas controverſias & diſſidia, qvæ inter hæc duo Regna interceſſerunt, conſideravimus & excogitavimus, omnia media & vias iſtæc dirimendi; In qvo Summè memoratæ Majeſtatis Galliæ Legatus, maximam diligentiam, prudentiam, dexteritatem, moleſtiam & laborem, tamdiu & indefeſsè impendit & adhibuit, donec tandem Majeſtatis Majeſtatis Clementiſſimorum Regum noſtrorum, Eorum Succeſſorum & Coronæ Sveticæ ac Danicæ nomine, de omnium obverſantium ſimultatum, Controverſiarum ac diſſidiorum abolitione, & contra de perpetua, irrévocabili, ſolidâ pace & amicitia convenimus, conciliati ſumus & decrevimus, prout ut illud hoc ipſo convenimus, conciliamur & decernimus: qvod in perpetuum ab utraqve Majeſtate, Majeſtate Earumqve Succeſſoribus, Senatu, miniſtris & ſubditis in Svecia, Dania & Norvegia, ratum, firmum & irretractabile erit ac ſervabitur eo modo, & forma, ut ſeqvitur.

I.

QVia trajectus & navigatio per fretum Öreſundicum, & mare Balthicum ex Oceano Orientali in Occidentale, & vice verſa, & ex ipſa navigatione ac transfretatione, dependens jus, vectigal & acciſæ, ut & aliarum difficultatum immunitas, una cum mercium certificationis in navi & bonis,

bonis, ob & ſubreptionis cauſa, inſtitutæ inqviſitiones, viſitationes, impedimenta, arreſta & juris proceſſus, cum pluribus inde dependentibus, principales cauſæ ſunt præſentium horum motuum & belli; qvapropter poſt prolixas & varias collationes, tractationes & transactiones, ultimò ſic amicè conventum, decretum & concluſum eſt, ut & R. Majeſtatis Daniæ, Ejus Succeſſorum & Daniæ Coronæ nomine promiſſum eſt, qvod R. Majeſtas Sveciæ, Ejus Succeſſores, Reges Sveciæ, Eorumqve ſubditi & incolæ Regni Sveciæ, Magni Ducatus Finlandiæ, Ingriæ, Eſthoniæ & Careliæ debeant in poſterum habere ac frui jure, libertate & poteſtate navigandi tam propriis qvàm conductis navibus onerariis vel vectariis, majoribus aut minoribus, armatis & militaribus, aut inermibus, ut & vehendi vel curandi vehi merces & bona ſua, cujuscunqve ſortis ac conditionis ſint, per fretum Öreſundicum & mare Balthicum ſecundum temporis & uniuscujusqve propriam ac bonam voluntatem & commoditatem, absqve interdicto, impedimento aut detentione ullo modo.

II.

Qvod ita intelligendum eſt, ut R. Majeſtati Ejusqve Succeſſoribus & prædictis ſubditis ac incolis Finlandiæ, Ingriæ, Eſthoniæ & Livoniæ, liberum licitumqve ſit, ex beneplacito ſuo & bona commoditate vehere per fretum Öreſundicum & mare Balthicum omnis generis merces & bona, absqve differentia, exceptione ac limitatione, ſive ſint provinciales merces, ex aliis Regnis aut urbibus emtæ & acqviſitæ, natæ, elaboratæ intra vel extra Regnum, ſpeciatim omnis generis apparatus militaris vel eò pertinentia, nominatim cuprum, æs, ferri maſſæ majores aut minores, bombardæ, ſclopi, arma, gladii, glandes plumbeæ, pulvis ſulphureus, funiculi accendendo iſti pulveri apti, ſal nitri, vel qvicqvid ad rem armamentariam facit, qvocunqve etiam nomine veniat, & ad bellum uſui ſit, absqve remorâ, detentione, moleſtiâ, prohibitione vel taxatione qvocunqve modo; ſive id deportetur ex Sveciâ, Finlandiâ, Ingriâ, Eſthonia, Livonia, ex Pomerania, Meklaburgo, Lubeca, Pruſſicis aut Curlandicis urbibus in oras ad oceanum occidentalem ſitas, vel ex illis in oceanum orientalem in Sveciam eiqve ſubjacentes præfatas provincias, vel rectà in Pomeraniam, Meklaburgum, Lubecam, Pruſſicas, Curlandicas ac alias urbes.

III.

Præterea omnes R. Majeſtatis Eiqve Subditorum & incolarum Sveciæ, Finlandiæ, Ingriæ, Eſthoniæ & Livoniæ naves ac bona cujuscunqve ſortis ac notæ ſint, unà cum earum navarchis, plebe nautica, mercatoribus & ve-

& vectoribus, ſive ſit navis propria, ſive Sveciæ ſubditi in ea partem habeant, libera ac immunia erunt in freto Öreſundico & Balthico ab omni vectigali, Acciſis, impoſtis, portorio, qvodcunqve nomen vel nunc habeant vel in poſterum effingi poſſit, ſub qvocunqve etiam prætextu fieri qveat non ſolum dum naves ſtant ad anchoras in freto Öreſundico & Balthico, ſed etiam qvum transeunt prorſum vel retrò. Verùm ſi naves omnimodo ad peregrinos pertineant, aut peregrini in eis partem habeant, & à Sveticis ſubditis conductæ ſint, pendant in freto Öreſundico vel Balthico debitum Majeſtati Daniæ vectigal, ſecundum pacta & conſvetudinem, ſive ex tota navi, ſi tota ſit peregrinorum, ſive ex parte ejus proportionaliter; omni in hac pacificatione deſcripto jure & immunitate Sveticarum navium populi & mercium omni modo ſalvis.

IV.

Illa Svecorum navigatio & ab oneribus immunitas hoc modo conventa eſt, & à R. Majeſtate in Dania, ſuo, ſuorum Succeſſorum Regum Daniæ & Coronæ nomine promiſſa & cauta eſt, ut omnes R. Majeſtatis in Svecia, Finlandia, Ingermannia, Eſthonia & Livonia absqve diſcrimine fruantur præfata immunitate & jure in perſonis, navibus, bonis & mercibus, ſive domi ſive extra regnum adqviſitæ & comparatæ ſint. Et impoſterum omnes prædictæ Sveciæ naves bona, literæ, ſcripta, ut & illæ naves, qvæ Sveticas merces vehunt, unà cum perſonis tam in freto Öreſundico, qvàm Balthico liberæ & exemtæ erunt ab omnibus inqviſitionibus, viſitationibus, menſurationibus, arreſtis, detentionibus, proceſſibus juris, confiſcationibus, vel aliis moleſtiis; neqve in eas aliqvid jus Superioritatis, vel inde reſultans jurisdictio exercebitur, qvoad tranſitum, navigationem, commercia & inde dependentia; multò minus qvisqvam vel qvidqvam illis navibus extrahetur, vel ad ſervitium adigetur, absqve ejus conſenſu.

V.

Sed qvia certificationes, & de earum ſufficientiâ diverſæ à partibus conceptæ opiniones & interpretationes, non parum cauſatæ ſunt in freto Öreſundico inſtitutas inqviſitiones, inde enatas ſiniſtras ſuſpiciones, diſſenſiones, & bellum inter utrumqve regnum, ideo ad his in tempore & de cætero obviandum, & eò melius & expeditius Sveticas immunes naves & bona ab aliis, qvæ vectigali & oneri ſubjecta ſunt, diſcernendum, in hoc articulo ita diſtinctum & tandem transactum ac pactum eſt; ut ſi navis Svetica militaris magna vel minor, una vel plures, onuſta vel non onuſta tranſeant fretum Öreſundicum, appulſæ ad Croneburgum, nec alibi in alveo freti Öre-

Öreſundici demittant velum in mali majoris faſtigio, donec prætereant propugnaculum, & diſplodant tormentum ſalutationis modo Svecis uſitato (qvem Löſen vocant) in honorem arcis Croneburgenſis & Salutationis Danicæ honore reciproco ex arce reſpondeatur; atqve ſi naves militares ſtatim inde abeant, non jactis anchoris, hoc ipſis liberum ſit, nec ad aliud ſint obligatæ. Sed ſi navis Svetica militaris ad anchoras ſiſtatur in freto Öreſundico ex qvacunqve cauſa, & præfectus arcis Croneburgi mittat ad capitaneum illius navis, vel illarum navium, amicè ex eo qværens, unde veniat, & cupiat inſpicere literas ſalvi conductus vel paſſus maritimi, non ulteriorem moleſtiam ei creando, capitaneus navis militaris non renuet oſtendere literas paſſus maritimi à Gubernatore emisſis, atqve ſic ſe invicem excipient amicè ac civiliter in omni occaſione. Sed alio modo, detractione apluſtris vel ſimili ritu non onerabuntur. qvantum verò attinet ad Balthicum mare, integrum ſit navibus militaribus Sveticis præterire Nyborgum pro commoditate venti aut opportunitate. Sed ſi jaciat anchoras propè arcem Nyborgum, ſic ſe gerant, ut ad Croneburgum in freto Öreſundico.

VI.

Omnes aliæ Sveticæ naves, pertinentes ad R. M. ſubditos & incolas in Svecia, Finlandia, Ingria, Eſthonia & Livonia, onuſtæ meris civium & incolarum bonis & mercibus, qvæ ſecundum hæc pacta & conventa immunes & exemptæ ſunt ab omnibus oneribus & moleſtiis, ſecum ferent generales ſalvi paſſus maritimi literas, à R. Majeſtate Ipſa vel Ejus officialibus in rebus ad Ipſam ſpectantibus, vel à Conſulibus & Senatu in urbibus de illis navibus & mercibus, qvæ ad cives & alios Regni incolas pertinent, teſtificantes generalibus verbis, qvod navis & bona ad prædictos Sveticos ſubditos & incolas pertineant, ut ſubſeqvitur.

Formula generalis ſchedæ vel literarum ſalvi paſſus maritimi, pro Sveticis navibus & mercibus, qvæ omni modo Sveticæ ſunt & Sveticis bonis oneratæ, qvæ mutatis mutandis accommodari ad peregrinas naves poteſt, qvæ mere Svetica bona vehunt.

Nos Conſules & Senatus N. N. *notificamus, qvod hæc navis* N. *in qva nauclerus eſt* N. *Svetica eſt & domi in noſtra urbe* (vel alia Svetica urbe) *& bonis ac mercibus ad Solos Svecos pertinentibus onerata eſt, & deſtinavit iter ad mare occidentale, pro ut ejus exercitores* N. *cum ſuis conſortibus* (ſi plures ſint) *coram nobis & conceſſu noſtro teſtati ſunt, deſiderantes ad hoc noſtras literas paſſus & teſtimonium, ad probationem, qvod navis & bona in freto Öreſundico & Balthico ab omni*

vecti-

vectigali & moleſtia, ſecundum jus & pacta Regnorum debeant eſſe immunia. In rei fidem hoc civitatis ſigillo & ſecretarii urbis ſubſcriptione confirmavimus. Actum. Hæ literæ paſſus maritimi, qvando exhibentur in tabernâ telonariâ Helſingôræ, ab illis qvi per fretum Ôreſundicum navigant, & Nyburgi ab illis, qvi per fretum Balthicum navigant, relinqventur illæ iſtic in R. Maj. Daniæ præfecti vectigali manibus; ille verò contra obligatus erit ſtatim absq; detentione probationis ſchedulam dare cum die & dato, qvod eadem navis Svetica & bona tranſierunt, & ſuas literas maritimi paſſus oſtenderint, tenore ut ſeqvitur.

Formula probationis qvam præfectus vectigali Helſingôræ & Nyburgi debet præbere nauclero, qvi inſinuat ſuas maritimi paſſus literas & certificationes.

Anno 1645. die menſis nauclerus N. domi in N. cum ſua navi N. tradidit mihi ſuas paſſus maritimi literas vel certificationem de navi & bonis. Datum anno N. & die N. in majorem certitudinem hæc probationis ſchedula cum ipſo communicata eſt, atqve ita navis cum bonis & vectoribus absqve impedimento, præjudicio, onere vel ulteriori moleſtia abeant & ſuum iter conficiat.

VII.

Pari modo obſervabitur cum navi à Svecicis civibus & incolis conducta, qvæ nihil aliud qvam merè Svetica bona continet, qvæ poſtqvam literas paſſus maritimi generalibus verbis expreſſas ita oſtendit & reliqvit in telonaria domo Helſingôræ aut Nyburgi, & à telonario, ibidem ſchedulam probationis accepit, qvod etiam ſtatim absqve mora fiet, & pro ipſa navi peregrina vel ejus parte ſolvit qvod jure debetur, ſalvâ tamen navis Sveticæ vel ejus partis, bonorum & perſonarum immunitate, illa qvoqve ſimilem in modum, absq; ulteriori onere, impedimento vel moleſtia diſcedet, ſecundum commoditatem ſuam.

VIII.

Si etiam oneraria navis ſed ſaburrata, velit tranſire fretum Ôreſundicum aut Balthicum modo dicto probabit conditionem ſuam in telonariâ tabernâ, Helſingôræ & Nyburgi generalibus literis ſalvi paſſus maritimi, qvod domi ſit in Svecia, Finlandia, Ingermania, Eſthonia & Livonia, & poſtea eodem modo diſcedet pro commoditate ſua absqve omni ulteriori onere, impedimento vel detentione.

IX.

Si verò navis tranſitura fretum Ôreſundicum aut Balthicum, onerata ſit partim Svecicis, partim exoticis bonis ac mercibus, qvæ vectigali in freto

freto Öreſundico & Balthico ſunt obnoxiæ, peculiarem habebit certificationem de bonis & mercibus, qvas continet & vehit pro Sveticis civibus & incolis Sveciæ, Finlandiæ, Ingermanniæ, Eſthoniæ & Livoniæ. Ea verò certificatio ita formata erit, ut in ea annotentur omnia oneraria bona, qvæ aperta, ſoluta & incompacta jacent, cum ſuo pondere, numero & menſura, in ponderibus navalibus & Laſtis (Skieppundh och Laſtetares) ut ſunt cuprum, æs, ferrum, axungia, pix, omnis generis frumentū, ſal, ſalſamenta, vel piſces, muria, conditi butyrū, ſebum, ſtupa, linum vel hujusmodi merces, ſed merces tabernariæ, & qvæ includi vel compingi poſſunt in ciſtas, faſces, ſarcinas, vaſa aut tonnas, hæc absq; ſpecificatione mercium, ſignis Sveticis cujuslibet ciſtis, ſarcinis, vaſis & tonnis impoſitis, & qvod iſtæ ciſtæ, ſarcinæ, vaſa & tonnæ ita ſignatæ cum incluſis mercibus ad Sveticos cives & incolas pertineant, certificationibus absqve ſpecificatione rerum teſtatum reddetur: prout ſinceritatis cauſa & ad effugiendum omnes diſputationes & ſuſpiciones, formula certificationis hic ſubjecta eſt.

Formula certificationis pro navi Svetica, qvæ vehit partim Svetica, partim vectigali obnoxia bona, qvæ mutatis mutandis ad conductam navim peregrinam accommodari poteſt.

Nos conſules & ſenatus notum facimus, qvod coram pro nobis & conceſſu noſtro ſub infra ſcripto dato & die, comparuit N. civis hujus urbis (vel alterius Sveticæ urbis, vel alius Svecicus incola) ſignificans, *ſe habere in navi pertinente ad N. in qva navarchus N. & onerari eam curaſſe, cupri, ferri, lini, Stupæ, pondo nauticis, tritici, ſiliginis, hordei, laſtis vel tonnis; aſſerum dodecadibus; malorum tot numero; vini orcis, amphoris, cadis; olei laſtis, ſarcinis, ciſtis, vaſis & tonnis omnis generis mercium tabernariarum* (addatur numerus) *ſignatis* NB. *ſigno, qvæ ad illum civem vel incolam N. pertinent; deſiderantem hanc noſtram certificationem; in teſtimonium, qvod navis tota vel minori ex parte, & ante dicta bona debeant in freto Öreſundico & Balthico ab omni vectigali & moleſtia, ex jure & regnorum conventis libera eſſe. In rei fidem hoc ſigillo civitatis & Secretarii ſubſcriptione confirmavimus. Actum.*

Qvando talis certificatio, ut dictum eſt, mercibus accommodata in telonaria domo Helſingöræ vel Nyburgi, exhibita & tradita eſt, tunc Sveticæ ita certificatæ merces poſtea ab ulteriori viſitatione, inqviſitione, arreſto, detentione, juris proceſſu vel confiſcatione, liberæ & qvietæ erunt. Si verò ita contingeret, ut cauſa aliqva vel ratio inqviſitionis deprehenderetur, in alia vectigali ſubjecta bona, atqve ſi vitium & falſum majora eſſent, qvam ut navis & navigatio oppignoranda ſalvari poſſent, tunc verè vectigali gra-

vata bona, contra qvæ ſuſpicio vel actio eſt, ſtatim exonerabuntur & exponentur Helſingöræ, vel Nyburgi, & hoc ad ſummum intra octiduum ad finem decurret, ita ut navi Sveticæ vel conductæ, cum mercibus Sveticis intra octo dierum ſpatium, ſolvere & abire licitum ſit, & Sveci non diutius detineri, multò minus Sveciæ, Finnoniæ, Ingermanniæ, Eſthoniæ & Livoniæ ſubditorum & incolarum naves, bona & merces ulla actione, aut moleſtia propter tale vitium aut errorem graventur.

X.

Si navis Svecica, Finnonica, Ingermannica, Eſthonica & Livonica conducatur & oneretur peregrinis ac vectigali ſubjectis bonis, nihilominus qvoad navim & vectores fruetur omni libertate, jure & immunitate, qvæ Svecis jure & vigore horum pactorum competunt. Et peregrinus mercator tenebitur ad rationem & præſtationem vectigalis in freto Öreſundico & Balthico pro ſuis bonis, Svetica immunitate ſalvâ.

XI.

Ne verò Svecicorum ſubditorum naves & bona, in itinere ſuo, invitis dominis vel cum detrimento eorum & incommodo detineantur, & negligantur, à parte Danica promiſſum eſt, ita conſtitui, ut telonarius vel ad hoc deſignatus, qvotidie ante & poſt meridiem certis horis in taberna vectigali adſit, ibiqve accipiat literas paſſus maritimi, vel certificationes, & ſtatim absqve mora expeditio probetur, & navarcho tradatur in forma ante expreſſa, ut ita Svetica navis & bona absqve ulla ulteriori remorâ & moleſtia liberè abeant.

XII.

Si contingat in poſterum, ut R. Majeſtatis armatæ naves vel ſubditorum Ejus propriæ vel conductæ naves, jactatæ procella vel aliis caſibus, veniant qvæſitum in Norvegia, vel aliis Daniæ locis portum aut tutum receptum, hoc ipſis liberum erit absqve vectigali, inqviſitione, vel ulla moleſtia; ut naves Sveticæ pecuniam anchorariam duntaxat pendant, & qvod aliis amicis aut peregrinis imponi poſſit, alioqvi à vectigali & inqviſitione omnimodo liberæ ſint, & fruantur libertate ac jure ad ſe reparandum & neceſſaria emendum. Eodem jure Danicæ naves utentur in Sveciæ eiqve ſubjectarum provinciarum portubus, ſi ex cauſa tempeſtatis vel reparationis eò appellantur.

XIII.

Si etiam uſu veniat, ut R. Majeſtas vel ejus Succeſſores Svetiæ Reges conducturi eſſent in amicorum terris ad mare occidentale ſitis vel eqveſtres vel pe-

vel pedeſtres copias, iisqve opus habituri in mari Balthico, vel deportaturi eſſent exercitum, ex oceano occidentali in orientalem, per fretum Öreſundicum vel Balthicum vel retrò; convenit, ut R. Majeſtati Ejusqve Succeſſoribus hoc integrum ſit, & omnimodò invariatum permaneat; ita tamen ut ſimul non plures MCC. traducantur aut pauciores, & ut prius, qvàm adveniant, III. hebdomadibus R. Majeſtati Daniæ Ejusqve ſucceſſoribus notificetur, ut omnis ſuſpicio declinetur, & tranſitus non impeditus & turbatus ſit. Sed ſi alioqvi qvidam officiarii, aut alii Sveci cum eqvis ſuis aut alio apparatu viatorio fretum Öreſundicum aut Balthicum percurrant navi, hoc liberum illis ac licitum absqve ulla notificatione erit.

XIV.

Ne in poſterum aliqvod diſſidium inter duo Regna oriatur, qvando vel binæ Regum claſſes ſibi obviam fiunt, vel una militaris navis occurrit alteri; vel qvod Sveciæ naves ex occaſione veniunt in fretum Öreſundicum vel Balthicum ibiqve in R. Majeſtatis Daniæ naves aut claſſem incidit, vel hæ veniunt in loca ac portus, ubi Sveticæ naves ad anchoras ſtant, ita conventum eſt, ut una R. claſſis alteram amicè excipiat, & ſolito modo ſalutet ac honoret. Sed ultra hoc tamen non poſtulet aut cupiat ullam aliam juſtificationem, qvamcunqve prætenſionem de maris dominio vel portu, unus vel alter facere poſſit. Idem obſervabitur, qvando una vel duæ naves occurrant toti claſſi, illa vel binæ majus velum in ſummo mali faſtigio demittant, donec claſſem prætereant, vel claſſis portum petierit; nec alterius teneantur ad apluſtris involutionem. Sed ſi plures binis naves ſe comitentur atqve ſic claſſem faciant, ab utraqve parte diſploſione tormentorum contenti erunt, & neuter ad veli majoris demiſſionem, minusqve ad aliud qvid tenebitur.

XV.

Per fretum Öreſundicum & Balthicum I. II. III. IV. vel ad ſummum V. Sveticæ naves militares tranſeant in claſſe & junctim absqve prævia ad R. Majeſtatem Daniæ vel ejus ſucceſſores notificatione. Et qvando appelluntur in fretum Öreſundicum, ſalutabunt, ut ante dictum eſt, ſolenni more & diſploſione tormentorum Svetica, arcem Croneburgum, & demittent majus ſupremi mali velum ad eam, donec præterierint. Si ibi reperiant R. Majeſtatis Daniæ naves aut claſſem, id omne pro uno ac eodem computabitur, & nemo in plus obligabitur, multo minus urgebitur alia juſtificatio, aut apluſtris detractio vel involutio. Verùm ſi R. Majeſtas Sveciæ vel Ejus ſucceſſores opus haberent pluribus navibus militaribus, vel majori claſſe una vi-

ce vela facere per fretum Öreſundicum vel Balthicum ſimul; conventum & concluſum eſt, ut tribus minimùm hebdomadibus ante notificetur R. Majeſtati Daniæ vel Ejus ſucceſſoribus, ne claſſis adventus cauſetur qvasdam ſuſpiciones aut diffidentiam. Et qvando ejus adventus ſignificatus eſt, poſtea abſqve omni contradictione à parte Danica, & abſqve omni illato damno à parte Svecica illud in effectum deducetur.

XVI.

Qvod attinet ad vectigal ad Ruden, ubi R. Majeſtas Daniæ jam per aliqvot annos triremem excubare, & vectigal exigi curavit, illud R. Majeſtas Daniæ hoc ipſo abrogavit & renunciavit, ita ut in poſterum non amplius ſibi vendicet, utatur aut fruatur, vel ullum jus de cætero ad illud ſibi arroget ullo modo.

XVII.

Qvod attinet ad vectigal à Regia Majeſtate Daniæ ad Gluckſtadium per aliqvot annos Albim tranſeuntibus & Hamburgum urbem petentibus, aut eâ diſcedentibus impoſitum, de eo ita pactum eſt, ut qvia Majeſtas Daniæ cum Hamburgenſibus jam in tractatu verſatur ſuper diſſenſionis inter eos compoſitione, & vectigalis abrogatione, in communi ei rei ſtetur. Sic ut ſi concilientur & vectigal abrogetur, R. Majeſtatis ſubditi in Albi commercia exercentes illo qvoqve fruantur. Sed ſi præter ſpem diſſidium cum Civitate Hamburgenſi de vectigali adhuc aliqvamdiu continuandum eſſet, vel Hamburgenſes vectigal adhuc ſoluturi eſſent, Danici Commiſſarii fidem R. Majeſtatis Daniæ & Ducis Holſatiæ nomine dederunt, omnes R. Majeſtatis Sveciæ ſubditos & incolas, Sveciæ, Finlandiæ, Ingermanniæ, Eſthoniæ & Livoniæ in Albi commercia colentes, immunes fore & non interpellandos à R. Majeſtatis Daniæ vel Ducis Holſatiæ miniſtris & excubitoribus, vel in caſtellis vel navibus, & liberos à vectigali nec inqvietandos aut moleſtia afficiendos ejus cauſa, nec ad literas paſſus maritimi, multò minus certificationes exhibendas vel aliam juſtificationem obligatum iri.

XVIII.

Qvia verò compertum eſt, ex præteritorum temporum decurſu, illam libertatem & jus, qvo Sveci in Dania & Norvegia, & Dani ac Norvegi in Svecia, tàm in mutuis commerciis, qvàm immunitate à vectigali fruuntur, partim ex antiqva conſvet. partim mediantibus pactis inter Regna factis, excitaſſe ſubinde controverſias & certamina & diſſidia inter Regna, non rarò qvoq; concitaſſe, unius Regni exercitum ac ſubditos contra alterius Regni ſupremas poteſtates & incolas; ita ut Regnorum amicitia inde & ex hac

cauſa potiſſimum labefactata ſit, & vix aliqvis conventus inter Regnorum commiſſarios habitus reperiatur, in qvo hoc qvoqve gravamen motum non fuerit, præterqvam qvod talis immunitas pro præſente communiqve mundi ſtatu minus qvam ante ſervari qveat; idcircò utrimqve conſultum, pactum & decretum eſt, ut omnis à vectigali & onere immunitas tollatur & abrogetur pro Danis & Norvegis in Svecia, & pro Svecis in Dania & Norvegia, tranſitu & immunitate à vectigali in freto Öreſundico & Balthico Svecis, ut dictum eſt, ſalvo. Pari modo omnibus Svecis mercatoribus transcurſus cum mercibus ſuis per fines Daniæ & Norvegiæ, & Danorum ac Norvegorum mercatorum transcurſus cum mercibus ſuis per fines Sveciæ interdictus erit tàm in terra qvàm regionibus & oppidis campeſtribus. Si etiam Svecicus mercator in poſterum commercia exercere velit in Dania & Norvegia, ejus rei jus & facultatem habebit in conſtitutis Stapulæ urbibus ad mare, qvo aliis peregrinis & amicis advenire licet; atqve eadem libertate, ac jure fruetur, qvo alii peregrini & amici ſecundum Daniæ leges ac ſtatuta, & ſalva urbium privilegia, fruuntur. Si qvoqve Danicus ac Norvegicus mercator in poſterum commercia exercere velit in Sveciâ vel eâ ſitis provinciis, idem jus ac facultatem habebit in conſtitutis Stapulæ urbibus ad mare, qvo aliis peregrinis & amicis advenire licet; eademqve libertate ac jure fruetur, qvo alii extranei & amici, ſecundum Sveciæ leges ac ſtatuta & ſalva urbium privilegia, fruuntur, ut R. Majeſtas in Svecia, & R. Majeſtas in Dania non inqvietata, & una ab aliâ haud interpellata in ſuo Regno & cum ſuis diſponere ac ordinare, pro conditione & proprio arbitrio poſſit.

XIX.

De curſu Albis aut fluminis inter Weſtrogothiam & ditionem Bahuſienſem, ut & de navigatione & commerciis in flumine res in integro permanebit, eodem modo, jure ac libertate, prout antiqvitus fuit. Flumen dictum habeat liberum ac non impeditum curſum ad utrumqve effluxum verſus Götheburgum & Kungellam. qvod exſtructum aut demerſum eſt in iſto flumine in alterutrius præjudicium, extrahatur & repurgetur. Speciatim qvod ad Bahuſiam demerſum eſt ad obſtruendum flumen, extrahatur & curſus tam liber reddatur, qvàm ante fuit, ab illo qvi inde aliqvod impedimentum ſentit; atqve ita Sveci à Danis & Norvegis & hi à Svecis in hac re nullo modo præpediantur, ſed magis ſecundum fas & æqvum promoveantur & adjuventur; ut qvoqve navigatio & transfretatio ſurſum ac deorſum in dicto flumine ſit libera ad urbem Gothoburgum & inde ab omni impedimento, onere ac moleſtia omni modo, ut ab antiqvo tempore fuit.

XX.

Hoc etiam conventum ac decretum eſt, ut R. Majeſtas Sveciæ in poſterum, ut hactenus, habeat ſuos Poſtæ adminiſtratores Helſingôræ, unà cum tabellariis ſuis inter Sveciæ fines & Hamburgum currentibus, absqve impedimento & præjudicio, qvi ferant Majeſtatis & ſubditorum Ejus & plurium literas, qvæ huc in Regnum ultro citroqve mittuntur, idqve ſine omni obſtaculo, detentione & inqviſitione. Eadem R. Majeſtati Danicæ facultas erit habendi miniſtrum ſuum Stocholmiæ, ibi Ejus Eiqve ſubditorum negotia curandi fine.

XXI.

Qvæcunqve bona ſoli ex eqveſtri ordine, Sveci in Dania & Norvegia, & Dani ac Norvegi in Svecia habuerunt ante hoc bellum, & nunc ab una vel altera parte confiſcata ſunt, veris dominis ac proprietariis reſtituentur, & hi iſtæc, ſecundum cujusqve Regni leges, ſtatuta & priora pacta poſſidebunt ac fruentur iis non impediti ac decurtati omnimode.

XXII.

Et qvia bellum potuit ex una vel altera parte publicationes qvasdam aut damna pro ſubditis gignere, hæc omnia ex utraqve parte compoſita, ſublata & oblivioni tradita ſint. Qvidqvid autem ab una vel altera parte jam publicatum aut confiſcatum & jam executioni mandatum eſt, vel in detrimentum ac præjudicium captum, maneat ut nunc eſt, & à neutra parte vel ejus ſubditis ulterius ullo modo refundatur ac ſolvatur, nec illi qvi debebant & ex mandato ſolvebant, in poſterum à ſuis creditoribus ſuper eâ re intra vel extra regnum conveniantur aut inqvietentur.

XXIII.

Sed ſi qvid ad hunc usqve diem executioni nondum mandatum deprehendatur, ſive ad confiſcationem damnatum ſive non ſit: ut qvoq; qvodcunqve æs alienum unius Regni ſubditis & incolis à Coronis ipſis, Svecis à R. Majeſtate Daniæ, & Danis ac Norvegis à R. Majeſtate Sveciæ ante bella utrinqve contractum debeatur, & documentis probari poſſit, ad ejus ſolutionem absqve morâ optimoqve modo promovebuntur.

XXIV.

Si ex alterutra parte vel in Svecia vel Dania, durante bello, ſententia, in alicujus ſive Sveci in Dania, ſive Dani ac Norvegi in Svecia præjudicium lata ac producta ſit, hæc pro non latâ & pro non productâ habebitur, & cuiq; integrum erit, jus ſuum denuò qværere ac probare.

XXV. Po-

XXV.

Poſteaqvam R. Majeſtas Sveciæ Chriſtina in hoc bello armis in poteſtatem ſuam redegit qvædam R. Majeſtatis Daniæ caſtella, provincias, regiones & urbes in Jutia, Scania, Hallandia, Blekingia, Bornholmia, Holſatia, Stormaria & Dithmarſia, ſpeciatim ac nominatim Chriſtianpriſiam, Pinnebergam, Helſingburgum, Landscronam, Laholmiam, Engelholmiam, Selſſsburgum, Hammershuſiam, vel qvocunqve alio nomine veniant, atqve ea nunc jure belli poſſidet; R. Majeſtatis Galliæ nomine, Ejus benè memoratus Dn. Legatus, ſedulò inſtitit, confirmavit & commonefecit, ut R. Majeſtas Clementiſſima noſtra Regina, R. Majeſtati Daniæ, dictas provincias, caſtella, urbes & regiones reſtituere ac cedere velit. Hanc ſedulam & aſſiduam commonefactionem ac conſilium R. Majeſtas Sveciæ apud ſe pondus habere & locum invenire ſivit, conſiderans & libenter præveniens varia diſcrimina & incommoda belli continuationem comitantia, ſimul etiam perpendens qvam neceſſarium nunc ſit, facere cum hac inter hæc Regna ſeptentrionalia pace ac amicitia, bonum auſpicium & ingreſſum ad longo tempore hactenus perturbatam Chriſtiani orbis compoſitionem & qvietem, noluit ut magna propenſio, affectio & deſiderium, qvod utraqve Majeſtas Maj. Rex Ejusqve Domina Mater, Regina vidua, Regnatrix Galliæ geſſerat ac demonſtrarat ad tollendum diſſidia, ſimultates ac bella inter hæc duo Regna Arctoa coorta, affectu & fructu ſuo deſtitueretur. Potiſſimum qvum R. Majeſtas Daniæ, confirmata & commonefacta à R. Majeſtatis Galliæ Dn. Legato, comprobarit & conſenſerit ſuo, ſuorum ſucceſſorum, Daniæ & Norvegiæ Regum & Coronarum nomine, R. Majeſtati Ejus ſucceſſoribus, Sveciæ Regibus & Coronæ in compenſationem & ſatisfactionem pro memoratis & reſtitutis provinciis, caſtellis, urbibus & terris cedere ac tradere Jemptiam cum Herredalia incluſive, qvantum ex Herredalia reperitur ſitum eſſe ad latus Sveciæ circa rupes, Gothlandiã cum Wisbienſi urbe & arce, cum attinentibus inſulis & faucibus; ita & Öſiliam cum Arensborgo & ſuis ſubjacentibus inſulis, & attinentiis, unà cum omni eò pertinente populo, terra, eminentia, dominio, jurisdictione eccleſiaſtica & Civili, cenſu, reditibus, vectigali, penſionibus & juribus terra mariqve, prout Reges Daniæ, & ſpeciatim R. Majeſtas Rex Chriſtianus qvartus, jam regens, hactenus eis fruiti ſunt ac poſſederunt, ut cedant in poſterum R. Majeſtati Ejus ſucceſſoribus & Coronæ Sveciæ in perpetuam poſſeſſionem, velut de ea re ſigillatim conceptæ ceſſionis literæ à R. Majeſtate & univerſo Regni Daniæ Senatu ſubſcripta & ſignata prolixius oſtendunt. Præter hæc R. Majeſtas Da-

niæ

niæ pro ſe, ſucceſſoribus ſuis & Daniæ Corona conſenſit in formam pignoris & cautionem, ut omnia qvæ in his pactis de R. Majeſtatis Ejus ſucceſſorum & ſubditorum in Svecia, Finlandia, Ingermannia, Eſthonia & Livonia commerciorum & navigationis libertate per fretum Öreſundicum & Balthicum conventa & ante deſcripta ſunt, rectè ſerventur & impleantur, ad cedendum & tradendum in proximè ſeqventibus triginta annis, R. Majeſtati, Ejus ſucceſſoribus & Sveciæ Coronæ totam Hallandiam cum ejus munimentis, Laholmia, Halmſtadio & Warberga, ut & ibi ſubjacentibus urbibus & caſtellis, Laholmia, Halmſtadio, Falkenbergo, Warberga & Kongsbacka, unà cum ſubjacentibus terris ac ditione, ſecundum veteres eorum ac veros fines ac limites, cum hac conditione, ut R. Majeſtas ejus ſucceſſores & Sveciæ Corona ante dictam provinciam Hallandiam cum ſuis caſtellis, urbibus & ditione juxta cum omnibus juribus, penſionibus, vectigalibus, reditibus ordinariis & extraordinariis, ſuperioritate, dominio & jurisdictione eccleſiaſtica & politica, unà cum omnibus aliis commodis in inſulis, undis, portubus & lacubus, ut & terris ac populo, nullo excepto, qvodcunqve nomen habet aut habere poteſt, prorſus ut Reges Daniæ, & ſpeciatim R. Majeſtas Chriſtianus IV. jam regens, illis fruita eſt & poſſedit, & omnes eorum incolæ in regionibus & urbibus ſacri & civilis ordinis, qvi ibi habitantes remanent, R. Majeſtati, Ejusqve ſucceſſoribus Regibus Sveciæ & Coronæ ſolis jurejurando obligati erunt ad homagium, fidelitatem, obſeqvium & officia per XXX. annos, & donec ordine, & ſecundum horum pactorum tenorem reſtituantur; prout pignoris ac cautionis literæ à R. Majeſtate Daniæ & univerſo Regni Senatu ſubſcriptæ & traditæ latius memorant & explicant. Et juxta oppignorationem & cautionem dictam hoc ſpeciatim conventum & promiſſum eſt, ut qvando triginta illi anni effluxerunt, & Hallandia reſtituenda eſt, R. Majeſtati Ejus ſucceſſoribus & Sveciæ Coronæ, à R. Majeſtate, Ejus ſucceſſoribus & Daniæ Coronâ, anteqvam Hallandia reſtituatur, vel ipſa vel aliud æqvivalens ejus loco, prout R. Majeſtas, Ejus ſucceſſores & Sveciæ Corona deprehendunt æqvipollens, & qvo bene cautum illis ſit, & cui adqvieſcant.

XXVI.

In eorum vicem R. Majeſtatis Clementiſſ. noſtræ Reginæ juſſu ac mandato, propter ante dictas cauſas, & vigore hujus pacificationis ceſſimus omne jus & jurisdictionem, qvam R. Majeſtas jure belli habere poteſt in omnia iſta munimenta, caſtella, provincias, urbes & territoria, qvæ R. Majeſtas in hoc bello, Dei auxilio & viribus militaribus occupavit, & qvæ hic per ex-

per expreſſum non excepta ſunt, eaqve ceſſimus & reſtituimus R. Majeſtati & Coronæ Daniæ, ita nimirum, ut Jutia, unà cum Ducatu Slesvici, Holſatia, Stormaria & Dithmarſia, qvantum ex illis in R. Majeſtatis manibus eſt, ſpeciatim munimentum Chriſtianpriſium, ut & Pinneberga cum Caſtello ad Nyſtadium, unà cum pluribus in dicto Ducatu occupatis & præſidio munitis caſtellis, arcibus & ædibus Nobilium, item Helſingeborgum, Landscrona, Silsburgum cum aliqvot Nobilium arcibus in Scania & Blekingia, & Bornholmia eiqve adſitæ domus, Hammershuſia, cum omnibus oppidis, territoriis & poſſeſſionibus ſoli in Jutia, Ducatu Slesvic. Holſatia, Stormaria, & Dithmarſia, Scania & Bornholmia ſitis, vel ad caſtella præfata pertinentibus cedantur; & poſtqvam ſecundum tenorem hujus Pacificationis reſtituta ſunt, ſeqvantur R. Majeſtatem & Coronam Daniæ haut impedita omnimodò, nuda tamen caſtella cum bonis ſoli, nihilqve aliud.

XXVII.

R. Majeſtatis & Coronæ Svetiæ nomine qvoqve promiſimus R. Majeſtati, Ejus ſucceſſoribus & Coronæ Daniæ, qvod dum Hallandia in aſſecurationem ſub R. Majeſtate Ejus ſucceſſoribus & Sveciæ Coronâ permanet vi horum pactorum, R. Majeſtas velit omnes illos, qvi in Hallandia habitant, nobiles & non nobiles, ſacri & civilis ordinis homines, cives & ruſticos manere, regi & defendi in priſcis ſuis privilegiis, libertate, Danicis legibus, jure & ordinantia Eccleſiaſtica qvietos & inturbatos, & qvemlibet in ſuis propriis, & in poſterum eandem facultatem ſua poſſidendi, retinendi, vendendi aut alienandi habere, qvalem ante habuit, uti qvoqve migrare vel remanere pro cujusvis lubitu. Speciatim hoc Nobilibus indultum eſt, qvi bona habent in Hallandia vel alibi in Dania, & malunt permanere in Dania, ut illis nihilominus inturbatis liceat frui bonis ſuis in Hallandia, ea viſitare, recognoſcere & diſponere pro beneplacito & jure ſuo; ita tamen, ut R. Majeſtati & Coronæ Sveciæ ex illis præſtentur ea jura, obſeqvia & officia, qvæ ante Regi & Coronæ Daniæ debuerunt. Dein ut ex Nobilitate, qvi vel nulla alia bona, qvàm in Hallandia habent, vel in bonis qvæ in Hallandia poſſident, aſſiduè degere volunt, obligati ſint R. Majeſtati, Ejus ſucceſſoribus & Coronæ Sveciæ ad homagii jusjurandum & ad obſeqvium, fidem & officia, prout Regi Daniæ antea debuerunt. Omnes alii in Hallandia habitantes, ſacerdotes, cives & agricolæ R. Majeſtati Ejus ſucceſſoribus & Sveciæ Coronæ ſoli in præſcriptis XXX. annis & donec reſtitutio ſolenniter facta eſt, ut ante dictum eſt, obligati erunt. Omnes præpoſiti & ſacerdotes ſeqvantur illum Epiſcopum vel Superinten-

 dentem

dentem & Conſiſtorium, qvos cum hoc illis Rex conſtiturus eſt. Alioqvi R. Majeſtatis, Ejus ſucceſſorum & Sveciæ Coronæ nomine promiſſum eſt, munimenta interea pro viribus ſarta tecta habenda eſſe. Et cum triginta illi anni exſpirarunt, & R. Majeſtas Daniæ, Ejus ſucceſſores, & Daniæ Corona R. Majeſtati Sveciæ, Ejus ſucceſſoribus & Coronæ Sveciæ ſatisfecit, reddiditqve certam recompenſationem in æqvalibus bonis, & ſufficienti aſſecuratione, tunc eadem provincia Hallandia, cum præmemoratis pagis, munitionibus, rebus ſoli & aliis pertinentibus, bona fide R. Majeſtati Daniæ Ejusq; ſucceſſoribus reſtituetur, velut R. Majeſtatis Sveciæ Reverſales literæ illud latius deducunt.

XXVIII.

Ut autem omnia integrius & certius ab una vel altera parte procedant, nec aliqvis error aut diſſenſio oriatur in permutatione vel reſtitutione; cum Danicis Commiſſariis ita convenimus, ut, poſtqvam ratificationes utrimqve commutatæ & traditæ ſunt, XVI. Septemb. Halmſtadium & Warberga cedantur & tradantur in R. Majeſtatis Sveciæ Plenipotentiariorum manus, & Landscrona ac Helſingborgum eodem die reſtituantur in R. Majeſtatis Daniæ Plenipotentiariorum manus, inde confeſtim exercitus Sveticus educatur ex omnibus præſidio munitis arcibus, caſtellis & locis in Scania & Blekingia, & ex omnibus à Danicis retentis provinciis, trans fines in Sveciam & Hallandiam, qvàm minimo onere fieri poteſt; ita ut præfata munita loca in Scaniâ & Blekingia reſtituta & in R. Majeſtatis Daniæ mandatariorum manus cum mobilibus ceſſa, & omnis Sveticus exercitus intra XXIII. Septembr. trans Sveciæ fines eductus ſit. præſervato tamen, ſi qvidam ægroti & debiles milites vel alii non ſimul diſcedere poſſint, vel qvidam ſeparati miniſtri pro rebus, qvæ non ſtatim exportari poſſunt, relinqvantur, ut illi pro æqvo pretio curentur, hi verò remaneant, donec relicta exportentur Simulac Halmſtadium & Warberga in R. Majeſtatis Sveciæ mandatariorum manus ceſſæ ac traditæ ſunt, R. Majeſtatis Generalis Campi Mareſcallus in Scania ſtatim cum expreſſo nuncio & literis præfecto & tribuno copiarum in Jutia & Holſatia collocatarum hoc ſignificabit cum mandato ut ſtatim qvidqvid eſt copiarum Regiarum, decedat Jutia, Sleswico, Holſatia, Stormaria, Dithmarſia & Pinneberga, qvàm minimâ moleſtia fieri poteſt Ita tamen ut munita loca ad verum eductionis diem poſtea præfinitum conſerventur. Die XXXI. Octobr. R. Maj. Daniæ præfectus & exercitus vacuefaciet Jemptiam & Herredaliam, tantum ex Herredalia, qvantum ſitum

eſt e

eſt ex parte Sveciæ circa rupes, eaq; loca cum caſtellis iſtic exſtructis tradent ac cedent R. Maj. Sveciæ mandatariis, ut & Öſiliam, Arensbergam, Gothlandiam eum Wiisby arce & urbe ac munimentis, & eò pertinentibus inſulis, faucibus, caſtellis, populo, terris & fundis. Hoc inſuper pactum eſt, & à parte Danica promiſſum, ut, qvia Gothlandia & Öſilia inſulæ ſunt, ſitæ in Oceano, ita ut propter tempeſtatem ventumq; tam ſtrictè de die & hora certum qvid definiri neqveat, ſi adveniens R. Majeſtatis Svetiæ mandatarius & exercitus præfiniret diem unam, duas aut tres hebdomadas, tamdiu expoſiti in terram excipientur, donec verus ceſſionis dies venerit, & munimenta Wiisbya & Arensberga illis cedi, & provinciæ cum urbibus attribui ac tradi, ſecundum horum pactorum tenorem poſſint. Si verò tempeſtate aut vento impediti poſt aliqvot dies ſerius advenirent, illud non obſtaculo erit aut aliqvod præjudicium faciet ceſſioni ac traditioni munimentorum Gothlandiæ & Öſiliæ, & executio ceſſionis nihilominus effectui dabitur, atq; ſi dies rectè obſervati eſſent. In horum vicem, eodem die 31. Octobr. promiſſum eſt, qvod R. Majeſtatis Daniæ plenipotentiariis tradentur Bornholmia & Hammershuſia, cum eò pertinentibus terris & oppidis, unà cum Chriſtianpriiſio & Pinneberga, ſed & præſidia omnia ex caſtello ad Nyſtadium educentur. Si etiam ulterius qvædam reperiri poſſent in Ducatu Slesvici Holſatiæ, Stormariâ & Dithmarſiâ occupata & ſubacta, hæc omnia reſtituentur, & illis ad qvos ante pertinebant, iterum cedentur, & milites, minimâ qvâ fieri poteſt regionis moleſtiâ, ordine beneq; educentur. Poſtqvam etiam R. Majeſtatis Daniæ Plenipotentiarii cum ſuis copiis ante vel poſt conſtitutum ceſſionis diem advenerunt Bornholmiã, pari modo ubi prius advenerint, benè habebuntur in terra usq; ad verum tempus, & ſerior eorum adventus traditioni arcium & provinciarum non præjudicabit, ſicut ante dictum eſt de Gothlandiâ & Öſiliâ. Et ex hoc die Jemptia cum Herredalia, Gothlandia & Öſilia cum omnibus ſuis arcibus, munimentis, territoriis & juribus R. Majeſtati, Ejus Succeſſoribus & Sveciæ Coronæ cedet in perpetuam proprietatem. Hallandia cum munimentis, Laholmia, Halmſtadium & Warberga, ut & earum ditio in urbibus & coloniis, ſubditis & juribus R. Majeſtati. Ejus ſucceſſoribus & Sveciæ Coronæ cedent in hypothecam vel pignus & aſſecurationem, ſub ante dictis conditionibus ad 30. annos. In eorum vicem omnia alia nunc reſtituenda munimenta, provinciæ & urbes in Jutia, Holſatia, Scania, Bornholmia, & ſi qvid in Norvegia occupatũ eſſet, cedent R. Maj. Daniæ, Ejus Succeſſoribus & Coronæ absq; omni impedimento & contradictione & qvia vel ex præfatis munimentis in Hallandia, Gothlandia & Öſilia, cedendis R. Maj. Sveciæ, aut ejus

 præfectis

præfectis vel ex reſtituendis R. Majeſtati Daniæ ejusve præfectis (qvum non niſi nuda munimenta tradenda ſint) non tam citò exportari poſſunt omnia tormenta, inſtrumenta bellica aliusve apparatus, una pars non impedietur ab altera, ad poſtea colligendum relicta, ſed potius juvabitur ac promovebitur, qvantum fieri poteſt ac decet.

XXIX.

Illud etiam conventum eſt, ut qvando munimenta ac provinciæ ceſſæ ſunt R. Majeſt. Sveciæq; Plenipotentiariis, ſimul tunc qvæ documenta adſunt de bonorum conditione, reditibus & penſionibus, ut & finibus, lapidibus terminalibus & limitibus, & qvæ juſtitiam concernunt, ea & alia hujusmodi unà cum codicibus prædiorum & agrorum tradantur, & poſtea qvam primũ conſtituantur certi utrimq; viri, duo aut tres mandatarii, qvi inſpiciant, dirimant, & ad æqvalitatem ac concordiam redigant omnes fines, limites & lites interceſſas & proximè adſitas retentas provincias: ut omnis rixa ac diſſidium eò commodius præveniatur, & qvilibet fruatur, qvo jure debet.

XXX.

Qvæcunqve naves tormenta, inſtrumenta militaria, & alia hujusmodi flagrante bello hoc occupata & capta ſunt, ſive in muniendis in campo, in mari, ſive aliis modis, hæc omnia ſeqventur Dominum occupantem, nec unqvam in poſterum repetentur.

XXXI.

Omnes Captivi in qvocunq; ſtatu vel ubicunq; ſunt, liberi dimittentur, absqve omni redemptionis pretio, nec pro victu ſolvere tenebuntur.

XXXII.

Pacificatio Stetinenſis de anno 1570. Siöredenſis, de A. 1613. inter hæc duo incluta Regna initæ in ſuo vigore permanebunt planè inviolatæ, & omnibus modis, qvales fuerunt ante cæptum hoc bellum, ita ut per hujus pacis leges nihil illis decedat aut derogetur, exceptis illis articulis, qvi in hac Pacificatione conventi ac ſpeciatim decreti ſunt.

XXXIII.

Omnibus R. Majeſtatis Sveciæ miniſtris & ſubditis liberum & integrum erit terrâ mariq; proficiſci per Daniam & Norvegiã & illis ſubjacentes provincias. Parem in modum Maj. Daniæ miniſtris & ſubditis liberum & integrum erit terra mariq; proficiſci per Sveciam, eiqve ſubjacentes provincias.

XXXIV.

Qvum etiam Pomeranicæ urbes & Wismaria Mechloburgiæ propter iſtic collocata Svetica præſidia, vectigali in freto Öreſundico aliis nationibus æqvatæ

qvatæ & ſimul bellis cum hiſce Arctois Regnis involutæ ſint; ideo earum qvoq; cauſa & intereſſe hîc inter nos transacta & compoſita ſunt, & à Danicis Commiſſariis, R. Majeſtatis, Ejus ſucceſſorum & Coronæ Daniæ nomine promiſſum eſt, ut omnes cives & incolæ urbium Pomeranicarum & Wismariæ de cætero in navigatione & commerciis plenè fruantur, & utantur pactis Othonienſibus, 15. Jul. A. 1560. initis. Atqve ſic omnes Pomeraniæ urbes & Wismaria in Mechlaburgia hac Regnorum Conventione comprehendantur.

XXXV.

Qvia verò nunc omnes errores, diſſenſiones & diſſidia, qvæ R. R. Majeſtat. Majeſtatem Reges noſtros Clementiſſimos & regna Sveciæ & Daniæ concitarunt ad jam ceſſans & benè finitum bellum, memoratis ante malis ſopitis, amicè compoſita & conciliata ſunt, etiam hoc conventum ac decretum eſt, ut omnis ſiniſtra ſuſpicio, alienatio animorum, diſcordia, inimicitia, bellum hactenus inter duos Reges unà cum miniſtris, ſubditis, amicis & adhærentibus geſtum, ut & damna & incommoda ab una vel altera parte illata aut accepta, ſepulta, ſublata, ac perpetua oblivione obliterata ſint. Contra in ejus Locum, approbata, decreta, erecta & confirmata eſt tuta, ſecura, ſtabilis & irrevocabilis pax, amicitia, fiducia ac bona vicinitas, ita ut unus Dominus alteri omni amico affectu addictus ſit, ejus commodum & emolumentum verbis & factis æqvè ac proprium qværat & conſervet, promoveat ac defendat. Qvidqvid verò alterius perſonæ, imperio, regno, provinciis & ſubditis fraudi ac detrimento eſſe qveat, prò viribus avertat ac impediat.

XXXVI.

Omnes arces, domus, prædia vel aliæ ſoli poſſeſſiones, vel ad R. Majeſtatem Daniæ Ipſam vel Ipſius Subditos, officiarios vel miniſtros pertinentes, & in Dania, Holſatia, Slesvico, Mechelburgia, Rugia, Archiepiſcopatu Bremenſi, vel alibi ſitæ & in hoc bello occupatæ ac donatæ ſunt, veris dominis & proprietariis absqve ulla ulteriori prætenſione aut moleſtia reſtituentur.

XXXVII.

Hæc jam benè inita & concluſa Pax inter utramq; Majeſtatem Majeſtatem Sveciæ & Daniæ & utraqve incluta Regna, Septentrionalia, Regiis & patentibus literis publicabitur intra ſex hebdomadas, ad utriusqve ſubditos, ſigillatim in finibus: ut omni hoſtilitate & omnibus malis abſtineant, & in poſterum ſe invicem, ut bonos amicos ac vicinos tractent. Hinc qvoqve ſtatim à nobis utrinqve Commiſſariis ad R. R. Maj. Majeſtatis Regum noſtrorum clementiſſimorum conſtitutos Campi Mareſcallos & Generales

officiarios, ut & ad Ammiralitates maritimas & exercitus ſcribetur & decernetur, ut omnibus hoſtilibus actionibus ſuperſedeant. Et ſi ex hoc dato, & anteqvam pax publicatur, una pars alteri, qvamcunqve domum, caſtellum, oppidum, navem, tormenta, terramve vel aliud qvid armis abſtulerit, hæc confeſtim, ſimulac Pax notificata eſt, absqve ulla refuſione reſtituentur.

XXXVIII.

Qvia Sereniſſ. Ejus Celſitudo, Princeps Fridericus, Archiepiſcopus Bremenſis huic qvoqve bello implicitus eſt, & tandem ex hac occaſione, tam Archiepiſcopatus Bremenſis, qvam Epiſcopatus Verdenſis armis R. Majeſtatis Sveciæ occupati ſunt; tempora autem nunc non permittunt, ut Celſ. Ejus reſtitutio hîc peragi & concludi poſſit; ex R. Majeſtatis Galliæ Dn. Legati prudenti conſilio & diligenti ſvaſu, Pacis absqve longiori dilatione decernendæ & cruenti hujus belli finiendi cauſa, è re fore duxit & comprobavit, ut ipſum negotium ad Archiepiſcopatum Bremenſem & Epiſcopatum Verdenſem ſpectans apud R. Majeſtatem Sveciæ Ipſam tractaretur & componeretur. Illud juxta decretum eſt, ut Sereniſſ. Ejus Celſitudo Archiepiſcopus unà cum omnibus ſuis officiariis & miniſtris hac pacificatione qvoqve comprehendantur. Ejus officiarii & miniſtri bona ſua ſoli recuperent, fruantur & retineant, omnes captivi absq; lytro dimittantur, & de præmemorati Archiepiſcopatus & Epiſcopatus reſtitutione, amplius apud R. Majeſtatem Sveciæ agatur, ut dictum eſt, prout etiam nos illud negotium R. Majeſtati commendare & promovere ſoliciti ſumus.

XXXIX.

Qvæ in Ducatu Slesvici Holſatiæ & Seren. Ejus Celſitudine Duce Friderico reſidentia Gottorpiæ, provinciæ, pagi, arces, caſtella, oppida & domus durante bello ab una vel altera parte capta & occupata ſunt, Ejus Celſ. reſtituentur cum omnibus attinentiis, ut repertæ ſunt, Ejus Ducatibus, ditionibus, populo, eminentia, juribus & Regalibus omninò reſervatis, ſalvis & illæſis. Atqve ſi ſuſpicio qvædam apud unam vel alteram partem in hoc bello de Ser. Ej. Celſit. vel ejus miniſtris aut ſubditis orta ſit, vel qvidqvam à qvoqvam in bello admiſſura ſit, qvod aliter qvam bene interpretari posſit, vel diffidentiam qvandam pepererit, illud hoc ipſo penitus ſublatum, ſopitum, ac perpetua oblivione deletum erit, nec in ullius præjudicium aut moleſtiam ulterius urgebitur. Ita Ergo Ejus C. Fridericus Dux Holſatiæ, Gottorpium cum ſuis ditionibus ſublimitate & juribus, conſiliariis, miniſtris & ſubditis, his pactis comprehendentur ac plenè fruentur.

XL. Pari

XL.

Pari modo ambo Comites, Antonius Güntherus & Chriſtianus, Comites Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, Domini in Levveren & Kniphuſen, pro ſe & ſuis hæredibus hac pacificatione plene fruentur; & ſi qvid occurriſſet, qvod vel Ipſis vel eorum miniſtris ac ſubditis ſeqvius interpretari poſſet, illud hoc ipſo compoſitum, ac penitus ſublatum ſit.

XLI.

Hac pacificatione etiam, ut convenit, comprehendentur & includentur omnes ad Hanſeaticum fœdus pertinentes civitates, ut fruantur liberis & non impeditis ſuis commerciis in utroqve Regno. qvæcunqve verò pacta inter Regna & Civitates Hanſeaticas fuere, eorum obſervantia ad alia meliora tempora reſervabitur. Nulli autem pago, civi aut ſubdito pro qvacunq; actione in hoc bello qvidqvam adverſi inferetur.

XLII.

In ſpecie Dantiſcum civitas hac pacificatione comprehendetur & includetur, & pariter fruetur libertate commerciorum in utroqve regno, terra mariqve, ut ante. Si qvid in hoc bello contigerit, qvod unum vel alterum offendere potuerit, illud pari modo tolletur ac oblivioni tradetur.

XLIII.

Omnes qvi liqvidum debitum vel apud R. Majeſt. Clementiſſ. noſtram Reginam, vel apud unum aut alterum, qvod non jam confiſcatum eſt, & ſecundum 23. articulum non ſublatum, deinceps qvi in Gothlandia, Öſilia, Jemptia, Herredalia vel Hallandia liqvidum aliqvod debitum exigendum habent, decenter poſt legitimam probationem, ſolvetur, expungetur & jure promovebitur. Parem in modum qvoq; Sveciæ & ei ſubjectarum provinciarum incolæ, tam qvi habitant in Gothlandia, Öſilia, Jemptia, Herredalia & Hallandia poteſtatem habebunt legitimum ſuum æs alienum, & qvod jure ad eos pertinet, vel apud R. Maj. Daniæ Ipſam vel alios exigendi, nec, ut præſcriptum, ſublatum eſt, illud qvoqve ſolvetur ac jure promovebitur ad id, qvod æqvum & legitimum eſt.

XLIV.

Qvod omnia iſthæc præſcripta, & in verbis ac ſenſu præmemorata, & hîc decreta & concluſa, debeant ab utraqve parte fideliter, ſincere & benè nunc & in poſterum ſervari atqve impleri; ideo qvoq; placuit & promiſſum eſt, hæc amica noſtra pacta & transactionem ab utriusq; Regni Regibus, Regina Sveciæ Chriſtina, & Rege Daniæ Chriſtiano IV. propria manu & ſigillo ſtabiliri & confirmari, & in majorem ſecuritatem ab utriusqve Regni Senatu ſubſcribi & ſigillis ſuis corroborari.

XLV. Qvia

XLV.

Qvia verò ſumme memorata R. Maj. Rex Chriſtianiſſimus, ut & Ejus Chariſſ. Dna Mater, R. E. Maj. Regina, Regnatrix in Francia, illam ſuſceperunt moleſtiam eamq; curam de horum ſeptentrionalium Regnorum pace & incolumitate geſſerunt, ac mediante ſua interpoſitione pro virili cooperati ſunt & collaborarunt, ut res jam eò provecta ſit. Ideo ab utraq; parte rationabile judicatum & acceptum eſt, & ad corroborationem & majorem firmitatem conſtantis & perpetuæ pacis ac amicitiæ inter R. R. Maj. Majeſtates & utraqve Regna Sveciæ ac Daniæ; altè memoratæ R. Majeſtates Rex Ejusqve nomine Regina, Regnatrix in Francia, honorificis legationibus ab utraqve parte viſitarentur, & ad teſtificandum bonam ſuam affectionem & curam ſuper hîc peractis, ad pactorum confirmationem propria Eorum manus ac ſigillum obtinerentur, ac perſvaderentur: ut qvilibet in majorem aſſecurationem, unum ex his exemplar habere poſſit.

XLVI.

Promiſſum etiam & cautum eſt, ut unus Regni Senatorum cum Secretario ab unaqvaq; parte occurrat ad fines prope Marckeryelh 13. Septemb. ſecum habens horum pactorum Ratificationem utriusq; partis manu & ſigillo ex conventa forma ſtabilitam & confirmatam; ut & Danici commiſſarii iſtic occurrant, ſecum habentes ceſſionis Literas de Jemptia, Gothlandia & Öſilia, & Aſſecurationis Literas de Hallandia; & Svetici Commiſſarii ſecum habentes Reverſales literas de Aſſecuratione, omnia ſecundùm Conventionem & decentem exſecutionem; illasq; inter ſe commutent & invicem tradant in pacis & compoſitionis fidem ac firmamentum, & ſecundum rationem ac veterem conſvetudinem.

In ulteriorem rei certitudinem & majorem ſecuritatem, qvod hæc ita à Nobis, ut ante memorata ſunt, in omnibus ſuis punctis & articulis, peracta, conventa, decreta, & concluſa ſint, & à R. Majeſtatis Clementiſſimæ noſtræ Reginæ & Sveciæ Coronæ parte fideliter, firmiter & irrevocabiliter ſervanda, manu tenenda & implenda, & ratificatio eorum ad præſcriptum diem præſtanda ac tradenda ſit; ideo hæc propriis manibus ſubſcripſimus, & ſcienter noſtra ſigilla infra imprimi curavimus; deſiderantes pariter à Reg. M. Majeſtatum Galliæ bene memorato Legato ac Mediatore in hoc pacis tractatu, ut in majorem fidem & majorem teſtificationem hæc nobiſcum ſubſcribere & obſignare velit. Actum Brömſebroo in finibus 13. Auguſti Anno 1645.

CHRISTINA, Regina Sveciæ, Proceres & Senatores regni Sveciæ ſubſcripſerunt.

Pari modo CHRISTIANUS IV. Rex Daniæ, & Senatores regni Daniæ ſubſcripſerunt.

Ex

Ex

INSTRUMENTO PACIS

Ab utriusqve partis Plenipotentiariis

CÆSAREIS

&

REGIIS SVECICIS,

OSNABRUGIS

ANNO MDCXLIX. die 27. Julii
& 6. Auguſti initæ.

ARTICULUS X.

ARTICULUS X.

QVoniam Sereniſſima Regina Sveciæ poſtulaverat, ut ſibi pro Locorum hoc bello occupatorum reſtitutione ſatisfieret, paciqve publicæ in Imperio reſtaurandæ condignè proſpiceretur; ideò Cæſarea Majeſtas de conſenſu Electorum, Principum & Statuum Imperii, cumprimis Intereſſatorum, vigoreqve præſentis Transactionis concedit Eidem Sereniſſimæ Reginæ & futuris Ejus Hæredibus ac Succeſſoribus Regibus Regnoqve Sveciæ ſeqventes ditiones pleno jure in perpetuum & immediatum Imperii Feudum.

Primò totam Pomeraniam citeriorem, vulgò Vor-Pommern dictam, unà cum Inſula Rugia, iis finibus contentas, qvibus ſub ultimis Pomeraniæ Ducibus deſcriptæ fuerant. Ad hæc è Pomeraniâ ulteriori Stetinum, Gartz/ Dam/ Golnau & Inſulam Wollin/ unà cum interlabente Odera & mari, vulgo das friſche Haff vocato, ſuisqve tribus oſtiis Pein/ Schwine & Divenau/ atqve adjacente utrinqve terrâ ab initio territorii Regii usqve in mare Balthicum, ea latitudine littoris orientalis, de qvâ inter Regios & Electorales Commiſſarios, circa exactiorem limitum & cæterorum minutiorum definitionem amicabiliter convenietur.

Hunc Ducatum Pomeraniæ, Rugiæqve Principatum unà cum ditionibus locisqve annexis, omnibusqve & ſingulis ad ea pertinentibus territoriis, præfecturis, urbibus, caſtellis, oppidis, vicis, pagis, hominibus, feudis, fluminibus, inſulis, lacubus, littoribus, portubus, ſtationibus, antiqvis vectigalibus & reditibus, & qvibuscunqve aliis Eccleſiaſticis ac ſecularibus bonis, nec non titulis, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus & prærogativis, cæterisqve omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis & ſecularibus juribus ac privilegiis, qvibus anteceſſores Pomeraniæ Duces ea habuerant, incoluerant & rexerant, Regia Majeſtas, Regnumqve Sveciæ ab hoc die in perpetuum pro hæreditario feudo habeat, poſſideat, iisqve liberè utatur, & inviolabiliter fruatur.

Qvicqvid etiam juris in collatione Prælaturarum & præbendarum Capituli Caminenſis antehac habuerunt Duces Pomeraniæ citerioris, habeat impoſterum Regia Majeſtas Regnumqve Sveciæ perpetuò, cum poteſtate eas extingvendi, reditusqve menſæ Ducali, poſt modernorum Canonicorum & Capitularium deceſſum, applicandi. Qvicqvid autem ulterioris Pomeraniæ Ducibus competierat, competat Domino Electori Brandenburgico unà cum integro Epiſcopatu Caminenſi, ejusqve territoriis, juribus & dignitatibus, prout infra pluribus explicatur.

Titulis

Titulis & inſigniis Pomeraniæ tam Regia Domus, qvàm Brandenburgica promiſcuè utantur, more inter priores Pomeraniæ Duces uſitato; Regia qvidem perpetuò; Brandenburgica verò, qvamdiu ullus è linea maſculinâ ſuperfuerit, absqve tamen Rugiæ Principatu, omniqve alia prætenſione ullius juris in loca Regno Sveciæ ceſſa. Deficiente verò lineâ maſculinâ Domus Brandenburgicæ, omnes, præter Sveciam, alii titulis & inſigniis Pomeranicis abſtinebunt: atqve tunc qvoqve ulterior Pomerania tota cum citeriori Pomerania, totoqve Epiſcopatu & integro Capitulo Caminenſi, adeoqve omnibus anteceſſorum juribus & expectantiis conſolidata, ad ſolos Reges Regnumqve Sveciæ perpetuò pertinebunt, ſpe interim ſucceſſionis & inveſtiturâ ſimultaneâ gaviſuros; ita ut etiam Ordinibus ſubditisqve dictorum locorum pro homagii præſtatione ſolito more caveant.

Dominus Elector Brandenburgicus, cæteriqve omnes intereſſati, exſolvunt Ordines, officiales & ſubditos, ſingulorum ſupradictorum locorum vinculis & ſacramentis, qvibus hucusqve ſibi ſuisqve Domibus obſtricti fuerant, eosqve ad homagium & obſeqvia Regiæ Majeſtati, Regnoqve Sveciæ more ſolito præſtandum remittunt; atqve ita Sveciam in plena juſtaqve eorum poſſeſſione conſtituunt, renunciantes omnibus in ea prætenſionibus ex nunc in perpetuum; idqve pro ſe ſuisqve poſteris peculiari diplomate hîc confirmabunt.

Secundò Imperator de conſenſu totius Imperii concedit etiam Sereniſſimæ Reginæ ejusqve hæredibus ac Succeſſoribus Regibus Regnoqve Sveciæ in perpetuum & immediatum Imperii feudum, civitatem portumqve Wiſmarienſem unà cum fortalitio Walfiſch & præfecturis Pöl (exceptis pagis Schedorff/ Weitendorff/ Brandenhuſen & Wangern/ ad hoſpitale S. Spiritus in urbe Lubecâ pertinentibus) & Neuencloſter/ omnibusqve juribus & appertinentiis, qvibus ea Duces Megapolitani hucusqve habuerunt: ita ut dicta loca, totusqve portus, cum terris utriusqve lateris ab urbe in mare Balthicum, liberæ diſpoſitioni ſuæ Majeſtatis ſubſit, poſſitqve ea munimentis & præſidiis pro lubitu & exigentiâ circumſtantiarum, ſuis tamen propriis ſumtibus, firmare, ubiqve ſemper pro ſuis navibus claſſeqve tutum ſecurumqve receptum ac ſtationem habere, iisqve de cætero uti fruiqve eo jure, qvod ipſi in cætera ſua Imperialia feuda competit; ita tamen ut civitati Wiſmarienſi privilegia ſua ſint ſalva, ejusqve commercia protectione favoreqve Regio omni meliori modo promoveantur.

Tertiò, Imperator de conſenſu totius Imperii concedit etiam, vigore

Vuuuu 2 præſen-

præſentis transactionis, Sereniſſimæ Reginæ, ejusqve hæredibus ac ſucceſſoribus Regibus, Regnoqve Sveciæ Archiepiſcopatum Bremenſem & Epiſcopatum Verdenſem cum oppido & Præfectura Wilshuſen omniqve jure, qvod ultimis Archiepiſcopis Bremenſibus competierat in Capitulum & Diœceſin Hamburgenſem (ſalvis tamen Domui Holſaticæ, ut & Civitati, Capituloqve Hamburgenſi ſuis reſpectivè juribus, privilegiis, libertate, pactis & poſſeſſione, ſtatuqve præſenti, per omnia; ita ut qvatuordecim illi pagi in præfecturis Holſaticis, Trittovienſi & Reinbeccenſi, pro moderno annuo Canone, Domino Friderico Duci Holſatiæ Gottorpienſi & illius poſteris in perpetuum maneant) cum omnibus & ſingulis ad eos pertinentibus, ubicunqve ſita ſunt, Eccleſiaſticis & ſecularibus bonis, & juribus, qvocunqve nomine vocatis, terra mariqve, in perpetuum & immediatum Imperii feudum, ſub ſolitis qvidem inſigniis, ſed titulo Ducatus; ceſſante Capitulorum, cæterorumqve Collegiorum Eccleſieſticorum eligendi & poſtulandi, omniqve alio jure, adminiſtratione & gubernatione terrarum ad hos Ducatus pertinentium.

Civitati verò Bremenſi, ejusq; territorio, & ſubditis, præſens ſuus ſtatus, libertas, jura & privilegia in Eccleſiaſticis & Politicis, ſine impetitione relinqvantur. Si qvæ autem ipſi cum Epiſcopatu ſeu Ducatu aut Capitulis ſint, aut impoſterum enaſcantur controverſiæ, eæ vel componantur amicabiliter, vel jure terminentur, ſalvâ interim cuiqve parti ſuâ, qvam obtinet, poſſeſſione.

Qvartò, ratione ſupra dictarum omnium ditionum feudorumqve, Imperator cum Imperio cooptat Sereniſſimam Reginam Regniqve Sveciæ Succeſſores in immediatum Imperii Statum, ita ut ad Imperii comitia inter alios Imperii Status Regina qvoqve Regesqve Sveciæ ſub titulo Ducis Bremenſis, Verdenſis & Pomeraniæ, ut & Rugiæ Principis, Dominiqve Wiſmariæ citari debeant, aſſignatâ eis ſeſſione in conventibus Imperialibus in Collegio Principum ſcamno ſeculari, loco qvinto; voto qvidem Bremenſi hoc ipſo loco & ordine, Verdenſi verò & Pomerano, ordine antiqvitus prioribus poſſeſſoribus competenti explicando. In circulo autem ſuperioris Saxoniæ proximè ante Duces Pomeraniæ ulterioris; In circulis Weſtphaliæ & inferioris Saxoniæ loco moreqve receptis; ita ut inter Magdeburgenſem & Bremenſem circuli inferioris Saxoniæ directorium alternetur; ſalvo tamen Ducum Brunſvicenſium & Luneburgenſium condirectorii jure. Ad conventus autem deputatorum Imperii tam Regia

Maje-

Majeſtas, qvàm Dominus Elector, ſuos pro more ſolito mittant. Cum autem utriqve Pomeraniæ unum tantum votum in iis competat, à Regia Majeſtate, communicato prius conſilio cum dicto Electore, id ſemper feratur.

Deinde concedit eis in omnibus & ſingulis dictis feudis, privilegium de non appellando, ſed hoc ita, ut ſummum aliqvod tribunal ſeu appellationis inſtantiam commodo in Germania loco conſtituant, eiqve idoneas præficiant perſonas, qvæ unicuiqve jus & juſtitiam ſecundum Imperii Conſtitutiones & cujusqve loci ſtatuta, absq; ulteriori provocatione cauſarumve avocatione, adminiſtrent.

E contra verò ſi eontigerit, ipſos tanqvam Duces Bremenſes, Verdenſes aut Pomeraniæ, vel etiam ut Principes Rugiæ, aut Dominos Wiſmariæ, ex cauſa dictas ditiones concernente, ab aliqvo legitimè conveniri, Cæſar. Majeſt. liberum eis relinqvit, ut pro ſua commoditate forum eligant, vel in Aula Cæſarea vel Camera Imperiali, ubi actionem intentatam excipere velint. Teneantur tamen intra tres menſes à die denunciatæ litis ſeſe declarare, coram qvo judicio ſe ſiſtere velint.

Præterea concedit eidem R. Majeſtati Sveciæ jus erigendi Academiam vel Univerſitatem, ubi, qvandoqve ei commodum viſum fuerit. Ad hæc concedit eidem moderna vectigalia vulgò Licenten vocata) ad littora portusqve Pomeraniæ & Megapoleos, jure perpetuo, ſed ad eam laxæ moderationem reducenda, ne commercia in iis locis intercidant.

Exſolvit deniqve Status, Magiſtratus, officiales & ſubditos dictarum reſpectivè ditionum feudorumqve omnibus vinculis & ſacramentis, qvibus prioribus Dominis & poſſeſſoribus aut prætendentibus hucusqve obſtricti fuerant, eosqve ad ſubjectionem, obedientiam & fidelitatem Reg. Majeſtati Regnoqve Sveciæ, ceu ab hoc die, hæreditario ſuo Domino, præſtandum remittit, obligatqve; atqve ita Sveciam in plena juſtaqve eorum poſſeſſione conſtituit, verbo Imperiali promittens, ſe non ſolum modernæ Reginæ, ſed & omnibus futuris Regibus Regnoqve Sveciæ, ratione dictarum ditionum, bonorum juriumqve conceſſorum, ſecuritatem præſtiturum, eosqve, ſicut cæteros Imperii Status, in eorum poſſeſſione qvieta contra qvemcunq; inviolabiliter conſervaturum & manutenturum; atqve hæc omnia peculiaribus inveſtitutarum literis omni meliori modo confirmaturum.

Viciſſim Sereniſſima Regina & futuri Reges Regnumqve Sveciæ dicta Feuda omnia & ſingula à Cæſarea Majeſtate & Imperio recognoſcant; eoqve nomine, qvoties caſus evenerit, inveſtiturarum renovationes decenter petant, juramentum fidelitatis, eiqve annexa, ſicut anteceſſores, ſimilesqve Imperii Vaſalli, præſtando.

De cætero Ordinibus & ſubditis dictarum ditionum locorumqv nominatim Stralſundenſibus, competentem eorum libertatem, bona jura & privilegia communia & peculiaria legitimè adqviſita, vel long uſu obtenta, cum libero Evangelicæ Religionis exercitio juxta invariatam Auguſtanam Confeſſionem perpetim fruendo, circa homagii renovationem & præſtationem, more ſolito confirmabunt. Interqve eos Civitatibus Anſeaticis eam navigationis & commerciorum libertatem tam in exteris Regnis, Rebuspublicis & provinciis, qvàm in Imperio integram conſervabunt, qvam ibi ad præſens usqve bellum habuerunt,

PACTA

PACTA
R. M.TIS SVECIÆ
CAROLI GUSTAVI
CUM
CIVITATE BREMA.

I.

Controverſia de immedietate, ut appellant, vel libertate civitatis Bremæ, tanqvam Imperialis, qvam prolixè diſcutere tempus nunc haud permittit, ad alium tractatum protolletur & ſeponetur; Ut tamen R. Majeſtatis Ejusqve Succeſſorum Regni Sveciæ jura per hoc minimè labefactentur aut diminuantur, ſed Eisdem in optima juris formâ reſervata ſint; Ut itidem Civitati Bremæ ſua immedietas, & qvæ inde dependent, in qvo Statu & poſſeſſione hactenus ea habuit, pariter in optimâ juris formâ reſerventur ac relinqvantur, interim & usqve ad memoratum futuræ compoſitionis tractatum, omni, de hac cauſa & reſervatis hinc inde juribus, hoſtilitate prorſus utrinqve ceſſante & qvieſcente.

II.

Homagium R. Majeſtati & Coronæ Sveciæ, ut Duci Bremenſi, Conſules Senatus & cives Bremenſis urbis, ad declarandum ſubjectiſſimum ſuum reſpectum, fidem, ſinceritatem & majorem R. Majeſtatis aſſecurationem proximo die qvarto Decembris, ſolenni formula præſtabunt, qva anno MDCXXXVII. poſtremo Archiepiſcopo id præſtiterant, ſalvis tamen R. Majeſtati in priori articulo reſervatis, & ut contra Civitatis Bremæ præſentem ſtatum & poſſeſſionem nihil præjudiciale inferatur, nec via facti in iis turbetur, ſed ad pacificum tractatum remittatur. Si vero dictâ compoſitione nondum peractâ, R. Majeſtati qvid humanitus eveniat, Ejusdem Majeſtatis Succeſſori ſtatim, poſt obtentam Cæſaream Inveſtituram idem ſolenne homagium, & eâ Formula, qvâ Anno 1637. ultimo Archiepiſcopo Brem. conceptum & præſtitum eſt, Civitas Brema præſtare tenebitur. Ut tamen ille Succeſſor Rex civitati Bremæ per ſuum legatum ac Plenipotentiarium vetera jura, mores, conſvetudines & privilegia, qvatenus huic Receſſui non repugnant, manu ſua ac ſigillo, unà cum ratificatione hujus Receſſus, intra proximum trimeſtre confirmet.

III.

Ut R. Majeſtas de Civitatis Bremæ devotione in poſterum certior eſſe poſſit, promittunt Conſules, Senatus & cives dictæ Urbis, pro ſe & poſteris ſuis hoc ipſo, qvod velut in nullo fœdere contra R. Majeſtatem Ejus provincias & dominia comprehenſi ſunt, ita in poſterum nullum hujusmodi fœdus, contra R. Majeſtatem aut Regnum Sveciæ, Ejus provincias aut ſubditos inire velint. Contra R. Majeſtas clementiſſimè confirmat civitati Bremæ, eam adverſus omnem iniqvam vim tueri, ejus commercia terra mari

mariqve promovere, incrementum urbis aç proſperitatem in omnibus, qvæ æqvum & fas permittunt, procurare.

IV.

Pari modo, ſi Conſules, Senatus & Civitas Brema comperiant, R. Mti & huic Ducatui qvædam pericula & hoſtilitates imminere, vi horum ſe obligant; R. Mti, vel Ejus Gubernatori & Regimini in tempore ſignificare, & omni induſtriâ ac fide in eo eſſe, ut ea prohibeantur ac avertantur. Si verò pacificâ viâ nihil obtineri poſſit, ſed defenſionis media apprehendenda ſint, R. Mti, ut Duci Bremenſi adſiſtere (velut in peculiari Receſſu concipietur) & omnia pericula atq; incommoda à regione conjunctis viribus amoliri velle.

V.

Qvum apud R. Mtem non parum ſimultatis pepererit, & plus difficultatis cum tempore inde metui poſſit, qvod Conſules, Senatus & Civitas Bremenſis, eos qvi tempore factæ pacis fuerant, Canonicos, capitulares, vicarios eorumq; miniſtros in patrocinium receperunt; è re viſum eſt, ut Conſules, Senatus & Civitas Bremenſis nulli horum eorumve bonis, ob prætenſionem ſuam in Eccleſiaſtica bona, qvæ nunc, Archiepiſcopatu in Ducatum converſo, ſecularia facta ſunt, qvocunq; modo patrocinentur, aut opitulentur, ſed neutrales ſe gerant. Templum Cathedrale & ad id pertinentes curias, domos, ædificia, tabernas & cellas, atqve in illis vel nunc vel in poſterum habitantes Regios miniſtros, jure clientelæ aut proprietatis poſſidentes, Eccleſiæ & Scholæ miniſtros (qvi tamen civilibus victus qværendi generibus & negociationibus abſtinebunt) à civili urbis jurisdictione omninò exemtos & ſeparatos habeant, & in ſuis reditibus imperturbatos relinqvant, nec ullâ conſumptionis impenſa vel aliis ordinariis aut extraordinariis oneribus gravent. Qvod autem ad Cathedralem ædem & majus prædium cathedrale (den groſſen Thumbhoff) attinet, hæc loca absqve innovatione in præſenti ſtatu permanebunt, nec ullum impedimentum inter ſacrorum adminiſtrationem in templo cathedrali permittetur.

VI.

Omnem arreſtationem, captivationem, & aliam facti viam Conſules & Senatus urbis à palatio Archiepiſcopi Bremenſis prorſus abſtinebunt, nec ullam jurisdictionem in urbis Prætorem ſibi arrogabunt.

VII.

Judicium aulicum vigore veterum Receſſuum Archiepiſcopatus nunc in Ducatum converſi, qvotannis ſemel Bremæ in Capitulari domo habitum, ibidem retinebitur, nec ullum ei rei impedimentū à Civitate Brema iniicie-

 tur.

tur. Non verò illa, usqve ad ulteriorem tranſactionem qvemqvam ex ſuo ordine ei adhibere tenebitur.

VIII.

Satisfactio pro expenſis belli remittetur. Bederkeſiam præfecturã, & qvicqvid in oppidũ Leã juris antea Brema habuit, Regi Svetiæ cum omnibus juribus, incolis & documentis cedet. Burgũ in poſſeſſione Regis manebit, donec amicè ſuper eo convenerit, veteri interim vectigali, nec alio onere, præſtãdo.

IX.

Præfectura Blumenthal & Fegeſack erunt Bremæ Civitatis, ut ante fuerunt, ſalvo tamen Regio jure territoriali in dictã præfecturam; & controverſia atqve actio de Fegeſacco judicibus in Leſſumb adverſus urbem Bremam integra relinqvatur.

X.

De qvatuor *Gobis* vel diſtrictibus cum tribunali Borchfeld ad eosdem pertinente controverſia, dum in eos Brema jus territoriale prætendit, Regia verò Majeſtas ei contradicit, ad prædictam artic. I. compoſitionem remittetur. Ita tamen, ut Civitas Brema, in uſurpata ante diſſidium hoc poſſeſſione, qvieta relinqvatur; & dimidium annuarum contributionum ex Gohis in ærarium Regium Stadenſe & Bremenſibus inferatur, ac Regiis miniſtris & feudatariis jus annuarum præſtationum, venationum & piſcationum in ſuis poſſeſſionibus & prædiis ſalvum relinqvatur.

XI.

De duabus ſubdiœceſibus S. Wilhadi, Stephani & S. Anscharii, qvum Brema multis retrò annis, in iis vel ex longi temporis poſſeſſione vel pactis communionem qvandam, jura & reditus ſe percepiſſe, eosq; in pios uſus templorum & ſcholarũ convertiſſe probarit, res ita convenit, ut in illarum participatione Brema relinqvatur, poſtqvam R. Majeſtati ſubſiſtentia dictorum capitulorum diſplicuit; cum hac tamen conditione, ut qvi ex illis à R. Majeſtate beneficiati & certis feudis donati ſunt, civili civitatis Bremæ jurisdictioni, conſumtioni, ut vocant, & aliis oneribus exempti ſint, qvamdiu civiles victus qværendi modos non exercent.

XII.

Ræ. Majeſtatis ſubditi, qvi ligna & cespites uſtibiles Bremam venales devehunt, à vectigalibus immunes erunt, nec conſumtionis aut retorſionis impenſa gravabuntur.

XIII.

Publica in ſtatu Archiepiſcopatus mutuò ſumpta debita, qvatenus eorum competentia per ſubſcriptas in ſolidum obligationes nondum abſorpta eſt, pro ratã portione Civitas Brema ſolvet; ut tamen nihil rei habeat cum alio ære alieno, poſtea in Ducatu Bremenſi contracto.

XIV.

Agros, qvi novæ urbis finibus (ad clerum ſpectantes) continentur, ſed nunc R. Majeſtati ceſſerunt in teſtimonium ſingularis Regiæ affectionis erga Civitatem Bremam, R. Majeſtas Civitati Bremenſi in perpetuam proprietatem donat.

XV.

Pro abducendo Svetico exercitu, certam pecuniæ ſumam ſpeciali obligatione comprehenſam, inter ſex hebdomadas Illuſtriſſimo Dn. Scheringio Roſenhane vel alii Regis Plenipotentiario Civitas Brema Hamburgi numerabit. Stadæ 28. Novemb. 1654.

INSTRUMENTUM
PACIS PERPETUÆ
INTER
S. REGIAM MAJESTATEM
REGNUMQVE SVECIÆ
EX UNA;
& INTER
S. REGIAM MAJESTATEM
ET REMPUBL. POLONIÆ
Ejusqve
Confœderatos
S. CÆSAR. MAJESTATEM
ET SERENISS.
ELECTOREM BRANDENBURG.
EX ALTERA PARTE,
AD
GEDANUM
In Monaſterii Olivienſi
III. Maji, ANNO MDCLX.
initæ & concluſæ.

In Nomine Sacro-Sanctæ & individuæ Trinitatis.

NOtum ſit univerſis & ſingulis, qvorum intereſt, aut qvomodolibet intereſſe poteſt, poſtqvam à multis annis, bella diſſidiaq; inter Sereniſſimos Reges Regnaq; Sveciæ & Poloniæ orta, & interdum Induciis, præcipuè verò ſexennalibus Anno 1629. deinde viginti ſexennalibus, Anno 1635. ſopita & compoſita fuerant, ac deniqve inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum Dominum CAROLUM GUSTAVUM Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem, Magnum Principem Finlandiæ, &c. &c &c. Et Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum JOANNEM CASIMIRUM, Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ &c. &c. &c. deventum ſit ad bellum, qvod non ſolùm dictos Reges, Regnaqve eorum per plures annos exercuit, ſed & Poloniæ Fœderatos ac belli ſocios videlicet Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum Dominum LEOPOLDUM electum Romanorum Imperatorem ſemper-Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ &c. &c. &c. Sereniſſimo Regi & Regno Poloniæ, ad ejuſdem reqviſitionem, auxilia ferentem, nec non Sereniſſimum Principem ac Dominum Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, Marchionem Brandeburgicum, Sacr. Rom. Imperii Archi-Camerarium & Principem, Electorem, Magdeburgi, in Pruſſiâ &c. &c. &c. Ducem involvit; unde multa Chriſtiani ſangvinis effuſio, cum plurimarum Provinciarum deſolatione, ſecuta eſt. Tandem Divinâ bonitate factum, ut utrinqve de Pace univerſali, inter Regem Regnumqve Sveciæ ab unâ, & Regem Remqve publicam Polonicam & ejus Confœderatos ac belli ſocios ab altera parte, ſuſcepta ſit cogitatio, operâ & ſtudio Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini Dn. LUDOVICI XIV. Galliarum & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi, qvi huic Paci conciliandæ Mediationem obtulit, & in ipſo negotio Pacis, per Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum ANTONIUM de LUMBRES, Dominum de Herbingen, Loos & la Cloye, Comitem Conſiſtorianum, Regiiqve ordinis Eqvitem, Legatum ſuum, eandem mediationem Sereniſſimis Regibus Sveciæ & Poloniæ, nec non Sereniſſimo Electore Brandeburgico acceptantibus, præſtitit. In eum ergo finem ex mutua partium conventione conſtitutus eſt dies qvintus Januarii anni 1660. Congreſſui Plenipotentiariorum Olivæ inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore

pore ac loco omnium Paciſcentium legitimè conſtituti Legati Plenipotentiarii, à parte qvidem Sereniſſimi Regis Regniqve Sveciæ, Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Domini, Dn. MAGNUS GABRIEL de la GARDIE, Comes in Leckôô & Arensburg, Liber Baro in Ekholmen, Dominus in Hapſal, Magnushoff & Hôyentorp, Regiæ Suæ Majeſtatis Regniqve Sveciæ Senator & Theſaurarius, Generalis Gubernator Livoniæ & Locumtenens per Eſthoniam, Livoniam & Ingriam, Militiæ Generalis, Judex Provincialis Veſtergothiæ & Daliæ, nec non Academiæ Upſalienſis Cancellarius: Dn. BENEDICTUS OXENSTIERNA, Comes in Korsholm & Waſa, Liber Baro in Môrebii & Lindholmen, Dominus in Coporium & Roſersberg, Suæ Regiæ Majeſtatis Regniqve Sveciæ Senator & Cancellariæ Conſiliarius: Dn. CHRISTOPHORUS CAROLUS SCHLIPPENBACH, Comes in Sahovede, Liber Baro in Liuſala, Dominus in Salinge, Suæ Regiæ Majeſtatis Regniq; Sveciæ Senator & Conſilii Bellici Præſes: Et Dn. ANDREAS GÜLDENKLAW, Dominus & hæres in Schonela, Ekeby, Hylinge & Hulterſtadt, Reg. Suæ Maj. Conſiliarius Status & per Pomeraniam Reg. Regiminis & Conſilii Status ut & Supremæ Curiæ Juſtitiæ Præſes. A parte verò Sereniſſ. Regis, Reiqvep. Poloniæ, Illuſtr. & Excellentiſſ. Domini, ex ordine Senatorio qvidem, Dn. JOHANNES Comes à LESZNO, Palatinus Posnanienſis, Reginalis Majeſt. Supremus Aulæ Præfectus ac Mareſchallus, Generalis Majoris Poloniæ, Mariæburgenſis, Corſunenſis Gubernator: Dn. GEORGIUS LUBOMIRSKI, Comes in Wiſnicz & Jaroslavv, Supremus Regni & Campi Mareſcallus, Generalis Cracovienſis, Scepuſienſ. Cmielnicenſ. Pereaslavienſ. Caſimirienſ. Olſtinenſis Gubernator: Dn. NICOLAUS in PRASMOV PRAZMOWSKI, Supremus Regni Cancellarius, Nominatus Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis, Abbatiæ Sieciechovienſis Adminiſtrator perpetuus, Præpoſitus S. Michaëlis Eccleſiæ collegiatæ in arce Cracovienſi: Dn. CHRISTOPHORUS PAC, Supremus Magni Ducatus Lithvaniæ Cancellarius, Vilcoviſcenſis, Oſtrinenſ. Koſienicenſ. Kleſczelenſ. & Nemonocenſ. Gubernator: Ex ordine verò Eqveſtri, Dn. JOHANN. ANDREAS de Raciborsko MORSTIN, Referendarius Regni, Kovvalenſis & Zavichoſtenſis Gubernator: Dn. ULADISLAUS de Naglovice Rey Theſaurarius Curiæ Regni, Reginal. Majeſt. Cancellarius, Neokorcinenſ. Libuſſienſ. Kamionacenſ. Gubernator: Dn. JOANNES in Gnin Gninsky Pomeraniæ Succamerarius Gnesnenſis Gubernator. Et à parte Fœderatorum Poloniæ, videlicet Sereniſſ. Imperatoris Rom. Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dni. Dn. FRANCISCUS CAROLUS LIBSTEINSKY, S.R. Imp. Comes à Colovvrat, Dominus in Reichenavv, Sacræ

Cæſ. Regiæq; Hungariæ & Bohemiæ Maj. Conſiliarius, Camerarius, Judicii Majoris Provincialis Aſſeſſor, Regius Locumtenens & Appellationum in arce Pragenſi Præſes: Dn. FRANCISCUS Liber Baro de Liſola, à Thiſe & Marienfeld, Conſiliarius Cameralis aulicus: Et Sereniſſ. Elect. Brandenburgici: Illuſtr. & Excellentiſſ. Dn. Dn. JOANNES ab HOVERBECKE, in Eickmedien, Baronoven, Geyersvvalde & Domkovv Dominus & hæres, Suæ Serenitatis Conſiliarius Status intimus, Electoratûsq; Dapifer hæreditarius, Hohenſteinenſ. Præfectus: Dn. LAURENTIUS CHRISTOPHORUS à SOMNITZ in Grumsdorf, Drenov & Gerbero Dominus & hæres, Suæ Seren. Conſiliarius, Status intimus, & Orientalis Pomeraniæ Cancellarius: Ejusdemq; Ducatus Camerarius hæreditarius, Lauenburg. & Butovienſis Præfectus: Dn. ALBERTUS ab OSTAVV, in Nerviken & Kegelſet Dominus & hæres, Suæ Serenit. in Supr. Ducalis Pruſſiæ Appellationum Judicio Conſiliarius. Poſt invocatum Divini Numinis auxilium, mutuasq; Plenipotentiarum tabulas, (qvarum apographa ſub finem hujus Inſtrumenti de verbo ad verbum inſerta ſunt:) ritè commutatas, Tractatus Pacis auſpicatò inchoatus eſt. Et licet in ejus ferè decurſu præmemoratus Sereniſſ. Rex Sveciæ, diſponente ita Divina providentia mortali hac vita deceſſerit, Tractatus tamen hic renovatis à Sereniſſ. & Potentiſſ. Principe ac Dn. Dn. CAROLO Svecorum, Gothor, Vandalorumq; Rege & Principe hæreditario, Magno Principe Finlandiæ &c. &c. &c. Plenipotentiarum tabulis, (qvæ ad calcem hujus Tractatus qvoqve inſeruntur) feliciter continuatus eſt, ac tandem ad Divini Numinis gloriam & Chriſtianæ Reipubl. ſalutem, partes omnes in mutuas Pacis & amicitiæ Leges conſenſerunt & convenerunt, tenore ſeqventi.

I.

SIt PAX univerſalis ac perpetua, & vera ſinceraq; amicitia inter Sereniſſ. ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dn. CAROLUM, Svecorum Gothor. & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. Ejusq; Majeſtatis Succeſſores ac Poſteros, Reges Svecorum Regnumq; Sveciæ atqve ſubjectas illis intra vel extra Imperium Ditiones ac Provincias, ab una: atq; Sereniſſ. ac Potentiſ. Principem ac Dominum, Dn. JOANNEM CASIMIRUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ &c. &c. &c. Ejusqve Regiæ Majeſt. Succeſſores ac Poſteros, Reges Poloniæ, Magnos Duces Lithvaniæ, Regnumq; Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvaniæ atqve ſubjectas illis Ditiones ac Provincias, ut & Ejusdem Majeſtatis & Regni Poloniæ Confœderatos, inprimis Seren. & Potentiſſ. Principem ac Dominum, Dn. LE-

Dn. LEOPOLDUM electum Rom. Imperatorem ſemper-Auguſtum, Germaniæ, Hungar. Bohem. Dalmat. Croat. Sclavon. Regem, Archiducem Auſtriæ &c. &c. &c. Ejusqve Majeſtatis hæredes ac Succeſſores, Provincias ac Ditiones, intra vel extra Imperium Romanum ſitas, & Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dn. FRIDERICUM WILHELMUM March. Brandenburgicum, S. R. Imp. Principem, Elect. & Archi-Camerarium, Magdeburgi, Pruſſiæ &c. &c. &c. Ducem, ejusqve Seren. hæredes & Succeſſores, Provincias ac Ditiones, in vel extra Imperium Rom. ſitas ab altera parte: Ita ut altera pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiæ, clam aut palam, directè vel indirectè inferat, vel per ſuos aut per alios inferri faciat, nec alterius hoſtibus auxilia qvocunqve nomine præſtet, nec cum alterius hoſtibus fœdera huic Paci contraria ineat, nec qvicqvam in alterius ſtatus & ſecuritatis diminutionem per ſe vel per alios moliatur aut tentet, vel tentari faciat, ſed utraqve pars alterius utilitatem, honorem ac commodum promoveat & fidam invicem vicinitatem, Pacem & amicitiam ſeriò colat & ſervet. Pacta verò & fœdera omnia, qvæ partes paciſcentes inter ſe vel cum aliis Principibus ac Statibus utrimq; ſancita habent, qvoad omnia ſua Puncta, clauſulas & articulos, integra & in pleno robore ſuo permaneant: Ita tamen ut per ea præſens Transactio Pacis nullum Præjudicium patiatur.

II.

§. 1. Sint utrinqve perpetua oblivio & amneſtia eorum omnium, qvæ qvocunq; loco, modoq; à qvacunq; paciſcentium parte hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu ulla pars alteri poſthac qvicqvam hoſtilitatis aut inimicitiæ, ſpecie juris aut via facti, inferat, aut per ſuos aliosvè inferri faciat.

2. Hac generali amneſtiâ gaudeant omnes & ſinguli, cujuscunq; ſtatus, conditionis & Religionis fuerint, ut & omnes Communitates, qvæ ab utrinq; partes hoſtiles ſecutæ ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem devenerunt. Nec ullis hoc bellum præjudicio & noxæ ſit, in ſuis Juribus, privilegiis ac Conſvetudinibus, generalibus & ſpecialibus, tàm in eccleſiaſticis, qvàm in civilibus profanisqve, qvibus ante hoc bellum gaviſi ſunt, ſed iis in totum fruantur ſecundum leges Regni. Nec ullis Communitatibus aut privatis actio, ratione adhæſionis hoſti intentabitur, ita ut nemini liceat alicui negotium faceſſere ratione ullius adhæſionis hoſtilis aut eam exprobrare.

3. Civitatibus Pruſſiæ Regalis, qvæ in Poſſeſſione ſuæ Reg. Majeſtatis Regniq; Sveciæ hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia jura, Libertates & Privilegia, qvibus ſive in Eccleſiaſticis ſive in profanis potitæ ſunt ante

hoc bellum (ſalvo libero, uti ante hoc bellum viguit, in prædictis Civitati
bus Evangelicæ & Catholicæ Religionis exercitio) earumq́ territoria, Ma
giſtratus, Communitates, Cives, Incolas & Subditos, S. Reg. Majeſtas Polo
niæ, eâdem qvâ olim Clementiâ & gratiâ Regiâ inpoſterum proſeqvetur, fo
vebit & tuebitur. Dabitur iisdem qvoq́ facultas, ædificia publica & privat
per injuriam belli deſtructa, reficere & reædificare: Pro his verò, qvæ nece
ſitate defenſionis deſtructa ſunt, minimè tenebuntur. Qvoad ea verò, qv
militiæ Svecicæ tributi loco, ab utriusqve Inſulæ ſubditis exſolvere neceſ
fuit, à nemine moleſtia inferetur, ſicut & propter decimas, aliosvè cenſu
qvibus ſubditi Inſulani ſatisfacere tempore belli minimè potuerunt, no
turbabuntur.

4. Cunctæ actiones & inqviſitiones adverſus illos, qvi partibus hoſtili
bus hoc bello adhæſerunt, vel easdem ſecuti eſſe inſimulantur, qvibuscunc
in locis Poloniæ, Magni Ducatus Lithvaniæ, Pruſſiæ Regalis habitent, cu
juscunqve ſtatus & conditionis aut religionis ſint, ſive privati vixerint, ſiv
officio publico functi, aut ſervitio ſuæ Majeſtatis Sveciæ in ſago & toga ad
ſtricti fuerint, inſtitutæ nec dum finitæ & ad executionem deductæ abro
gentur, omniqve executione careant in perpetuum: & in poſterum contr
eos nulla unqvam qvæſtio vel actio ex hac cauſa inſtituatur.

5. Qvæ durante hoc ultimo bello, jure Fiſci, ex occaſione ac prætext
adhæſionis aut protectionis alterius partis, cuiqvam ſive Nobili ſive ple
bejo, cujuscunqve ſtatus, conditionis ac religionis adempta, vel Fiſco il
lata, vel aliis collata ſunt bona, ſive Regia ac Reipubl. ſive etiam privatorun
ſint, mobilia qvidem, ſi tradita ſunt, modernis poſſeſſoribus relinqvantur
Si verò ejusmodi jura caduca, hactenus in executionem deducta non ſunt
antiqvis poſſeſſoribus relinqvantur, neqve ulla actio dehinc adverſus Com
munitates aut Privatos, ratione ejusmodi bonorum intentetur. Bona vere
Immobilia hæreditaria, advitalitia & jure hypothecæ poſſeſſa, Fiſco appli
cata, tum qvorum donationes & largitiones factæ ſunt, ſive jam ante tradi
ta, ſive nondum tradita ſunt, maneant penes antiqvos Dominos, ceſſanti
bus de cætero omnibus actionibus, ratione redituum, ſive ex publicis ſive
ex privatis bonis perceptorum.

III.

Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, DN JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniæ, pro ſe ac hæredibus poſterisqve ſuis, amore Pacis, vigore hujus Inſtrumenti Pacis, ſolenniter ex nunc & in poſterum renunciat omnibus prætenſionibus in Regnum Sveciæ & Magnum Principa-

tum

tum Finlandiæ, & alias ipſis ſubjectas Provincias, Regiones, Ditiones, Civitates, Caſtra & Munimenta, ſive hæc omnia nuper, ſive ab antiqvo acqviſita ſint, nec non in bona Avita in Regno Sveciæ dictisqve provinciis ſita; in Regnum Sveciæ dictasqve Provincias & bona, præſentibus vel futuris temporibus, nihil qvicqvam prætenſurus. Qvoad Titulos & Inſignia ita conventum eſt, qvod Sereniſſimus Rex Poloniæ, prout hactenus, ita in poſterum ad dies vitæ ſuæ, utetur integris titulis & ſigillis Inſignibusqve Regni Sveciæ in Polonia & ad omnes Principes, Status & Privatos extra Sveciam, ſine ulla tamen plenariæ ſupra dictæ Renunciationis præjudicio. Dictis verò Titulis & Inſignibus non utetur ad Sereniſſimos Reges Regnumqve Sveciæ, in literis aliisve diplomatibus aut ſcriptis, ſed obſervabitur ab utrisqve receptus hactenus modus abbreviandorum titulorum, cum Etcæterationibus, ita ut poſt verba Magnus Dux Lithvaniæ, tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi moderni Regis Poloniæ & viciſſim poſt verba, Magnus Princeps Finlandiæ, tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi Regis Sveciæ adjiciantur, Inſignibus tamen Regni Sveciæ in ſigillis Regis & Reipublicæ Polonæ, dum in Sveciam ſcribetur, penitus omiſſis. Poſt obitum verò moderni Sereniſſimi Regis Poloniæ, ſucceſſores ejus & Reſpublica Polona in Titulos & Inſignia Sveciæ nihil unqvam prætendent, ſed utrinqve Reges & Regna, ſuis qvisqve Titulis & Inſignibus tantùm plenariè gaudebunt & utentur.

IV.

1. Sereniſſimus Rex & Status Ordinesqve Regni Poloniæ, Magniqve Ducatus Lithvaniæ, à modo & in perpetuum cedunt vi hujus Pacificationis Sereniſſimo Regi Sveciæ, ejusqve ſucceſſoribus Regibus Regnoq; Sveciæ, omnem illam Livoniam trans Dunanam, qvam Svecia hactenus per tempus Induciarum tenuit & poſſedit, ut & partes cis Dunanas omnes, & Inſulam Rünen in mari ſitam, qvas per idem tempus Induciarum Svecia tenuit & poſſedit; nec non qvidqvid Juris Legibus & Reipubl. Poloniæ in Eſthoniam & Öſiliam hactenus ullo modo competere poterat. Atqve hæc qvidem omnia & ſingula, cum omnibus ſuis pertinentiis, terreſtribus & maritimis, Urbibus, Arcibus, Propugnaculis, Bonis & Proventibus, nec non Juribus, Jurisdictionibus, Regalibus & Superioritatibus, tàm in Eccleſiaſticis, qvàm in Politicis, nullis penitus exceptis, in plenum Dominium & proprietatem Regum Regniq; Sveciæ transferunt; Ordinesqve & Subditos in illa Livonia ejusq; recenſitis Partibus, omni erga Regem & Rempubl. Polonam obedientiæ vinculo & fidelitatis ſacramento exſolvunt, nihil unqvam in eos

ac dictam Livoniam ejusq; Pertinentias poſthac prætenſuri. Cis Dunam autem Sereniſſimi Reges Regnumq; Sveciæ non ulterius, qvàm hactenus fines ſuæ poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoveant, aut ſervitutes à ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiæ Ducis exigant; aut ullum jus lignandi, aliudve qvodvis in Curlandia aut Semigallia prætendant. Commiſſarii verò ad declarandos & determinandos ab utraqve parte fines, ab utrinq; deputabuntur, & Commiſſio hæc intra qvatuor ſeptimanas à ſubſcripto tractatu inchoëtur, & intra duas expediatur.

2. Qvod Religionem Catholicam ejusqve Exercitium in Livonia Sveciæ poſſeſſionis attinet, omnes incolæ Livoniæ ſubditiqve illi Religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, Religione, devotioneq; ſua, domi, ſine inqviſitione vel animadverſione, privatim utantur.

3. Tituli Provinciales, tam ſpirituales qvàm ſeculares, Senatorii & Eqveſtris Ordinis in Livoniâ Sveticâ, penes Poſſeſſores modernos maneant durante ipſorum vitâ, ſine ullis Prætextibus aliisve prætenſionibus. Nec ullum exinde præjudicium juris S. R. Majeſtatis Regniq; Sveciæ in Livoniam Sveticam, neqve prætenſio qvæpiam Regno Poloniæ, Magno Ducatui Lithuaniæ interea temporis & in futurum inde enaſcetur.

4. Judicia omnia Decretaqve ad cujusvis inſtantiam, modo non in invitos aut abſentes lata, nec non Contractus & Transactiones in locis, dum illa hoc bello Svecia tenuit, inſtitutæ judicialiter ſive extrajudicialiter, ſi modo ſtatui Publico, qvi ante hoc bellum fuit, & Pacificationi præſenti non contrariantur, firma maneant, æqvè ac ſi nulla regiminis & Magiſtratuum mutatio interveniſſet, ſalvis Appellationibus & Reviſionibus in iis, in qvibus hæc juris remedia hactenus haud fuerunt adhibita, & qvæ in rem judicatam non tranſierunt. Sententiæ qvoqve & decreta, ſi qvæ Rigæ in incolas ſubjectos Magni Ducatus Lithvaniæ tum & Curlandiæ Semigalliæq; invitos vel inauditos, & ex adverſo ſi ſimilia per Magiſtratus Magni Ducatus Lithuaniæ & Curlandiæ in Livoniæ Svecicæ ſubditos, circa tempus belli lata fuerint, nullum valorem & robur obtinebunt in perpetuum.

V.

1. Pars Livoniæ eaq; Auſtralis, qvæ ante hæc & per hæc bella & temporibus Induciarum ſub ditione fuit Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, nempe Duneburgum, Roſiten, Lutzen, Marienhuſen itemq; omnia loca qvæ per Commiſſarios ad id utrinq; deputandos Polonicæ Poſſeſſioni per tempus Induciarum fuiſſe invenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis Territoriis, Urbibus, Pagis, fructibus & proventibus, teloniisq; Juribus dir-

ctoq;

ctoqve & utili dominio remanent in poſſeſſione Sereniſſimorum Regum ac Regni Poloniæ, Magniqve Ducatus Lithvaniæ, nec Sereniſſimi Reges Regnumqve Sveciæ in iſtam partem Livoniæ, ut ab altera diverſam neqve in Ducatus Curlandiæ Semigalliæqve & Diſtrictum Piltenſem, vel reſpectu Livoniæ Septentrionalis, vel qvovis alio prætextu, nullum unqvam Jus prætendent aut prætendere poterunt. Cum verò Magnus Dux Moſchoviæ non modò dictam Livoniam Polonicam, ſed etiam partem Sveciæ occupatas armis nunc teneat, ideo conventum eſt, ut ſi Reſpublica Polona aliqvid ex Livonia Svecica qvocunqve tempore à Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Sveciæ ultrò & gratuitò non imputatis belli expenſis reſtituere, eodem modo & viciſſim, ſi Regnum Sveciæ aliqvid ex Livonia Polonica qvocunqve tempore à Moſchis, armis, tractatibus, aut aliter receperit, teneatur totum illud Poloniæ & Magno Ducatui Lithvaniæ ultrò & gratuitò, non imputatis belli expenſis, reſtituere.

2. Titulis & Inſignibus Livoniæ tum Sacra Regia Majeſtas Sveciæ ejusqve Succeſſores Reges Sveciæ ratione ſeptentrionalis Livoniæ ſub titulo Ducatus, tùm Sacra Regia Majeſtas Poloniæ ejusqve Succeſſores Reges Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ ratione Auſtralis Livoniæ ſub titulo Ducatus promiſcuè utentur.

3. Si qvas poſthac Controverſias de limitibus aut de rebus aliis inter Regnum Sveciæ eiqve ſubjectas provincias inprimisqve Livoniam Svecicam ab una; & inter Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lithvaniæ, Livoniam Polonicam, Curlandiamqve & Semigalliam ab altera parte incidere & ſuboriri contigerit, eæ per Deputatos utrinqve Commiſſarios ad fines Livoniæ amicabili ratione complanentur. Si qvæ verò lites minores exortæ fuerint inter ſubditos & incolas utriusqve Partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, qvælibet pars ad ſuum competens Forum remittatur, & juſtitia indilatè adminiſtretur.

4. Subditi hoc ultimo bello fugitivi Magni Ducatus Lithvaniæ, Samogitiæ, Curlandiæ, Livoniæ Polonicæ, qvicunqve in Livonia Svecica reperti fuerint, ſuis Dominis ſine ullo Proceſſu juris reddentur, unà cum ſuis mobilibus, qvæ inveniri poterunt, qvæ profugus ſecum tulit, nec ſub novo Domino acqviſivit. Qvod etiam vice verſa obſervabitur. Si qvi ſubditi fugitivi Livoniæ Sveticæ in Magno Ducatu Lithvaniæ, Curlandiæ & Livonia Polonica reperti fuerint. Si qvi etiam abducti ſunt & adhuc ſuperſunt, reddantur & illi ſine Proceſſu Judiciario ſuis qviqve Dominis.

 5. Qvo

5. Qvò favorem commerciis & navigationi Sacra Regia Majeſtas Poloniæ conteſtetur, ſigna nautica in Domesnes & Luſerort exſtructa conſiſtere permittit. De ratione verò Conſervationis & Manutentionis eorundem convenietur à Svecis cum fundi Dominis: nullo inde Jure aut prætenſione Regni Sveciæ in fundos dictos aut Territorium Piltenſe enaſciturо.

VI.

Illuſtriſſimus in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux cum Sereniſſima Conjuge proleq; ſua Ducali ac totâ familia & Aulâ absqve ulla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium à die 5. Aprilis, ſtyli novi, Rigam ſiſtetur. Inde verò intra dies qvatuordecim, decenti ac ſuæ dignitati accommodato convenientiq; modo, ubi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, ad fines Semigalliæ deducetur, omniaqve ſua ſuorumqve mobilia non diſtracta, ubicunqve intercepta, vel Rigæ depoſita, Literatoria ſimiliter, ſive publica, ſive privatorum, Documenta bona fide extradentur & Mitaviam reportabuntur. Ante eliberationem autem ſuam ac reſtitutionem plenariam peculiari reverſalium Diplomate caveat, de non offendendo aut vindicando aliqvid contra Sacram Regiam Majeſtatem Regnumqve Sveciæ in futurum, ſalvâ fidelitate & obligatione, Regibus Regnoqve Poloniæ & Magno Ducatui Lithvaniæ debitâ.

VII.

1. Sereniſſimus Rex Regnumqꝫ Sveciæ reſtituet Sereniſſ. Regi Reipublicæq; Poloniæ Mariæburgum, Elbingamq; cum ſuis Fortalitiis, reliqvaq; in Pruſſia loca, qvæ Sveticis præſidiis tenentur, ac Mariæburgum qvidem una cum arce ac Fortalitiis ſuis, ut & Stuma, intra octiduum à ſubſcriptione Moderni Tractatus, & depoſitâ in manus Excellentiſſ. Dni Mediatoris, Sereniſſimi Regis Poloniæ proviſionali horum Pactorum Ratificatione evacuabitur, & præſidium Sveticum inde Elbingam deducetur. Elbinga autem cum ſuis Fortalitiis, ubi Tractatus modernus plenaria Sereniſſ. Regis ratificatione confirmatus, & per Reipubl. Comitiali auctoritate delegatos pro futuro conventu ratificatus fuerit, qvatriduo poſt ipſam ratificationum commutationem ſine contradictione evacuabitur, & in manus Sereniſſ. Poloniæ Regis ejusq; Commiſſariorum tradetur. Bauſcum etiam, uti & reliqva, ſi qvæ ſint in Svecorum poteſtate loca in Curlandia, præſidiis Sveticis evacuabuntur, intra octiduum, poſtqvam notitia ad Generalem Exercituum in Livonia, vel in abſentia ejus ad ejus Locumtenentem pervenerit, de ſubſcripto Tractatu, qvæ notitia per Tubicines utriusqꝫ Partis conjunctim Rigam deferetur.

2. De-

2. Deductio militiæ Sveticæ, unà cum bellicis Tormentis Majoribus & Minoribus juxta factam hic Conventionem, nec non cum Impedimentis, fiet Elbingâ diverſis vicibus, intra tamen definitum tempus permutationis Ratificationum & evacuationis Elbingæ, dato eidem libero & innoxio tranſitu per Habum ad portum Pillavienſem & indè ad naves proprias, qvas milites conſcenſuri, & ad ditiones Sveticas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem navibus Elbinganis, & ſi illæ non ſufficiant, tum navibus adjacentium territoriorum aliorum, ſine aliqvo pretio. Communicabit etiam præfectus militiæ Sveticæ & conveniet cum Præfecto militiæ Electoralis, aut ejus locum tenente, de modo tranſitus per dictum Portum Pillavienſem; Et fiat de cætero ejusmodi Deductio, ſine damno & noxa ſubditorum in Pruſſia, tàm Polonicorum, qvàm Electoralium. Qvod ſi per periculum belli maritimo itineri militia ſeſe committere tutò neqveat, liber illi & innoxius tranſitus per terram, qvam breviſſimo itinere, in ditiones Juris Svetici proximas, ſine damno Incolarum Reipublicæ Polonæ & Sereniſſimo Electori Brandenburgico ſubjectorum, deducentibus Commiſſariis Sereniſſimorum Regis Poloniæ & Electoris Brandeburgici, concedi debet: Juſtitia verò per Præfectos indilatè bonâ fide adminiſtretur damna & injuriam paſſis.

3. Si cui, aut qvibus, in Civitatibus Pruſſiæ evacuandis earumq; Territoriis non placuerit manere, ſed mutato domicilio alio ſe conferre, iis liberum ſit in ſpatium trium abhinc annorum ſua divendere, aliis elocare, aut pro ſuo lubitu diſtrahere, ſine ullo impedimento aut onere ſub qvocunqve prætextu imponendo, ſalvis antiqvis Civitatum Juribus & Privilegiis.

VIII.

Qvicqvid in Polonia & Magno Ducatu Lithvaniæ, Provinciisq; annexis, in iisq; Curlandiâ, per hoc bellum Sereniſſimo Regi Regnoq; Sveciæ eorumqve Ducibus ac Legatis vel à privatis, vel à Communitatibus, Exercitibus & Provinciis per neceſſitatem belli vel aliter datum eſt, qvocunqve Titulo Diplomatum, Obligationum, & Literarum, Inſtrumentorum & Actorum publicorum, ea omnia Autographa, qvæ ſuperſunt, Sereniſſimo Regi & Reipublicæ Polonæ, Duciqve Curlandiæ circa Ratificationum commutationem bonâ fide extradentur. Qvod ſi naufragio abſorpta ſint, vel alio modo perierint; omnia ejusmodi ſcripta Actaqve Privata & publica, ex nunc caſſantur, annihilantur, & eliminantur: Nihilqve exindè Reges, Regnumq; Sveciæ in Provincias, Exercitus, Diſtrictus vel Privatos in Polo-

nia, Magnoqve Ducatu Lithvaniæ & Provinciis illis annexis vel ſubjectis, in ſpecie etiam Curlandia & Diſtrictu Piltenſi, Juris prætendere velle aut poſſe, omni meliori modo declaratur.

IX.

Reſtituentur qvoqꝫ à Parte Svecorum omnia Archiva, Acta publica, Caſtrenſia, Juridica, Eccleſiaſtica, nec non Bibliotheca Regia, qvæ ex Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ avecta, & qvorum copia haberi poteſt, idqꝫ intra tempus commutationis Ratificationum, vel ad ſummum intra tres Menſes à facta commutatione.

X.

Obligationes atqve Recognitiones, ſi qvæ ſunt ab Illuſtriſſimo Curlandiæ & Semigalliæ Duce aut Incolis Curlandiæ & Semigalliæ Diſtrictusqꝫ Piltenſis extortæ per Svecos, aut vice verſa, à Svecis per Polonos, in totum caſſantur, nullumqve habere pondus declarantur.

XI.

Debita inter utriusqve Partis ſubditos & Incolas, tum etiam à Ducibus & Officiariis Belli, ubicunqꝫ contracta, utrinqꝫ bonâ fide ſolventur. Si qvæ verò hoc bello ultimo Obligationes & Recognitiones extortæ ab utrinq; ſint, in totum caſſantur, nullumqꝫ pondus habere declarantur.

XII.

Depoſita aliaqꝫ bona mobilia, ubicunq; reperiuntur, & Fiſco nondum adjudicata, bonâ fide propriis Dominis reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, qvæ Fiſco adjudicata & extradita ſunt, præſtandam.

XIII.

Tormenta bellica majora minoraqꝫ in Polonia, Magno Ducatu Lithvaniæ, Pruſſiâ, Curlandiâ, cæterisqve annexis Provinciis à Svecis capta, ſive ſint Reipublicæ, ſive Privatorum, ſive Civitatum, qvæcunqve in locis evacuandis reperientur, exactè relinqventur. Qvæ verò ex Svecia invecta ſunt in Poloniam, Lithvaniam, Pruſſiam, Curlandiam, liberum erit Sveciæ, ſine ulla prætenſione ſecum auferre. Transactioni qvoq; deditionis Thoruniæ, qvod adhuc reſtat, hac in re ſatis fiet.

XIV.

1. Qvicunqve hoc bello ab utrinq; inter Polonos, Lithvanos, & Svecos in qvocunq; loco capti ſunt, cujuscunq; conditionis ac ſtatus, liberi & ſine ullo ſoluto pretio, niſi aliter ante hunc Tractatum ab ipſis conventum fuerit, dimittentur priſtinæq; libertati reſtituentur, ſolutis tamen impenſis Officiariorum in victum eorum factis, & debitis in captivitate ab eis contractis.

Cæterum

Cæterum captivis qvoq; adnumerandi, & ab utraq; parte reſtituendi ſunt, qvi inviti militiæ alterius Partis nomina dederunt. Omnes verò ſupra dicti, qvi qvidem in Polonia, Magno Ducatu Lithvaniæ, Pruſſiâ Regali, utraqve Livonia aut Curlandiâ, detinentur, intra tres ſeptimanas à ſubſcripto moderno tractatu; Illi autem, qvi extra Poloniam, Lithvaniam, Livonias & Curlandiam detinentur, intra tres menſes libertati reſtituantur. Qvod autem de Lytri conventi ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantùm locum habebit in Majoribus Officiariis, utpote Generalibus Tribunis, Tribunorum locum tenentibus & Capitaneis.

2. Sacra Regia Majeſtas & Regnum Poloniæ Magnusqve Ducatus Lithuaniæ id paci huic perpetuæ dandum cenſuerunt ut auctoritatem & Officia ſua interponant apud Chamum, Hordasqve Tartarorum, qvo ſine Lytro captivi in Tartaria Svetici intra ſex abhinc menſes inde dimittantur. Dimiſſi verò per Regnum Poloniæ, Magnumqve Ducatum Lithvaniæ annexasq; iis Provincias liberè ac tutò tranſeant, & benignè habiti ad Provincias & Ditiones Juris Svetici promoveantur.

XV.

1. Commercia priſtina ſint libera & non impedita inter utrumqve Regnum Sveciæ & Poloniæ Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, ſubjectasqve illis provincias, ſubditos & Incolas, tam terrâ, qvàm mari, & in veteri uſu atqve Exercitio, qvo fuerunt tempore Induciarum, conſerventur. Inprimis ſit liberum commerciorum exercitium, liberaqve defluitatio mercium per fluvium Dunam & Bulderaviam ſubditis & incolis Regni Poloniæ, Magniqve Ducatus Lithvaniæ, & Polonicæ Livoniæ, Curlandiæqve & Semigalliæ, cum ſubditis Incolisq; Livoniæ Sveticæ. Et vice verſa ſubditis incolisqve Regni Sveciæ & Livoniæ Sveticæ ſit liber commerciorum uſus per eadem flumina cum ſubditis incolisqve Poloniæ, Lithvaniæ, Livoniæ Polonicæ & Curlandiæ, Semigalliæqve. Teloniorum verò & vectigalium in Flumine Dunâ & Buldera, ut & maritimorum ac terreſtrium in Livonia, eadem ratio, & in iisdem tantùm locis ab utraq; parte in poſterum ſit, uti & ubi tempore induciarum & ante hoc bellum ultimũ fuit.

2. Majoris qvoq; Poloniæ incolæ cujuscunq; conditionis ſint, ſive terrâ, ſive aqvâ commercia ſua exercentes, nullis novis Teloniis & Gabellis Stetini onerabuntur.

3. Civitas qvoq; Gedanenſis & aliæ Pruſſiæ Civitates in Regno Sveciæ & ſubjectis provinciis aliis gaudeant eâ libertate commerciorum & vectigalium, qvâ gaviſæ ſunt ante hoc noviſſimum bellum.

XVI. Do-

XVI.

Dominus Comes Königsmarckius Campi Mareſchallus Sveciæ absqve ullâ protractione, intra ſex ſeptimanarum ſpatium à die 5. Aprilis ſtyli novi, Dantiſcum modo decenti ſiſtetur: indè verò intra dies qvatuordecim, ubi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, eliberabitur: Ante reſtitutionem autem plenariam peculiari reverſalium Diplomate caveat de non offendendo & vindicando aliqvid contra ſacram Regiam Majeſtatem Regnumqve Poloniæ, & ſpecialiter Civitatem Gedanenſem, ſalvâ tamen debitâ Regibus Regnoqve Sveciæ obedientia & fide.

XVII.

Sereniſſimus Rex & Reſpublica Poloniæ Illuſtriſſimæ Principis Annæ Mariæ, Defuncti Illuſtriſſimi Ducis Januſſii Radzivillii, Palatini Vilnenſis, ſupremi Exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ Ducis, Filiæ unicæ, in adeundis ſecundum legitimas conſvetudines Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ hæreditatibus & bonis paternis ac maternis, vigore generalis amneſtiæ, præſenti Conventione omnibus cautæ, ut ei ſatisfiat, condignam rationem habituri ſunt.

XVIII.

Demortuorum belli Ducum atqve Officialium aliorum corpora, ſive in Polonia, ſive in Pruſſia adhuc inhumata, & nonnullis in locis aſſervata ſunt, tradentur & non denegabuntur iis, qvibus cura mandabitur ea inde deducendi. Qvorum autem cadavera tum in priori, tum in hoc ultimo bello humata ſunt in Elbingenſi, Mariæburgenſi & aliis in Pruſſia & Polonia templis, intacta jaceant, ac ſepulchra eorum ab omni violatione & inqvietudine ſint immunia.

XIX.

De Domini Ducis Crojani deſiderio ratione debitorum apud Rempublicam Polonam ita conventum eſt, ut prædictus Dominus Dux jus ſuum originalium obligationum productione doceat in proximis futuris Comitiis Regni Generalibus, ibidemqve debita ratio ejus habeatur ſalvo qvoq; jure Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ, ſi qvod eidem ad præfata ſummas pecuniarias competierit.

XX.

Qvoad Dominorum Comitum à Donâ poſtulatum & debitum apud Rempublicam Poloniæ, in qvantum illud liqvidari poterit, juſta eorum ratio in futuris Comitiis Regni habebitur.

XXI. Habe

XXI.

Habebitur qvoqve æqva ratio à Svecia Domini Baronis Sigiſmundi à Gyldenſtern, qvoad bona in Regno Sveciæ vel illi ſubjectis Provinciis prætenſa.

XXII.

1. Eadem ſimiliter Pax, Amicitia, Amneſtia & præteritorum omnium perpetua oblivio, ſub iisdem clauſulis & vinculis in hocce Inſtrumento contentis vigeat, & in perpetuum ſtabilita ſit inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominnm, Dominum Carolum, Svecorum, Gothorum Vandalorumq; Regem, Magnum Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. Ejusqve hæredes ac Succeſſores, Reges Regnumqve Sveciæ, & ſubjectas provincias tum in Imperio Germanico, tum extra illud ſitas, Eorumqve Subditos & Incolas, ac Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem, ſemper-Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, ArchiDucem Auſtriæ &c. &c. &c. Præcipuum Poloniæ Fœderatum belliqve Socium, nec non ejus hæredes ac Succeſſores, Regna & ſubjectas Provincias, tam in, qvàm extra Imperium Romanum, Eorumqve ſubditos & incolas, ita ut qvicqvid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſive in Poloniâ, ſive extra illam, ſeu ratione auxilii, Sereniſſimo Regi ac Reipublicæ Poloniæ præſtiti, ſive qvâvis aliâ de causâ, mutuæ offenſionis atqve inimicitiarum, aut prætenſionum oriri potuit, perpetuæ oblivioni tradatur, neutriqve Parti qvocunqve prætextu licitum ſit, alterius Regna, Status aut Provincias, clam aut palam, directè vel indirectè, armis impetere, vel ullum in ipſas hoſtilitatis genus exercere, ſed alter alterius commoda ſectetur, & omnia inter utramqve partem, Earumqve Status ac ſubditos, ad priſtinum prorſus Statum, unionem & fidam correſpondentiam reſtituta & redintegrata ſint. Et nemini ex utriusqve Partis ſubditis, aut Imperii Statibus ac Vaſallis noxæ ſit, aut præjudicio, qvod alterius partes hoc bello, ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed qvicunqve ex ſolâ cauſa hujus belli de fortunis aut ſtatu ſuo decidiſſet, is in priſtinum Statum, in qvo ante hoc bellum immediatè fuit, qvoad honores ac bona immobilia, nec non etiam qvoad bona mobilia, ſi Fiſco nondum adjudicata & extradita ſint, indilatè & ſine contradictione reſtituatur, iisqve plenariè gaudeat ac fruatur.

2. Ut autem firmioribus fundamentis hæc pax & Amicitia ſtabiliri qveat, S.C. Majeſtas loca omnia, qvæ in Pomerania & Megapoli occupata præſidiis ſuis obſidentur, Sereniſſimo Regi ac Regno Sveciæ, Ea verò qvæ

 in Hol-

in Holſatiâ & Ducatu Slesvicenſi Duci Holſatiæ Gottorpienſi (qvi prævia tandem cautione, de non vindicando juxta formulam, de qvâ hic convenit hac pace, conſenſu partium, incluſus cenſebitur) reſtituet plenariè, cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, cæteroqve apparatu bellico, nec non mobilibus cujuscunqve generis, item Actis Cancellariæ, Archivis, ac Litterariis Documentis, prout ea omnia tempore Occupationis vel deditionis inibi reperta ſunt, & adhuc non diſtracta extant. Qvæ evacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniæ & Megapoleos, exceptis Wollino, Dam, & Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas, à die permutationis ratihabitionum computandas, qvo tempore Elbinga qvoqve Poloniæ reſtituetur, Wollinum verò, Dam & Greiffenhagen, nec non loca Holſatiæ, & Ducatus Slesvicenſis, intra alias duas ſeqventes hebdomadas, à die ſupra memoratæ permutationis, evacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis præſidiariis militibus, & è provinciis ad S. R. Majeſtatem Regnumqve Sveciæ, Duces Megapolitanos, & Ducem Holſatiæ, Slesvicenſi ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione & modo, de qvo inter Generales utriusqve Partis vel eorum locum tenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis præfinitum, conventum fuerit.

3. Cæterùm qvicqvid circa res Imperii controverſiæ intercesserit, juxta Imperii, & Pacis Germanicæ leges absqve ſtrepitu armorum componetur, aut decidetur, & ſtabitur ab utraqve parte per omnia diſpoſitione Pactorum Osnabrugenſium & Conſtitutionibus Imperii.

XXIII.

Similiter tam à parte Sereniſſimi Imperatoris, qvàm Sereniſſimi Regis Sveciæ, Captivi hujus belli, cujuscunqve ſint conditionis ac ſtatus, liberè & ſine ſoluto ullo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum tractatum ab ipſis conventum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum à die ratificationis dimittentur, & libertati priſtinæ, ſolutis ab officiariis impenſis, in victum eorum factis, & debitis in captivitate ab eis contractis, reſtituentur, & captivis qvoqve annumerandi, & ab utraqve parte reſtituendi ſunt, qvi inviti ad danda alterius partis Militiæ nomina ſua adacti fuerunt: Qvod autem de lytri conventi ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantùm locum habebit in majoribus Officiariis, utpotè Generalibus, Tribunis, Tribunorum Locum tenentibus & Capitaneis.

XXIV.

1. Sit itidem Pax Perpetua veraqve ac ſincera amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum Sveonum, Gothorum & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ

diæ &c.&c.&c. Ejus hæredes, Succeſſores ac Poſteros Reges Regnumqve Sveciæ, Ejusdemqve tàm in Imperio, qvàm extra illud ſitas provincias, ſtatus ac ditiones, & Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandeburgicum, S.R.Imperii Archi-Camerarium & Principem Electorem Magdeburgi, Pruſſiæ Ducem, &c. &c.&c. Poloniæ Fœderatum Belliqve Socium, Ejusdemqve hæredes ac Succeſſores, Provinciasqve Status ac Ditiones, in & extra Imperium Romanum ſitas, ita ut alter alterius honorem, commodum & utilitatem ſincerè ſerioqve in perpetuum promoveat.

2. Pacta verò & fœdera omnia, qvæ Partes Paciſcentes inter ſe, vel cum aliis Principibus ac Statibus utrinqve ſancita habent, qvoad omnia ſua puncta, clauſulas & articulos, integra & in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, ut per ea præſens transactio Pacis nullum præjudicium patiatur.

3. Sit etiam utrinqve Amneſtia, & præteritorum omnium perpetua oblivio, ita ut qvicqvid hactenus qvocunqve loco & qvâvis de causâ, ſive in Imperio Romano ſive extra illud, ab alterutra Partium, vel ſub earum Imperio Poteſtateqve exiſtentibus, absqve ullo Perſonarum rerumqve reſpectu, geſtum vel admiſſum fuerit, nullo prætextu, viâ Juris vel facti, directè vel per indirectum, à neutrâ Parte unqvam vindicari poſſit; Et nec horum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu alter alteri poſthac qvicqvam hoſtilitatis aut inimicitiæ, vel etiam qvoad miniſtros, officiarios aliosqve incolas & ſubditos ſtatum, bona vel ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam vel palam inferat vel inferri faciat.

4. Nemini qvoqve ex utriusqve Partis ſubditis, aut Vaſallis, cujuscunqve conditionis & Dignitatis fuerit, noxæ ſit, aut præjudicio, qvod alterius partes hoc bello, ſago vel togâ fuerit ſectatus, ſed qvicunq; ex ſola cauſa hujus belli de ſuis Poſſeſſionibus decidiſſet, Is in priſtinum ſtatum, in qvo ante hoc bellum immediatè fuit, qvoad honores ac bona immobilia, nec non etiam, qvoad mobilia bona, ſi hæc bona mobilia Fiſco nondum adjudicata & extradita, aut aliàs diſtracta ſint, indilatè & ſine ullâ contradictione reſtituatur; Eisqve plenariè gaudeat ac fruatur. Atqve proinde & CampiMareſchallo Comiti à KönigsMarch ut & CampiMareſchalli Comitis Wittenbergii hæredibus, bona immobilia, qvæ in Ditionibus ſuæ Serenitatis Electoralis ubicunqve locorum ante hoc bellum poſſederunt, in eo ſtatu, qvo nunc ſunt, reſtituantur, vigore hujus Pacificationis, atqve eo jure tenenda, qvo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt ac poſſederunt.

XXV.

Et ne occaſione ante actorum lis & diſſidium aliqvod oriri poſſit, S. Regia Majeſtas Veciæ pro ſe, Hæredibus ac Succeſſoribus ſuis Regibus Regnoqve Sveciæ, virtute hujus Inſtrumenti Pacis qvam fieri poteſt validiſſimè in perpetuum & irrevocabiliter renunciat Pactis, qvæ die $\frac{7}{17}$. Januarii A. 1656. Regiomonti item $\frac{15}{25}$. Junii prædicti Anni Mariæburgi, tumqve $\frac{10}{20}$. Novembr. eodem anno 1656. Libiaviæ inter Sereniſſimum Sveciæ Regem glorioſæ memoriæ nuper defunctum, & ſuam Serenitatem Electoralem confecta ſunt, ut & aliis omnibus Conventionibus, qvæ illis adjectæ, aut ſeparatim, qvocunqve modo, durante hoc ultimo bello Polonico, ejusqve reſpectu unitæ ſunt. Atqve ea omnia & ſingula, in omnibus & ſingulis Clauſulis, conditionibus & articulis ſuis irrita & nulla pronunciat, omnemqve ipſis vim, vigorem & effectum hoc ipſo & virtute hujus Pacti, penitus & in æternum detrahit; Ita ut contra Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam, Ejusqve hæredes, Agnatos, Succeſſores, Provincias, ubicunq; locorum ſitas, & in ſpecie in Ducatum Pruſſiæ, atqve Ejusdem Ordines & Incolas, aut contra S.R. Majeſtatem, Ejusdem Succeſſores, Reges, Regnumqve Poloniæ, ex nominatis & indigitatis ſupra pactis & Conventionibus abolitis, nunc & in poſterum ſive ſuccesſionis in Prusſiâ, ſive unionis aut qvocunqve alio prætextu vel causâ, nomine Regis, Regum, hæredum ac Succeſſorum & Regni Sveciæ nihil unqvam allegari, prætendi aut poſtulari posſit, aut debeat. Qvare præmemoratorum Pactorum & Conventionum Originalia cum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, ſcisſis & in cineres redactis habentur, atqve in æternum habebuntur.

Qvemadmodum & Serenisſimus Elector Brandeburgicus in Pruſſia Dux, qvam fieri poteſt validisſimè, in perpetuum & irrevocabiliter vigore hujus Inſtrumenti Pacis, pro ſe Hæredibusqve ac Succeſſoribus ſuis profitetur, nihil vel ſe vel Hæredes ac Poſteros ſuos ex prædictis Pactis ac Conventionibus, contra Suam Regiam Majeſtatem, Regnumqve Sveciæ prætenſuros, ſed Sua Serenitas Electoralis, pro ſe Hæredibusqve ac Succeſſoribus ſuis hoc ipſo & virtute hujus Pacti, ſupra memoratis Pactis omnibus jam abolitis renunciat, & eadem omnia pro retraditis, ſcisſis & in cineres redactis, nunc & in æternum declarat, & irrita ac nulla pronunciat, omnemqve ipſis vim, vigorem & effectum penitùs & in æternum detrahit.

XXVI.

Serenisſimus Elector Brandeburgicus &c. &c. &c. loca omnia, qvæ in Pomerania hocce bello occupata, præſidiis ſuis inſidentur, S. R. Majeſtati

&

& Regno Sveciæ; Ea verò qvæ in Holſatia,& Ducatu Slesvicenſi,Celſiſſimo Principi & Duci Holſatiæ Gottorpienſi (qvi prævià tamen cautione de non vindicando juxta formulam, de qvâ hîc convenit, hac Pace conſenſu partium incluſus cenſebitur) reſtituet, plenariè cùm tormentis bellicis Ipſorum propriis, re armamentaria, cæteroqve apparatu bellico, nec non mobilibus cujuscunqve Generis, item Actis Cancellariæ, Archivis & Litterariis Documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel deditionis inibi reperta & adhuc non diſtracta exſtant. Qvæ evacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniæ, exceptis Wollino, Dam & Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas, à die permutationis Ratihabitionum computandas; qvo tempore qvoqve Elbinga reſtituetur. Wollinum verò Dam & Greiffenhagen,nec non loca Holſatiæ & Ducatus Slesvicenſis intra alias demum duas ſeqventes hebdomadas à die ſupramemoratæ Reſtitutionis evacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis, præſidiariis militibus & è Provinciis ad Sereniſſimum Regem Sveciæ & Ducem Holſatiæ & Slesvici Regentem ſpectantibus, copiis omnibus, eâ ratione & modo, de qvo inter Partis utriusqve Generales, vel eorum Locum tenentes intra tempus Ratihabitionibus commutandis præfinitum, conventum fuerit; Ita tamen ne in præmemoratis reſtituendis & evacuandis locis vel communitatibus, qvæ Præſidia Electoralia habuerunt, aut qvovis modo hoc bello in ſuæ Electoralis Serenitatis fide & poteſtate fuerunt, vel cuiqvam privato, qvod partes Suæ Serenitatis ſecutus fuerit, ulla ratione noxæ fraudiqve fit, vel alia in re, qvoad priſtina jura,Privilegia, Bona, Feuda & Libertates illi competentes, absqve exceptione vel reſervatione præjudicet.

XXVII.

Captivi hujusce belli, cujuscunqve conditionis ac ſtatus,liberi & ſine ſoluto ullo pretio ſeu lytro,niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conventum fuerit. intra ſpatium trium hebdomadarum à die ratificationis dimittentur, priſtinæqve libertati reſtituentur, ſolutis tamen ab officiariis impenſis in victum eorum factis & debitis in captivitate ab Eis contractis, Cæterum captivis qvoqve annumerandi & ab utraqve parte reſtituendi ſunt, qvi inviti Militiæ alterius partis nomina dederunt.

XXVIII.

Debita inter Utriusqve Partis ſubditos & incolas, tum etiam à Ducis & Officiariis belli ubicunqve contracta,utrinqve bonâ fide ſolventur; ſi qvæ verò hoc ultimo bello obligationes & recognitiones extortæ ab utrinqve ſint, in totum caſſantur,nullumqve pondus habere declarantur.

XXIX.

Inter S. Regiæ Majeſtatis Speciæ, & Suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ, Regni, Provinciarum, Statuum, Ditionum, tam in Imperio Romano, qvàm extra illud ſitarum ſubditos & incolas priſtina reſtituantur commercia, atqve in poſterum in pleno vigore conſerventur.

XXX.

Si qvæ bona à Suæ Serenitatis Electoralis ſubditis, vel Ejusdem Ditionum incolis, in R.S. Majeſtatis Speciæ Regno, Provinciis, Ditionibus, aut locis occupatis, & hactenus poſſeſſis, ante vel ſub tempus hujusce belli depoſitu vel alio qvocunq; modo eò delata ſunt, ea ſine ullâ morâ vel effugiis, Dominis ſuis reſtituantur, niſi jam Fiſco adjudicata, atq; extradita fuerint.

XXXI.

Cum verò ad ſtabilitatem hujus pacis plurimum interſit, ut univerſaliter componatur & inter omnes belli hujus ſocios ſecuritati comerciorum plenè proſpiciatur, ideò licet Controverſiæ, qvæ Sereniſſ. Regi Regnoq; Speciæ cum Sereniſſ. Rege Daniæ intercedunt, hîc commodè decidi non potuerint, & in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur; Nihilominus conventum eſt, ut Sereniſſ. Daniæ & Norvegiæ Rex, Ejusqve Regna ac Ditiones in hoc Tractatu, conclusâ in Dania pace comprehendantur: ita ut ea omnia, qvæ inter altè memoratos Speciæ & Daniæ Reges concluſa & conſtituta fuerint, ad hanc Pacem pariter, ac ſi in hoc inſtrumento ſpecificè inſerta forent, pertinere cenſeantur, ſalvo per omnia ipſo Tractatu in Dania inter utrosq; Reges & Regna concluſo vel concludendo.

XXXII.

1. Ceſſent omnes hoſtilitatis actus inter Partes paciſcentes omnes tùm Principales, tùm Fœderatas, Earumqve Exercitus, à die concluſæ & ſubſcriptæ hujus pacis computando, in Pruſſia tàm Regali qvàm Ducali exactis qvatuor, in Pomerania & Megapoli, duodecim, in Curlandia & Livonia, qvatuordecim, & in Holſatia & Slesvicenſi Ducatu exactis viginti diebus. Eodem qvoqve die in ſingulis præmemoratis locis negotiationes qvævis priſtino uſui reſtituantur, & literarum commercia libera ſint.

2. Generales præſidii Elbingenſis in Pruſſia, ac tàm Cæſarei, qvàm Electorales in Pomeraniâ, poſt acceptam hujus armorum Ceſſationis Intimationem, exactam curam adhibebunt, ut usqve ad finalem Pacis executionem Militis ſuſtentatio non ampliùs exigatur more hoſtili, nec ultra juſtam & neceſſariam alimentationem Provinciæ ipſorum armis inſeſſæ aggraventur. In qvem finem Commiſſarii à Partibus deputabuntur, qvi curam

curam ſedulam habeant, ne exorbitantiæ contra hanc conventionem fiant.

XXXIII.

Denique omnium belligerantium in Imperio Partium copiæ & Exercitus poſt reſtitutionem Locorum ab omnibus Partibus paciſcentibus dimittantur & exauctorentur, eo tantum numero, in ſuos cujusqve proprios Status traducto, qvem qvæqve Pars pro ſua ſecuritate judicaverit neceſſariũ.

XXXIV.

Pacta hæc ratihabeantur à Sereniſſimo Rege Veciæ ab unâ parte: & Sereniſſimo Rege Polouiæ, nec non Repub. Polona, ejusqve Fœderatis ab altera, qva de re ad modum ſeqventem convenit.

1. Sereniſſ. Rex Sveciæ ſolenni Inſtrumento hæc Pacta nomine Suo & Regni Sveciæ per ſubſcriptionem Sereniſſ. Reginæ Matris Suæ & Dominorum Regni Sveciæ Adminiſtratorum in forma conventa rata habeat.

2. Inſtrumentum hujus Pacis manibus ac ſigillis Dominorum Commiſſariorum utriusqve Partis, tum & Excellentiſſimi Domini Legati Mediatoris ſubſcribatur & invicem tradatur & commutetur.

3. Sereniſſimus Rex Poloniæ eadem Pacta illicò à ſubſcriptione & ſignatione Dominorum Commiſſariorum Polonicorum Diplomate ratificationis in forma conventa confirmet, atqve ex nunc aſſecurationem ſuam interponat, ſubſecuturam intra ſpatium ad ſummum trium menſium, computandorum à ſubſcriptione hujus Inſtrumenti Pacis plenariam Ejusdem R. Majeſtatis ratificationem, cum integra inſertione Inſtrumenti Pacis concluſæ, ad formulam, inter utriusqve Partis Commiſſarios conventam.

4. Domini Delegati, à Republ. Polona lege Comitiali A. 1659. deputati, nomine Reipubl. hæc pacta ſubſcriptione & ſigillatione ſua approbent, in futura convocatione intra tres menſes celebranda.

5. Diplomata ratificationis, tàm S. R. Majeſtatis Poloniæ, qvàm Deputatorum Comitiali lege Delegatorum, in proximis comitiis, Conſtitutionibus, & volumini Legum Polonicarum inſerantur.

6. Inſtrumenta hæc ſolennia Ratificationis, tùm utriusq; Sereniſſ. Regis, tùm dictorum Reipubl. Delegatorum, ab ambarum partium Comiſſariis intra ſpatium ad ſummum trium menſium à ſubſcriptione hujus Inſtrumenti Pacis computandorum, ad limites territoriales intra Elbingam & Mariæburgum utrinq; per Excellent. Dn. Mediatorem, à Partibus Paciſcentibus recipiantur, & ab Eodem eo ipſo tempore inter Partes comutentur.

7. Ut S. C. Majeſtas & Sereniſſ. Elector Brandeb. ratihabitiones ſuas iſdem tempore & loco eodem tradi faciant.

8. De-

8. Deniq; ut dicta Sereniſſ. Regum & Reipub. Polonæ ac Ejus Fœderatorum Inſtrumenta Ratificationum ad conventam & præſcriptam formulam, qvoad Titulaturam & Sigillationem aliaqve reqviſita, nullâ voce aut ſyllaba immutatâ, conferantur & reciprocè commutentur.

XXXV.

1. Qvò firmior, ſtabilior & ſecurior Pax hæc coaleſcat, & ab omni parte intemerata duret, promittunt ſupramemoratæ partes Paciſcentes omnes tàm Principales, qvàm Fœderatæ, ſe hanc Transactionem & Pacem, omnesqve ejus articulos, capita & clauſulas, ſanctè & inviolabiliter ſervare velle & debere, & ne in poſterum violari qveat, ſe invicem ad generalem gvarantiā & evictionem mutuam ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt: Hiſce qvàm fieri poteſt firmiſſimè ſpondentes, ut ſi contingat, unam Partem ab altera, vel plures à pluribus, terrâ vel mari, bello contra hanc Pacificationē impeti, aggreſſor ipſo facto pro Infractore hujus Pacis ab omnibus habeatur, ejusdemqve beneficio excidat: Et tàm altera reliqvæqve paciſcentium Partes, parti læſæ ad ſummum intra duos menſes à reqviſitione partis læſæ, eidem communibus armis aſſiſtere & bellum tam diu contra aggreſſorem proſeqvi, donec Pax communi omnium Partium conſenſu reſtituta fuerit, invicem teneantur.

2. Si verò contingat, unam Partem ab alterâ, vel plures à pluribus gravi aliqvâ injuriâ, citra tamen vim armorum vexari, non licebit ideò læſo ad arma ſubitò recurrere, ſed ante amicabilis componendarum hujusmodi controverſiarū ratio ineunda erit, videlicet ut læſus acceptâ injuriâ, ſi im̄ediatè cum lædente convenire neqveat, alios Paciſcentes moneat, & Com̄iſſio Generalis omnium Paciſcentium nomine inſtituatur ad læſi confinia, intra ſpatium 4. menſ. in qva inter Deputatos utrinq; Com̄iſſarios negotiū diſcutiatur, & ſi poſſibile erit, intra qvatuor ad ſummum alios menſes terminetur.

3. Si verò lædentem, refractariū ad æqva, qvæ proponentur, media deprehenderint, tum læſis licebit, facta tamen prius legitima belli denunciatione, Jus ſuum armis proſeqvi, & bellum, ut ſupra ſtatutum eſt, lædenti inferre.

4. Qvod ſi verò turbationes vi, contrariisq; actibus retundantur, ſolummodò tuendorum limitum causâ, actus ejusmodi pro violatione Pacis non reputabuntur, ipſa autem ſuper limitibus controverſia extra vim armorum terminetur.

XXXVI.

Cum autem pro majori ſecuritate hujus Pacificationis tàm Sereniſſ. & Potentiſſ. Rex Sveciæ, qvàm Sereniſſ. & Potentiſſ. Rex & Respubl. Poloniæ, & Serenisſimus Elector Brandeburgicus poſtularint, ut Sereniſſ. ac Poten-

Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, cujus ope ac ſtudio inter Præmemoratos Sereniſſimos Reges & Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum Pax promota & mediatione ad optatum finem perducta eſt, executionis & obſervationis illius inter Eosdem fidejuſſor exiſteret: ſacra Majeſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus ac votis illorum annuens, eodemq; animo Pacis hujus perpetuitatem exoptans, qvo eam procuravit, pro ſe ac Succeſſoribus ſuis Regibus Galliæ ſpondet ac promittit, idq; per Illuſtriſſimum & Excellentiſs. Dominum Antonium de Lumbres Legatum ſuum plenariis mandatis ad hanc Gvarantiam cavendam inſtructum, ſe executionem horum Pactorum eorumqve obſervationem ac perpetuitatem intra eosdem ſuprà nominatos Principes omni meliori, qvo fieri poteſt, modo, etiam armis, ubi amicabilia media non proceſſerint, aſſerturam. Et ſi qvis eorum ſub hâc fidejuſſione comprehenſorum illa violârit, arma viresqve ſuas parti læſæ, ad ejus reqviſitionem, juncturam. Qvod ut firmius omnibus conſtet, promittit dictus Dominus Legatus Gallicus, ſe Ratificationem Regis ſui ſuper hanc gvarantiam eodem tempore, qvo Ratihabitiones Pacis commutabuntur, extraditurum. Integrum qvoq; erit Paciſcentibus omnibus, eandem Chriſtianiſſimi Regis Gvarantiam & fidejuſſionē ſuſcipere & alios qvoq; in tempore ratihabitionis ad idē officii genus invitare & denominare Principes ac Poteſtates.

XXXVII.

Si qvi Regum, Principum nec non Rerumpublicarum ac ſtatuum amicorum, hiſce Pactis à qvacunq; Parte Paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis ejus facultas, modò ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declaraverint, & id conſenſu omnium Partium fiat.

In qvorum omnium & ſingulorum fidem, majusqve robur, omnium Partium Legati & Commiſſarii cum Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Mediatore præſens Pacis Inſtrumentum, & hoc qvidem Exemplar Sereniſſimi Regis Sveciæ, & Sereniſſimi Regis & Reipublicæ Poloniæ atqve Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Legati ac Commiſſarii manibus ſigillisq; propriis muniverunt ac firmarunt. Datum Olivæ, Die Tertia Maji, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

Locus Nominum & ſigillorum

Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum

LEGATORUM.

NOS CAROLUS GUSTAVUS DEI GRATIA, Svecorum; Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ &c.&c.&c. Notum teſtatumq; facimus, univerſis & ſingulis, qvorum intereſt, qvod cum ad Tractatum inſtituendum de præſenti hoc bello eoq; diuturno & funeſto convenienter ſopiendo, deqvè facienda perpetua pace inter Nos Regnumq; Noſtrum Sveciæ & Noſtros Fœderatos ab una, & Sereniſs. Principem Fratrē Conſangvineum & Vicinum Noſtrum, Dnm. Joañ. Caſimirum, Regem Poloniæ, Magnumq; Ducem Lithvaniæ &c. &c.&c. nec non Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvaniæ, Ejusqve Fœderatos, imprimis Sereniſs. & Potentiſs. Principē Fratrem & Conſangvineum Noſtrum Dnm. Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorē ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtembergæ, Comitem Tyrolis; nec non Sereniſs. & Celſiſs. Principem Conſangvineū & Vicinum Noſtrum, Dnm. Fridericum Wilhelmū, Marchionem Brandeburgenſem, Sac. Rom. Imperii Archi-Camerarium & Principem Electorē, Magdeburgi, Pruſſiæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumq;, nec non in Sileſiâ, Crosnæ & Carnoviæ Ducem, Burggraviū Norinbergenſem, Principem Halberſtadii & Mindæ &c. ab altera parte, modus & via iniri cœperit. Atq; ſuæ Serenitatis, ut & altè memoratorum Ejusdem Confœderatorum nomine declaratum & conteſtatum ſit, nihil qvod ad ejusmodi Tractatum inchoandum, inſtituendum & plenè perficiendum meritò reqviri poterit, à parte ejusdem ſuæ Serenitatis & Reipublicæ Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithvaniæ, ut & ſuperius altè memoratorum Confœderatorum deſideratum iri, ideo teſtaturi conſtans noſtrum propoſitum & animi propenſionē ad promovendum dictæ Pacis negotium, non modo in præfatum Tractatum conſenſimus, ſed illicò etiam deputavimus & conſtituimus, ſicut etiā vigore præſentiū deputamus & conſtituimus, veros & legitimos noſtros ad ſupra dictum Tractatum Comiſſarios, Illuſtres & Magnificos & Generoſos, Nobis ſincerè fideles & dilectos Dnm. Magnum Gabrielem de la Gardie, Comitem in Leckǒǒ & Arensburg, Lib. Baronem in Eckholmen, Dnm. in Habſal, Magnushoff, Hoyendorp, Noſtrum Regniq; Noſtri Theſaurarium, Generalē Gubernatorem Livoniæ, & Locumtenentem Noſtrum per Eſthoniam, Livoniam & Ingriam, militiæ Generalem, Judicem Provincialem Weſtrogothiæ & Daliæ, nec non Academiæ Upſalienſis Cancellarium, & Dnm. Benedictum Oxenſtierna, Comitem in Korsholm & Waſa, Lib. Baronem in Moreby & Lindholmen, Dnm. in Coporium & Roſersberg, Cancellariæ Conſiliarium: & Dominum

num Chriſtoph. Carolum Schlippenbach, Comitẽ in Sehoveda, Lib. Baronẽ in Liuſala, Dnm. in Salinge, Conſilii bellici Præſidem; Omnes verò Noſtros Regniq; Noſtri Senatores; Nec non Dnm. Andream Güldenclau, Noſtri per Pomeraniam regiminis ac Conſilii ſtatus, ut & ſupremæ Curiæ, Juſtitiæ Præſidem, Hæreditarium in Skonela, Ekeby, Hylinge & Hulderſtadt, dictisq; Noſtris Commiſſariis plenam poteſtatem damus, ut congreſſi cum altè memoratæ ſuæ Serenitatis & Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithvaniæ, ut & ſæpius altè memoratorum Confœderatorum ad talem actum cum plena poteſtate deputatis & conſtitutis Dominis Commiſſariis, nomine & auctoritate Noſtra Regia, non modo de præliminaribus & iis qvæ ad viam Tractatui Principali inchoando complanandā facere deprehenduntur, ſtatuant & concludant, ſed etiam principale pacis ſtabiliendæ negotium, omniaq; & ſingula, qvæ qvocunq; modo ad ſubortas hinc inde controverſias componendas & finaliter terminandas, ut & ad mutua utriusq; partis commoda provehenda, pertinere videbuntur, omni meliori modo, via & ratione agant, tractent, ſtatuant & concludant, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta verò & transacta firment & perficiant, atq; adeò pactorum conventorū Inſtrumenta invicem commutent; Promittimus itaq; verbo Noſtro Regio, ac vigore hujus Procuratorii, Nos ea qvæ ſupra nominati Noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii, ſive omnes ſimul, ſive in unius vel alterius abſentia bini eorum in ſupradicto pacis negotio tàm præliminari, qvàm principali cum ſupradictis ſuæ Serenitatis & Reipublicæ Poloniæ, Magniqve Ducatus Lithvaniæ ut & ſæpiùs memoratorum Eorū Confœderatorum, Dominis Commiſſariis egerint, tractaverint, ſanciverint, & concluſerint, omni meliori modo firma, rata grataq; habituros. In qvorum fidem majorē præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo qvoq; noſtro majori com̄uniri juſſimus. Dabantur Nicopiæ in Inſula Falſter die 17. Octob. Anno ſupra milleſimū, ſexcenteſimū, qvinqvageſimo nono,

Carolus Guſtavus.

L. S.
appenſi.

NOS CAROLUS DEI GRATIA, Svecorum, Gothorum, Vandalorumqve Rex & Princeps Hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ &c.&c.&c. Notũ teſtatumq́ facimus Univerſis & Singulis, qvorũ intereſt. Qvod cum ad tractatum inſtituendum de præſenti hoc bello eoq́ diuturno & funeſto convenienter ſopiendo, atq́ facienda perpetua pace inter Nos Regnumq; Noſtrum Sveciæ, & noſtros Fœderatos ab unâ, & Sereniſs. Principem Fratrem, Conſangvineum & vicinum noſtrum Dnm. Joannem Caſimirum, Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ &c.&c.&c. nec non Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ, Ejusq; Fœderatos, imprimis Sereniſs. & Potentiſs. Principem, Fratrem & Conſangvineum Noſtrum, Dnm. Leopoldum, Electum Rom. Imperatorem ſemper-Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Tekæ, Principem Sveviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi & Goritiæ, Landgravium Alſatiæ, Marchionem Sac. Rom. Imperii, Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ Dominum, Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis & Salinarum. Nec non Sereniſſimum & Celſiſſimum Principem, Conſangvineum & vicinum noſtrum, Dominum Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandeburgenſem, Sac. Rom. Imperii Archi-Camerarium & Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Croſnæ & Carnoviæ Ducem, Burggravium Norinbergenſem, Principem Halberſtadii & Mindæ, &c. ab altera Parte, modus & via iniri cæperit. Atqve ſuæ Serenitatis, ut & altè memoratorum Ejusdem Confœderatorum nomine declaratum & conſtitutum ſit, nihil qvod ad Ejusmodi tractatum inchoandum, inſtituendum & plene perficiendum meritò reqviri poterit, à parte Ejusdem ſuæ Serenitatis & Reipublicæ Poloniæ, Magniqve Ducatus Lithvaniæ, ut & ſuperiùs alte memoratorum Confœderatorum deſideratum iri: ideo teſtaturi conſtans noſtrum propoſitum & animi propenſionem ad promovendum dictæ Pacis negotium, non modo in præfatum Tractatum conſenſimus, ſed illico etiam deputavimus & conſtituimus, ſicut etiam vigore præſentium deputamus & conſtituimus Veros & legitimos Noſtros ad ſupradictum Tractatum Commiſſarios, Illuſtres, Magnificos & Generoſos Nobis ſincerè fideles ac dilectos, Dominum Magnum Gabrielem

de la Gardie, Comitem in Leckôô & Arensburg, Liberum Baronem in Eckholm; Dominum in Habſal, Magnushoff & Hoyendorp; Noſtrum Regniqve Noſtri Theſaurarium, Generalem Gubernatorem Livoniæ, & Locumtenentem Noſtrum per Eſthoniam, Livoniam & Ingriam, Militiæ Generalem, Judicem Provincialem Weſtergothiæ & Daliæ, nec non Academiæ Upſalienſis Cancellarium; Et Dominum Benedictum Oxenſtierna, Comitem in Korsholm & Waſa, Lib. Baronem in Moreby & Lindholmen, Dnm. in Koporium & Roſersberg, Cancellariæ Conſiliarium, & Dominum Chriſtophorum Carolum Schlippenbach, Comitem in Schöveda, Liberum Baronem in Liuſala, Dominum in Salinge, Conſilii bellici Præſidem, omnes verò Noſtros Regniqve Noſtri Senatores, nec non Dominum Andream Guldenclau Noſtri per Pomeraniam Regiminis ac Conſilii ſtatus, ut & Supremæ Curiæ Juſtitiæ Præſidem, Hæreditarium in Skonela, Eckeby, Hylinge & Hulderſtadt, dictisqve Noſtris Commiſſariis plenam poteſtatem damus, ut congreſſi cum altè memoratæ ſuæ Serenitatis & Regni Poloniæ Magniqve Ducatus Lithvaniæ, ut & ſæpius altè memoratorum Confœderatorum, ad talem actum cum plena poteſtate deputatis & conſtitutis Dominis Commiſſariis, nomine & auctoritate Noſtra Regia, non modò de præliminaribus & iis, qvæ ad viam Tractatui Principali inchoando, complanandam facere deprehenduntur, ſtatuant & concludant, ſed etiam principale Pacis ſtabiliendæ negotium, omniaqve & ſingula, qvæ qvocunqve modo ad ſubortas hinc inde controverſias componendas & finaliter terminandas, ut & ad mutua utriusqve partis commoda provehenda pertinere videbuntur, omni meliori modo, via & ratione agant, tractent, ſtatuant & concludant, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta verò & transacta firment & perficiant. Atqve adeò pactorum conventorũ Inſtrumenta invicem commutent. Promittimus itaqve Verbo noſtro Regio ac vigore hujus Procuratorii, Nos ea qvæ ſupra nominati noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii, ſive omnes ſimul, ſive in unius vel alterius abſentia bini Eorũ, in ſupradicto Pacis negotio, tam præliminari qvàm Principali cum ſupradictis ſuæ Serenitatis & Reipubl. Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithvaniæ, ut & memoratorum Eorum Confœderatorum Dominis Commiſſariis egerint, tractaverint, ſanciverint, & concluſerint, omni meliori modo firma, rata, grataq; habituros. In qvorum fidem ac certitudinem majorem, præſentes manu Honoratiſſimæ & Chariſſimæ Matris Noſtræ, nec non Noſtrorum Regniqve Noſtri Senatorum ſubſcriptas Regni Noſtri ſigillo firmari juſſimus.

 De-

Dedimus Gothoburgi, die qvartâ Martii Anno Milleſimo ſexcenteſim
ſexageſimo.

Hedevig Eleonora.

Petrus Brahe Comes in Wiſingsborg.
Guſtavus Bonde.

Sevedt Båât.
Gabriel Oxenſtiern, Comes in Korsholm & Waſa.

Axel Lillie.
Carolus Mauritius Levenhaupt, Comes de Rasburg & Falckenſtein

Wilhelm Taube.
Chriſtier Horn.
Canutus Kurck.

Per Lenarſon Ribbing.
Guſtavus Poſſe.

Erick Fleming.
Georgius Fleming
Edvardus Ehrenſtein

L. S.

L. S.

Godofredus von Schröder / Regi
Legationis Svedicæ Secretar.

NO

NOS JOANNES CASIMIRUS DEI GRATIA REX Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, &c.&c.&c. Notum teſtatumq; facimus univerſis ac ſingulis, qvorum intereſt, Qvod cum ad Tractatum inſtituendum, de præſenti hoc bello, eoq; diuturno & funeneſto convenienter ſopiendo, deq; facienda perpetua pace, inter Nos Regnumq; Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ, Noſtrosq; Fœderatos ab una, & Sereniſſ. Principem, Fratrem Conſangvineum & vicinum noſtrum, Dn. CAROLUM GUSTAVUM, Svec. Goth. Vandalorumq; Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c.&c.&c. & Regnum Sveciæ ejusq; Confœderatos ab altera parte, modus & via iniri cœperit, atq; Serenitatis ſuæ nomine declaratum & conteſtatum ſit, nihil qvod ad ejuſmodi Tractatum inchoandum, inſtituendum, & plenè perficiendum meritò reqviri poterit, à parte Ejusdem ſuæ Serenitatis deſideratum iri, ideò teſtaturi conſtans noſtrum propoſitum & animi propenſionem, ad promovendum dictæ Pacis negotium, non modo in præfatum tractatum conſenſimus, ſed illicò etiam deputavimus & conſtituimus. Sicuti etiam vigore præſentium deputamus & conſtituimus veros & legitimos noſtros ad ſupra dictum Tractatum, Commiſſarios, Illuſtriſſimos, Illuſtres, Magnificos & Generoſos, nobis ſincerè fideles, & dilectos D D. JOANNEM Comitem à LESZNO, Palatinum Poſnanienſem, S. Reginalis Majeſtatis Mareſcalcum, Generalem Majoris Poloniæ, Mariæburgenſem, Gorſunenſ. Georgium Comitem in Wisnicz, Supremum Regni Campiq; Mareſcalcum, Generalem Minoris Poloniæ, Cracovienſ. Scepuſienſ. Chmielnicenſ. Nizinenſ. Pereaslavienſ. Olſtinenſ. Caſimirienſ. Nicolaum in Praƶmovv, Supremum Regni Cancellarium, nominatum Epiſcopum Luceorienſ. Abbatiæ Siecichovienſ. perpetuum Adminiſtratorem, Præpoſitum Cracovienſ. Chriſtophorum Pac, Supremum M.D.L. Cancellarium, Wilkoviſtenſ. Rozienicenſ. Cleſcelenſ. Oſtrinenſ. Joannem Andream Morszſtin de Raciporsko, Referendarium Regni, Kovalienſ. Zavichoyſtenſ. Uladislaum de Naglovice Rey Theſaurarium Curiæ Regni, S. Regin. Majeſtatis Cancellarium Neokorſinenſ. Libuſſienſ. Joannem in Gnin Gninski, Succamerariũ Palatinatus Pomeraniæ Gneſnenſ. Gubernatores. Dictisq; Noſtris Commiſſariis plenã poteſtatem damus, ut congreſſi, cum altè memoratæ Serenitatis Suæ, ad talem actum cum plena poteſtate Deputatis & conſtitutis Dominis Commiſſariis nomine & Auctoritate Noſtra Regia, non modò de præliminaribus, & iis, qvæ ad viam Tractatui principali inchoando complanandam facere deprehendentur, ſtatuant & concludant, ſed etiam Principale Pacis ſtabiliendæ negotium, omniaqve & ſingula,

gula, qvæ qvocunqve modo ad ſubortas hinc inde controverſias componendas & finaliter terminandas, ut & ad mutua utriusqve Partis commoda provehenda pertinere videbuntur, omni meliori modo, viâ & ratione, agant, tractent, ſtatuant & concludant, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta verò & transacta firment & perficiant, atqve adeò pactorum Conventorum inſtrumenta invicem commutent. Promittimus itaqve verbo noſtro Regio ac vigore hujus Procuratorii, Nos ea qvæ ſupra nominati noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii, ſive omnes ſimul, ſive in unius vel alterius abſentia, reliqvi eorum, in ſæpe dicto Pacis negotio, tam Præliminari, qvàm Principali, Noſtro nomine egerint, tractaverint, ſanciverint, & concluſerint, omni meliori modo, firma, rata grataqꝫ habituros. In qvorum fidem majorem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo qvoqve Noſtro Majori communiri juſſimus. Datum Warſaviæ, die XXIV. Menſis Maji, Anno MDC, LIX.

Joannes Caſimirus Rex.

L. S.
appenſi.

Joannes Ignatius Bakovvski,
Succamer. Culmenſis.

Nos

NOs Status & Ordines Regni Poloniæ, Magniqve Ducatus Lithuaniæ: Notum teſtatumq; facimus, Qvod prout Sacra Regia Majeſtas Dominus noſter Clementiſſimus ad Tractatum inſtituendum de præſenti hoc bello Polono-Svetico diuturno & funeſto convenienter ſopiendo, deqve facienda pace perpetua inter ſe Regnumqve Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ, Ejusq; Majeſtatis Confœderatos ab una; nec non Sereniſſimum Principem, Dominum, Dominum Carolum Guſtavum, Svecorum, Gothorum, Vandalorumqve Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. Regnumqve Sveciæ & Ejus Confœderatos ab altera parte Commiſſarios ſuos Plenipotentiarios deputavit & conſtituit: ita & Nos auctoritati Sac. Reg. Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi accedentes, teſtatoqve ad invicem publicæ tranqvillitatis ſtudio inducti faciendum duximus, ut eosdem Commiſſarios, Illuſtriſſimos, Illuſtres, Magnificos, & Generoſos Dominos, Joannem Comitem à Leszno, Palatinum Posnanienſ. Majoris Poloniæ Generalem, Mariæburg. &c. Georgium Comitem in Wisnicz ſupremum Regni Campiqve Mareſchall. General. Min. Poloniæ, Cracov. &c. Nicolaum in Prazmou Regni &c. Chriſtophorum Pac, M. D. L. ſupremos Cancellarios, Wilkovv. &c. Gubernatores, Andream Morsztin Referendarium Regni &c. Joannem Gninski, Succamm. Pomeraniæ &c. publico noſtro conſenſu auctoritateqve Comitiali deputaremus, prout vigore præſentium deputamus. Qvibus plenam & abſolutam Poteſtatem damus, omnia & ſingula negotia, qvæ ad mutuam utriusqve Regiæ Majeſtatis & Regnorum Poloniæ ab una & Sveciæ ab altera partibus, commoditatem ſpectant, tractandi & perficiendi controverſias qvasvis componendi & finaliter terminandi, præmiſſaqve omni meliori modo, via & ratione, qvibus ab utrinqve viſum fuerit, ſtatuendi & concludendi: nec non Reſcripta ſuper his neceſſaria & diplomata dandi & invicem accipiendi, & Reipub. nomine qvicqvid transactum fuerit, firmandi & aſſecurandi. Promittimus autem plena & integra fide, ea qvæ acta, ſancita concluſaq; fuerint, Nos ex parte Noſtra rata firmaq; habituros, & ex nunc rata firmaq; habere. In cujus rei fidē præſentes manibus Senatorū, nec non Marſchalci nunciorū Terreſtriū, ad Comitia Regni Generalia congregatorū, nomine Eqveſtris Ordinis ſubſcriptas & Sigillo Illuſtriſs. & Revend. Dn. Archiepiſcopi Gnesnenſis Regni Poloniæ Primatis, Primiq; Principis munitas. Damus Warſaviæ in Comitiis Regni Generalibus, die XXIV. Menſis Maji, An. Dni MDCLIX.

Wenceslaus de Leszno Archiepiſcopus Gneſnenſ.

Stanislaus Potocki Palatin. Cracovienſ. Dux Exercit.

Bbbbbb Caſimi-

Caſimirus Czartoriski, Epiſcopus Uladislavienſ.

Joannes Dovvgallo Zavisza Epiſcopus Vilnenſis.

Albertus Tholibovvski, Epiſcopus Poſnanienſ.

Joannes Sta. Wyzga, Epiſcopus Luceorienſ.

Stanislaus Sarnovvski, Epiſc. Præmiſrien.

Thom. de Lezenice, Epiſc. Chelmenſis.

Thom. Uieyski, Epiſcop. Kyov.

Joannes Tarlo, Palatin. Lublinen.

Stanislaus Laskovvski, Palat. Plocenſis.

Caſimirus Ludovicus Jeiolaſzevvski, Palat. Breſcienſis.

Chriſtophorus Zavisza Marſchal. ſupre. M. D. L.

Stephanus Czarniecki. Palat. Terr. Ruſſiæ.

Joann. Zamoiiski, Wda. Send.

Nicol. Steph. Pac. Pal. Trocenſ.

Georgius Carol. Hlebovvicz Gener. Ducat. Samog. Guber.

Hieronymus Wierzbovvski, Palatinus Breſtenſis, Cujavienſis, Oſzoiecimenſis, Bervvaldenſ. Capitan.

Adamus Mathias, Sakovicz, Palat. Smolenſcen. Adminiſtrator Theſauri. M. D. Lith.

Stanisl. Caſimirus Bienievvski, Caſtellanus Wolhyniæ, Bohuslav. Noſſovienſ. Capitan.

Joannes in Gnin Gninski, Succamerarius Pomeraniæ, Præfectus Gneſnenſis, Marſchalcus Comitiorum Regni.

L. S.
Archiepiſc. Gneſn.

Nos

NOs Joannes Caſimirus, Dei Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. &c. Notum teſtatumq; facimus Univerſis & ſingulis, qvorum intereſt, qvod cum ad Tractatum inſtituendum, de præſenti hoc bello, eoq; diuturno & funeſto, convenienter ſopiendo, deq; facienda pace perpetua inter Nos Regnumqve Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ Noſtrosqve Fœderatos ab una, & Sereniſs. Principem Nepotem, Conſangvineum & Vicinum noſtrum, Dnm. Carolum, Svecorum, Gothorum, Vandalorumqve Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. &c. Et Regnum Sveciæ, Ejusq; Confœderatos ab altera parte, modus & via iniri cæperit, atq; Serenitatis ſuæ nomine declaratum & conteſtatum ſit, nihil qvod ad ejusmodi Tractatum inchoandum, inſtituendum & plenè perficiendum meritò reqviri poterit, à parte Ejusdem ſuæ Serenitatis deſideratum iri: ideo teſtaturi conſtans noſtrum propoſitum & animi propenſionem, ad promovendum dictæ Pacis negotium, non modò in præfatum Tractatum conſenſimus: ſed illicò etiam deputavimus & conſtituimus, ſicuti etiam vigore præſentium deputamus & conſtituimus veros & legitimos Noſtros, ad ſupradictum Tractatum Commiſſarios, Illuſtriſſimos, Illuſtres, Magnificos & Generoſos, Nobis ſincerè fideles & dilectos D. D. Joannem Comitem à Leszno, Palatinum Posnanienſem: Sac. Reginalis Majeſtatis Marſchalcum Generalem, Majoris Poloniæ Mariæburgenſem, Corſunenſem, Georgium Comitē in Wisnicz, ſupremum Regni campiq; Marſchalcum, Generalē Minoris Poloniæ, Cracovienſem, Scepuſienſ. Chmielnicenſ. Nizinenſ. Pereaslavienſ. Olſtynenſ. Caſimirienſ. Nicolaum in Prazmovv, ſupremum Regni Cancellarium, nominatum Epiſcopum Luceorienſem, Abbatiæ Siecieehovienſ. perpetuum Adminiſtratorem, Præpoſitum Cracovienſ. Chriſtopherum Pac, ſupremum M. D. Lithuaniæ Cancellarium Wilkoviſtenſ. Kozieniſenſ. Oſtrinenſ. Joannem Andream Morsztyn de Raciborsko, Referendarium Regni, Kovalienſ. Zavichoſtenſ. Uladislaum de Naglovice Rey, Theſaurarium Curiæ Regni, Sac. Reginalis Majeſtatis Cancellarium Neokorcynenſem, Libuſſienſ. Joannem in Gnin Gninski Succamerarium, Palatinatus Pomeraniæ, Gnesnenſem, Gubernatores, dictisqve Noſtris Commiſſariis, nomine & auctoritate Noſtra Regia non modo de præliminaribus, & iis, qvæ ad viam Tractatui principali inchoando, complanandam, facere deprehendentur, ſtatuant & concludant: ſed etiam principale pacis ſtabiliendæ negotium, omniaqve & ſingula, qvæ qvocunqve modo ad ſubortas hinc inde controverſias componendas, & finaliter terminandas, ut & ad mutua utriusqve Partis commoda provehenda pertinere videbuntur,

buntur, omni meliore modo, via & ratione agant, tractent, & ſtatuant concludantqve, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta verò & transacta firment, & perficiant, atqve adeo pactorum Conventorum Inſtrumenta invicem commutent. Nos ea, qvæ ſupra nominati Noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii, ſive omnes ſimùl, ſive in unius vel alterius abſentia, reliqvi eorum, in ſæpè dicto Pacis negotio, tàm præliminari, qvàm principali Noſtro nomine egerint, tractaverint & concluſerint, omni meliori modo firma, rata grataqve habituros. In qvorum fidem majorem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo qvoqve noſtro majori communiri juſſimus. Datum Gedani die qvarta Menſis Aprilis, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

Joannes Caſimirus Rex.

L. S.

Stephan. Hankievic, Sec. Reg. Majeſtatis.

PACTA

PACTA
ET
PACIFICATIO

INTER

R.am M.tem Et CORONAM SVECIÆ
ex unâ,

&

R.am M.tem Et CORONAM DANIÆ
ex alterâ parte,

Decreta & inita in Caſtris ad
HAFNIAM

A, d. 27. Maji Anno M. DC. LX.

NOs CAROLUS Dei Gratia, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex & Princeps Hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wendiæ; Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; ut & Comes Palatinus ad Rhenum in Bavaria, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. Notum facimus qvod veluti Noſter ſummè honoratus & dilectus Dn. Parens glorioſiſſimæ memoriæ Potentiſſimus ac Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn. CAROLUS GUSTAVUS, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wendiæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; ut & Comes Palatinus ad Rhenum in Bavaria, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c, præterito anno conſtituit ſuos Plenipotentiarios Commiſſarios, ad conveniendum cum Potentiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. FRIDERICI III. Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regis, Ducis Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, Dilecti Noſtri Fratris, Cognati & Vicini Plenipotentiariis Commiſſariis in Seelandia ad Hafniam; idqve mediante Potentiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. LUDOVICI decimi qvarti, Chriſtianisſimi Regis Galliæ & Navarræ, dilecti noſtri Fratris, Cognati, boni Amici & fœderati ut & Potentisſimarum Rerumpublicarum Angliæ, & Præpotentium Dominorum Generalium Ordinum fœderati Belgii, Noſtrorum pari modo fœderatorum & bonorum Amicorum interpoſitione; ad decidendum & ſopiendum omnes inter hæc Regna excitatas belli flammas, errores, diſſenſiones ac diſſidia; Et Nos pariter poſt ſummè memorati Noſtri beatæ & laudatisſimæ memoriæ Dn. Patris mortem & exceſſum, ad teſtificandam in tam bono & ſalutari negotio ſingularem Noſtram propenſionem ad pacem, eosdem Noſtros Commiſſarios denuò legitimavimus, & illi idcircò tenore Noſtræ Inſtructionis, cum ſupra ſummè memoratorum reſpectivè trium Statuum honorabilibus Legatis, Commiſſariis ac Deputatis plenipotentiariis, ut primò ſummè præfatæ Regiæ Maj. Galliæ & Navarræ Senatore & ordinario Legato apud Noſtram Aulam, Illuſtrisſimo Dn. Hugone Terlons Eqvite S. Joannis in Hieruſalem, ac deinde Potentiſſ. Reipubl. Angliæ Commiſſariis ac Plenipotentiariis Illuſtriſſ. Dn. Algemone Sidneio, membro Parlamenti & Status Conſiliario; ut & Præpotentium Dnn. Generalium Ordinum Fœderati Belgii Deputatis Plenipotentiariis, Illuſtribus Dn. Godfrido à Slingeland, Conſiliario & præcipuo Aſſeſ-

Aſſeſſore in urbe Dordrechtana, Dn. Petro Vogelſang, Conſiliario & Syndico Amſterodami, Dn. Petro de Huybert, Secretario DD. Ordinum Seelandiæ & Dn. Wilhelmo ab Haren, Grietmanno & Domino de Bilt, ad Generalium Ordinum Conventum, Hollandiæ, Seelandiæ & Friſiæ nomine Deputatis, eorumq; prudenti ac diligenti cooperatione ac mutuo labore, qvæſiverunt omnes diſſenſiones ac diſſidia è medio tollere & exſtirpare; illorumq; univerſa opera ac labor 27. Maji felicem exitum ſortitus eſt, omnis controverſia, ſimultas, offenſa, bellum & inimicitia ſublata atqve obliterata, in ejusq; locum conſtans & irrevocabilis Pax, & bona vicinalis confidentia iterum inſtaurata eſt, prout illud in ſubſeqventibus Pactis & Pacificatione pluribus ad verbum exprimitur.

Potentiſſimi, Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. CAROLI Dei gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorum Regis ac Principis Hæreditarii; Magni Principis Finlandiæ, Ducis Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wendiæ, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Wismariæ; ut & Comitis Palatini ad Rhenum in Bavaria, Juliaci, Cliviæ & montium Ducis, Plenipotentiarii Commiſſarii, Nos ſubſcripti, Dominus Scheringius Roſenhane Lib. Baro in Ikalaborg, Dominus in Torpa, Tyſta, Engelholm & Hagen, altè memoratæ Regiæ Majeſtatis & Regni Sveciæ Senator, Cancellariæ Conſiliarius & ſupremus arcis Stockholmenſis Præfectus, ut & Judex Provincialis Sudermanniæ, Dominus Steno Bielcke, Liber Baro in Korpo, Dominus in Geddeholm, Gråsöön & Tanga; Regiæ Majeſtatis & Regni Sveciæ Senator, Ammiralis, Ammiralitatis & Cancellariæ Conſiliarius, hiſce notificamus, qvod poſtqvam ultima Pacificatio, qvæ Roſchildiæ 26. Februarii Anno 1658. inter duo hæc incluta Septentrionalia Regna inita, & confirmata erat, diverſæ diſſenſiones inter Potentiſſimum & Sereniſſimum Principem & Dominum, Dn. CAROLUM GUSTAVUM, qvondam Dei gratia Svecorum, Gothorum & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wendiæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ & Wismariæ; ut & Comitem Palatinum ad Rhenum in Bavaria, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducem, nunc beatæ & laudatiſſimæ recordationis & Coronam Sveciæ, ab una; Et Potentiſſimum & Serenisſimum Principem ac Dominum, Dn. FRIDERICUM Tertium, Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regem, Ducem Slesvvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitem Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, & Daniæ Coronam ab altera parte, de novo ortæ ſunt, qvæ nuper abolita disſidia reſuſcitárunt,

atqve

atqve ita propagarunt, ut non ſolum inde inter ſummè memoratam Regiam Majeſtatem beatæ & glorioſiſsimæ memoriæ, & ſummè memoratam Regiam Majeſtatem Daniæ apertum bellum iterum accenſum ſit, ſed idem qvoq; ſub maximè dilecto Ejus Dn. Filio, Noſtro nunc Clementiſsimo Rege ad hunc usqve diem continuatum ſit; Proinde Potentiſsimo & Sereniſsimo Principi ac Domino, Dn. LUDOVICO decimo qvarto, Chriſtianiſsimo Regi Franciæ & Navarræ, & juxta duabus Rebuspubl. Angliæ & Fœderatæ Belgicæ, ex ſingulari affectione placuit, omni poſſibili modo qværere, ut periculoſum hoc belli incendium exſtingvi iterumqve optata Pax, ſecuritas & bona fiducia renovari & reparari poſſet. Qvo fine plena tractandi poteſtate inſtruxerunt & miſerunt ad Maj. Majeſtates Sveciæ & Daniæ, ſuos honorabiles, reſpectivè ordinarios Legatos, Commiſſarios & Deputatos Plenipotentiarios, ut primo ſummè memorata Regia Majeſtas Franciæ & Navarræ, Senatorem ſuum & Ordinarium Legatum, apud Reg. Majeſtatis Sveciæ Aulam, Illuſtriſsimum Dn. Hugonem Terlon, Eqvitem S. Johannis Hieruſolymit. & deinceps Potentiſsima Reſpublica Angliæ ſuum Commiſſarium ac Plenipotentiarium, Illuſtriſſ. Dn. Algernonem Sidney, membrum Parlamenti & Status Conſiliarium, Dn. Robertum Honniwodh Eqvitem ac Status Conſiliarium; ut & præpotentes Dnn. Generales Ordines uniti Belgii ſuos Delegatos Plenipotentiarios, Illuſtrem Dn. Godfredum à Slingeland, Conſiliarium ac primarium Aſſeſſorem Dordrechti, Dn. Petrum Vogelſang, Conſiliarium & Syndicum Amſterodami, Dn. Petrum de Huybert Secretarium Dnn. Ordinum Seelandiæ, & Dn. Wilhelmum ab Haren Grietmannum & Dominum de Bilt, ad Generalium Ordinum conventum Deputatos; cum mandato remonſtrandi Maj. Majeſtatibus, utrinqve præſentium temporum ſtatum; & qvæ pericula & detrimenta inde redundatura eſſent, niſi hæ belli flammæ in tempore convenientibus mediis componerentur, & averterentur; Deinde cohortandi ad reconciliationem & pacatas cogitationes, & ad Pacis majorem promotionem offerendi D. D. D. ſuorum Principalium interpoſitionem & mediationem. Idcircò, ut non modò ſummè memorata R. Majeſtas beatæ & laudatiſsimæ memoriæ, Noſter qvondam Clementiſsimus Rex & Dominus permota tam ſummè memoratorum Fœderatorum ſedulo & amico ſvaſu, qvàm propria & ingenti cupiditate ac deſiderio exſtingvendi has belli flammas, & reſtaurandi erigendiqve tutam & conſtantem pacem, confidentem amicitiam & promptam benevolentiam cum Vicino ſuo Reg. Majeſtate Daniæ, tam Chriſtianum & amicum conſilium & oblatam ſibi interpoſitionem approbavit & conſenſit. Sed poſteaqvam

Regia

Regia Majeſtas, Noſter nunc Clementiſſimus Rex ac Dominus, Dn. Parentis ſui laudatiſſimæ recordationis pacis amantem animum & exemplum imitatus, nihil flagrantius deſideravit, qvam ut mediante altè memoratorum Fœderatorum cooperatione, diſſenſiones inter has duas Arctoas Coronas enatæ funditus omnino exſtirpari & aboleri, & ſincera, fida & irrevocabilis Pax iterum inſtaurari poſſit; & R. Majeſtas Daniæ pariter ſuam propenſionem ad pacem declaravit; ita ſubſeqvutum eſt, ut conventus inter utriusq; Regni Commiſſarios & Plenipotentiarios decerneretur & conſtitueretur, & Nos præſcripti congrederemur cum ſummè memoratæ R. Maj. Daniæ Regni Senatoribus & Plenipotentiariis Commiſſariis, Illuſtriſſ. Dn. Olao Pasbierg in Iernet, Eqvite aurato, Dn. Axelio Urop in Belteberg, Eqvite aurato, & Dn. Petro Retz in Tyggeſtrup, Supremo Qvæſtore & Præfecto Weſtervvick, Dahlum & Möönæ, & cum illis, poſtqvam utriusqve partis procuratoria & mandata recognita, legitimè deprehenſa, permutata ac tradita ſunt, hoc Pacificationis opus inſtituere ordiremur, aſſumentes Nobis Roſchildenſem Pacificationem percurrendam in omnibus ſuis articulis, eo animo ac intentione, ut ſuper eam tanqvam certum fundamentum ac baſin hæc nova Pacta exſtrueremus, & videremus, qvousqve unum cum altero benè conſtitui & ad præſentium temporum conditionem adaptari & accommodari poſſet. In qvo etiam ſup. nominati Dnn. Mediatores ſummam induſtriam, magnam dexteritatem, prudentiam, moleſtiam & laborem tamdiu & indefeſſè adhibuerunt & negotium eo usqve promoverunt ac urſerunt, ut perluſtratis diligenter Pactis Roſchildenſibus, qvicqvid ibi reperimus his temporibus convenire, invariatum retinuerimus, probaverimus & confirmaverimus; ſed alia qvæ mutatione qvadam egebant, neceſſariis explicationibus, limitationibus, additionibus & reſtrictionibus, ſecundum præſentium temporum naturam & rerum conditionem, ita temperaverimus & moderati ſimus, ut tandem per Dei gratiam, utriusqve Majeſt. Majeſtatis ejusqve Succeſſorum & Coronæ Sveticæ & Danicæ nomine communi conſenſu deveniretur ad talem concluſionem, conventionem & compoſitionem, qvalis ſubſeqvitur.

I.

PRimò inter utramqve Majeſtatem Majeſtatem & utriusqve Succeſſores, Regna, Provincias, Senatores, Miniſtros, ſubditos & incolas Sveciæ, Daniæ & Norvegiæ eſto perpetua & irrevocabilis Pax, ita ut in

poſterum omnis diſſenſio, offenſa, diſcordia, diſſidium, inimicitia bellumqve tollatur & finiatur. Qvicqvid pariter ex utraqve parte tam antea qvam durante belli tempore enaſci potuit, mediante generali & ad omnes ſe extendente Amneſtiâ, penitus oblivioni tradatur, nec unqvam in memoriam revocetur aut urgeatur, & hoc ipſo in ejusqve locum erigatur, reſtauretur & conſervetur conſtans amicitia, bona confidentia, concordia & fidelis vicinitas; ita ut una pars alterius commodum ac emolumentum, verbis & factis, æqvè ac proprium promoveat ac defendat, & qvicqvid potiſſimum alterius perſonæ, regimini, regno, provinciis & ſubditis fraudi & incommodo eſſe poſſit, avertere & pro viribus impedire qværat.

II.

Ut autem hoc eò melius fiat, & bona confidentia conſervetur inter utramqve Majeſtatem Majeſtatem & Regna Svecicum ac Daniam, ex utraqve parte reſignabuntur & tollentur omnia fœdera cum aliis Monarchis, Regibus, Principibus, Statibus & Rebuspublicis qvibuscunqve in præjudicium alterutrius partis inita. Prout ab hoc die nullum qvoqve fœdus inibitur ab uno contra alium vel alterius hoſtem qvocunqve modo, vel ſub qvocunqve prætextu & prætenſione adjuvabitur & ſuffulcietur.

III.

Hoc etiam pactum & concluſum eſt, ut omnes illæ naves, qvæ ad Regiam Majeſtatem Meciæ, Ejus ſubditos, qvi habitant in Svecia, vel in ſubjacentibus provinciis, regionibus & urbibus, nullis exceptis, pertinent ſive armatæ ſive non armatæ, magnæ ſive parvæ, qvibuscunq; mercibus ac bonis onuſtæ, absqve differentia non ſolùm in freto Öreſundico & Balthico immunes & exemptæ ſint ab omni vectigali, inqviſitione, viſitatione, detentione vel aliis moleſtiis ac gravaminibus, qvocunqve nomine venire aut effingi poſſint; Sed etiam non obligatæ ſint aut teneantur habere aut exhibere ullas certificationes illatarum & contentarum mercium; Duntaxat, ut in Regiæ Majeſtatis Daniæ taberna telonaria Helſingôræ & Nyburgi liqvidas paſſus maritimi literas producant & oſtendant. Verum qvoad illa bona & merces, qvæ ad Regiam Majeſtatem, Ejus ſucceſſores, ſubditos & incolas Sveciæ, omnesqve ei ſubjacentes provincias regiones & urbes pertinent, & peregrinis navibus illatæ ſunt, obſervabitur impoſterum, qvod ad certificationes attinet, prout ante hac, ſecun-

dun

dum Pactorum Brômſebroenſium tenorem; Hoc modo, ut ſi oſtendant ſolùm integras ſuas certificationes, tunc abſqve impedimento, detentione, interdicto vel vectigalis exactione aut penſione, qvocunqve modo per fretum Öreſundicum & Balten, immunes ultrò citròqve commeent. Sed Svetica bona, qvibus peregrinæ naves onuſtæ ſunt, qvæ non poſſunt exhibere veras ſuas certificationes, vectigalis penſioni in freto Öreſundico & Balte obnoxiæ erunt.

IV.

Sicut 26. Februarii 1658. per Pacta Roſchildenſia Regiæ Majeſtati & Coronæ Sveciæ à Regia Majeſtate & Coronâ Daniæ ceſſæ & traditæ ſunt, Arx Bahuſia ejusqve ditio, ut & cæteræ provinciæ, Scania, Blékingia & Hallandia cum omnibus eis ſubjacentibus urbibus, arcibus & caſtellis, inſulis & faucibus, una cum Hvvena, qvæ poſtea etiam ceſſa eſt, cum omnibus aliis regalibus, dominiis, jurisdictionibus, eccleſiaſticis & ſecularibus bonis & appertinentiis, cenſibus, reditibus, vectigalibus, penſionibus & juribus, terra mariqve cujuscunqve ſint nominis, prout Daniæ & Norvegiæ Reges eas poſſederunt & fruiti ſunt, ad incorporandum Sveciæ Coronæ in perpetuam absqve controverſia proprietatem, veluti ſuper ea ſpeciales conceptæ ceſſionis Literæ de dato Hafniæ 24. Februarii Anno 1658. à Regia Majeſtate Regniqve Daniæ Senatu ſubſcriptæ, obſignatæ & extraditæ pluribus oſtendunt; ita hoc ipſo confirmatur & omnimodo ſtabilitur eadem Ceſſio dictarum provinciarum, regionum & diſtrictuum cum omnibus eis ſubjacentibus urbibus, arcibus & caſtellis, inſulis, faucibus maris, regalibus, dominiis, jurisdictionibus & omnibus juribus, prorſus ut ſupra memoratum eſt, qvæ ſeqvuntur Regiam Majeſtatem, Ejus Succeſſores & Sveciæ Coronam in æternam absqve omni contradictione proprietatem, nunc & in poſterum.

V.

Et qvia conſultum viſum eſt, ut, qvod ad transactionem de inſula & regione Bornholmiæ attinet, de ea peculiaris Actus concipiatur; ita decretum eſt, ut is ejusdem vigoris ac roboris ſit, ac ſi hîc ad verbum inſertus eſſet, & ab utraqve Majeſtate Majeſtate Ipſa ratificetur, &, ut cætera omnia conventa, inviolabiliter ſerventur & impleantur.

VI.

Qvum verò ſpecularum igniferarum, qvæ inter Scagam & Falſterbooam

booam bono navigantium excitatæ ſunt, nonnullæ in Reg. Majeſtatis Sveciæ regionibus ſint cum Ejus impenſa conſervandæ, qvædam in regionibus Regiæ Majeſtatis Daniæ Ejus ſumptibus conſervandæ ſint, & pro illis ſpeculis certum vectigal à qvolibet tranſeunte Regiæ Majeſtati Daniæ pendatur; conventum & decretum eſt, ut in refuſionem iſtius penſionis, qvæ ad ante dictarum ſpecularum igniferarum conſervationem præſtatur, & in æqvam omnium ſumptuum compenſationem, R. Majeſtas Daniæ obligata ſit ad qvotannis ſolvendum ſummam trium millium & qvingentorum thalerorum uncialium, ex ea ſumma dimidium qvolibet ſemeſtri Regiæ Majeſtatis Sveciæ miniſtris Helſingöræ vel Helſingburgi pendatur. Ita tamen ut Regia Majeſtas & Corona Sveciæ non inde vel ex alia cauſa aut prætextu prætendat aliqvod jus impoſitionis, aut exigat aliqvod vectigal aut tributum in freto Öreſundico.

VII.

Hoc etiam conventum eſt, ut Sveticæ naves militares una vel plures, parvæ vel magnæ per fretum Öreſundicum meantes, ante mediam arcem Croneburgum Sveticæ exploſionis ſigno tormenta exonerent, & ex arce Danicæ exploſionis ſigno iterum honorentur. Pari modo Danicæ naves militares, una vel plures, tranſituræ fretum Öreſundicum, eodem modo ante Helſingburgenſem arcem Danicæ exploſionis ſigno tormenta exonerent, eodemqve modo Sveticæ exploſionis ſigno ex arce honorentur. Si qvoqve accidat, ut Sveticæ & Danicæ naves vel in oceano vel freto Öreſundico & Balthico vel aliqvo portu ſibi occurrant, vel ſe invicem offendant, qvocunqve numero ex una vel altera parte ſint, neutra earum tenebitur ſummum velum demittere, ſed conſveto ſolum exploſionis ſigno, ut ante moris fuit, ſe invicem amicè ſalutabunt.

VIII.

Si uſu veniat ut alteruter Regiæ Majeſtatis Majeſtatis vel ſucceſſores Ejus, Sveciæ vel Daniæ Reges, copias militares vel bellicas naves ex occidentali in orientale vel ex orientali in occidentale mare transportare aut mittere velint, & numerus earum non absqve ratione ſuſpicionem qvandam parere poſſit, tunc ante pactum & conventum eſt, ut ſi exercitus, qvi ſimul transportatur, numero mille ducentos ſuperet, & militares naves numerum qvinarium excedant, qvod ab utraq; parte minimum intra tres hebdomadas ante notificabitur, ita ut à Reg. Majeſtate Sveciæ illud Helſingöræ vel

vel Nyburgi, ſed à R. Mte. Daniæ Helſingburgi ſolùm prius ſignificetur, qvando vel copiæ militares vel naves bellicæ per fretum Balthicum commeabunt, anteqvam adveniant.

IX.

Pari modo ceditur R. Majeſtati, Ejus Succeſſoribus & Coronæ Sveciæ à R. Mte, Ejus Succeſſoribus & Corona Daniæ omnis jurisdictio, tàm eccleſiaſtica qvàm ſecularis in qvantum eam habet in bonis in Principatu Rugiæ ſitis.

X.

Hoc etiam pactum eſt, ut, qvod nondum ſolutum eſt pro oneratione ſalis, qvantum tres initio prioris belli in freto Öreſundico attentæ naves Sveticæ continebant, ſecundum Hafniæ poſtea factam liqvidationem, ſolvatur; ideoqve ita conventum eſt, ut R. Majeſtas Daniæ intra annum & diem eandem reſtantem pecuniam, per certos mercatores Hamburgi, illi exſolvat, qvem R. Majeſtas Sveciæ ad hoc deſignatura eſt.

XI.

Omnes Nobiles qvi in ceſſis Provinciis provincialia & feudalia bona poſſident, ibiqve habitant, obligati erunt ac tenebuntur ad præſtandam R. Majeſtati Ejusqve Succeſſoribus & Sveciæ Coronæ ſuum homagii juramentum & ſe ad obſeqvium, fidelitatem & officia devincient, veluti Daniæ Regibus ante hac devincti fuerunt. Æqvali modo omnes alii in dictis provinciis habitantes tàm Eccleſiaſtici qvàm Seculares, Cives & ruſtici ex hac die R. Majeſtati, Ejus Succeſſoribus & Coronæ Svetiæ ſoli & in perpetuum obligati erunt, & omnes Præpoſiti ac Sacerdotes ſeqventur eum Epiſcopum vel Superintendentem & Conſiſtorium qvem & qvod R. Majeſtas Sveciæ illis conſtituet.

XII.

Reciprocè verò R. Majeſtatis & Coronæ Sveciæ nomine promiſſum & fides data eſt, ut omnes Status, Nobiles & non Nobiles, Eccleſiaſtici & Seculares, cives & ruſtici, in illis, mediantibus his Tractatibus, in Dania & Norvegia ceſſis provinciis, regionibus & ditionibus, ſua bona & proprietates, qvæ ad illos vel titulo hæreditatis, vel emptionis, permutationis vel pignoris ante bellum pertinebant, & qvas vel à Corona vel privatis inter ſe jure acqviſiverunt, retineant, ita ut impoſterum, velut antea, plenam libertatem & poteſtatem habeant ea poſſidendi, fruendi, utendi & conſervandi, vel vendendi, alienandi & permutandi. Item ut permaneant in uſitato ſuo jure ac legibus, & in ſuis bonis ſoli ac reſidentiæ, priſca jura, privilegia

& libertates, ut ſunt Bircenſe, gladii, manuarium & Patronatus jura, ſe cundum provinciarum ſtatuta & conſtitutiones; qvieta & inviolata poſſi deant; qvatenus tamen contra Veciæ Coronæ (cui hæ ceſſæ regiones & ditiones in perpetuum de cætero unientur & incorporabuntur) Funda mentales Leges & Statuta non pugnant. Qvicqvid etiam in ceſſis provin ciis ac ditionibus ſecundum leges in judiciis deciſum eſt, vel alio legitim modo determinatum ac plenè dijudicatum eſt; illud in poſterum omnin ratum & immotum ſtabit. Et ut percipiatur R. Majeſtatem Sveciæ ex ſingu lari clementi propenſione, citius eorum conditiones velle meliores reddere qvàm imminuere, promiſſum eſt, ut omnes illi Nobiles, qvi R. Majeſtati & Coronæ Sveciæ jurisdictioni omnimodo ſubjiciuntur, qvoad ſuas perſo nas, omnibus illis immunitatibus & prærogativis, qvibus R. Majeſtatis & Regni Sveciæ ſubditi & indigenæ Nobiles, fruantur, hoc modo ut in do mum Eqveſtrem, inter Svecicam Nobilitatem admittantur, & inter eam ſuf fragium ac votum, ſecundum primam Eqveſtris domus inſtitutam ordi nationem habeant; ita ut omnes illi, qvi probare poſſunt, qvod illi ve eorum majores officio Regni Senatorum in Dania functi ſint, ea præro gativa fruantur, ut à Svecica Nobilitate in ſecundam Claſſem recipiantur ſed reliqvi recipientur ſecundum ordinationem domus Eqveſtris, & ſi omnimodò naturaliſabuntur in Svecicos Nobiles, & unà cum reliqvis in digenis Nobilibus fruentur pari aditu ad beneficia ac honores, ſi eorum ſe capaces reddant. Pariter R. Majeſtas Sveciæ promiſit non minus ſe co gitaturam de reliqvorum Ordinum in hiſce ceſſis provinciis, regionibus & ditione, conditionibus, ut conſervet eos in ſuis hactenus uſurpatis privilegiis & immunitatibus non turbandis aut impediendis, ita ut, præ ter hæc, ſi in ſua fidelitate erga Reg. Majeſt. Sveciæ & debita devotio ne perſeverent, ſuarum conditionum meliorationem ſperare debeant, & pariter cum indigenis Svecis æqvalem acceſſum ad beneficia & officia ha beant.

XIII.

Ut omnes tàm Scanici qvàm Danici & Norvegici ſubditi, qvi bona ſo li & proprietates in Scania, Hallandia, Blekingia & Bahuſiæ ditione, & re liqvis ceſſis regionibus & urbibus habent Nobiles & non Nobiles, eccle ſiaſtici & ſeculares, cives & ruſtici, nullis ullo modo exceptis, liberè reti neant & fruantur omnibus ſuis bonis ac prædiis, cum omnibus iſthic exſtantibus tam mobilibus qvàm immobilibus, ipſorum propriis & il la proximo die S. Johannis ingrediantur, & recipiant cum omnibus priori-

bus

bus privilegiis & juribus in prædiis bonis ac proprietatibus, velut in pacificatione Roſchildenſi deciſum & decretum eſt, & à Regia Majeſtate Sveciæ ulterius melioratum, absqve minima impugnatione, damno aut detrimento, pro omnibus, qvæ ab unius vel alterius ſtatus perſona in hoc ultimo bello patrari & occurrere potuerunt. Hoc tamen præſervato, ut utriusqve Coronæ nomine certi Commiſſarii conſtituantur, qvi inter utrasq; partes tranſigant & liqvident, ad bonam & ſufficientem ſatisfactionem utrinqve & ad impediendum circa initium hujus felicis Pacis omnes ſiniſtras interpretationes & diſſenſiones.

XIV.

Hoc etiam præcautum & conventum eſt, ut, qvando caſtella ac regiones per immiſſionem ceduntur R. Majeſtatis & Coronæ Sveciæ Plenipotentiariis, ſimul tunc qvæcunqve documenta reperiuntur de terrarum & in illis ſitorum bonorum conditionibus, reditibus & intributionibus, ut & de finium, limitum & pagorum diſtinctione, & qvæ ad juſtitiam pertinent, talia ſcripta, codices agrarii & documenta, unà tradantur, qvatenus exſtant, nec jam ante tradita ſunt, & poſtea conſtituantur certi mandatarii & plenipotentiarii duo vel tres utrinqve, qvi poſſint inſpicere, diſcernere & in ordinem redigere omnes fines ac limites, & controverſias inter ceſſas & immiſſas & proximè adſitas provincias ac diſtrictus, niſi jam ante inſpecta hæc, diſtincta & in ordinem rectè redacta ſint: Ut ita omni errori & diſſenſioni eò commodius præſtruatur & obviam eatur, & qvilibet qvietè fruatur, qvod jure poſſidet.

XV.

In vicem eorum cedit R. Mtas Ejus Succeſſores & Corona Sveciæ R. Majeſtati Ejus Succeſſoribus & Coronæ Daniæ omni jure, qvod R. Majeſtas habere poteſt ad omnia caſtella, munimenta, inſulas, provincias, urbes & territoria, qvæ R. Majeſtas in boc bello mediantibus armis occupavit, ſpeciatim, Sialandiam, Lalandiam, Falſtriam & Mǒǒnam cum omnibus iſthic ſitis arcibus & munimentis, Nycopia, Naſcavia, Corſǒra, Kǒga & Croneburgo, juxta cum omnibus aliis in his duobus Regnis Daniâ & Norvegia ſitis & occupatis oppidis, munitionibus, caſtellis, feudis, Nobilium ædibus & territoriis, cujuscunqꝫ nominis, qvæqve in hac Pacificatione per expreſſum non ſunt excepta & R. Majeſtati Svetiæ ſecundum horum vel priorum Pactorum tenorem ante hac cedi potuere. Et illa juxta horum Pactorum tenorem reſtituta, cum omnibus ſuis appertinentiis & urbibus ſeqventur R. Majeſtatem, Ejus Succeſſores & Daniæ Coronam, haud impedita, omni modo.

XVI. Et

XVI.

Et ut omnis bona confidentia & amicitia inter utraqve hæc Regna e[t] melius inſtauretur; R. Majeſtas & Corona Sveciæ non vult prætendere ul[-] lam refuſionem pro expenſis à R. Majeſtate Sveciæ in Daniæ munimenta caſtella & opera factis, ſed illa unà cum evacuatione R. Majeſtati & Coron[æ] Daniæ tradi curabit, absqve ulla demolitione, & uti nunc ſunt, perfecta.

XVII.

Pari modo ceduntur ad ſedulam Dnn. Mediatorum inſtantiam & e[x] ſingulari cupidine pacis R. Majeſtati & Coronæ Daniæ, Trondhemiæ prædi[um] & diſtrictus, cum omnibus ſubjacentibus oppidis, arcibus & munimentis, & eccleſiaſticis ac ſecularibus bonis, ditione & appertinentiis, prout vi Roſchil[-] denſium Pactorum R. Majeſtati Sveciæ ceſſa erant, ita ut cum Norvegia ite[-] rum in perpetuam poſſeſſionem & proprietatem incorporentur ac uniantu[r] & R. Majeſtas Sveciæ in poſterum nullam prætenſionem in iſthæc nec pro ſ[e] vel ſuis Succeſſoribus & Coronâ Sveciæ, ſibi reſervet ac retineat. In qvem R[.] Majeſtati Daniæ & ſecundum ſextum articulum Pactorum Roſchildenſium extraditæ ceſſionis Literæ, iterum reſtituentur, caſſæ & irritæ habebuntur.

XVIII.

Parem in modum cedit R. Majeſtas ſuis Succeſſoribus & Sveciæ Corona omnibus juribus ac prætenſionibus, qvas R. Majeſtas ratione Ducatus Bre[-] menſis vel qvocunq; alio modo unqvam habuit aut habere poteſt, in Comi[-] tatum Delmenhorſtiæ & Dithmarſiam, & hæc ſua jura in R. Majeſtatẽ Dani[æ] ſuos Succeſſores, & Duces ex domo Holſatica Regiæ & Gottorpienſis line[æ] transfert. Atq; ſic R. Majeſtas Sveciæ poſſet ratione Ducatus Bremenſis ali[-] qvam habere prætenſionem in qvædam Nobilium bona in Holſatia, ceditu[r] pariter hoc ipſo & promittitur, qvod documenta, qvæ eò pertinentia exſtant R. Majeſtati & Domui Holſaticæ Regiæ & Gottorpicæ lineæ extradentur.

XIX.

Et ut hæc renovata amicitia in eo firmiori fundamento conſiſtat R. Ma[-] jeſtas & Corona Sveciæ vult cedere ac remittere, velut hoc ipſo cedit ac re[-] mittit actionem, qvam R. Majeſtas Sveciæ Ejusqve ſubditi de negotio Gvi[-] neenſi, in prætenſas qvatuor auri tonnas habet, ita ut de ea re in poſterum nulla poſtulatio aut compellatio inſtituatur, ſed R. Majeſtas & Corona Da[-] niæ ab ejus ſolutione & refuſione prorſus libera ſit, absqve ullâ contradictio[-] ne aut prætenſione ullo vel minimo modo.

XX.

Velut munimenta ab utraq; parte, tam qvæ in hoc bello occupata ſunt qvàm

qvàm alia, qvæ vi hujus Pacificationis ceduntur, nuda & absqve tormentis & inſtrumentis bellicis reſtitui debent, excepta arce Croneburgo, in qva ſecundum pacta conventa illa tormenta relinqventur, qvæ ab ipſis Svecis eo non ſunt transvecta, vel præter iſthæc, aut inſignibus Sveticis vel qvadam inſcriptione Sveticam nationem concernente, notata reperiuntur. Ita de hoc conventum & decretum eſt, ut ruſtici iſtius territorii, in qvo hujusmodi munimenta ſita ſunt, teneantur dicta tormenta cum reliqvo apparatu & proviſione ad littus transvehere, ubi optime & commodiſſime navibus inferri & avehi poſſint.

XXI.

Juxta illud qvoqve conventum & decretum eſt, ut in munimentis ab una vel altera parte cedendis, certa ſpatia deputentur, in qvibus qvi munimentis vel Locis cedit, apparatum bellicum & annonam qvæ nunc ibi reperiuntur, in tuto habere poſſit, donec inde commode avehi & auferri poſſint.

XXII.

Omnes pariter utrinqve captivi ſuperioris & inferioris loci, cujuscunqve Status aut conditionis ſint, absqve ullo redemptionis pretio ſtatim dimittentur, & ſecundum æqvitatem pro victu eorum ſolvetur. Pari modo omnes R. M. Daniæ ſubditi, qvos R. M. & Corona Sveciæ ex Daniæ provinciis ac terris in alia loca traduci curavit, liberam & non impeditam habebunt veniam recipiendi ſe in patriam ſuam & priſtinam libertatem. Qvicunqve captivi, præſtito ſacramento ſub ſignis R. M. Daniæ militarunt, illis qvoqve liberum erit ad priorem ſuum Dominum & ſervitium, ſi ita lubeat illis, ut & ex altera parte, qvi ſub R. M. Sveciæ ſignis ſtipendia fecerunt; modo intra tres menſes poſt ratificationem Pacis fiat.

XXIII.

Hoc etiam approbatum & decretum eſt, ut omnia loca, qvæ ab alterutro R. M. Sveciæ & Daniæ, poſt concluſam Pacificationem Roſchildenſem, occupari & præripi potuere & vigore horum Pactorum reſtituuntur, eiqve parti iterum cedere oportet, ad qvem vel ante pertinuerunt vel Roſchildenſibus Pactis convenienter pertinere fas eſt, intra qvatuordecim tandem dies poſt Pacis ratificationem (qvæ intra menſem poſt Pacis concluſionem fieri & ſubſeqvi debet) utriusqve partis Commiſſariis & Plenipotentiariis reſtituentur & omnes R. M. Sveciæ turmæ & milites tàm eqveſtres qvàm pedeſtres ex R. M. Daniæ inſulis, provinciis & terris circa idem tem-

pus abducentur. Hoc modo ut ſimulac Pax ſubſcripta eſt, eodemqve die publicata, obſidio ad Hafniam tolletur, ita ut caſtra inter ſeqventes qvatuor dies evacuentur & ad hoc intra ſeqventes qvatuor dies Nycopia, Falſtria & Moöna cedentur, & contra eodem tempore ceſſabit obſidio Tonningæ & tota Eyderſtedia & Huſuma evacuabuntur. Octiduo poſt cedetur Naſcovia & transferetur ad Danos, atqve ſi circa idem tempus naves paratæ & ad manum ſint, inchoabitur evectio exercitus illis ex terris. Octiduo poſt cedetur Köga & exercitus inde educetur. Simulac Ratificationes intra unius menſis ſpatium poſt Pacis ſubſignationem commutantur, & naves ad exercitus evectionem paratæ adſunt, qvatriduo poſt Corſöra cedetur, & milites inde evehi paulatim curabitur & tunc pariter Ducis Holſatiæ terræ ab omni R.M.Daniæ exercitu evacuabuntur. Confeſtim poſtea reliqvus exercitus & eqvitatus ex commodis portubus in naves traducetur & pariter Croneburgo avehetur, ita ut munimentum 15. die poſt Ratificationum permutationem vel cum 6. hebdomades poſt concluſam pacem præterierunt, omninò Danis cedatur atqve ſic tota Sialandia ab omni Svetico exercitu ſublevetur & liberetur.

XXIV.

Et ut qvando dictis terminis evacuatio munimentorum vel evectio ex urbibus & provinciis fit, incolis nulla vis aut noxa inferatur, ſed omnia rectè procedant, certi Commiſſarii utrinqve aderunt, qvi ubiqve in provinciis, emporiis & trajectibus ſedulam curam & inſpectionem habebunt, ne ſubditis aliqvid per vim aut prædationem auferatur, neu illis contra fas negotium faceſſatur, ſub debita pœna contra facientis. Et ut Svetico exercitui, qvamdiu in provinciis manet, neceſſarius victus dabitur, ita qvoqve in eo juſtus ordo & diſciplina obſervabitur, ut à ſubditis poſt concluſam pacem non plus capiatur vel exigatur, ſive ſit redemptio pro direptione vel aliud militare onus cujuscunqve nominis, qvàm qvo exercitus ad neceſſariam ſui ſuſtentationem indiget, ſecundum ordinationem à Commiſſariis utrinqve faciendam, qvamdiu hìc in Regno ſunt. Et ut evacuatio eò melius & citius impleatur, R. M. Daniæ nunc extemplo & in tempore vult mandata & omnes commodè ſitos trajectus in qvalibet provincia mitti facere, ut omnes apti lembi cum neceſſaria plebe nautica & inſtrumentis congregentur & in promptu ſint, velut etiam R.M.Sveciæ eodem modo in M.Ejus proximè adſitis locis neceſſaria navigia vult adduci, ut avectionis & evacuationis opus omni modo promoveatur, & nihil aliud qvàm vis major aut

jor aut divina, vel tempeſtas eos impedire poſſit. Omnes autem lembi & navigia cum neceſſariis nautis & aliis qvæ à parte Danica ad dictam evacuationem procurantur, absqve detentione & moleſtia, poſt ante memoratum iter confectum, ſtatim liberè dimittentur.

XXV.

Omnes illi ſubditi vel incolæ, qvibus placet ex dictis & ceſſis terris ac provinciis, in alias urbes & loca migrare, hoc licitum eis erit, dummodo hoc fiat ſecundum illarum provinciarum leges & civitatum privilegia, qvibus excedunt. Sed qvod ad iſthæc bona attinet, qvæ in hoc bello ſecuritatis cauſa in urbes illata ſunt, ea verus proprietarius absqve ullo impedimento & contradictione rurſus avehat.

XXVI.

Priora Pacta, nimirum Stetinenſe, Siöredenſe, Brömſebroenſe & Roſchildenſe, excepto tertio articulo, qvi hîc totus excluſus eſt, qvæ inter hæc incluta Regna antehac inita ſunt, omnino & in omnibus ſuis articulis invariata & in pleno ſuo robore & vigore, velut ante cœptum hoc bellum fuere, ac ſi ad verbum hic inſerta eſſent, permanebunt, in qvantum, mediante hoc Tractatu, non ſint mutata.

XXVII.

Et qva in 22. articulo Pacificationis Roſchildenſis conventum eſt, ut R.M Daniæ, Celſitudini Ejus Duci Slesvici Holſatiæ Gottorpii ex æqvitate ſatisfaceret, Et poſtmodo utriusqve partis tàm R. M. Daniæ qvam Celſitudinis Ejus delegati de eo inter ſe tractarunt & definitivè egerunt Hafniæ 12. Maji 1658. ideò hoc ipſo pactum & decretum eſt, ut omnia transacta accuratè obſerventur & omnibus modis exſecutioni mandentur.

XXVIII.

Si qvædam in hoc vel priori bello occurriſſent, qvæ inter R.M. & Coronam Daniæ & Celſitudinem Ejus Ducem Slesvici, Holſatiæ Gottorpii uno vel alio modo errorem, ſiniſtram interpretationem vel diffidentiam cauſari, vel ex ſeipſis gignere poſſent, vel etiam R.M. Daniæ & Ducali Ejus Celſitudine ſive inter ipſos vel eorum Miniſtros, famulos & ſubditos aliter qvam benè explicata eſſent; hæc omnia poſt hunc diem, tàm conſideratione internæ conſangvinitatis & ſpeciali reſpectu R.M. Reginæ Sveciæ, qvam ad inſtaurandum inter utramqve Regiam & Holſaticam Ducalem Gottorpicam Domum, firmam, ſtabilem & irrevocabilem amicitiam, nunqvam in alicujus detrimentum in memoriam revocabuntur aut urgebuntur, ſed

vigore hujus Pacificationis, utrinqve deponentur, oblivione ſepelientur & tollentur. Et vult R.M. Daniæ non ſolùm, qvum evacuatio hic in Daniâ fit, ſuum exercitum & omnes turmas è Celſitud. Ejus regionibus & urbibus educere, ſed etiam omnem adhibere induſtriam ad perſvadendum confœderatis ſuis, ut pari modo Celſitud. Ejus regiones, urbes & munimenta absqve mora & dilatione evacuent.

XXIX.

Qvicunqve Reges, Reſpublicæ, Status & Principes huic Paci cupiunt includi, poſſunt hoc apud utrumqve Regem qværere. Sed ſpeciatim huic includantur per expreſſum Imperator Romanus, Rex Poloniæ & Elector Brandenburgicus una cum ſuis Regnis, Electoratibus & regionibus; ita ut nec R.M. vel Corona Sveciæ qværat ullam actionem vel cauſam, ſub qvocunqve prætextu eſſe poſſit, contra ſummè memoratam Cæſ.M. Regem Poloniæ & Electoralem Sm. Brandenburg. propter ab illis in hoc bello præſtitum auxilium adverſus Coronam Sveciæ Ejusqve Confœderatos.

XXX.

Pari modo includitur his Pactis Dn. Anthonius Günther, Comes Oldenburgi & Delmenhorſtiæ Dominus in Jevveren & Kniphuſen, unà cum Ejus Feudalibus & Allodialibus ſucceſſoribus, cum Comitatibus, Dominiis, regionibus, bonis & juribus eò pertinentibus. Pariter qvoqve Dominus, Johannes Princeps Anhaltinus, Zerweſtenſis lineæ, qvatenus ad Jevveram attinet; Et Comes Antonius de Oldenburg, Lib. Baro in Warell & Kniphuſen cum ſuis Dominiis, regionibus & juribus.

XXXI.

Simul etiam conventum eſt, ut omnes ad Hanſeaticum Fœdus pertinentes Civitates, nullis exceptis hîc includantur ad fruendum liberis & imperturbatis ſuis commerciis terra mariqve in utroqve Regno. Atqve ſi aliqvod in hoc bello admiſſum eſſet, qvod unam vel alteram partem offenderet, hoc omne ſublatum & perpetua oblivione ſopitum erit.

XXXII.

Qvum autem juxta Roſchildenſem Pacificationem qvidam ſecreti Articuli pacti ſint, hîc noe repetiti, iidem in ſuo vigore permanebunt, ac ſi hîc verbotenus inſerti eſſent. Sed & qvæcunqve ſcripta, durante bello, ab uno vel alio, uni vel alteri nationi in præjudicium & offenſam edi potuerunt, hoc ipſo penitus abolebuntur, caſſabuntur & interdicentur, nec amplius in qvoqvam horum Regnorum edentur aut recudentur.

XXXIII.

XXXIII.

Omnia hæc in dictis & factis præſcripta, ab utraqve parte, fideliter, ſincerè & benè nunc & in futurum obſervatum & impletum iri, ideò promiſſum eſt, ut hæc Noſtra amicè inita Pacta & Conventiones ab utriusqve Regni Regibus, Rege Sveciæ Carolo & Rege Daniæ FRIDERICO III. propria manu & ſigillo ſtabiliantur & confirmentur, & in majorem cautionem ab utriusqve Regni Senatu ſubſcribantur & propriis eorum ſigillis corroborentur.

XXXIV.

Pactum etiam & conventum eſt, ut unus Regni Senatorum & Secretarius ex unaqvaqve parte, Helſingôræ conveniant, & 24. Junii habentes ſecum horum Articulorum Ratificationem utriusqve partis manu & ſigillo, ſecundum uſitatam Formam confirmatam ac ſtabilitam, ubi ſimul Svecici Commiſſarii Ceſſionis literas de Diſtrictu Trondheimenſi ſecum habebunt & eodem tempore Danicis Commiſſariis tradent in Pacis & concluſorum Pactorum firmamentum & conſtans robur in ulteriorem fidem & majorem cautionem, qvod hæc ita à Nobis, ut ante memorata ſunt in omnibus ſuis punctis facta, pacta conventa & concluſa ſunt & ex R. Majeſtatis Clementiſſimi Noſtri Regis & Sveciæ Coronæ parte, fideliter, firmiter & irrevocabiliter ſervabuntur & implebuntur, & Ratificatio poſtmodum ad dictum diem ſcribetur & tradetur, ideò hæc propriis manibus ſubſcripſimus & noſtra ſigilla ſuppreſſimus. Et qvia R. M Chriſtianiſſimi Regis Franciæ & Navarræ, ut & Celſiſſimæ Reipub. Angliæ, & Præpotentium Dnn. Generalium Ordinum Fœderatæ Belgicæ reſpectivè ordinarii Legati, Commiſſarii ac Deputati Plenipotentiarii pariter nomine ſuorum ſublimium Dominorum ac Principalium, in eò majorem ſecuritatem & confirmationem horum, promiſerunt, & universè tres Status junctim, mediante generali Gvarantigio, ut & ſinguli ſeparatim ſpeciali Gvarantigio ſe obligarunt, veluti ſe hoc ipſo optimo modo, & in ampliſſima ac tutiſſima forma, qvæ fieri poteſt, ſe invicem obligant & obſtringunt, qvod velint eſſe Gvarantii ac Fidejuſſores pro omnibus hîc peractis, qvod omnimodo & in omnibus ſuis Clauſulis hæc integrè teneri & in æternum obſervari, ut & in caſu contraventionis ex alterutra parte decenter vindicari debeant. Deinceps qvoqve, qvod velint ita diſponere ac conſtituere, ut eorum ſublimibus Principalibus Ratificationes ſuper omnibus his repræſententur & extradentur. Proinde ab illis non ſolùm ut Me-

diatoribus ſed etiam ut Gvarandis & Fidejuſſoribus ac vindicantibus, in caſu contraventionis ab alterutra parte deſideravimus, ut in ulteriorem fidem & firmius teſtimonium hæc nobiſcum ſubſcribere & obſignare velint. Actum in Caſtris ad Hafniam 27. Jun. Anno 1660.

Hugves de Terlon. (L.S.) *Al. Sidney.* (L.S.) *G. van Slingelandt.* (L.S.) *S. Roſerhant.* (L.S.)

Rob. Honyvvod. (L.S.) *P. Vogelſang.* (L.S.) *Steen Bielk.* (L.S.)

P. de Huybert. (L.S.)

S. W. Haren. (L.S.)

Formu

Formula Svecicæ Ratificationis horum Pactorum & Pacificationis.

NOs CAROLUS DEI Gratia, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex & Princeps Hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wendiæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wiſmariæ, ut & Comes Palatinus ad Rhenum in Bavaria, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. Notum hiſce facimus, qvod poſtqvam Nos præterito Februarii emiſimus noſtros Plenipotentiarios Commiſſarios ad conveniendum cum Potentiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dni. FRIDERICI III. Daniæ, Norvegiæ, Gothorum & Vandalorum Regis, Ducis Slesvici Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, dilecti Noſtri Fratris, Amici & Vicini Plenipotentiariis, Commiſſariis in Caſtris Noſtris ad Hafniam ab utraqve parte electis & approbatis, & ibi mediante Potentiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. LUDOVICI XIV. Fratris Noſtri, Conſangvinei & Fœderati, ut & utriusq; Reipub. Angliæ & unitæ Belgicæ, utrinqve Noſtrorum Amicorum & Fœderatorum interpoſitione, ad decidendum & componendum omnes exortos errores, diſſidia & bellum, eorumqve loco, ad ineundum & concludendum perpetuam pacem, fiducialem amicitiam & integram Vicinitatem inter Nos & Ejus Majeſtatem Regem Daniæ, & utriusq; Noſtrorum Regnorum Sveciæ & Daniæ ſubditos. Proinde bene memorati noſtri Plenipotentiarii congreſſi, & mediantibus ſummè memorati R.M. Regis Galliæ Senatore & Ordinario Legato, Illuſtriſſimo Dn. Hugone Terlon, Eqvite S. Johannis de Hieruſalem, ut & Sereniſſimæ Reipub. Angliæ Commiſſario & Plenipotentiario, Illuſtriſſ. Dn. Algemone Sidney, membro Parlamenti & Status Conſiliario, Dn Roberto Honnivod Eqvite & Status Conſiliario, ut & Præpotentium Dnn Generalium Ordinum unitæ Belgicæ deputatis Plenipotentiariis, Illuſtriſſ. Dn. Godefrido Slingeland, Senatore & Primario Aſſeſſore Dordrechti, Dn. Petro Vogelſang, Senatore & Syndico Amſterodami, Dn. Petro de Huybert, Secretario Dn. Ordinum Seelandiæ, & Dn. Wilhelmo de Haaren Grietmanno & Dn. de Bilt, ad Generalium Ordinum conventum, Hollandiæ, Seelandiæ & Friſlandiæ nomine Deputatis, eorumq; diligenti, provida & efficaci interpoſitione, tandem eò perducta res eſt, ut ſeqventi Dato omnia diſſidia, diſſenſiones, inimicitia & bellum tollerentur & obliterarentur & conſtans, irrevocabilis Pax, bona confidentia & amicitia in eorum

locum

locum iterum erigerentur inter Nos & Ejus Majeſtatem Regem Daniæ & Noſtra Regna ac ſubditos, & ſonat eadem Pacificatio verbotenus, ut ſubſeqvitur.

Inſerantur Pacta.

HÆc ſupra ſcripta Pacta & Pacificationem, in verbis, ſenſu & articulis ſonantia, ut ante ſcripta exſtant, Nos prælegi Nobis curavimus, & Noſtro Mandato ac Inſtructioni omnimodo conformes deprendimus. Proinde etiam ea approbavimus, confirmavimus, ſtabilivimus & implevimus, prout hoc ipſo Nos pro Nobis, Noſtris Hæredibus & Succeſſoribus, poſteris Regibus & Coronâ Sveciæ approbamus, confirmamus, ſtabilimus & implemus, qvam optima formâ fieri poteſt & valet. Et pollicebimur ac promittemus Regiâ Noſtrâ fide ac veritate, qvod hæc à Nobis, Noſtris poſteris & Succeſſoribus, ut & ab omnibus Noſtris Senatoribus, Præfectis, miniſtris & ſubditis fideliter, firmiter & irretractabiliter in perpetuum tempus ſervabuntur & implebuntur. In ulteriorem certitudinem, cautionem & confirmationem hæc Regio Noſtro hîc inf. affixo Sigillo, ut & reſpectivè Noſtræ ſummè honoratæ & dilectæ Dominæ Matris unà cum Noſtrorum Tutorum & Regni Noſtri Senatorum dilectorum propriarum manuum ſubſcriptione & Sigillis confirmavimus. Datum in Regia Noſtra Reſidentiæ Arce Stockholmiæ, 14. die Junii Anno 1660.

Hedewigh Eleonora.

L.R.S.

Petrus Brahe, R. Drotſetus. Thuro Sparre, loco R. Marſchi. Canutus Poſſe, loco R. Ammiralis.

Magnus Gabriel de la Gardie, R. Cancellarius. Guſtavus Bielke, loco R. Theſaurarii.

Locus Nominum & Sigillorum Regni SVECIÆ Senatorum.

Formu-

Formula Danicæ Ratificationis horum Pactorum & Pacificationis.

NOs Fridericus Tertius, Dei Gratiâ, Daniæ, Norvegiæ, Gothorum & Vandalorum Rex, Dux Sleſvvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorſtiæ, Notum & teſtatum facimus, qvod poſtqvam Nos præterito 23. Febr. emiſimus Noſtros plenipotentiarios Commiſſarios ad conveniendum cum Potentiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dni CAROLI, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Regis & Principis Hæreditarii, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Scaniæ, Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Wismariæ, ut & Comitis Palatini ad Rhenum in Bavaria, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis, dilecti Noſtri Fratris, Amici & Vicini, plenipotentiariis Commiſſariis in loco inter Reſidentiæ Noſtræ Urbem Hafniam & Svetica Caſtra ad Brenshöy, ab utraq; parte electo & approbato & ibi mediante Potentiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini, Dni Ludovici XIV. Fratris Noſtri, Conſangvinei & Fœderati, ut & utriusq; Reipubl. Angliæ & unitæ Belgicæ, utrinq; Noſtrorum Amicorum & Fœderatorum interpoſitione ad decidendum & componendum omnes enatos errores, diſſenſiones & bellum: eorumq; loco ad ineundum & concludendum perpetuam pacem, fiducialem amicitiam & bonam conſvetudinem inter Nos & Ejus Majeſtatem Regem Sveciæ & utriusq; Noſtrorum Regnorum Daniæ & Sveciæ ſubditos. Propterea benè memorati Noſtri Plenipotentiarii congreſſi & mediantibus ſummè memorati R. Majeſtatis Galliæ Senatore & ordinario Legato apud R. Majeſtatis Regis Sveciæ Aulam Illuſtriſſ. Dn. Hugone Terlon, Eqvite S. Johannis de Hieruſalem, ut & Sereniſſ. Reipub. Angliæ Commiſſario & Plenipotentiario, illuſtriſſ. Dn. Algernone Sidney membro Parlamenti & Status Conſiliario Dn. Roberto Honnivvod Eqvite & Status Conſiliario, ut & Præpotentium Dnn. Generalium Ordinum unitæ Belgicæ deputatis Plenipotentiariis, illuſtriſſ. Dn. Godefrido Slingelandt, Senatore & primario Aſſeſſore Dordrechti, Dn. Petro Vogelſang, Senatore & Syndico Amſterodami, Dn. Petro de Huybert, Secretario, Dnn. Ordinum Selandiæ, & Dn. Wilhelmo de Haaren Griemanno & Dn. de Bilt, ad Generalium Ordinum conventum, Hollandiæ, Selandiæ & Friſlandiæ nomine Deputatis, eorumq; diligenti provida & valida interpoſitione, tandem res eò deducta eſt, ut ſeqventi dato omnia diſſidia, inimicitia, diſſenſiones & bellum tollerentur & obliterarentur & conſtans irrevocabilis Pax, bona Confidentia & amicitia in eorum locum iterum erigerentur

tur inter Nos & Ejus Majeſtatem Regem Veciæ & Noſtra Regna ac ſubditos, ut ſonat eadem Pacificatio verbotenus ut ſubſeqvitur

Inſerantur Pacta.

HÆc ſupra ſcripta Pacta & Pacificationem ita ſonantes in verbis, ſenſu & articulis ut ante ſcripti ſunt, Nobis prælegi curavimus & Noſtro Mandato & inſtructioni conformes deprehendimus, proinde eas approbavimus, confirmavimus, corroboravimus & implevimus, prout eas hoc ipſo pro Nobis, Noſtris poſteris Regibus & Succeſſoribus Daniæ & Norvegiæ Coronarum univerſis approbamus, confirmamus, corroboramus & implemus, in omnibus ſuis punctis, qvam optime fieri poteſt. Volumus etiam hoc ipſo promittere & polliceri Regia Noſtra fide & veritate, qvod hæc à Nobis, Noſtris poſteris, Succeſſoribus ut & omni Noſtro Senatu, præfectis, Miniſtris & ſubditis fideliter, firmiter & irrevocabiliter in perpetuum tempus ſervabuntur & implebuntur. In ulteriorem certitudinem, cautionem & confirmationem, hæc propria manu ſubſcripſimus & Regium Noſtrum Sigillum inf. affigi curavimus; ut & in majus firmamentum inf. ſcripti Noſtri dilecti Regni Senatores, qvotqvot hoc tempore adfuerunt ut ſunt &c. &c. &c. hæc propriis manibus ſubſcripſerunt, & ſuis Sigillis obſignari fecerunt. Datum in Arce Noſtra Hafniæ 23. Junii Anno 1660.

L.R.S

Locus Nominum & Sigillorum Regni DANIÆ Senatorum.

FINIS.

IN HISTORIAM SVECANAM
INDEX I.
RERUM ET VERBORUM.

Abbas à Chriſtierno II. ſubmerſus 195
Aboæ urbis incendium 214
Aboënſis arx 132. 357
Aboënſis Academia 704
Academiæ Jeſuiticæ 391
Acciſum Sveciæ regno novum vectigalis genus 546
Achatius Benedicti 362
Achatius Claudii 269
Achatius Johannis, Oſtrogothorum Præſes & ductor 173
 Ejus mors incerta 178
Aciem inſtruendi prudentia Guſtavit 335
Acus in ludibrium miſſa Margarethæ reginæ 112
Adalbertus Epiſc. fidem propagat in Svecia, 68
Adamus Bremenſis 60
Adelus Rex Svec. 37
Adminiſtratio regni Svecici 157. 158. ſ. 424
 rege abſente per primores 428
 abſoluta ſit oportet 423. 429
 diſtincta eſt à titulo regio 431
Adoleſcentulus dictus Johannes rex Svec. 82
Adolphus, Dux Holſatiæ, Eliſabethæ, reginæ A. nuptias ambit. 343
 Haſſiæ Landgravii filiam ducit in matrimonium 357
 Cæſarearum copiarum Dux Polonis opitulans contra Guſtavum II. 557
 in Lipſienſi prælio occumbit, 588
Adolphus Rex Svec.
Adolphus Johannes, Caroli Guſtavi R. S. Frater, Princeps, Polonos ad Gneſnam cedit 780
 ad Pragam ſtrenuè ſe gerit 783. *ſeqq.*
 abeunte rege in Daniam accipit Imperium in Boruſſiam 802
 Cura & induſtria ejus in Boruſſia 803. 813. 849
Adolphus Wilhelmus, Dux Vinar. fortiter agit 851
Adverſariis ſuis qvomodo ſe exhibuerit Carolus Canuti 154
Æmulatio inter æqvales 138
 inter Legatos turbat publica negotia 327
Æqvivocatio Sigismundi R. S. in defenſione Religionis 418
Ærarium Erici IX. qvam ingens 75
Æſchillus Judex Provinc. Weſtrogoth. 71
Agnetholmum 127
Agnifitia unde dicta? 6. 55
Agnus Svec. Rex 6
 bellum in Finlandia gerit, *ibid.*
 ſuſpendio necatur ab uxore *ibid.*
Agricolarum leges 122
Akerhuſia à Chriſtierno obſeſſa 275
Alapa Sigridi Reginæ Sveciæ ab Olao Tryggonis, Norvegiæ rege, inflicta, ei vitæ jactura conſtitit 54
Alaricus Svec. Rex 29
Albertus Megapolitanus Svec. Rex creat 108. 109

odium incurrit ob indigenarum præ exteris neglectum 110
victus carceri mancipatur à Margareta 112
liberare exinde hunc tentant Mechelburgici Principes 113.116
cuſtodia dimittitur 117
reſignat Margaretæ jus in Svetiam *ibid.*
Gadebuſci obiit 118
Albertus, Dux Mekelburgicus, Veciæ regnum ambit 315
Svecos infeſtat 321
Albertus, Pruſſiæ Dux 284
Alefeld 233
Alerus, al. Alaricus, Rex Svecorum, Ruſſos in ordinem cogit, à fratre ob cupiditatem regni occiditur 29
Alexander VI. P.R. legatum ad Svecos mittit 174
Alfredus 30
Algothus Rex Svec. 19.39
Alienigenæ non facilè indigenis præferendi 90.110
Almerſtekia 126
Almetzrydenſis parœcia 33
Alo princeps Sveciæ obſcuri nominis 2
Alricus Svec. Rex 19
duello perit 20
Alſatia in Svec. poteſtatem redacta 614
eam petit R. Galliæ 644
Alverus Svec. Rex, lecto occubuit 29
A magia oppugnata à Svecis 834
Ambergæ Monachi inſidiis petitus R.G. 571
Ambitionis ingenium propinqvis etiam præferri cupiens 85
Amnis ad exceſſum Guſtavi Ad. & Car. Guſtavi ſiſtens 606
Amundus I. Sveciæ Rex 8
Amundus II. vel Hamundus Svec. Rex 25
Amundus, alias dictus *Brautamundus* 41
Anabaptiſtæ Svecia ejecti 233
Anclamia 673
Andernacum 614. ſeq.
Galliæ R. cedit 620
Chr. Andreæ epitaphium 324
Andr. Petr. in Rankbytten 200.205.247.277
Anglicus ſudor, morbus 269
Anglica claſſis à Svedis civiliter dimiſſa 844
Angvium nomen in feros homines 43
Angvilla à leonibus apprehenſa Chriſtiernus notatur 194
Annona felix dictus Ericus VIII. Rex 50
Annonæ caritatem ſublevat Guſtavus I. 258
Annonariæ leges 325
Annulus pronubus Olai Tryggonis R. Norveg. adulterinus, Sigridi reginæ Svec. dono miſſus, occaſio prima offenſæ Sigridis 53
Annulus qvidam dictus *Svedorum porcellus* 15
Annus novus Ruſſorum à Septembre 790
Anna, Johannis III. filia nata 199
Anſcharius Bircæ eccleſiam fundat 41.861
Olaum convertit 48
Anundus Wiſturi fil. 5
Anundus Rex, dictus *Carbonarius* cur? 65
Apologi inſinuantes magnatibus veritatem 61
APOPHTHEGMATA Regum Sveciæ, & illuſtrium virorum, ex pluribus pauciora & breviora.

S. ERICUS: *Mea mihi ſufficiant, veſtra votis ſalva ſint, non expeto veſtra tributa: poſteritas indigebit.* Rex ad ſubditos ſuos tributa ei offerentes. 75

IVARUS JONA BLAA ad Birgerum Jerl præ filio ſuo regnum ambientem (etſi diſſimulabat) qvod ille puer eſſet, & interrogantem: Ecqvem filiô meo præterito ſumetis Regem? Ivarus concuſſâ paulum tunicâ ſuâ: *Ex hac*, inqvit, *alium producemus.* in V. Waldem. 85

MAGNUS LADULÅS, qvum frater ejus Waldemarus ab ipſo victus & captus benignè ſecum agi peteret, ad fratrem ſuum ita: *Se non oblitum eſſe fraternæ charitatis, nec unqvam ad hæc extrema deventurum, niſi rem ad uxori*

uxore ſua inſtigatus, tam infeſto ipſum odio & contemtu proſecutus fuiſſet. Se tamen magis qvid ſe deceat, qvam qvid ille admiſerit, nunc in conſilio habere, nec in re victoris, ſed humanitatis lege in Regem uſurum. Et cum dicto interventu, amneſtiâ factâ, ipſi conceſſit Gothiam, ſibi retinuit Sveciam. 88

Qvum Torchillus Canuti R. Marſchus Regi Birgero Magni ſvaſiſſet, partem decimarum, qvæ pauperum ſubſidium erat, ad ſexennium in ſuos uſus convertere. Præſul Upſalienſis *NICOLAUS* eum ſeriò monuit: *Ut ita Regis utilitati conſuleret, ne fama ejus avaritiæ labe inqvinaretur, & cujusvis mancipii nomine vilior haberetur; ipſam verò rempubl. in diſcrimen adduceret.* in V. Birg. Magn. pag. 97

Cavillus *MARGARETHÆ* trium regnorum Reginæ in Svecos, arces & provincias regni, ab indigenis, non extraneis contra datam fidem adminiſtrari volentes: *Vos veſtra diplomata & privilegia bene ſervate, mihi curæ erit cuſtodia arcium & propugnaculorum.* in V. Margar. p. 119

Item ejusdem ad Ericum Pomeranum, ſui ſucceſſorem: *Svecia te nutriet, Norvegia te veſtiet, Dania te defendet.* in V. Eric. Pomer. p. 122

CAROLUS CANUTI ad Nobiles qvosdam ſupra facultatum ſuarum modum impenſam facientes: *Ne pedes ultra ſtrata porrigerent, aut majores nido pennas extenderent.* 131

Idem ingreſſus navem, regno excedendi animo, à qvodam præfectorum rogatus, *Num qvid oblitus eſſet?* reſpondit: *Hoc ſe ſolùm oblitum eſſe, qvod ipſum & alios hujusmodi dudum patibulo non ſuffigi curâſſet: ſic enim regno non exterminatum fuiſſe* in V. Car. Can. p. 149

CHRISTIERNUS I. ad minas fulminis excommunicationis Pontificis, ob incluſum cuſtodiæ Archiepiſcopum Johannem, negabat: *Se incluſiſſe illum ut Archiepiſcopum, ſed ut hominem de mundo, qvi militaria ac civilia tractaret, & ſacro ſe munere abdicâſſet, perjuriiqve reus eſſet.* in V. Chriſt. I. p. 151

Qvum Lubecenſes & alii, nec pauci Senatorum regni Regi *GUSTAVO I.* perſvaſum iviſſent, à Severino Norby ac Danis repetere armis Gothlandiam, ille non ſemel movit caput, aut negans aut differens eis conſenſum ſuum. Illi verò hoc timidæ mentis ſignum interpretantes, ad majorem perſvadendi vim adduxerunt exemplum Stenonis Sture ſenioris, ejusqve, præter alias virtutes, præſentem & cordatum animum laudârunt. Rex autem reſpondit: *Se nunqvam, ut degeneres & ignavi, formidoloſum fuiſſe, nec tamen ſecurum, animô præſentire, nec verbis diſſimulare poſſe, hoc inceptum parum feliciter eventurum Regno Sveciæ. Qvin ſe metuere, qvod in proverbio dicitur, ut, qvum duo canes de uno oſſe contendunt, tertius ſuperveniens illud abripiat,* qvod etiam Dani fecerunt, & ille ut vates prædixit. 227

Idem ad Andream Bildium, regni Daniæ Senatorem, Regem ut juvenem & juris Gothlandiæ parum peritum, in conventu Malmogienſi arguentem ita: *Qvid ais, Andrea? Juvenis diligenter ſciſcitando tàm in præterita redire, qvam ſenex ea comperiendo & memoria conſeqvi poteſt.* in V. Guſtavi I. p. 229

Idem Dalecarlis tumultuantibus: *Illis jam inſaniendi, ſed ſibi ſuo tempore ulciſcendi ſpatium fore,* dixit. 271

ERICUS XIV. à præfecto morum in adoleſcen-

leſcentia ſua monitus, parcius ludere pila & trocho & plus ſeriis impendere, per jocum reſpondit: *Erici pilam & trochum aliqvando ſcribis aulæq; miniſtris aurea fore poma.* init. V. Eric. p. 347

Idem ad Johannem fratrem, neſcio qvæ inſana ipſi exprobrantem: *Imo*, inqvit ille, *tunc me inſaniiſſe dicas, cum te cuſtodia dimittebam.* in V. Johannis III. p. 381

JOHANNES III. tandem incepto de introducenda Liturgia deſtitit, videns *ſe dominum & regem conſcientiarum non eſſe* (ibid in f. p. 416.) ut ajebat.

JACOBUS Archiepiſcopus Upſalienſ. Stenonem Sture, plebem ſibi adjungere qværentem, neglectâ Senatus autoritate monet: *Ut ſe componat ad procerum voluntatem & amicitiam, cedatq; tempori. Non eſſe qvod adeò fidat plebi vel ruſticis, memor patrii proverbii: Si plebi permittatur adverſos reconciliare dominos aut ſuperiores, vel omnes aqvaturam vel ad infima redacturam omnes.* 166

Qvum Rex *JOHANNES II.* coronatus Proceres regni ſplendido excepiſſet conviviô, illis dimiſſis, ex circumſtantibus qvæſivit, *Numqvid convivio defuiſſet?* Reliqvis ſilentibus, unus adulatorum reſpondit: *Qvum omnia laudatiſſime apparata eſſent, unum duntaxat defuiſſe, nimirum qvi perfidos gladio feriret, ut reliqvi exemplô territi fidem ſervare diſcerent.* Rex illum cum hoc atroci conſilio in malam rem abire juſſit. *Nec enim ſe commiſſurum, ut tanto flagitio conſcientiam ſuam maculet, aut ab illa immanitate imperium auſpicetur.*

CAROLUS IX. juratò adſeveravit: *Se regnum non expetere, ſed qvietem regni:* qvæ diſtractis diverſâ religione animis, ſperanda non eſſet. Vid. & circa finem Vitæ ejus.

JACOBUS DE LA GARDIE Comes Polonis jactantibus, ſe Ruſſia non exceſſuros, priusqvam acie cum Svecis decertaſſent, ita ad Regem ſcripſit: *Se non commiſſurum Svecia & Ruſſia ſalutem incerta prælii alea & Ruſſorum inconſtantia, ſed ſe copias ſuas intra tuta loca contenturum, donec plura auxilia ex Svecia advenirent.* 484

GUSTAVUS ADOLPHUS, Secundus & Magnus, in bello contra Polonos ad Dantiſcanum corpus glandibus plumbeis transverberatus, qvæ à chirurgo extrahi non poterant: *Hæreant*, inqvit, *non degeneris vitæ monumenta, magnus regem decet animus in corpore non effœminato.* 550

Idem cum Mevam, Pomerelliæ oppidum, feliciter expugnaſſet, ad Johannem Botvidi, ſacrorum antiſtitem converſus, *Non infeliciter*, dixit, *adverſus hoſtem armis decertatur, qvum Moſes in monte precibus pugnat:* Perceperat enim, qvod pius ille Præſul durante prœlio in collem cum ſuis ſeceſſiſſet, & pro felici rerum progreſſu DEum ſupplex oraſſet. 554

Qvum idem in Pomerania ad Rudenſem portum exſcendiſſet in terram, arma moturus contra Cæſarem in genua provolutus à Deo proſpera petiit, memorabili ad circumſtantes dicto: *Pietatis comitem armorum felicitatem eſſe, nec tàm cauſa eorum qvàm precibus militantium victoriam annuere Dei favorem.* 569

Qvum milites Stetini munimentum ſegnius elaboraſſent, & centurio remiſſius urſiſſet opus, in carcerem conjectus eſt, fruſtra cauſatus ſævitiam fri-

gorís;

goris; hoc à Rege addito monito: *Semper terram gelu conſtrictam pro ſegnibus porcis eſſe, ut proverbio vulgi dicitur. Quæ differri non poſſunt, fruſtra excuſari, nec nimis urgeri. Cum arduis contentione virium atque pervicaci induſtria, cui tandem cedant, eſſe certandum. Id ſolum homini difficile obvenire, quod ex animi torpore aggredi negligat aut metu recuſet.* 577

CHRISTINA Regina inter præcipua imperii ſui & meritorum decora reputabat, tam diu exoptatam pacem Sveo-Germanicam à ſua parte confectam eſſe 746

CAROLUS GUSTAVUS prælio Polonorum ad Pragum ingruente, & aliis illud ob tantas vires hoſtium Regi disſvadentibus, ille paucorum ſententiam ſecutus, *præſtare generoſam mortem ignavæ formidini vel turpi fuga vel hoſtili jugo,* dixit, ipſique feliciter ceſſit. 784

Ad Electorem Brandeburgicum, ſocium prælii, hæc protulit verba: *Hic eſſe campum, in quo oſtenderent mundo, quales eſſent viri.* Ad legatum Gallicum: *Se optare hîc omnes ſuos ſibi objectari hoſtes, quos in hoc campo unâ eademque operâ ſe ſuperaturum ſperaret.* 784. Aliqvando etiam dixit: *quò plures hoſtes, hoc majorem virtutis in difficilibus & arduis exercendæ materiem fore.* qvæ heroicum animum oſtendebant. 853

Idem Polono nobili Stetini aſſeruit: *Nunquam ſibi vel cogitatam vel expeditam fuiſſe hoſtium ſuorum extra aciem internecionem. Quod ſi hactenus multa admiſſa fuerint vel ex ſolito belli more, vel inſolitâ nonnullorum tribunorum licentia, & quicquid aliud odioſorum exemplorum eſſe poſſit, hæc vel ſe invito, vel in ipſo rebellionis Polonorum æſtu facta eſſe.* Iſthæc juſtum belli gerendi modum & ſcopum ſapiebant 854

Apotheoſis Svecorum Othini 3
 Freiæ ibid.

Appellationes ad regem extra regnum non conceſſæ 427

Aqvâ mulſâ perit Siolmus Sveciæ princeps 4
 Hundingus 10

Aqvæ periculo liberatus Guſtavus I. 26

Aqvæ penuriâ deditur Polonis Wolmaria 454

Arbogenſis Conventus, *vide* Conventus.

Arbogæ incendium 156.237

Arbores frugiferæ non cædendæ 338.339

Arborum cæſor dictus Olaus Rex 47

Arcemboldus, Leonis X. Orator in Sveciam indulgentias cauponandi cauſa miſſus 180.ſeq.

Archidiaconi Collegium à qvo 84

Archiepiſcopus in Svecia primus 79
 Miles 149
 vinculis traditur 151
 iisdem dimittitur 154

Archiepiſcopatum Magdeburgenſem poſſidet Svecus 611

Arcûs nimius ſonitus 54

Arendatores 547

Arma geſtare prohibitum Studioſis Upſalienſibus 523

Argentifodina in Lapponia reperta 626

Arhoſia 156

Arnhemius, Cæſar. Dux contra Guſtavum Adolphum pugnat 561
 cæditur ab eodem ad Nagothum fl. 562
 Pragam fruſtra adoritur 639
 captus in Sveciam mittitur 670
 dolo è carcere elabitur 685

Armis parta armis retinenda 31

Aro Torgilli Scriptor vitæ S. Olai 62

Arthus 39

Arvidus Gothus 206.210.236.237

Arvidus Nicolai 194.213.214.262

Arvidus Trollius 155

Arvidus Aboënſis Epiſcopus naufragio periit 214

Arx Aggerhuſiana fruſtrà obſeſſa 370
 Nicopenſis deleta 102

Vadſtenenſis & Upſalienſis à Guſtavo I. fundata 326
Asboda 201
Aſcenſionis Chriſti feſto cæſus Ericus IX. 177
Aſchenbergius 773. 793
Eqveſtri dignitate à R. Carolo X. ornatur 794
Aſgothus præfectus in patibulum actus 56
Asloja 275. 370
Aſmundus Sveciæ Rex 8
haſta trajectus 9
Aſſecuratio regum Svecicorum 417. 504
Aſtris, Olai Skötkonung, filia S. Olai R. Norveg. uxor 60
Aſtrologiæ peritus Ericus XIV. R. S. 347. 379
Aſtrorum infelix poſitus in nativitate Erici XIV. 281
Atislus I. Sveciæ Rex 13
munificentiæ exemplum 14
à Rolvone vitrico & Urſa uxore expilatur 14
Atislus II. Svec. Rex 17
ejus exercitia corporis & animi in otio & pace 17. 18
in Daniam contra Wermundum bellum transfert, illud duello cum Frovvino finiens 18
Frovvini filii necem patris in Attilo doloſè ulciſcuntur ibid.
Auda, Wisburi R. uxor 5
Audax cognomentum juvenis 263
Augdoa regi Svec. traditur 54
Auguſtam Vindelicorum deditione capit Guſtavus Adolphus 594
Auguſtana Conf. invariata qvando in Svetia recepta 417
in eam jurare cogitur Sigismundus S. R. 418
Auguſtus, Brunsv. Dux, Neutralitatem impetrat à Svecis 690
Aularum mos vulgo, ex invidia & calumnia ſuſpiciones, diſſidia & odia parere 26
Aulicæ leges 325
Aunus Rex Svec. unde annoſus? 35
Aureo globo necatus Sigtrugus Rex Sv. 8
Auri cupido facit falſos homines 181
Auribus perceptus fragor necat 164
Aurium abſciſſio per ludibrium mortuo facta 843
Αὐτοχειρία amici pro amico 10. 11
aqvâ Rex Norvegiæ 54
per ignem, puellæ ob rivalem 26. 27
igne Ingelli II. 47
matronarum Wendenſium 395
navis incenſione 362. 558
Auxiliis externis qvantum fidendum 216
Avaritia decipit etiam prudentes, ſæpe ſacri ordinis homines 181
Axelius Andreæ 220
Axelius Bragde 228
Axelius Ugrupius 219
Axevaldia 127. 146

B.

Baazius, Scriptor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 233. 260
Bagge: Tordo B. 218
Jacobus B. 317. 334
Badenſis Marchio gener Guſtavi I. 306
Bahuſenſis ditio 54
Balbus cognomen Erici XI. 82
Balderus Danus ab Hothero rege Svec. occiditur 16
Balneum: in eodem oppreſſus Laurentius Petri 207
Balthicum mare navigant Holmenſes 322
Sveciæ rex aperit & claudit 351
Balthici maris dominium ſibi arrogat Walleneſtenius 559. 564
Balunga nemus 186. 205
Bamberga à Svedis obſeſſa 591
Capta 592. 614
Banca Holmenſis à Carolo X. inſtituta 792
Banerius præfectus arcis Juliæ Kalldenſis 198
Banner, Petrus, Guſtavum Adolphum aqva extrahit 496
Bannerius Francof. ad Oderam capit 835
Pragam cum Arnhemio fruſtra adoritur 639
à Saxon. Electore conventis metatis excedere jubetur 647.
Eum Saxo ut hoſtis perſeqvitur 652
contra Saxonem in Ducat. Mecklenburg. per-

pergit, oppida plura occupans 658
in Saxoniam movens Halam occupat 662
in Ducatum Luneb. movet 665
in Thuringiam ac Miſniam ſe confert 668
Torgaviam vi occupat 671
Lipſiam obſidens repellitur ab auxiliaribus copiis ſupervenientibus 672
Sacco, ut ludebant, incluſus evadit 676
Cæſareum ducem, Savilium, fundit 691
Hoffkirchium capit 693
Bohemiam intrat 692. *ſqq.*
victoria ejus ad Chemnitium 700
Progreſſus illius in Bohemia, in ſuperiori Palatinatu & Franconia 710
inde regreſſus in Miſniam morbo corripitur, & Halberſtadium deducitur, ubi deceſſit 714
Elogium, & Succeſſor ipſius 715
Barbyum 661
Baronatus honor ex amore erga regem 461
Baſilius Johannes, Magnus Moſcoviæ Dux, pacem confirmat cum Guſtavo I. S.R. 222. 249
de pace iterum mittit ad Guſtavum I. 332
ad eum legati è Svecia 337
in nuptiarum ſollicitatione poſthabetur Johanni III. R. S. 375
poſcit promiſſam ab Erico XIV. uxorem Johannis *ibid.*
cujus denegationem armis ulciſcitur 388
ſuperbas, impudentes & ſtolidas literas dat ad Johannem III. Regem S. 383. 384
Bavariam invadit Guſt. Adolphus 593. *ſeq.*
Baumgartner, à Cæſare ad Guſtavum I. legatus 311
Belgæ Chriſtiernum II. Svecorum Regem. copiis adjuvant 273
fœdus ineunt cum Svecis 243
Regem Dan. Fridericum, claſſe juvant contra Carolum Guſtavum R. S. 828
Eorum naves in obſidione detinet Carolus Guſtavus Rex 832
Eorum claſſis, Haffnienſibus auxilio miſſa, à Svecis profligatur 836. *ſeq.*
Bellenachius 204
Bellhold, Joachimus 358
Belli civilis clades plerumqve graves 81
Belli indictio qvando non neceſſaria 567
Bellicus Imperator mandatis (Ordre) non adſtrictus 715
Belli proſperitas varia eſt 851
Bellum lentè inchoandum, celeriter finiendum, 32
Benedictus Arvidi 313
Biugge 207
Erici 191
Jonæ 140
Nicolai 256
Benefacta malè locata 324
Beneficiorum nundinatio 138
Benevolentia ſubditorum ſpreta 73
Benevolentia civium erga mortuum regem 94
Bergram unde dictus Haldanus? 23
Berlinum obſidet Bannerius 659
capit Dewitzius 696
Bernburgum capit Admin. Magd. Chriſtian. Gv. 575
Bernhardus, Vinar. Dux, Manhemium capit 590
poſt occubitum Guſt. Adolphi S. R. prælium ad Luzenam abſolvit 604
Ratisbonam expugnat 624. *ſeq.*
Briſacum deditione capit 688
moritur 694
Teſtamentum ejus aperitur 696
Bero primus Rex Chriſtianus 39
Bero Claudii Regni Svec. Senator, 223
Beurerus Dionyſius 339
Gallus Erici XIV. Præceptor 347. 372
juſſu Regis trucidatus 373
Biblia Sveticè transferendi conatus 240
Bibliorum Sveticè verſorum editio prima 306
eorundem recenſio 456
Bibliotheca Brunsbergenſis à Guſtavo Magno occupata, & Upſal. Academiæ dono miſſa 551
Herbipolitana, poſt captam urbem, ab eodem Rege Upſalienſi Acad. donata 589

Mogun-

Moguntina expugnata ab eodem Regni Cancellario donata *ibid.*
Olomucienſis transmiſſa eſt Reginæ Chriſtinæ 717
Bielke (Steno): ejus encomium 681
Bilefeldia 613
Bille Eduardus Prorex Norvegiæ 360
Billenachius Epiſc. Fynenſis 189
Biorno I. princeps Sveciæ obſcurus 2
Biorno II. rex Svec. 38
Biorno III. Chriſtianus primus rex Svecorum 39
Fœderis cauſa ipſi cum Carolo Magno 40
Ejusdem bellum cum Gotrico Rege Daniæ *ibid.*
Bello compoſito, religio ab ipſo propagatur 41
Ejusdem leges *ibid.*
Biorno IV. 45
Potentium ſtudio & partium dolo ad regnum evectus *ibid.*
Biörno Legatus Regis Norvegiæ 57. ſq.
Biörnus 39
Birca 41
Bircenſes leges *ibid.*
Birckenfeld comes Palatinus Heidelbergam capit 620
Birgerus rex 39
Birgerus Jerl Prorex 84
ſibi filium in regno præferri ægrè fert 85
ejus perfidia *ibid.* & 86
Religionis & pacis ſtudia procurat 86
Holmiam condit *ibid.*
Birgerus, Magni filius, 94
in cuſtodiam traditur à fratribus 99
ex eadem iterum dimiſſus *ibid.*
fratres, fœdiſſimo carceri incluſos fame necavit 101
regno exauctoratur *ibid.*
in exilio decedit 102
Birgerus Nicolai 256.349
Petri, judex provincialis 95
Birka 41.55
Birkanæ leges 14
Birſæ, Lithuaniæ oppidum 550
Biſterfeldius, Claudius 280
Biturix, Scriptor Gallus 351
Blaſus dictus Ericus XI. 82
Blekingia: eam Guſtavus I. per Bernhardum à Mylen occupat 219
Eam Fridericus R. Daniæ fruſtra repetitum it 222
de ejus jure diſceptatio inter Svecos & Danos 228.230
Boëthius Nicolaus 211. 283
Tyrius 154
Bohemia vaſtata 694
Bollveſius 26
Bombardæ imbre madefactæ 480
ſilicis igne accenſæ 499
Bonde. Tordo Bonde, Caroli Canuti Regis cognatus R. Marſchus, vir fortis 146
indigna mors ejus *ibid.*
Olaus Bonde, militiæ Guſtavi I. præfectus 204
Borcholmium 163. 175. 179
Borganſa arx 125
Borkam occupat Carolus IX. R. S. 450
Bornholmia 142. 358
Boruſſia in poteſtatem R. Caroli Guſtavi venit 770
Botvildus, Rex Sveciæ 19
Bous Ruſſorum Princeps 16
Bracca Danorum 152
Brahæorum familia 73
Brahe (Petrus) Comes literatorum Mecœnas 704
ejus contra Danos geſta 808. ſqq.
Brandeburgicam principem in uxorem ducit Guſtavus Adolphus 535
Brandeburgicis locis præſidia immittit Svecus 581
Brandeb. Elector Magdeburg. & Halberſt. Epiſcopatum accipit 628
cum R. Daniæ Friderico III. contra Carolum Guſt. R. S. fœdus init 804.828
per Legatos fruſtra pacem à Carolo rege pro Dan. rege ſollicitat 832.
Braſchius, antiſtes, per ſigillum liberatur 191
fidem jurat Guſtavo 211
Brautamundus 38

cur ſic dictus 41
Breitenfelda: ad eam pugna Svecorum cum Cæſ. 718
Brema civitas Sveciæ ſubjectioni ſe ſubducit 752
usqve ad A. 1700. voto in Comitiis abſtinere tenetur 759
Bremenſis ditio Sveticis armis à vi Cæſarianorum liberatur 597
poſt mortem Joh. Friderici Adminiſtratoris, ejus poſſeſſionem Sveci ideo ſibi vendicant 645
Archiepiſcopatus, excepta urbe Brema, Friderico Principi Dan. ceditur 663 757
in ſecularem mutatus Sveciæ Coronæ conceditur 736
Ditionis totius & urbis motuum principia, cauſæ, pax & Svetici Imperii cognitio 756. ſeqq.
Archiepiſcopatus Coronæ Svec. ceſſit ex inſtr. Pac. 892
Civitatis pacta cum Carolo Guſtavo 895
Bremerförda 813
Brinna obſeſſa 738
Briſaci expugnatio à Duce Bernhardo feliciter peracta 614
Brodnitzia 560
Bromberga 781
Brunco mons 102
Brunsberga Jeſuitas expellit Guſtavus Adolphus 551
Brunsbergenſe Gymnaſium 402
Burſa mercatorum 100
Buntingius 367
Buxtehuda deditione capta à Svedis 597
de By regis Polon. legatus 761

C.

Cacus ſacrificulus paganus, accepta religione Chriſtiana viſum recipit 51
Cadaver Stenonis admordet Chriſtiernus II. 193
Cadavera triduum inſepulta 193
Cadaveri Wavaſoris aures abſciſſæ 843
Cæſareo-Svecici belli conſultatio 563. ſeqq.
cauſæ 567
continuatio poſt mortem Guſt. Adolphi 609
Cæſarianæ copiæ duce Arnhemio cum Polonis ſe jungunt adv. Guſt. Adolphum 561
ad fl. Rudam à Svecis cæduntur 568. ſeq.
Magdeburgum hoſtiliter expugnant 581
à Sveo-Saxonicis ad Lipſiam in fugam aguntur 587
in prælio Lüzenſi vincuntur à Sveo-Saxonicis 604
duce Gallaſſio Ratisbonam occupant 637
Cæſar fœdus Sveco-Evangelicum Proteſtantes ejurare jubet 582
Cajanaburgenſe caſtellum Carolus IX. extruit 462
Calamitas publica malè imputatur religioni 258
Calmarienſis arx fundata 76
obſidetur per Gaddum 175
eam rebellem vi expugnat Guſtav. 235. ſq.
occupat eandem Sigismundus è Polonia Rex rediens 436
ſed recuperat eandem Carolus Dux 444
obſidetur à Chriſtiano IV. Dan. R. 496
recuperatur iterum à Carolo R. S. 498
proditur perfidè Danis à Soomio 499
Guſtavo Ad. ex pacificatione ceditur 522
Calviniani nidulari conantur in Svecia 474
Calumniam repreſſit in ſuis Svanto Sture 180
Cambii menſæ 356. 792
Campanæ templi ad ſolutionem æris alieni raptæ 269. 270
earundem ſonus in dimidio hebdomadæ paſſionalis non auditus *vid.* Auctoris Antiqv. Sveog. 26
Campanas ſecum in Daniā abducit hoſtis 514
Canaſilius, Polonicus Legatus, ſucceſſionem Caroli X. R. S. turbare nititur 759
Canis Rex præpoſitus Trondhemenſibus 28
diſcerptus à Lupis 29
Canonicorum Regularium collegium à qvo 84
Secularium Collegium inſtitutum *ibid.*
Canutus Caroli 172

Canutus Daniæ Rex circumventus ab Ulfone 65. 70. 79
Canutus Folchungus in Regem Ericum Balbum rebellis 82
Canutus Svec. Rex 79
Canutus Poſſe 101
Captiva Regina Johannis II. à Stenone Sture bene habetur 171. 175
Captivus ſtratagematicè dimiſſus 154
Captivorum qvorundam animi 280
Carbonarius cognomen Amundi regis 65
Carcer: eidem incluſus Waldemarus moritur 94. 95
inclusi & fame enecti duo fratres regii 101
incluſus Magnus S. R. 109
Albertus 112
Chriſtiernus D. R. 196
Johannes Guſtavi I. filius 358. 374
Ericus XIV. R. S. 379. 380
Arvidus Erici 459
Carolus Gyldenhielm XII. annos 455. 524
Carelii ad Chriſtianam fidem converſi ſub Birgero Magni 95
Careliorum Limites *ibid.*
Metropolis Wiburgum *ibid.*
Careliæ diviſio inter Svecos & Ruſſos 104
Carmine decantarunt Sveci defunctorum laudes 1
Carnis eſus die Vener. aut Saturn. illicitus 249
Caroloburgum incendit Chriſtiernus Dan. R. 273
Carolſtadium exſtruit Carolus IX. S. R. 462
Carolus I. Princeps Sveciæ obſcuri nominis 2
Carolus II. R. Svec. 19
Carolus III. R. S. 22. 860
Carolus IV. R. S. 39
Carolus V. R. S. *ibid.*
Carolus VI. R. S. 44
gravem æmulum & adverſarium nactus in prælio occubuit 45
Carolus VII. R. 78
ejus lex de ſucceſſione *ibid.*
Archiepiſcopatum introduxit 79
à Canuto S. Erici F. occiſus eſt *ibid.*
Carolus VIII. *Canuti* cognomine, antea regni Mareſchallus & Curator 128. 130. 131
numeroſam familiam alit 131
rebelles domat 132
Ericum æmulum punit 133
alterum æmulum Chriſtiernum interimit 134
regnum poſtulat 136
Rex inauguratur 141
Gothlandiam recuperare fruſtra tentat 141 142
à Norvegis Rex poſtulatur 143
eum regia ſede movere ſtudent Proceres 144
Chriſtiernum, Daniæ regem, divexat 145 146
animos civium à ſe alienat 147
in Poloniam fugit 149
exul literas dat ad Upſalienſes 152
revocatur in regnum 153
eum inter ac Præſulem odia & bella 154
regni adminiſtrationem ejurat 155
reſtituitur iterum *ibid.*
ægrotus ſucceſſorem ſibi deſignat 157
Elogium ejus *ibid.*
Carolus IX. antea Sudermanniæ Dux à patre Guſtavo I. conſtitutus 326
ejus Jurisdictionem aſtringit frater Ericus S. R. 348
qvam itidem jam imminuere in comitiis meditatur Johannes Rex 399
diſſidium inter eum & Johannem ab initio imperii 404
Bonarum artium & literarum fautor 502
conjugium bis contraxit 502
eidem in Norby exiſtentem inſidias tendunt Dani 370
Ruſſi Legatos Holmiæ contra vim tutatur 378
Holmiæ fratrem Ericum, Ex-Regem, captum carceri injicit 379
fratris Erici exeqvias parum honorificas exaggerat 380
Liturgiæ liber eidem à fratre Johanne obtruditur 392
Miſſaticum hunc librum rejicit 393

Ruſſos

Ruſſos expellit Wenda 395
qveritur de Livonia per Sigismundum regem alienata 412
eidem ſumma belli creditur à Johanne III. S.R. 414
ante Sigismundi è Polonia acceſſum regnum adminiſtrat 416.417
fratrem advenientem è Polon. excipit 417
jurejurando fidem obſtringit regi 422
inſidias ſibi ſtructas declinat *ibid.*
Vicarius regni adminiſtrator conſtituitur in abſentia Sigismundi Polon.R. *ib.*
Gubernatoris pleniſſimi titulum ab Ordinibus accipit 424
Comitiorum decretis Pontificios turbatores Svecia ejicere vult *ibid.*
ob decreta Sudercopienſia à rege interpellatus per Legatos iisdem reſpondet 425.*ſeqq.*
à criminationibus per Sigismundum objectis ſe purgat 428
cujus Apologiæ Refutationem, Dantiſci editam, non dignatur reſponſo 436
Gubernationis munus depoſitum iterum recipit 431. 432
Arbogenſem conventum indicit, Proceres regni ad ſubſcriptionem coacturus 432. 433
Holmiam & alia oppida Finnoniæ occupat 433
Claſſem mittit Gedanum ad transportandum regem in Sveciam 434
expoſtulationi Sigismundi per legatos, reſpondet 434.435
contra regis adventum inimicum copias ſuas inſtruit 437
eidem Duci à Sigismundo proſcripti Dalecarli fidem ſervant *ibid. & ſeq.*
cum copiis ſuis Stegeburgum properat 438 *ſeq.*
nocte ab Edvardo, Badenſi Marchione, impetitur 439
Regem Sigismundum ad pacem cohortatur 440
Stongæbroënſi prælio regem fundit 440 *ſeq.*
provolutis genibus Deo gratias agit pro victoria 441
cum rege pacem in campo & poſtea Lincopiæ paciſcitur 443
cum S. P. Q. Lubecenſi ob naves detentas agit 444. ſq.
in Sigismundi emoti locum eligitur ac Sveciæ Rex deſignatur 447.*ſeq.*
coronatur 461
de regni Senatoribus aliqvot ſupplicium ſumit 448
Batavos ad conſtantiam erga ſe admonet 449
contra Farensbachium movet *ibid.*
Livoni ad eund. deſciſcunt 450
Borkam, cum pretioſa Farensbachii ſupellectile, occupat 450
Rigenſes damnis afficit deditionem abnuentes 451
Rigam obſidet 453
Zamoſcium, per literas duellum petentem, nihili æſtimat 453
varia ad regni ſtatum facientia ordinat 456 *ſeq.*
conjurationem adverſus ſe detectam punit 459
infeliciter impugnat Wittenſtenium 459
ad Kerckholmiam à Polonis ingenti clade afficitur 460.*ſq.*
Pace à Polonis fruſtra ſollicitata, militem conſcribit in Gallia & Hollandia 462
de pace cum Polonis tractanda conſultat 475
hemiplexiam patitur 476
Rigenſibus portum occludit *ibid.*
Johanni Baſilio Suisky, Czari, auxiliares mittit copias 477.*ſqq.*
belli ejusdem cum Chriſtiano IV. D. R. cauſæ & ſemina 489
Calmarienſem arcem contra Danos adjutum proficiſcitur 497
Chriſtianum R. D. ad duellum provocat 501
moritur, Strengneſiæ ſepultus 501
CAROLUS GUSTAVUS X. Nicopiæ natus 547
mater ejus Catharina decedit 688

ejus in regia Sveciæ aula educatio, & ſtudia Upſaliæ 754. 755
prima virtutum documenta in bello Sveo-Germanico approbat 718
Ante Imperii occupationem ſupremus militiæ Imperator factus ſuccurrit Kőnigsmarckio ad Pragam 744
exeqvitur Pacem Sveo-Germanicam 746
Princeps regni Sveciæ hæreditarius, & Chriſtinæ Reg. ſucceſſor declaratur & confirmatur 747. 748
Aſſecurationem ſcriptam dat ordinibus regni 748. 755
Upſaliæ ſolenniter inauguratur, acceptis à regina abdicante inſignibus 753, 755
nuptias celebrat cum Hedvvige Eleonora Holſatiæ ducis Friderici filia 755
motum Bremæ civitatis qvomodo compreſſerit & compoſuerit 756. *ſqq.*
Bellum aggreditur contra Polonos, & varios legatos ad Cæſarem, Elect. Sax. in Britanniam, & Ruſſiam mittit 760. *ſq.*
Legatos Polonicos audit & remittit 762. 763
Arvidum Wittenbergium Comitem in Pomeraniam & Poloniam præmittit *ibid.*
Rex ſubſeqvens Maſſurios ad Zacroſinum profligat 764
Regem Poloniæ Caſimirum Warſaviam usqve perſeqvitur, urbemqve deditione capit 765
Qvartiani ejus fidei ſe dant, ſed iterum ab eo deficientes 767
Cracovia certis pactis potitur, & toto ferme regno Pol. regem exuit 767. *ſqq.*
Ejus decretum de conſervanda vera religione 770
Fœdus icit cum Electore Brandenb. 769 770
Majorem partem regalis Boruſſiæ ſub poteſtatem ſuam redigit 770
Polonos ad Golombam cædit 774
Jariſlavia eos repellit Præmiſliam, & in urbe hoſtilibus copiis cinctus tandem liberatur 775
Sandomiriam arcem cum aliqvot Polonis eandem occupantibus incendi curat 776
Profligatis aliqvot Coniſpolzii & Vitepoſcii legionibus incolumis redit Warſaviam magna cum reginæ aliorumqve lætitia 776. 777
Dantiscanorum munimenta, Gerbinum, Liboporenſe & Hőfdenſe, Olivam & Stiblaviam capit 777. 778.
Ad literas ejus, bellum denunciantes, modeſtè reſpondent Dantiſcani, & tamen à partibus Caſimiri ſtare pergunt, 778
Hoſtiliter adoritur Dantiſcanos 779
Polonos ad Gneſam cedit 780
Brombergam per Marderfeld occupat 781
Ejus memorabilis victoria, ut & Electoris Brand. in prælio trium dierum ad oppidum Pragum 783. *ſqq.*
Ruſſum fœdus pacis æternæ rumpentem, & in Livonia graſſantem armis ultus eſt 789
Rigam à Ruſſo obſeſſam firmat & liberat 789. *ſqq.*
Inducias biennii à Ruſſo oblatas non prorſus repudiat 792
Ejus regium privilegium Holmiæ de Banca & Cambio datum *ibid.*
Polonos Cracovia ſtrenuè repellit 793
Cum Ragotſcio ſe jungit *ibid.*
Hoſti cladem ad Conitzium infert 794
Conventus Provinciales in ſua abſentia indicit de ſubſidiis bellicis 794
reſpondet ad cauſas à Domo Auſtriaca defenſioni Polon. prætextas 795
Per ablegatos ſuos ad Ordd. Imperii qveritur, eos in mediis conſervandæ qvietis publicæ adeò ceſſare 797
In decretum Francofurtenſe de communi fœdere conſentit 797
Cum Ragotſcio iterum arctius ſe conjungit 799

Ejus vigilans cura de felici rerum ſtatu *ib.*
Legatos varios mittit ad Turcam, Coſaccos, Zaporoviciam militiam, in Moldaviam & Wallachiam 799. *ſqq.*
Bretziam deditione capit, Ragotſcio poſtea traditam 801
Bello impetitur à R. D. Friderico III. 801
Electori Brandeb. reſpondet, excuſanti deſertionem ſocietatis regis 804
Conſilium prudens dat Ragotſcio, ſed qvod ab hoc negligitur 805
Per Comitem Petrum Brahe providè tuetur limites regni 808
Per Wrangelium Bremenſem provinciam ab hoſte liberat 813
In interiorem Holſatiam penetrat, hanc & Jutiam tributarias ſibi reddens 814
Legatum Brandenb. audit, & cum reſponſo remittit 814
Legatis Batavis non vult Senatum dare, anteqvam offenſæ ſublatæ 815
Fridericiuddam capit, & ipſam Fioniam glacie ſuperatâ 816. *ſq.*
Succeſſus habet proſperos in Dania & Norvegia 818
Moderatus ſibi & victoriæ, pacem petenti Regi Daniæ per Senatores annuit 822. 825
Ejus conventus & colloqvium Fridericiburgi cum R. Daniæ Friderico 825
Ruptâ per Dan. regem pace Roſchildenſi, ſollicitè conſultat de continuando bello 826
Legatos mittit ad Imperii Electores & Status Francofurtum 827
Belli Sveo-Danici continuandi rationes diſceptat 820
Cur Hafniâ non ſtatim oppugnatâ, Croneburgum per Wrangelium expugnarit? 831
In Croneburgi obſidione Hollandicas naves detentas relaxat, & excuſat ſe ad Ordines Hollandiæ 832
Hafniam & Amagiam propius urget 834
Periculum eidem imminens divinitus averſum 835
Navali prælio cum Batava claſſe, Holmiæ auxilio miſſa, decernit 836
Douglaſſium cum occultis mandatis in Curlandiam mittit cum exercitu, & ex qvibus cauſis 838. *ſqq.*
Expugnationem Hafniæ non ſemel tentat, qvamvis irrito conatu 841. *ſq.*
Britannicam claſſem, auxilio ſibi miſſam, civiliter dimittit 844
Langelandia, Falſtria, Lalandia & aliqvot navibus Hollandicis potitur 845. *ſq.*
Stetinum per Wurzium, Wrangelium & Schvverinum defendit contra Cæſareos Brandenburgicos 848. *ſq.*
Thorunium in Boruſſia amittit, & Fioniam in Dania: nec in Norvegia res ex voto ſuccedit 849. *ſqq.*
Comitia Gotheburgi habet 852
Malignâ febri correptus obiit, comendans ante Filium ſuum Carolum Reginæ & proceribus 852
Ejus elogium 853. *ſq.*
CAROLUS XI. natus 770. Rex deſignatur in comitiis Gotheburgenſibus & Stockholmenſibus 852
Carolus Gyldenhielm, Caroli IX. fil. à transfuga circumventus profligatur 450
Polonorum Ducem Liskovitz per inſidias cædit 451
Jano Radzivilio victoriam facit cruentam 452
Wolmariâ occupatâ, cuſtodiæ mancipatur 455
è captivitate poſt XII. annos dimittitur 524
Carolus Philippus, Svec. Princeps à Ruſſis Czar poſtulatur 498. 503. 514
vanâ autem ſpe ab iisdem lactatur 523
Narvæ obiit 546
CASIMIRUS Pol. R. ſucceſſionem & titulum Sveciæ regni ambit 760. 761
per legatum ad R. S. Carolum X. bellum deprecatur 763
ab eod. Carolo S. R. in fugam agitur 765. 766
à Cæſare & Pontifice copiis adjutus in Poloniam

Ioniam ab exilio redit 772
memorabili victoria ad oppidum Pragum à Carolo X. & Elect. Brand. vincitur 783. ſqq.
Caſimiria à Svecis expugnata 766
Catecheſis Heidelb. Svec. fruſtra obtruſa 474
Catena ferrea flumen clauſum 55.84
S. Catharinæ Holmiæ templum 193
Cati, genus machinæ 116
Cauſa indicta damnans tribunal 371
Cenſum Imperatori Romano num miſerit Rex Sveciæ? 51.52
Cerebroſus dictus Rex Ragvaldus 72
Ceremoniarum harmonia 260
cura nimia in Polonis notata 554
Chemnitzium 691.700
Chotkevvitz, Polon. Præfectus, Carolum IX. R. S. acie cædit 460. *ſeq.*
de Ducis Mansfeldici violatis induciis ad Svetiæ Delegatos ſcribit 462
Rigam obſidione liberat 476
Chriſtiana Religio in Sveciam migrans 39
ad eam converſus Biorno III. 41
Olaus I. 48
Chriſtiani à Stenchillo II. recepti 68
Chriſtianiſſimus dictus Rex Olaus II. 53
item Stenchillus II. 68
Chriſtianus Svecorum Rex primus fuit Bero III. 39
primus cur fuiſſe dicatur Olaus II. 53
Chriſtianopolis à Guſtav. Adolpho expugnata 496
Christiernus I. Dan. Rex Gothlandiam tuetur 142. 143
potentiam Caroli Canuti repreſſurus divexatur ab eodem 145. 146
Oelandiam occupat 147
ad Svec. Regnum evocatus inauguratur 150
theſauros regios in Daniam abducit 150
dictus *bulga fundo carens* *ibid.*
Archiepiſcopum in vincula conjicit 151
poſtea dimittit 154
eidem imperium abrogant Sveci 153
regnum fruſtra repetit 155
ſpem regni eidem faciunt Sveci 157
in bello cum Svecis ſagittâ os ejus transfoditur 159
moritur 160
Christiernus II. Johannis filius 168
in Comitiis Holmenſibus dicitur Rex S. *ibid.*
Norvegos tumultuantes compeſcit 172
in Svediam exercitum ducit 173
jam in adoleſcentia lupinus 174
tyrannis ejus portentis in nativitate ſignificata 196
Daniæ Rex factioſos habet in Svecia ad tradendum ſibi regnum 181. *ſeq.*
ſvaſu Pontificis Svecos exciſurus Holmiam obſidet 183
fraude tentat occidere Stenonem Sture juniorem 183.184
Svecos iterum adoritur 184
rex declaratur à Svecis 185
ſolenniſſimè inauguratus 188. 189
fidei & Sacramentorum ſpecie Tyrannus omnes ſecuros reddit 188
Sveonum Proceres & Epiſcopos antea ſibi ſuſpectos, hoſpitali fide exceptos trucidat 190. *ſeq.*
immani tyrannide proſternit cives Holmenſes 192
exhumari curat cadaver Stenonis 193
aufugit in Daniam 194
hac qvoqve ejectus recuperare tentat Cæſaris & Belgarum ope tria regna 255 & 273
Norvegiam occupat 273
Thuroni conſultori ſuo caput amputat 275
à Friderici Daniæ Regis claſſe vincitur 275
carceri incluſus 27. annos, moritur 196. 276. 325
Christianus III. Rex Daniæ 284
adjuvatur à Guſtavo I. adverſus Lubecenſium impetus 284. *ſeqq.*
fœdus cum eodem 287
victoriâ potitur 288
metuit ſibi à Friderico Comite Pal. 288. 290
inſcio & indignante Guſtavo pacem facit cum Lubecenſibus 291
ingratus eſt erga Guſtavum 292

monet

monet eundem ad fœdus Evangelium ineundum 298
inter eum & Guſtavum I. diffidentiæ cauſæ 299. ſeq.
ejus legatis à Guſtavo reſponſum 302
inſignia regni Svecici primus uſurpat 326
Christiani IV. D. R. cum Carolo IX. R. S. belli ſemina & cauſæ 476. 489
Grimmenſium faucium perſeſſionem molitur 508
cum Guſtavo Adolpho R. S. pacem init 516. ſeqq.
inter Cæſarem & Svecos partes ſuas de pace interponit 621
cum Chriſtina S. Regina, de cedendo ſibi Bremenſi Archiep. agit 645
ejus cum Chriſtina Svec. Regina Pacificatio Brömſebroënſis 865. ſeqq.
Chriſtianus Gvilielmus, Magdeb. Adminiſt. a rege Guſtavo Ad. auxilia petit 575
Christina Svec Regina, nata è matre Maria Eleonora 555
Patri Guſtavo Adolpho ſuccedit, Tutoribus ipſi conſtitutis 608
R. Cancellarium & Electores duos ad conſtantiam fœderis hortatur 642. 643
Baronatus honore ornat poſteros Henrici Wrede 461
à Batavis ſollicitat ſubſidia contra Hiſpanos 618
ob poſſeſſionem Bremenſis Archiepiſcopatus cum Chriſtiano IV. D. R. agit 645
Pacificatio ejus Brömſebroënſis cum Chriſtiano IV. R. D. 865
Gallorum amica auxilia in German. bello qværit 646
ad Electorem Brand. de Pomeran. ſucceſſione literas dat 648
Pragenſem pacem ſvaſu Ordinum rejicit 653
Ad Saxon. Electorem de Pragenſi Pace literas dat 655. ſeq.
Daniæ regi excuſat literis bellum ſuum Saxoni inferendum 657
Galliæ Regis Oratori ſui regni ſtatum ad animum revocat 659
Norlandicas navigationes concedit indigenis præ extraneis 669
Prætendit in Pomeraniam 670. 671
Wiſmariam Ducibus Meklenb. reſtituere abnuit Dano 678
ejus auſpiciis Aboënſis Academia erecta 704
de pace iterum agit, & de fœdere cum Gallo 705. ſeq.
ejus ſucceſſus in ſuperiori Palatinatu & Sileſia per Banerium, Königsmarchium, Stalhanſchium, imprimis per Torſtenſohnium in Saxonia, Luſatia, Sileſia, Moravia, 709. ſeqq.
ejus victoria de Francifco Alberto Duce Lauenb. cæſo 716
Olomuzium Moraviæ, & Lipſiam Miſniæ, capita capta 717. 718
Bello implicatur cum Danis 720
Fortunam experitur armorum ductu Torſtenſohnii in Holſatia, Jutia & Dania; & in mari per CL. Flemming, Carolum Guſtavum Wrangel, Thiſenium poſterioribus duobus ob id valde honoratis 722. 723. ſqq.
Reginæ octodecim annorum à Tutoribus traditum capeſſit regnum 730
Pacem init cum rege Daniæ 735
Ejus ſucceſſus belli in Bohemia & Moravia per Torſtenſohnium 736. ſq.
Statuta ejus de venatione, aucupio & ſilvis 740
Comitiorum Stockholmienſium ab eadem indictorum decreta 740
Succeſſus ipſius in Sileſia & Bavaria 740 741
Induciæ ipſius cum Bavaro & Colonienſi Elect. ſed ab his non ſervatæ 742
Succeſſus belli ipſius in Franconia & Bohemia, ipſa Praga capta 743. ſqq.
Pacem cum Cæſare diu deſideratam facit, experta tamen ejus difficillima & lenta tractatione 744. ſq.

Natalem ſuum XXIV. & ſimul feſtum diem Pacis Sveo-Germanicæ celebrat 747.
Epiſtolas duas dat ad R. Daniæ de novo vectigalis modo à Belgis in Dania ex pacto redemtionis inſtituto: ne ipſi regnoqve fraudi ſit *ibid.*
Splendide & ſolenniter coronatur *ibid.*& *ſeq.*
Externis, ex Polonia, motibus concutitur 749
Bremenſis urbis tumultus experitur 751
In Upſalienſibus Comitiis imperium abdicat, illudqve in Carolum Guſtavum, hæreditarium regni Principem transfert 752.*ſq.*
Ejus elogium ſummum 753.754
Ejusdem patrimonium 753
Chriſtophori leges qvænam? 137
CHRISTOPHORUS Bavatus Rex Dano-Svecicus Calmariæ renunciatur 136.137
regni theſauros abducere nititur 137
Rex Corticum dictus 138
Lubecam occupare tentat 139
Helſingburgi moritur *ibid.*
Poſt cujus obitum vicaria regni adminiſtratio fuit Benedicti à Saleſtad & Nicolai à Diursholm 140
Chriſtophorus Comes Oldenb. Dux Lubecenſium 282
Circuitionis regni morem aſpernans Rex Ragvaldus occiditur 73
ejusdem obſervator ultimus Carolus IX. 461
Claſſis, vela non dimittens, capta 358
Claſſis Svetica ſub Haqvino Ringone qvanta 32.33
ſub Birgero 95
ſub Guſtavo I. 287
Clemens P.R. ad Papiſmum ſollicitat Johannem S.R. 391
Clerici metationibus onerati 247.252
Cluſinenſi clade Sveci à Polonis affecti 486.*ſeq.*
Cnipperus Dollingius 233
Codex Juris Svecici 77
ejus recognitio 95
Cœlibatus Sacerdotum abrogandus in deliberationem venit 84
Cœnobia *vide* Monaſterium.
Colberga 363
Collegia regni qvinqve primaria conſtituit Guſtavus Adolphus 534
Colles Kiöl 64
Colloqvii ſpecie cædes qvæſita 10.183.184
Collybi menſæ 356
Colmaria in Svec. poteſtatem redacta 614
Columbula, meretricula 218
Cometa mali præſagus 100
Comitia declinata ob judices partium ſtudioſos 176
ſub Guſtavo Adolpho concordia ſumma inſtituta 555
Arbogenſia 130.290
Arhuſienſia 237.249.250.318
Calmarienſia 135.136.137.145.160.175.305 307
Hafnienſia 227
Halmſtadenſia 160
Holmenſia 243
Jönecöpenſia 224.227
Laodiſienſia 258
Lubecenſia 238
Malmogienſia 228
Orebrogenſia 260.305.316
Strengnenſia 219.266
Sudercopienſia 134.222.424
contra hæc proteſtanti Sigismundo R. Polon. reſpondit Carolus 425.*ſqq.*
& ordines ad literas Senatorum Pol. 471
Telgenſia 181
Vadſtenenſia 145.211.223.230.340
Upſalienſia 269.271.372
Comitiorum ſtatus dies per accidens non obſervatus 259
Commercia Hanſeaticarum civitatum cum Ruſſis 351
Svecorum cum Lubecenſibus interdicta 173.177.178
Commerciorum fœdus à Svedis petit Anglus 327
Svecos inter & Friſiam orient. 337

Con-

Concilium Orebroënſe 260
Scheningenſe 84
Conditionalis ambiguus ſenſus 411
Confeſſorum Chriſti protector Stenchillus II. 68
Congreſſus ſimulatione necatus Uffo 10
Conjugalis fides 9.12
perfidia 14
Conjugium Svec. Regum qvatenus reſtrictum 457. 749
Conjugia felicia inter hoſtes amicos factos 43
Conjugis erga maritum impietas 6
Conjugium Guſtavi I. cum extranea licitum 257. 268
Conjunctio regnorum *vide* Unio.
Conjuratio adverſus Guſtavum I. vino detecta 290
ejus literæ regi apertæ 262. 263
adverſus Carolum IIX. 144
Carolum IX. 459
Carolum Guſt. per bruta detecta 838
Cucullatorum fratrum 113. *ſq.*
Conjux perfida necat maritum laqveo 6
Conradus Epiſcopus Stregnenſis 167. 168.
Conſangvinitatis gradus qvatenus diſpenſentur 329
Conſilia prava ſeipſa produnt 169
conſultores perdunt 275
Conſtantiæ conventus Arbogenſis 432
Conſtitutio regni Svecici 305
Conventus Arbogenſis concordiæ à Carolo Gubernatore indictus 432
eidem intereſſe Ordines à R. Sigismundo prohibiti 432
Proceres & Senatores ob ſubſcriptionem ſe ſubducunt 433
Convivio hæreditario Ingeldus II. necat Duces Svec. 46
conf. de hoc convivio Antiqv. Sveog. 30
Convivium diſcurſu virtutum inſtructum 14
ejusdem ſpecie illectare in inſidias 90
189
Coporia Ingermanniæ propugnaculum 479
Cöpungia 125
Coronæ tres, vetus inſigne regni Svec. 111
illud aſſumit Chriſtianus Dan. R. incrępatus ideò à Guſtavo I. 326. 341
Coronationis Regis Svec. ritus peragit Upſalienſis Præſul 418
Corperus, Georgius 314
Corporis damna bonis animi penſata 62
Corporis exercitium regium 17
Corsholmia arx 125
Corvis devoratum corpus Ottari 37
Corylus Regis 100
Cos longa ab Alberto R. Margaretæ miſſa qvid ſignarit, & ubi nunc adſervetur 112
Coyet, Legatus ad Batavos Svecicus 815. 816
Cracovia à Carolo Guſtavo occupata 767
ab eadem ſtrenuè repellit Carolus Guſtavus Polonos 793
à Polonis deditione capta 805
Craſſus per ludibrium appellatur rex Norvegiæ 57
Cratzius, Ingolſtadio præfectus, capite plectitur 620
Creatio regis Svec. ſub dio 30
Croneburgum 288
arx à Wrangelio Archithalaſſo expugnatur 831
Cruci ſuffigit Joh. Magnum Chriſtiernus 192
Crumpius Stenonem Sture ſternit 185
Cucullatorum fratrum factio 113
Cüſtrinenſis tranſitus Svecis conceſſus 581
Cuniculi: Ex incenſis iisd. per aëra libratus præfectus qvidam ſalvus evaſit 48
cuniculis contra actis manus conſerunt ſub ſolo Rigenſes 539
Cuprum templorum hoſtis ex Svecia ſecum aufert 514
Curlandia à Svecis debellata 839
ſed Duci reſtituta 840
Curlandiæ Ducis ſedem Mithoviam, Guſtavus Ad. capit 545
Czarneckius Dux Polonorum 764. 772
Czirsko caſtellum 776

D.

Dackiana ſeditio & bellum 299. 300
ejus progreſſus 311

Dake ſopitur 313
ſeditionem renovat 315
ſupplicio afficitur 317
Dagerus, Princeps Svec. 6
ejus cum Danis bellum *ibid.*
à ruſticis interficitur *ibid.*
Dahlbergius 823
Dalburgum 127
Dalecarli oneribus ſævis preſſi ſub Erico Pomer. 123. *ſeq.*
violenti regiminis intolerantes 124
liberi & ingenui animi ſunt *ibid.*
contra ſævitiam præfectorum arma ſumunt duce Engelberto 125. 126
à Danis profligantur 167
ad ſeditionem excitantur à Guſt. Trolle 233
à perſonato qvodam Sturio 246. *ſeqq.*
ob id puniti 257
peregrinum veſtium habitum ex aula Guſtavi I. tolli petunt 247
confer Auctoris Ant. Sveog. 94
ad collationem æris campani iterum ſeditioſi fiunt 271
leges pacis Guſtavo I. præſcribunt 272
tandem puniti ſubjiciuntur 277
fruſtra contra Carolum Ducem concitantur à Sigismundo R. Polon. 437
ejusdem regis Legatos malè tractant 438
cum Gevalienſibus fidem Carolo Duci firmant *ibid.*
Dalecarlos Morenſes contra Chriſtiernum concitat Guſtavus 201. *ſeq.*
Dania à rege *Dane* dicta 7
ſubacta ad tempus ſub Hothebrodo 13
ſub Atislo 14
Hothebro 16
Roderico 17
Germundro 31
Ingemaro 38
Daneholmia 147
Daniæ regius ſangvis in una virgine reſiduus 27
Daniam invadunt Lubecenſes 282
auxiliaribus copiis juvat Guſtavus I. 283. 286. 287
Dani Svediam populantur 374
Sveciam ſubactam ad tempus tenuerunt ſub Syibdagero 8
Hadingo 9
Haldano Bergam 24
Danmarchiæ templum 77
unde dictum 78
Dano-Svecici belli cauſæ ſub Carolo IX. R. S. 476. 479
ſub Carolo X. 801
Danorum claſſi captæ illudit Ericus XIV. 358
cum Svecis bellum, per 8. annos, ſopitum 386
Dantiſcani Svecis liberum commeatum permittunt 284
eorum bellum cum Carolo Guſtavo X. 777
eorum modeſtum reſponſum ad regis literas 778
iisdem claſſis Danica & Batava auxilio veniunt 782
Vide & Gedanenſes.
Danubium 619
David Benedicti 154
Decimæ Eccleſiaſticæ in uſum publicum 234. 239. 389
Decimæ, pauperum in regis uſus male verſi 97
Defunctos reges carmine laudarunt Sveci 1
Demetrioſa 485
Demetrius fictus Czaris hæres 477
à Sigismundo Pol. R. ſubornatus 529
in urbe Muſcovia coronatur 530
ab auxiliaribus Svecor. copiis bis fugatur 479. 480. 531
à Polonis ob ſuſpicionem aufugit 485
Augdoa expellitur 498
Demminum capit Guſt. Adolph. 577
Deſidiæ nulla venia 207
Deſperatis pugna detrectanda 366
Deus retrogrado ordine *SVED* 407
DEI amicus, titulus 225
Deorum in numerum relatus R. Odinus 3
Deſperatio: cum hoſte deſperato non pugnandum 366
Diaboli illuſio in boreales ante relig. Chr. 80

Diar.

Diar & Drotnar præfecti 2
Dibena, Miſniæ oppidum 584
Dignerus princeps Svec. 5
primus *Konung* dictus 6
Dirſchaviam commeatu firmat Guſtavus Adolphus 552
Diſertus cognomen Erici III. 20
Diſſimulatio in religione 418
Diverſoria publica 93
Diverſorium regum Svec. apud Gothlandos 100
Domitzium 653. 689
Dolo juris color obducitur 184
Dolus ſeipſum ſæpe prodit arte irretitus 139
Domalder princeps Svec. 5
Odino ob famem immolatus 5
Domarus R. Svec. 5
Dominandi cupiditas 29
Dominatio ſuperba & ſæva ferit ipſum autorem 102
Dominationis arcanum flagitium 47
Domus pellis vitulinæ in urbe Wesby unde 100
Donavverda 593
Donavvſtavia arx ſolo æqvata 633
Dorpatenſis Academia in Livonia à Guſtavo Adolpho fundata 547
Dorpatum oppugnat Carolus IX. R. S. 450. *ſq.*
Dorſta 614
Dortmunda 614
Drekvörda 694
Driva 5
Drotnar & Diar præfecti 3
Drotningholmia 213
Drott, id eſt *Rex* 3
Drottning id eſt *Regina* *ibid.*
Drotta 5. 7
Duella abrogat Olaus II. 53
Duello perit Alricus rex Sveciæ 20
proſternit octo pugiles unus Haldanus 24
Duellum decretorium 17
legitimum olim 18. 19. 24. 44
recuſat Carolus VI. Rex Svec. 44
petenti Carolo IX. S. R. recuſat Chriſtianus IV. D. R. 501
Dunemundam occupat Carolus IX. 459
item Guſtavus Adolphus 534
Dux: ejus aſpectus milites conciliat 215
ejus cunctatio & ignavia qvam damnoſa 207
ſine Duce exercitus qvalis 187
Dygue vel *Dygui* Svec. Rex 5

E.

Ebbo Joh. Præſul Roſchildenſis 172
Ebrietatis effata 206. 208
Eccleſia prima in Gothia 41. 52
Eccleſiæ & Epiſcoporum bona ſuperflua, abuſu ſublato in verum uſum à Guſtavo I. verſa 241. 242. 255
Edictum ſangvinarium Chriſtierni II. vide in *Chriſtiernus* II.
de conſcriptione militum 211
Edſardi Comitis Friſiæ orientalis nuptiæ cum Catharina Guſtavi R. filia 342
Edsholmum 127
Eduardus Ehrenſtein 219
Eduardus VI. Angliæ Rex 327
Edvardus, Marchio Badenſis, dictus *furioſus* 439
Caroli Ducis Svec. exercitum adoritur *ib.*
Effoſſio cadaverum 193
Egillus Svec. Rex 35
à Tauro occiditur 36
Eiſtenus, al. Oſtenus, rex ab æmulis combuſtus 38
Eka 268
Elbingam deditione accipit Guſtavus Adolphus 551
Elbingenſis tractatus Sveonum cum Hollandis 815
Electio regum Svec. ex S. Erici & Caroli VII. poſteris 78
Elector Heidelbergenſis regnum Septentrion. ambit 288. 317
Elector Saxoniæ fœdus religionis cum Guſtavo I. expetit 298
Eliſabetha Chriſtierni II. conjux 193
Elfsburgenſis conventus 330

Elfsburgum à Danis occupatum 173.359
recuperatio ejus fruſtra tentatur 212.361
à Danorum obſidione liberatur 497
Danis iterum obſidentibus ab Olao Stråle deditur 508.509.510
Elias Diaconus, ductor militum 125
Eliſabethæ, R. A. nuptias fruſtra ambit Ericus XIV. R. S. 339. 343
Emmius Ubbo 338
Emundus rex *Gammel* dictus & *Slemma* 67
diſtinctione limitum Scaniam à Gothia ſeparat 67
Emundus, Weſtrogothiorum provincialis judex, prudens & moderatus 61
Engelbertus dux ſtrenuè Dalecarlorum libertatem vindicat 125. *ſeq.*
inermis obtruncatur 131
Engelbertus Guſtavum revocat ad Morenſes adverſus Chriſtiernum II. 203
Engelholmia 285
Engſio 214
Epiſcopi à Chriſtierno II. trucidati 191
Epiſcoporum avaritia colorata 240
Epiſcoporum faſtus ſupra regem 241
repreſſus à R. Guſtavo I. 250
Epiſcoporum confirmatio qvatenus à ſolo rege Sveciæ 404. *ſq.*
Epiſcoporum prædia fiſco addicit Albertus 110
Epiſcopus-miles 149. 151. 154
Gaddus 175 Trolle 181. 182
Epiſtolæ proditionis aut inſidiarum ſuſpectæ, qvid de illis faciendum 654
Vide & Literæ.
Eqveſtris Inſula 55
Eqvi lapſu periit Rex Sverckerus 4
Rex Adelus 37
Ingo Nicolai Regis Daniæ filius 72
Erfurdi præſidia locat Guſt. Adolphus 588
Bannerius 668
Erfurdia ad partes inclinat Saxonicas 680.682
Ericus I. Sveonum princeps 1
Scaniam & Cimbricas Inſulas primus Gothis colonis implevit *ibid.*
Ericus II. rex Sveciæ 19
Ericus III. dictus *Sapiens* 20
Ericus IV. 22 inſidiis occiſus 24
Ericus V. 39
Ericus VI. cognomine *Ventoſi Pilei* 49
Ericus VII. Victorioſus 49
Ericus VIII. dictus *felix Annona* 56
cognominatus & *Stenkil* 52
Ericus IX. qvo ſangvine ortus 75
pecuniam ſprevit *ib.*
conjuratione interimitur 77
oſſa ejus qvorſum translata 78
in SS. ordinem relatus *ib.*
Ericus X. 81
benè ordinat regnum *ibid.*
Ericus XI. dictus *Balbus* vel *Blaſus* 82
Ericus XII, à matre Blanca veneno necatus creditur 105
Ericus XIII. Pomeranus, rex creatur 120
uxorem ducit Philippam Anglicam 122
exſtruit Wisburgum 123
in leges regni peccat *ib.* & 129
eidem renunciant ordines regni 130. 135
regno excedens privatam vitam degit in Gothlandia 135
qvam eid. eripere tentat Carolus IIX. 141
Wisburgi obſeſſus hoſtibus illudit induciis 142
in patria moritur *ibid.*
Ericus XIV. Ejus natales prodigioſi 281
ſtudia & artes 347
ludi in juvenili ætate nimii *ib.*
mobilis & adverſus ſibi animus 368
princeps Smalandiam obtinet 339
contra patrem rebellis *ibid.*
nuptias Eliſab. R. A. fruſtra ambit *ib.* 354
fratrem Johannem ob has eo mittit vana ſpe redeuntem 342
ad Eliſabetham ipſe ire parat 344
tributum pro itinere ad eas indicit 355
Haſſiacas nuptias in ſpeciem ſollicitat 356
Lotharing. ducis ſororē fruſtra expetit 362
lictoris tandem filiam uxorem ducit 376
Rex Sveciæ dicitur 320
Parenti ſuccedit 347
inauguratur 349
ſeparat à ſe fratres ſuos, eorumqve juris di-

ctionem aſtringit 348
judicia inuſitata peſſimè inſtituit 370
in benè merentes & miniſtros iniqvus eſt 371
Livoniæ partem, Revaliam, ſibi vendicat 349. 350
Lubecenſium immunitates adſtringit 351
annuam cum Frider. D. R. pacem facit 354
adverſus fratrem Johan. hoſtiliter agit 355
captum eundem carceri tradit 357. 358
ex eodem dimittit 374
Danorum claſſi captæ illudit 358
acie Danorum vincitur 360
bellum terrâ mariqve renovat cum Danis 361. ſqq.
pacis conditiones à Daniæ R. oblatas reſpuit 368
Danos claſſe vincit 369
in Norvegiam irruptionem facit 370
Nobiles & ex ordinibus regni qvosdam trucidat 372
ſilvam & ſeceſſum fuga petit conſcientia agitatus 372. 373
promittit Moſcho uxorem fratris ſui Johannis 375
Holmiæ obſidetur à fratribus & Ordinibus regni 377. ſq.
imperio dejectus, carceris incola poſt novem annos moritur 379. 380
ejus Arhoſiæ epitaphium 380
S. Erici ſcrinii ſolennia 207
S. Erici templum Upſal. 78
Ericianæ feriæ 78. nundinæ ib.
Ericus Abrahami 188. capite plectitur 191
Ericus Aſmundi 450
Ericus Axelii 145. 155
Ericus Erici 174
Ericus Nicolai Danus 129
Ericus Petri 186
Ericus Upſal. hiſtor. 3. 5. 6. 21. 28. 29. & paſſim.
Erſamus, Sebaſtianus, Legatus Lubec. 303
Eſbhaklip ſcopulus 82
Eſthonia, Livoniæ pars reſtitui à Svecis ſibi poſtulant 407. 408
Eſthonia Polonis non cedenda 409. ſq.
eandem contra Farensbachium defendit Carolus IX. R. S. 449. ſq.
Evangelicus primus Rex Guſtavus I. 233
Evangelici peſſimè affecti à Pontificiis 261
Evangelici fœdus ineunt cum Svecis 580
fœdus iſtud ejurare eosdem hortatur Cæſar 582
Heilbrunnæ fœdus contrahunt 615. ſq.
Pacem Pragenſem ineunt, excluſis Svecis 650. 652
Evangelicarum rerum ſtatus poſt mortem Guſtav. Adolph. emendandus 610
Euginus vel Ungvinus rex 25
Eutinum 282
Exeqviæ honorificæ innocenter occiſorũ 373
Exhumationis facinus nefandum 193
Exploratoris audax calliditas 263
Exploratores & ſpeculatores in alienis caſtris 217
in provinciis 159
Extranei nõ facilè præferendi indigenis 90. ſ.
eos præferendo odiũ incurrit Albertus 110
qvales non ad Senatoriam dignitatem evehendi 267

F.

Fabularum fructus 62
Facinorum perpetratorum conſcientia 131. 154
Factio cucullatorum fratrum 113
Falebroo pons unde dictus 78
Falck Ericus 350
Falckenburgum 127
Falo in Burenſtadh vel Byreſtadh Dux Helſingorum & Norlandorum, S. Erici hoſtes perſeqventium & ulciſcentium 77
Ab eo *Falebro* nomen habet, qvod ad eum pontem ita dictum Falo fortiter occubuit 78
Falſterus 170. 285
Fama principum 279
Fames horrenda, Naſſovianos affligit 455
Fames ingens Uplandiæ 258 Holmiæ 217
Fames ſæva Uffonis tempore 9
in Livonia tota 454
Famis remedium à nece regis accerſitum 5
Fame extingvit Birgerus Rex fratres 101
Familiæ Folckungorum genealogia 71

nomen unde 70
Familiaritas nimia contemtum & mortem pariens 4
Farensbachius, Polon. præfectus, Caroli IX. copias in Livonia & Eſthonia adoritur 449
Ejus pretioſiſſima ſuppellex à Carolo capta 450
Faxaholmia 126
Femera, Holſatiæ inſula, à Torſtenſohnio occupata 724
Feræ majores non promiſcuè cædendæ 302
Feriæ Ericianæ 78
Ferri evectio è Svecia prohibita 330
Ferro candente probatio inſtituta 53
abrogata 86
Feudalia bona à Guſtavo Ad. R. S. ad coronam revocantur 516
Fidelitatis ſacramentum à Pontifice annihilabile 264
Fides qvamdiu ex uſu contrahentium eſt, ſervatur 226
Fides data non ſervata Folchungis 85. 86
data regi, jusjurando prælata 144
Eam datam non ſervandam eſſe hæreticis ſvadent Pontificii Sigismundo, 419
militaris non ſervata 782
Finnonia cedit Duci Johanni 337
Finnoniam depopulantur Ruſſi 332
Finnoniæ Nobiles Decretis Sudercopienſibus à Carolo Gubern. inſtitutis, nolunt ſubſcribere 424. 425
Finium lites 159. 332
Fionia potiti Sveci per trajectum freti Balthici 820. 825
eandem recuperant Dani 849
Flemmingius (Hermannus) Danicam claſſem fundit 725
Flemmingius Ericus 194. 214. 215. 220. 256
Flemmingius Ivarus 220. 256. 284
Flemmingius Claudius 362
Flenevicus portus 141
Fliolmus Sveciæ princeps 4
in aqva mulſa perit *ib.*
Flothſundum 298
Flumen ad mortem duorum regum Svec. ſiſtens 606
Fœdus commerciorum Svecos inter & Friſiam Orient. 337
Fœdus Anglo-Svecicum 459
Dano-Svecicum 307
Gallo-Svecicum 310. 342. 347. 617
Heilbrunnenſe Proteſtantium 618
Fœdera, qvæ non in tertii fraudem, licita 323
Fœdera ex utilitate culta 121
Fœdera num pœnali obligatione ſaucienda 298
Fœderatum qvalis conſtantia deceat 804
Fœmina ſub virili habitu Polonum vincit 422
Fœminæ bellatrices 32. 42
Fœminarum conſvetudo nimis familiaris noxia eſt 31
Fœminis morum concinnitas & ſermonis lepor in viris placet 31
Folco craſſus 70
Folckungorum familia unde *ib.*
Folckungi perfidia trucidantur 85. 86
recedunt à majorum gloria 91
Folſterus, Johannes 170
Fons in regicidii loco miraculoſus 77
Fons S. Erici 76
Fons S. Ragnildis 72
Fons Sigfridi 52
Forbeſius Calvinianus nidulari conatur in Svecia 474
Fortunæ militaris fama allicit amicos 50
Foſſa ad Telgas ab Engelberto, Dalecarlorum ductore, duci cœpta, qvo fine 119
Franciſcus Albertus Dux Lavvenburg 338
Franciſcus de Mala Spina in coronatione Sigismundi R. S. Papiſmum nititur introducere 418
Franciſci Valeſii G. R. cum Guſtavo I. fœdus 310
renovatum 342
Francofurtum ad Viadrum vi expugnat Guſt. Adolphus 578. ſq.
deditione capit Banerius 635
Francofurtenſis conventus Proteſt. ſuma 642
de com-

de communi fœdere cum RR. Sveciæ & Galliæ 797
Fratrum cædes & bella 42
captivitas dura 101. 358
odia 41. 97. 355
Frauenburgum 551
Fredagius vir fortis 204. 213
Freia Regina Sveciæ 3
Freibergam obſidet Torſtenſohnius 719
Frejus Svec. Princeps 3
Fretum Regium 55
Fridberga 341
Friburgum 597
Fridericiudda 816
Fridericopolis 508
Fridericus Curlandiæ Dux, Polonos adjuvat contra Svecos 460
Fridericus I. Dan. Rex, fruſtra regnum Svec. concupiſcit 222
Malmogiam eripit Chriſtierno 224
comitia temere indicit 224. ſeq.
à Guſtavo I. auxilia petit contra Ferdinandum Imp. 255
perfidos Sveciæ è regno ſuo proſcribit 268
contra Chriſtiernum claſſem emittit 275
eumqve captum carceri mancipat 276
Fridericus II. D. R. uſurpat inſignia Svec. 341
Nobiles Svecorum ad rebellionem fruſtra ſollicitat 352
bellum Erico XIV. indicit 359
Svedos campo fugat 360
claſſe cum Svedis congreditur 361. ſeqq.
Pacis leges indignas offert Erico 368
nuptias Erici S. R. cum Eliſabetha impedit 343
Fridericus III. Archiepiſcopatum Bremenſem, jure ſucceſſionis ambit 644
contra ipſum Königsmarckius copias educit in Epiſc. Verdenſem 727
Dan. Rex bello adoritur Carolum X. R. Svec. 801. 808
eundem per mare Balthicum congelatum trajiciens Carolus X. bello adoritur 818. 820. ſeqq.
Pacem petit per regni Senatores à Carolo rege, & impetrat 822. ſeq.
cum Carolo rege Fridericiburgi convenit 825
Roſchildenſem pacem rumpit 826. ſeq.
Scaniam, Blekingiam & Hallandiam cedit Svec. Regi 939
Fridericus Haſſiæ Landgravius globo trajicitur 768
Fridlevus 21
Fridkulla Margareta 72
Fridlandus Evangelicos diſtrahere nititur 596
Electoribus particularem pacem offert 630
Fridſtadium 598
Frigga Regina Svecorum 3
Froerus Svec. Princeps 3
Froſtius, Lago 178
Froſtro Rex Finnoniæ 6
Frotho primus Svec. rex dictus 3. 12. 28
Frous cognomentum Sivardi II. 42
Frous Deus 41
Frovvini, Danorum ducis, filii regicidæ 18. 19
Frumenti evectio è Svecia prohibita 306. 356
ſiccatio 356
Frumentum in plateis obſeſſæ urbis ſatum 662
Fugæ ſpecie fallere hoſtem 152
Fugienti hoſti via eſt ſternenda 366
Furibus annumeravit Carolus IX. prætores 502
Furtum Urſæ 14
Fynbo 205

G.

Gaddus antiſtes-miles 175
Galliæ R. cum Erico XIV. fœdus 347
cum Guſtavo I. 310. 342
cum Chriſtina 679
Henrici III. ad Johannem R. Svec. legatus 391
Galliæ Rex Guſtavum Adolphum in bello German. adjuvat 565
Gallorum amicitia cum Svecis in bello Germ. 646
Gammel dictus Emundus rex 67

La Gardie, Jacobus, regni Marſchus, Ruſſo in auxilium miſſus 478
Polonos fugat 479. ſq.
Soſpitator vocatur à Czare 481
ad Tvvâram caſtra figit *ibid.*
rebelles Finnonicos milites ſopit 482
ad Cluſinum infeliciter pugnat Ruſſorum perfidiâ & metu 486. 487
Nôteburgum obſidet 497
de Carolo Philippo Ruſſorum Czare eligendo ad Guſtavum Adolph. ſcribit 514
à Sigiſmundo ad defectionem à rege ſollicitatur 515
Chriſtinæ reginæ tutor 608
in Boruſſiam movet tempore compoſitionis Polonorum de pace cum Svec. 652
diem ſuum obit 807
La Gardie, Magnus Gabriel, Jacobi F. Reginæ olim Svec. Theſaurarius (nunc Regni Cancellarius) Legatus in Galliam ſumma dexteritate præ aliis 739
Generalis Livoniæ Gubernator & præfectus exercitus per Livoniam 762
in fidem Regis accipit Lithuanos, poſtea rebelles 769. 781
Ejus prudentia & circumſpectio in tuenda urbe Riga contra Ruſſum obſidentem 791
Ejus munificentia in excitandis per præmia excurrentibus adv. hoſtem & carpentibus ejus vires *ibid.*
Ruſſum ex Livonia animosè devertit & feliciter 792
Caput fuit Legationis in perpetua Pace Sveo-Polonica cum Cæſare, R. Pol. ac Elect. Brandeb. feliciter perfecta 819
La Garde, Jacobus junior, prælio ad Amagiam occumbit 834
La Gardie, Pontus, Nob. Gallus & Baro Svecicus 403
Gartzia 667
à Bannerio diruitur 684
Gedanenſes malè tractant Svecos 284
ab iiſdem vectigal exigit Guſtavus Adolphus 551
Guſtavum regem circumducentes Sigiſmundo P. R. ſe jungunt 552
Iiſdem commercium cum civ. Hanſeaticis intercludit Guſtavus rex 557
terra mariqve idem rex obſidet 558
Gelderus Saxonum Dux 16
Germani exules ob religionem in Sveia recepti 555
Germani olim in Senatu urbis Holmiæ 115. 158
hunc morem ſuſtulit Steno Sture 158
Germanorum in Svecico exercitu fortitudo 452
Germanicæ Eccleſiæ templum Holmiæ 509
German. Cæſareo-Svecici belli cauſæ 567. 574
poſt mortem Guſt. Adolph. continuatio 609
Germunder R. Svec. 31
Germundus Svenonis 316. 317
Gerſtenbergius, Joh. 282
Geſtiblindus, rex Gothorum 19
Geſtricii & Gevalienſes à Chriſtierno deficiunt 204
Getharus Rex Gothorum 2
Getericus Rex Gothorum 20
Gevarus Rex Norvegiæ 13. 16
Giſtelbroum 81
Giſto 216
Glaciei firmitas ante trajectum ſedulo prætentata 820
Glaciei beneficio per fretum Balthicum trajectus exercitus, Sveticus invadit Fioniã 820. 825
Gladii geſtatio interdicta ſtudioſis Academiæ Upſal 523
Globorum ignitorum jactus eluſus 394
Glogovia Sileſ. 626
Gneſa 780
Görlitzium à Wallenſt. occupatum 626
Golomba 774
Gotha à Guſt. Adolpho occupata 588

Gotha-

Gotharus Rex Sveciæ 19. 36
ejus bellum contra Ormundum regem Daniæ 37
à fratre ſuo trucidatur ib.
Gotharus Wendilkráka 36
Gotheburgum exſtruit Carolus IX. S. R. 462
obſidet Daniæ rex 723. *ſeq.*
jure ſtapulæ donat Chriſtina R. S. 751
Gothlandia 99
verum eſt Sveciæ membrum 229
eadem eqvitibus Boruſſiæ oppignorata 111
à Margareta redemta *ibid.* & 141
Gothlandiam tenet Ericus rex excluſus 135
eam recuperare tentat Carolus VIII. 141
ſed vendicant ſibi Dani 142. 143
Dani oppignorant Olao Axelii 143. 162
redimit eam Johannes rex 163
Svediæ regno adjungit Guſtavus 224. 227
Dani iterum ſibi vendicant 239
Gothorum ſcipio 197
Gotrici Dani cum Berone III. R. S. bellum 40
Grabbe, Nic. 212. 282
Tycho 297
Gramus Daniæ Rex auro necat Sigtrugum Regem Sveciæ 8
Greiffenklau Stralſundenſes ad defectionem ſollicitat 669. 673
Gregorius Holſatus 217
ejus crudelitas in profugos in cœnobium S. Claræ *ibid.*
Green, Magnus 141. 184
capite plectitur 198
Grimmenſes fauces 508
Grimmerus R. S. 19
Grimſchera Svecorum propugnaculum 496
à Svecis deſeritur 499
Griphenhagiam vi capit Guſt. Adolphus 573
Gripsholmia 126
eam Guſtavus I. ſibi vendicat 239. *ſeq.*
Groa, filia Regis Sigtrugi 7
athletæ deſponſata *ibid.*
rapitur à Gramo Daniæ Rege *ibid.*
Grotius Svec. Reginæ in Gall. legatus 646
Gryphisvvaldia 363
fortiſſimè obſidionem ſuſtinet Svecorum 577
ejus ſtannea moneta *ibid.*
deditur æqvis conditionibus 578
fruſtra obſidetur à Cæſareo-Brandenburgicis 848
Gulberga propugnaculum 98
fruſtra à Danis oppugnatur 507
deditur Danis 510
Gustavus I. etymon & familia 197
Recens nati galea naturalis in capite, & pectus rubra cruce inſignitum qvid ſignâſſe voluerint *ibid.*
Præludia pueri in aula Stenonis Sture avunculi ſui non puerilia *ib.*
Vaticinium Joh. II. de eo *ibid.*
ſtudia ejus in Acad. Upſal. 198
In aula Stenonis exercitia illius liberalia & eqveſtria *ibid.*
Tyrocinia militiæ *ibid.*
obſes Chriſtierni II. in Daniam abductus & iſtic captivus 198
à cuſtodia clam elapſus 199
Inde Lubecam & illinc in Sveciam evadit *ibid.*
Steenſôæ exceptus à vidua *ibid.*
Periculum ejus in Smalandia *ibid.*
& apud Cuprimontanos 200
qvomodo inde eluctatus ſit *ibid.*
& Dalecarlos, Rettvicenſes, Morenſes, Helſingos & Geſtricios permoverit ad vindicandam à tyrannide Chriſtierni patriam 201. 202. *ſeq.*
Fortuna & ſucceſſus ejus 203. *ſeq.*
Guſtavi cum Danis prælium 203
ſacrum ordinem hortatur ad qvieſcendum 208
Bellum ejus cum Guſtavo Trolle Archiepiſcopo ad Upſaliam & Holmiam 209 *ſeq.*
Guſtavi cura, induſtria & felicitas in diverſis ac diſtantibus caſtris ac bellis adverſus hoſtes in Uplandia, Oſtrogothia, Weſtrogothia & Finnonia *ibid.* & *ſeq.*

ejus-

ejuſdem dignitas oris & corporis 215
pietas, prudentia, fortitudo 219
Rex eligitur 220
Senatores ejus & regni *ibid.*
Holmiâ potitur 221
ejus autoritas 223
expeditio in Gothlandiam decernitur 224. 227
delectus militium 224
Friderico Regi Daniæ auxilia pedeſtria & navalia mittit *ibid.*
Auxilium à Lubecenſibus contra Severinum Norby rogatus ægrè præſtat & qvare 227
Gothlandiam occupat 227
exercitu ex pacto vacuefacit, de jure Gothlandiæ cum Danis diſceptat 228. *ſeq.*
Religionem reformat 233
De coronatione & nuptiis ejus in comitiis Vadſtenenſibus agitur 231
Poteſtas ejus regia *ibid.*
Calmarianam arcem Bernhardo Mylio ejusqve militibus vi & manu militari extorqvere cogitur 230
Inſidiis à Severino Norby, Synnanvveder & aliis petitur 232. 233. *ſeq.*
Imperium depoſiturus, obnixè rogatus retinet 237. 254
Ad motus Dalecarlorum comprimendos ipſe proficiſcitur 238
invectiva ejus in epiſcopos & ſacrum ordinem 240
Auxilium Friderico R. Daniæ rurſus promittit 239. 242
cum Friſiis & Hollandis fœdus commerciorum init. 242. 243
Uplandiam latrociniis purgat 244
& ab hæreſi ſeriptum 245
Dalecarlorum deſiderio ſatisfacit 247
Ruſſicos Legatos audit & dimittit 249
Accubitum & ſeſſionis modum in Epiſcopis mutat, ſuperbos eorum ſpiritus reprimit 250
Legatis Danicis reſpondet 255
exceptiones Friderici R. Daniæ contra illud reſponſum 258
& Guſtavi replicationes 259
Rex coronatur 256
Eqvites creat *ibid.*
Benè meritos nobilitat *ibid.*
Dalecarlorum motus componit 257
Provincias ipſe obiens ſtatum pub. ordinat 258
Lis ejus cum Stenonis Sture vidua, de qvibusdam bonis ſoli hæreditariis 260
Conjuratio Thuronis Johannis & ſociorum adverſus Regem 261. *ſeqq.*
Holmiam privilegiis donat 269
In Weſtrogothiam cum copiis abit, Vikiæ in Norvegia defendendæ cauſâ *ibid.*
Nuptiæ ejus cum Catharina Ducis Saxoniæ Magni filia 273
qvæ ei ſuo tempore Ericum Principem difficili nixu parit 281
Occurrit Guſtavus Chriſtierno tyranno cum copiis in Norvegiam eumqve cum adjunctis Friderici R. Daniæ copiis profligat 274
Pœnam in rebelles Cuprimontanos & Dalecarlos per biennium dilatam exſeqvitur & faſtum eorum ex opibus metallicis retundit 278
Lubecenſibus auxilium contra Belgas denegat 278
Ob Meieri & Wollenvveberi Lubecenſium conſulum inſolentiam, lingvæ intemperantiam, & contemtum Regis privilegia Rex illis adimit, unde bellum inter eos natum 279
Fœdus cum Friderico R. Daniæ renovat 281
De jure ac reſtitutione prædiorum Nobilium Svecorum, in Dania ac Norvegia, ac Danorum in Svecia agitur *ibid.*
Rex fruſtra domum Lubecâ revocat Comitem de Hoja *ibid.*
De fideli amicitia & ope ſua erga Chriſtianum III. Regem Daniæ conteſtatur
Guſta-

Guſtavus, eiqve exprobrat, qvòd pacem cùm Lubecenſibus ſe inſcio & contra datam fidem fecerit 282
Nova conjuratio contra regem detecta 290
Uxor Guſtavi Catharina obit ibid.
Secundæ ejus nuptiæ cum Margareta, Erici Abrahami in Lakolm filia 292
Hæc ei parit Johannem, 299
Catharinam 301
Cæciliam 306
Magnum 312
Annam 322
Sophiam 326
Eliſabetham 327
Carolum 328
Margareta Regina obit 328
Rex Legatos mittit in Ruſſiam de L. annorum pacis confirmatione, & gravaminibus qvibusdam 293
Fœdus religionis Guſtavus I. cum Evangelicis Principibus in Germania init. 298. 315
Diffidentiæ cujusdam ſemina inter Guſtavum I. & Chriſtianum III. unde 300. 301
Interdictum Regis de cenſualibus bonis in fraudem cenſus Regi debiti non alienandis, & limitum inter Coronam & Nobiles certâ determinatione 301
Audientia & reſponſum Legatis Danicis datum 302
& ablegato Lubecenſi 303
Biblia Svetica primus edi curat 306
Regnum Sveciæ ſub Guſtavo I. hereditarium factum, qvare & qvô ritu 305
Conſtitutio Guſtavi I. de juſtitia rectè adminiſtranda, & felici imperii ſtatu conſervando 305
Ejusdem ſanctio de ſacro ordine non promiſcuè hoſpitiis onerando 307
Fœdus & inducias L. annorum cum Chriſtiano III. R. Daniæ init. 307. ſqq.
Ejusdem fœdus cum Franciſco I. R. Galliæ 310
Qvomodo ſe excuſârit apud Cæſarem Ferdinandum de poſtulato à ſe cenſu Turcico. 311
Dackianum motum & bellum reprimit ib. 315
Literas Chriſtierni III. R. Daniæ rebus Guſtavi I. ſe immiſcentis, ad Smalandos ſcriptas Guſtavus ad eum remittit 314
Legatos in Daniam mittit de motibus belli externi comprimendis & ope mutua ferenda 315
Supplicationes ſacras & annuas edicit 321
Legatos Danicos & Ruſſicos audit ac dimittit ibid.
Author eſt civibus navigandi etiam mare occidentale (non modò Balthicum) majoris lucri cauſâ 322
Monetæ evectio ſeverè prohibetur ibid.
Rex apologiam pro ſe edit contra Maledicos aliqvot libellos ibid.
Remedia annonæ charitatis publicat 325
Statuta aulica 325
Guſtavi I. Teſtamentum 326. 343
Arces, Upſalienſ. & Vadſtenenſem fundat 326
Helſingforſium in Nylandia exſtruit: ut iſtic mercium ex Ruſſia & Belgio ſedes eſſet 328
Legatos ad Carolum V. mittit pacis & fœderis commerciorum in Belgio cauſa 328
Bothniæ borealis incolas in jure piſcandi in mari occidentali contra aliorum vim tuetur. 329
Tertiæ Regis nuptiæ cum Catharina Olai de Torpa filia, defunctæ uxoris Margaretæ ſororis filia, cum conſilio Epiſcoporum ibid.
Qverelas Ruſſorum R. decidit, & impreſſionem eorum in Finnoniam retundit 332
Edictum R. de remediis contra fructuum & redituum Coronæ diminutionem & pro eorum incrementis 334

Monita ſalutaria Regis de Militia rectè inſtituenda 335
Contra uſurpationem III. Coronarum inſignis Svetici, Chriſtiani III. proteſtatur 334. 338
Wiburgum cum copiis contra Ruſſum proficiſcitur 335
Præſentiæ ejus efficacia & prudens ordinatio ſtatus militaris. *ibid.*
Wiburgum defendit 336
Pacem cum Ruſſis per Legatos firmat 337
ut & fœdus commerciorum cum Friſiis 338
Conjugium inter filiam Regis Catharinam & Edſardum Comitem Friſiæ *ib.*
Interdictum contra delicta publica *ibid.*
Revalienſibus opem à Rege contra Ruſſos petentibus primo ob certas cauſas denegat, tandem promittit, ſed pro hypotheca Revaliæ *ibid.*
Purgat mare piratis 339
Regem malè habet inſolentia filii Erici in Smalandos, & nuptiæ Eliſabethæ cum magna impenſa ac fruſtra qværitæ & injuria Edſardi Comitis fratri ab eo illata 342
Regis ultima comitia Holmiæ habita 343
In illis decernuntur modi tuendi regni contra hoſtes manifeſtos & occultos. *ibid.*
In iisdem valedicit Ordinibus, jam imbecillis corpore *ibid.* 344
Ejus morbus 345
Paternum & ſalutare monitum Regis ad filios 346
Exceſſus ejus è vita *ibid.*
Elogium *ibid.*
GUSTAVUS ADOLPHUS II. & Magnus.
Ejus nativitas, ſtudia & educatio 503
Spes & expectatio *ibid.*
Documenta virtutis in Chriſtianopoli intercepta, & Oelandia recuperata 496
Borcholmenſe caſtrum Danis extorqvet 501
Modeſtia in accipiendo regno 504
Rex virilibus factis exuit adoleſcentem *ibid.*
Obligatio ejus ſcripta & jusjurandum in Coronatione præſtitum *ib.*
Decreta comitiorũ de ſubſidiis belli, reductione bonorum ſoli Coronæ, ad placitum tempus donatorum etc. de pace cum hoſte qværenda, aut armis continuandis. Edictum Regis de Feudis & Decimis coronæ, de rationibus reddendis in Camera 505
Rex privilegia Acad. Upſal. confirmat 475. 505
Idem continuat bellum Sveo-Danicum 505
Calmariæ recuperationem fruſtra tentat 506
Weſtervvicum & Jonecopiam recuperat 506
In Scania felices ejus progreſſus *ibid.*
Clades ad Wiſiöö *ibid.*
Elfsburgi Præfectum ad fortitudinem hortatur 509
Nobiles ob eqveſtris militiæ munia increpat 511
Guſtavi morbus ex potu putidæ aqvæ 512
Pacem cum Danis facit 516. *ſqq.*
Fœdus cum Batavis init. 523
Exſecutio Decreti Orebroënſis contra qvosdam Svecos indigenas Pontificiæ religionis ſectatores, qvos è regno proſcribit 524
De commerciorum ordine diploma R. *ib.*
Judiciarium proceſſum publicat *ibid.*
Legatos ad Chriſtianum IV. Regem Daniæ mittit *ibid.*
Bellum cum Ruſſis continuans, victoriâ ad Plescoviam pacem honorificam obtinet 525. 533
Helſingforſæ comitiis indictis orationem gravem ad Ordines habet 526. *ſeqq.*
Fœdus cum Regibus Galliæ & Britanniæ facit 533

Qvin-

Qvinqve primaria regni Collegia inſtituit, & qvo fine 534
Rex ſolenniter coronatur ibid.
Privilegia Ordinibus Regni, ſpeciatim Nobilibus confirmat ibid.
Jus civile Sveticum recognitum publicat, & CommerciorumLeges atqve reliqvas regni ſui res ordinat ibid.
Arma contra Polonos parat ad ulciſcendum Sigismundi adverſus Sveciam machinationes 534
In Livoniam cum XVIII. navium armata claſſe abit: ad Polonos convertendum, & regnum ſuum defendendum ibid.
Dunemundam, Parnoviam, Windaviam capit ibid.
Inducias biennales cum Sigismundo facit ibid.
Poſt eas bellum reparat ibid.
Regis Daniæ Legato reſponſum dat 535
Cum ipſo Rege Chriſtiano IV. in limite regnorum colloqvitur & controverſias componit ibid.
Domi claſſem & rem navalem reficit, varias armorum officinas aperit ib.
Delectum & recognitionem militum domi exercitorum inſtituit ibid.
Britannici regis filiæ nuptias ambit 476
Nuptiæ ejus cum Maria Eleonora Brandenburgica 535
Interdictum edit de promiſcuæ juventutis peregrinationis abuſu ibid.
Rigam obſidet, acriter oppugnat & tandem deditione capit 536. ſeqq.
Celeritas & induſtria Regis qvanta 537. ſeq.
Moderatio victoriæ & clementia ejus erga devictam Rigam 540
Jeſuitas Riga exigit 545
Mithoviam Curlandiæ deditione occupat 545
Legatum ex Dania Petrum Galt audit, & Gabrielem Oxenſtierna eò remittit 546
Acciſum, novum vectigal, ex conſenſu Ordinum in Svecia inſtituitur cum ſevero Regis edicto in violatores 546
Ejusdem conſtitutio de Arendatoribus 547
Claſſis Regis ad Dantiſcum collocata Dantiſcanis, inducias concedit 547
Academiam Upſalienſ. munificè dotat, ſalariis & Profeſſoribus amplificat 547
Dorpatenſem Academiam in Livonia fundat 547
Ferrô non verbis cum hoſte dimicat 549
Ultio injuriarum in Danos cogitata, transactione componitur ibid.
In Comitiis de perpetuo milite ſubſidiario alendo decernitur ibid.
Pace cum Polonis fruſtra tentata, cum LXXVI. velorum claſſe iterum in hoſtem exit. 550
Livoniam occupat ibid.
Inſidias tribuni Polonici evadit ibid.
Sapieham cum ſuis cædit ibid.
Felicitas ejus in Semigallia, Lithuania & Pruſſia 550. ſq.
Rex Gedanenſes aggreditur 552
Mevam contra hoſtem Polonum defendit, & ab eorum obſidione liberat 554
Belli inania ſpernit 552
Polonos ad Walhoviam, Dirſchaviam, Putzkam, Mariæburgum & Mevam ſternit 552. 553. 554
Religionis cauſa exulibus perfugium in Sveciam præbet 555
Laus Comitiorum ſub Guſtavo M. ib.
navigationem in Occidentalem Indiam inſtituere tentat 556
Secunda expeditio Guſtavi in Boruſſiam 556
Glandibus plumbeis vulneratus ab hoſte, qvanto animo pericula & vulnera tulerit ibid.
Boruſſicam expeditionem tertiam ſuſcipit 557
Interdictum ejus ad Hanſeaticas civitates de advectione bello neceſſariorum ad Dantiſcanos 557

Eorum urbem terrâ mariqve obſidet 557. 558
Conitzpolſcium cædit 558
Dantiſcanorum aliqvot naves perdit *ibid.*
Wallenſtenii claſſem ad Wiſmariam disjicit 559
Electori Brandenburg. neutralitatem concedit 559
Fames in caſtris regiis 560
Neoburgâ, Strasbergâ & ibi theſauro potitur 559
Imbelli & fœmineo ſexui hoſtili parcit 559. 560
Victoria ejus ad Brodniziam 560
Stralſundiæ à Wallenſtenio obſeſſæ ſuccurrit, & fœdus cum ea init; 560
cladem Polonis & Cæſarianis ſimul infert 560
Periculum ejus 562
Sex annorum inducias cum Polonis facit 562
Guſtavi regius animus & invicta virtus *ibid.*
Conſultat de bello contra Cæſarem ſuscipiendo, prius tamen pacis viam Gedani, ſed fruſtra qværit 563. *ſq.*
Cauſas belli contra Cæſarem edit, & cur ei bellum ſolenniter non indixerit 567. 574
Cur ipſe in bellum exire neceſſe habeat, ordinibus regni exponit 567, 568
Svecia excedens ſummam regni Johanni Caſimiro, Comiti Pal. committit 568
Felix ejus ingreſſus in Pomeraniam, à precibus initium facit 569
Qvomodo militem annonâ in navibus deficiente erexerit, à vi ſociis inferenda abſtinuerit *ibid.*
Hoſtis Rugiam, Uſedomiam aliaqve loca ad Regis adventum deſerit 570
Rex in urbem Stetinum etſi ægrè à Duce Pomeraniæ admittitur 570. 571
Fœdus cum eo facit 570
Progreſſus Regis in Pomerania, qvam hoſte liberat 571
Ab inſidiis Qvirini de Ponte & Monachi Ambergæ, à Deo mirificè ſervatur 571
Ducatum Meklenburg. adit, & inde hoſtem expellit 572
Landgravium Haſſiæ in protectionem recipit *ibid.*
Colbergâ, Griphenhagâ & Garziâ potitur 573
Ad Cæſaris & Electorum literas reſpondet 573. *ſeqq.*
Magdeburgæ promiſſam liberationem cur differre coactus ſit 575. 579
Cum Electore Brandenburg. de tuto tranſitu & conjunctione armorum agit 576
Cur pacem cum Cæſare ab eo oblatam inire nondum poſſit 576
Lochnitziam & caſtellum ad Landsbergam intercipit *ib.*
Fœdus cum Gallis, Britannis, Batavis renovat, milites etiam per hiemem in caſtris tenet 576. *ſq.*
Griphisvvaldiam & Francofurtum ad Oderam occupat 577. *ſq.*
Landsbergam deditione capit 579
Saxonem & Brandeburgenſem occaſione Lipſiei conventus ſibi fœdere conjungit 580
Tillium perſeqvitur & ſibi viam ad Albim aperit, tres legiones Cæſaris cædit 581
Ad Werbenam caſtra ponit fruſtra iſthæc aſſultante Tillio 581
Eodem invadente Saxoniam & Lipſiam capiente, Guſtavus ab Electore Sax. auxilio vocatur 584
Fœdus inter utrumqve *ibid.*
Regis comitas erga Profeſſores & Studioſos Wittenbergenſes 584
Conſilium habetur de modo expellendi Tillium 584
Forma aciei ad Lipſiam & pugnæ; ejusqve felix eventus ac fructus 585. *ſeq.*
in Franconiam inde Rex tendit 588
Herbipolin occupat, & ingentem hîc prædam facit 588

Item

Item Francofurtum ad Mœnum capit 589
Trajecto Rheno Hochſtam, Oppenhemium, Moguntiam invadit *ibid.*
In ripa Moguntiæ novam urbem molitur 590
Lotharingos ſternit, cis & ultra Rhenum ſita fermè in poteſtatem ſuam redigit *ibid.*
varios Legatos Moguntiæ audit 592
Bambergâ & Forcheimo potitur 592
cum Norinbergenſibus agit de præſidio admittendo *ibid.*
Fridericum Palatinum exulem reſtitutum it. *ibid.*
Hiſpanos profligat *ibid.*
cum Duce Luneburg. & Brunſvic. ſe conjungit *ibid.*
in Bavariam tendit 593
Donavverdam & Rainam occupat, ingenti clade Cæſarianis & Bavaris illata, Tillio etiam cæſo *ibid.*
Auguſtam Vindelicorum deditione accipit *ibid.*
Ratisbona & Ingolſtadio fruſtra attentatis 594
Regis periculum ad Ingolſtadium & ad Norinbergam *ibid.*
Bavarus Neutralitatem deſiderat, ſed incaſſum 595
Succeſſus Regis in Bavaria, ruſticis cæſis, Monachio urbe, & ingenti præda capta 595
indè in Sveviam diſcedit & Helvetiam, pluribus locis ſubactis, jam ipſis alpibus imminet. Regem Daniæ & Electorem Saxoniæ amicè monet, ne cum Cæſare ſeorſim pacem ineant 595
Ad Principem Tranſilvaniæ, affinem ſuum & Turcam legatos mittit, & cujus rei cauſa 597
Vördam ditione Bremenſi, Buxtehudam & Stadam per ſuos capit *ib.*
Norinbergam munit, & contra Fridlandum defendit 598
Diſciplinam militarem ſeverè emendat 599
Regis prælium ad Lucenam oppidum in Saxonia. Ejus præparatio, aciei inſtructio, ipſe actus, fervor, & finis, & cum eo ipſius Regis mors, ſed Victoris verè glorioſi 603. *ſeqq.*
Literæ ejus ad R. Cancellarium paulo ante mortem omnibus & omnis Weſtrogothiæ Gulſpang ſiſtens 605
Funus regium, ſepulchrum memoria ſempiterna 606
Procerum regni hortatio ſcripta ad Ordines regni de obſeqvio, concordia & tranqvillitate animorum, morte Regis perculſorum 607
Guttormus 8
Gylerus, Wolfgangus, perfidus Secretarius Guſtavi I. 290
Gyldenhielm, Carolus Caroli, è captivitate Polonica liberatur 524
Gylſo Princeps Sveciæ 2
Gyllenſtierns Canutus 276. 302
Gyllenſtierns Ericus 276
Gyllenſtierns Magnus 275
Gyllenſtiern Nicolaus 290. 339
Gymnaſio Brunsbergenſi legatum 402
Gynecæum muliebri habitu intrat Hagbardus 26
Gynecocratia Danorum ſub Hetha 34. *ſeq.*
Gyritha 27

H.

Habori planities ad Sigtunam 27
Habſaliæ 398
Hacho Svecorum rex 27
Haderſleviæ unde nomen? 15
Hadingus Svibdageri regis Sveciæ affinis, voluptatis fugiens, bellicoſus & felix 8
Amundum cædit 9
à qvo vulneratus claudicat *ibid.*
cum Uffone bella gerit 9
Uffonem cædit 10
laqveo vitam finit 11
Hæreditaria unio in Guſtavo I. inſtituta 320
Vide Unio.

Hæredi-

Hæreditarium factum Sveciæ regnum 305. 319. 457
Hæreditarium convivium Ingeldi II. R. S. 46
Hæreditatis dividendæ lex 86
Hafnia, Lubecenſibus deditur 283
à Chriſtiano III. recuperatur 292
eam cur non ſtatim expugnarit Carolus Guſtavus S. R. 830
eid. auxilio miſſa claſſis Batava à Svecis profligatur 837
Hafnienſe prælium Svecos inter & Lubec. 289
Hagbardi vel *Haboris* planities 27
Hagenavia 614
Halâ Sax. aufugiens Chriſtianus Gvil. Magdeburgum ſe recipit 575
Halam occupat Guſt. Adolphus 588
Bannerius 662
Hallenſe Mauritioburgum Pappenhemius expugnare tentat 603
Halberſtadienſis Epiſcopatus Brandeb. Electori attributus 628
conventus Proteſtantium 629
Haldanus I. Svec. rex 20
occiditur 22
Haldanus II. *Bergram* cur dictus? 23
fit rex Sveciæ 24
Firmat regnum concordia & inter vicinos Principes amicitia 24
purgat mare piratis *ib.*
Sigvardus ei rebellis *ibid.*
cum eo & aliqvot pugilibus pugna felix 24. 25
Halmſtadium obſeſſum 285
Halna ruſtico donata 88
Halſtanus rex Svec. 70
nimia ejus lenitas ipſi fraudi fuit 79
Hamelam, Brunſvic. urbem, capiunt Sveci ductu Georgii Ducis Luneb. 613
Hamundus Svec. rex 25
Hannovia à Guſt. Adolpho capta 589
à Ramſæo Scoto fortiter defenſa contra Cæſ. 662
Ramſæi ſtolida ſpe lucri vincitur 682
Hanſeaticarum civitatum caput Lubeca 304
commercia cum Ruſſis 35
Haqvinus, Amundi filius pirata 25
Daniam devaſtat 27
inde Rex Sveciæ pacatum habet imperium *ibid.*
Haqvinus Ringo, R. Sveciæ 32
ultor necis paternæ per bellum cum Haraldo rege Daniæ *ibid.*
odium cum cæſo Haraldo ponit 34
honorificè eum ſepelit *ibid.*
Daniæ regno potitur 35
Haqvinus Rufus, rex Svec. pacificus, imperii non cupidus expectare illud qvietum maluit 68
Haqvinus, Magni Smek filius, cur in regno præteritus ſit? 107
Haqvinus, Joh. Præſul Upſal. 125
Haraldus rex Sveciæ 42
Haraldus, Rex Daniæ à proprio miniſtro occiſus 34
Haſſiæ Landgravii filiam uxorem diſcupit Ericus XIV. 346
Haſtedius, Nicolaus 324
Hathinus 39
Hatuna aula 99
Heidelberga à C. P. Birckenfeld occupata 620
Heidelbergenſis Catecheſis Sveciæ obtruſa, ſed rejecta 474
Heidelbergenſis Elector ambit regna borealia 288. 317
Heilbrunna à Svecis capta 590. *ſq.*
Heilbrunnæ fœdus contrahunt 615
Helgonis rex in opprobrium Svecorum 13
Helſingforſium 328
Helſingi dubii, utrum Guſtavi an Chriſtierni partes ſeqvantur 203
eorum motus compoſiti 257
Helſingoburgum 285
Helſingius, Martinus 338, 373
Helſingöra 279
Helvetii tranſitum negant Svecis 623
Hemmingus Archiepiſcopus Upſal. 104
Henricus Epiſcopus trucidatus à plebe 76
Henrici III. G. R. ad Johannem III. R. S. legatus 391

Herber-

Herbertus Belga eccleſiæ in Gothia fundator 41. 861
Herbipolin expugnat Guſtavus Ad. 588
Hereſtâkium 132
Herotus rex 42
Hervordia 613
Hetha agminum ductrix 32
Danis præfecta 34
Hethabium unde dictum 35
Hielmerus lacus 93
Hirſchberga à Svecis defenſa 702
Cæſarianis traditur 705
Höfdenſe munimentum 777
Hægbabeed campi 42
Hoffkirchius 693
Hojenſis Comes adv. Guſtavum I. à Lubecenſibus excitatur 279
captus interficitur 288
Holke præfectus Danicus 365
Holkius, Miſniam bello adoritur 601
Lipſiam opprimit 623
Hollandis tranſitum Oreſundæ occludit Dan. rex 310
Hollandorum cum Svecis fœdus 243. 278
Holmia à civibus traditur Engelberto 130
à militibus præſidiariis incenditur 171
Holmia primum condita à Birgero 86
novis civibus repletur 260
Holmiæ arcis obſidio aſtu tolerata 171
incendium maximum 123
inſigne 78
nullæ ædes ligneæ 330
templum Eccleſiæ Germanicæ 509
Holmiæ obſidet Ericum Dalecarlorum præfectus 128
tyrannidem exercet Chriſtiernus 191. 192. 193
Holmiam obſidet Guſtavus 210. 213. 217
deditione accipit 218. 220
obſeſſurus pellitur Danus 513
Holſatiam invadunt Lubecenſes 282
Holſatus Dux, Livoniæ regis titulo ornatus à Ruſſo 385
Holſtenius Nicol. patibulo, qvod ipſe erexerat, affigitur 195
Holtenus, Guſtavi I. Secretarius 215
Hornius, Phil. Ducis Pomer. legatus ad Guſtav. Adolphum 568
Hornius, Guſtavus, Torqvatum, Cæſar. militiæ præfectum, rejicit 572. 573
Heilbrunnam capit 590. ſq.
in Alſatia oppida occupat 602. 614
Conſtantiam obſidione cingit 622
in Helvetiam tranſit 634
Prælium ad Nordlingam cum hoſte, Duci Bernhardo diſſvadet, & in eo capitur 640 641
poſt novennium liberatur 720
in Scaniam cum exercitu movet 722
Landscronam occupat 728
Horrea ſiccantia frumenti 356
Horti culinarii inſtruendi 338
Hoſius Cardinalis 391
Hoſpitale jus fractum 15. 36. 201
Hoſpitalitatis jus peſſimè violat Chriſtiernus Tyrannus 190
Hoſpitalitatis laude clarus Carolus II. 19
Hoſpites combuſti 47
Hoſtem occiſum malè tractare turpe & indignum 34
Hoſtium vaſta multitudo ſibi ipſi gravis 33
fides beneficiis obſtricta & tamen fallens 183
Hothebrodus Svec. rex 13
Hotherus Rex Sveciæ 15
Hova occupatur à Svecis 210
Höxtera ſolo æqvata 741
Hualſtadius 265
Huglekus 31
Huitfeld 81. 90. 168.
Humelus vel Humblus Sveciæ rex 7
Hunaberg nominatur ab Hunnis 21
Hungarorum feritas belluina 439
Hunni, h. e. *Ruſſi*, Weſtrogothiam invadunt 21
in Sudermanniam excurrunt *ibid.*
Hunningus vel Hundingus Sveciæ rex 10
in dolio aqvæ mulſæ perit 10
Hunosgraff 21
Hutfadius 172

Huxtera à Pappenhemio capta 596
Hyemis nimius rigor 99
tolerantiores Sveci 218

I. J.

Jacobi nomen regibus Svec. inuſitatum 64
Jacobus, A. R. ad Guſtavum Adolphum, de pace Sveo-Danica ſcribit 516
Jacobus, Upſalienſis Præſul 167
ejus erga Stenonem Sture monitum ſalutare & memorabile 166
Jamtia 28. 29
Jamtiorum origo 29
Januarii Calendæ cæde nobilitatæ 142
Jariſlaviam occupat Carolus Guſtavus 775
Jariſlavius Ruſſiæ Princeps 60
Ingridis, Olai Skotkonung filiæ, nuptiis potitur *ibid.*
Jemtiam ex pacificatione Danis ceſſit Svecorum rex Guſtavus Adolphus 522
Svecis iterum cedit 723
Jemtii Svecorum tributarii 64
Jerunder Svec. Rex 31
Jeſperus Danum ab irruptione in Oelandiam avertit 506
Nyloſiam expugnat & exurit 507
à Jonecopiæ obſidione Danum arcet 512
Jeſuitæ in Svecia à Sigiſmundo P. R. relicti 424
eundem è Polon. in Sveciam ire hortantur 436
Riga occupata à Guſtavo II. expulſi 545
Brunsberga ejecti ab eodem rege 551
Jeſuiticas academias adire juſſa Svecica juventus à Johanne III. R. S. 391
Jeſuitica Collegia adire, prohibita juventus Svec. à Guſtavo Adolpho 524
Igni latus applicat Rolvo, alter Scævola 14
Igniti globi qvomodo extingvẽdi vide *Globi.*
Imperator Romanus proſcribit Svedos 176
Imperatori Germ. an cenſum miſerit Olaus II. Svec. Rex? 51. 52
Imperii initia meliora, finis ſæpè inclinat 118
Impoſtor qvidam perſonatus 245. *ſeqq.*
capite plexus 258
Impoſtor Demetrius *vide* Demetrius.
Incubo necatus Walander R. S. 4
Incuria imperii in principe 348
Indiam occidentalem ſocietate navigationis adire tentat Guſtavus Adolphus 556
Indigenis Sveciæ, vi legum, dignitates committendæ 118. 121. 136. 158. 406
Induciæ non ſemper ſolent eſſe fidæ & tutæ 142
lucrandi temporis & ſe corroborandi cauſa ſæpius fiunt 183
Induciis bis deluſi Sveci à Danis 142
Induciis bellum profertur, non tollitur 536
Indulgentiarum caupona nimia 180
ad qvid reperta 245
Infantem labentem excipiens Angelus 714
Ingellus I. vel Ingeldus 30
Ingellus II. 45
trux homicida 46
in bello agnus, in pace leo 47
ſeipſum combuſſit *ibid.*
Ingelſtad pagus 30
Ingemarus Rex Svec. 38
Ingialdus I. 38
Ingialdus II. *ibid.*
Ingo I. Svec. Rex 29
Ingo II. 49
pacem inter Sveos & Danos firmat 49
Ingo III. 69
juſtum imperium gerit *ibid.*
Ingo IV. 72
Rex probus inſidiis extingvitur *ibid.*
Ingolſtadium Svecis prodere tentat Cratzius 619
Ingolſtadium fruſtra attentat Guſtavus Adolphus 594
Ingremarus princeps Sveciæ 6
Ingria accedit Sveciæ regno ſub Guſtavo Adolpho 533
Ingridis nuptias fruſtra ſollicitat Olaus Norvegus 57. 58
eas obtinet Jariſlavus Moſcoviæ Princeps 60
Ingvarus 38
Inſidiæ confictæ 189

in bello præ virtute aperta priſcis neglectæ 174
Inſigne Holmiæ 78
Svecici regni tres coronæ 111
de ejus uſurpatione poſtulati Dani 326. 338. 341. 353. 518
ad tempus utriqve reges illud uſurpant 386
Sigismundus Danis iſtud concedit, ſed nullo jure, 446. 518
utriqve regno conceditur, absqve prætenſione alterius in alterum 522
Inſignia in nuptiis regalibus 377
Inſula Eqveſtris 55
Spiritus S. 102
Interim liber à Svecis rejectus 327
Interulis lineis albis fallitur hoſtis 174
Joachimus Fridericus Comes Mansfeld. Dunemundam Polonis eripit 462
Johannes I. *Adoleſcentulus* cognomine, rex Svec. 82
Johannes II. Danus Gothlandiam à patre oppignoratam redimit 163
trium regnorum rex eligendus 162
inaugurationem petit 163
coronatur Sveciæ Rex 167
Stenonem inſidiarum cauſa accuſatum citat 169
exauctoratus à proceribus in Daniam migrat 170
cum Svantone Sture de regno dimicat 175
bona Svedorum damnatorum confiſcat 176
reſtitutionem in regnum ab iisdem petit 177
Lubecenſes hoſtes pronunciat 174
cum iisdem pacem facit 176
qvam pactorū mutua reſciſſio ſeqvitur 178
ſed iterum pace inita 179
decedit Oleburgi 180
Johannes III. natus 299
adhuc princeps Finlandiam accipit 377
Livoniæ inhiat 338
in Angliam migrat nuptiarum fratris cauſa 342
juſſu fratris Erici XIV. R. S. captus carceri mancipatur 357. 358
ſpem liberationis ex carcere accipit 360. 368
eodem dimittitur 374. 381
ab Erico callidè appellatur *Rex* 374
cum fratre Carolo Ericum regem Holmiæ obſidens carcere damnat 377. *ſeqq.*
Rex electus ſtatum regni inſtaurat 381
pacem cum Ruſſo & Polono init *ib.*
bellum cum Danis continuat 382
pacem cum iisdem facit poſt 8. annorum bellum, nec non cum Lubecenſibus 386. 387
Pontificiam religionem introduci meditatur 388
à variis ad id ſtimulatus 391
librum liturgiæ fratri Carolo obtrudere nititur 392. 399
bellum cum Ruſſo varia fortuna gerit 394 *ſeqq.*
Polono Livoniam exqvirenti acriter reſpondet 400
cordatè reſpondet & Theodoro Moſcho 403. 404
filium ad Coronam Polonicam evehendum abnuit 408. *ſq.* 412
veneni ſuſpicione moritur 414
funus ejus effertur 422
Johannis III. R. S. affectus erga fratrem Carolum 404
Aulæ ſplendor 415
filius, Sigismundus, creatur Rex Poloniæ 405
lingvarum cognitio 415
mores & ſtudia 380. 414
nuptiæ primæ cum Polon. R. ſorore, Moſcho prælatæ 354. 375
ſecundæ 403
regia inauguratio 382
uxoris mors 402
Johannes Baſilius, Ruſſorum Czar, à Carolo IX. R. S. auxiliares copias impetrat 477. *ſeq.*
Jacobum de la Gardie *Soſpitatoris* nomine & variis muneribus honorat 481

imperio abdicato monachi vitam eligit 488
Johannes, Princeps, cum rege Guſtavo Adolpho in Scaniam irruit 506
in Hallandiam penetrat 507
Ducem Sax. Erneſtum fugat *ibid.*
aggerem hoſti adverſum exſtruit 512
Johannes, Comes Hoienſis 228. 231
fit perfidus Guſtavo I. 280
ejus exitus 288
Johannes, Præſul Upſal. 141
æmulus & adverſarius Caroli Canuti *ibid.*
aſtutia ejus in collecto pro rege exercitu, pro ſe contra Regem uſurpato 148
qvomodo ſe in ara templi Upſal. militiæ devoverit 149
auctor adſciſcendi in Sveciæ regnum Chriſtierni 150
cur in vincula datus ſit à Chriſtierno 151
tandem vinculis ſolvitur 154
obit 155
Johannes Gothus ſeu Magnus Upſalienſis præſul, Malmogiam miſſus 231
Biblia Svetice transferre aggreditur 240
Comes vernalis creatur 241
regno Svec. excluſus 242
Romæ ſcripſit hiſtoriam patriam *ibid.*
Johannes à Mœnichuſen 351
Jönecopiam Danus obſeſſurus, arcetur 512
Jonas Scriba ſuæ fortunæ faber 256. 257
Jonas Magni 175
Jonas Michaëlis 202
Jorunder Svec. Rex 31
Jösſo Erici 123. 133
Iſora, Roſcildiæ portus 15
Iſraël, Hermannus, Lubecenſium Legatus 226. 230. 244
Itzehoa 722. 727
à Carolo X. injectu globorum ignitorum incenſa 814
Ivarus Axelii 157. 162
Ivarus Vidfarin 46
Judicia injuſta inuſitata ab Erico XIV. inſtituta 370
Judiciorum regiorum ordinatio publicata 524
Julia quid? 213
Julius, Axelius 275. 281
Jumento vili ignominioſè impoſitus Nicolaus Svanto Sture 368
Juramentum, qvod Rex ſolvit, num detrahat ipſius Majeſtati 129
Juris Svecici codex 77
recognitio 95
Jurisjurandi eluſio 129. 188. 235
Jusjurandum præfide regi data reſciſſum 144
Regis Sveciæ 421
etiam rege abſente executioni mandari poteſt 427
Juta, Henricus 235
Jutiam tenens Hetha virgo 35
tributariam ſibi facit Carolus X. 814
Juvenis ſenum prudentiam & experientiam qvandoqve præſtat 229

K.

Kagge (Ericus) 359
Kagge (Laurentius) 728
Kalba 661
Kehlhemia 638
Keplinga Inſula 115
Kerckholmenſis clades Caroli IX. 460. *ſq.*
Ketelbergius 126. 127
Ketelmundi, duellator ſtrenuus 96
Sveciæ Vicarius 102
Kexholmia urbs à Svecis vaſtata 398
Ob præſtitum auxilium Svecis in perpetuum data 478
Jacobo de la Gardie dedita 497
Kexholmienſis Schola 704
Kiöl colles 64
Kirckberga 592
Kitzinga 598
Knaphöfdhe dictus Ragvaldus Rex S. 72
Knipperdolling 233
Kokenhuſa à Polonis diripitur 451
urbs à Carolo IX. R. S. capitur *ibid.*
Jano Radzivilio deditur 452
Königsmarchius Erico XIII. Regi ab intimis 123
Königsmarchius (J. Chriſt.) Verdenſem arcem occupat 727

Stadam

Stadam & omnem Bremam Sveonibus ſubjicit 732
Saxonem premit 738
Pragam obſidet 743
Köningshovia 588
Koleſundium fretum 212
Kongella 256. 275
Krumme Jacobus 269
Nicolaus 245. 350
Kruſe, Laurentius, eqvitatus Dux ſub Carolo X. 775
Kurke, Canutus Erici de Lauko 222
Kule Ericus 191
Kyle, Johannes 316
Severinus 312

L.

Ladoſia 90. 93. 146
Ladulås Magnus Svec. Rex 89
unde ſic cognominatus 93
Extraneorum qvorundam indigno obſeqvio ipſi ſervientium amans, & præ indigenis promotor 90
Folchungorum invidia & odio extraneorum oneratur *ib.*
Invehitur in Folchungos & alios qvosdam ſolo nomine nobiles 91
qvomodo Folchungorum tumultũ & cruentum facinus primum diſſimulando, deinde per artem eliciendo & auctores plectendo ſuppreſſerit 92
in Comitiis agi curat de augendis regni & aulæ bonis 93
Utiles ejusdem leges & inſtituta *ib.*
Pietas ejus & ſacrorum ſtudium 94
Prudentia & æqvitas in componendis controverſiis *ib.*
Erga eundem defunctum ſubditorum deſiderium *ib.*
Laholmia 130
Lambertus Matthiæ 187. 191
Landsbergam ad Wartham occupat Leslæus 634
Landscrona dicta alias *Coronia* 285
arx à qvo extructa? 95
capta à Ruthenis 96
diruta ab iisdem 97
occupata à Severino Nordyo 239
à G. Hornio 728
Landshutum in Bavaria à Svedis occupatum 640
Langius Nicol. 150. 281
Laniena Holmenſis Chriſtierni 190. *ſeqq.*
Lappones R. Sveciæ tributarii 356
Lappones Boreales ſuæ jurisdictioni vendicat Danus 490. 492. 493. 519. 522
Lapponiæ argenti fodina noviter reperta 626
Laſciviæ vindicatæ exempla 42. 74
Laurentius Andreæ 229. 233
Laurentius Bubbe, Vice-amiralius, nobilitatur 499
Laurentius Erici 205
mollis & deſes 207
in balneo opprimitur *ibid.*
Laurentius Johannis capite plectitur 192
Ejusdem nominis alius ſeditionem adv. Evangelicos movet 305
Laurentius Olai 133. 202. 203. 205
Laurentius Petri Nericius Archiepiſcopus Upſalienſis 233. 273
verſionem Bibliorum Sveciæm edit 306
moritur 389
Laurentius Siggonis R. Marſchus 274
obit 330
Leale arx 82
Ledholmia, inſula Oelandiæ, à Danis expugnatur 510
Legatorum immunitates qvousqve extendantur 709
Legatos qvam cautos & providos eſſe oporteat 331
Legatus contra mandatum agens, ſuo periculo 145
Legatus detentus 354
malè à Ruſſo tractatus 383
Legatus, ut vulpes agens, interfectus 40
Leges annonariæ 325
Leges *Bircenſes* 41
Leges Chriſtophori Bavari 137
Leges Ingelli à Spaa collectæ 47

Leges regni Svecici 118. 121. 160
Legum ſervantia in principibus exlex 117
Legum ſervantiſſimus Ingo III. 69
Lekoo arx 212
Leionhufuudh Carolus L. 349
Lemgoviæ obſidio 688
Leo X. Pontif. Rom. indulgentiis nundinatur per oras Boreales 180
Lex Helgonis in Svedorum ludibrium lata 13
Libelli famoſi ſub capitis pœna prohibiti 387
Libellorum maledicorum contra Guſtavum I. refutatio 322
Libido vindicata per fœminas 42
ſubditos 74
Liboporenſe Dantiſcanor. munimentum 778
Lictoris filia, Regina Sveciæ 376
Lidcopia 511
Lilloenſis arx 155
Limitum diſtinctio inter Sveciam & Norvegiam 56
Edmundi inter Sveciam & Daniam 67
inter Sveciam & Ruſſiam 159. 249. 332
Lindormus Rex Svec. 19
Lingvarum peritus ad reſp. Legatis, Johannes III. 415
Lipſia à Bannerio obſeſſa 672
ab Holkio oppreſſa 623
occupata à Torſtenſohnio 718
Lipſia ſe Tillio obſidenti tradit 583
Lipſienſi prælio Tillius cæſus 585. ſeqq.
Literæ fictæ 136. 180
Literæ ſuſpectæ non ſemper intercipiendæ 654
Literæ per mendicum urbe obſeſſa emiſſæ 638
Lithuania in fidem R. Sveciæ accepta iterum deficit 769. 781
Liturgiæ liber à Johanne III. obtruſus 391
415
dictus ruber 392
rejectus à Sacerdotibus & Carolo principe 392. 393. 399. 412
ab ipſo Johanne rege 416
Livoniæ auxilium petenti inhiat Joannes Dux Svec. à patre Guſtavo I. ob id increpatus 338
in eam plurium jus ib.
Livoniæ partem ſibi vendicat Ericus XIV. 349
350
Livoniæ Regis titulo Holſat. Ducem decorat Ruſſus 385
inqve ea Revaliam fruſtra ad deditionem per obſidionem ſollicitant 385. 386
Livoniam à Johanne III. occupatam fruſtra qværit Polonus 400. 408
eandem invadit Farensbachius præfectus Polon. 449
Livoni, ſævitia Pontificiorum coacti ad Svedos deſciſcunt 450
eorundem virgines impudicè ſtupratæ 450
fruſtra eosdem ad defectionem à Carolo IX. Rex Svec. ſollicitat Sigism. 454
Lodbrook 43
Lodia arx 398
Löcknitzium 662
Loitzium 577
Loknitzii arx expugnata 576
Lotharingiæ Dux cum Cæſare contra Svecos ſentit 621
Lovizium Polon. oppidum 763
Lubeca caput Hanſeaticarum civitatum 304
Lubeca obſidione liberatur per Svecos 84
Lubecæ arma fruſtra intentat Chriſtophorus S. Rex 139
Lubecenſes reſcindunt pacta cum Danis 177. 178
Svedis commeatum navium mittunt 178
pacem ineunt cum Danis, præteritis Svedis 179
Guſtavum I. claſſe juvant 215
ab eodem privilegiorum confirmationem extorqvent 221
ad Gothlandiam occupandam hortatur Guſtavum I. 226
contra Daniam movent 282. ſq.
pacem faciunt cum Danis 291
commerciorum uſu ſe privant in Svecia 327
pro

pro ruſticis habentur ab Erico XIV. R. S. 358
Lubecenſium fœdus cum Stenone Sture 163
ſolvere id nititur Johannes Daniæ R. 172
à qvo hoſtes pronunciati, ſed & reconciliati 174. 176
Lubecenſium privilegiorum à Svecis confirmatio vi extorta 221
eorundem reſciſſio, ſolutione facta 278. ſq.
repetitio fruſtranea 304. 324. 328. 330
adſtrictio anguſtior 351
Lubecenſium claſſis tempeſtate disjecta 369
Lubecenſibus regnum Svec. ære alieno obſtrictum 221
ex campanarum templorum collatione iſtud ſolvit 269
ſolis immunitas vectigalium à Svecis conceſſa 260
Lublinum 775
Lucenſe prælium Sveo-Cæſareum 603
Lucro ſapientia victa 682
Ludis præter fas deditus Ericus XIV. S. R. 347
Luneburgenſis Dux, cum copiis Danicis, Svedos adoritur 498
Luneburgo præſidia imponit Bannerius 665
expelluntur præſidia impoſita 673
Luporum corda toſta comeſa 45
nomine dicti ſævi homines 43
timore falſo terror Landsbergæ 690
Lupuleta plantanda 338. 339
Lupus Johannes 204
Lutherana religio ſub Guſtavo in Sveciam traducta 233
cauſatur conjurationem adverſus regem 261
Lutheraniſmi defenſio regia 248
Lützenſis pugna ad Lipſiam 603
Luxus tributa exegit 412
Lycka 362
Lycus flumen clade Tilli nobilitatum 593

M.

Machovius 333
Magdeburga: ſe eo recipit Chriſtianus Gvil. Adminiſtrator Halâ fugiens 575
hoſtilis ejus expugnatio 581
eam munit Bannerius 663
Magdeburgenſis Archiepiſcopatus à Svec. poſſeſſus 611
Electori Brandeb. conceſſus 628
Magdeburgenſe Granarium 660
Magi fraus in prædicendo Rege Svetiæ 407
Magia oculos præſtringit 23
Magica vi canis loqvax 28
Magicæ periti reges Sveciæ: Ericus IV. 23
Ericus VI. 49
Nordius vel Nordianus 3
Othinus 2
Magnus, Daniæ princeps 382
Revalienſem arcem fraude occupat 384
Livoniæ Regis titulo à Ruſſo ornatur 385
Magnus I. rex Svec. 89
dictus *Ladulås* 93
vide & Ladulås
Magnus II. 102
cognomine *Smeek* 106
poſt Ketelmundum vitiis indulget 103
Scaniam pecuniæ ſumma ſibi acqvirit *ib.*
eandem iterum alienat 106
regno excluditur 108
Gothiam accipit ad vitam tolerandam 109
Alberto regi rebellis capitur *ib.*
freto ſubmergitur 110
Magnus, Danus; cur inter reges Sveciæ non numeretur 72
Joh. Magnus cruci affixus à Chriſtierno tyranno 192
Makalös qvid 361
Malmogia 86
Chriſtierno eripitur à Friderico Daniæ rege 224
Mansfeldius Comes Joachimus Frider. Dunemundam occupat 462
Mantenfel Friedlandicus Francofurto præfectus 635
Manteufel præfectus Danicus 360
Mare Balthicum aperit clauditqve Svec. rex 351
navigant Holmenſes 322
Margareta Sveciæ regina ab eqveſtri ordine accepta 111

plene

plene creata 118
regnum ejurare cogit Albertum Megapolitanum 117
Monachorum amica dicta 111
ludibrio habet ſubditos 119
tributa exigens immodica *ibid.*
Succeſſorem ſibi vivæ petit *ibid.*
peſte decedit Flensburgi 123
MARIA ELEONORA, Guſtav. Magni R. S. conjux 535
ejus obitus & ſepultura 763
Marcilius, Gallus ſcriptor libri inediti, de belli inter Sveeos & Danos cauſis 352
Mariæburgum deditione occupat Guſtavus Adolphus 552
occupat & Carolus Guſtavus 777
Mariæſtadium exſtruit Carolus IX. 462
Marſtrandia 508
Martinus Helſingus, Secretarius, ob libera verba transfoſſus ab Erico XIV. 373
Martyrium Adalvardi & Stephani 51
Matthias, Stregnenſis antiſtes, cives ad fidem regis Chriſtierni reducit 187
capite plectitur 191
Matrimonium diverſæ religionis Sveciæ infelix 354.391
Maximilianus Cæſar Svecos perduelles declarat 176
Medicum cordatè alloqvitur vulneratus Guſtavus Adolphus R. S. 556
Megapolitanus Dux Albertus creatus Sveciæ rex 107. *ſqq.*
Meierus, Marcus, Conſul Lubec. ex fabro 278
Vardbergam occupat 286
captus rotæ imponitur 289
Mekelburgenſis Guſtavi Adolphi expeditio 572
Ducatus fermè totus per eundem recuperatus 583
Melerus lacus in Uplandia olim *Logen* dictus 2.55.93
Menſa communis in Acad. Upſalienſi 459
Menſæ cambii 356
Mercari vicatim non licitum 232.325.396
Mercatores Chriſtophori, regis Svec. perſonati 139
Mercatorum *burſa* 100
Mercatura prætoribus interdicta 231.247.248
Mersburgum à Tillio captum 583
à Cæſarianis deſertum occupat Guſt. Adolphus 588
Meſſenius de epitaphii regii auctore 402
de Upſalienſium privilegiorum amiſſione 474
Metallifodina in Pitho reperta 626
Mevam obſidet Sigismundus Pol. R. 553
Guſtavus Adolphus eam obſidione liberat 554
Poloni recuperant 557
Meurſius, Danicus hiſtoricus 43.153.168
Michaël Fedrovitz, Ruſſorum Czar eligitur, præterito Carolo Phil. 523
Miles ex Epiſcopo *Vide* Epiſcopus.
ſacerdote 263
Milites frugales & aqva ac corticibus viventes, inſuperabiles 204
vino dediti, cladi hoſtili opportuni 206
Militum ſociorum ſeparationis & ſeceſſionis cauſæ ac remedia 216
Militaria Guſtavi I. conſilia 335
Minqvitz Cæſaris in Svetiam ad Ericum regem Legatus 360
Miſſas liturgicas obtrudit Joh. III. 391. 416
deſerit easdem iterum 416
Mithoviam, Curlandiæ Ducis ſedem, capit Guſtavus Adolphus 545
Militis cognomen Johannis 82
Mitzlan. præfectus 661
Mogius Matthias 109
Moguntia, eam capit Guſtavus Adolphus 589
in ripa ejus Guſtavoburgum exſtrui cœptum 590
Molitoris filius per nuptias nobilitatus 256
Mollerus, Hermannus 279
Ludenius 280
Joh. Moltk, Nobilis Megapol. ſtratagema 577
Monachium, Bavariæ urbs, à Guſt. Adolpho deditione capitur 595

Monachos, pigros ventres, expellere ſtudet Guſtavus I. 241
Monachorum opes ad coronam retractæ 255
Monachus Amberga libello venenato petit Guſtavum Adolphum 571
Monaſterium Alvaſtrenſe 79
S. Claræ Holmiæ à Guſt. I. dirutum 217
Gripsholmienſe 239. 248
Julithanum *ibid.*
Novæ vallis 195
Padenſe 350
Vadſtenenſe 424
Uretenſe 79
Warnhemenſe 69. 79
Monaſteria Holmiæ à Magno extructa 94
oneribus bellicis gravata 247. 252
Monaſterienſi paci fruſtra obnititur Papa 746
Moneta Erici XIV. 380
Vide plura in Nummus.
Moneta cuprea ſubſtituta ab Erico pro argentea 123
à Danis Svediæ importata 224
Stannea Griphisvvaldenſium obſeſſorum 577
Monetæ evectio in Svetia prohibita 239. 322
pravæ invectio in Sveciam vetita 294
Sveticæ ordinatio Carolina 456
Monetam cudendi jus 427
Monetariæ officinæ; Svecia nonnul. 147. 224
Monetarii audax facinus 147
Montani 180. 201
Montecuculi à Guſtavo Hornio cæditur 602
Montes lapidum projectu defenſi 23
Montium viri 270
Moraäng pratum 30
Morbus *Scorbutum* dictus 96
Morbus qvidam periculoſus *Sudor Anglicus* dictus etiã hic in Svecia graſſatur 269
ejus deſcriptio & cura *ibid.*
Morenſes Dalecarli: eos contra Chriſtiernum concitat Guſtavus I. 201. *ſeq.*
Mornæus, Carolus 339
Mornax, Claudius 366
Mors ex nulla cauſa ſibi ipſi conſciſcenda 11
Mors Svantonis Sture occultata 180
Mortis ſuæ diem prævidit Guſtavus I. 344
Morſteinius, Delegatus Polonicus ad R. S Carolum X. 761
Moſchorum ad 60. annos cum Svecis pax 179. 222. 249
Moſchos inter & Magnum II. bellum 104
Moſcovia ope Svecorum Ducis, Jac. de la Gardie, ab hoſte liberata 480. 481
Moſcoviæ Dux de pace mittit ad Guſtavum I. 332
ad eum legati pacis è Svecia 337
poſcit promiſſam ab Erico XIV. uxorem Johannis 375. *ſeq.*
cujus denegationem armis ulciſcitur 388
ejus ſuperbia impudens 383. 384
Moſqva urbs à Pſeudo-Demetrio obſeſſa 477
Motala, amnis ſiſtens 370
Mulierum qvarundam viriles animi 32. 82. 111. 119
Muliebre imperium 35
Mulſum vide *Aqva mulſa.*
Munera inſidioſa 188
Munificentia primatus inter virtutes regias 14
Munkeboda 210
Mutationes imperantium freqventes non ſemper ex uſu publico eſſe 118
Mylius, Bernh. bona uxoris ſuæ à Guſtavo I. expetit 295
cum Dackio rebelli ſe conjungit 299

N.

Nårdmøra 54
Nanna Gevari Regis Norvegiæ filia 16
Narva, ſtapulæ urbs 350
in Svecorum poteſtatem concedit 388. 398
à Ruſſis obſidetur 413
Narvenſis navigatio qvatenus Danis permiſſa 396. *ſeq.*
Naſcoviam deditione capiunt Sveci 824
Nativitatem Chriſti antecedente nocte pocula Svecana 174
Nativitatis Chriſti die trucidatus Sværcherus II. Rex S. 74
Nativitatis Chriſtierni tyranni portenta 196
Erici XIV. præſagia 281

Guſtavi I. prodigium 197
Naufragium Svecorum legatorum 403
Navis grandis magnitudinis *Makalôs* (incomparabilis) dicta, CXXV. tormentis majoribus armata periit 361
tres præfecti claſſi pari cum poteſtate imprudenter ab Erico præponuntur 362
cum nave prætoria incenſa Andreas Beronis conflagravit 362
Nearchus princeps Sveciæ 3
Negotia publica cirumſpectè conſignanda 331
Neoburgum ad Viſtulam à R. Guſtavo Ad. captum 559
Nericii, Præſulis Upſal. verſio Bibliorum Svecica 306
mors 389
Vide & Laurentius Petri.
Neutralium per terram, neceſſitate urgente, innoxius militum tranſitus 623
Nicolaus Boëthii 167
Erici 234
Krumme 245
Petri 150
Stenonis 134. 245
Nicopenſis arx diruta 102
Nidroſia 143
Nidroſiæ præfecturæ 54
Niordus princeps Svecorum 3
Nobiles Svec. æſtimati virtute à Guſtavo I. 340
ſollicitati à R. Dan. ad rebellionem fruſtra 352
trucidati à Chriſtierno Tyranno 191
ab Erico XIV. 372
trucidati ingenti clade prope Halmſtadiam 811
Nobiles facit virtus, non genus 340
Nobilitatis privilegiis donati Stetinenſis Magiſtratus 849
Nobilitas Svecana 91
Nobilium de prædiis avitis controverſiæ 295. *ſeq.*
Nobilium cum ignobilibus ſancitæ nuptiæ 156
Nobilium penuria ex trucidatione Chriſtierni *ibid.*
Nomen *Jacobus* Sveonum regibus inuſitatum 64
Novogardia magna in proverbium abiens 498
Noralenſes 262
Norby Severinus 177. 182. 199. 211. 225. 242
DEI amicus & omnis mundi hoſtis 225
perfidus 230. 232. 244
interitus ejus 244
Nordianus vel *Nordius* Sveciæ princeps 3
Nordlingenſis Sveonum clades 640
Noriberga præſidium Svecicum recipit 592
neceſſariis operibus communitur à Guſt. Adolpho 597. *ſq.*
Norvegi regem ſibi poſcunt Carolum VIII. Sveciæ regem 143
libertate omni privantur à Chriſtierno 172
Norvegia regno Sveciæ adjecta 42
Norvegiam iterum occupat Chriſtiernus ejectus 273. *ſeq.*
Notheburgum Ruſſis adimit Magnus Smeck 104
mox amittit idem *ibid.*
qvam valida arx ſit 335
Novercæ Torilæ iniqvitas 11
ejus pœna 12
Novogardenſis Caſtellanus 383
Nudlo tranſitus 777
Nummus Coronationis Chriſtinæ Svec. reginæ 731
Daniæ regis, contra Chriſtinam Svec. Reg. belligerantis 721
Erici XIV. R. S. 389
Griphiswaldenſium obſeſſorum ſtanneus 877
pretioſus 122
Nundinæ Ericianæ 78
Nundinationes prætoribus vetitæ 247. 248
Nuptiæ apud Boreales fortitudine conciliandæ 43
Nuptiæ aſtutè impetratæ ab Ulfone 65
repudiatæ ab Haqvino 107

Nuptiæ

Nuptiæ nobilium cum ignobilibus ſancitæ 256
Nuptiæ regiæ temerè arroſæ 257
Nuptiæ per legatos contractæ: Jarislavi Moſcoviæ principis 60
Erici Pomerani, R. Sveciæ 122
Haqvini, Magni II. R. S. filii 107
Nuptiarum R. Gothari legati familia oppreſſa 36
Nuptias averſatur Eliſabetha, R. A. 343
Nyburgum à Svecis occupatum 822
Nycopiæ arx traditur Guſtavo 213
Nycopiæ arx, Waldemari regis cuſtodia & Birgeri R. fratrum carcere & fame mortifera famoſa 94.99.101
Nylöſia à Svecis expugnata & exuſta 507
Nyslottenſis Schola 704

O.

Obdamius Batavorum Archithalaſſus 835
Obſes: Guſtavi Trolle, Guſtavus Erici 182
deinde Chriſtierni II. in Daniam captivus contra datam fidem abductus 184
inde elapſus Rex Sveciæ fit 199.220
Obſeſſi turbam inutilem emittunt 218
Obſidio rotarum ſtrepitu ſublata 336
ſuis ejulatu aſtute tolerata 171
Occaſio & tempus in bello præcipui ſunt momenti 66.820
Occaſio ſemel neglecta, temerè non redit 331
Oculi vocantur Conſiliarii 159
Odder Princeps Sveciæ 3
Oddevalla 819
Odemothia vel Odemarkia 51
Odenſala à qvo dicta 2
Odini nomine Diabolus illudit 80
Odinus Priſcus R. Sveciæ 2
cur Upſaliæ voluerit habitare? *ib.*
Ejusdem inſtituta, Judices & Reſpublica, magia & præſtigiæ *ibid.*
in Deorum numerum relatus fuit 3
Odium hoſtis cum poſitis armis ponendum 34
ultra mortem adverſariorum productum 187.193
proximos inter acerrimum 101
ejus inter Svecos & Danos prima habita cauſa 13
Odia magna preſſa nocentiora ſunt profeſſis 18
Oelandiam occupat Chriſtiernus Daniæ rex 147
ab Ivaro Axelii recipit Steno Sture præfectus 163
fruſtra recuperare tentant Dani 508
ex pacificatione cedit Danus Guſtavo Adolph. S. R. 522
Oeſiliæ epiſcopus hæreditarius Dan. 382
Olaoburgum 159
Olaſtra, Dalleſtröm/ 83
Olaus Axelii 142
Olaus Beronis 191
Olaus Martini 261
Olaus Magnus, Præpoſitus Scarenſis 212
Olaus Tryggonis, Rex Norveg. 53.*ſq.*
S. Olaus, Rex Norvegiæ 52
Olaus I. R. S. dictus *Arborum Caſor* 47
tributo levat cives *ib.*
Chriſtianam fidem amplectitur 48
Olaus II. cognomento *Skötkonung* 51
ad pacem ſollicitatus ab Olao Norvego 57
fidus religionis per adſcitos ex Anglia ſacerdotes inſtaurator & cuſtos 52
Ejus inſtituta 53
bella contra Norvegos felicia gerit 54
obſtinato Olai adverſus Regem Norvegiæ odio, turbæ oriuntur populi, ſed ſedatæ alterius filiæ nuptiis, nolente volente patre 57.*ſq.*
obit, Lincopiæ ſepultus 64.65
Elogium ejus, ſed cum exceptione pertinaciæ 65
Oldenburgicus Comes dux Lubecenſium contra Daniam 282
Oldenbrok, Caſparus 350
Olo Rex Daniæ 35
Olomuzium 717
Oleburgum caſtellum 174
Omundus aliàs dictus *Brantamundus* cur? 41
Opes Monachales ad coronam retractæ 225

diminutæ 267
Opifices intra urbem coërcentur, nec ruri artem ſuam exercere permiſſum 232
Opolinenſi in campo fugati Poloni 765
Oppenſtenium 127
Opſloa 273
Ordinationis Eccleſiaſticæ in Svecia reformatio 391
Ordinum convocandorum jus penes qvem? 426
Ordo ſacer oneribus publicis non exemtus 247. 252. 307
Orebroa 126. 163. 170. 207. 305
Orianus 150
Ornâs prædium 200
Oereſtenium 127
Oſculo crucis pax confirmata ap. Ruſſos 383
Oſculo veneratur pugionem in ſe transfixum Sture 372
Oſtamis 39
Oſtenus I. rex Sveciæ 28
ſævus in Norvegos nimis *ibid.*
Oſtenus II. combuſtus 38
Othenus princeps Sveciæ obſcuri nominis 2
Othinus princeps Sveciæ 2
Vide & Odinus.
Othonius Legatus Danicus 274
Ottarus Wendilkråka dictus 37
Otto Dux Brunſvicenſis 318
Ottonis vel Othini ſinus 31
Oxenſtirna (Gabriel) ob vectigalis negotium ad D. R. miſſus à Guſtavo Adol. 546
Chriſtinæ reginæ tutor 608
decedit 704
Oxenſtirna (Axelius) Regni Svetici Cancellarius 549
Hiſpanos ad Rhenum reprimit 597
reginæ Chriſtinæ Tutor 608
belli Sveo-Germanici ſupremam curam poſt mortem Guſt. Ad. habet 609
Oxenſtierna (Ericus) Boruſſiæ regalis Gubernator, ibidem febri ardenti extingvitur 770
Oxius Petr. 130

P.

Pacifici cognomentum Frothoni datum 3
Pacis Sveo-Cæſareæ firmandæ negotium Danicum ſuſpectum 685
Pacis Sveo-Germanicæ fœdus 746
ejusdem lenta tractatio 744. *ſq.*
ejusdem executio 747
ejusdem fruſtra tentata à Papa, Innocentio X. reſciſſio 746
Pacis pactum oſculo crucis firmant Ruſſi 383
Padenſe cœnobium 380
Paderborna 614
Palatinatus duo in Polonia à Carolo Guſtavo R. S. occupati 763
Palatinum Fridericum reſtituere tentat Guſt. Adolphus S. R. 592
Palatinus Comes Birckenfeld Heidelbergam capit 610
Pannorum probatio in Svecia 458
Papæ fulmen minitatum Chriſtierno I. 151
in Stenonem Sture 163
in Svecos, exeqvente Chriſtierno II. 183
Papa num habeat poteſtatem abſolvendi qvenqvam à jurejurando hæreticis præſtito 419
vide & infra *Pontifex*.
Pappenhemius Huxteram & alia capit 596
Eidem Bremenſem ditionem Svetici eripiunt 597
Cæſarianis in prælio ad Lucenam labantibus ſuccurrens, acie occumbit 605
Parnovia 398
Parricidium qvoddam duorum filiorum 5
Paſcua regia 106
Pater provinciæ appellatus Comes Brahe 676
Patibulo, qvod ipſe erexerat, affixus Holſtenius Nicolai 395
Patientiæ inter virtutes primatus 14
Patrimonii Upſalienſis origo 3
Pecoris cuſtodes ex regis filiis facti 11
Pecorum paſtus in regii pratii parte 106
Pecuniæ contemtor Ericus IX. rex 75
Pellibus ferinis explorandi cauſa induitur Gramus 7

Peper-

Peperſack Johannes 350
Perduellio punita 268
Peregrinatio promiſcuæ juventuti Svecicæ prohibita 524. 535
Peregrini qvanta cum cautione admittendi & civitate donandi 115
officiis primariis non lege admittendi 90
110
Peregrinis regibus ægrè paretur 153
Perfidia Birgeri, Proregis 85. 86
Perleberga 666
Peſtis in Svedia 100. 164. 365. 395
Petſchura 792
Petzura à Svecis occupatur 514
Peutingerus Conr. aliàs Conradus *à Phy* dictus Guſtavi I. Cancellarius 305. 306. 310
facundus & verſutus, ſed ſimul libidinoſus, avarus & malitioſus 317
qvalem vitæ exitum habuerit 318
Pflugius 315
Philippa, Erici XIII. conjux 122
Philippoburgum ſibi cedi poſtulat Galliæ R. 618
ad deditionem Svecis faciendam cogit Rheingravius 634
Philippus rex Svec. 70
Phy vel *Pyby* dictus Peutingerus 317
Piaſecius Polonus Hiſtoricus 418
Pickisburgum 127
Pietatis ſtudium pacem & arma ſecunda facit 569
Pilæ ludo nimium adhærens Ericus XIV. 347
Pileus argumentum pacis 214
libertatis ſignum 130
Pileus Ventoſus dictus Ericus VI. 49
Piratæ: ab iis regnum purgat Canutus 79
eorum ſpecioſum *Vitalianorum fratrum* nomen 116
mare iisdem aperit rex Danorum Johannes 178
Pirnam expugnat Bannerius 692
Piſcatio libera in mari occidentali 329
Piſcatio Titisfordenſis Danis cum Svecis controverſa 490
Plateæ directæ ac dimenſæ 726
Pleſcovia 394. 398.
à Guſtavo Adolpho S. R. obſidetur 525
Plettingus 170
Pluviæ nimium inundantes 122
Pluvia ſangvinis in Svedia 100
Pluvioſa nimis tempeſtas in Svecia 321
Podagra vexatus Svanto Sture 179
Torſtenſohnius 737
Pœnitentiales ob pluvium cœlum dies 321
Poëtæ olim *Scaldi* dicti apud Scandianos 57
Poloniæ rex Caſimirus benignè excipit Carolum Sveciæ regem 149
Sigismundus *vide* Sigismundus.
Poloniæ regis Stephani de Svecis dictum 399
ejus cum Ruſſo fœdus Zapolchienſe 400
Rex Sigismundus regnum Sveciæ prætendit 464
Poloni fœdus Svecicum fruſtra expetunt 369
à Svecis cæſi 369
Revaliam vanè deſiderant à Johanne III. R. S. 393. *ſq.*
Svecorum auxilia oblata reſpuunt 399
Polonici regni candidati 405
Polonico-Svecici belli cauſæ ſub Carolo IX. & ſub Guſtavo Magno 464. 473. 548
Ejusdem cauſæ ſub Carolo Guſtavo X. 750. 759. 761
Polonus à muliere in certamine vincitur 422
Pomerania: caput ejus Stetinum primo in Germaniam adventu occupat Guſt. Adolphus 570
Ducis absqve maſculis hæredibus decedentis ſucceſſor Brandeb. Elector *ibid.* 670
Sveciæ Coronæ in perpetuum feudum ab Imp. R. cedendum poſtulatur 627
qvod ægrè ferenti Electori Brandeb. diſſimulat Chriſtina regina per literas 648
Ejus incolas humaniter tractant Sveci 661
Ejus inter Sveciæ Coronam & Electorem Brandeb. diviſio 671
in defectu maſculæ lineæ Brandeb. Sveciæ regi tota cedenda ex Inſtrum. Pac. 891

Pontifici Romano tributum an miſerit Olaus II. 51
vide & *Papa.*
Pontificia religio Svecia ejecta 233
eam reducere in regnum tentat Johannes III. 388. 415
à variis ad id ſtimulatus 391
reducere etiam tentat in coronatione Sigismundi, Fr. de Mala Spina 418
eidem addicti regno excedere juſſi à Guſtavo Adolpho 224
Pontificiæ auctoritatis ſimulacra in Svecia 82
Pontificii malè tractant Evangelicos 261
eosdem in religione turbatores Svecia ejiciendos decernunt Comitia 424
Pontificii edicti prætextu, exercitæ à Chriſtierno ſævitiæ in Svecos 183. 184. 190. 195
Porcellus Svedorum dictus annulus qvidam 15
Porſius perfidus 90
Portenta creationis Erici XIV. 320
nativitatis Chriſtierni tyranni 196
Erici XIV. 281
Guſtavi I. 197
obitus Margaretæ 328
Poſſe, Canutus 101. 165
Poſſevinus, Apoſtolicus ad Johannem III. nuncius 391
Poteſtas regum Sveciæ 59
Praga à Königsmarckio obſeſſa, finis belli Sveo-Germanico-Cæſarei 744
Pragam fruſtra adoriuntur Arnhemius & Bannerius 639
Bannerius iterum fruſtra adoritur 697
Pragenſis pax Evangelicorum qvorundam cum Cæſare 650
ea excluduntur Sveci 652
Pragum 783
Præcedentia inter Svec. & Dan. nunqvam deciſa 521
Prædatio militum deſcripta 579
Prædia tributaria & coronaria 299
tributaria aliàs *Cenſitica* 306
Prædiorum nobilium lites immenſæ 295
eorundem nundinatio ſub Chriſtophoro 138
Præfectorum provinc. avaritia & injuſtitia 122
adverſus hanc qverelæ & bellum 124. 125
eorundem officium 159. 231
Prælîandum cum hoſte qvando non ſit 366
Præſcriptio uſurpati inſignis 354
Prætores furibus annumeravit Carolus IX. S. R. 502
Prætextus ſceleris 262
Principis nimia animi remiſſio 347
Principum imperium ſub pactis 118
Privatarum rerum reſpectus qvomodo officiat publico 121. 229
Privilegia Lubec. à Svecis extorta 221
eadem ſolutione facta, reſciſſa 278. 279
fruſtra ab iisdem repetita 304. 324. 328. 330
ab Erico arctius determinata 351
Privilegia ſub juſto regis arbitrio 241. 242
Probatio per candens ferrum inſtituta 53
abrogata 86
Prodigia belli Dano-Svecici ſub Carolo X. 801
creationis Erici XIV. 320
nativitatis Chriſtierni 196
Erici XIV. 281
Guſtavi I. 197
Proteſtantes, Lipſiæ congregatos, ad religionem tuendam hortatur Guſt. Adolph. 580
fœdus Evangelicum cum Svecis ineunt, *ibid.*
fœdus iſtud ejurare eosdem hortatur Cæſar 582
de ſumma belli adminiſtratione poſt mortem Guſt. Adolphus R. S. concertant 611. *ſeq.*
Heilbrunnæ fœdus contrahunt 615. *ſeq.*
Pragenſi paci pleriqve nomen ſuum profitentur excluſis Svecis 652
Pſeudo-Demetrius 477
à Sigismundo Pol. R. ſubornatus 529
Pſeudo-Sturius 245. *ſeqq.*
capite pœnas luit 258

Pudicitiæ læſæ pœnas dat Sivardus II. 42
Svercheri II. filius 74
Pueruli bini immaniter trucidati à Chriſtierno 195
Pugiles aliqvot nobiles ab Haldano rege proſtrati 25
Putzkia 552

Q.

Qvackenburgum 613
Qvaditius, Juſtus 237
Qvæſtores annumeravit Carolus IX. S. R. furibus 502
Qvartiani ſe Regis Caroli Guſtavi fidei permittunt 767
iidem rebelles facti iterum deficiunt, & qvo prætextu? 772
Qverfurtum 698
Qvintinus de Ponte, Guſtavum Adolphum inſidiis petit 571

R.

Chr. Radzivil, Lithuaniæ princeps in Livonos ſævit 450
contra Carolum Gyldenhielm copias mittit 451
opem laturus Rigenſibus obſeſſis à Svecis repellitur 538
Rigenſibus deditionem exprobrat 542
Jan. Radzivil Kohenhuſam deditione accipit 452
Wendam qvoqve capit 453
Råfsnås prædium Guſtavi 200
Ragnildis fons 72
Ragotſcius, Transſilvaniæ Princeps, conjungit ſe cum S. R. Carolo X. 793
eidem Bretzia capta traditur 801
Ragotſcii infelicitas imputanda ipſimet, ob ſpreta ſana conſilia 800. 805. 806
Ragvaldus Svec. Rex occiſus à Danis 25
Ragvaldus *Cerebroſus*, Rex 72
à Weſtrogothis occiditur, & cur? 73
Raimundus Cardinalis, Nuncius Apoſtolicus 174
Raina Bavariæ urbs, à Guſtavo Adolpho occupata 593. *ſq.*
Wrangelio deditur 741
Ramſæus Scotus Hanoviam arte defendit 662
ſtolido lucro tandem vincitur 682
Ranarike 54
Rankhytta 200
Rankhyttenſe horreum *ib.*
Rantzovius, *Johannes*, Eqves Holſatus 239
Rantzovius *Daniel*, Nobilis Danus 365
Rapinæ fœdæ Svecorũ principis Walandri 4
Raptus virginum non indecorus olim Svecis 7
Rationarium regni 93
Ratisbonam fruſtra aggreditur Guſtavus Adolphus 594
Bernhardus Dux Vinar. expugnat 624
Cæſariani præfecto Kaggio eripiunt 637 *ſeq.*
Rector ſimplex falſo vocatus M. Elias 474. *ſeq.*
Rectoratus Academ. Upſalienſis 523
Reditus cœnobiorum ſupervacui ad coronam Svec. retracti 255
Rednitium fl. 601
Refo Legatus Danicus ad Svecos ſaxo obtritus 40
Regalia in nuptiis regum Svec. 377
Regalia in nuptiis regum Svec. 377
Regem contra inſurgere non licet 117. 126
duello absqve vecordia abeſſe 44
Regis nomen, ut invidioſum, in Svecia omiſſum 157
Regium Fretum 55
Regina ſine braccis, Margareta ab Alberto per contemtum dicta, Regem tamen braccatum vicit & tenuit 112
Regnaldus Rex Svec. 25
Regnerus Svec. Rex 11
Regnerus, Daniæ Rex, Heroti R. S. filiam qvomodo nactus fuerit 43
unde *Lodbrook* dictus? *ibid.*
Regni fructuum augendorum, & onerum publicorum, præſertim belli ſublevandorum media 93
Regnum Sveciæ vide *Svecia.*
Religio non coacta plus crevit in Svecia 52
exem-

exemplo ſuo agnovit Johannes III. 416
Religio Chriſtiana in Svediam traducta 39
Lutherana ſub Guſtavo I. 233. 322
Religionis fœdus cum Guſtavo I. expetitum 298. 315
Religionis Lutheranæ cauſa exules à Guſtavo Adolpho in Svecia recepti 555
vindex idem Guſtavus Adolphus 584
Reſervata Ungarica 401
Retheran rapinæ 4
Revalia Svecis ſubdita 349
fruſtra obſidetur à Ruſſo 386. 394
Revalienſis arx per Kurſelium prodita 384
recuperata aſtu 385
Rex ſub dio creatus 30
Rheingravius, Otto Ludovicus 634
Ribbingianam familiam deſtruit Chriſtiernus tyrannus 195
Rigæ fœdus cum Stenone Sture 161
Rigam ad deditionem hortatur Carolus IX. R. S. 451
iterum eandem obſidet 453
eandem gravi obſidione concuſſam deditione accipit Guſtavus Adolphus 536 599
ejus incolæ cauſas deditionis ad Polon. regem perſcribunt 540. *ſeq.*
ſed graviter ob id exprobrantur à Principe Radzivilio 542
eam proditurus Tribunus detegitur 550
eandem obſidens Ruſſorum Czar, Alexius Michaël valide repellitur 790
Polon. Gonſefskius obſidens rejicitur 818
Ringius Anabaptiſta 233
Ringo Haqvinus Rex 32. *ſq.*
Ringſtadholmum 126. 134
Risbyenſe caſtellum 508
à Danis captum 509
ex pacificatione Svecis reſtituendum 522
Rithama 332
Rituum Eccleſiaſticorum mutatio 391
Rodericus Svecorum rex 17
dictus *Sluugoband* cur? *ibid.*
Rodolphus 39
Rollerus Norvegiæ Rex 19
Rolvo Rex Daniæ 13
Rolvonis patientia ad ignem 14
Romblaburgum 127. 146
Romfertuna 205
Ronavvius 159
Roſcildia 283
Roſenbergius, Arnoldus 338
Roſchildenſis pax Sveo-Danica 825
non diu ſervata 826
Roſenhane, Baro 756. 759
Roſtochium 116
Rotarum ſtrepitus fugat obſidentes 336
Rotheran rapinæ fœdæ 4
Rous 13
Ruda 569
Rudius 174
Rugenvvaldia 142
Runæ abrogatæ 53
Runsdalia 54
Ruſſi qvali bellica virtute valeant 389
ob fines imperii debellati 159
pacem ſimulant cum Johanne R. S. 381
Legatos Svecicos male tractant 385
qvam arcem primam in Svecia expugnarint? 389
è variis locis pelluntur à Svecis 398
pacem perpetuam cum Svecis inire negligunt 403
pacem confirmant cum Sigismundo Pol. & Svec. R. 423
filium Caroli IX. S. R. minorem natu, Czarem ſuum poſtulant 498. 503. 514
Carolo Phil. præterito eligunt Michaëlem Fedrovitz 523. 532
unde flamma belli inter eos exorta, ſed ſopita mox eſt 525. 533
Eorum novus annus à Septembre 790
Ruſſus poſtulat Johannis S. R. uxorem 375 *ſeq.*
ob ejus denegationem armis ultum venit 388
ejus ſævitia immanis 389
ſuperbia impudens 383. 384
inducias cum Svec. factas non ſervat 391
rheda, ab hominibus tracta vehitur 414

æternæ

æternæ pacis cum Svecis fœdus rumpit propter occupatam à Svecis Lithuaniam 769. 789
Rigam obſidens valide repellitur 790. ſq.
Ruſſorum cum Svecis ad 60. annos pax 179. 222. 249. 294
ad 40. annos 338
Ruſticus ſtratagemate hoſtem fudit 88
Ruſtici armati ad præſulem vindicandum 151
Ruſticorum mons 113
Ruſticorum ingenium 87. 88
Ruſticis alterum pedem alteramqve manum præcidi vult Chriſtiernus II. 193
Rutheni Careliæ inhiantes 104
invadunt Finnoniam 332. 334
Ruthenum cum Guſtavo I. invaſurus Sigismundus Polon. 333
Ruth otto 364
Rymningia 207. 209
Ryningii:
Benedictus 169
Ericus 191
Nicolaus 350
Rysbyenſis parœcia unde dicta? 21
Ryting 150

S.

Sacerdotum conjugium 84
Sacramentum fidelitatis annihilat Pontifex 264
Sacrificulus paganus excœcatus viſum recipit 51
Sagittâ os Chriſtierni I. transfoſſum 159
Sagittarii periti 34. 69
Sala fluvius Sveciæ 402
Saltatores Scoti conjurantes puniuntur 390
Salvus conductus contra qvid muniat 244
Salvi conductus integra ſcriptura 706
Sapiens cognomen Erici III. 20
Sapientia regis 15. 16
Saxo Elector medius inter Cæſarem & Svecum 580
fœdus Evangelicum ejurare recuſat 582
contra Tillium Saxoniam invadentem armorum ſocietatem à S.R. expetit 583. *ſeq.*
pacem excluſis Svecis, cum Cæſare inire parat 646
cum Bannerio Sanderslebii de cedendis metatis diſceptat 647
Svecos ut hoſtes perſeqvitur 652
Pragenſem pacem cum Cæſar. contra Svecos cur inierit 657
Scaldi dicti Poëtæ 57
Scania Daniæ regno vindicata 67
Scania Gothis colonis impleta ab Erico I. 1
Magni II. imperio acceſſit 102
Scaniam alienatam fraude recuperat Danus 106
Eadem una cum Provinciis Hallandia & Bleckingia, pace Sveo-Danica Anno 1660. in perpetuas proprietates & poſſeſſiones regno Sveciæ ceſſerunt 939
Scatelerus contra Ericum IX. conjurans 77
Scelus in autorem redit 216
Schefferi Upſalia 402. 475
Schlangio brachium direptum ictu tormenti 701
Schmedemannus, Johannes 350
Schoningia 38
Scipio Gothorum 197
Scorbutum 96
Scoti à Svecis ad Ruſſorum partes tranſeuntes 390
conjurantes in Johannem R. S. ſupplicio afficiuntur 390
Scytharum propago in Finnoniam, & inde in Sveciam 2
Securitatis literæ contra qvid defendant 244
Seditio Thuronis contra Guſtavum I. 261
ejus literæ regi manifeſtatæ 262. 263
Seditiones Dalecarlorum per Guſtavum Trolle 238
per Pſeudo-Sturium 246. *ſeqq.*
ad collationem æris campanæ 271
Segeburgum 282
Seges ſiccata in conditoriis 356
Senatus non niſi ex indigenis legendus 158
Vide & tit. Indigenæ.

Senatus non ex peregrinis conſtituendi lex qvomodo capienda 267
Sepulturam obtruncatis denegat Chriſtiernus tyrannus 193
Guſtavus Præſul 187
Serpens tyrannidis Chriſtierni præſagus 196
Servi non vendendi 86
Servili regimini prælatum caninum 28
Servilis ſors in regis cujusdam filiis 11
Severini Norbyi fuga & mors 244
machinationes 237
titulus faſtuoſus 225
Sicinskius, Polon. Dux, Kokenhuſianis auxilium miſit 451
Svecos ſecuros fugat *ibid.*
ab iisdem Svecis, alea inverſa, fugatur 452
Sigari, Daniæ R. filii prædones 26
filia ejus ſtuprum patitur dolo *ibid.*
Sigbrita, anicula 218
Sigfridi fons 52
Sigfridus Eboracenſis Epiſcopus, fidem Chriſtian. propagat in Svecia 52
Siggo Johannis 201
Sigillo celata innocentia 191
Sigillum regium Svecicum 78
Sigiſmundus Poloniæ rex arma ſociat cum Guſtavo contra Ruſſum 333
Sigismundus (III. ap. Pol.) Sveciæ princeps in carcere natus 369
in Pontificia religione educatus 415
Poloniæ rex creatur, legibus capitulationis expreſſis 405. 406. 407
per magum in voce *DEUS* prædicitur 407
Polonico regno carere eum mavult Pater 408
ob conditiones ipſe idem regnum reſpuit, ſed accipit tandem 411. *ſeq.*
Patre adhuc vivo ſucceſſor defuncti deſignatur 388
Sveciæ rex confirmatur 413
per literas è Polonia ſummam regni credit Carolo patruo 417
Holmiam adveniens ſolenniter excipitur 4. *ibid.*
obligationem de invariata A. C. protrahit *ibid.*
jurare cogitur in A. C. ſolam in Svetia ſervandam 418
à cujus juramenti vi ſolvi neqvit diſpenſatione P. R. 419
cavit regni Proceribus obligatione & diplomate 420
jusjurandum in coronationis actu præſtat 421
vices regni, non regias tamen, ſe abſente, defert Carolo patruo 422. 423
in Poloniam profectus pacem cum Ruſſis init 423
Jeſuitas poſt ſe relinqvens Papiſmum propagaturos 424
Contra Sudercopienſia, à Carolo Gubern. inſtituta, per legatos proteſtatur 425
Legatis hiſce pro Decretis reſpondet Carolus Princeps 426. *ſeqq.*
Ordinibus regni, intereſſe conventui Arbogenſi à Carolo indicto, vetat 432
per Legatos iterum expoſtulat de Caroli violentis in Svecia actionibus 434
è Polonia in Sveciam ire parat 436
munimenta regni præcipua violenter occupat 436. 43[illegible]
plebem à Caroli partibus fruſtra abducere conatur 43[illegible]
Copiæ ejus impreſſionem faciunt in caſt[illegible] Caroli Ducis 439. 44[illegible]
Stongæbroënſi prælio à Carolinis fugatu[r] 440. *ſeq*
ad Carolum de pace mittit 44[illegible]
qvam Lincopiæ paciſcuntur 44[illegible]
contra Pacta inſciis Ordinibus in Poloniam recedit 44[illegible]
fruſtra ab Ordinibus in Sveciam literis re[-]vocatur *ibid*
Eidem & hæredibus ejus imperium Sveci[æ] in perpetuum renunciant Ordines 44[illegible] *ſeqq*
cauſis exaggeratis 46[illegible]
qvot annos Sveciæ & Polon. rex fuer[it] 44[illegible]

ob ablatum regnum Carolum IX. & Ordines hoſtes declarat 448
Livonos ad defectionem à Carolo fruſtra ſollicitat 454
Regnum & regium titulum Sveciæ prætendit per Senatores 464 ſq.
Sveciæ ſubditos ad defectionem literis ſollicitat 509
Jacobum de la Gardie, Comitem Svec. allicere ad ſe conatur 515
ſubornat Pſeudo-Demetrium Ruſſicum 529
copias ſuas cum Cæſareis contra R. Guſtavum Adolphum jungit 561
Signis, Sigari, Danorum R. filia 26
ab Hagbardo ſtupratur dolo 27
ſeipſam cum aula comburit 28
Sigrides regina 52.53.54
Sigtrugus Sveciæ rex 7
globo aureo transfoſſus à Gramo 8
Sigtuna urbs unde dicta 2
valde vaſtata 79
Sigvardus I. Svec. rex 22
vide & *Sivardus*.
Sileſiam adjutum eunt fœderati Evangelicæ religionis cauſa 601
induciarum imagine occupat Wallenſteinius 626
Silvæ imaginarius acceſſus 27
Silvarum loco extructi pagi, urbes &c. 48
Siolmus Sveciæ princeps 4
Sivardus I. 22
Sivardus II. cognomine *Frosi* 42
Skialva, Froſtonis filia, Agni uxor 6
Skötkonung, non *Skotkonung* dictus Olaus II. 51. 52
Skytte, L. B. regni Senator, inter Tractatus pacis Sveo-Danicæ obit 735
Slaghock 209.212.218
Slavvecka 156
Sleſvicum 35
Slemma dictus Emundus 67
Sobrinam ducere in uxorem qvatenus regi licitum 329
Sol lumine defecit in obitu Magaretæ 328
circa Solem varii coloris circulos depingi curat Johannes III. S. R. 414
globos emittit præuncios belli Sveo-Danici 891
Sölſsburgum 239
Solvisburgum arx 155. 239
Sommerus, Epiſcopus Strengnenſis 254
Sonitus nimius necans 164
Sonneborgenſis domus Sveo-Danica controverſia 517. ſq.
Sörshög collis 28
Soſpitator dictus Jacobus de la Gardie à Czare 481
Spå Vigerus JCtus 47
Spandavia præſidii tuti cauſa Guſtavo Adol. conceſſa 581
Spicaburgum caſtellum 102
Spina, *vide* Franciſcus de Mala Spina.
Sponſa regia intercepta 107
Sponſæ apud ſeptentrionales facinore pulchro conciliandæ 43
Stada à Svecis recuperatur 597
per Königsmarchium Sveonibus ſubjicitur 735
Ståkeholmum 127
Stammelius 215
Stapulæ jus Holmiæ concedit Steno 171
Starchaterus 22
Starchaterus ſicarius regis 35
Stargardia à civibus traditur clandeſtinè Guſt. Adolpho 571
incenſa, & à Svecis recuperata 653
deditione eam capit Marazinus 663
Steenſöa 199
Steenbok, Guſtavus L. B. 349
Stegeburgum Guſtavo deditione traditum 211. 213
Stegeburgum Guſtavus ComitiHojenſi concedit 228
Stekianam arcem obſidione cinget Steno 182
ſolo æqvant proceres 183
Stenchillus I. 50
Stenchillus II. 68
Steno Sture ſenior 158
patriæ valde ſollicitus 159

non perfidus fuit 168
Johannis electionem in regem impedit & protrahit 166. 166
Oelandiam recipit 163
fœdus init cum Lubecenſibus 163
præfecturam regni abdicat 166. 167
ſuſpicionem inſidiarum regi Johanni ſtructarum, amolitur in ſenatu 169
iterum conſtituitur, regni præfectus 170
Holmiam occupat 171
Norvegos ad detectionem à Daniæ rege ſollicitat 172
veneni ſuſpicione moritur 175
Steno Sture *junior* regni Svec. adminiſtr. 180
inimicum ſortitur Guſtavum Trolle 181
præſulatu movet ipſum Trolle 183
tormenti ictu occumbit 185
effoditur, juſſuqve Chriſtierni tyranni comburitur 193
ejus vidua, cum matre, cuſtodia dimittitur 223
Stenonis jun. filius à Lubecenſibus contra regnum incitatur 280
Stephanus Polon. R. ad Pleſcoviam obſidendam movet 398
Svedos dicit apros capere, ſe retia cuſtodiente 399
pacem cum Ruſſis icit ad Zepolchiam *ib.*
Livoniam per legatos petit fruſtra à R. Johanne 400
à Moſchoviæ Duce Smolencenſem & Severienſem Ducatus repetit 403
Stetinenſia pacta Svecos inter & Danos 386
Stetinum occupat primo ſui adventu Guſtav. Adolphus 570
fortiſſimè defenditur à Wurzio contra Cæſareo-Brandeb. 848
Stockholmia à Bigero primùm condita 86
vide & *Holmia.*
Stockmanshofen vicus 451
Stockſundia locus 6
Stongæbroënſe prælium 440. *ſeqq.*
Stralſunda 363
Stralſundenſes à Wallenſteinio obſeſſos, liberat Guſtavus Adolphus 560
Svecica præſidia apud eosdẽ confirmat Wrangel contra Cæſaris ſollicitationem 669
certum numerum peditum tantùm intromittunt Svecorum 675
Milites conductos exauctorare coguntur 690. *ſq.*
Strategotrophium 704
Strengnenſe oppidum expugnatum 188
Strengnenſia comitia 219
Studioſis Acad. Upſal. interdicitur à Rege geſtatio enſis 523
Stumfordianæ induciæ Polon. cum Svecis 652
Stuprum virginum Livonicarum 450
Sture, Nicolaus, jumento vili ignominioſè impoſitus 368
carceri incluſus obtrucatur 372
Sturius qvidam perſonatus 245. *ſqq.*
in Norvegiam ſe recipit 255
capitis ſupplicio affectus 258
Sturleſonius [illegible]
Svanshita expulſum Regnreum regno reſtituit 12
Svanto Sture, regni Svec. adminſtrator 175
laudabilis 179
Calmariam obſidet *ib.*
ab Imperatore R. proſcribitur 176
in Scania ac Blekingia direptionibus graſſatur 177
moritur Arhoſiæ 179
Suburbia Holmenſia 217
Succeſſio in Regno Sveciæ 347
Succeſſor ultima voluntate deſignatur Ungvinus 12
Succeſſor certus fit 120-157
Sudercopienſia comitia *vide* Comitia.
Sudor Anglicus, morbus 269
SVED occultatus in voce *DEUS* 40[illegible]
Sveci ab Imperatore R. ex Imperio proſcripti 176
cum Danis pacem faciunt 38[illegible]
Pace Pragenſi excluduntur 65[illegible]
Svecia Lubecenſib: ære alieno obſtricta 22[illegible]
ex campanis pretium ſolutionis deprom. 269. *ſq.*

Sveci

Sveciæ & Daniæ prioritas controverſa 521
Svecici juris codex 77
recognitio 95
Sveco-Anglicum fœdus 459
Sveco-Danicum fœdus 307
Sveco-Evangelicum Ordinum Imperii fœdus 580
Sveco-Gallicum fœdus 310. 679
Sveco-Ruſſicum fœdus 478
Sveco-Danici belli cauſæ ſub Carolo IX. R. S. 476. 489
ſub Carolo X. 801
ejusdem progreſſus 808
Sveco-Germanico-Cæſarei belli ſuſcipiendi conſultatio 563. ſqq.
cauſæ libello comprehenſæ 567
& literis ad Cæſarem 574
Sveco-Polonici belli cauſæ ſub Carolo IX. R. S. 464
ſub Guſtavo Magno 548
ſub Carolo Guſtavo X. 759. 760. 761
Svecorum principum primordia 1
rex qvis primus dictus 3
reges creandi ex S. Erici & Caroli VII. poſteris 78
reges dicti olim *reges Upſaliæ* 53
reges extranei 108
regis juramentum 421
etiam rege abſente executioni mandatur 427
regum indigenarum familia in Magno II. extincta 108
potentia per regni Ordines reſtricta 427
conjugium cum qvali perſona ineundum? 457
regnum converſum in *Adminiſtrationem* 157. 158
hæreditarium factum qvoad maſculos hæredes in Guſtavi I. familia 305. 319. 347
itemqve qvoad fœminas ſub Guſtavo Adolpho 457
Sveigder princeps Sveciæ 4
eqvo excuſſus periit *ibid.*
Sveitzium oppidum 559
Svenburgum 823
Sveno Daniæ Rex 74
Svercherus I. princeps Sveciæ 4
Svercherus II. rex Svec. 73
Svercherus III. civili bello implicitus 80
Sverinus ſive Svarinus, Gothorum Dux [illegible]
cum ſedecim fratribus cæditur *ibid.*
Sveviam victricibus armis ingreditur Guſtav. Adolphus 595
Svibdagerus vel *Svigdagerus* Sveciæ R. 8
Sundmöra 54
Supplicia capitalia pecunia non redimenda 356
Suppliciorum genera inuſitata 123
Sus: ſuis ejulatu obſidio tolerata 371
Suſpendio necatus *Agnus* 6
Svvartmannus 39
Svverdſiö 201
Sylvæ imaginarius acceſſus 27
Synodi Upſalienſis decretum 388
Synnanvveder, Epiſcopus Arhoſ. ſub Guſtavo I. rebellionis & perduellionis reus 245
officio removetur 223. 233
capite plectitur 245

T.

Tabernæ publicæ 93. 403
Talione necatus Hiartvvardus Rex Daniæ 15
Ingellus II. Rex Svec. 47
Regnaldus Svec. Rex 25
Tanskyus Comes 349
Tartarus Chrimenſis, Turcæ ſubditus, ab eodem contra R. S. Carolum X. militare prohibetur 799. 800
Tavaſtaborgk arx 83
Tavaſthii ad Chriſtianam fidem à Birgero Jerl, & Jarlero Præſule Upſal. converſi 83. 84
Taurus regem Egillum occidens 36
Tavvaſthuſienſis Schola 704
Tempeſtas claſſem Dan. & Lubec. disjicit 369
Templorum campanæ ad ſolutionem nominum regni collatæ 169. 270

Templorum deteɛtorum cuprum & campanas in Daniam abducit hoſtis 514
Templum Upſal. à Sverchero II. primo extrui cœptum, qvando abſolutum fuerit 76
Terſchenæ arx 692. 701
Teſſera militaris Svecorum & Cæſareorum in pugna Lipſienſi: *DEus nobiſcum; JEſus Maria!* 586
Teſſera Svecorum Hafniam obſidentium: *DEus adjuvet!* 842
Teſſera Svecorum Fridericiuddam oppugnantium: *Adjuva JESU!* 817
Thalerus (vel Dalerus) Svecicus qvanti æſtimetur 457
Eorundem originem *vide in Antiq. Sv.* 85
Thiſenius 729
Theodorus Magnus Moſcoviæ Dux, qvadrienni inducias confirmat cum Johanne R. S. 404
Theodorus Svec. Prorex, exuſtus 194
Thora, Heroti filia, Regneri conjux 43
Thorunium Svecis ſe dat 770
à Brandeb. Electore recuperatur 849
Thuro Johannis, adverſus Guſtavum conjuratorum dux 261
Dania ejectus ad Chriſtiernum confugit 268
Tigurenſes ob neutram partem tranſitum negant Svecis 622
Tillius Neobrandenburgum à Svecis recuperat 578
Lipſiam deditione occupat 583
ad Lipſiam ingenti clade afficitur à Sveo-Saxonicis 587
debellatur in Franconia à Guſtapho Adolpho 592
pugna ad Lycum lethaliter vulneratur 594
Timeri ſe ſentientibus animi creſcere ſolent 134
Titulus Severini præfecti faſtuoſus 225
Titulus Sveciæ regni uſurpatus cauſa belli Sveo-Polonici 464. 473. 548. 750. 761
Titulorum ex regnis diverſis in uno Rege qvinam præponendus 308
Titulus Lapponum Borealium à R. D. vendicatus 492. 493
Tituli ſolennis omiſſio à R. Guſtavo Adolpho exaggerata 566
Titulo *illuſtr.* decurtata ſcriptura à ſalvo conductu rejecta 706
Toſtaholmia 809
Tonſor factus prorex Sveciæ 194
Torchillus Canuti R. Marſchus, Birgeri M. tutor 94
prudens rerũ & ſtrenuus adverſus hoſtes 95
capite plexus & qvare 98. 99
Tordo Rex 19. 39
Torgaviam occupat Bannerius 671
Torgnyus Judex provincialis Uplandiæ 58
liberi oris *ibid.*
Torilda injuſta noverca Regneri 11
Torillus ſive Totillus rex Svec. 39
Tormenta coriacea 558
Tormentum ſingularis artificii 116
Torſiacum à Polonis liberant Sveci 480
Torſtenſohnius Tribunus peditum 360
Torſtenſohnius (Linnartus) Comes, R. Senator, Campi-Mareſchallus. In prælio ad Norinbergam capitur à Cæſ. & liberatus Landsbergam expugnat 601. *ſeq.*
Marazinum ad Wollinum in fugam propellit 653
Saxonicas legiones ſeptem ad Kiritzium cædit 659
Guſtavi M. de eo dictum 715
ſucceſſus ejus in Sax. Luſatia & Sileſia 715
Franc. Albertum, Ducem Lauenburg cædit 716. *ſeq.*
in Moravia, præter minora oppida, Olomucium caput provinciæ, cum præda, capit 717
Lipſiam occupat 718
in Holſatiam, Jutiam & Daniam inopinato & hybernorum ſpecie irrumpit 721
Fortuna ejus iſthic & progreſſus 722
Femeram occupat 274

contra

contra Gallaſium movet eumqve profligat 726.727.728
Qvo facto revertitur in Germaniam, & in Bohemiam ac Moraviam movet, uſus victoria ad Jancoviam 736.ſeqq.
Brinnæ obſidionem relinqvit 738
Tandem excuſatione morbi continui ex podagra abdicat imperium militare, ſed proſpera virtutis fama ibid.
Tott, Achatius, Polonos ad Grebini ſilvam cædit 557
à R. S. Guſtavo Adolpho eqveſtri honore ornatur 558
Griphisvvaldiam occupat 578
Tranſitus per neutram partem 623
Tratelia, Olaus rex dictus 47
Tributa exegit ferme nulla Ericus IX. 75
gravia Chriſtiernus 150
immodica Margar. regina, ob id exoſa 119
ob luxum veſtium & conviviorum 412
duello commiſſa 17
nova, ſolitum exhauſti ærarii refugium 234
Tributarius Rex num dictus Olaus II. 51
Tributorum relaxatio grata 47
Tributum perpetuum prædiorum 123
Trochi ludo nimis deditus Ericus XIV. R. S. 347
Trois urbs obſidetur à Sapieha 484
liberatur opinione 485
Trolle (Guſtavi) inimicitia cum Stenone Sture 181
machinationes de tradendo regno Chriſtierno ibid.
Trolle ſacra dignitate movetur 183
amicitiam redintegrat cum Stenone 184
caput erigit contra Chriſtiernum regem 186
criminationem inſtituit Holmiæ contra proceres 190
Trolle Arvidus 167.283
Birgerus 141
Ericus 180.223
Herlevus 364
Trondhemenſibus ab Oſteno canis præpoſitus 28
Trondhemenſem ditionem Daniæ Rex recuperat 840.ſeq.
Trotto Caroli 154
Trulleborg propugnaculum 33
Trulleburgum 127
Turainius, Gall. copiarum dux 739
à Königsmarchio offenſus cum Wrangelio jungere ſe, recuſat 743
Turcam num R. S. Carolus X. fœdere contra Chriſtian. Principes concitarit? 799
Turcæ legatum mittit Guſtavus Adolphus 597
Turcici belli cenſus à Guſtavo I. reqviſitus 311
Turdo in Ruſtad 202
Turo pugil 23
Turo Erici 256.268
Johannis 244.253
Petrus, Arcis Holmenſis præfectus 181
Turonis 159
Turrianus Comes 790
Turris trium coronarum Holmenſis 378
Tutorum Sveciæ regimen 608
Tvvdrenſia caſtra Jac. de la Gardiæ 481
Tycho Krabbe 178
Tycho Scarenſis Epiſcopus 145
Tyrannis Chriſtierni 190. ſeqq.
Tyrannus Svec. rex 39

V.

Vagitus uterinus Chriſtierni tyranni 196
Erici XIV. R. S. 281
Vallerius Gallus peditum ductor 185
Vandali ab Heraldo expugnati 44
Vardberga obſeſſa à Svedis 284
occupata à Marco Meiero 286
tradita Svedis 287
Varſavia à Carolo Guſtavo R. S. occupata 765
à Polonis expugnata 782
à Svecis recuperata 788
Ubbo Emmius 338
Ubbo legatus Ottari 36
Ubbonis Dani ſingulare certamen 17
Uddevvallum 508

Udho, Svec. princeps 2
Vecdta 613
Vectigal Warnemundenſe 694. *ſeqq.*
Vectigal tumultus excitat 94
Vectigal novum *Acciſum*, in Svecia ad ſubſidia militiæ 546
Vectigalium Svecicorum immunes ſoli Lubecenſes 260
Sveo-Danica controverſia 520. 522. 546
Veha, in cineres redacta 506
Velorum demiſſio 358
Venatio ferarum majorum 302
Venationis leges R. Chriſtinæ 740
Venator mulierum 111
Ventoſus Pileus dictus Ericus VI. 49
Verda à Svedis capta 597
Verdenſem arcem occupat Königsmarchius 727
Verdenſis Epiſcopatus ceſſit coronæ Svec. ex inſtrum. Pac. 892
Verendia 89. 155
Veru toſtus præfectus à Ruſſo 389
Veſtiariæ leges nullæ contra civilem cultum 248
Veſtitus aulæ recepta conſvetudo fruſtra à Dalecarlis diſputatur 247. *ſeq.*
Veſtium luxus tributis impendendus 412
Uffo Rex Sveciæ 9
congreſſus ſimulatione necatus 10
Ugerupius, Axelius 219. 255
Vichia provincia 398
Victoriæ obtentæ cauſa gratias agit Deo provolutis genubus Carolus IX. 443
Vikiæ incolæ tumultuantur 269
Vikiam ſibi reſtitui petit Danus 222. 223. 228. 269. 270
Vilmerus, ſive Vilchinus, Rex Gothorum 20
Vincentius Epiſcop. Scarenſis 191
capite plectitur *ibid.*
Vincentius Præſul Nidroſienſis 258
Virginis *Hetha* imperium 34
Virilia Sveticis exſcindunt Bavari 595
Visbya civitas 94
Viſmaria 1.6
vide *VViſmaria.*
Vitæ, Jutæ iidem 7
Vitaliani fratres 116
Vitesleta 7
Vitulinæ pellis domus 100
Ukermunda 674. 687
Ulfo aſtutè nuptias impetrat 65
Ulleråker (Ullerianus ager) unde dictus? 44
Ulfeldii 232
Ulfſtand 281. 302
Ulgæ Petrus 205
Ulpho Archiepiſcopus 160
Ultzena urbs 665
Ulvida Frothonis uxor 22
Ulvida Svercheri II. uxor 73
Unciales nummi 287. 456
Ungaricæ exceptiones 401
Ungvinus Svec. rex 25
Gothiam Svec. conjungit *ibid.*
ſubditos ut pater filios amat *ibid.*
Unio hæreditaria in Guſtavo I. inſtituta 320
in Carolo IX. confirmata 456. 457
Unio Boreal. trium regnorum prima ſub Svibdagero 8 59
Unio ſecunda trium Septentr. regnorum ſub Margareta 118. *ſeq.*
ejus præcipua capita 121. 160
Unio tertia conſultatur 160
Unionis regnorum ſimilitudo à capite & membris 425. 426
Votum Olai qvid 51
Uplandiæ fames ingens 258
Upſalia à Guſtavo I. capta 208
incendio conflagravit 388
Upſaliæ horti regii 77
Upſaliæ idololatriæ ſedes primaria 52
Upſaliæ qvondam regia ſedes 30. 53
Upſalienſe templum exſtrui cœptum à Swerchero II. 73
continuatum ab Erico IX. 76
incendio deformatum 139
Upſalienſes Academiæ ſeminarium non ſub Erico XI. 84
prædia à Guſtavi Adolphi munificentia 547
privi-

privilegia ejus 180
ea amiſſa eſſe falſo ſcribit Meſſenius 474
Rectoratus 523
rudimenta ejus 84
translatio in Holmiam 415
Upſalienſi Acad. donata Herbipolenſis bibliotheca expugnata 589
Upſalienſis arx fundata à Guſtavo I. 326
Upſalienſis patrimonii origo 3
augendi gratia conſultatio 93
Upſalienſis præſul prorex 82
coronam regi ſolus imponit 418
Upſalienſis Synodi decretum eccleſiaſticum 388
decretum de A. C. ſuſcipienda 417
Urn, Johannes Hafniæ præfectus 283
Axelius, Danicus Legatus 300
Urſa ſive Urſula, Atisli uxor 13
in gratiam filii Rolvonis Daniæ regis regiam gazam marito furatur 14
Urſi pro ſævis hominibus 43
Uſedomia inſula 569
Vulpeculæ penſio 40
Uxores regiæ luctu mortis mariti extinctæ 9. 12

W.

Waaleklеſua mons 87
Wadſtenenſes Guſtavo I. ſe dedunt 219
Wadſtenenſia Comitia 211
Walander princeps Svec. 4
Waldeck, Comes, Campidux Svecicus, Langelandiam capit 845
Waldemari inſula 217
Waldemarus S. R. 84
inter eum ac fratrem Magnum lites 87
regnum diviſum 89
incluſus carceri moritur 94
Waleſtad 210
Wallenſtenius maris Balthici dominium ſibi arrogat 559. 564
Stralſundam obſidens cœlo detrahere jactat 560
commeatum regi Guſtavo Adolpho ad Pegneſum fl. intercludit 598
acie decertare cum eodem rege noluit 600
Caſtra ejus oppugnatum it rex Sveciæ *ib.*
Hyberna in Saxonia qværit 601
à Sveo-Saxonicis vincitur prælio ad Lucenam oppidum 604
conjunctionem armorum cum Evangelicis ſimulat 622
Svecos ſubita impreſſione proſternit 625
Sileſiam induciarum imagine potitur 626
Wallerſted, Laur. Secretarius 776
Walramus Olaus 186
Wanlander Svec. princeps 4
Warberga arx munita 365
Wardberga dedita Svecis 287
Vide Vardberga.
Warmia à Guſtavo Adolpho rege occupata 551
Warnemundenſe munimentũ 678. 683. 686
Warnshemenſe templum à qvo conditum 69
Warsavia *qvære in* Varſavia.
Waſonum familia regnare incipit in Guſtavo I. 197
Weiſſenburgum recuperat Guſtavus Adolphus 596
Weiſſenfelſa capta à Tillio 583
Wenda à Ruſſis occupata 395
à Polono recuperatur 451
Wendilkråka cognomen Gothari 37
Wennerus lacus 93
Werbena 581
Wermelandia 48
Wermionum regio 48
Wermundus Daniæ Rex 18
Weſtrogothi regi Guſtavo fidi 264
eorum primores aliqvot à ſeditione abhortantur 265
Joh. de Werth 624. 633. 637
Weſenberga à Polonis capitur 456
à Svecis recuperatur 457
Weſtervvicum Dani occupare nituntur 511
Weſtphalia: ejus plura oppida capiunt Sveci 613
Wetterus lacus 93
Wiburgenſis arx & urbs conditæ à qvo? 95
arx obſidetur fruſtra à Ruſſis 164
Wiburgenſe Gymnaſium 704

Wiburgum capit Chriſtiernus Daniæ rex 148
Widasleth 7
Widulfus magus 23
Wigo 15
Wikia Daniæ regno reſtituenda poſtulatur 222. 223. 228. 269. 270
Wilda, Lithuaniæ Ducatus urbs, direpta 768
Wilshuſia 61
Winſena 666
Wisbur princeps Sveciæ 53
Wisburgum *arcem* exſtruit Ericus Pomeranus 123
oppidum obſidentes Sveci capiunt 142
ex eodem infeſtant arcem *ibid.*
Wisbyam obſidet Guſtavus I. 227
Danis tradit Severinus 233
Wiſmaria prædonum receptrix 116
Sveciæ Coronæ in feudum ab Imp. R. cedendum poſtulatur 627
Ducis Meklenb. reſtitui à Svetiæ regina petit Danus 678
Regno Svec. cedit vi Inſtrumenti Pacis 891
Wiſna, ductrix agminum 32
Wittenbergenſes Studioſos & Profeſſores comiter ac pie alloqvitur Guſt. Adolphus 584
Wittenbergius 700
in Polonos movet 763
ab iisdem capitur 782
Wittenius Witteni 837
Wittenſtenium arx prima à Ruſſis expugnata 389
à Polonis occupatur 456
infeliciter impugnat Carolus IX. 459
expugnat tandẽ & recuperat à Polono 461
Wittſtockium 666
Wolgaſtum 363
deditur Svecis 684
Wollenvveber rotæ imponitur 289
Wolmariam obſidet ac capit Zamoſcius Polonus 454
Wrangel, (Otto) Nobilis Livonus, à Tartaris captus 413
Wrangel (Helmoldus) *furioſus* dictus 731
globo trajicitur 743
Wrangel (Hermannus) fortiter dimicans capitur à Polonis 452
Ivanagorodiam præſidio firmat 489
Polonis fugatis commeatum eripit 560
Polonos ad Thorunium acie cædit 561
ex Boruſſia in Pomeraniam pergit 662
Jarziam recuperat 667
Wrangel, (Carol. Guſt.) Cæſarianos fugat 674
Danos mari profligat 729. 730
Comitis honore à Regina donatur 730
Ejus res mari geſtæ 733
Torſtenſohnii ſucceſſor 739
Ejus res geſtæ in Sileſia, Bavaria 740. 741
Bremenſem provinciam ab hoſte liberat 813
Jonſium capit 821
Croneburgum deditione capit 831
fœderatorum naves Middelfarto & Fionia reprimit 846. *ſeqq.*
Wurtzii, præfecti Svecici, fortitudo 798
Stetino præficitur 809
Stetinum fortiſſimè defendit à Cæſareo-Brandenburgicis 848

Z.

Zabellinæ pelles militibus in ſtipendium divulæ 488
Zacroſinum 764. 784
Zamoſcius, Polon. Cancellarius, ex mago ſciſcitatur futurum regem Polon. 407
ad Livoniam reſtituendam obligare vult Sigismundum 419
Eundem regem cum claſſe in Sveciam proficiſci jubet 436
diſſvadet regi Sigismundo bellum cum Carolo IX. S. R. 448
ad duellum per literas provocat Carolum regem, ſed viliſſimè ab eodem habitus 453. 454
Wolmariam in Livonia capit 454
Felinum arcem in Livonia expugnat 455
Zamoſcia 772. 775
Zapolchienſis pax Ruſſorum cum Polon. 400
Zedenckia 659
Zvinga fl. 732
Zvvickaviam capit Holkius 601
recipit in ſalvum Bannerius 711

INDEX II.

Actorum & Codicum MSS. hactenus ineditorum; ex qvibus ſupplevi, qvæ in Hiſtoria Svetica adhuc deſiderabantur, ut in præfatione mei operis hiſtorici memini.

Acta MSS. ex Archivo Regni Sveciæ Cancellariæ, qvibus non parum adjutus ſum.

Caroli IX. Regis Svetiæ annales MSS. qvos à Baronibus Schedingen utendos habui.

Olai & Laurentii Petri fratrum Chronicon Sveciæ.

Anonymi Chronicon Svec. } à Claudio Agræo J. C.
Petri Lampadii Chronicon Svec.

Anonymi Chronicon Svec. rhytmicum & Danielis Johannis Chronicon Svec. rhytmicum. } à Johan. Harдорphio Acad. Upſal. Secretario utendum accepi.

Johan. Meſſenii Scondia illuſtrata, qvæ extat MSa in Archivo Regni.

Chronicon vetus Sveticum à Meſſenio editum. Sed Johannes Schefferus gener meus MStum ejus rectius & perfectius habet, qvo uſus ſum.

Annales S. Olai Regis Norvegiæ in membrana ſcripti, ex Archivo R. & Illuſtriſſimi Regni atqve Academiæ Cancellarii Bibliothecâ, à Laur. Burel Svecicè verſi, & à Cl. Olao Verelio recognit. & cum Notis editi. Ex eadem Bibliotheca Annales Norvegicos MSS. acceptos, in lingvam Sveticam verti & ſuis ſumtibus edi curavit illuſtriſſimus R. Drotſetus Comes Petrus Brahe.

Olai Verelii Epitome hiſtoriæ Svec. MS.

Eraſmi Caroli Chronicon Guſtavi I. contractum, & aliud incerti autoris; qvæ ab illuſtriſſimo D. Erico Sparre R. Senatore & Præſide Judicii R. Aboënſis utenda accipi.

Elai Terſeri Præpoſiti Lixandenſis Fragmenta MS. Regum Erici XIV. & Joh. III.

Ejusdem Deſcriptio motuum Dalecarlicorum, qvæ mihi ab ejus filio D. Johan. Elai Terſero Epiſcopo Linc. utenda data ſunt.

Svenonis Elai Secretarii Acta diurna MSS. & Memorabilia Regum Sveciæ ab Anno M. D. LVI. usqve ad annum M. D. LXXIX.

Petri Marcilii Biturigis Galli Hiſtoria MS. de cauſis belli inter Svecos & Danos Anno M. D. LX. ſuſcepti ex illuſtriſſimi Comitis Magni Gabrielis de la Gardie R. Cancellarii Bibliothecâ, nunc ejusdem donum, præter alia Bibliothecæ Acad. Upſal. factum.

Arnoldi Joh. Meſſenii hiſtoria de cauſis belli inter Sigismundum & Carolum IX. qvam ab Illuſtriſſimo Domino Claudio Rhalamb R. Senatore utendum accepi.

Johannis Henrici Bœcleri hiſtoria belli inter Svedos & Danos trium annorum ab anno M. DC. XLIII. usqve ad ſeqq. MS.

Jacobi Rudbeckii Excerpta qvædam nuper geſtorum MSS.

FINIS INDICIS MSStorum.

JOHANNIS LOCCENII

ANTIQVITATUM SVEO-GOTHICARUM

LIBRI TRES;

In qvibus priſci Sveonum & Gothorum mores, Status regni atqve inſtituta, cum hodiernis pro re nata moribus & inſtitutis comparantur.

EDITIO QVARTA

emendatior & auctior.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Impenſis Viduæ & Hæred. JOACHIMI WILDII.
ANNO M. DC. LXXVI.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Regniqve Sveciæ
Cancellario & Senatori, Weſtrogothiæ & Daliæ
Judici Provinciali, Academiæ Upſalien-
ſis Cancellario,

Illuſtrisſimo & Excellentisſimo

COMITI AC DOMINO
MAGNO GABRIELI DE LA GARDIE,

Comiti de Leckö & Arensburg, Libero
Baroni in Ekholm, Domino in Hapſal, Magnus-
hof, Hellmett, Höyentorp, & Wen-
negarn.

ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE COMES, REGNI CANCELLARIE,

PATRONE MUSARUM MAGNE.

QVoties eximia divini Numinis benignitas ac ſingularis providentia bonas literas atqve artes, velut neceſſaria Reipub. præſidia, in regnis ac imperiis efflorescere voluit; egregios Principes ac Proceres excitavit, qvi Academias & Scholas, in iisqve doctores & diſcentes, vel auctoritate ſuâ tuerentur, vel præmiis inſtigarent. Non eſt, qvod extera qværamus exempla, qvæ domi in hoc incluto Sveciæ regno habemus. Ex qvo enim glorioſiſſimæ & æternæ memoriæ Reges Sveciæ, præſertim Guſtavianæ Familiæ, illam regiam cogitationem, inſtinctu haud dubiè divino, de eri-

erigendis in ſuo Regno Academiis, Gymnaſiis & Scholis ſuſceperunt, ſimul tantæ proſperitatis aura, etſi in mediis interdum bellorum tempeſtatibus, ei rei adſpiravit, ut laudatiſſimis illis Regibus ac Heroibus etiam eximia boni imperii inſtrumenta, regni Senatores & Magnates obtingerent, qvi ipſos Reges in tam regio inſtituto conſiliis ac hortatu confirmarent. Illa temporum felicitas eò meliori fato CAROLO XI. Regi noſtro Clemẽtiſſimo evenit, qvò optatior Ejus Majeſtatis ætati pacis ſerenitas affulſit; poſt DEUM, etiam Ill.^mæ^ T.^æ^ Excell.^æ^, ut capitis qvondam Legationis, prudenti & fideli labore procurata. Ejus enim pacis beneficio, pietatis ac humanitatis ſtudia tutius & efficacius excoli potuerunt. Velut autem Regia Majeſtas Paternarum ac Regiarum Virtutum exempla atqve incrementa qvotidie majora ac illuſtriora capit; ita

ita inter illa hoc qvoqve, qvod præter orthodoxæ religionis & omnium optimarum artium ſedulum cultum atq; exercitium, etiam humaniora Antiqvitatum ſtudia, per regni ſui Senatores ac Proceres, & præcipuè per Illuſtriſſimam Excellentiam Tuam in hac Regiâ ſuâ Academiâ Upſalienſi ex uſu publico provehi curavit. Eo fine ut Reg. Majeſtas clementiſſimè voluit, per Illuſtriſſimam Tuam Excellentiam hîc inſtitui & aperiri Collegium Antiqvitatum; ita auſpiciis Regiis dextrè & feliciter hoc perfecit. Qvum non modò hujusmodi Collegiũ, certis viris huic rei delectis inſtructum Excellentia Tua erexerit, ſed etiam variis Antiqvitatum monumentis, ex hoc regno auctoritate publica partim collectis, partim colligendis; imò propriis ex inſtructiſſimâ Tuâ Bibliothecâ Manuſcriptis ſexaginta qvinqve Bibliothecæ Academiæ Upſalienſis donatis illud lucu-

lenter auxerit, & velut inſignibus eruditionis & Antiqvitatis inſtrumentis ornarit. Præter hæc eximiæ Tuæ munificentiæ monumenta, vetus illud & unicum Ulfilæ MS.tum, qvod argenteis literis exaratum, & argenteis uncialibus ab Excellentia Tua redemtum, argentea qvoqve veſte indutum, dictæ Bibliothecæ largiri voluit. Sic, ut qvicqvid fortuna de reliqvis hoſtilibus ſpoliis fecerit, illud monumentum unicè Tuæ Excellentiæ beneficio ſervatum, & à Viris Clariſſimis deinceps illuſtratum editumqve Illuſtriſſimæ Tuæ Excellentiæ patria debeat. Hæc & alia, qvotqvot in Collegio Antiqvitatum ſumus, præter officii noſtri obligationem, moverunt, ut qvicqvid DEI ope noſtraqve induſtria elaborare, & ad optatum ſcopum perducere valebimus; illud, poſt DEUM & Regem noſtrum Clementiſſimum, eximio Tuæ Excellentiæ erga humaniores

literas

literas favori, & tantæ de publico ac noſtris laboribus ſollicitudini acceptum feramus. A meo verò munere ſeorſum haud alienum fore duxi, ut velut pars Collegii Antiqvitatum, Scriptum meum de Antiqvitatibus Sveciæ ſedulò recognitum & auctum, tanqvam laboris mei hactenus acti teſtem, in lucem ederem. Inprimis, ſi qvid hinc lucis & ornamenti priſcæ Sveonum & Gothorum memoriæ accedere poſſit, ad Illum qvaliscunqve mei laboris rationem redire par erat, qvi Collegii Antiqvitatum Illuſtriſſimus eſt Director & Fautor. Qvalem non prudentiorem, optatiorem, & dicto Collegio melius volentem bona fata nobis unqvam dare poterant. Talem, Illuſtriſſimam Tuam Excellentiam noſtro Collegio obtigiſſe, nobis omnibus unicè gratulamur. DEUS Illuſtriſſimam Tuam Excellentiam, cui poſt publici boni ſtudium tam arduum,

tam

tam ſerium ac indefeſſum, nihil prius & antiqvius eſt, qvàm Antiqvitatum patriæ cura, bono publico Patriæ & Academiæ diu incolumem florentiſſimamqve conſervet.

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Upſaliæ, A.d. 30. Octobr. M DC LXXIV,

humilimus cliens

JOHANNES LOCCENIUS.

PRÆFATIO

De inſtituto, ſcopo & ordine horum librorum.

QVod, benevole Lector, Antiqvitates Sveo-Gothicas literis mandavi, non temerario qvodam auſu, aut vanâ ambitione, ſed occaſione & cauſis juſtis adductus feci. Occaſio, qvæ me huc primò invitavit, illa fuit, qvod ad Profeſſionis Hiſtoriarum, olim in hac Regiâ Academiâ mihi demandatæ, partes etiam hoc pertinere credidi, ut Antiqvitatum Sveciæ notitiam qvandam mihi ac juventuti, majoris in hiſtoriâ regni hujus explicandâ luminis cauſa, compararem & inſtillarem. Itaqve in veterum Auctorum lectionem me altius penetravi, & qvæ meum inſtitutum juvare poterant, haud otioſè collegi. Ex illis hi tres libri, qvos nunc in publicum do, mihi nati ſunt. Votum qvidem non modò meum eſt, ſed etiam aliorum, ut plura exſtarent veterum monumenta, qvibus rerum Gothicarum antiqvitates magis illuſtrari poſſent, inprimis veteri lingvâ patriâ conſignata; & poſt illa Dionis & Q. Critonis Getica, Priſci & Ablavii hiſtoria Gothica, Photio, Suidæ, Jornandi & aliis paſſim laudata; ex recentioribus autem Hemmingi Gaddi Antiqvitates Sveciæ; qvarum mentio exſtat apud Johannem Magnum Hiſt. Svec. lib. XXXIII. cap. XX. Verùm qvum hæc omnia temporis iniqvitas nobis ſubduxerit,

)( )(præ-

præſentibus contenti ſimus, qvæ vel ex auctorum veterum ſparſis leviter hîc aut illic Gothicæ vetuſtatis reliqviis, vel preſſis Scriptorum domeſticorum induſtriâ magis veſtigiis & ſemitam monſtrantibus, ulterius indagare licuit. Ad iſtæc in lucem proferendum hæ me impulerunt cauſæ: Qvum in moribus ac inſtitutis Græcorum, Romanorum, & aliarum exoticarum gentium inveſtigandis laborem, in publicæ & literariæ rei uſum poni viderem; ſi non majorem, certè non minorem in priſcis ritibus inſtitutisqve patriæ cognoſcendis operam nobis collocandam eſſe, perſvaſum habui: ne foris qvaſi domeſtici, domi peregrini eſſemus. Ipſa eqvidem natura non ſolùm ante oculos verſantia, ſed etiam longius remota & externa cognitione digna, ſciendi cupiditatem liberalibus nec protrita qværentibus ingeniis injeciſſe videtur. qvidni morem majorum & domeſtica eò potiori deſiderio, qvò propiori neceſſitudinis gradu nos contingunt, ſcire cupiamus. *Amore patriæ*, inqvit Tullius in Oratore, *majorum noſtrorum inventa noſſe debemus.*

Cæterum hîc qvidam ſic nobis regerunt: Qvid utilitatis ex veterum inſtitutorum obſervatione ſperandum erit? qvum hæc ætas aliam vitam, alios mores poſtulet. His ingenuè reſpondebo: Qvod majorum inſtituta (de rectis loqvor) candida ſimplicitas & integritas qvædam, qvalis in homines cadere poteſt,

poteſt, nobis commendat, eò magis ab interitu vindicari & in literas referri, majorum memoriæ ac laudis, & poſteritatis intereſt: cui honeſta majorum recordatio, & ab illis probè exercitorum morum recognitio ad imitandum ſtimulus erit. Haud ignoro, qvædam majorum inſtituta civilia delicatis ut inſcita, imperitis ut barbara, diſplicere; qvædam etiam ludibrio eſſe, non aliâ, qvantum video, cauſa, qvàm qvod ab ipſorum moribus aliena ſunt. Verum enimverò ſi hac viâ pergendum eſſet, omnia nova, cujuscunqve notæ eſſent, extollere, omnia vetera damnare oporteret; qvum tamen hominũ conſvetudinem & mores non tempore, ſed ratione, bonitate ac vero uſu æſtimandos eſſe ſciamus: qvibus roborati, etiam pro lege accipi ſolent. Sanè priſci multa præclara invenerunt, qvæ deſvetudine abolita, in uſum aptè revocari expediat. Qvod nec ipſe Auguſtus neglexit, *dum qvædam ex horridâ antiqvitate ad præſentem uſum flexiſſe*, prudentiſſimo Scriptori dicitur. Et Theodoſius Imp. *qvendam vetuſti temporis morem revocaſſe* legitur in l.2. Cod. de officio Qvæſtoris. Contra nova qvædam vitio nata, & adverſus vetuſtatem opinione vulgi valentia, vel exſtirpari penitus, vel corrigi, è re ſit privata publicaqve. Non omnia tamen veterum, ut ſunt res mortalium, laudanda nobis atqve imitanda ſunt. Qvippe, præter illorum idololatriam & ſuperſtitionem, dum adhuc

 pagani

pagani erant, in nonnullis etiam aliis illi, æqvè ac nos, lapſi ſunt; & tamen præpoſtero amore morum avitorum, qvamvis corruptorum, ab illis recedere imperitum vulgus recuſat. Præterqvam qvod morum, ut temporum vices mutantur, antiqvo ævo accommoda, noſtro non ſingula conveniunt; & noſtra ætas non pauca protulit, imitanda poſteris. Idcircò in Antiqvitatum harum contemplatione & diſcuſſione ſic verſari viſum eſt, ut unus oculus ad priora tempora, alter ad noſtrum ſeculum mitteretur; & cum præteritis præſentia, qvantum comparationis ratio permittit, componerentur; ad exemplum Gemini Servilii, nobilis Romani, qvem Ennius laudat

Mores veteresq; novosq; tenentem.

Nec id ſolùm, ſed etiam qvæ receptorum, qvæ mutatorum ratio fuerit; qvomodo recta à pravis diſcernenda & dignoſcenda, qvid fugiendum, qvid ſeqvendum in cujuscunqve ævi moribus, haud latentibus indiciis, qvantum fieri poteſt, oſtendere laboravi. Qvæcunqve verò majorum, memoriâ & imitatione poſterorum digna videbantur, ea cum aliis auctoribus non raro collata, ſeorſum conſignare placuit, atq; eâdem operâ non ſemel aliqvot auctorum vel Legum loca vel illuſtrare vel explicare conatus ſum.

Satis autem ſcio, me non omnia qvæ deſiderari

qveant,

qveant, præſtitiſſe. Nec enim tantum de me polliceri auſim; nec aliis, me ingenio & rerum vetuſtarum cognitione ſuperantibus, plura & luculentiora addendi atqve antiqvitates plenius illuſtrandi, ut hactenus à non uno factum, & porrò futurum, anſam præripere velim. Ad eas tamen pro viribus ſymbolam aliqvam à me obſervatorum conferendi ſtudium, & promptæ voluntatis propenſio non erit, ut ſpero, vitupe-randa.

LIBER PRIMUS.

CAP.

I. *De Origine Gothorum & Sveonum.*

II. *De Urbibus Sveo-Gothorum vetuſtioribus.*

III. *De Ædibus ſacris priſcorum Sveo-Gothorum, paganorum, & Chriſtianorum. De eorundem idololatria, & veræ religionis inſtauratione.*

IV. *De ratione temporis veterum Sveonum & Gothorum.*

V. *De Feſtis Sveonum Chriſtianorum præcipuis, & eorum denominatione.*

LIBER SECUNDUS.

CAP.

I. *De Regno Sveo-Gothico, ejusqve Regiâ à primis imperii conditi temporibus ad poſteros & ſucceſſores Reges feliciter propagatâ & continuata adminiſtratione.*

II. *De Legibus Svecanis priſcis, & nunc uſitatis.*

III. *De Judiciis veterum Sveonum & Gothorum, pro territoriorum ac provinciarum diſtinctione. De Curiis & aliis Tribunalibus hodiernis.*

IV. *De veterum probatione per candens ferrum, & purgatione juratoria. De noſtri temporis probatione in Judiciis & purgatione. De Advocatis ac Procuratoribus.*

V. *De probatione rei dubiæ & purgatione apud veteres per duellum. & qvid de eo ſentiendum.*

VI. *De ritu priſco & nunc uſitato in re furtivâ inveſtigandâ.*

VII. *D, pœnis & mulctis olim & nunc hic uſitatis, præſertim mulctis tripartitis. De palinodia priſca, & hodierna.*

VIII. *De Comitiis veteribus Sveonum, & hodiernis.*

IX. *De externis regni Sveciæ Regalibus & Inſignibus, & Regio Titulo.*

X. *De*

X. *De Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium origine, gradibus & inſignibus, in regno Sveciæ.*

XI. *De Procerum ac Senatorum regni Svetici nominibus, antiquâ & hodiernâ dignitate.*

XII. *De Formulis priſcorum Sveonum in elogiis & vituperatione inferiorum ac ſuperiorum, ipſorumqve Regum.*

XIII. *De lingvâ veteri & hodierna Gothicâ.*

XIV. *De priſca Gothorum Literaturâ vel RUNIS, & cauſis antiqvationis earum.*

XV. *De priſcorum ſeculorum, & noſtri ævi ſtudiis in Sveciæ regno.*

XVI. *De Commerciis & navigatione veterum Sveonum, & modis contrahendi priſcis, & nunc uſitatis.*

XVII. *De regni Sveo-Gothici Fodinis metallicis.*

XVIII. *De monetâ veteri Sveo-Gothorum, & hodiernâ.*

XIX. *De primi ſeculi vitâ, agri & horti cultura veterum Sveonum, & hodiernâ ſuperſtitum.*

XX. *De curâ corporis externâ priſcorum Gothorum, & cultu modico in amictu; ſecus qvàm vulgò hodie.*

XXI. *De conſvetudine & modo convictus atqve conviviorum veterum. Mos laudabilis in illis decantandi majorum virtutes.*

XXII. *De hoſtilitate ac ſodalitiis majorum, & noſtri ævi.*

XXIII. *De odio veterum Sveo-Gothorum adverſus ſcurriles ludos, & civilitatis amore. Qvales ludi aulam deceant.*

XXIV. *De priſcis Sveo-Gothorum & adhuc uſitatis Sponſaliorum & Nuptiarum ritibus.*

XXV. *De Funeribus antiqvorum Sveonum, & hodierno ſepeliendi ritu.*

LIBER TERTIUS.

CAP.

I. *De priſcâ Sveo-Gothorum militiâ, cum hodiernâ, ut notâ, ſtrictim comparatâ; non tamen absq; verâ utriusqve laude.*

II. *De*

II. *De armaturâ veterum Sveo-Gothorum, & armamentario.*

III. *De priſcis exercitiis militaribus Sveo-Gothorum & hodiernis.*

IV. *De acie, prœliis & aſtu priſcorum Sveonum adverſus hoſtem. De eorum munitionibus, oppugnationibus, & defenſione urbium & caſtellorum adverſus hoſtilem irruptionem.*

V. *De diſciplinâ militari Sveonum priſcâ & hodiernâ.*

VI. *De priſcæ gentis Gothicæ moderatione victoriarum, hodieqve obſervata.*

VII. *De præmiis proſperæ militiæ & virtutis militaris veterum: & adhuc fortitudini paratis.*

VIII. *De ſucceſſu veterum bellorum Sveo-Gothicorum, & migratione gentis per varias orbis plagas, De hodiernorum armorum ſucceſſu, & regni amplificatione.*

CUM

CUM DEO!

JOHANNIS LOCCENII ANTIQVITATUM SVEO-GOTHICARUM LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Origine Gothorum & Sveonum.

Diſqviſitio de origine Getarum & Gothorum. Getas & Gothos eandem ortu primo gentem eſſe, contra Cluverium, Pontanum & alios nonnullos, probabilibus, ſi non omni exceptione majoribus & evidentibus argumentis, adſtruitur. Herodotus & Strabo explicantur. Getas è Zamolxis doctrinâ immortalitatem animarum hauſiſſe. Rittershuſii error. Iſidorus explicatur. Jornandes emendatur. De Sveonum ortu & nomine diſqviſitio. Grotii in eo error. De Thule & Scandia, ejusqve ambitu.

IN eruendis Gothorum Sveonumqve Antiqvitatibus memoriâ dignis, origo inclutæ gentis ſe primam diſcutiendam offert. Ego, qvæ de ejus origine, à memoriâ noſtra remotiſſimâ, aut veris aut veritati proximis argumentis inveſtigari poſſunt, ſeqvenda eſſe duxi, libero cuiqve judicio relicto. Qvæ verò alia poſſum, non niſi bonorum ſcriptorum fide atqve evidentibus rationibus confirmabo.

Qvi gentis Arctoæ, & in ea Gothorum ac Sveonum ortum à primis initiis exqvirunt, reparati mundi primordia replicantes, ab Japheto &

Magogo gentis originem deducunt. Iſidorus circa Chronici ſui principium: *Gothorum antiqviſſimum eſſe regnum certum eſt: qvod ex regno Scytharum eſt exortum.* Idem alibi: *Gothorum antiqviſſimam eſſe gentem, certum eſt, qvorum originem qvidam de Magog Japhet filio ſuſpicantur.* Ericus Upſalienſis lib. 1. Hiſt. Svec. p. m. VI. *Egreſſæ de Scythiâ gentes qvondam ſtirpis & poſteritatis Japheti, & hanc regionem ingreſſæ, Scythiam eam nominaverunt, tanqvam dignam patriæ primitivæ vocabulo, & proceſſu temporis Sveciam appellarunt.* De nominibus eorum mox plura. Scythæ autem, & qvi ex illis Sveones, Getæ aut Gothi ex Aſia primum in Europam progreſſi, atqve inde ſuo tempore in Scandinaviam propagati eſſe creduntur. Grotius in Prolegomenis Hiſt. Goth. Procopii pag. VII. & VIII. *Qvod initium his regnis* (Gothicis) *fuerit, cum non appareat, haud temerè & indigenis & vicinis creditum eſt, qvo primum tempore poſt magnum diluvium ex Aſia homines in Europam ſe effundere cæperunt, has regiones inter primas ab iis inſeſſas eſſe.* Verelius in Notis ad cap. 1. Hervar. hiſt. p. 7. de hac re ita ſentit: *Qvi illi fuerint, qvi primi huc migrarunt, & qvo tempore hîc primum conſederint, haud facile expediri poteſt. Nam qvæ de Magogo gentis conditore, nonnullisq; ſucceſſoribus, aliis memorantur, refelli facilius qvàm adſtrui poſſunt. Neqve enim credibile, primis à diluvio annis, hæc loca ab illis, ubi reparari genus humanum cæpit, longè diſſita, inhabitata ſtatim fuiſſe. Juxta & eorum diſplicet ſententia, qvi cæteris orbis partibus amœnioribus occupatis, deficienteq; incolis ſolo, horridiorem hanc plagam demum inſeſſam arbitrantur. Credo ſatis horridam inculti ſoli faciem ubiqve tunc fuiſſe, licet unus præ alio locus culturæ aptior; & cœlum alibi mitius, alibi aſperius: ut propterea ſoli amœnioris invitamentum unica haberi cauſa neqveat, cur hic locus præ alio prius occupatus fuiſſe dicatur.* Et mox: *Vero id conſentaneum eſt, terras loco illi vicinas, ubi Noachus poſt diluvium conſedit, primùm excultas. Sed ſoboleſcentibus admodum per polygamiam poſteris ejus, colonias ducere continuas neceſſe fuit. Creſcentibus autem cum hominibus injuriis, ſedes ſubinde mutare cogebantur. Inde fiebat, ut aſperiora etiam & horridiora loca ſuos colonos acciperent primis iſtis ſeculis. Domicilia enim figebant, non ſemper ubi deliciæ invitabant, ſed ubi commodius præſidium adverſùs inimicorum invaſiones occurrebat.* & qvæ alia ibi. *Getas* autem, qvi poſtea Gothi dicti ſunt, qvidam à *Gether*, de qvo Gen. X. v. 23. qvidam à *Gaute*, qvi priſcis etiam Odinus appellatus eſt, nominari volunt. Sed Stiernhielmius à priſco verbo Gothico *gæta*, qvod *gignere* & *parere* ſignificat, deducit. Et inde *gut* & *goſſe* puer, & *gotte* miles, qvæ in nomen ipſius nationis & gentis Getarum & Gothorum tranſierunt; ex ejusdem ſententiâ.

Cæterum

Cæterum præter alios, viri celeberrimi, de re literaria egregiè meriti, Cluverius & Pontanus, ille in Germaniæ antiqvæ lib. III. cap. XXXIV. hic in Daniæ deſcriptione pag. DCVII. & ſeq. Gothos cum Getis eſſe ortus aut propaginis ejusdem, negant. Unde Jornandem & Joh. Magnum, qvi in contrariâ ſunt ſententiâ, tumultuariæ ſcriptionis & imperitiæ arguunt: qvod Getas cum Gothis, Scythas cum utrisqve confundant. Ut de Johanne Magno, qvi Jornandem hîc ſeqvutus eſt, nihil dicam; fatendum eqvidem eſt, Jornandem nonnunqvam miſcere Getarum & Gothorum, diverſis locis & temporibus aliqvando degentium diverſas res geſtas; attamen, qvi ab aliis Getæ dicuntur, ab eo Gothi appellantur, & iidem cum Gothis, intuitu primæ originis, p.m. XC. editionis Lindenbrogianæ, ſtatuuntur. & qvi ſpeciatim Gothi vel Getæ ab aliis vocantur, communi nomine Scythas à nonnullis, inprimis à Joſepho appellari, ſcribit Jornandes p. m. LXXIV. qvum ex Scythia huc primùm advenerint.

Dum autem Getas à Gothis eſſe diverſos cenſent, hæc ſuæ opinionis momenta adferunt. Primò Getarum nomen apud Græcos eſſe vetuſtius, qvam Gothorum. Ipſe enim Herodotus lib. IV. eorum mentionem, non verò Gothorum, facit. Gothorum verò nomen non niſi poſt tempora Antonini, vel paulò ante tempora Conſtantini; vel, ut alii volunt, tempore Valentis & Marciani, poſt gentis è Scandiâ in ipſam Thraciam irruptionem, innotuiſſe. Deinde Getas eſſe Thracas, ſatis oſtendere, ajunt, Herodotum, Strabonem, & alios. Tandem lingvæ diverſitatem diverſas arguere gentes.

His eorum rationibus ſeqventia reponi poſſunt; qvæ ſi non omni exceptione majora, tamen probabilia ſunt, apud non paucos eruditos tam exteræ qvàm noſtræ gentis etiam pro certis habentur. Qvod attinet ad primũ eorum argumentum, ultrò largimur, Getarum nomen apud Græcos eſſe vetuſtius, qvàm Gothorum. Sed inde colligere velle, Gothos & Getas non eſſe gentem primo ortu eandem, haud ſatis valida videtur argumenti machina. Qvid? ſi ita ſentiamus: qvi vernaculo idiomate olim (ut hodieqve Svedis ac Gothis) appellabantur *Gôthar* vel *Giôthar*, eosdem à priſcis Græcis & Latinis, qvi ſuæ lingvæ ſono hoc ita pronunciare non poterant, appellatos fuiſſe primò *Getas*, poſtea *Gothos*. Unde Philippus Melanchthon Chronici ſui lib. I. ait: *Getas Gothos poſtea nominatos, dubium non eſt.* Hoc autem freqvens, nec difficile probatu eſt, ſi neceſſe ſit, ut cum tempore & uſu nomina populorum aliqvantum immutentur, & ad ſonum exteræ genti pronunciatu faciliorem ac molliorem inflectantur. Si Philippo mihiqve ſine teſtibus antiqvioribus fidem habere nolint, ecce do non

 unum.

unum. In Chronico veteri Svec. MS. ſic exſtat: *Af Japhet är komne Sithe och Gôthe, ſom lonkt epter kallades Gotha.* I. e. *A Japheto orti ſunt Scythæ & Getæ, qvi diu poſt appellati ſunt Gothi.* Item in alio veteri Chronico Svec. à Meſſenio edito cap. I. *Som tå kallades Gete, och ſedan Gôthar eller Gothar.* I. e. *Qvi olim Getæ, poſtea Gôthi vel Gothi dicti ſunt.* Sed hoc domeſticum eſt teſtimonium, proferam externum. Ælius Spartianus in vitâ Ant. Caracalli Gothos appellatos eſſe Getas teſtatur his verbis: *Cum Antoninus Caracallus Germanici & Parthici & Arabici & Alemannici nomen adſcriberet* (qvod has gentes devicerat) *Helvius Pertinax filius Pertinacis dicitur joco dixiſſe: Adde, ſi placet, etiam* GETICUS MAXIMUS, *qvod Getam occiderat fratrem, & Gothi Getæ dicerentur: qvos ille, dum ad orientem tranſit, tumultuariis præliis devicerat.* Verùm ad illud regerunt: Ælium Spartianum ex vulgi opinione, qvam Getici & Gothici nominum vicinitas fecerat, ita loqvutum eſſe. Sed Hieronymus in præfatione commentarii ſui ſecundæ ad Galatas epiſtolæ Gothos *ab eruditis antiqvis Getas* vocatos eſſe adſerit, non ergo à ſolo vulgo. Idem ſentit Grotius in prolegomenis Gothicorum. Sed expreſſius ad mentem noſtram, Daniel Heinſius in Panegyrico ſuo Guſtavi Magni laudibus ſcripto: *Recentiores*, inquit, *Geographi à Gothis Getas, antiqvitate invitâ, disjunxerunt. Ne iis qvidem Gothis æqvi ſatis, qvi tot libris veterum, tot Romanorum ac Græcorum teſtimoniis ſubnixi, ortum gentis ſuæ cum Getarum nomine ac origine conjungunt.* Qvum de hac re cum Cl. Freinshemio, qvondam Collegâ meo, conferrem, in eandem mecum ſententiam ivit, & mentem ſuam in ſuis ad me literis expreſſit his verbis: *Getas & Gothos eandem eſſe gentem, poſt clara ſcriptorum teſtimonia, dubitare non poſſum. Ipſas etiam adpellationes iſtas nihil à ſe invicem differre arbitror: non magis qvàm Gothos, ſicut à Latinis & præſertim Poëtis uſurpantur, & Gothos, ut Procopius & alii nonnulli Græcorum efferunt. Getas igitur Græcorum, Latini poſteriores Gothos vocarunt, ſolenni mutatione τῦ ε in τὸ ο, qvemadmodum Πτολεμαῖος Latinis eſt Ptolomæus, Κέρκυρα Corcyra, Βερενίκη Veronica, ἔρεβος ervum. De terminatione ſupervacaneum ſit dicere, cum in barbaris nominibus ea ſit arbitraria: qvemadmodum Turcicarum rerum ſcriptores modò Turcas, modò Turcos nominant.* Conferri qvoqve cum antedictis dignus eſt Mericus Caſaubonus in Diſſertatione de qvatuor linguis part. poſter. pag. 384. & ſeqq.

Alterum ſententiæ ſuæ ſtabilimentum depromunt Cluverius & Pontanus ex Herodoto & aliis ſcriptoribus, qvos, ajunt, adfirmare, Getas eſſe Thracas aut Thraciæ populum, aut vicinos.

At hîc prius notandum eſt, qvod Herodotus de Getis lib. IV. ſcribit:

Γέται

Γέται Θρηίκων ἐόντες ἀνδρειότατοι, *Getæ Thracum fortiſſimi exiſtentes*, idem de Gothis adſerit Procopius lib. IV. hiſt. ſuæ: Γόθοι γὰρ ἀλκιμώτατοι ἁπάντων εἰσὶ τῶν βαρβάρων. *Gothi ſunt omnium barbarorum fortiſſimi*; ut vel hinc colligere qveas, Getas & Gothos eundem eſſe origine populum. Si verò Getæ ſunt Thraciæ populus vel incolæ, qvod Herodotus videtur velle; unde Thracibus ſpeciale Getarum nomen adhæſit, niſi ab advenis Getis, vel majoribus Gothis? veluti Scaliger lib. III. Canonum Iſagogic. Chronolog. p.m. 333. eos diſtingvit, in *majores* & *minores*, ex auctoritate Jornandis p. m. 135. *majores*, i.e. antiqviores Gothos, qvi primi Scandinaviam, natale ſolum, relinqventes, in Thraciam migrarunt; *minores*, qvi longo poſt illos temporis tractu. De *majoribus* vetus inſcriptio apud Gruterum col. III. triumphat. & ovat. ducum Roman. accipienda eſſe videtur.

M. LICINIUS. M. F. M. N. CRASSUS.
PRO. A. DC CXXVII. COS. EX.
THRÆCIA. ET GETEIS. IV. NON. JUL.

Qvando verò Gothi vel Getæ *majores* Thraciam primâ vice ingreſſi fuerint, pro certo non adfirmaverim, ſilentibus hîc certum tempus priſcis ſcriptoribus. Grotius in Prolegom. Gothicor. p. XLI. annis plus trecentis ante Chriſti tempora hoc accidiſſe ſcribit. *Minores* autem Valente Imperatore in Thraciam & vicinas regiones alterâ vice migraſſe feruntur: ibiqve habitantes & ſe propagantes, etiam *Gothi* dicti ſunt. Unde Aurelius Victor in Gratiano, *Thraciam & Daciam genitales terras Gothorum* vocat. Eodem modo Jornandes, p.m. 107.

Ultimò lingvarum diverſitatem diverſos arguere populos Getas & Gothos, Cluverius & Pontanus aliiqve nonnulli contendunt.

Ad hoc reponimus: Etiamſi lingva eorum ob mixtionem cum Thracibus diuturnitate temporis in illorum, apud qvos vixerunt & conſederunt, idioma ac ſermonem non parum commutata fuerit; id tamen nihil prohibet, qvo minus Getæ & Gothi ejusdem originis & propaginis eſſe poſſint. Ex commixtione enim & confuſione gentium oriri confuſionem & mixtionem lingvarum, multis probat Bodinus method. hiſt. cap. IX. & res ipſa in Svecis & Helvetiis, & Gallis & Francis, Britannis & Anglis ſatis docet. Qvamvis autem nullum hodie ſcriptum veteri lingvâ Geticâ exaratum exiſtet, ex qvo illius & hodiernæ lingvæ paritas aut diverſitas demonſtrari poſſit; tamen ex aliqvot veterum verborum Geticorum reliqviis patebit, utramqve lingvam vel ejusdem matris prolem, vel ambas cognatas fuiſſe. Pauca ſolùm è pluribus excerpam. Herodotus lib. IV. qvendam

dam deorum à Getis Γεβελείζιν nominatum eſſe refert. hoc merè Gothicum, ut hodie Gothi loqvuntur, eſſe dicas, qvaſi *giſua liiſa*, i.e. *dare pauſam* vel *reqviem à curis*: qvod Getæ defunctos ad eum commeare credebant, atq; redivivos curisqve mundi ſolutos, omnium bonorum compotes fieri, ut Herodotus ibidem refert, & oſtendit, qvomodo Zamolxes Pythagoræ diſcipulus, ſapientiæ apud eos doctor immortalitatem animarum eis perſvaſerit. Confer Hornium hiſt. Philoſoph. lib. IV. c. 1. poſt Jornandem, qvi Getas Zamolxem non ſolùm ſapientiæ doctorem, ſed etiam regem habuiſſe, veterum carminibus Ablabii & aliorum auctoritate confirmat. Qvin ipſe Strabo Getas eum tanti feciſſe ſcribit, ut pro Deo illum haberent. Verba ejus hæc ſunt: ὁ παρὰ τοῖς Γέταις θεὸς τὸ μὲν παλαιὸν Ζάμολξις Πυθαγόρειος. *Apud Getas Deus olim Zamolxes Pythagoricus.* Hinc noſtri Dalecarli, vel ex hac, vel alia qvacunqve opinione, à ſuis majoribus paganis olim, ut videtur, acceptâ, aliqvem ex ſuis diu abſentem aut mortuum, de qvo nihil reſciverint, ad *Samolſin abiiſſe*, adhuc vulgò dicunt, teſte Olao Rudbeckio Profeſſore naturalis Philoſophiæ publico. Sed ut ad Herodoti vocem revertar, Stiernhielmius in ſuis ad me literis per vocem *Geblizin* ſignari *Jovem tonantem* volebat. in qvâ ſententiâ etiam fuere Johannes Magnus lib. I. Hiſt. Svec. cap. XII. & Olaus Magnus lib. III. rer. Septentr. cap. VII. Verùm apud Herodotum non eſt *Geblizin*, ſed *Gebelizin*; qvod curioſi harum vocum ulterius exqvirant. Si verò concedamus eſſe à *blitz* vel *blix*, *tonitru*, nihilominus erit Gothicum. *Gepidæ* à Getis oriundi, qvi ob remigum, vel ut alii eos excuſatum eunt, ob ventorum ignaviam, vel qvod longinqvam expeditionem reliqvorum Gothorum detractarent, *tardius* ſubſecuti in Daciâ conſederunt, *Gepidæ*, inqvam, à conterraneis ſuis appellati ſunt à voce *gepanta*, ut Jornandes habet, vel *gepa*, uti Johannes Magnus lib. I. cap. XV. & lib. VI. cap. IX. notat, *ſtolidum* vel *pigrum* etiam hodierno Gothicæ vocis uſu ſignificante. iidem *Claſſiarii* dicti *gepar* (velut Martialis lib. III. epigr. LXVI. ludit in voce *Argonautæ*) qvod *ſegnius* & *lentius* progrederentur. Svaningius in Chronologiâ Danicâ pag. 17. qvaſi *Gapar*, i. e. *oſcitantes* dictos putat. Utram capias, eſt vox Gothica. Non itaqve dicti *Gepidæ* à Græca voce, qvaſi γῆς παῖδες, *terræ filii*, ut doctiſſimus Rittershuſius in Notis ſuis ad Salvianum arbitrabatur. *Boroiſta* Rex Getarum fuit, de qvo Jornandes in rebus Geticis p. m. XLII. Straboni rectius dicitur Βυρεβίςας lib. VII. Geograph. qvi, ſi Gothicam vocem ſtatuas, Gothicè eſt *Burovuiſtas* & denotat eum, *qvi cum civibus & ſubditis verſatur*, qvi eſt *comis*, qvalem decet eſſe regem erga ſubditos. Et inde *Burſprak* Saxonibus ſunt *civibus ſta-*

nta & ordinationes. Apud Svetonium in Auguſto cap. XLII. *Cotiſon* vel *Gotiſon*, Getarum rex, non ita dicitur, qvaſi *Dei filius*, ut qvidam eruditi volunt: hoc enim analogia vocis Gothicæ non admittit; Sed eſt qvaſi *Gothi* aut *Coti* (cujus mentio exſtat apud Cæſarem lib. III. belli civ. & Lucanum lib. V.) *filius*; veluti *Gothiſcanzia*, hodie Gothlandia, vel. ut alii, Scantia vel Scandia apud Jornandem eſt ſimilis analogiæ ac compoſitionis. Apud eundem exſtat dictio *intaphis*, ubi refert cladem Darii, qvâ eum affeciſſe fertur Anticyrus rex Gothorum. Verba ejus hæc ſunt: *Crebris fatigatus intaphis, octoginta millia perdidit armatorum.* per vocem *intaphis* intelligi *clades*, non ſolùm ex collatione verborum Oroſii, qvi de eadem re loqvitur lib. II. cap. VIII. *Amiſſis octoginta millibus armatorum, trepidus* (Darius) *refugit*; ſed etiam ex cognatione verbi Gothici *tappa* adhuc uſitati, pro *vinci, clade affici*, liqvet. Forſan olim *intappa* verbo, & inde nomine eodem modo qvondam uſi ſunt Getæ vel Gothi, qvo nunc Germani einbüſſen/ *ſtrage aut detrimento affici.* Plura alia occurrunt apud Jornandem aliosqve auctores vel ſcriptores rerum Gothicarum Latinos, qvæ origine merè Gothica ſunt, aut ſi qvædam peregrina, uſu domeſtica facta ſunt: qvod etiam Jornandes non obſcurè indicat. Qvid? qvod Walafridus Srtabo, Abbas Augienſis, qvi ante annos D CCC. tempore Ludovici Pii Imperatoris vixit, cap. VII. ver. Eccles. expreſsè ſcribit: *Gothi qvi & Getæ, eo tempore, qvo ad fidem Chriſti perducti ſunt, in Græcorum provinciis commorantes, noſtrum i. e. Theotiſcum ſermonem habuerunt.* Theotiſcus autem vel Germanicus ſermo idem eſt cum Gothico.

Non ſolùm autem lingvam, ſed mores etiam habitumqve corporis Getas & Gothos ejusdem eſſe gentis ac propaginis, firmare dixeris. Ad mortem in bello erant paratiſſimi Getæ: qvod animas ſuo modo, ex diſciplinâ Zamolxis, immortales credebant; ut ſup. ex Herodoto probavimus. Lucanus lib. I. de bello Pharſal.

Certè populi, qvos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, qvos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæqve capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.

Qvomodo hodieqve Gothi mortem non horreant, adverſus hoſtem educti, ſatis eorum prælia teſtantur: in qvibus aut vincere aut occumbere parati ſunt. Apud Gothos hodie ſunt indotatæ uxores: & adulterium capitale

eſt:

eſt; ut olim apud Getas,de qvibus Horatius lib. III. od. XXIV. Getæ olim hirſuti & capillati erant. Ovidius de Ponto 1, 9.

Adſpicit hirſutos cominus urſa Getas.

& lib. 1. Triſt. el. VII. de illis:

Non coma non ulla barba reſecta manu.

Ita Theodoricus rex Gothos ſuos non ſemel *capillatos* vocat, apud Caſſiodorum lib. IV. ep. 49. in Edicto cap. CXCV. At Iſidori ætate pili myſtacis longiores, ſed mentum nudum ac læve Gothis fuit. Sic enim ille lib. XIX. Etymolog. cap. XXIII. *Nonnullæ gentes non ſolùm in veſtibus, ſed & in corpore aliqva ſibi propria qvaſi inſignia vendicant: ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Gerhard. Voſſius *granos* interpretatur *pilos myſtacis*, & vocem Gothicam eſſe ait lib. II. de vit. ſerm. cap. VIII. Contra Salmaſius in Epiſt. de Cæſarie & comâ pag. 293. 294. vult eſſe vocabulum Romanum, *flagella crinium in fine criſpatorum* ſignificans. Attamen Voſſii interpretationem communis adhuc Gothis uſus loqvendi confirmat, & illud Regis Norvegiæ Haraldi cognomen, qvi teſte ſcriptore veteris Chronici Norvegici Snorrone, *Granraude* dictus eſt, qvod eſſet *ruffæ barbæ vel myſtacis.* Getæ olim *braccati* fuerunt. Ovidius lib. IV. Triſt. el. VI.

Braccataqve turba Getarum.

Idem lib. V. Triſt. el. VII. & alibi; & hodie Gothi *braccati*, braccarumqve pro femoralibus nomen adhuc illis vernaculum eſt.

Hactenus dictis non leve pondus addunt Leges Sveonum, qvæ in ipſo principio teſtantur, *è regno Sveonum eſſe diffuſum Gothorum nomen in alias regiones.* Eqvidem non alibi reperies diſtinctionem Oſtrogothorum & Weſtrogothorum (qvos Romani Wiſigothos molliori ſono nuncuparunt) qvàm in Sveciæ regno primævam, certam & perpetuam. Qvin Smalandiam Oſtrogothiæ qvoqve partem olim fuiſſe, oſtendit Hervari hiſtoria cap. XX. his verbis: *A Bravelli i Euſtragautlandi.* Ponit hîc ſcriptor, ut videmus, *campos Bravellinos in Oſtrogothia*, qvi tamen in Smalandiâ ſiti ſunt, & hoc ob dictam cauſam. Idem patet ex LL. Oſtrogoth. c. 3. Reſſtabalk §. 2.

Disqviſitionem de origine Gothorum, nunc excipit disqviſitio de origene Sveonum. Qvamvis autem Getarum & Gothorum nomen apud priſcos authores crebriùs, & rariùs ſit Sveonum; tamen hoc etiam antiqvum eſſe, teſtimonio ſit vel ſolus Tacitus, apud qvem in libro de moribus Germanorum ternis vicibus occurrit. Eandem qvidem illi cum Gothis primam originem habent, de qva ſup. fuſius; ſed nomen ſuum inde ab initio nacti ſunt a *Sven*, qvæ vox adhuc *juvenem, nobilem* & *militem* ſignat, & inde

de Swenſka, qvod in *juvenili* ætate *militiæ* ſe dabant. Deinde qvod qviete aliqvâ potiti, primi harum terrarum cultores, horridis ac denſis ſilvis exciſis & adustis, ſolum agro ſegetiqve habile reddiderunt, qvod noſtratibus adhuc *Svidia* vel *Svedia* dicitur; inde *Svedi* extraneis dicuntur, qvi priſcis indigenis *Svidiodar*, *Svediodar* aut *Svithiodar* appellabantur. Ita Jornandes in hiſt. rer. Gothicar. *Sunt ex his Scanzianis Oſtrogothæ & Svethidi.* ubi *Oſtrogothi* & *Svethiodi* emendandum eſſe, eruditi viderunt. Idem confirmant annales S. Olai, Edda, Wilkinus & hiſtoria Gôtrici, & alia veterum monumenta. In ipſis lapidibus Runicis *Svecia* ſemper *Svediod* vel *Svithiod* nuncupatur. Eandem firmat ſententiam Laurentius Petri, Archiepiſcopus olim Upſalienſis, ſuo teſtimonio in Annalibus Sveciæ MSS. circa initium, ubi ſic: *Plerumqve reperitur in omnibus vetuſtiſſimis libris & monumentis Sveonicis, ut, qvæ nunc Svecia, olim non aliter, qvam Svedioda ſit nominata; qvemadmodum adhuc Germanicè vocatur Svedia.* Hinc illud Grotii in Procopium, qvi *Svedorum* nomen à *Svet* ſudore, qvod *laborioſi* ſint, derivatum it, admitti non poteſt. Ex *Svedioda* verò vel *Svidioda* contractius factum eſt *Svea* vel *Svia*; & inde *Sviones*, ut Tacitus eos appellat, ut alii, *Sveones*, ut ſeipſos, *Svenska*. Nominum enim propriorum mutationem cum tempore aliqvantum mutari, nihil novum eſt; ſic tamen ut à primævâ ejus origine non planè recedatur.

Qvum autem Jornandes *Gothos* & *Sveones* ex *Scanzianis* eſſe, paulò ante dixerit, de *Scanziâ*, vel ut hodie appellatur, *Scandiâ*, ejusqve ambitu, qvædam addere placuit. Ex eruditorum ſententiâ, Scandiam, vel Scandinaviam, per *Thulen* à Procopio (lib. II.) atqve aliis qvibusdam, ſignari, volunt; item per *Manheim*, de qvo Verelius in Notis ad cap. I. Hervari hiſt. pag. 15. Sed hoc jam non ago; in eo ſolùm nunc verſor, ut ex aliis oſtendam, qvàm latè Scandiani per orbem Arctoum diffuſi fuerint. Jacobus Zieglerus in ſuâ Scandiâ, eam ſub ſe longo ambitu Grónlandiam, Islandiam, Orcades, Lapponiam, Norvegiam, Svediam, Bothniam, Gothiam, Finlandiam continere arbitratur. Cluverius lib. III. German. antiq. cap. XXXVIII. non longè à Ziegleri opinione diſcedit, dum eam Biarmiâ, Lapponiâ, Finmarkiâ, Bothniâ, Svediâ & Norvegiâ circumſcribit. Bureus & Grotius, Sveciam & Norvegiam, Pontanus Scaniam & Norvegiam, Joh. Magnus, Georgius Stiernhielm & Olaus Verelius, Sveciam, Gothiam & Norvegiam complecti volunt. Eqvidem complures regiones & provincias oportet continuiſſe Scandiam, qvæ *officina* & *vagina gentium* veteribus exiſtimata atq; dicta, à Plinio *alter orbis* 4. 13. nuncupatus eſt. Valer. Flaccus de eâ:

Neqve enim plaga gentibus ulla
Ditior.

CAP. II.

De Urbibus Sveo-Gothorum vetuſtioribus.

Qvænam primæ & antiqviſſimæ Sveo-Gothorum urbes fuerint. Unde urbes mediterraneæ Sveticè Upſtåder dicantur. De veterum urbium lignearum & domorum ſimplicitate ac commoditate. Qvid illis maximo fuerit ornamento. Hodie non paucas urbes vel elegantiores & ampliores, vel ex ligneis lateritias, vel ordine ac plateis diſtinctiores eſſe factas.

FUndatis in Scandiâ ſedibus, Sveones & Gothi tecta moliri, villas & domos exſtruere, urbes condere cæperunt. qvarum primæ & antiqviſſimæ feruntur Upſalia, Sigtonia, Scara, Birka & Stocholmia, à Joh. Meſſenio in Sveopentaprotopoli deſcriptæ, & Upſalia ſeorſum à Joh. Scheffero, genere meo deſcripta. In univerſum autem qvædam urbium ſunt maritimæ vel ad mare ſitæ, qvædam mediterraneæ, qvas incolæ *Upſtåder* vocant: qvod à mari magis remotæ, & *ſuperius* ſitæ ſint; illud enim vocula *Up* Sveticè ſignat. Hinc *Uplandia* qvoqve dicta eſt; qvaſi *regio ſuperior*, ut notat Schefferus Upſaliæ cap. I. & *Upſvvea* incolæ *ſuperius* in *Svecia* habitantes dicuntur in cap. 2. ʃ. 9. LL. Upland. de Rege. Priſci verò Gothi, & Sveones, ut pleriqve Septentrionales olim ligneas urbes, & humiles ædes, ceſpitibus tectas, præſertim in minoribus oppidis atqve ruri exſtruxerunt. Feneſtras autem in tectis, non pariete locarunt (qvarum veſtigia adhuc ſuperſunt) ut minus aëris injuriæ, frigoris & ventorum inclementiæ expoſitæ eſſent: ut magis ad uſum & neceſſitatem, qvàm ſplendorem facerent: in qvibus maximum decus ipſe herus ac poſſeſſor eſſet, ex monito Senecæ epiſt. VIII. *Domus munimentum ſit adverſum infeſta corpori. Hanc utrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scitote hominem tam bene culmo, qvàm auro tegi. Contemne omnia, qvæ ſupervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogitate nihil præter animum eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſſe.* Facit huc vetus proverbium Scandicum: *Hibyla prydur madur*, i. e. *Domum ornat vir.* Attilæ, magni illius bellatoris, ædes ligneas fuiſſe, ſcribit Priſcus in fragmentis hiſtoriæ Gothorum. Aularum olim regiarum in hoc regno rudera qvædam, ædes fuiſſe ligneas, monſtrant. Ravenna, qvanta Italiæ urbs! at tota lignea fuit, teſte

teſte Strabone lib. V: poſtea Theoderici Oſtrogothorum Regis iſtic imperii ſedes. Etiamſi verò magnificentiæ & honori primatum & urbium aliqvid dandum eſſe, non ignoremus; tamen etiam hoc ſcimus, priſcis ſimplicitatem & commoditatem placuiſſe. Nec omnia ſimul inchoata & perfecta ſunt. Roma prius lignea qvàm lateritia fuit, & prius lateritia, qvàm marmorea. Qvas poſteri in hoc regno urbes ligneas à majoribus acceperunt, vel elegantiores & commodiores, ut cum lateritiis certent, vel lateritias, ad periculum facilioris incendii vitandum, & ob majorem durationem ac ſplendorem, qvalis inprimis eſt Stocholmia, regiâ ſede & ædificiis ſplendida, poſteris reliqverunt ſuis; & hanc, & alias urbes etiam ampliores, vicis & regionibus diſtinctiores fecerunt.

CAP. III.

De ædibus ſacris priſcorum Sveo-Gothorum, paganorum & Chriſtianorum. De eorundem idololatriâ, & veræ religionis inſtauratione.

Ædium ſacrarum nomina in paganiſmo & Chriſtianiſmo veterum Sveogothorum. Principia & progreſſus idololatriæ eorum. De ſingulorum deorum ſuorum, in ſingulis elementis ſuperſtitioſo cultu. Templum Upſaliæ illis præcipuè conſecratum fuiſſe. Nec templa ſolùm, ſed etiam colles & lucos qvosdam illis ſacros fuiſſe. Tanfanæ lucus apud Tacitum qvalis fuerit. Fan honorificum olim nomen cur poſtea degenerarit, & diabolo tributum ſit. Lucum cædere cur qvibusdam ex vulgo nefas habeatur. De ea re vetus & recens exemplum. Qvid de Satyris & aliis ſpectris ſilveſtribus ſtatuendum ſit. De converſionis Sveonum & Gothorum ad Chriſtianam religionem tempore & congratulatione.

EX urbibus & domibus ad templa acceſſum facimus: Fana & templa gentilibus Sveo-gothis olim *Hoff*, *Hargur*, *Skior*, *Skur*, item *Alb*, *Hal* vel *Heal* dicta ſunt; de qvibus Cl. Verelius in Notis ad Harvar Saga fuſius agit. Non ſolùm autem in V. ſed etiam N. Teſtamento, creſcente Chriſtianâ religione, exſtructa templa *Dei domus* appellata ſunt: qvod *divino cultui* & veræ religioni conſecrata eſſent. Inde qvoqve *Kyrke* vel *Kyrkia* à Græco κυριακῆ, qvaſi *Dominicâ* vel *Domini ædes* deducitur. Item *Doomkyrkia* vel ſimpliciter *Doom* Lambecius in Originibus

 Ham-

Hamburg. pag. 53. & Somnerus in Notis ad extera verba Germanica Lipſiana pag. 15. à *domo* vel *Eccleſiæ domo* deducunt: qvod recentiores Latini *majora & primaria templa* Eccleſiæ *domos* vocare ſoleant, ut ibidem allatis exemplis oſtendunt. Ut jam ſileam, Græcos & Aſſyrios fana qvoqve ſuâ lingvâ *domos* vel *magnas domos* appellaſſe, uti Seldenus Syntag. I. de Diis Syris cap. V. obſervat. Cum religione verò ab exteris ad Sveones & Gothos profectâ etiam peregrinæ qvædam voces huc ſimul illatæ ſunt, qvod indicant exotica vocabula adhuc reſidua, ut *Pråſt* à *Presbytero*, *Lekman* à *Laico*, *Klårck* à *Clerico*, *Prooſt* à *Præpoſito*, *Funten* à *fonte ſacro*, *Pateen* à *patina*, *Cloſter* à *clauſtris*, & plura hujusmodi inde derivata vel contracta. Sed de nominibus ædium ſacrarum pro noſtro inſtituto ſatis. A qvibus principiis olim hîc progreſſa idololatria incrementa ſua nefanda ceperit, & tandem hac abolitâ, vera religio huc introducta ſit, & nunc DEI beneficio hîc effloreſcat, contemplabimur.

Cum Noachidarum coloniis huc transmiſſis verum DEI cultum ſimul illatum, paulatim à poſteris Aſiaticâ idololatriâ depravatum eſſe, conſtat. Dum verò religionem paganorum intuemur, non aliam fuiſſe cognoſcimus, qvam qvalem ſibi cupiditas humana cœco mentium errore, diaboliqve inſtinctu effinxit: dum vel in cœleſtibus corporibus, ſole, lunâ & ſideribus, qvorum in terram beneficia qvædam ſentiebant, cultum ſibi commenti ſunt, principem eorum auctorem & benefactorem ſummum negligentes, & creaturas pro creatore adorantes: vel homines bene de ſuis civibus in repub. meriti, à morte inter deos relati ſunt: vel extranei qvidam huc advenientes, ſtupenda magiæ molitione, ſimpliciũ animis divinitatis opinionem gignentes, divino honore digni viſi ſunt. Ita diabolus ob iſta, qvæ per inſtrumenta ſua effecerat, adoratus eſt; & à DEO ad ſe occœcatos miſeros homines traduxit, atqve ſecum in æternum exitium præcipites dedit. Ericus Upſal. lib. I. hiſt. Svec. *Ars magica multum vigebat in hac terrâ* (Scandianorum, & inter eos Sveonum ac Gothorum) *cujus artis profeſſores multa miranda & terrifica facientes, & alios ad ſtuporem vertentes, etiam ipſi amplo honore habiti ſunt.* Joh. Magnus lib. I. Hiſt. Epiſcop. Svec. pag. XXIII. edit. Rom. *Magica ars*, inqvit, *in omnibus terris idololatriæ connata, maxima ubiqve præſtitit impedimenta propagandæ fidei Chriſtianæ, maximè verò in Sveciâ & regnis aqvilonaribus.* Præcipui magi Thor, Oden, & Freia ejus uxor huc ex *Aſia* primùm adveniſſe creduntur. *Thor* ab Aſſyrio *Thur* vel *Thurra* potentem ſignificante, vel à Phœnicio *Thorom*, qvod eſt *tonitru* vel *tonare*, ut derivant Bochartus Geograph. ſac. poſt. lib. I. cap. XLII. p. 735. & Voſ-

& Voſſius lib. II. Theol. gentil. cap. XXVII. Inde adhuc à Thorone Sveticè *tonitrua* dicuntur. *Oden* à priſcis *As*, teſte Arngrimo Jonæ nuncupatus eſt, qvaſi *Aſiaticus*, qvod ex Aſia huc primùm immigraſſet. Unde Snorro in annalibus Norvegic. p. 23. refert, Scandianos ſacrificia ſua celebraſſe *more veterum Aſianorum*, ut eos docuerant Thor, Oden & Frea, huc ex Aſia proficiſcentes.

Qvemadmodum autem alii Scandiani in omnibus elementis deos ſuos coluerunt, atteſtante Procopio lib. II. *Deos & ſpiritus multos colunt, cœleſtes & aëreos, terreſtres & maritimos;* ita Sveones & Gothi qvondam *Thorum*, qvaſi *cœli* & *aëris* præſidem fecerunt: qvapropter etiam *aſtris* circumdatus ab illis pingebatur, licet qvidam per *ſolem* eum figuratum fuiſſe velint. De hoc prolixè Voſſius Theol. pagan. lib. I. cap. XVI. & 236. & Schefferus Upſaliæ cap. VI. VII. VIII. & cap. XVI. pag. 315. *Terræ* hominum & pecorum fæcunditati, paciqve promovendæ præpoſuerunt partim *Thoreldam*, ut nonnulli volunt, partim *Fream* vel *Fröjam*, Latinis *Cererem*. Proſperitatis *belli* & *opum* adqvirendarum cauſa adorarunt *Odinum*. Inde vulgus adhuc, ſi ſtrepitum ſpectrorum velut cum eqvis tranſeuntium noctu audiat, qvaſi *Martem* aut *Odinum* tranſire ait; & avarum *Odino ſervire* dicit, teſte Olao Petri. *Aqvarum & maris deum*, more aliorum paganorum, qvibus ſuus *Neptunus* erat, *Neccum* eos vel *Noccum* habuiſſe conſtat. In Dictionario Gallo-Belgico *Neccer*, Spiritus aqvaticus dicitur. Eum ex priſcâ ſuperſtitione adhuc rude vulgus metuit, & natantes ab eo ſibi cavere, atqve fruſtulo chalybis ſe contra eum præmunire monet. Submerſos autem, ab eo raptos & ſuffocatos eſſe, ſibi perſvadet. Hinc illud qvoqve eſſe videtur, qvod in nonnullis fluminibus periculoſa loca tranſeuntes vectores ea nominare, vulgus nauticum vetat: ne, ut ait, procellâ vexentur, & in vitæ diſcrimen veniant. Hæc ſuperſtitio haud dubiè inde orta eſt, qvod iſtic olim in paganiſmo navigantes, maritimum ſuum numen *Neccum*, ob dictam cauſam, qvaſi *ſacro ſilentio* coluerunt.

Superſtitioni ſuæ priſci Sveones & Gothi præcipuè templum Upſaliæ conſecrarunt. Illa ſedes qvolibet novennio, totius regni incolarum celebritate & conventu freqventabatur. Huc donaria certatim miſſa, hîc ſacrificia novem diebus peracta ſunt: in qvibus non ſolùm pecorum, ſed etiam hominum, imò nonnunqvam propriorum filiorum hoſtias, ad placandum deos ſuos, immolabant, de qvibus Schefferus Upſaliæ cap. XVI. prolixè.

Non ſolùm autem intra templorum tecta & parietes, ſed etiam in col-

libus & *lucis*, ſua ſacra habuerunt. Iſtius rei ſatis conſpicua veſtigia paſſim, ut in aliis ſeptentrionalibus oris, ita hîc in Sveciâ exſtant inuſitatæ magnitudinis ſaxa, aliis ſuper alia impoſitis, non niſi giganteo robore, congeſta, vel alia ſimplicia ſaxa in collibus erecta; qvæ ararum & ſacrificiorum uſui olim inſervierunt. Sed & *lucos* qvosdam diis ſuis ſacrabant: dum in iis hoſtias etiam immolatorum hominum ſuſpendebant, & rem divinam ſuo ritu faciebant. Unde eos *ſacros* vocabant. Qvalis olim lucus prope Upſaliam, *Odino ſacer*, in ſingulari apud priſcos paganos veneratione erat; ut Adamus Bremenſis in deſcriptione Scandinaviæ refert: Is, inqvit, *lucus tam ſacer eſt gentilibus, ut ſingulæ arbores ejus ex morte vel tabo immolatorum divinæ credantur.* Ita *Thorislunda* in diœceſi Calmarienſi ab eo nomen ſortita eſſe putatur: qvod ibi olim in *luco* qvercuum, qvarum adhuc nonnullæ vetuſtæ non procul æde ſacrâ exſtant, *Thoro* cultus fuerit. Idem ſuperſtitioſus mos priſcis Germanis & Romanis olim freqvens fuit. De Germanis Tacitus in lib. de morib. Germanorum: *Lucos ac nemora conſecrant, decorumqve nominibus appellant ſecretum illud, qvod ſolâ reverentiâ vident.* In iſtorum deorum numero fuit *Tanfana*, de qvo Tacitus I. Annal. cujus nomen derivandum mihi videbatur à Germanico *tan* vel *dan* (Svetico *tall*) *abiete*, & *fan* priſcis Germanis & Sveonibus *dominum* ſignante. Sic enim eſt in Cantico Mariæ vet. lingvâ ſcripto: *Miki leidſai Wala meina Fan, i. e. Magnificat anima mea Dominum.* In Cantico Simeonis, & apud Ulfilam eadem vox non ſemel occurrit. Martianus Capella lib. II. de nupt. Philolog. & Merc. *Panes, Fauni, Fones.* Ad qvem locum Grotius ex Iſidori Gloſſis ſic notat: *Fones* (Fanes) *dii ſylvatici.* Hinc colligas *Tanfanam*, ut *luci patronum aut dominum*, in templo inter Amiſiam & Luppiam in Weſtphalia (ut ejus ſitum deſcribit Cluverius lib. I. Germ. antiq. cap. XI. & XLVII.) à gentilibus ibi cultum. Nec illud inſolens aliis gentibus fuit. Ita Mars *Sylvanus* à Romanis cognominatus eſt, qvod *ſylvæ* præſes, lupos arcere & fines tueri credebatur. Ita Jupiter ab iisdem *Fagitalis* cognominatus eſt à *luco fageo* ei ſacro, ut tradit Plinius lib. XVI. nat. hiſt. cap. X. & ult.

Cæterum mentio *Tanfanæ* monet, paucis notare, unde ſit, qvod *Fan* hodie *diabolum* Sveticè ſignificet, qvum olim eſſet honorificum & *Domini*, imò ipſius *Dei* nomen, ut ſup. audivimus, & pluribus obſervat Junius in Gloſſario ſuo Gothico ad Ulfilam pag. 154. 155. Hoc vel inde factum eſſe videtur, qvod diabolus *dominus hujus mundi* in S. Literis appellatur, ob imperium diabolo in illos à Deo permiſſum, qvi, ſpreto Deo, ſola qværunt & ſapiunt mundana; vel qvi à priſcis paganis pro numine ac deo habitus eſt à poſte-

à poſteris, Chriſtianis factis ipſe dæmon deprehenſus eſt. Sic dæmonum vocem apud Græcos mediam, & initio in meliorem partem uſurpatam, poſtea ad maleficos Spiritus relegatam fuiſſe, fuſius notavit Grotius in N. T. pag. 17. 52. 54. Plura de hoc nomine obſervavit Cl. Verelius.

Ut à brevi diverticulo ad priora redeamus, priſci gentiles adeò ſuperſtitione obfirmati & obdurati fuerunt, ut lucum cædere, ſummum illis nefas haberetur, ob numinis in eo ſecretum & reverentiam, ut ſibi perſvaſum habebant. De ſimili veterum Romanorum ſuperſtitione Ovidius lib. III. Amor.

Stat vetus & multos incidua ſylva per annos:
Credibile eſt illi numen ineſſe loco.

Idem Metamorph. 8, 2.

Dicitur & lucos ferro temeraſſe vetuſtos.

Homines autem ad arbores diis ſuis ſacras mactare, ut eos placarent, nullum nefas, ſed ſummam religionem ducebant: arborem dæmoni ſacram & ſtipitem pluris facientes, qvàm ipſum hominem; ipſi ſtipites in verâ religione, qvod dolendum erat. Simile qvid de Gallis, qvum adhuc pagani eſſent, refert Sulpicius Severus in vitâ S. Martini Epiſcopi: *Cum in vico qvodam templum antiqviſſimum diruiſſet* (S. Martinus) *& arborem pinum, qvæ fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere, tum verò antiſtes illius luci cæteraqve gentilium turba cœpit obſiſtere. Et cum iidem illi, dum templum evertitur, imperante domino, qvieviſſent, ſuccidi arborem non patiebantur. Ille* (Epiſcopus) *eos ſedulò commonere, nihil eſſe religionis in ſtipite: Deum potius, cui ſerviret ipſe, ſeqverentur, arborem illam exſcindi oportere; qvia eſſet dæmoni dedicata.* Olim etiam hîc ruſtici ſuperſtitioſi & inanium curioſi à ſuccidendis lucis retrò fugerunt, ut adhuc nonnulli diabolum, cui qvondam iſti luci conſecrati erant, magis metuentes, qvàm Deum; qvi à ſtirpe eos exſcindi juſſit. *Deut. XII. v. 2.3. Eſa. I. v. 29. Ezech. VI. v. 13.* Hoc DEI mandatum exſecutus Aſa rex Judæorum, feciſſe dicitur, qvod bonum & rectum viſum in oculis Jehovæ *II. Chron. XIV. v. 2 3.* Sic verbo Dei, & lege patriâ, qvæ cultum lucorum & ſaxorum prohibet *cap. I. Jur. Eccles. Svec.* melius edocti noſtri agricolæ, rectius ſapiunt. Diabolus tamen adhuc qvosdam in hac re non intentatos relinqvit: ut aliqvid religionis ei rei ineſſe, ſimplici vulgo perſvadeat. Ante ſeptennium enim in Sudermanniæ parœciâ Oeſterhanningenſi prope prædium Wendelsöö qvum famulus dictum prædium poſſidentis, juniperum, in plano, amœno & rotundo loco, diverſis arboribus cincto, exſtantem, pulchrosqve ramos latè diffundentem ad uſus domeſticos

cædere

cædere conatus eſſet, vox audita eſt: *noli cædere juniperum.* Ille comminiſtrum ita joco clamare ratus, circumſpectans, neminem tamen vidit. Mox redit ad ſuccidendam eandem juniperum. Sublatâ ſecuri minatus ictum, iterum audit priorem vocem: *Edico tibi, ne cædas juniperum.* His verbis territus, ab eâ cædendâ ſuperſedit, & alia juniperi virgulta circumſtantia ſine interpellatione cecidit. Hoc Paſtor loci Dn. Andreas Arvidi huc ſcripſit ad Collegium Antiqvitatum.

Qvi olim freqventius, & hodie nonnunqvam in ſylvis apparent, Satyri, Fauni, Sileni, & alia hujusmodi ſpectra (vulgò *Skoogſraa* vocantur) non pro ſingulari animalium in ſylvis aut abruptis montibus natorũ genere habẽda ſunt, ut vulgus imperitum exiſtimat; ſed vera Satanæ ludibria ſunt, qvibus ſuperſtitioſas & vanas hominũ mentes circumvenire qværit. Obſervatione digniſſimũ eſt hac de re Iſaaci Caſauboni judicium, qvod extat in ejus libro de Satyrica Poëſi cap. II. *Abſit*, inqvit, *ut putemus exſtare illos aut exſtitiſſe unqvam in rerum naturâ Satyros Silenosve. Sed cum errans aut ludens natura ſicut ait Plinius, hominem aliqvando produxiſſet in lucem cum cornibus aut alia deformitate contra conſvetas ipſi leges notabilem; paulatim ſibi perſvaſere mortales rerum imperiti, & naturali qvadam inclinatione ad τερατολογίαν ac rerum mirabilium fictionem & auditionem juxta proni, naſci in ſylvis & abruptis montium tale animalium genus. Qvod commentum pari levitate & poſteris acceptum & variè concinnatum eſt, atqve à prioribus fuerat excogitatum. Acceſſere phantaſmata illudentium dæmonum, qvorum eſt unicum ſtudium mendacium cujuscunqve generis pro veris ingerere, & omnibus modis in hominum animis illa firmare.*

Hactenus de idololatriâ & ſuperſtitione veterum Scandianorum & Sveo-gothorum; qvam eo animo hîc recenſere viſum eſt: ut, qvum videamus, in qvantâ animorum cœcitate circa religionem majores noſtri tamdiu hæſerint, tanto lubentius DEO gratias perpetuas agamus & nobis gratulemur de merâ ex verè paternâ Dei erga nos benignitate: qva nos ex alto reſpiciens, ex errorum ſpiſſorum & æternæ mortis caligine eductos, in clarâ divinæ veritatis luce, & cœleſtis gloriæ ſpe, ob Chriſtum Servatorem noſtrum, collocavit. Qvam omnes & ſingulos omni ſuperſtitione relegatâ, feriò & veræ ſalutis viâ à Deo monſtratâ, qværere fas erit.

Qvum de veræ religionis in hoc regno lumine accenſo & propagatione plura conſignarint Laur. Paulinus Hiſt. Arctoæ libro I. cap. XL. & Bazius in Hiſt. Eccles. Svec. Inventario, ego contractius referam. Anno Chriſti DCCCXIII. Rex Sveonum Biörno III. per legatos ſuos egit cum

Carolo

Carolo Magno Imperatore, ut huc ex Germaniâ verbi divini præco mitteretur. Ab illo miſſus eſt Herbertus Belga, qvi Oſtrogothiam ingreſſus, iſtic Eccleſiam Lincopenſem primus fundavit. Poſt Caroli Magni mortem, Ludovici ejus filii & ſucceſſoris juſſu A. C. DCCCXVI. Anſcharius, prius Corbeienſis monachus, poſtea Bremenſis & Hamburgenſis Epiſcopus huc in Sveciam venit, & in ejus tunc metropoli Birkâ Dei verbum prædicare cœpit, & poſtea diverſis temporibus idem feliciter propagavit. Poſt eum Rembertus, Unno, Adheldagus, teſte Helmoldo Chronici Slavorum lib. I. cap. IV. VII. VIII. deinde Henricus, Withmarus, Nithardus, Herigarius, Hartgarius, Gosbertus, Adalvardus, Staphanus, Sigfridus, Eſchillus ex Anglia, aliiqve ex Germania advenerunt; de qvibus Vaſtovius fusè in Vite Aqvilonari agit. His indigenæ presbyteri longâ ſerie poſtea ſucceſſerunt, à qvibus ſemen Evangelii per omnem Sveciam ſtudiosè ſparſum, Deo incrementum dante, feliciter ſuccrevit, ac *diſſolutum eſt gelidum illud frigus Aqvilonis à calore verbi divini*, ut loqvitur Helmoldus in Chronico Slavorum. Idqve tanto cum ſucceſſu, ut qvum unius territorii, majorum ætate, unum duntaxat templum & una eccleſia eſſet, teſte Olao Petri in Chronico Svec. MS. nunc ſingulæ parœciæ ſingulis eccleſiis auctæ & ornatæ ſint. Qvod verò deinceps humanarum traditionum & fermenti admixtum religioni fuit, ab eo, ſub imperio & auſpiciis GUSTAVI I. Regis Sveonum laudatiſſimi, per orthodoxos Theologos, inprimis Laurentium Petri, Archiepiſcopum Upſalienſem, & Olaum Petri, Paſtorem Stocholmenſem repurgatum eſt. Anno MDLXXIX, ab univerſo Clero per Decretum Synodi Upſalienſis vera doctrina Chriſtiana approbata eſt. Anno Chriſti MDCXIII. ab omnibus regni Ordinibus invariata Auguſtana Confeſſio *unanimi Conſenſu* accepta eſt: unde *Unio in religione* dicitur, de qva in Synopſi de Jure publico Diſſert. II. th. 3. plura. Anno C. MDCLV. à CAROLO GUSTAVO, Rege Sveciæ laudatiſſimo, Edictum de Chriſtianæ noſtræ religionis vero exercitio & conſervatione publicatum eſt. Eadem Anno MDCLXIII. auſpiciis & mandato CAROLI, Regis Sveciæ, Regis & Domini noſtri Clementiſſimi, ſub titulo CONFESSIONIS FIDEI junctim edita ſunt. Ita regnum Sveciæ ampliſſimum nunc orthodoxæ Religionis, DEO propitio, fidum factum eſt hoſpitium: & ut tale ad ſeculorum conſummationem permaneat, à DEO precamur & optamus unicè.

CAP. IV.

De ratione temporis veterum Sveonum & Gothorum.

Sveones per ſementes aut meſſes, per hyemem aut æſtatem olim annum computaſſe, & qvare. Cauſa etiam oſtenditur, cur per annum & NOCTES ſæpè tempus in Legibus Svecicis computetur. De menſium Svecicorum & Solſtitii æſtivi Starbrack dicti ſignificatione. De dierum Svecicorum nominibus vernaculis. De certorum dierum ſuperſtitioſa vulgi electione, ex majorum ſuorum traditione. De nundinis Diſenſibus.

Reliqvum jam erat, ut poſt Sacra veterum Sveo-Gothorum, ſeqverentur eorum Feſta. Sed prius, qvam eò perveniamus, qvalem temporum rationem obſervarint, exqviremus; ita diebus eorum Feſtis, ut parti temporis celebriori & ſolenniori, commodius ſiſtemur.

Priſcos annum per ſementes aut meſſes, per hyemem aut æſtatem computaſſe, ex diverſis eorum legibus, de qvibus in Lexico juris, liqvet. Ita more ferme Poëtico illis interdum loqvi placuit: ut brevius & rotundius loqverentur. Qvod autem in Legibus ſpatia temporis aliqvoties non ſolùm per annos, ſed etiam per *Noctes*, non dies, computarint, hoc illis cum priſcis Germanis, Gallis, Danis, Saxonibus & Anglis commune fuit. De Germanorum more Tacitus in lib. de morib. Germ. *Nec dierum numerum, ut nos, ſed noctium computant.* De Gallis Jul. Cæſar. lib. VI. belli Gallic. *Spatia omnis temporis non numero dierum ſed noctium definiunt; & dies natales, & menſium & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſeqvatur.* Idem obſervaſſe olim Danos, conſtat ex cap. L. & LIII. Legum Juticarum; & Saxones; ut liqvet ex artic. III. lib. II. art. V. lib. V. Specul. Saxon. Loca ſolùm brevitatis cauſa indicaſſe ſufficiat. Item Anglo-Saxones. In Æthelſtani Regis Anglorum LL. cap. XXXII. *Si in threo nichte*, i. e. *per continuum triduum*, ut Latinè verſum eſt: qvum propriè ſit *per continuum trinoctium*: In Legibus Inæ Regis Anglorum cap. VIII. *Binnan ſeofòn nichte*, i. e. *ſeptem noctes*, vel *ſeptimanam*. Illud autem ex eo principio ortum eſt, qvod noctem die priorem eſſe, vel à nocte diem duci, ex majorum traditione acceperant: unde à nocte, cui annumeraretur dies, initium in computando tempore facere voluerunt. Ita qvondam Hebræi Levitic. cap. XXIII.

V. 32.

v.32. *A veſperâ usque ad veſperam celebrate ceſſationem veſtram.* Iidem, prius fuiſſe tenebras, qvam dies, ex hiſtoriâ creationis noverant. Unde Moſes in enumeratione dierum creationis, veſperam tempori matutino ſemper præponit: *Sic veſpera & mane fuit primi diei, ſic veſpera & mane ſecundi dies* &c. de qva re Cluverius in Germaniâ antiq. lib. I. cap. XXXIII. Scaliger lib. I. de emend. temp. & Celſius Exerc. II. in Computo Eccleſ. cap. IV. plura. Per *noctem* autem Sveogothi ſynecdochicè acceperunt *diem & noctem* ſimul, vel, ut Mathematici vocant, *diem naturalem*, *Dygn* Sveticè. Qvod enim alibi dicitur *nox & annus*, hoc in fine cap. 1. Legum civit. de homicidio voluntar. dicitur *dies & annus*. Qvod in cap. VII. Legum Oſtrogothic. de proxenetis §. 2. dicitur: *qvatuordecim noctes*, hoc in cap. ult. LL. prov. de Rege: *Qvatuordecim noctes, dies* dicitur. Sic alibi *natt oc jamlonga*, item *natt oc ar*. Vid. cap. II. V. VIII. de jure prædior. & aliis LL. Qvin ipſa ratio facilè evincit, qvod veteres Legumlatores ſimpliciter *noctes* non intellexerint; qvamvis compendii cauſa noctes ſolas exprimerent; ſed dies ſimul includi voluerint: qvum tempus diurnum negotiis hominum civilibus aptius ſit nocturno. Hinc etiam *media nox* Romanis *intempeſta* dicta eſt, qvod non ſit *tempeſtiva* vel *idonea rebus agendis*, uti notant Ælius apud Varronem lib. V. de ling. Lat. & Macrobius I. Saturnal. III. Qvod autem veteres juris Svetici auctores anno etiam *noctem*, vel diem civilem aut naturalem adjecerunt, illum loco laxamenti ac longioris ſpatii eſſe voluerunt; qvo poſt annum jam elapſum, adhuc ex abundanti frui poſſent, qvi moram ſuam, præſertim in præſcriptionibus, purgare vellent.

Nunc de menſium & dierum Sveo-Gothicorum origine ac nominibus pauca ſubjiciam. Menſem *Månat* à *Måna* Lunâ appellari, conſtat: qvod Luna curſu ſuo *menſtrua* ſpatia conficit. *Januarium* à *Thor, Jove* appellarunt *Thorsmånat*, ut adhuc dicitur. Primum ei menſem dicarunt, qvod princeps deorum crederetur, & ſacra iſto menſe ei fierent. *Februarium Göiamånat* à *Göia*, qvam Jovis vel Thoronis filiam fingebant, ita vocarunt. Eam proximo gradu ſubſeqvi patrem; conveniens illis viſum eſt. Qvidam eandem cum *Frigga* faciunt. In ipſius honorem iſto menſe maximum ſacrificium inſtitutum eſt pro victoriâ & pace; ut eſt in Chronico Norveg. Sturleſonii pag. CCXIV. Islandos qvoqve *Februarium Göa* nomine inſignire, teſtis eſt Arngrimus Jonæ cap. IV. Islandiæ. Germani Februarium Hornung vocant, ab Horn *cornu*: qvod cervi in hoc menſe cornua rejiciunt ac mutant: unde etiam Græcis Ἐλαφηβολιών dictus eſt. Martii, Aprilis, Maji nomina Romana ut Germani, ita qvoqve Sveones &

Gothi retinent, niſi qvod qvidam *Martium* etiam *Thûrrmånat* à *Marte* Aſiatico (de qvo mox inf.) dictum velint; de eodem Voſſius lib. II. Idololatr. gent. cap. XIII. & Schefferus Upſaliæ cap. VI. In Junium verò menſem qvum incipat *Solſtitium æſtivum*, qvod noſtris Uplandis *Starbrack* dicitur, unde ſic appellari videatur, qvum non ſatis certum ſit, apponam Cl. Verelii duplicem conjecturam & interpretationem, qvam mecum communicavit. Prima hæc eſt, qvod *ſtar* noſtratibus *caricem* notat, & *brak*, qvod *facile rumpitur*: num inde, qvod ex vulgi opinione, lintea, retia, carbaſa & hujusmodi alia circa dictum *ſolſtitium* aqvis immerſa ſoliqve expoſita, *caricis* inſtar *fragilia* ſint & vitiata putreſcant? Et qvid non vulgus ſolùm, ſed etiam eruditiſſimi qvidam de hac re ſentiant, vide Thomam Bartholinum in de Cometa. Altera conjectura hæc eſt, qvod ſcribendum Verelio videbatur *Stadbragd*. Vetus enim verbum eſt *bregda*, & multarum ſignificationum (Vide Notam ultimam Verelii in Gautrici Vitam pag. 104. ubi inter alia occurrit *bregda bui* & *bregda ſetu*, h. e. *ſedem & manſionem mutare.*) Transfertur illud verbum ad omnes ſenſus & motus animi. Unde ſæpè in lingvæ veteris ſcriptis *han bra vid Skiott* i.e. *ſubitò immutavit animum*, vel *collegit ſe in ſtatum*, velut ſerpentes, cum aliqvem ſibi imminantem conſpexerunt, in orbem ſe componunt & defenſioni ſe parant. Inde *bragd* mutatio vel motus, & *bregda ſtad*, eſt *mutare locum* vel *retrocedere*. Fuerit ergo *Stadbragd*, vel *retroceſſio*, vel *converſio qvædam Solis* in ſolſtitio. Pro *bragd* vulgo etiam *brak* dicitur: *i det braket*, i.e. *in iſta viciſſitudine*. Adi qvoqve Verelium in Notis ad cap. IV. Hervar Sagu p. 53.

Julius, *Hôymonat* & Germ. Hewmonat / qvaſi *fæniſeſius menſis* dicitur: qvod fæni ſectio in illum incidit. Alioqvin idem vocatur Sveticè *Röthemånat* à *röötha* qvod eſt *putrefacere*: in illo enim menſe multa putreſcunt, excocto per externum calorem ſucco naturali. Manilius Aſtronom. lib. V. ubi vim Caniculæ deſcribit, ſic inter alia habet:

Et viridis nemori ſangvinis decedit & herbis. ibi per *ſangvinem* intelligi *ſuccum* obſervat Scaliger in Notis ſuis, qvem velut exſugit plantis & herbis calor ſideris canicularis, aut ſolis, leonis ſignum ingredientis. Ex eadem causâ menſis iſte Norvegis & Islandis olim appellatus eſt *Madkomånat*, qvod ex *putrefactione* tunc vermes copioſè naſcuntur. *Auguſtus* Sveo-Gothis *Skiördamånat* à *ſectione* vel *meſſe ſegetis* dicitur, qvæ in eo menſe fit. *September Hôſtmånat*, qvod in eum *bruma* incurrit. German. Herbſtmonat / ab Herb / / *acerbo* & *aſpero*, ut ſolet eſſe bruma, dictus. (Bruma tamen non incidit in Septembrem, ſed æqvinoctium autumnale) *October Slacht-*

månat

månat vel *Blothmånat* à *mactatione* boum vel aliorum pecorum culinæ & menſæ deſtinatorum. *November*, *Wintermånat*, qvod in eum hyems incidit. *December*, *Julmånat* à *Jul*, feſto Nativitatis Chriſti, de qvo in ſeqventi capite plura.

Nomina *dierum* gentilium à planetarum nominibus deſcendere, notum eſt. Noſtratibus *dies ſolis*, *Syndag* à *ſyn*, *ſon*, vel *ſun*, ut veteribus Sveonibus *ſol* dicebatur, vel, ut alii volunt, à *ſuon*, *conciliatione*: qvod eo die per Chriſti reſurrectionem reconciliati ſumus Patri cœleſti. Veteribus qvoqve Germanis *Suonotag* dictus eſt, ut obſervat Freherus ad Symbolum Apoſtolorum, veteri lingvâ Germanicâ ſcriptum, idem qvod *reconsiliationis dies*. Sed ante Chriſtianam religionem huc introductam Scandianis jam *Sondag* dictum, & Odini ac Freii nomine cultum, ejusqve ſacrificium *Sonnublot* appellatum fuiſſe, ex priſcis monumentis oſtendit Verelius in Notis ad cap. VII. hiſt. Gotric. & Rolv. Illud autem cum Chriſtianiſmo huc introducto abolitum, & qvi *Domino* nunc ſacer eſt, inde *dies Dominicus*, à Johanne *Apocal. 1.10. & in lege 7. Cod. de Feriis dicitur*. Idem primus hebdomadis dies eſſe meruit, ut videre eſt *Actor. 20,7.1.Cor.16,2.* *Dies Lunæ* Sveticè à *Lunâ*, cui conſecratus eſt, dicitur. *Dies Martis* à *Tyro*, *Thuro* vel *Thurra*, Aſiatico Marte, *Tyrsdag*, & poſtea molliori ſono *Tisdag* nuncupatus eſt. *Dies Mercurii* ab Odino *Odinsdag*, priſcis Germanis & adhuc Belgis Wodensdag, hodie Germanis *medius hebdomadis dies* dicitur. *Dies Jovis* velut à Jove tonante *Thorsdag*, & *dies Veneris* à *Freia* dicitur *Fredag*; *Dies Saturni Lögerdag* à *Löga*, *aqvâ abluere*, ut olim in ſacrificiis, aut balneo ſolebant. Celſius in part. I. Computi Eccl. c. VI. à *Loko* i.e. *Saturno* derivat. Utinam verò vulgus à ſuperſtitioſâ & avitâ certorum dierum, qvaſi candidorum & fauſtorum, electione, & aliorum, qvaſi atrorum & infelicium rejectione, deſiſteret!

Nundinæ anniverſariæ Diſenſes retinent adhuc nomen *Diſting*, i. e. *conventus* ad rem divinam faciendam *Diſæ* aut *Friggæ*, ut explicat Verelius in Notis ad cap. IV. Hervari hiſt. p. 59. Id autem fiebat in *mediâ hyeme*, ut Snorro in annalibus Norvegic. p. m. 25. teſtatur; qvo tempore adhuc nundinæ celebrantur à conveniente multitudine, qvarum initium ſemper ex priſca conſvetudine in plenilunio fieri ſolet. Eodem tempore olim Diſæ ſacra fiebant, *Diſablot* dicta. Cl. Celſius circa finem cap. V. Computi Eccleſiaſt. obſervat *Diſam* pro *Frigga* vel *Gœia*, qvam *Dianam Scythicam* veteres fecerint, accipiendam eſſe. Dianam autem in myſticis gentilium ſacrorum rationibus *Lunam* fuiſſe: inde nundinas antiqvitus ad *Lunæ curſum* inſtitutas fuiſſe. Qvod autem ex vulgi traditione de mirifico adven-

tu Diſæ ad Sigtrudum regem in plenilunio, circumfertur, magis ad oſtentationem ſcenæ qvàm fidem aptum videtur: qvum nulla vetus hiſtoria, qvod ego ſciam, ejus rei mentionem faciat; nec annales Sveciæ Sigtrudum, ſed Sigtrugum agnoſcant. Illud tamen ut non planè affirmare, ita nec refellere animus eſt: cum veteris famæ nulla non potuerit occaſio exiſtere. præſertim qvum Olaus Magnus lib. IV. rer. Septentrional. cap. IV. de Disâ, ſed absqve adjectione vulgi fabulæ, referat, fæminam fuiſſe excelſi & ſagacis animi, eamqve cum vidiſſet, numeroſum populum olim ob inclementiam cœli & ſegetis frigore exſtinctæ calamitatem, famis acerbitate periclitari, potius per ſortem emitti in alienas terras, ibiqve ſedulo agrorum cultu victum qværere, qvàm improvidorum ſvaſuè vitâ deleri, in medium conſuluiſſe, niſi & hoc ex traditione plebis referatur.

CAP. V.

De Feſtis Sveonum Chriſtianorum præcipuis; & eorum denominatione.

Feſtum Nativitatis Chriſti, Sveonibus Jul dictum, non poſſe à Julio Cæſare denominari, probatur. Unde verum feſti Juliani nomen ortum ſit. Qvid de eo nomine ſenſerit S. Birgitta. Qvatenus id hodie retineatur. Velut Germanis hoc feſtum Weihenacht dicitur, & feſtum Paſchatis Oſtern. Qvid de Bedæ denominatione Giuli ſtatuendum ſit. De indictione pacis publicæ in Feſto Nativitatis Chriſti. Unde reliqvi dies feſti denominentur. De tribus Supplicationibus publicis.

EXcuſsâ hactenus temporis apud veteres & adhuc uſitati ratione, nunc Feſtos eorum dies addemus. Plantatâ in his regnis verâ religione, certi dies feſti, præter Dominicum (de qvo c. ſup.) à piâ antiqvitate inſtituti ſunt: in qvibus Dei erga genus humanum ſumma beneficia qvotannis celebrantur. Eorum præcipui ſunt die natalitius Chriſti, Paſchatis & Pentecoſtes. De Paſchatis & Pentecoſtes etymologiâ, illa Hebræâ, hac Græcâ, res liqvida eſt. Sed unde Natalitiis Chriſti *Juliorum* nomen à Svecis & Gothis inditum ſit, inter omnes non convenit. Johannes Magnus à *Julio* Cæſare derivatum it: dum lib. IV. Hiſt. Svec. cap. XIII. ſcribit, Julium Cæſarem, qvum in expeditione ſuâ Germanicâ mare Germanicum non transiiſſet, ſed retroceſſiſſet; ab Aqvilonaribus tamen id conſecutum eſſe, ut ejus memoriæ ac nomini unum diem feſtum in menſe De-

ſe Decembri, more Saturnalium, conſecrarent; cui poſtea Natalis Chriſti, retento nihilominus *Julii* nomine, ſucceſſerit. Hoc apud nullum ſcriptorum veterum me legiſſe memini. Et qvo titulo horum regnorum populi hoc Cæſari darent? qvos nunqvam adiit, multò minus debellavit; atqve ſic nihil juris in eos habuit. Precariò autem ab eis illud obtinere, ejus eminentiâ indignum erat. Qvin Strabo, qvi ſub Auguſto & Tiberio vixit, ultra Albim objecta Oceano, ſuâ ætate, omninò *incognita* fuiſſe Romanis ſcribit lib. VII. pag. 249. edit. Caſaub. Buchananus qvidem, ſed recentior, lib. V. rerum Scotic. p. m. 125. apud ſuos qvoqve Scotos & Britannos, illud feſtum ab eadem origine nomen ſortitum eſſe tradit: *Noſtri*, inqvit, *JULIA id feſtum vocant, Cæſaris videlicet nomine pro Saturno ſubſtituto.* Sed Buchananum in nomine iſto etiam qvoad Britannos & Scotos ſuos falli, exiſtimat Dn. Verelius in Notis ſuis ad cap. IV. Hervari hiſt. p. 51. Verum autem illius feſti, in honorem Cereris, qvæ noſtris *Frigga* vel *Freia*, olim celebrati nomen ille deducit à *Jola*, veteri verbo Scandico i. e. *genio indulgere*, & *Jala* i. e. *confabulari, ſermones cædere*, & qvidem ex auctoribus Hervari hiſt. cap. XIV. & Olai Hiſt. cap. CVII. Et inde compoſita *Jolabod* & *Jolaveitzla* i. e. *comeſſationes*, item *Julebok* vel *blindebok* & *Julklub*, aliaqve ludicra tunc adhiberi ſolita, *Julaleikar* dicta; ut nihil deeſſet ad teſtificandam hilaritatem. Atqve inde hoc antiqvum *comeſſationum* nomen *Jul* etiam Scotos & Anglos tribuiſſe extremo Decembri, vel iſtius temporis conviviorum feſtivitati pariter, ac Scandianos, notat p. 56. dicti loci. Buchanano tamen illam vocem vel ignotam fuiſſe, vel non occurriſſe, ſatis inde liqvet, qvod *Jul* à *Julio* Cæſare, Britannorum victore, vel ex ſuâ, vel civium ſuorum opinione, deducendum eſſe putavit. Qvod autem ait, Cæſaris nomen pro *Saturno* ſubſtitutum eſſe, additqve *extremo Decembri renatam eſſe veterum Saturnalium imaginem*, his verbis reſpicit ad veterum Saturnalium Romanorum morem; qvo omni libidini ac licentiæ palam habenæ laxabantur. Seneca ep. 18. *Decembri menſe jus luxuriæ publicæ Romæ datum.* Et Tertullianus in lib. de idololatria: *Saturnalia & calendæ Januariæ freqventantur, luſus, convivia conſtrepunt.* Cum ergo priſci Scandiani in ludis, comeſſationibus & compotationibus ſæpe modum excederent, etiam ætate S. Birgittæ; inde factum eſt, ut pia ac bene morata matrona, nomen *Jul* ob abominationem tantæ luxuriæ prorſus improbaret, & pro ſtolidis haberet, qvi illud nomen tam venerando Feſto impoſuiſſent. Unde in lib. III. Revelat. MSS. cap III. Chriſtus inter cætera ſic loqvens ab eâ introducitur: *Ommin Födzlodag, huilken ſaa vviske mogen Kalla Juladagh*; i. e. *De die meo*

natali,

natali, quem ſtolidi vocent Julium. Sed Verelius noſter ante allegato loco p. 56. rationem retenti nominis *Jul* hanc adfert, ubi ait: *Abolitis gentilium ſacrorum & comeſſationum iſtarum abominationibus, in nomine ipſo Jul nihil impietatis ineſſe exiſtimarunt majores noſtri, quin illud rectè iſti feſtivitati & hilaritati adhiberetur, quam longè aliâ de causâ, ac occæcati anteceſſores ipſorum, in natali Domini ac Servatoris noſtri agitabant.* Ita Germani *Natalem Chriſti* adhuc *Weihenacht* vocant, i.e. *conſecratam noctem* quâ natus eſt Chriſtus; quam olim in gentiliſmo diis ſuis conſecrarunt, & *pervigiliis* ac *comeſſationibus* dedicarunt. Hodie piis Chriſtianis in Germania *Chriſtag, dies Chriſti* dicitur. Eodem modo Veneris feſtum qvondam Germani circa ferias Paſchales celebrarunt. Unde *feſtum Paſchatis* adhuc, ut olim in gentiliſmo *Oſtern* ab *Aſtara* Venere, qvæ Britannis *Eaſter* vel *Aeſtar* dicitur, appellant. Aſtara autem olim qvoqve fuit Aſſyriorum Venus; cujus idololatria ab illis ad Germanos migravit. Vide Seldenum de diis Syris Syntag. II. cap. II. & IV. & Cluverium Germaniæ antiq. lib. I. cap. XVII. p. 95. 196. Sic recento gentili nomine, cui adſveti erant, tamen abominantur gentilium idololatriam: velut aliqvot menſium ac dierum gentilium nomina ex conſvetudine, ſed absqve ſuperſtitione, adhuc uſurpant.

Qvod autem ad Bedam attinet, ille cap. XIII. de rat. temp. teſtatur, Britannos vel Andos ſuos olim Decembrem menſem, in cujus finem hodie Chriſtianis incurrit Natalis Chriſti, *Giuli priorem*, & Januarium ſubſeqventem, *Giuli poſteriorem* appellaſſe. Rationem appellationis hanc addit, qvod tunc deflecteret tempus in incrementum dierum. Verba Bedæ hæc ſunt; *December Giuli eodem nomine, quo Januarius vocatur, dicti à converſione ſolis in auctum diei.* Accedit conſenſus Scaligeri, qvi lib. II. de emend. temp. reſpiciens ad iſtum Bedæ locum, oſtendit qvid ſit *Giuli*, dum ait: *Giuli idem eſſe quod tropicum; quia tunc ſol in alia tempora flectat.* Iſti voci *Giuli* etiam convenit vox *Gehol*, qvæ exſtat in Alfredi Regis Anglo-Saxonum Legibus cap. VI. & XLI. & ſignat tempus Natalis Chriſti. Qvum de hac re conferrem cum Collega meo Dn. Olao Rudbeckio, præter illa qvæ prolixè & accuratè obſervavit de tempore Feſti Juliani veterum Sveonum, dum adhuc gentiles erant, allatum Bedæ locum æſtimabat his verbis: *Beda, qui prope illud tempus vixit, quo pagani convertebantur ad Chriſtianiſmum, rectè notavit, Julianum feſtum à priſcis celebratum eſſe, quando ſol retrocedit verſus ſeptentrionem, & dies longiores facit.* Æſtimat etiam ſuo merito Collega Dn. Verelius adductum Bedæ locum; ſed negat vocem *Jul*, qvæ *feſtivitatem convivalem* ſignat, ad *converſionem ſolis* accommodari poſſe. *Deceptus*, inqvit, *Beda fuit*

ambigui-

ambiguitate vocis Jul, qvæ & rotam ſive converſionem, ac lætitiam convivalem ſignificat, & priorem notionem tanqvam notiorem Decembri & Januario menſibus tribuit, qvi nihil cum ea habuere commune. Vocavere enim menſes illos Angli pariter ac Scandiani ex ſacrorum conviviorum feſtivitate Jol, *non verò à converſione ſolis vel rotâ* giuli priorem & poſteriorem. Qvæ de converſione ſolis cum ſimilitudine *rotæ* ex aliqvot ſcriptoribus in priori editione Antiqvitatum mearum obſervavi, inductus eruditorum veriſimili ſententiâ exiſtimantium Bedæ vocem *Giuli* cognatam eandem, cum noſtrâ *Jul* vel *Jol* eſſe, jam non repeto: contentus notione hujus vocis in illâ ſignificatione, qvâ majores Sveonum *convivalem feſtivitatem* ſignarunt. Illud tamen à priori meâ obſervatione non prorſus alienum eſt, qvod Beda de converſione ſolis in dierum auctum notavit tempus, id proximum fuiſſe Juliano feſto à priſcis gentilibus in his regnis olim celebrato. Certè Sveonum plebs, præſertim ruri, conſvevit adhuc veſperâ Natalis Chriſti, in limine cubiculorum ſcribere & præ foribus adfigere ſignum *crucis*, qvod *Julkors* vocant, vel qvatuor *rotæ* radiis ſignatum: qvod haud dubiè (præter crucis Chriſti memoriam ut hodie fit) *anni circuitum* more majorum notant. In ſcipione qvodam Runico Norvegico, Nativitatis Chriſti feſto ſuperimpoſitum vidi *Rotæ* ſignum, qvo alio, qvam converſionis iſtius temporis indicio? vel qvatuor anni currentis partes adumbrante? nec id diffitetur Verelius allegato prius loco pag. 57.

Vetus & laudabile hujus regni inſtitutum eſt, per tubas ac tympana pacem & ſecuritatem Feſti nativitatis Chriſti, qvam *Julafrid* appellant, ex mandato Regio, publicè indicere. Summa & cauſa illius indictionis eſt, ut qvilibet iſto tempore qvietè degat; inprimis Deo in Eccleſiâ domiq; ſerviat: manus non ad percuſſionem, ſed precationem elevet: os non in ebrietatem, luxum, rixas & maledicta, ſed in Dei laudes & benedicta aperiat. inprimis animum Dei beneficiis celebrandis conſecret. ſi ſecus fiat, ex lege dupli pœna eſt. Ipſi qvoqve pagani de injuriis tempore feriarum illatis, & earum pœnâ exaſperatâ leges tulere: qvas inde *ἱεροὺς νόμους ſacras leges* nuncuparunt, ut notat Dio Chryſoſtomus in orat. de Incredulitate. Apud Tullium in lib. II. de Legibus talis Lex exſtat: *Jurgia feriis amovento.* Si hæc in verâ religione cœci fecere, qvid nos veros Chriſtianos decebit? ut non ſolùm à jurgiis, ſed etiam luxu ac libidine nos contineamus. Hinc Chriſtiani Imperatores in l. 9. Cod. de Feriis: *Dies feſtos, Majeſtati altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari.* & CAROLUS, Rex noſter Clementiſſimus, dies feſtos profanari ſeverâ lege prohibuit in *Inter-*

 dicto

dicto de violat. Sabbath. Non minus autem ab hujus regni Chriſtianis pax publica feſto Paſchatis & Pentecoſtes, qvàm nativitatis Chriſti ex veteri inſtituto ſervatur: ut videre eſt *ex cap. I. Jur. Svec. de vulner. volunt. & cap. ult. Legum Upland. de judicio territ.* In titulo L L. Oſtrogoth. de Jure Eccleſiaſt. cap. XXII. ſic habetur: *Nunc ingreditur pax Paſchalis die Mercurii, mutâ hebdomade, qvando campanæ adſtringuntur.* Ex his verbis intelligimus, qvod illa hebdomas, qvæ præcedit feſtum Paſchatis, dicta ſit & adhuc dicatur *Dymbilvvika:* qvod campanæ tunc eſſent qvaſi *mutæ(domb, dumb)* & *tacitæ.* nam olim æris campani ſonus in templorum turribus à die Mercurii usqve ad ferias Paſchales per illam ſeptimanam non audiebatur; ſed inflato cornu vocabantur auditores ad ſacra; velut in Chronico qvodam Svec. MS. me legiſſe memini. Cujus rei veterem qvandam ſuperſtitionem fuiſſe, ſunt qvi notant, qvaſi lamiæ illis noctibus ferro campanas raderent. Hodie verò per omnem iſtam ſeptimanam campanarum pulſatio ad ſacra ſonat; licet *hebdomas* adhuc *muta* dicatur, ut Germanis *tacita ſeptimana*; ex illâ haud dubiè causâ, ut homines hoc tempore magis, qvàm alio à ſecularibus & mundanis rebus ſe continentes, ſacris præcipuè operarentur, & in *tranqvillitate mentis ac qviete* ad inſtans feſtum Paſchale ſe rite præpararent. *Dies Jovis* illius hebdomadis adhuc, ut olim, *Skårtorsdagh* à *Skåra*, purgare, *mundare* dicitur: qvod in Papiſmo tunc abluebant & *purgabant* ſe à cinere, qvo die Cineralium, pœnitentiam agentes, reſperſerant caput, aut frontes illeverant. Sed illud feſtum, qvod *Skiårdags hålgd* veteres appellabant, erat feſtum *purificationis Mariæ*; qvod hodie vulgò *Kindermes*, ſed minus rectè, nuncupatur. Priſci enim Scandiani & Gothi, qvum jam Chriſtiani eſſent, appellarunt illud *Kyndelmeſſa*, ut videre eſt ex cap. 10. Jur. Eccles. Upland. *Qvindilmeſſa* dicitur in c. 24. 25. de jur. agrar. WML. à *Kyndilâ*(unde adhuc Finnonibus ſupereſt *Ky*[illegible]*tila*) Lat. *candela.* qvam vocem procul dubio, ut alias qvasdam Latinas, in ſacris tunc uſitatas, olim exteri cum ſua religione huc introduxerunt: qvum *candelæ cereæ* conſecratæ in honorem Mariæ dicto die accenderentur. Unde adhuc Germanis illud Feſtum ab iſtis *candelis* & *miſsâ*, *Liechtmeſſe*, & Anglis *Kandelmeſſe* nomen retinet. *Dies* autem *Veneris* in ante memoratâ hebdomade *Longfredagh* inde nominari videtur, qvod illius diei ſacra, concioni & meditationi paſſionis Chriſti deſtinata, reliqvis antecedentibus longiora & productiora eſſent; & qvod jejunia hujus diei majora, qvàm alia, olim in uſu eſſent. *Dies illi*, qvi præcedunt feſtum Adſcenſus Domini, appellantur *Gångedagar* à *circumitionibus*; qvibus olim circum agros & campos

campos Pontificii uſi, Litanias, ut vocant, & preces pro frugum proventu fuderunt. hodie ſunt *dies rogationum*; de qvibus Wormius Faſt. Danic. lib. III. pag. 159. 160. Illis Supplicationes publicæ tres, anniverſariæ & ſolennes, à Regibus Sveciæ totius regni Eccleſiis indictæ, jure præcipui ob inſignem earum fructum annumerandi ſunt.

JOHANNIS LOCCENII ANTIQVITATUM SVEO-GOTHICARUM

LIBER II.

CAP. I.

De regno Sveo-Gothico, ejusqve Regiâ à primis imperii conditi temporibus ad poſteros & ſucceſſores Reges feliciter propagatâ & continuatâ adminiſtratione.

De regio Sveciæ imperio. Cur primatum imperio aliqvamdiu interpolatum ſit. Unde regni diviſio qvondam, iterumq; conjunctio. Tacito lux qvædam. De Regibus Upſaliæ vel Sveciæ, eorumqve ſingulari & ſupremâ poteſtate. Nunqvam imperio Romano ſubjectum fuiſſe regnum Sveonum, ſed ſuâ ſemper autonomiâ uſum, contra Alberti Stadenſis, Keckermanni & Liebenthalii opinionem probatur. Olim regnum Sveciæ qvodam ſucceſſionis modo temperatum fuiſſe, etiam, cum electionis jure deferretur. De ejus ritu, & ſacramenti obligatione. De circuitione regni, ejusqve cauſa. De Satisdatione in locum deſuetæ circuitionis recepta. De regno hæreditario facto. De ritu coronationis hodierno ſtrictim. De cauſis florentis regni Svetici.

A Sacrorum & religionis ſtatu proximum facimus gradum ad civilem Sveo-Gothorum ſtatum. Ericus Upſalienſis lib. I. Hiſt. Svec. imperium hujus regni à primoribus adminiſtratum fuiſſe ſcribit. Sed Ericus ad illud tempus haud dubiè reſpexit, de qvo auctor Annalium Norvegicorum Snorro Sturleſonius pag. XIV. agit: nimirum ab Odino, ex Aſia huc profecto & rerum potito, duodecim viros, qvi *Diar*, i. e. *domini*, alioqvin *Judices* dicti ſunt, populo præfectos fuiſſe. Nam ab initio regium fuit imperium, ut non ſolùm ex hiſtoriâ Sveonum, ſed etiam Legum Svecicarum principio conſtat. Ob nimiam verò qvorundam imperantium vim, diviſâ ad aliqvod tempus à regibus multitudine, imperium ſub *Judicibus* ſtetit, donec ad Reges rediret. Poſtea violentâ qvorundam regum dominatione, aut mutuâ inter ſe æmulatione ac diviſione diſtracti, modò his, modò illis provinciis peculiarem ſibi Principem eligentibus, ſub Ungvino rege iterum conjuncti ſunt, Sed hæc conjunctio non diu ſtetit, dum alternis ſibi vel reges, vel provinciarum rectores crearunt; donec Ingiellus II. eos ſpecie regalium epularum & dolo è medio tolleret. Ita in poſterum unus Rex, & una Corona per totum Sveciæ regnum, ex cap. II. LL. prov. Svec. de Rege, fuit.

Qvod autem Tacitus in lib. de moribus German. ait: *Apud Sviones unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi*, hoc accipiendum eſt de illo tempore, qvo Regis Sveonum imperium in dominantis arbitrio ac manu fuit; donec poſtea certis legibus publicis definiretur. Confer in illum Taciti locum Cluverium Germaniæ antiqvæ lib. I. cap. XL. & Berneggeri Qvæſt. Politic. in Tacitum Qv. CXLIII. Sed poſtea pertæſus populus iſtum dominatum, ſibi libertatem qvæſivit. Tandem invaleſcentibus opibus, rerum arbitrium ad ſe tractum ivit. de qva re in cap. III. & IIX. hujus libri fuſius dicendi locus erit. Poſtqvam verò illud popularitatis ſtudium & libertatis abuſus in factiones & licentiam abierat; populum auctoritate Regis, ac Senatus regni conſiliis frenari, imperiumqve ex legibus regni adminiſtrari, fas & mos obtinuit: ut non minus jure temperata populi libertas, qvàm juſtum Regis eſſet imperium.

Qvi priſci fuerunt regni moderatores, *Regum Upſaliæ* nomen à ſede tunc iſtic regia, ex inſtituto, ut volunt, Regis Ingonis I. acceperunt. Si verò plures poſt patrem Regem filii ſuperſtites eſſent, jure velut hæreditario alius hanc, alius illam regni partem, populo conſentiente vel connivente, ſibi vendicabat; uti Schefferus Upſaliæ cap. XVII. prolixè obſervat. Upſaliæ

liæ tamen Reges principem obtinebant poteſtatem, reliqvi fiduciarii Principes erant, & tributarii Regis Upſaliæ, ut eſt in Chronico S. Olai. Reges autem Upſaliæ, poſtea Reges Sveciæ, ſub imperio Olai Skautkonung, dici cœperunt, de qvo in cap. IX. h. lib. plura; illiqve *monarchæ Sveciæ*, vel ſupremæ poteſtatis Principes dicti (envoldzkonungar) fuerunt. Unde dictus Olaus Rex apud Sturleſonium pag. CCVIII. de ſe: *Ego jam ſum decimus Rex ab illis, qui ordine vir poſt virum fuerunt monarchæ Sveciæ.* Et Guſtavus Magnus, invictus regiæ dignitatis vindex, in ſuis ad Electores Imperii ſcriptis Literis apud Arlanibæum in Armis Sveticis pag. 49. *Cæſaris* (Ferdinandi II.) *literas* inqvit, *in quorum inſcriptione Nos Principem ſuum indigitabat, quaſi illi ſubjecti aut fide aliqua obſtricti eſſemus, recipere aut admittere non potuimus: cum ne glebam quidem aut pedem transverſum terræ à Cæſare in noſtro regno teneamus.* Idem regni Sveciæ Senatores ſuis ad Senatum regni Daniæ literis A. MDCXXXVII. a. d. 19. Octob. datis, firmarunt: *Sveciæ regnum inde usque ab ethniciſmo liberum eſt, nulli externo dominio ſubjectum. qvod DEI gratia hactenus in variis diſcriminibus adſeruit ac defendit. Speramus etiam adhuc in patria noſtra complures honeſtos viros repertum iri, qvi pro eo mortem oppetere non vereantur.* Nihil autem nos morabitur, qvod Albertus Stadenſis refert, Waldemarum I. Daniæ Regem, Sveciæ regnum homagii jure à Cæſare Friderico accepiſſe. Conringius in eruditiſſimi ſui Operis de Finibus Imperii Germanici lib. I. cap. XIV. verè rectèqve hîc coarguit Albertum Stadenſem his verbis: *Obiter coarguendus venit Albertus Stadenſis in eo, qvod Sveciæ qvoqve regnum Waldemarum I. homagii jure à Cæſare Friderico accepiſſe refert. Nec enim ille ſimul Sveciæ Regem egit; & Cæſarum nemo in Sveciam aliqvid usqve huc vel tentaverat. Eoqve nihil juris in regnum illud vel Waldemarus petere, vel Cæſar dare potuit.* Inſuper patet, qvàm falſum ſit, qvod Keckermannus Syſtem. Politic. lib. I. cap. XXXII. & Liebenthal Collegii Politic. Exerc. VII. qv. III. ſcribunt: *Imperatores Romanos olim Gothis & Sveonibus Reges dediſſe*: qvum eos eligendi ac deſignandi ſemper indigenis libera poteſtas fuerit, ut ex eorum legibus & priſcâ conſvetudine ſatis liqvet. Liebenthal qvoqve dicto loco Qv. IX. probare ex Novellâ Juſtiniani qvinqvageſimâ conatur, Sveones olim Imperio Romano paruiſſe; dum *ab extremâ Scythiâ appellationes ad Imperii Romani Curiam devolutas eſſe*, Novella dicit: qvaſi Novella per populum in *extremâ Scythiâ* habitantem, Sveones accipiat. qvod qvàm abſonum ſit, facile patet. Præterea priſcos Gothos Romam invaſiſſe & aliqvando victrici manu tenuiſſe, qvibus ignotum eſt? Romanos autem Sveciam & Gothiam invaſiſſe, ex hiſtoriis veris

nunqvam probabitur. Eapropter ex fide ſcribit Bertius lib. II. Germaniæ cap. XVI. *Nunqvam in Sveonum & Gothorum terras Græci, nunqvam Romani penetrarunt. qvò fit, ut adhuc omnia apud eos integra atqve incorrupta ſint.* Qvâ ergo ratione Imperatores illis reges darent, aut jus dicerent, in qvos nihil jurisdictionis habebant? Si qvi verò Gothorum Romanis aliqvando paruerint, hoc de illis capiendum eſt, qvi extra patriam ſuam, per occaſionem emigrationis, conſtituti, ſtipendia ſub illis meruerunt; vel qvorum poſteri, per Imperium Romanum diſperſi, ſedem iſtic locarunt, eiqve ſubjecti fuerunt; non verò de illis, qvi in patrio ſolo permanſerunt, nec de exteris Gothis, qvi *Romanorum fœderati*, & apud eos *honorati* fuerunt, ut dicitur in *l. 12. Cod. de hæretic. & Manich.* Sveo-Gothicum ergo regnum ſuis ſemper legibus, libero electionis vel ſucceſſionis jure, regiâqve adminiſtratione uſum eſt.

Qvanqvam verò Sveci ac Gothi non ſemel de electione Regum & ordine imperii, nonnunqvam etiam bellis, concertarunt; tamen civilis concordiæ & firmandarum virium ſtudio, tandem in unum utraqve natio coivit, uniqve Regi Sveonum & Gothorum (uti poſtea ſolenni titulo dici meruit) conſentientibus civium ſuffragiis electo paruit. Si verò ex veteri, regio & illuſtri ſangvine indigenæ, qvos exteris naturali amore præferebant, idoneiqve ſupereſſent, illi tanqvam regni ſucceſſores & hæredes acceptabantur; ut eſt in fine cap. III. Legum provinc. Svec. de. Rege. Major tamen natu plerumqve præferebatur, ſi idoneus eſſet; & niſi Ordinibus regni ex uſu publico aliud videretur, ut eſt in cap. XVI. hiſtor. Gótrici. Hinc à prima regii imperii ætate Reges continuo ferme ſucceſſionis ordine, usqve ad Stenchillum II. & ex Amalorum in Oſtrogothiâ, Balthorum in Weſtrogothiâ genere diu reges fuerunt. Ex poſteris S. Erici per ducentos circiter annos reges Svecia habuit. Anno M CCCXLIII. Wardbergæ in Hallandiâ de ſucceſſione hæreditariâ Magni Smeek & filiorum ejus facta eſt Conſtitutio; qvæ exſtat in principio Exeg. hiſt. Svec. olim à Joh. Meſſenio editæ. Inde etiam qvondam ex inveteratâ conſvetudine *hæreditarium convivium* dicebatur, qvod filius, ſucceſſurus patri, domi ſolenniter inſtituebat. de qvo ego in Hiſt. Svec. lib. II. in vita Ingeldi, Schefferus Upſaliæ cap. XVII. & Verelius in Notis ad cap. XVI. Hiſt. Gótric. & Rolv. pag. 83. 84. plura. Hæc autem de ſucceſſione filiorum in imperium, etiamſi libera eſſet electio, haud dubiè tali conſilio ac fine conſtituta erant: ut cives beneficia Regum paterna etiam in liberis hoc modo penſarent: regiam familiam regno magis conciliarent: & absqve contentionis & civilis motus pericu-

periculo, ex incerta & fluctuante peregrinorum electione, ambitui ſæpe perviâ, metuendo, domi ſumerent, qvos probatæ virtutis & fidei erga patriam exiſtimatio commendabat.

Poſtea qvum electionem Regis alio loco celebrari placeret, illa publicè in prato *Moraengh* dicto, qvod ſpatioſâ porrectum planitie capax erat multitudinis, prope Upſaliam peragebatur. Cujus rei monumentum erat Saxum majus in medio ſitum, & futuro Regi collocatum, aliisqve XII. minoribus ſaxis circumdatum, in qvibus XII. regni Senatores, Regem cum circumfuſo populo electuri, conſiſtebant. Rex autem ſolenniter electus, in celebri populi conventu ſub dio proclamabatur: ut qvaſi teſte cœlo incorrupta eſſet publica creatio. Ut autem Rex ad ſaxa prati Moraengh jurabat in regni leges; ita populus Regi juramentum fidelitatis præſtabat Upſaliæ in areâ Arcis regiæ, & qvidem poſtero Coronationis die ut hodie, ſublevatâ in cœlum dexterâ: DEUM velut fidei teſtem, imò judicem vocaturi. Rex autem, introductâ Chriſtianâ religione, jurabat in æde ſacrâ ad aram, impoſitâ manu reliqviis Sanctorum (qvod cum Papiſmo hîc abrogatum eſt) & Bibliis, ut hodie, jurabat: qvod lex dicit *jurare in Codice*, nimirum *ſacro*. Licet autem Regii jurisjurandi Formula non tam expreſſis verbis exſtet in aliis Legum Svecanarum Codicibus, qvàm exſtat in cap. IV. LL. provinc. de Rege; tamen in cap. II. Legum Upland. de Rege dicitur: *Debet populo Leges dare, & pacem jurare.* Et in cap. IV. ejusdẽ tit. & in inſcriptione tit. LL. Oſtrogoth. de violat. jurã. expreſsè dicitur *Regis præſtitũ jusjurandum*. Ut jam nihil dicam, vel paucis ſolùm attingam veterem Regum Svetiæ in gentilismo morem, qvo præter alios electionis ritus, etiam hic fuit, ut *votivo poculo* (qvod *Bragabegar* à *bragar* i. e. *heroibus ac viris fortibus*, in qvorum memoriam illud Rex ebibebat, ita appellabatur) ſe Rex obſtringeret ad tuendum & amplificandum regnum: qvod loco jurisjurandi erat. Modus autem & obligatio jurisjurandi regii & ſubditorum nunc uſitati, univerſalis eſt, ut præter Regem, obſtringat omnes qvibus juratum eſt, & qvi ipſi Regi jurarunt, ad fideliter illud ſervandum, tam abſentes, qvàm præſentes, tam naſcituros, qvàm natos. qvalis eſt fœderis vis ac natura, ex veteri Regum & ipſius Dei inſtituto. Sic Alfredus rex Angliæ in fœdere cum Danis juravit *pro natis & nondum natis*. Ita Moſes Deut. 6. 2. & 29, 14. juſſu & nomine Dei cum Judæis inivit fœdus hujusmodi: *Neqve vobiſcum ſolis ego pango fœdus hoc meum cum adjuratione, ſed cum eo, qvi adſtat hic nobiſcum coram Deo, & cum eo, qvi non eſt nobiſcum.*

Vetus inſuper hujus regni conſvetudo erat, ut Rex inauguratus *circuiret re-*

ret regnum ſuum obſidibus ſibi datis, qvod *Eriksgatu ſina riida* veteres Leges *in cap. II. LL. Uplandic. & cap. VI. LL. provinc. de Rege* nuncupabant; de cujus verborum formulæ notione inſpici poteſt Lexicon Juris Sveogothici. Qvod autem in Sudermanniæ parœciâ Gâſinga, & qvidem in pago Li-unga locus qvidam adhuc vocatur *Kungsgata* i. e. *Regis via*, ubi duo lapides in formam crucis collocati exſtant, hoc in memoriam Regum, iſtac olim transeuntium, qvum circuirent regnum, velut publicum monumentum iſtic â fidis ſubditis poſitum eſſe, veriſimile eſt: qvum iſtuc via publica protendatur, per qvam Regibus qvondam Strengneſiâ diſcedentibus Swintunam, ut eſt in lege, proficiſcendum erat. Eundem circuitionis regni ritum moribus Scotorum olim à Rege eorum obſervatum fuiſſe, Buchananus in Dialogo ſuo de jure regni Scotorum notat. Circumitionis autem iſtius cauſa moribus noſtris hæc olim fuit, ut Rex civibus & ſubditis ſuis, præſertim illis, qvi inaugurationi ejus non adfuerant, jucundum & gratum ſuum oſtenderet adventum & aſpectum; iiqve ſolenniter eum ſubmiſsâ gratulatione exciperent, ſinguliqve recognoſcerent, qvem univerſi elegiſſent: ut ab illis fidem acciperet, iisdemqve daret; atqve ſe invicem de juratis ſervandis confirmatiores redderent, ut eſt in *cap. VI. Legum provinc. de Rege.* Inſuper in eodem circuitu Rex tribus reis in qvalibet provinciâ delicti gratiam facere, vel pœnam remittere poterat; niſi nimis atrox facinus eſſet; ut obſervat nobiliſſ. Stiernhôk de Jure vet. Sveogoth. 2, 2, 1. p. 319. Hanc circumeundi regnum conſvetudinem, qvæ, majoribus inſtar legis fundamentalis ſervabatur, ut notat Verelius in Notis ad caput VII. Hervari hiſt. cum contemſiſſet Ragvaldus Rex, à Weſtrogothis interfectus eſt.

Hodie ille circuitionis mos antiqvus tacito populi conſenſu in deſvetudinem abiit: partim qvod juramenti Regii & ſubditorum *obligatio* ſit *univerſalis*, ut ante oſtênſum eſt; nec præſentes ſolùm, ſed etiam *abſentes* ad ſervandum obſtringat: partim, qvod hoc modo ſumtibus itineris publicis parcatur: partim, qvod ejus loco *ſcripta Satisdatio* utrimqve, à Rege & Ordinibus regni, præſtetur. De qva in Jur. pub. Diſſertat. II. th. 8. & 9. fuſius actum eſt.

Vetus etiam conſvetudo & ritus eligendi Regem hodie abrogatus eſt, ex qvo regnum Sveciæ hæreditarium factum eſt, per ſolennem Regni Conſtitutionem, qvæ dicitur *Unio Hæreditaria* unanimi Ordinum regni conſenſu ad Guſtavum I. ejusqve filios ac poſteros transſcripta & addicta, propter graviſſimas, & duas præcipuè cauſas: I. Ut regnum de legitimo ſucceſſo-

ceſſore, qvi ex regio, generoſo & indigenâ ſangvine natus, recteqve educatus eſſet, certum, fidelius ac tutius adminiſtraretur, nec turbis civilibus obnoxium eſſet. II. Ut egregia & prorſus regia GUSTAVI I. erga patriam ſuam merita, qvam tyrannide Chriſtierni II. liberarat, priſtinæ libertati reſtituerat, & in pacato florentiqve ſtatu conſervarat, hoc beneficio compenſarentur. velut heroicis temporibus ex hac etiam cauſa reges factos eſſe, oſtendit Ariſtoteles lib. III. Politic. cap. X. & lib. V. cap. X.

Inaugurationis vel Coronationis regiæ ritus hodie plerumqve fit Upſaliæ; qvandoqve etiam Holmiæ, & in præcipuâ æde ſacra. Ubi Rex in Leges regni fundamentales jurat: qvo jus imperii magis firmatur. *Vid. Diſſertat. II. Jur. pub. th. 14.* Regi qvoqve Proceres & Senatores regni eodem Coronationis die Ordines regni poſtero die fidem & obſeqvium ſuum juramento obligant. De aliis ceremoniis & ſolennibus hodie in Coronatione obſervari ſolitis Paulinus Monarchiæ pacatæ part. I. ſect. III. cap. V. prolixè agit; & ego in Coronatione Reginæ Chriſtinæ verſibus comprehensâ.

Qvamvis autem variis difficultatibus, periculis, motibus & mutationibus toties olim jactatum fuerit hoc regnum; tamen per tot adverſa, inter tot hoſtium machinationes vel apertas vel clandeſtinas ad tot ſeculorum decurſum, feliciter eluctatum, in eâdem regii imperii poteſtate ac eminentiâ, concordiâ ac jure ſuo conſtitiſſe, nec alienæ dominationi in perpetuum ſubjectum fuiſſe, portento ſimile eſt. Sed divina benignitas, qvæ conſtituit & ſervat regna, hoc Sveticum regnum in unâ purâ religione, ab hæreſi & noxiis novitatibus ſub Guſtavo I. purgatum & hactenus incontaminatum clementer cuſtodivit: unde conjunctio animorum inter Reges & ſubditos, velut ex fonte præcipuo fluxit; uti prudenter monet, & divinum hoc donum rectè æſtimat atqve agnoſcit Rex noſter Clementiſſimus CAROLUS in Edicto A. MDCLXIII. Confesſioni Fidei Sveticæ præmiſſo. Poſt hæc Deus in mediis rerum fluctibus heroica qvædam excitavit ingenia, qvibus cum ſingulari prudentiâ & vigilantiâ, publici boni ac ſalutis patriæ acre ſtudium & tutela ineſſet. Qvorum ardore atqve generosâ æmulatione exemploqve, mutua inter cives inflammata eſt benevolentia & fortitudo: qvæ conjunctis viribus animisqve vim dominantium frangerent, & lapſa reſtituerent. Ad horum in pace belloqve vincula acceſſerunt fida legum & patrii juris cuſtodia, ingenua erga Reges ſuos fides, & debita reverentia, omniumqve regni Ordinum amica conſenſio, ad publicæ ſalutis conſervationem directa. Qvæ regni ſtatum, poſt ſtudia pietatis, adhuc incolumem ſervant.

CAP. II.

CAP. II.

De Legibus Svecanis priſcis, & nunc uſitatis.

Regnum Sveciæ primo moribus rectum, dein arbitrio Regis, & tandem legibus. De Legum Svecicarum neceſſitate, origine & antiqvitate. Bertius notatur. De Legum Svecicarum, præcipuè provincialium & civilium auctoribus, ætate, concipiendi & ferendi eas modo. De Titulorum in Legibus & capitum notione. De Legum iſtarum brevitate, æqvitate & uſu. Qvid, ubi lex in perplexo caſu deficit, obſervetur. Lindemanni JC. error.

QVoniam regia & publica munia, adeoqve univerſæ Reipub. partes absqve Legibus & inſtitutis geri neqveunt; non magis, qvàm caput & cætera membra hominis absqve animâ & ſpiritu ſe movere poſſunt, ordine de Legibus Sveo-Gothicis dicemus.

Principio conditæ Reipub. Sveo-Gothicæ, velut apud alias gentes, ita & hîc, nullis, niſi mentibus hominum divinitus inſcriptis ac naturalibus legibus, moribusqve publicis imperium regebatur. Deinde arbitrium Regis pro lege erat, modò rationi conſentaneum eſſet. Unde Olaus Petri in annalibus Svec. ad vitam Amundi: *Qvicqvid olim Rex cum ratione jus ſerat, id jus ratumqve erat.* qvo ſenſu vetus proverbium Svecicum: *Magno pendendum eſt Regis verbum.* Attamen qvum ingenia hominum vitio naturæ depravata ſint; & ipſi reges ſint homines, qvi labi & errare poſſunt: utiqve præſtat, leges ſcriptas, certas & conſtantes eſſe, ad qvarum normam imperium adminiſtretur. Ubi autem jus vel nullum, vel, qvod ferme idem, incertum eſt, ibi cætera vaga & incerta ſunt, qvorum lex regula eſſe debebat. Tullius lib. IX. fam. ep. XVI. *Omnia ſunt incerta cum à jure diſceſſum eſt; nec præſtari poteſt, qvale futurum ſit id, qvod poſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam libidine.* Qvum itaqve incerto jure Svecia qvondam ad tempus jactata fuiſſet, rei neceſſitas & utilitas ſvaſit, ferri leges, qvibus reipub. ſtatus in ſolido collocaretur. Leges autem Svecanæ primò ex aliqvot Regum edictis, Ordinum decretis, & prudentum reſponſis concinnatæ ſunt. Iis deinde pro temporum, & negotiorum uſu, regniqve ſtatu, aliæ atqve aliæ conſtitutiones paulatim acceſſere: qvibus priſcæ leges, ubi ſimplices, rotundius, ubi breves & obſcuræ, plenius & clarius expoſitæ, vel

tæ, vel ob emergentes novos & neceſſarios caſus, novæ additæ ſunt, & tales, qvæ regni moribus atqve utilitati publicæ magis, qvàm obſoletæ qvædam convenirent. In qvam rem perlegi digna eſt confirmatio & præfatio Regis Birgeri in Leges Uplandicas.

Etiamſi verò Leges Sveonum non ultimæ vetuſtatis ſint, tamen nec recentis eſſe ævi, ſed antiqvas, & apud gentiles Sveones jam exſtitiſſe, patet ex Legibus Wigeri Spa in Leges Uplandicas relatis, ex cap. XVI. hiſt. Gœtrici & Rolv. & Hervari hiſt. atqve ex tempore, qvo primum latæ ſunt, Codici Legum ſingularum præfixo. Nec minus antiqvitatem earum probat vetuſtas auctorum & inſtauratorum earundem. Inprimis obſervatione dignum eſt, qvod Birgerus Magni in confirmatione Legum Uplandic. ſcribit: *Nolebamus veteres Leges absqve ratione immutare, nec novas perperam repertas adjicere.* Ex his verbis (præter diviſionem Legum in *veteres* & *novas*, de qva alibi) illud obſervamus, qvod Birgerus Magni Rex, qvi anno MCCXCV. vixit, Legum Uplandicarum à S. Erico (qvi vixit anno MCLX.) vel ſcriptarum, vel ejus operâ & induſtriâ collectarum volumen cum ſuo augmento publicavit, & Leges iſtas jam ſuâ ætate *veteres* appellavit. Qvod autem Pet. Bertius lib. III. rer. Germanic. in deſcriptione Stocholmiæ ait: *Leges regni* (Svediæ) *antiqvæ ſunt, & ab Henrico ad hæc usqve tempora religioſè ſervantur*; in eo memoriâ lapſus eſt: qvum nullum regem nomine Henricum annales Sveciæ agnoſcant. Forſan apud Adamum Bremenſem nomen *Herici* (ſic ille *Ericum* vocare ſolet) legerat, & *Henrici* nomen ei fuiſſe putaverat. Sed qvicqvid ſit, iſte Ericus vel S. Ericus non primus leges Sveticas tulit, ſed jam latas adauxit, ut mox pluribus dicetur. Sed pergimus ad Leges *provinciales* & *civiles* hodie uſitatas. *Juris* Sveciæ *provincialis* primum collecti originem MSS. & jam editi Codices ad annum DCCCXXXII. referunt. Bero autem primus Chriſtianus Sveciæ Rex, qvi eo tempore vixiſſe creditur, Leges provinciales publicare cæpit, qvas *Bircenſes* ab urbe *Birca*, regiâ tunc ſede, nuncupant. qvalis legum Codex MS. adhuc paſſim exſtat; qvi tamen idem eſt cum Codice LL. provincialium, jamdudum edito, ut ex collatione patet. Has verò ſeqventium Regum præcipuus Ingieldus per Vigerum Spa, Judicem provincialem Uplandiæ, collectas, & ab Ingieldo publicatas, ut ex proœmio Birgeri in Leges Uplandicas & ex Lib. I. cap. I. de Jure Sveon. & Goth. vet. Joh. Stiernhôk pag. 9. 10. conſtat. Easdem Chriſtoporus Bavarus imperii ſui ætate in concinnum ordinem redigi & publicari curavit: unde *Chriſtophori Bavari Lex* dici meruit. Sed *Juris* civilis aut *Civitatum Sveciæ* primus conditor aut collector fuiſſe

fuiſſe creditur Birgerus Jarl, qvi anno M CC LI. vixit. ad qvem annum etiam incunabula dicti Juris Codices MSS. referunt. De aliarum Legum Sveciæ veterum conditoribus & ætate habes in earumCodice nuper Holmiæ edito.

Modus concipiendarum legum, hic olim erat, ut ex Regis auctoritate, & Senatus R. conſilio, à Juris & Status patrii peritis conſcriptæ, limâ à prudentibus adhibitâ, ſedulò recognoſcerenrur. Recognitæ, populo in conventu ejus publico (ut hodie) prælegebantur. Omnibus gnaviter attendentibus & approbantibus, à Rege ſanciebantur, confirmabantur & promulgabantur; atqve ſic ab univerſo populo acceptabantur; ut ex legum Uplandicarum & Sudermannicarum procemio non obſcurum eſt videre. De hujus rei utilitate publicâ vide etiam à me notata Diſſert. I. Jur. priv. th. 16.

Sunt, qvi ante membranæ & chartæ uſum, trabibus vel tabulis ligneis hujus regni leges inciſas aut inſcriptas eſſe volunt: qvod *Tituli* Legem *Balker*, i. e. *Trabes* dicuntur. Eqvidem Saxo lib. IV. Hiſt. Danic. ſcribit, in his oris Septentrionalibus *literas* olim *ligno inſculptas fuiſſe: id celebre*, inqvit, *qvondam chartarum genus erat*. Et Verelius noſter procem. Epitom. Hiſt. Svec. *Leges iſtorum temporum ſimplicitas rudi ligno inſcribebat*. Nec aliis olim populis id inuſitatum fuit. Apud Athenienſes, Leges Solonis axibus ligneis inciſas fuiſſe, tradit Gellius lib. II. Noct. Attic. cap. XII. Leges Romanorum in tabulis qvernis primùm fuiſſe propoſitas, qvum nondum in uſu eſſent æneæ, auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſ. lib. IV. Antiq. Roman. cap. I. Eò Horatius reſpexit in Arte:

Oppida moliri, leges incidere ligno.

Veruntamen qvum *Capitum* in veteribus Sveo-Gothorum Legibus nomina dicanter *Flukker* aut *Flokker*, translata à voce *Flok*, qvæ *cœtum, collectionom* aut *congregationem* ſignat, uti pluribus obſervatum eſt in Lexico Juris Svecici: nimirum ideò, qvod Leges in capita, velut in certas ſedes ac locos *coactæ & diſtinctæ coiverunt*; veriſimilius videtur, nomen *Titulorum* etiam per metaphoram à *trabibus*, vel *ſudibus ſepimentorum*, vel *tignis* eſſe deſumtum, ob legum in certas claſſes digeſtionem; & qvod diverſæ materiæ diverſis titulis à ſe invicem ſeparantur ac diſcriminantur, certisqve capitibus continentur; velut *ædificii* connexio *tignis* ac *trabibus*, aut ſepimentum *ſudibus* ac *perticis* junctis conſtat. Auctor libri Svetici *de Regis imperio*, ſimilem in modum titulos libri *Balker* inſcripſit.

Jus Sveonum breve & ſuccinctum eſt, ideoqve expeditiori cauſarum deci-

deciſioni aptum cenſetur, & qvietæ reipub. conveniens. Qvidni enim litium ſeges ac materia facilius reſecetur, ubi leges pauciores & dilucidæ, vaſtis interpretum commentariis & diverſis opinionibus non onerantur: qvod juri Romano accidit. Etiamſi verò tam varias factorum ſpecies, qvàm Jus Romanum, deſcriptas & deciſas non habeant Leges Sveonum; tamen æqvitati, juri naturæ, ipſius regni genio & ſtatui conſentaneæ ſunt. Qvæ verò Leges omnia negotia complectantur? nec etiam neceſſe eſt, nec fieri poteſt: qvum negotia ſint infinita, jus autem finitum eſſe oporteat. Satis eſt, ſi leges *universè loqvantur*, licet τὰ προσπίπτοντα, ut Ariſtoteles in Politic. (III, XI.) loqvitur, i. e. *qvæ accidunt & ſuperveniunt*, omnia non contineant; ſed ea vel judicum religioni committantur, vel in dubiis ac gravioribus, de qvibus Lex expreſſa non exſtat, à Rege, vel ejus nomine, à Judiciis ſupremis illorum interpretatio ac deciſio petatur; velut etiam hîc uſu receptum eſt. Sic à veteribus olim obſervabatur, ut ſi cauſa qvædam intricata vel obſcura in judiciis præſertim inferioribus occurreret, de qvâ ſcripta lex non exſtaret, aut in certa lege cauſæ deciſionem reperire non poſſent, tunc judices hoc juramento adſerere ac ſe purgare debebant: *qvod legem de illa lite neſcirent*, vel *qvod in eorum legibus hoc ſcriptum non eſſet*; qvæ formula non uno loco in legibus Svecanis habetur. Tale jusjurandum priſcis Romanis in re obſcurâ etiam ſolenne erat, hac formula: *Sibi non liqvere*, ut eſt apud Gellium 14, 2. Briſſonium in Formulis & Schefferum in Notis ad Phædri lib. III. Fab. XI. pag. 128. Ne verò lis interim indeciſa relinqveretur, ad Imperatorem ejusqve ſententiam remittebatur. Ita qvoqve moribus noſtris. *Confer Synops. Jur. Diſſ. 1. th. 21.* Aliàs in ſubſidium deciſionis litium præter uſitatas leges vocari ſolent Receſſus qvoqve regni, aliaqve vetera hujus regni Statuta: qvatenus præſenti ſtatui regni & uſui publico accommoda continent; ut eſt in *Caroli IX. Confirmatione LL. provinc.* item Jus Conſvetudinarium, de qvo in Synopſi Jur. pr. *Diſſert. 1. th. 19.* Non poſſumus autem non mirari in Thoma Lindemanno, Jureconſulto celebri & Academiæ Roſtochienſis olim Profeſſore pub. qvod in ſuâ Exegeſi Hiſt. Jur. Rom. tradit, Svecos nullo jure ſcripto, ſed moribus & conſvetudinibus uti. His qvidem probatis utuntur; non tamen ſolis, ſed etiam jure ſcripto, de qvo hactenus egimus. qvod vicinus, ſi paulò diligentius inqviſiviſſet, ignorare non potuiſſet.

CAP. III.

De Judiciis veterum Sveonum & Gothorum, pro territoriorum ac provinciarum diſtinctione. De Curiis & aliis Tribunalibus hodiernis.

Antiqviſſima & prima hujus regni Judicia qvalia. Nomina veterum Judiciorum Warph, Ting, Nemd, Femt & centenaria Judicia. Item Judicia popularia, inqviſitoria & correctoria; unde ſic dicta. In campo & collicus olim judiciorum locus. De Judiciis Curialibus. De Judiciis Regiis. De noſtri temporis uſitatis, intra & extra Sveciæ regnum, Tribunalibus.

CUm Legum uſus præcipuus in Judiciis ſit, de his nunc agam vetuſtisſima & prima gentis noſtræ Judicia, pro ſui ſeculi genio, dum nō-lum jūre ſcripto utebantur, ſimplicia & absqve provocatione, aliisqve ſolennibus proceſſus fuiſſe, Nobiliſſ. Stiernhök, circa initium Operis ſui de Jure vetuſto Sveo-Goth obſervat. Sed lege ſcriptâ atqve publicatâ, Judicia qvoqve melius conſtituta ſunt. Iſtæc olim dicebantur *Warff* vel *Thing*, uti teſtatur Adamus Bremenſis cap. CCXXIX. hiſt. Eccleſiaſtic. *Concilium*, inqvit, *populorum commune apud Sveones Warph vel Ting vocatum.* Vox *Warff* hodie Sveonibus *circuitum* vel *revolutionem* ſignificat: qvod multitudo qvondam Judici circumfuſa in orbem conglomeraretur: aut per vices facto circuitu, ſinguli ad revolutiones certas ſolares lunaresqve judiciis ſe ſiſterent, ut notat Dn. Stiernhök in dicto ſuo opere lib. 1. c. 2. Alioqvi ſuſpicabar, ut adhuc vicinis Saxonibus *Warf* ſignat *negotium*; ita à priſcis Sveonibus, ob lingvarum affinitatem, etiam pro *civili negocio*, in judiciis tractando, acceptam fuiſſe. Velut vox *Ting*, ut Teutonibus *Ding*, pro *re* ac *lite* veteribus uſurpata eſt, prorſus ut Romanis *res* etiam *litem* ſignabat. Auſonius in Eidyll.

Imperium, LITEM, venerem cur una notat RES? Inde Sveonibus & Germanis ut qvondam, ita adhuc commune eſt verbum *Dagtingia*, qvod exſtat in Herraudi & Baſæ hiſt. p. 16. & Germ. *Dagdingen*, i.e. *condicere & componere certo die litem.*

Etiamſi verò Rex, ſupremam jurisdictionem habens, ipſe præſidere olim ſupremis Judiciis; tamen penes populum erat jus ferendæ ſententiæ qvæ in promiſcuâ tantâqve multitudine ſæpe tumultuariis ſuffragiis, & confuſis vocibus miſcebatur magis, qvàm audiebatur. Proinde è re viſum eſ

eſt publicâ, judices candidos legum & rerum patriæ peritos à partibus litigantibus *nominari*, & qvidem *numero XII.* qvi inde *Nembd* & *Tolffmän* dicebantur. De his, qvæ Verelius in Notis ad Hervarar Saga obſervavit, huc qvoqve majoris lucis cauſa, apponere viſum eſt: *Jam inde*, ait, *ab ultimis retro temporibus moris fuit apud majores noſtros, in omnibus controverſiis dijudicandis, tam in infimo foro, qvàm intermedio & ſummo, præter Præſidem, qvi in iſto Heredzhöfding, in illo Lagman, in hoc Rex ipſe erat, duodecim ſelectos & optimæ fidei viros adhibere: qvorum conſeſſus Nembd hodieqve dicitur ab ſelectis ſcilicet illis judicibus, qvi ab utràqve litigantium parte nominabantur. Ex illa nominatione nata illa formula in Legibus uſitata: Radi half nembd huar.* Illorum olim ita nominatorum officium erat, non judicare, ut poſtea, ſed examinare ſolùm cauſam aut factum; ut ex *cap. 26. LL. prov. de Rege*, & aliis locis probat Stiernhök Jur. vet. lib. I. cap. 4. *Poſtea verò deprehenſum eſt, magis ex uſu eſſe, non reqviſitâ litigantium nominatione, duodecim hos auctoritate publica conſtitui, non in cauſas ſingulas examinandas, ſed omnes judicandas. ita tamen ut litigantibus integrum eſſet, contra huno vel illum ex hoc ordine excipere, qvem partium ſtudio teneri exiſtimabant.* Nihil jam dicam de minoris momenti & trium marcarum Litibus, qvæ remittebantur, ad *trientis* & *qvadrantis judicium*, hodie antiqvatum, de qvibus in cap. III. Räfſt. OL. & Stiernhök de jur. Sveogoth. vet. 1,2. p. 29. Dicam de majoribus. In Oſtrogothiâ qvondam erat peculiare Judicium, qvod *Femt* vel *Qvintum* nuncupabatur. Illud Stiernhök dicto loco, lib. I. cap. II. & VI. ita deſcribit: *Nomen illud à numero qvinario deductum, vel qvod dies qvinqve interceſſiſſent, ex qvo cauſa dicta vel acta eſt, vel qvod intra decimum qvintum diem omnino finiri deberet. Itaqve ſi qvis dicam dixiſſet die Saturni adverſario ſuo, cauſam die Jovis proſecutus eſt; ſi die Lunæ, die Saturni judicii erat, qvintus à citatione. Niſi tertio juridico die*, i.e. *intra decimum qvintum diem cauſa terminari poſſet, devolvebatur ad ſummum judicium provinciale Liongating eo loci, ubi nunc Lincopia eſt; unde nomen & oppido remanſit Liongaköpung; ita enim in vetuſto jure nominatur.* Hæc deſcriptio parum diſcrepat ab illâ, qvam mihi Verelius dedit, qvam inſerui Lexico Juris in v. *Femt*. In eo tamen differunt, qvod ille judicium *Liongating* diverſum facit; hic verò idem cum eodem facit, idqve ex auctoritate Legum Oſtrogothic. ubi *Liongadingsfemt* dicitur. Illud judicium in pago *Lionga* vel *Liung*, in parœcia *Wetaſochn*, duobus milliaribus Lincopiâ fuiſſe creditur. Firmat illud, qvod Archivi & Acad. Secretarius & Collegii Antiqvitatum Adſeſſor, Joh. Hadorphius, Anqvitatum patriæ peritus, atteſtatur, ibidem adhuc exſtare duo

anti-

antiqvitatis veſtigia, qvæ indicent dictum judicii locum, primò *ingens Saxum* in terrâ defixum, ad qvod plebi convenienti jus olim dictum eſt. deinde *abietis* veteris veſtigia, qvæ adhuc à loco *Liongtall* appellatur, & qvondam vice patibuli erat.

Erat apud priſcos Uplandos & proximos provinciales *Judicium* qvod *Centenarium (Hundariſting)* dicebatur; cujus freqvens exſtat mentio in Legibus Uplandicis & Sudermannicis. Sic autem vocabatur, non, qvod *centum judices* in eo ſederent, qvum duo ſolùm eſſent, præter ſedecim ordinarios adſeſſores, ut *ex cap. I. LL. Upland. & c. II. LL. Suderm. de Judicio* videre eſt; ſed *Centenarium* dicebatur à præfecturis Uplandicis, in qvibus habebatur, qvæ olim in *colonorum centurias* diviſæ & diſtinctæ erant; velut Andreas Buræus in Deſcriptione Sveciæ p. m. 28. notat. Unde adhuc à *centuriis præfecturarum* nomina deducta ſuperſunt, nimirum *Erlinghundrat, Seminghundrat, Longhundrat*, & alia hujusmodi. Ei præpoſitus *centenarius præfectus* dicebatur, ſicut ipſum *judicium centenarium*. Qvale apud veteres qvoqve Germanos, Sveonum cognatos, fuit. de qvo Tacitus in lib. de mor. German. 12, 15. in hunc modum: *Eliguntur in iisdem conſiliis principes, qvi jura per pagos vicosqve reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Inde in nonnullis Germaniæ provinciis adhuc reliqvum eſt nomen *Zentgericht*, h. e. *Centenarium judicium*, de qvo plura Berneggerus ad hunc Taciti locum Qvæſt. Politic. LXIV. & Cluverius Germaniæ antiq. lib. I. cap. 13.

Inſuper erat Judicium *populare* apud priſcos, qvod à trium populorum in Uplandiæ territoriis, Åttundria, Tiundria & Fiedrundria vocabatur *Fulklandicum*. Item *Judicium inqviſitorium*, Svec. *Råfsting* à *råfsa*, qvod eſt propriè *conqvirere* & *corradere*, translatè *punire*: qvod in hoc judicio delicta & criminalia præcipuè cognoſcebantur, & plectebantur. de qvo in Lexico juris plura. *Judicium correctorium Råttareting* Svec. ita dicebatur, à *rätta* i. e. *corrigere, rectificare*. in hoc enim judicio dirigebantur & emendabantur, qvæ ab inferioribus judicibus malè vel ſiniſtrè judicata erant.

Hæc de priſcis hujus regni Judiciis, ruri in campo vel collibus ſub dio habitis: unde qvædam loca adhuc denominationem ſuam retinent. Sed iſta Judicia hodie abrogata ſunt, atqve Judicia *territorialia* & *provincialia* nunc ſolùm in uſu, nimirum extra *urbes*, & *regiam ſedem*. Illa verò certas ſuas domos ex lege & more nunc habent, à judicialibus cauſis ita dictas.

In *urbibus* olim erat inferius Judicium populi extra curiam, *in foro*; ut videre

videre eſt ex cap. V. LL. civit. de judicio curiali) ubi cives confluentes ſub dio, cauſas cognoſcebant & ſententias ferebant: ſed ſæpe magis ex tempore protrudebant, qvàm maturas pronunciabant. Ejus loco nunc eſt *inferior Camera curiæ*, in qvâ Præſes, juris patrii peritus, cum ſuis adſeſſoribus lites ordine ac maturè diſcutit ac dijudicat. Ab ea appellatur ad *ſuperiorem Curiam*, ab hac intra octiduum ad *Regium Judicium*; de qvo plura in Ordinatione & Proceſſu Regii Judicii à Guſtavo Magno A. MDCXIV. & MDCXV. publicato, & vim legis ſortito.

Poſtea propter amplitudinem amplificati regni & multitudinem negotiorum civilium, auſpicio & auctoritate Regia, poſt ſupremum Judicium Regium Stocholmenſe, alia Suprema Tribunalia, Jônecopiæ in Gothiâ, Aboæ in Finlandiâ, Dorpati in Livoniâ, Wiſmariæ, & in Ducatu Pomeraniæ, Rugiæ ac Ducatu Bremenſi conſtituta ſunt.

CAP. IV.

De veterum Sveo-Gothorum probatione per candens ferrum, & purgatione juratoria. De noſtri temporis receptâ purgatione ac probatione in Judiciis. De Advocatis ac Procuratoribus.

Qvando probatio vel purgatio per candens ferrum in Sveciam introducta, & quibus ceremoniis inſtituta ſit. Voces vernaculæ Iårnbyrd & Iårntekn ex ipſo rei actu enatæ & expoſitæ. Qvid de iſto probationis genere per candens ferrum judicandum ſit. Cur & qvando abrogatum ſit. Probatio per aqvam, ſortes, fluxum ſangvinis ex defuncti cadavere, & alia hujusmodi vel ſuperſtitioſa vel incerta. De veteri purgationis jurejurando. Qvid in eo moribus hodiernis obſervetur. De neceſſitate, utilitate & officio Advocatorum & Procuratorum.

QVia judices absqve probationibus rem controverſam non ſatis explicare ac decidere poſſe ſcimus, de illis qvædam annotabimus; & qvæ probationum genera veteribus uſu recepta vel rejecta, qvæ hodie in uſu eſſe deſierunt, vel retenda ſunt, videbimus.

Olim ſi res probatu difficilis eſſet, contra qvam tamen præſumtio militabat, ut alii Scandiani, imò omnes ferme Europæi, ita qvoqve Sveci Gothiqve candentem ferri laminam, in rei latentis indicium, vel innocentiæ argumentum, & ad ſe purgandum, manibus contrectabant & geſtabant; & inde *Ordalium* illud, i. e. *judicium* dicebatur; velut adhuc à Teu-

tonibus pro *ſententia judiciali* accipitur. Etſi verò de origine ejus inter omnes non ſatis convenit; tamen in regno Sveciæ, ad aliorum populorum exemplum, ab Olao Skötkonung Rége Sveciæ iſte probandi modus A. C. 986. primò introductus & uſurpatus eſſe putatur; præſertim in criminum occultatorum probatione, vel ab illis purgatione. Sed anteqvam adhiberetur, ferrum contrectandum à Sacerdote in templo ſolenniter conſecrabatur, additâ miſsâ, & tali precationis aut benedictionis formulâ: *Vellet DEUS benedicere & ſanctificare illud ferrum, à ſervo ſuo contrectandum, ut eſſet in cauſa N.N. ſalutare explorandæ veritatis inſtrumentum: ne iniqvitas dominetur ſuper juſtitiam, ſed ut mendacium ſubjectum ſit veritati;* velut Stiernhök in ſuo Scripto lib.I. cap.VIII. obſervavit. His præmiſſis, ſuſpectus aut inſimulatus criminis ignitum ferrum manibus contrectabat & geſtabat; unde Sveticè *Järnbyrd* dicebatur. Interdum ei nudis pedibus inambulabat. Qvod ſi absqve ullâ noxâ geſtantis aut inambulantis fieret, illud pro certâ innocentiæ ejus fide, *miraculo firmatâ*, habebatur. Unde olim *Jartekn* & hodie *Järntekn* (i.e. *ferri* candentis *ſignum*) adhuc *pro miraculo* à Sveonibus uſurpatur. Si verò ferrum attrectantem læderet, attrectans pro reo criminis habebatur.

Cæterum qvid de hujusmodi probatione judicandum eſt? Ex ante adductâ benedictionis formulâ patet, antiqvos iſtam probationem pro certiſſimâ & omni exceptione majori habuiſſe: qvippe qvam divino miraculo comprobatam eſſe, ſibi perſvadebant. Unde etiam *Dei judicium* illam nuncupabant, ut eſt in *cap.17. LL. Oſtrogothic. de violat. juram.* ubi ſic hobetur: *Wäria ſik med järne och Gudz dom*, i. e. *Defendere vel purgare ſe ferro & Dei judicio.* Eqvidem qvum iſtius temporis Chriſtiani Reges & Sacerdotes ex Verbo Dei ſcirent, Deum in V.T. Danielis Prophetæ ſocios inter medias flammas miraculosè ſervaſſe, atqve pietatem & innocentiam illorum ſic teſtatam feciſſe; eundem in N. T. per hoc candentis ferri medium, ſi ei ſic benignè placeret, aliorum hominum ſimplicium & DEO fidentium, qvi per improborum & malevolorum calumniam ac diffamationem, criminis alicujus ſuſpecti facti eſſent, innocentiam & juſtam cauſam protegere poſſe; reorum autem delicta ſic patefacere velle, credebant. Atqve hoc inſtituto iſte probationis modus olim admiſſus, & uſurpatus ad tempus eſſe videtur. Sed qvum poſtea deprehenderetur, per hunc probandi modum, à DEO non præceptum, ſed ab hominibus excogitatum, DEUM tentari, dum per ordinaria media ab ipſo conſtituta, ſalutem hominum qværi, & in criminum inveſtigatione civiles & uſitatas atqve in

ipſo

ipſo DEI verbo patefactas probandi vias exqviri à judicibus & audiri; aut in defectu earum, cauſam DEO & tempori committi volebat; contra verò, judices qvidam vel illicitis rei inqvirendæ modis utebantur; vel malitioſi & obdurati rei, occultandi criminis ſui cauſa, fraude diaboli, etiam candentis ferri innoxiâ tractatione, judicium eludebant, inde factum eſt, ut Principes & ſacri ordinis perſonæ de hoc probandi genere dubitare & diverſum ſentire inciperent. Qvid? qvod adverſus ignis violentiam manus aut pedes etiam aliqvo medicamento aut herbis præmuniri poſſe, ita ut ignitum ferrum abſqve noxâ tractetur, ipſa experientia, & exempla à Busbeqvio in Epiſtolâ qvartâ Turcicæ Legationis, & Camerario Meditat. Hiſtoric. Cent. II. cap. XVIII. obſervata fidem faciunt.

Iſtæ & aliæ hujusmodi rationes absqve dubio moverunt veteres, ut iſtam ſic exercitam probationem per candens ferrum, tanqvam illegitimam, atqve impoſturis hominum obnoxiam, ideoqve pro *judicio DEI* non habendam, tandem abrogarent. Qvod factum eſt ante CCC. annos, & qvod excedit, à Magno & Birgero Iarl Regibus Sveonum, ut conſtat ex Legibus Oſtrogothic. & Helſingicis, & ex Chronico Laurentii Petri in Vitâ Waldemari. Sed ut error inveteratus, qvi præ veritate placuit, difficulter exſtirpatur; mox poſtliminio in Helſingiam rediit. Unde illius temporis Archiepiſcopus Olaus anno MCCCXX. hac de re Holmiæ in Comitiis conqveſtus obtinuit, ut ſeverâ lege prohiberetur, & penitus abrogaretur. Confer nobiliſſimum Stiernhôk de hac re dicto loco.

Præter hæc, ſuſpectorum criminis manum aut brachium in aqvam ferventem olim immittebant; cujus rei mentio exſtat in legibus Wiſigothorum lib. IX. aut in frigidam toti immergebantur, ſimili explorationis propoſito. Si ſupernatarent, rei judicabantur, ſi ſubmergerentur, innocentes. Illud examen deinceps in ſagis qvoqve tentatum eſt, ſed absqve ulla probabili ratione. Confer Heigium part. II. Qvæſt. jur. XXXIX. & Godelmanum de magis & maleficis 3,5.

Per ſortes inſuper rei certitudinem inveſtigare veteres, præſertim gentiles, conabantur. Olaus Tretelia Rex Sveciæ, anteqvam Chriſtianus fieret, in adventu Anſcharii Epiſcopi, ipſum & ſubditos ejus converſuri, dixit ad eum: *Legationem tuam firmare non poſſum, nec audeo, priusqvam ſortibus Deos noſtros conſulam*; uti Rembertus, vitæ Anſcharii ſcriptor, teſtatur. Qvid autem de iſto idololatrico modo ſentiendum ſit, facile patet. Confer Olaum Magni lib. III. cap. XIV.

Qvod autem ad homicidii auctorem convincendum, in nonnullis lo-

cis adhuc effluxum ſangvinis ex interfecti cadavere, certum dare indicium præſentis homicidæ opinantur, non poteſt: qvippe qvi ancipitibus & occultis involvitur cauſis. animadverſum enim eſt, ad præſentiam cognatorum, occiſi mortem deplorantium, jam homicidâ decollato, ſangvinem ex occiſi cadavere fluxiſſe, ad homicidæ præſentiam non manâſſe. Sed criminis probationem evidentiſſimam eſſe oportet, ubi non de capite papaveris, ſed hominis vitâ agitur. Unde hodie in bene ordinatis judiciis ille modus probandi non admittitur.

Nihil jam loqvar, aut pauca ſolùm tangam de cribri vel clavis circumvolutione, panis certis verbis devoti, aut eſu caſei, tanqvam ſuſpectæ culpæ indiciis, ut vulgus ſuperſtitioſum arbitratur, & aliis hujusmodi; qvæ, qvum verbo DEI & naturalibus cauſis è diametro repugnent, & inſtigatorem diabolum habeant, verè Chriſtiana pectora meritò deteſtantur. Rittershuſius in XII. Tabb. LL. claſſ. III. part. 2. cap. XXXI. *Hujusmodi artes magicas ſcio à qvibusdam, noſtris qvoqve temporibus, ſed peſſimo exemplo, uſurpari.*

Inter liberationum genera à gravi ſuſpicione criminis antiqvitas etiam poſuit jusjurandum purgationis: ubi ingens compurgatorum numerus in alterius animam, & de alieno, in occulto crimine, facto, ſæpe cum principali jurante jurabat; qvod periculoſæ plenum opus aleæ erat.

Cæterum, qvum hodie abuſus hujusmodi jurisjurandi abrogatus, & ſuperflua multitudo jurantium non amplius in uſu ſit; tamen purgatione canonicâ, ut vocant, uti, & cum duodenâ vel minori manu, pro natura facti, jurare adhuc uſurpatur; atqve, ſi rectè inſtituatur, improbari neqvit. Hoc enim legibus divinis & naturæ conſentaneum eſt, ut innocentiæ qvâcunqve legitimâ viâ ſuccurratur: ne per mendacium & calumniam à veritate laboret ac periclitetur. Erit tamen circumſpecti judicis, non temere hoc purgationis juramentum admittere, niſi urgentibus gravibus indiciis; & providere, ut non niſi à probatis & incorruptis compurgatoribus credulitatis juramentum præſtetur. de qvo in Synopſi Jurispr. Diſſert. XXX. Qv. 1. 2. & 3 prolixè egi.

Qvamvis autem priſci vel nunqvam vel raró Advocatis & Procuratoribus uſi ſint, ſed ipſi litigantes, prout potuere, cauſam ſuam egerint, ut conſtat *ex Articulo XV. Proceſſ. Judicial.* tamen qvum ſimplices perſonæ non tam formaliter, uti loqvuntur, i.e. tam perſpicuè ac diſtinctè litem ſuam, ut oportet, proponere poſſint; hodie Advocati & Procuratores admittun-

tur: ut præſidio clientibus in bona cauſa ſint, nec magis ſuam, qvam illorum rem qværant. de qva re fuſius Dn. Rålamb. Obſerv. Practicar. lib. 2. cap. 2. Obſ. 1. 2. 3. 4.

CAP. V.

De probatione rei dubiæ vel purgatione apud majores per duellum & qvid de eo ſentiendum.

De duelli origine. Unde Jus Saxonicum Weichbild, & Biltog Svetice exſul dicatur, ex occaſione oſtenditur. Qvàm incerta & periculoſa probatio vel purgatio per duellum ſit. De eodem ingenuum judicium. Veterum digladiandi modus. Regium de duello interdictum.

INter probationum vel purgationum genera, iſte mos olim qvoqve invaluit apud priſcos Gothos & Sveones, ut rei ambiguæ & obſcuræ, cui teſtimonia & alia documenta deeſſent, fidem eventus duelli faceret. Ejus auctorem primum volunt fuiſſe Daniæ Regem, Frothonem nomine. Alii Normannis auctoribus in univerſum tribuunt. De ipſa re Ericus Upſal. hiſt. Svec. lib. I. *Ut duello ſe purgaret infamatus.* Hujus autem vel illius in duello concertantium, præviâ judicum determinatione, victoria qvaſi pro ipſo DEI judicio accipiebatur. qvod teſtantur annales Fuldenſes: *Ferro decernendum, & DEI judicio cauſam examinandam eſſe.* Et Sponſio duelli qvaſi pro *re ſacra* ab extraneis habebatur: unde etiam *Wehading* in lege Bojoariorum tit. II. lege V. vocatur; à Germanico *Wehen, Weihen* i.e. *conſecrare, luſtrare, benedicere.* Sic Otfridus lib. V. in Evangel. p. 544. *Thiegi-uvvihe mines faters*, h.e. *Benedicti mei Patris.* Inſpiciatur de hac voce fusè Junius in Gloſſario Gothico. Qvidam *Weichbild*, Jus Saxonicum, inde qvoqve dictum volunt, qvaſi *ſacrum*, à *Coloſſo* Rolandino *conſecrato*; ut ſit velut *gevveihet Bild.* ſed errant. Non enim *Weihbild*, ſed *Weichbild* vocatur; vel, ut eſt in veteribus qvibusdam Diplomatibus & Codicibus *Wicbilethe*, ex *Wick* & *bil* vel *bild* compoſitum. *Wick* autem priſcis Saxonibus nihil aliud erat, qvàm *ditio, diſtrictus*, aut *caſtellum*, ut Henricus Meibomius in Bardevici hiſtoriâ pag. 122. 123. prolixius obſervat. Idem firmant Leges Anglo-Saxonicæ. In præfatione Legum Æthelſtani Regis Angliæ: *Durh ealle mine vice*, Latinè verſum eſt: *per omnem meam ditionem*; & mox in fine: *Binnon mino vice geſæthe* i.e. *in ditione mea vel jurisdictione poſitis.* In veteribus Statutis Hamburgenſibus, qvæ manuſcripta habeo, in *tit. de rebus ſoli* §. 1. ſic

in vet. lingva Saxonica ſcriptum exſtat: *Binnen duſſer Stadt und Wykebelde.* h.e. *Intra hanc urbem & ditionem vel diſtrictum.* In præfatione Juris Lubecenſis: *Unſer und ihre Weichbild,* David Mevius JC. vertit: *Noſtri vel illorum termini jurisdictionis.* *Bil* autem vel *bild* pro *certi loci ſpatio*, aut *parte terræ*, ut adhuc apud Friſios, ita olim apud Saxones & Gothos, cognatam lingvam habentes, acceptum eſſe, veriſimile eſt. Inde *Biltogh* à veteribus Gothis & Sveonibus dicebatur, qvi ex ipſorum *ditione* & *terra* proſcriptus vel *exſul* erat; de qvo in Lexico Juris Sveo-Goth. plura. Aut ſi Jus Saxonicum ſit à *vvik* vel *vveich* i.e. *ditione*, & *bild* imagine (qvæ etiam vox Saxonica eſt) illius ſenſus eſſe videtur: qvod formam & notitiam ſtatus & legum intra Saxoniæ *ditionem*, inſtar vivæ & veræ *imaginis* repræſentet. Hæc, etſi plurá, genuinæ Juris tam celebris denominationi ex occaſione dare viſum eſt.

Ad priora redeamus. Exſtant in fine Codicis Legum Uplandic. Lex de duello à gentibus olim ut viris militaribus, hîc recepta. Ad eam Joh. Magnus hiſt. Svec. lib. II. Cap. VII. haud dubiè oculum intendit his verbis: *Publicâ lege & conſveeudine receptum erat, ut qvicunqve tali certamine cum hoſte congredi recuſaret, is pro victo atqve imbelli homine haberetur.* Sic enim verba ipſius legis ſonant. de qva plura & luculenta nobiliſſ. Stiernhök lib. I. Jur. vet. Sveogoth. cap. VII. notavit. Etiamſi verò iſta lex hodie poſt Chriſtianam religionem introductam abrogata ſit: qvum res dubii & incerti eventus, qvale duellum eſt, pro veritatis probatione & *DEI judicio* haberi neqveat; nec innocentiæ teſtimonium eſſe poſſit, qvo noxii & innoxii juxta cadunt. Hæc tamen opinio multorum animis adhuc inſidet, ut ſi provocanti ad duellum ſe non ſiſtant, iſtud ignaviam & vecordiam, aut infamiæ cujusdam partem interpretentur. Contra glorioſum & maſculum ducant, pro defenſione honoris & famæ ſuæ potius armis, qvam jure decertare. Sed nonne gloriæ Dei & mandatis ejus repugnat, qvicunqve, ſibi vindictam à Deo prohibitam, ipſe ſumit, & Deo, cui ſoli competit, & poſt Deum, ſupremo Magiſtratui, cui Deus gladium credidit, hîc temerariâ audaciâ præjudicare conatur? Qvod egregii cætera homines ſæpe parum perpendunt, ſubitâqve irâ, & qvadam dedecoris opinione præpediti, ſpiritum & vitam, imò animam, pro qvâ Chriſtus ipſe ſangvinem ſuum effudit, tanqvam rem vacuam, impendunt. Et qvod atrocius eſt, qvum veteres peltis muniti, gladiis latioribus cæſim dimicarent; & vel punctim, vel infra cingulum ferire, minimè virile exiſtimarent; niſi in aperto bello cum hoſte dimicandum eſſet; ut in priſcorum annalibus legere eſt; nunc ex qvadam audaciæ oſtentatione & implacabili animo, vindictæ cupido, ſe gladiis punctim.

ctim, aut ſclopo vel glandibus plumbeis ex adverſo & proqvinqvo petunt: ut promtiorem mortis viam inveniant, & nihil diſcriminis inter offenſam privatam, atqve publicas inimicitias belliqve formam ponant. qvam depugnandi rationem non abs re viri pii recteqve ſentientes feralem judicant, & nullum ſingulare certamen absqve peccato ſuſcipi poſſe, rectè ſtatuunt. Sed qvi cupiditatibus ſuis indulgens, gladium, qvando non licet, ſumit, eodem ſæpe culpâ ſuâ perit. Sive autem provocans, ſive provocatus occumbat, utrimqve male conſulitur ſaluti publicæ ac privatæ. *Publicæ ſaluti*, dum patriæ utilis pace bellove civis, ante tempus violentâ morte ſubtrahitur; qvaſi publici hoſtes deeſſent, in qvos arma ferrentur. Ipſi Turcæ, etſi bellicoſa gens, hîc ſaniores, illud etiam agnoſcunt, eòqve duellum deteſtantur: ut in exemplo Arslambegi & Velibegi Busbeqvius Epiſtolâ tertiâ Turcicæ Legationis oſtendit. *Privatæ* verò *ſaluti* nocetur, dum parentibus ſæpe dilectus aut unicus filius, propinqvis cognatus & charus amicus, magno cum animi dolore, uno ictu adimitur; &, qvod longè miſerius eſt, æterno exitio, velut inferorum victimæ, mactantur. Deplorandum ſane eſt, tot funeſtis ac tragicis caſibus tot præſtantes ac fortes homines non abſterreri, ſed volentes ac videntes in exitium ruere præcipites.

Hoc Reges ac Principes Chriſtiani ſeriò ponderantes, ſeveris legibus ſingulare certamen prohibuerunt, & inter illos qvondam Olaus Skôtkonung, ut qvidam volunt, & noſtra ætate Guſtavus Magnus. Præterqvam enim, qvod in Legibus Sveonum conſtitutum eſt, *ut qvisqve jure cum alio agat, nec percuſſione utatur* exſtat etiam Interdictum Guſtavi Magni in *Artic. XIV. Jur. milit. Svec.* §. 67. hujusmodi: *In caſtris, urbibus & propugnaculis nulla digladiatio aut duellum permittatur & concedatur. Si qvæ controverſia inter milites orta fuerit, ea judicio militari dirimatur. Is qvi alium ad duellum provocat, ſtatim judicio ſiſtatur; ut vel in pœnam condemnetur, vel ratione circumſtantiarum abſolvatur. Si verò centuriones atqve ordinum ductores hoc permittant, nec ſeriò inhibeant, ab officio ſuo removebuntur, & in gregariorum numerum referentur. ex damno etiam dato unà cum reis coram judicio militari tenebuntur.* Hæc Conſtitutio à ſucceſſoribus Regibus non modò confirmata, ſed pœna qvoqve exaſperata eſt, primâ vice gravi mulctâ, ſecundâ proſcriptione, tandem arbitrariâ pœnâ. de qvâ Regium Interdictum A. MDCLXII. publicatum eſt. Sed, ut rectè ſentit nobiliſſ. Stiernhôk, duella diu vetita fuerunt, ſemper tamen retenta.

CAP.

CAP. VI.

De ritu priſco Sveo-Gothorum inveſtigandi rem furtivam, & hodierno.

Confertur iſte ritus cum ſimili Græcorum, Romanorum, Germanorum & Norvegorum more. Lex XII. Tabb. & Gellius explicantur. Lux quædam §. IV. lib. IV. tit. I. Inſtitut. Diſcutitur vetus inveſtigandi furtum ratio. Num adhuc ſit in uſu. Qvam cautè inqviſitio rei furto ablatæ in alterius ſuſpecti domo inſtituenda ſit.

EX uſitatis priſcorum probationibus & inveſtigationibus delictorum, unum adhuc ritum de re furtivâ in alienis ædibus inveſtigandâ, judicum auctoritate à priſcis inſtitutum, commemorabo, & hinc ad alia progrediar.

Iſte ritus in cap. XIII. Jur. prov. Svec. & cap. XXXII. LL. Oſtrogoth. de Furto ita deſcribitur: *Si qvid alicui furto ſit abreptum, hoc indicandum erit vicinis. Si verò qvis alicujus domum ſuſpectam habeat, qvaſi furto ablata res eò deportata ſit, is, comitantibus eum ſex viris, inveſtigari illam iſtic legitimè, deſiderabit; indicio tamen, qvæ & qvalis ſit, antea facto.* Viri autem iſtic inveſtigaturi, *diſcincti* jubentur ingredi domum furti celati ſuſpectam, & *nudis pedibus, & femoralibus ſuper genua conſtrictis*, ut eſt in LL. Weſtrogoth. de Furto. & qvæ alia ibidem occurrunt, de qvibus eorumqve ratione mox plura; qvum prius contulerimus cum aliarum aliqvot gentium pari ritu.

Ille mos Gothis, cum Græcis, Romanis, Germanis & Norvegiis communis fuit. De Græcorum ſimili ritu (an lege) non ſolùm Plato lib. XII. de Legibus teſtatur, ubi agit: *Si qvis furtum apud qvempiam qværere velit, id eum oportet facere nudum & diſcinctum*, γυμνὸν καὶ ἄζωστον, ut verba ejus Græca habent; ſed etiam Ariſtophanes in Nubibus, ubi Socratem & Strepſiaden colloqventes introducit hoc modo: Socrates Strepſiaden jubet deponere veſtem; Strepſiades qværit, numqvid mali fecerit? Reſpondet Socrates: Nihil, ſed *nudos ingredi Leges jubent*. *Atqvi*, regerit Strepſiades, *ego non ingredior, ut hinc auferam aliqvid.* De Romanorum ritu Gellius lib. II. Noct. Attic. cap. ult. & lib. XVI. cap. X. agit, ubi *furta per lancem & licium concepta*, ex Lege XII. Tabb. dici ſolita, docet: qvod qvi rem furtivam in alienâ domo qvæſitum ibat, *licio* ſolùm, i. e. cincticulo, à *ligando* ita dicto verecundiæ cauſa amictus, & parum à nudo differens, ædes ſuſpectas intrabat.

trabat. *lance* verò indicium rei furtivæ, ſi reperta eſſet, geſtabat; atqve ſic furtum, perinde ac ſi manifeſtum foret, vindicabatur. Hinc lucem accipit titulus I. §. IV. lib. IV. Inſtit. jur. ubi dicitur: *Reqviſitio rei furtivæ ſecundum veterem obſervationem.* Intelligit eam, de qvâ modò ex XII. Tabb. LL. dictum eſt. Germanorum geminum ritum tangit Decretum Taſſilonis Bojoariorum Ducis Tit. II. lege XV. ubi notat, hujusmodi inqviſitionem illis *Saliſuchen* dictam fuiſſe à *ſale, cœnaculo* vel *conclavi domus*, & *ſuchen qværere.* Norvegorum hac de re morem ita deſcribit Lex eorum de Furto ex cap. VI. Cod. MS. *Tå åiga ther at gånga i ſkyrtum einum ok lausgyrdir. I. e. Tunc ingredi debent uno induſio tecti & discincti.*

Cauſa, cur *discincti* & ferme *nudi* ad qværendum furtum, alienam domum intrare jubebantur, etiam ipſa lege præcipiente, hæc erat: Ut Legumlatores curioſam ſuam induſtriam hoc modo oſtenderent in ſervandis civium bonis, & in rebus furtivis reperiendis & domino reſtituendis: ut ille non ſolùm ab ipſo fure, ſed etiam à receptatoribus furti nullum damnum pateretur. Imò ut etiam, qvi ſuſpectus receptæ rei furtivæ, ſed extra ſuam culpam, habebatur, ab inqviſitoribus non circumveniretur: ſi fortè clam ſub veſte qvid importarent, animo infamandi patremfamilias, qvaſi ipſe hoc à fure occultandum receptaſſet: aut ne inqviſitores forſan aliqvid ſub veſte abſconditum exportarent, qvod patrisfamilias eſſet. Et hoc eſt, qvò cap. XIII. de Furto lex reſpicit: *At bonde hafuer ey vvåda af them*, i.e. *Ne paterfamilias ab illis incommodum aliqvod patiatur.*

Præterea lex volebat & conſvetudo veterum Gothorum, ut ſi feneſtra aut transenna tam ſpatioſa in pariete vel tecto, aut foramen ſub limine eſſet, per qvod res furtiva transmitti poſſet, hoſpiti incumberet neceſſitas ſe cum jurejurando duodenæ manus purgandi à præſumtione rei furtivæ, qvam vel ipſe fur, vel alius illius nomine eò potuiſſet trajicere, hoſpite ſciente, recipiente & occultante. Dum verò inqviſitio peragebatur, cuſtodia ſolebat apponi foribus, ne conſcii aut rei vel qvicunqve alii rem occultatam latenter auferrent, & foris reconderent. Rem autem furtivam repertam, convocatis vicinis lex in rei fidem jubebat exhiberi.

Qvamvis autem omnes iſti ritus hodie tam religioſè non obſerventur qvàm olim; noſtris tamen moribus magiſtratus loci ab eo, cui furtum factum eſt, compellatus, & licentiam inqvirendi rem furtivam in domo ſuſpectâ rogatus, ſolet miniſtros civitatis adjungere inqviſitoribus, partim cuſtodiæ, partim explorationis cauſa; cum hac tamen cautelâ & conditione, ſi ille, in cujus ædibus inveſtigatio fiet, antea ſit furatus, aut ſi certa extent

G indicia

indicia rei furtivæ in iſtâ domo occultatæ. Circumſpectum enim magiſtratum eſſe oportet, ne ex nudâ & temerariâ ſuſpicione, aut malevolo affectu urgentis inqviſitionem adverſus inqvirendum, alienas ædes earumqve ſecreta cujuslibet ſcrutationi patere; aut aliqvâ labe infamiæ, qvæ furti ſuſpectos, inſimulatos aut inqviſitos comitari ſolet, honeſtos & innocentes homines adſpergi, patiatur. Unde ſi qvis absqve veniâ magiſtratus, aut illegitimo modo talem inveſtigationem attentaverit, gravi mulctâ, ex cap. VIII. LL. Prov. de Furto, & cap. II. LL. civ. eodem, plecti conſvevit.

CAP. VII.

De pœnis & mulctis olim & nunc hîc uſitatis, præſertim de mulctis tripartitis. De palinodia priſcâ & hodiernâ.

Pœnas delictis analogas eſſe oportere. Qvæ fuerit ratio veteribus mulctarum tripartitarum. Qvalis mulcta in recantatione contumeliæ facta, & qvi ritus fuerint. Qvid hodie noſtro more obtineat.

POſt diſcuſſas probationes & cognitionem cauſarum civilium & criminalium, veteribus uſitatas; reliqvum eſt, ut de pœnis & mulctis eorum breviter agamus.

Pœnas delictis debere reſpondere, omnibus in confeſſo eſt. In eo tamen veteres non ſemper tam accurati fuerunt, uti fas erat: dum aliqvando delicta capitis pœnâ digna, mulctis duntaxat affecerunt. In qvo hodie & leges noſtræ, & legum exſecutores accuratiores ſunt; de qva re qvum in Synopſi meâ Juris Diſſert. XXIX. qvæſt. IX. prolixè egerim, eam hîc non repetam.

Cæterum in mentione mulctarum operæ pretium eſt disqvirere, cur illæ à priſcis in tres partes diſtributæ fuerint, unâ parte Regi, alterâ territorio aut civitati, tertiâ læſo vel actori aſſignatis. Qvæ hujus partitionis ratio priſcis fuerit, ejus obſervationem viro non minus erudito, qvàm verè Nobili Joh. Stiernhôkio debemus, qvæ talis eſt: *Contra interdictum Regis, in transgreſſione legis; contra univerſitatem, exemplo & violatione qvietis & concordiæ civium; contra proximi ſalutem, famam & bona peccatum erat. Ergo tres placandi erant & tribus ſatisfaciendum; actor privatum, reliqvi duo qvod publicum erat qværebant.* Hæc ille lib. I. Jur. vet. Sveogoth. cap. V. Grotius in Prolegomen. Procopii, hunc tripartitæ mulctæ modum à priſcis *ex intimâ*

intimâ ſapientiâ petitum eſſe ſcribit. Confer Synops. Juris Diſſert. 29. th. 29. Eundem vetuſtiſſimi moris ac juris fuiſſe, conſtat ex Tacito de moribus Germ. qvi ejus qvoqve ibi mentionem facit. *Levioribus*, inqvit, *delictis pro modo pœnarum, eqvorum pecorumqve numero convicti mulctantur. pars mulctæ regi vel civitati, pars ipſi qvi vindicatur, vel propinqvis ejus exſolvitur.* Apud Germanos, qvi olim hunc morem cum Sveonibus communem habuere, hodie hoc mulctæ genus non amplius fere in uſu eſt, ut eſt apud Sveones, ob ante dictarum rationum momenta.

Dum in mulctarum cauſis deſcribendis occupati ſumus, *palinodiam* veterum ejusqve mulctam eâdem operâ deſcribemus. Inde patebit, qvàm inviſum illis eſſet ejus delictum, qvi honeſtum alicujus nomen contumelioſis verbis laceraſſet; & qvàm ignominioſum ipſi auctori fuerit. Exſtat Conſtitutio Regis qvondam Sveonum Magni Ladulås (de qvâ in ejus Vitâ & in Variat. Jur. Svec. cap. 41. de Judicio territor.) qvæ jubet, illatæ alteri contumeliæ convictum pendere mulctam novem marcarum, non exiguæ olim æſtimationis: qvæ ſcitè dicebatur Sveticè *Låppegiåld*, i. e. *labiorum mulcta*: qvod reus labia continere neqviviſſet, ſed in alterius contumeliam impudenter ac petulanter aperuiſſet. Mevius in Commentario ſuo ad Jus Lubec. eam *Mundgeld*, *oris mulctam* vocat & *in Sveciâ optimo inſtituto* à conviciantibus exigi ſcribit. Inſuper reum os ſuum percutere & ſe mentitum fateri: averſum & retrorſum exire judicio; atqve inteſtabilem eſſe lex vetus jubebat; & niſi actor pro illo apud judicem deprecaretur, in perpetuum proſcribi. Hoc utiqve non leve & ludicrum, ſed ſeverum & infame ſupplicium erat, reum ſibi ipſi intemperantis lingvæ pœnam irrogare; ſe ipſum mendacii arguere & condemnare; verba privatim jacta, in publico per jugulum revocare; nec haberi dignum recto gradu excedere judicio; nec teſtari, velut alii honeſtæ famæ viri ſolent; & tandem exſilio damnari. Sed cauſa tam gravis pœnæ & ritus in eâ obſervati priſcis juſta viſa eſt. Qvippe fas & æqvum exiſtimabant, illum opprobria cum pudore recantare, qvæ in alium absqve pudore effudiſſet. Nec dignus videbatur rectà exire judicii loco, qvi more ſerpentis obliqvum ſtruxiſſet gradum, ac venenatâ lingvâ innocentis honorem læſiſſet. Inteſtabilis inſuper judicabatur, qvod pravum de proximo ſuo teſtimonium perhibuiſſet, eumqve falſis dictis per ora hominum diſtuliſſet. Qvidni enim exiſtimationis propriæ jacturam faceret, qvi alterius exiſtimationi damnum ac periculum machinatus erat? & factâ recantatione alteri redderet, qvod ei ablatum iverat, honeſtum nimirum nomen. Deniqve jure proſcribi videbatur, qvi in

alium ſcribere aut vociferari, ſtyloqve vel lingvâ proximi famam, vitæ ferme æqvandam, confodere adeò promtus ac protervus erat.

Hæc pœna cum aſperior eſſet, apud poſteros non aliter exſecutioni mandata eſt, qvam ſi reus mulctæ ſolvendæ non ſufficeret, nec pœniteret eum facti; ut liqvet ex *cap.31. de judicio curiali.* Uſus tamen fori adhuc obtinet, ut qvando calumniator conſpectioris hominis nomen & exiſtimationem indignius maculare auſus, in objecti facinoris probatione ſuccumbit, præter mulctam lege expreſſam, etiam judiciali confeſſione vel ſcripto innocentiam & honeſtam famam perſonæ à ſe infamatæ conteſtetur: ut ſic exiſtimatio hujus integra ſervetur; vel ablata, ab auferente reddatur; calumniator autem ſe mentitum eſſe vel ore, vel verborum mente fateatur. qvod eqvidem haud exiguo ipſi probro eſt, & qvidem ſuâ culpâ; læſo autem famæ reſtitutioni. Qvisqve ergo hîc Harpocratrem agat, memor noti dicti

Digito compeſce labellum,

vel diſcat cohibere lingvam ſuam: ne eam in convicia & calumnias, impotentium ſui, garrulorum ac levium hominum animi morbos, temerè & cum proprii nominis diminutione laxet.

CAP. IIX.

De Comitiis veteribus Sveonum, & hodiernis.

De Conventuum regni Ordinum cauſis. De nominibus conventuum publicorum vel Comitiorum. Qvinam ad ea à Rege vocati fuerint, & hodie vocentur. Populi qvondam vis ac poteſtas in decretis publicis, Præfectorum provincialium auctoritate & prudentiâ ad boni publici uſum disponebatur. Qvàm benè & ordinatè hodie Comitia conſtituta ſint.

HActenus de Judiciis, & qvæ eò qvondam pertinebant, actum eſt. Si qvæ verò negocia publica ad univerſum regni ſtatum & ſecuritatem ſpectantia, communibus deliberationibus, ſuffragiis & decretis opus haberent, ea ad conventus populi à Rege indictos, ut hodie ad Comitia, remittebantur. Ab antiqviſſimâ enim incolarum memoriâ obtinuit, ut in negotiis ad Rempub. pertinentibus populi deliberationes & conſilia adhiberentur, obſervante Verelio ad finem cap.XV. hiſt.

Gotric.

Gótric. & Rol. Unde à communi populi conventu non ſolùm ſimpliciter *Ting*, ſed etiam *Diſating, Morating, Samting, Upſalating, Landsting, Allting, Alimenting, Alsheriarting* appellabantur. Adamus Brem. *generale populi placitum*, vel *concilium populorum commune* vocat.

Præter Eqveſtrem ordinem & plebem, more majorum ad comitia vocari ſvetam, non veniſſe qvondam in Ordinum regni numerum Sacerdotes & Cives, fortè colligas ex Joh. Magni lib. I. cap. XIV. ubi Bericonem Regem *contraxiſſe in concionem nobiles & plebem*, ſcribit; nec aliorum mentionem facit; qvamvis tamen Comitiorum non diſertè meminerit. Sed in *cap. IV. art. VI. LL. provinc. Svec. de Rege*, præter Eqveſtrem Ordinem Eccleſiaſtici, Civium & Agricolarum Ordinis, ad Comitia vocandorum expreſſa mentio fit. Ut veriſimile ſit, Chriſtianiſmo hîc inſtituto, ſi non antea, etiam Ordini ſacro ſuum fuiſſe locum datum & ſeſſionem in comitiis. Id colligi poſſe videtur ex Adami Bremenſis verbis in Chronico Eccleſ. ubi de initiis naſcentis in hoc regno eccleſiæ loqvitur: *Prædicatores veritatis, ſi caſti, ſi prudentes & idonei ſint, ingenti fovent amore* (Sveones) *adeò ut concilio populorum communi eos intereſſe non renuant*. Prædicatores *veritatis* ait, etiam Comitiis intereſſe: nimirum cum veritas cœleſtis ab illis prædicaretur, Chriſtianâ religione introductâ. Sed & cives ſuo tempore ad Comitia vocati ſunt. Ericus Upſal. lib. VI. Hiſt. Svec. p. m. 327. *Tempore præfato accedunt ad Comitia Stocholmenſia, Epiſcopi, Prælati, Milites & Liberti* (i. e. Eqveſtris & Nobilium Ordo.) *ac ruſticorum & civitatum nuncii ſpeciales*. Hîc omnes recenſentur.

Qvod autem Antiqvitas etiam plebejos & agricolas Comitiorum membra eſſe voluit (qvod alibi terrarum non adeò promiſcuum eſt) non absqve ratione fecit. Qvamvis enim eorum ſtatus infimus ſit, majorem tamen incolarum partem conſtituunt, & in pace pro patria arant, ſerunt ac metunt, in bello pro eadem pugnant; eoqve illorum ratio hîc qvoqve habenda eſſe videbatur. Imò majores hoc exemplo demonſtrare voluerunt (ut Andras Buræus in Deſcriptione Sveciæ obſervat) nullum civium & indigenarum genus illis eſſe vile & abjectum, cœtu publico & honore ſuo indignum, niſi qvod ſuis ſe facinoribus ipſum tale redderet. Non autem ſinguli agricolæ, qvà tales, aliqvid ſciſcunt, ſed qvà collecti cum reliqvis Ordinibus, conſiliis ducuntur, & in bonum publicum conſpirant, directore qvondam Præfecto provinciali. Qvod verò Rembertus vitæ Anſcharii Scriptor p. 212. ſcribit: *Sic apud Sveones moris eſt, ut quodcunqve negotium publicum magis in populi unanima voluntate, qvam in Regis conſiſtat poteſtate;*

ſtate; hoc de totius populi libertate ſuffragiorum in comitiis præcipuè capiendum eſſe videtur. Etiamſi hac libertate qvandoqve abuteretur. Qvum enim olim multitudo armata in Comitiis conveniret, ſi Rex ejus voluntati & decreto conſentire nollet, armis concrepans, vim minabatur; velut Olao Skőtkonung in ſuo imperio aliqvando contigit, ut in ejus Vitâ alibi commemoravi. Proinde tumultuaria & confuſa à mixtâ ex provinciis multitudine ſuffragia qvandoqve ferebantur; niſi qvis Præfectorum provincialium, qvorum primarius erat Uplandiæ præfectus, nomine populi, cum reliqvis Ordinum regni delectis in medium conſuleret, & qvidem placido ſermone aptisqve rationum ponderibus, qvicqvid è re Regis ac regni eſſet; atqve ita rem moderaretur, ne Regis voluntati populus temerè refragaretur; nec populo Rex intoleranda imponeret.

Hodie Comitia in ſingulos ac ſeparatos Ordinum viros ac delectos, in collegia & certas claſſes accuratè diſtincta & discriminata ſunt. Et qvod omnium vel plurium primò ſeorſum, deinde communicativè & collectivè Ordinum maturâ conſultatione, juſtisqve ſuffragiis unanimiter comprobatum, & ab omnibus ordine ſubſcriptum eſt, hoc vim Decreti obtinet, de qvo in Synopſi Juris pub. Diſſert. VI. plura.

CAP. IX.

De externis regni Sveciæ Regalibus & Inſignibus & Regio Titulo.

De Coronæ, Gladii, Sceptri, Pomi vel Globi, & Clavis aureæ origine, ſignificatione & uſu. De Inſignibus regni, tribus Coronis & Leone. Olai Magni error. De Titulo Regio, ejusq; uſurpatione ſolita.

QVum Regis ſit, Comitia (de qvibus in præcedenti capite) indicere, idqve inter Jura Majeſtatis referatur; de illis in univerſum dici poſſet, niſi jam id factum eſſet in Synopſi Juris pub. Diſſert. III. Itaqve nunc de externis regni Sveciæ Regalibus atqve Inſignibus qvædam obſervare, viſum eſt operæ pretium.

Hæc antiqvitus hîc fuerunt, & nunc adaucta, ſunt *Corona, Gladius, Sceptrum, Pomum vel Orbis, & Clavis aurea.* Qvid illa ſignent, in ſuis ſeorſum locis dicetur. Nunc illud prius cogitemus, qvàm ingenioſa fuerit antiqvitas in rerum graviorum ſolennibus actibus, per externa & certa ſym-

bolæ

bola declarandis. inprimis in ſolenni collatæ regiæ dignitatis atqve Inaugurationis actu; unde etiam *Regalia* à Rege dici meruerunt.

Qvod ad primum Regale CORONAM attinet, ante ejus uſum, diademata vel faſciæ candidi aut purpurei coloris, ex priſco more, capitibus Regum circumligari ſveverunt. Sed hodie *Corona*, Sveticè ex Latino *Krona*, priſcis olim *Ehra*, i.e. *honor* dicta eſt: qvod eſſet præcipuum *honoris* inſigne. Sicut autem Corona ex auro puro & lucido facta, lapillis aërei coloris diſtincta & ornata fulget; ita *Serenitas* & *Sereniſſimi* titulus Regis proprius eſt: ut *hominum langventes animos & ſub nubilo triſtitiæ detentos inſigni qvadam lætitiâ perfundat*. Eadem admonet Reges *puritatis, qvam DEO, conſcientiæ & univerſis præſtabunt*; qvæ fuſius & luculentius Paſchalius in ſuo de Coronis opere lib. IX. cap. VII. IX. & XII. explicat. Velut etiam Corona formæ circularis eſt, qvæ figura abſolutiſſima & in ſeſe reflexa, nusqvam incipit, nusqvam deſinit; ita monarchia vel regnum, ſi recto ſtet talo, eſt forma reipub. optima & præſtantiſſima, qvæ, ſubſidiis ſucceſſorum munita, ſemper in orbem redit, & qvaſi immortalis eſt. Tiberius apud Tacitum III. Annal. *Principes mortales, Rempub. æternam eſſe*. Henrico IV. mortuo, & Regina in gravi luctu clamante *Regem mortuum eſſe*, Cancellarius ad Reginam dixit; *Rex Galliæ non moritur*. Eâdem uterqve, in ſano ſenſu de ſucceſſione perpetuâ, mente. Sed ut Corona non alii membro, qvàm capiti Regis imponitur; ita poteſtas regia ab alio uſurpari non poteſt, certè non debet, qvàm cui DEI providentia, jus ſucceſſionis, & populi conſenſus adſignavit. Hinc in cap. II. LL. prov. Svec. de Rege conceptis verbis dicitur: *Per totum Sveciæ regnum non niſi una regia Corona, & unus Rex erit*. Unde etiam in proclamatione Regis ſolenniter coronati à Feciali regio hæc verba pronunciari publicè ſolent: *Legitimè nunc coronatus Rex*(expreſſo Regis nomine) *eſt Sveciæ, & nullus alius*. Ut caput in ſublimi poſitum, tanqvam arx corporis, & regia qvædam intellectus ac prudentiæ eſt; ita Princeps regni Caput, cui Corona imponitur, ideò ſupremum dignitatis culmen tenet, ut, qvantum aliis honore, tantum animo & virtutibus antecellat.

GLADII uſus cum primo magiſtratu cœpit. Qvin DEUS ipſe veluti lateri magiſtratus eum accinxit. Eſt autem nota *meri imperii*, ut vocant, *vel publicarum animadverſionum*, qvod per *jus gladii* deſcribi ſolet. Grotius in Notis ad Matthæi cap. V. p. m. 123. *Publicam poteſtatem DEI eſſe miniſtram ad iram, ait Paulus, i.e. ad pœnam adverſus maleficos. Et qvod amplius, ait non fruſtra ab eâ gladium ferri, ad iſtud ſcilicet miniſterium, ut contextus verborum docet. Gladii autem nomine publica judicia, tanqvam à nobiliſſima ſui*

parte

parte nuncupantur: unde & in jure jus gladii eſt jus publicarum animadverſionum. Sicut autem ad vindictam aut pœnam malorum, ita ad defenſionem bonorum & innocentium, atqve ad regiam dignitatem regnumqve pace belloqve rectè tuendum, ſupremæ poteſtati gladius divinitus eſt commiſſus. Et hoc modo à Regibus Sveciæ uſurpatur.

SCEPTRUM eſt vetuſtiſſimum imperii inſigne, qvo regia auctoritas & poteſtas ſignificatur. Nonnulli Theologi virgas illas à principibus tribuum Iſraëlis pro numero earum per Moſem collectas, & tabernaculo fœderis juſſu DEI impoſitas, qvarum mentio fit Num. cap. XVII. veriſimiliter credunt, fuiſſe ſcipiones ſive baculos, qvos principes familiarum in jure dicendo geſtarunt, velut inſignia poteſtatis Principalis, ſicut faſces apud Romanos, & ſceptra apud alias gentes: *virgæ* enim *primorum vel ducum familiæ* dicuntur in dicto cap. v. 18. & 21. Hinc morem illum eſſe ortum ſuſpiceris, qvod in nonnullis exteris Rebuspublicis & Civitatibus hodieqve virgis vel baculis in jure dicendo utuntur, qvos ſententiâ, præſertim de capitis pœnâ in reos pronunciatâ, frangunt. Et qvod *ſcipio (Stab)* eſt ſignum jurisdictionis non modò civilis ex priſcorum inſtituto, qvibus dicebatur *Ruagſtab*, ut eſt apud Otfridum; ſed etiam jurisdictionis militaris, ut notum eſt: unde pro ipſo judicio ſæpe accipitur. Sed & *Sceptra* Sveonibus *Spirar* adhuc vocantur, idem nominis habentia cum *perticis*; cum qvibus olim ſimilem formam habuiſſe videntur. Olim enim haſtæ qvoqve Regibus loco ſceptrorum erant, vel ſceptra haſtarum ſimilitudinem referebant; uti notat Berneccerus in Oratione de Sceptris. Sed qvod ad rem ipſam attinet, Homerus Sceptrum Agamemnonis non ab hominibus, ſed Diis fabricatum, & ab ipſo Jove ei traditum fuiſſe, non abs re finxit. Voluit enim innuere, velut imperium Deum habet auctorem, ita ad DEI mentem & voluntatem à Rege adminiſtrandum eſſe. Sceptrum inſuper rectum & æqvaliter protenſum eſſe ſcimus: qvod imperii rectitudinem, & æqvalem juris normam adumbrat. Ut autem juris æqvalitas fortunæ inæqvalitatem emendat; ita ſupremus magiſtratus non pravâ cupiditate in hanc vel illam partem flectetur, ſed boni & æqvi conſtans & incorruptus arbiter ac judex erit. Sceptrum in publicâ pompâ ſubſeqvitur gladium: ut oſtendatur, clementiam juſtitiæ comitem eſſe, benignitate vim ac poteſtatem temperari: ne in crudelitatem degeneret. Hinc in victoriarum GUSTAVIANARUM monumentis, SCEPTRI ET ENSIS in transverſum connexorum imaginem in Germaniâ expreſſam meminimus, cum hac inſcriptione:

Enſem

Enſem Gradivus, Sceptrum Themis alma gubernat.

Regni verò POMUM, ſive GLOBUS AUREUS Theodoſiano primùm ſeculo ab Imperatoribus Chriſtianis uſurpari cœpit, ut Schefferus Upſaliæ cap.XVII. docet; aliis deinde Chriſtianis Regibus vexillo crucis Chriſti imperium ſuum ſubmittentibus: qvod *globus aut orbis cum cruce deſuper infixâ* ſignat. de qvo Joſeph. Scaliger lib. III. Epiſt. CXXXIII. in Notis ad Freheri Nummum, Lipſius lib.III. de Cruce cap.XVI. Præterea globus hic ſummum imperium aliud ſupra ſe non recognoſcens, ac gubernationis molem denotat; ut obſervat Cœleſtinus in Clypeo Virtutis cap.III. Velut autem terra, qvam globus refert, mari circumflua eſt, & cum eo unum orbem conſtituit; ita Rex ſuæ ditionis imperium terrâ mariqve habet, tuetur & firmat. Velut pomum aut ſphæra rotunda eſt & undiqve plana; ſic bonus Princeps ex ſe aptus, ſui ſimilis & integer eſt; ejusqve ſtatus, ut Poëta ait,

Mundi inſtar habens, teres atqve rotundus.

CLAVIS AUREA recentioris inſtituti eſt, ex qvo Fiſcus Regius hîc melius ordinari cœpit. Qvondam Legatus ad Regem Sveciæ à Rege Galliæ miſſus, ex primario qvodam viro qvæſivit, ut ferunt, *ubi regni Sveciæ fiſcus eſſet*, ille reſpondit: *penes ruſticos eſſe.* Sanè reſponſum eſt appoſitè, ſi rectè accipiatur. Optimus enim Regum creditur eſſe theſaurus, nec variis caſibus obnoxius, qvi in ſubditorum loculis reconditus eſt. Sed nunc Fiſco hîc melius, qvam antea conſtituto, *Clavis* conditoria pecuniæ publicæ denotat; ſine qvâ ſplendor & ſecuritas regni non magis ſtare, qvàm homo ſine nervis ambulare poteſt. Hæc de illorum Regalium interpretatione. Alii aliter interpretantur.

In Exſeqviis Regiis CAROLI GUSTAVI Regis nummi aurei & argentei in vulgus ſpargebantur, qvi eadem Regalia cum inſcriptionibus inſculpta præferebant; qvorum brevem explicationem ſubjungam. CORONÆ icon cum hac inſcriptione exſtabat MAJESTAS PUBLICA. Illa eſt radius qvidam Majeſtatis divinæ: qvam, ut debent, humiliter agnoſcunt Reges, qvum ſe *DEI gratia* tales eſſe in ſuis diplomatibus profitentur. Imperatores Græci veteres inde ſe θεοςεφεῖς, *à DEO coronatos* prædicabant. SCEPTRO hæc verba erant addita: TUTELA CIVIUM. *Salutem civium tueri, nulli magis qvàm Principi convenit*, ut eſt in l.III.D. de offic. præf.vig. ORBIS, cruce, Chriſtianorum teſſerâ, inſignis, hæc verba præfert: CURA RELIGIONIS. In curâ & conſervatione veræ religionis conſiſtit præcipua imperii felicitas & tranqvillitas (de qvâ alibi fusè)

CLAVI hæc addita ſunt: VITA IMPERII. Nam opes ſunt qvaſi vita & ſangvis corporis reipub. *Vid. Lipſ.Politic. 4,9,48. & ſeqq.* ENSIS imago hæc ſibi verba ſubjecta habet: CUSTODIA LEGUM. Dum enim Rex malos plectit, alios bonos eſſe jubet; & ſic auctoritatem legum ſervat.

Licet autem majeſtas non in externis iſtis, ſed interno animi decore, ac poteſtate regiâ conſiſtat; attamen pulchra ſunt tantæ dignitatis ac decoris regii, atqve externa honoris monumenta: qvibus ab aliis imparium honorum & minoribus aliorum gradibus diſcernitur. Præter hoc, qvod ſunt regii muneris memorialia, etiam ad eminentiam & auctoritatem regiam populi, externum ſplendorem & pompam non parum reſpicientis, oculis & per eos animo magis inſinuandam & excitandam, qvo venerabilior & conſpectior ſit, hæc inſignia qvoqve inventa ſunt. Livius Lib. I. de Romuli inſignibus imperii: *Multitudini jura dedit, qvæ ita ſancta fore ratus, ſi ſeipſe* VENERABILEM INSIGNIBUS IMPERII *feciſſet.*

Dum in hoc ſum, priſca regni Sveonum Inſignia, atqve Regium Titulum breviter exponam. TRES CORONAS eſſe vetus Inſigne regni & Regum Sveciæ, ex antiqvo Saxo Moraſten, cui inciſæ ſunt, ex antiqvis Nummis & Sigillis diverſorum Sveciæ Regum, è Tabulâ ad S. Erici ſepulchrum ſuſpensâ, aliisqve monumentis evidenter liqvet. Qvæ qvum Laurentius Petri in Diſſertatione MS. de tribus Sveciæ Coronis, Meſſenius cap. XIII. Speculæ Sveonum, atqve alii fuſius probarint, ego, Lectorem ad eos remittendo, hîc brevior ero. LEO coronatus cum tribus lacubus, vetus Gothorum Inſigne eſt, ut Olaus Magnus lib. II. rerum Septentrional. capite XXV. Pontanus Hiſt.Danic.lib.IX. pag. 516. & Joh. Mariana lib. VII. rerum Hiſpanic. cap.III. teſtantur. Marianæ verba hæc ſunt: *Gothorum Regum inſignia Leonis in pedes erecti, atqve diducto rictu formidabilis.* In Weſtrogothiâ, ad templum in Kongshusby, ut appellant à *Rege* Olao Skötkonung, qvi, accepto Chriſtianiſmo, ibi ex fonte loci baptiſatus eſt, exſtat monumentum, cui *duo Leones*, ut inſigne Gothorum, inciſi ſunt. Hinc in Nummo unciali argenteo Caroli IX. Regis Sveciæ anno MDC X. cuſo & publicato *Leonis* imagini ſeorſum expreſſæ addita eſt vox GOTHIA: qvod hoc priſcum Gothiæ inſigne eſſet; velut imagini *Trium Coronarum* appoſita eſt vox SVECIA: qvod illud vetus Sveciæ inſigne eſſet. Utraqve verò Inſignia *trium Coronarum & Leonis cum tribus lacubus* in unum conjuncta ſunt, ex qvo Svecia & Gothia ſub unum regnum & Regem coiverunt, qvod factum eſt ſub INGELLO II. Rege Sveciæ. Licet enim Sveci & Gothi jam ab initio conditi hîc imperii in unum corpus coaluerint, ut Leges,

Sveciæ

Sveciæ in ipſo limine, & Johannes Magnus in cap. II. Præfat. Hiſtor. Svec. docent; tamen propter æmulationem mutuam, aut crudele nonnullorum regum imperium, & ſub imagine qvadam libertatis, ſeceſſione à Svecis ſub Alarico vel Alrico Rege facta, ſeparatos & proprios ſibi Reges aut Principes eligere cæperunt; donec ſub Ingello II. ut dictum eſt, vera & ſolida Sveonum & Gothorum conjunctio fieret; de qva ſup. lib. II. cap. I.

Qvid verò TRES CORONÆ & LEO propriè ſignarint, non una eſt auctorum ſententia. *Tres Coronas* Olaus Magnus *dominiorum amplitudinem egregia militiæ domi foriſqve geſta, & metallorum ubertatem* ſignificare exiſtimat. Meſſenius, cap. XII. Speculæ Sveonum, cauſam aut ſenſum illorum Inſignium hinc accerſit, qvod Upſalia, ſedes olim Regum *trium eminentium rerum, religionis, aulæ regiæ & juſtitiæ ſedes fuerit.* Sed qvum aula iſtic & alibi, anteqvam Holmiam transferretur, temporaria, nec perpetua fuerit; poſſet qvis ſimili conjecturâ, religionis, juſtitiæ & prudentiæ civilis tres facere characteres *tres Coronas.* Sed hæc in medio, peritioribus dijudicanda, relinqvo. Qvod verò *Leo* ſupra *tria fluenta* aſſultat, eo qvidam *Gothorum fortitudinem*, olim in *tres orbis plagas effuſam*, & variis victoriis expromtam, non abs re ſignificari volunt. Leonis enim imaginem robur & fortitudinem ſignare, in comperto eſt. Olaus Magnus autem hac imagine illud adumbrari voluit: Ut Gothi providè agant, & *reſpiciendo* (ponit enim Leonem *reſpicientem*) ſibi caveant ab hoſtium inſidiis, nec temerè in pericula proſiliant. Cæterum ut patet ex ante memorato Weſtrogothiæ monumento, in cœmiterio templi Husby qvondam à majoribus Gothorum poſito, *duo Leones* ex adverſo in unam qvaſi faciem hiant, & ſe invicem contuentur. Ita adhuc in Inſignibus hodiernis repræſentantur, ut proſpiciant, non reſpiciant: qvâ aliâ causâ vel ſignificatione? qvàm ut miles Gothus apertè, & facietenus atqve ex adverſo cùm hoſte dimicare promptus ſit. Qvod præter candidæ aqvæ in adverſum objectæ fluenta, etiam campus cœli colorem referens in dictis Inſignibus adumbrare videntur; utqve Sveo-Gothicus miles palam prælium ineat, & leoninos ſpiritus exſerat,

Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus.

Pergimus ad Regum Sveciæ TITULUM. Primò Reges hujus regni contenti titulo *Regum Upſaliæ*, à ſede iſtic regia, deinceps honoratiori *Regum Sveciæ* titulo uſi ſunt. Cujus initium fecit Olaus Rex, uti teſtatur Hervari hiſtoria: *Olaus Skôtkonung ſumſit primus nomen, Sveonum Regis.* Poſt eum reliqvi ſucceſſores Reges eundem titulum uſurparunt, teſtibus Olao Petri in præfat. Chronici Svec. & Meſſenio Speculæ Svec. cap. VII. Sed poſtqvam

qvam firma & perpetua Sveciæ & Gothiæ conjunctio facta eſt (de qva ſup.) Reges *Sveciæ & Gothiæ* titulo conjunctim uſi ſunt. Illud ex pluribus veterum documentis evidens eſt, inprimis ex titulo Codicis Legum Oſtrogothicarum, ubi Leges iſtæ dicuntur à Regibus Canuto S. Erici filio, & Birgero Iarl conſtitutæ & emendatæ, qvi *Reges Sveonum & Gothorum* appellantur. Eundem *Regis Sveciæ & Gothiæ* titulum præfert Nummus argenteus Magni Ladulås Regis Sveciæ, qvi regnavit A. Chriſti MCCLXXVII. & ita reliqvi ſucceſſores ordine Sveciæ Reges. Tandem illi veteri laudatorum Regum titulo acceſſit etiam titulus Vandalorum aut *Wendorum*, reſpectu regii cujusdam (per arma) juris, qvod vicini Reges Septentrionales in illas Venedorum aut Vendorum terras, qvæ inter Albim & mare Balthicum ſitæ ſunt, uſurpant; veluti Conringius in lib. I. de Finibus Imperii capite XVI. obſervat. Confer inf. lib. III. cap. I. Qvæ verò in regni Sveciæ Inſignibus hodie in medio eorum collocari ſolent, ſunt Inſignia gentilitia & propria familiæ Principum aut Regum. Reliqvi tituli de illis Ducatibus ac Provinciis uſurpantur, qvæ à Regibus Sveciæ, ex occaſione belli & pacis, regno Sveciæ ſubjectæ ſunt; de qvibus in lib. III. & in fine cap. ult. dictum eſt.

CAP. X.

De Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium Origine, gradibus & inſignibus, in regno Sveciæ.

Unde Principes, Duces, Comes Palatinus, atqve alii Comites ita dicti ſint. Unde Iarli vocentur. De Herſorum, Baronum & Nobilium in hoc regno nominibus & gradibus. De notione vocis Junker. De ſerie familiarum aut ſtemmate. Qvo fine inſignia Nobilium à veteribus inſtituta ſint; & qvanto ſtudio verum eorum decus conſervandum ſit.

POſt regni Regumqve Sveciæ externa Regalia atqve Inſignia, præcipuæ dignationis Virorum, & Ordinis Eqveſtris originem, nomina gradus ac inſignia pro inſtituto noſtro conſiderabimus.

PRINCIPIS nomen cum imperio natum eſt. Qvippe qvo ſenſu Latinis *primus*, etiam *princeps* dicitur; cujus eſt præcipua inter cives auctoritas. Ita Sveo-Gothis *Förſt*, & Anglo-Saxonibus *Firſt* dicitur: qvod *principem locum* vel primas inter alios teneat; & excellere debeat non ſo-

lùm honoris, ſed etiam virtutis præſtantiâ: ut ſic verè *primus* in Repub. ſit.

DUCUM nomen ortumqve ex militiâ eſſe, notio vocis facile indicat, qvaſi qvi *ducunt exercitum*: cui reſpondet noſtræ gentis vernaculum *Hårtug*, vel *Hertog*, ab *exercitu* & *expeditione militari* ſic dictum: cui præfectus appellationem inde accepit. Sturleſonius in Chronico Norveg. p. 39. idem adſerit, dum ait: Guttormum Regis Norvegiæ avunculum *exercitus præfectum*, inde *Hårtug* nuncupatum fuiſſe. Tacitus ex *virtute* tales *primùm ſumtos* ſcribit, & exemplo non minus qvàm imperio *duces* fuiſſe, *ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agerent*. Tandem ob virtutis bellicæ æſtimationem & remunerationem, etiam in pace titulo honoris ac gradu *Duces* olim eviſerunt, ex ordine Nobilium à Rege ad militiæ præfecturam primo vocati. Et hæc Ducum egregiè meritorum prima origo fuit; ita ut tandem Principibus dignitate æqvarentur.

COMITES inde Latinis qvondam dicti ſunt, qvod officii cauſa in bello vel conſiliis Principem ſuum *comitarentur*, & apud eum interioris admiſſionis eſſent. Illud ſatis colligere eſt ex illo Taciti loco de morib. Germ. *Nec rubor inter comites adſpici. gradus qvin etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur; magnaqve eſt comitum æmulatio, qvibus primus apud Principem ſuum locus; & Principum, cui plurimi & acerrimi comites.* Et ex illo Spartiani in vitâ Adriani: *Cum judicaret* (Imperator) *in conſilio habuit non amicos aut comites ſolùm, ſed juriſconſultos.* Hîc *amici* Cæſaris, & *comites* intimæ admiſſionis & paris æſtimationis apud eum fuere. Poſtea factorum meritis probati, gradu ac dignitate creverunt. Comites à Germanis *Gravii* vel *Graviones* dicti ſunt, ut eſt apud Paulum Diaconum lib. V. cap. XXXVI. ita appellati à *Grave*, i. e. *foſſâ* & *limitibus*, qvi foſſis diſtincti erant. qvibus curandis, & litibus hinc natis decidendis, illi primò præerant, notante Heigio parte I. Qvæſt. jur. Qv. 2. Inde poſtmodò *Comitis* titulus *Judicibus*, & munimenti vel munitæ urbis Præſidibus, ut *Burggraviis*, & aliis dignitatum præfectis inditus eſt. Inde qvoqve *Comes Palatinus* apud Romanos appellatus eſt, qvod eſſet Præſes vel Præfectus *Palatii* Imperialis: qvi enim in lib. I. Codic. tit 34. *Comes* appellatur, mox *Palatinus* dicitur; qvod Palatii Comes eſſet. *Palantzgrevve* nuncupatur in Speculo Saxoniæ, veteris editionis & lingvæ, art. LII. LIII. LVII. Lib. III. *Palantz* autem olim erat Prætorium vel Tribunal, à *Palatio* nomen ſortitum. Deinde, qvum hac dignitate bene geſtâ, majorem meruiſſet, *Principis*, vel *Electoris* ac Status Imperii nomen hæreditarium obtinuit; nec tamen *Comitis Palatini* titulum

tulum depoſuit, qvi ei ad illud gradum fecerat. Ita Chriſtophorus Bavariæ Princeps, etiam Comes Palatinus, deinceps Rex Sveciæ factus, in aliqvot ſuis Literis MSS. *Palantzgrefue* dicitur. Poſtea Comes Palatinus contractè *Paltz* aut *Pfalzgrave* dictus eſt. Ut jam prætercam Comitum dignitates & munera in Domo regiâ Gothorum extra hoc regnum olim uſurpata, de qvibus Petrus Pantinus ſcripſit; nota ſunt nomina *Markgravii*, qvi primò fuit Præſes finium aut limitum, & *Landgravii*, qvaſi Præſidis provinciæ, poſtea Principum in Imperio Romano-Germanico nomina ac dignitates factæ ſunt; de qvibus hîc prolixè agendi locus non eſt. *Grafvve* autem vel *Grefvve* nomen, à vicinis Germanis deſumtum, hodie *Comitibus* hujus regni qvoqve uſitatum eſt, qvi olim *Iarl* vel *Iarler* nominabantur.

Iarlorum vel Ierlorum, qvi Britannis *Earles*, nomen Camdenus ab *eer*, honore deducit; qvod *honorati* eſſent. In Monumento Runico, qvod exſtat in Ladeby, duorum virorum *Iari* & *Arli* fit mentio, qvid? ſi ex hujusmodi nominibus *Iarlorum* nomen olim compoſitum, & poſtea contractum ſit; ipſaqve officii dignitas eos honoratos fecerit. Eqvidem fuiſſe nomen proprium virorum olim, & poſtea dignitatis, obſervat Verelius in Notis ad Herroudi & Boſæ hiſt. pag. 87. 88.

HERSERI proximè poſt Iarleros erant. Snorro Sturleſonius in Chronico Norveg. ubi de Herlevo loqvitur: *Rex offerebat ipſi Iarleri nomen & Comitatum. Erlevus reſpondebat: Majores mei appellati fuerunt Herſar, aliud nomen non deſidero.* Illos *Herſeros* qvidam eosdem cum iſtis, qvos *Herramän* i. e. *primariæ Nobilitatis viros* vocare ſolemus, eſſe volunt. Alii ab *herod*, i. e. *territorio*, cui præerant & jus dabant, deducunt. Vid. Verel. in Notis ad cap. XII. Hiſt. Götric. & Rolv. pag. 73. 74. Alii cum *Baronibus* eosdem faciunt.

BARONES primò dicti ſunt *viri*, non ſolùm Alemannicâ ſed etiam Scandicâ lingvâ, uti videmus ex Legibus Ripuariorum tit. LVIII. §. 12. & Chronico Svec. MS. *Dimicabat Carolus Dux cum Baronibus Sveciæ prope Stongebroo.* Deinde viri conſpectiores, exiſtimationis ac nobilitatis præcipuæ *Barones* ſalutati ſunt. Inde *Barum*, ut eſt in LL. Norveg. MS. *cap. VII. de jure mercandi*, redditur in Danicâ verſione *Herremand*, de qva voce ſup. Inprimis qvi ſe præclaris facinoribus in bello virum præſtitiſſet, hoc nomen *Baronis* merebatur. A qvo etiam deducunt Hiſpanicum *Varon*; qvod *egregium virum* denotat, & reliqvum eſt ex Gothicâ dialecto, ut notat Beſoldus cap. IV. de Comitibus & Baronibus §. 16. Ob egregia verò facta *peculiari immunitate & dignitate* à Rege ornatus, honoris cauſa, *Liber Dominus*

vel

vel *Liber Baro* ſalutabatur. Inde in LL.Alemannic. cap. XLIX. Si Barus fuerit, verſum eſt *Si Liber fuerit.* Licet autem Comitum & Baronum titulus ejusdem familiæ liberis communis ſit, tamen ipſius Comitatus & Baronatus præcipua poſſeſſio ſolis maſculis primogenitis propria eſt.

NOBILES, Sveticè *Affadel*, vel *Adelsmen*, ab *adel* vel *odul* i.e. *poſſeſſione propriâ* vel *hæreditaria*, vel ab *attel*, & hoc ab ått *genere*, ita dicti ſunt. Inde *åttborn*, ingenuus, item *åtteling*, *ådeling* & *Adelingus* apud Paulum Warnefridum de geſtis Longobard.lib.I.cap.XXI. Dividuntur autem hîc Nobiles in *Riddare, Friiborne Frelſismen*, & *Svenner.* Primò *Riddare* dicuntur, qvi, vel qvorum majores ex *eqveſtri dignitate*, vel *præcipuâ nobilitate* fuerunt. Inde generale nomen *Ridderskap och Adel.* Dein *Friiborne Frelſismen*, ſunt *ingenui & liberi Nobiles;* Sed *Svenner ſunt communes Nobiles.* Qvi verò *Junker* hodie vulgò dicitur, eſt idem qvod *junior dominus*, olim *Regiorum Filiorum* nomen.

Vetus Nobilium familia

Per tot ducta viros antiqvæ ab origine gentis

plerumqve per octo generationes, paternæ ac totidem maternæ lineæ computari ſolet. Qvod non inanis oſtentationis cauſa, ut vulgò videtur, ab antiqvitate poſteris traditum eſſe autumabimus, ſed ob aviti decoris honeſtiqve rectam æſtimationem & exemplum: qvot enim generationes, tot virtutis plantas ac traduces numerari credemus. Nec aliter poteſt, qvin qvi per tot ſecula genus ſuum & ſangvinem, cumqve eo nomen integrum conſervarunt ac tutati ſunt, ipſi fuerint animis & virtute præſtantes, atqve liberos & poſteros ſuos tales efficere ſerio mentis cultu, exemplisqve ſuis & majorum allaborarint. qvod ut ipſis non poteſt non eſſe honori, ſic erectis ſuorum animis æmulationi erit.

Inſignia Nobilium priſco ævo ſimpliciora fuerunt, ut inf.lib.III.cap. VII. pluribus oſtendetur. Progreſſu temporis ornatiora & ampliora facta ſunt. Ea vel ab armis, qvorum olim præcipuum ſtudium, vel à nomine prædiorum avitorum, in memoriam generis; vel à rebus terræ, unde orti, ſui non immemores; vel ab aſtris & cœlo, qvò tendebant, animisqve & votis adſpirabant; vel ab inſigni rerum geſtarum eventu petere placuit. Qvidam ſumſerunt à rebus firmitatem aut fortitudinem repræſentantibus, alii ab animalibus, qvorum robur, vires, ſolertiam & agilitatem, aut ſtudio æmulabantur, aut ratione, virtute animiqve vigore ſuperabant.

Hæc inſignia, qvæ majores ad poſteros ſuos transmiſere, liberi & poſteritas non tam ex perforatâ galeâ variisqve coloribus & numero ſtemmatum

matum æſtimabunt, qvàm cujus rei ſint inſignia, nimirum virtutis & bene meritorum: per qvæ ut à primo generis auctore parta ſunt, ſic à poſteritate, ad ejus exemplum, præclaris factis tuenda, laude illuſtranda, labore & induſtriâ conſervanda ſunt. Qvod ſi qvis negligat, ac ſemina virtutum, à majoribus accepta, per ignaviam ac vitiorum ſordes in ſe obruat ac ſepeliat, huic inſignia iſtæc non magis honorem & exiſtimationem circumdant, qvàm pulchra forma turpi animo decus & laudem conciliat. Qvin eò manifeſtiore dedecore eum afficiunt, qvò magis iſtis Inſignibus ſe jactat: dum umbram pro re venditat, & ſolo nomine nobilem, factis ignobilem, gentisqve ſuæ degenerem ſtirpem ſe oſtendit.

CAP. XI.

De Procerum ac Senatorum regni Svecici Præfectorumqve nominibus, antiqvâ & hodiernâ dignitate.

De notione nominis Drotſeti. perperam eum Archidapiferum appellari. De Marſchi & Amiralii nomine. Qvinam ſint ANSES apud Iornandem. Unde Proceres ac Senatores regni olim AMICI Regis dicti ſint. Qui fuerint Stallari apud veteres. Rectorum provinciæ nomina priſca qvid ſignent. Collatio veteris & noſtri ævi dignitatis eorum.

PRæcipuis ex eqveſtri ordine & nobilitate viris domi natis primaria regni munia, ex antiqvo more & patrio jure conferri ſolent: qvalia ſunt regni Senatorum, qvi olim XII. numero erant, munia. Conſverunt ex illis deligi, qvi prudentiâ & uſu rerum maximè conſpicui ſunt, nimirum qvinqve primariorum regni Collegiorum Præſides, Drotſetus, Marſchus, Amiralius, Cancellarius, & Theſaurarius; de qvibus alibi plura.

Regni DROTSETUS ex veteri voce patriâ, idem eſt qvi *Prorex*; & qvidem abſente Rege, tanqvam *vicarium Regis* agit, cum conſilio reliqvorum Procerum ac regni Senatorum. Qvod verò qvidam ex vulgo eum *Archidapiferum* nuncupant, illud à Germanis perperam huc traxerunt, & imperiti veteris illius dictionis, *Drotſeti* nomen in *Truchſeſium* vel *Dapiferum* commutarunt. Sed de hiſce Schefferus noſter fuſius Upſaliæ cap. XVI.

Regni MARSCHUS vel *Marsk* Sveticè ab antiqvo nomine *Mader* vel *Madersk* & contractè *Marsk* dici putatur. *Mader* autem veteribus idem

idem qvi *Vir* erat, qvalem, poſt Regem, ſupremum exercitus ducem eſſe oportet, *animo & cura maſculis ſtrenuisqve.*

Regni AMIRALIUS, Claſſis Regiæ præfectus, ab Arabico *emir* vel *amira* primò dictus eſſe exiſtimatur. Illud autem idem eſt, qvod *dominus* aut *curator*, ut Voſſius lib. II. cap. II. de vit. ſerm. notat: qvod poſt Regem ſit ſupremus claſſis & militiæ maritimæ director. Reliqvorum regni Procerum CANCELLARII regni & THESAURARII regni nomina nota ſunt. De omnium verò officiis accuratè egit A. Buræus in Deſcriptione Sveciæ p. m. 7. & ſeqq.

Proceres & Senatores regni priſcis Gothis qvoqve ANSES dicti ſunt, ut eſt apud Jornandem in hiſt. Goth. cap. 12. 13. ab *anſa* i. e. *curare* ut videtur; (ſi à Gothico verbo derivandum ſit) qvod ſint *curatores* publici boni. Olim etiam AMICI REGIS ſalutabantur à priſcis, ut ex hiſtoriâ Gôtrici cap. II. pag. 16. & aliis liqvet. qvâ appellatione non ſolùm intima ad Regem admiſſio, ſed etiam virtutis ac fidei decus exprimitur. Verè Helvidius apud Tacitum dixit: *Nullum majus boni imperii inſtrumentum, qvàm boni amici.* Illud cùm eodem convenit, qvod hodie à Regibus DILECTORUM titulo ornantur. Meritò Regum favore & amore digni ſunt, qvi publicum magis, qvàm ſe & ſua amant, qvi pro regia & regni ſalute tam fidis conſiliis vigilant; & tam dicenda promere, qvàm ſilenda premere ſciunt.

Proximi à Senatoribus olim *Stallari* fuiſſe videntur, qvorum crebra eſt mentio in Legibus Gothicis & annalibus veteribus, à *ſtalla* vel *beſtella* ita dicti, qvod regio nomine expedirent & exſeqverentur negotia publica. qvidam cum Gubernatoribus qvaſi *Ståthollare*, ut hodie vocantur, alii cum præfectis provinciarum eosdem faciunt. ſed hi peculiare ſuum nomen jam antiqvitus habuerunt, nimirum *Landsôfdinger* dicti à *provinciâ* & *capite*: qvod nomine ſupremi *Capitis* i.e. Regis (qvi olim qvoqve *Hôfding* nuncupatus eſt, teſte hiſtoriâ Gôtrici cap. VII.) in *provinciis* ex uſu & dignitate Regis & regni munus ſuum juſtè ac fideliter adminiſtrent, & dignitatis titulus etiam officii eorum monitor ſit. Verelius in Notis ad R. Olai Tryggonis Hiſtoriæ Fragmentum *Stallarum* præfectum aulæ, vel *Majorem domus*, ut qvidam vocant, fuiſſe putabat. Sed de his alio loco plura. Nunc cum noſtri ævi Præfectis breviter conferre viſum eſt.

CAP. XII.

De Formulis priſcorum Sveonum in elogiis & vituperatione inferiorum ac ſuperiorum, ipſorumqve Regum.

Qvibus formulis veteres uſi ſint ad laudandum vel approbandum rectè factum, & improbandum malè ac indignè factum. Ex occaſione de infamiâ juris & facti breviter agitur. Item de cognominibus Regum bonorum & malorum.

IN fine ſuperioris capitis dicta de titulis honorum, qvos veteres non ſolùm dignitatis indices & elogia, ſed etiam debiti officii admonitores atqve inſtigatores eſſe voluerunt, ſimul monebant me veterum ac nervoſarum Formularum, qvibus majores uſi ſunt in laudandis vel improbandis factis qvorumcunqve tam ſuperioris qvàm inferioris ordinis. De illis qvædam obſervare, & cum ſimilibus aliorum auctorum locis conferre, è re viſum eſt fore: ut vel inde conſtaret, qvàm amantes virtutis, & hoſtes vitiorum veteres bene conſulti fuerint; aliisqve hìc exemplo ſint.

Si qvis ſingulare charitatis ſpecimen erga proximum ſuum exercuiſſet, ut ſi alicujus bona ex incendii, ruinæ, naufragii, vel hoſtium periculo eripuiſſet, aut aliud qvid bene erga alium feciſſet, eum, ut majores oſtenderent, eſſe laude & honore dignum, hac formulâ prædicabant: *Vir ſit tantò melior.* Contra ſi qvis indignum & turpe qvid feciſſet, hac formulâ utebantur: *Homo ſit tantò pejor, vel improbior;* aliàs *minor vir.* velut ex priſcorum Sveo-Gothorum legibus ac Statutis patet. Prior formula erat ſignum auctæ, altera diminutæ vel gravatæ exiſtimationis, vel oneratæ opinionis, ut priſci loqvebantur. In veteris aræ inſcriptione, qvæ exſtat Patavii, & à Laurentio Pignorio lib. I. Symbol. Epiſtolis XXX. emendata eſt, par ferme Formula legitur: PROBE FACTUM ESTO. De veteri Romanorum Formulâ OPTIMUM FACTUM jam Briſſonius in lib. de Formulis vett. egit. Ei contrarium PESSIMUM FACTUM. Plato lib I. de Legibus, eos, qvi veritatem celaſſent, voluit IMPROBORUM numero haberi. Et in LL. XII. Tabb. *perjurus* IMPROBUS dicebatur. Livius 10, 9. de Valeriâ lege: *Valeria lex, qvum eum, qvi provocaſſet, virgis cædi necariqve voluiſſet, ſi qvis adverſus ea feciſſet, nihil aliud qvàm* IMPROBE FACTUM *adjecit; qvi tum pudor hominum erat, viſum credo vinculum ſatis validum legis,*

nunc vix ſervo ita minetur quiſquam. Ex hujusmodi diſtinctione veterum majoris & minoris culpæ, nata videtur *infamia juris, & facti:* illa *ignominiam* irrogat ex delicto; hæc *pudorem, opinionem & verecundiam* alicujus apud bonos viros *onerat* ex leviori facinore.

Velut olim populus Sveonum eadem mente Reges probos & bene meritos dignis elogiis & honorificis cognominibus inſignire conſveverat; ita tyrannos & regni dedecora, ignominioſis titulis affecit; qvod Annales Sveonum ſatis docent. Idqve eo fine fecit: ut exſtincti vel gloriâ apud poſteros, vel infamiâ diſtingverentur; ſucceſſores autem illius deſiderio, hujus pudore & metu rectè facere conniterentur.

CAP. XIII.

De lingvâ veteri & hodiernâ Gothicâ.

De lingvæ Scandicæ vel Gothicæ origine; communi per orbem Arctoum uſu, opulentiâ & præſtantiâ. De cauſis mixturæ, & ſubſidiis conſervandæ puritatis ejus. Johannis III. monitum de lingvâ vernaculâ purè ſervandâ. Illud tamen facilius optatu, qvàm obtentu videri. Qvatenus priſci ſermonis ſelectæ dictiones in uſum revocari poſſint.

FOrmularum qvarundam elegantium veteribus uſitatarum expoſitio, de qvibus in capite priori, nobis anſam præbet de veteri lingvâ Scandicâ vel Gothicâ ulterius diſſerendi.

Lingvam Scandicam vel Gothicam primos hujus regni incolas è Scythia huc ſecum intuliſſe, communis opinio eſt. Eam porrò non modò per has, ſed etiam per Germaniæ oras, imò totum orbem Arctoum latè diffuſam, ſolâ tantùm dialecto diſcrepare ſcimus. Qvò enim antiqviores ſcriptores Saxonicos vel Germanicos leges, eò majorem illorum cum Sveo-Gothicâ lingvâ conſenſum & affinitatem experieris. Barclajus Iconis animorum cap. VIII. ubi de Arctois populis loqvitur: *Multa Germanicæ in his lingvæ ſunt, ſed in moribus plura veſtigia.* Sanè lingvam veterem Gothicam fuiſſe locupletem, nervoſam & præſtantem, qvæ adhuc ex vetuſtatis monumentis reliqvæ ſunt voces, & leges antiqvæ ſatis teſtantur. Eqvidem in proprietate, translatione, compoſitione, ſtrictaqve confirmatione verborum & acutis dictis tam ingenioſi fuere veteres, ut non pauca, qvæ hodie pluribus circumloqvimur, illi unâ rotundâ breviqve formulâ exprimerent: qvod in veterum ſcriptis non prorſus hoſpiti notum erit. Etiamſi

verò

verò finitimæ gentes Gothis miſcerentur, aut huc immigrarent; tamen in eadem linguâ conveniebant. Qvod autem hodie non prorſus eandem, abſqve qvadam mixtura peregrinorum verborum, nec illibatam ſervamus, in cauſa eſt, qvod gentes vicinæ, cum qvibus hodie commercia colimus, ne qvidem ipſæ ſuam lingvam, noſtræ cognatam, in priſco & integro vigore retinent: unde vel nos de illorum lingva, vel illi de ſuâ noſtræ aliqvid qvotidianâ conſvetudine affricant. Ut de temporum decurſu, qvo lingvæ ſæpenumero mutantur, jam nihil dicam, mutatio qvædam earum etiam fieri ſolet ex amore novitatis, & qvod vetera ſint faſtidio; vel ex æmulatione & ſtudio varietatis ac elegantiæ; qvæ tamen nec domi & in priſcâ lingva deſit. Unde Ericus Upſal. lib. I. hiſt. Svec. pag. 11. de ſuâ gente: *Gens illa nunqvam contenta idiomate ſuo, ſemper in melius proficit vel pejus.* Johannes III. Rex Veciæ in Pactis Calmarienſibus anni M.DLXXXVII. Sigismundum filium ſuum, ſucceſſorem monuit, ut *inter alia operam daret, ne peregrinæ voces immiſcerentur Sveticæ lingvæ; Sed ut ea pura & incorrupta ſervaretur, qvalis ætate Guſtavi I. fuerat.* Eqvidem Rex pro ſuâ prudentiâ rectè intelligebat, ad dignitatem, æſtimationem ac nitorem lingvæ patriæ facere: ſi, ut domi bene nata eſt, ita propriis opibus & nativo cultu magis exornetur, qvàm adoptivo, alieno & transmarino fuco.

Sunt tamen, qvi verborum exoticorum cum delectu collectionem & uſum ad locupletandam & ulterius expoliendam lingvam patriam non parum conferre volunt. Mericus Caſaubonus in Diſſertatione ſuâ de Lingvis, Corollarii pag. 399. & ſeq. hanc inſtituit diſqviſitionem: *An illi de lingvâ patriâ bene mereantur, qvi verbis exoticis undiqve corraſis illam locupletare (ita enim obtendunt multi) ſatagunt. Paſſim enim occurrere doctorum qverelas; corrumpi lingvam hac loqvendi farragine, non ornari.* Ad iſtam diſqviſitionem reſpondet: *Collectionem & uſurpationem verborum exoticorum facere ad copiam verborum comparandam, & hanc ad eloqventiam; modò iſta copia ſit cum delectu verborum & cum hac conditione, ut, dum aliena qvis mutuatur, propria non negligat aut faſtidiat.*

Hoc qvidem ita fieri nonnunqvam neceſſe eſt, propter patrii ſermonis egeſtatem. Sed ſi lingva patria per ſe ſatis dives & copioſa ſit, velut eſt noſtra Gothica; qvid tunc opus eſt à peregrinis verba mutuari? Licet autem optandum eſſet, lingvam illam patriam, qvalis apud veteres fuit, in uſum reduci; tamen facilius obtineri poterit, ut in admiratione ſint priſcæ illæ & nervoſæ voces, qvàm in uſu apud populum, cui

Sermonis publica forma placet.

ſive

ſive in eo genuina & domeſtica,ſive qvædam adſcita & peregrina ſint; uſu tamen velut vernacula jam facta. Hinc conſvetudo *domina verborum* dicitur. In qvam ſententiam Comminianus apud Chariſium Soſipatrum: *Ridiculum,* inqvit, *eſt, legem adverſus conſvetudinem ferre, quæ ſola in noſtro ſermone dominatur.* Non qvidem ignoramus, etiam conſvetudinem ſæpius errare, & vitium ex pravâ imitatione trahere; ſed iſtam conſvetudinem ita exſtirpare, ut nihil planè de ſe relinqvat, in nullius facilè manu ac poteſtate erit. Malunt enim homines loqvi vel ſuæ ætatis & patriæ verbis, vel qvibusdam exoticis, ſed civitate jam donatis,qvàm obſoletis: qvæ, dum ignorantur, pro peregrinis aut novis habentur. Hinc non abs re de hujus rei remedio ferme deſperat Verelius in principio Notarum ſuarum ad hiſtoriam Gótrici & Rolvonis, ubi ait: *Miſerari libet fatum hodiernæ noſtræ lingvæ, ad tantas jam anguſtias redactæ, ut adſcitis licet Latinis & tot peregrinis vocibus aliis, vix commodè animi cogitata exprimere qveamus. Eò ſcilicet jam devenit nauſeantis animi faſtidium, ſua ſpernentis, admirantis aliena. Inſaniam verò iſtam corrigere cum nova ſit inſania, ad remedia fruſtra provocabimus. Quis enim veterem illam, utut elegantiſſimam & abſolutiſſimam lingvam, velut horridam, inſcitam & obſoletam, pro novis ſuis deliciis jam non aſpernatur?*

Qvicqvid ſit, non plane deſperandum eſſe crederem qvin obſoleta qvædam verba in uſum revocari poſſent, ſi illis, ut metallo vel monetæ, nuper non tractatæ, ſitus ac rubigo detergeretur, eorumqve uſus freqventior accederet. præſertim illorum, qvæ ſunt emphatica, & ſenſu ditia. Dictioni autem antiqvæ, populo adhuc ignotæ, ſimile verbum idemqve ſignificans ſed noti uſus, à conſpicuis & eruditis hominibus adjungi expediret, qvæ velut antiqvioris interpres eſſet; ita tamen, ut cum modo, in loco & tempore atqve ex decoro uſurparetur, donec crebro uſu atqve imitatione familiaris & qvotidiana fieret. Qvod in novis & peregrinis dictionibus fit, ut freqventi uſu tandem recipiantur & conſvetudine approbentur; qvidni potius idem in patriis & antiqvis vocibus? ut ſæpe tractando tritæ & uſitatæ fiant. Interdum etiam brevis formula priſco aut duriori, ut videtur, vocabulo addi poſſet, qvâ occurreretur reprehenſioni vulgi, e. g. *ut ita dicam* vel *ut majores noſtri loqvebantur*; aut ſimili (de qvibus bene dicendi auctores plura) donec majori conſvetudine molleſceret & acceptior fieret. Adhibenda inſuper hìc ratio eſſet tanqvam obruſſa, ut Cicero in Bruto loqvitur, qvæ pravam conſvetudinem ſermonis emendaret atqve expurgaret. Sed hoc meum duntaxat qvalecunqve conſilium eſt, non verò, ſi res deſperata credatur, remedium, nec Prætoris edictum.

I 3 *CAP.*

CAP. XIV.

De priſcâ Gothorum Literaturâ vel RUNIS, & cauſis antiqvationis earum.

De Runarum origine. Num Ulfilas primus inventor literarum Gothicarum fuerit. De Verſione qvatuor Evangeliorum, qvæ eum auctorem habet, qvâ lingvâ ſcripta ſit. De Runarum appellatione. De Adelrunis, Alrunis & Alyrunis. Unde mandragoræ Alrunæ nomen ſit. De ſcriptionibus Runicis, eorum vero uſu & tandem abuſu. Keronis Gloſſæ emendantur & explicantur. De lycanthropiâ qvid ſtatuendum. Qvando & qvare Runæ abrogatæ ſint.

LIngvam veterem Gothicam excipiunt Literæ Gothicæ. Literas Gothi antiqvas & proprias habuere, qvas ſuâ lingvâ RUNAS appellabant. Qvo verò tempore primùm ortæ ſint incertum eſt. Qvidam Odino, alii Fimbulo auctori tribuunt, uti videre eſt apud Wormium Literaturæ Runicæ cap. X. Alii aliis attribuunt. Rectius Arngrimus Jonæ Islandiæ c. III. *Veteres* (inqvit) *literæ Gothicæ qvando primùm in uſu eſſe cæperint, non ſatis conſtat.* Sunt qvi ab Ulfila (al. Gulfila, al. Wulfila) Gothorum in Mæſiâ Epiſcopo A. C. CCCLXXX. ut alii volunt CCCLXX. alii CCCCXV. inventas eſſe credunt. Iſidorus in Chronico Gothorum: *Tunc Gulfilas, eorum Epiſcopus, Gothicas literas adinvenit, & ſcripturas ſacras in eandem lingvam convertit.* Idem Jornandes p. m. 107. adſerit. Cæterum eas literas peculiaribus qvibusdam figuris, à ſe forſan inventis, vel aliunde acceptis priores & antea uſitatas adauxiſſe Ulfilam & verſione Sacræ Scripturæ primum exteris, hujus rei antea imperitis, notas feciſſe, atqve inde nomen inventoris accepiſſe, ſententia eſt Wormii cap. IV. & XX. Literaturæ Runicæ, & Voſſii lib. I. artis Grammaticæ cap. IX. & Vulcanii in libello de literis & lingvâ Gothicâ. Sed Ulfilam primum inventorem literarum Gothicarum (qvales noſtræ Runicæ ſunt) facere non poſſumus. Si enim, vel qvoad characterum formam, vel qvoad ipſum idioma & genium lingvæ, conferas Ulfilæ literas cum veteribus Runis; in paucis cum hiſce, in pluribus cum Latinis & Græcis, qvoad characteres, convenire videbis. Qvoad idioma verò, Ulfilæ verſio mixta eſt ex veteri Gothicâ & Teutonicâ lingvâ. Vel ſi purè Gothicam Ulfilæ verſionem cum Franciſco Junio dicere velis, præſupponendum eſt, hujusmodi lingvam Gothicam, ætate Ulfilæ fuiſſe:

fuiſſe: qvalem Walafridus Strabo olim fuiſſe, in cap. VII. de reb. Eccleſ. notat. Locum Walafridi ſup. lib.I.cap.I. adduxi.

Qvod ad appellationem RUNARUM attinet, Olaus Wormius Literaturæ Runicæ cap.I. eas à *Ryn* appellatas eſſe exiſtimat: qvæ vox Scandica *ſulcum terræ* aratro ductum ſignat: qvod inſtar ſulcorum in ſcriptis Runicæ literæ ducerentur. Hoc firmatum it tranſlatis hinc Latinorum vocibus *Exarare* & *Verſus*, qvibus addi qveat illud Titinii apud Chariſium: *Velim ego oſſe arare campum cereum*, i. e. oſſeo ſtylo ſcribere in tabulis cereis, ut qvondam moris erat. Spelmannus in Gloſſario ſuo vocem *Runa* à Gotho-Teutonico *Rune*, qvod *myſterium* & *rem occultam* ſignificat, derivat; idqve pluribus exemplis ex verſione Bibliorum Anglicâ, Beda & aliis probat. Idem patet ex Ulfilâ, Marci 4,11. Luc.8,10. & aliis locis. Qvin Teutonibus adhuc uſitatum eſt *runen* pro *immurmurare*, & Helvetii *creare aliqvem occultis ſuffragiis*, *mit der run* dicunt, ut Simlerus notat in lib. II. de Repub. Helvetiorum p. m. 172. Hujus *Runarum* appellationis hæc ratio redditur: qvod illis *myſteria artium* à priſcis tradita eſſent; aut qvod in *ſuſurris & incantationibus magicis*, iis *occultè* uterentur. Joh. Bureus in ſuis Obſervationibus MSS. in verbo *Runen* ita: *Hodie apud nos virgines in vigilia S. Andreæ neſcio qvibus incantamentis amaſios provocantes, dicuntur* RUNEN, nimirum qvod id clam, ſubmurmuratione qvadam fit. Cæterum hæ originationes à ſimilitudine vel uſu rei poſterius acceſſiſſe, Joh. Bureo atqve Stiernhielmio videbantur; prior & potior denominatio *Runæ* illis exiſtimabatur à verbo *rôna*, i.e. *ratiocinari, diſcere, vel experiri*. Qvam originationem præter alia dictio Norvegica *Norræna* confirmat, qvæ *lingvam* vel *literas Norvegicas* ſignificat, teſte Arngrimo Jonæ Islandiæ cap.III. p. m.321.

Qvæ autem Literæ ſcriptioni & propagationi rerum memoriâ dignarum & artium olim inſerviebant, eæ tandem in fœdum incantationis & ſuperſtitionis abuſum, ſub falſa imagine ſcientiæ & myſteriorum, detortæ, carminibus magicis inſervierunt, in evocandis defunctorum manibus, in imprecationibus, in pugilum armis hebetandis, & aliis hujusmodi. Hinc *Runekarlar*, *Adulruner*, vel *Alyrunæ* apud Jornandem p.m. 103. i. e. *viri aut fœminæ præcipuæ cujusdam experientiæ & rerum variarum ſcientiâ* ſalutabantur; qvum tamen reapſe *magi ac ſagæ* eſſent. Hinc etiam *mandragoræ radicibus* vulgò *Alrunæ* nomen inditum eſt: qvod præſtantis uſus in arte magicâ ſuperſtitioſis eſſe viderentur. Ab iisdem *Runis* ſcipiones *Runici* nomen ſuum habuerunt: qvod Runicis characteribus in illis Faſti breviter & concinnè annotarentur; ut adhuc videre eſt apud agricolas: qvi ſigna

illorum

illorum non modò ſcipionibus artificioſè inſculpere ſciunt, ſed etiam tam exactè, qvàm digitos ſuos norunt. Progreſſu temporis, ut alia utilia, ſic ſcipiones iſti etiam in abuſum degenerarunt. Iſtud colligere eſt ex Gloſſis Keronis, qvæ exſtant in Antiqvitatibus Alemannicis, à Goldaſto editis, ubi *Runſtabe* (ita editum eſt) vertitur aut exponitur per *Euglogias*. Iſtic emendandū eſſe *Eulogias* facilè patet: qvæ vox Græca *benedictiones* ſignificat. Dum enim priſci incantatores vel ſagæ ſcipionibus Runicis, vel aliis ad id confectis, & ſingulari characterū Runicorum genere ſignatis inſtrumentis circulos deſcribebant, aut magicis carminibus, in morbis aliisve incommodis, ut fingebant, expellendis utebantur, iisdem ſe *benedicere* vulgo perſvadebant: inde etiam *Signarer* vel *Signarskor* magi vel ſagæ *à benedicendo* appellabantur. Præter alias præſtigiarum & maleficarum artium molitiones, illis forſan abuſi qvoqve ſunt in transmutandis, uti profitebantur, hominibus in lupos aut alia animalia: qvando eos hujusmodi baculo, tanqvam virgâ Circæâ tangentes, aut aliis diabolicis artibus utentes, alias atqve alias formas induere, & rurſus, qvando luberet, exuere ſe poſſe ſibi perſvadebant. Velut ex fide dignis viris accepi, qvidam malefici & maleficæ jactarunt, ſe non ſolùm unum aut paucos homines, ſed totum cœtum virorum aut fœminarum, ſponſum aut ſponſam ruri in ædem ſacram comitantium, in lupos aut lupas, in ſilvam aufugientes, immutaſſe, & ex lupis, qvando vellent, rurſus in homines transformaſſe; idqve magiæ vel ipſius dæmonis arte. Unde pythoniſſa qvædam à Germanis *Runzabel* dicta eſt, qvod diabolum (qvem *Zabel*, voce ex *diabolò* detorta, appellabant) auctorem in his & aliis haberet. Illud tamen diabolo impoſſibile eſt, ut transformet homines. Unde magi Ægyptii, qvum non poſſent in conſpectu Pharaonis producere pediculos, qvomodo Moſes, *id digitum* DEI eſſe vel inviti fatebantur *Exodi 8.v.19.* & diabolus ipſe Dei opus eſſe fatetur, transmutare res ſpecie & ſubſtantiâ diverſas *Matth.cap.4.v.3.* Itaqve miramur, qvosdam Chriſtianorum adhuc credere, hominem vi magica poſſe

Lupum fieri, & ſe condere ſilvis;

qvum non niſi phantaſtica ſit dæmonis illuſio & præſtigiæ; de qvibus plura Wierus de præſtig. dæmon. lib. III. cap. X. & Voſſius de orig. & progreſſ. idololatr. lib. III. cap. XLI. Solius Gerhardi obſervationem & judicium hac de re inſigne ex Loco Theol. de Morte §.158. hîc apponam: *Hæc omnia,* inqvit, *ſunt meræ dæmonis præſtigiæ, qvibus ſenſus humanos ludificatur. Cum enim homo ſpecie differat à brutis, ideò realis transmutatio hominum in lupos vel alias beſtias vi dæmonis aut artibus magicis, multò minus vi naturæ fieri neqvit.*

Produ-

Producere enim ſubſtantiam completam ex eo, qvod nullam ad rem producendam naturalem δύναμιν *obtinet, nec naturæ eſt, nec virtutis finitæ, ſed infinitæ, ac proinde ſolius DEI.* Secus autem velle credere, in Concilio Ancyrano, anno CCCIII. damnatum eſt his verbis: *Qvisqvis credit, poſſe fieri aliqvam creaturam, aut in melius deteriusve immutari, aut in aliam ſpeciem transformari, qvam ab ipſo omnium creatore, pagano & infideli deterior eſt.*

Tandem res eò devenit, ut Runæ Gothicæ, uſui publico ac literario natæ, ſed idololatriæ ac ſuperſtitioni deinceps adhibitæ, propter tam fœdum abuſum obliterarentur. Nonnulli ſuſpicantur, Runicis literis olim plurima de priſcorum ſuperſtitioſa religione exſtitiſſe ſcripta, eamqve penitus exſtirpari non potuiſſe, niſi omnes libri de eâ compoſiti penitus abolerentur; veluti A. Bureus in Deſcriptione Speciæ & alii nonnulli obſervant. Illud factum eſſe ab Olao Skötkonung in gratiam Pontificis Silveſtri II. & Sigfridi Epiſcopi Britanni, in Sveciam, ad docendam Chriſtianam religionem, evocati, qvidam auctor Chronici Svetici MS. & Petrus Petræus in ſuo Sveciæ Chronico pag. 59. ſcribunt. Accedit, qvod non longo temporis intervallo literæ Runicæ vel ſcripta Runica, aliàs Toletana, ab urbe Hiſpaniæ Toleto, ubi Gothi tunc conſidebant, ita dicta, in Concilio Toletano, ob eandem, ut ſuſpicari licet, cauſam abolita ſunt, uti Wormius notat. Sed nonne potuiſſent ipſam idololatriam paulatim ex animis hominum, veram religionem inſtillando, exſtirpare potius, qvàm omnes libros Runicos abolere? Ut enim nihil de ſcriptis Runicis idololatricis luce indignis, jam dicam, ecqvis dubitet, qvin multa egregiè ſcripta, veterum Carmina, Hiſtoriæ, Artium præcepta, & alia monumenta, ad poſteritatem transmitti digna, hoc modo perierint.

CAP. XV.

De priſcorum ſeculorum & noſtri ævi ſtudiis in Sveciæ regno.

De causâ neglecti iterumqve inſtaurati ſtudiorum cultus apud veteres Gothos. Amalaſventhæ judicium de ſtudiis. De priſcorum ſapientiæ diſciplinâ. De eorum SCALDIS vel Poëtis; qvanti eos fecerint Reges. Certamen facundiæ, apophthegmata, proverbia & ænigmata eorum. Qvinam principum virorum doctrinæ & eloqventiæ ſtudiis præſtiterint. De Bibliothecis vett. Bodini calumnia, laudi Sveonum adverſa, diluitur. De noſtræ ætatis ſtudiorum in hoc regno incrementis.

POſt veterum Literaturam, agemus de bonarum artium cultu. Erunt fortaſſe, qvi exiſtimabunt, priſcos Gothos nulla humaniora ſtudia vel ſciviſſe vel coluiſſe; ſed pro libris arcus & arma tractaſſe. Atqve ſi ita exiſtimarent, nihil mirum foret: eorum omnis ætas ferme militia fuerit, qvæ ſpatium exercendi ſtudia liberalia non facile permittebat. Hinc ille armorum horror, qvibus vaſtitatem humanioribus literis apud exteros qvondam intulerunt. Hinc etiam illud, qvod Amalaſuenthæ Gothorum extra patriam Reginæ filium diſciplinâ literarum imbui prohibuerunt: ne maſculi & militares ſpiritus umbraticis, ut opinabantur, mollibusqve ſtudiis debilitarentur. Scilicet qvi in armis toti erant & nihil ferme aliud qvàm crudum bellum ſpirabant, haud facilè benigniorem de literis ſenſum habere poterant. Amalaſuentha verò, etſi fœmina, melior tamen ſtudiorum æſtimatrix, longè rectius iſtius temporis viris, de eruditionis dignitate atqve uſu judicabat, ut eſt apud Caſſiodorum & Procopium: nempe *qvod eruditio inſitam ingenii vim roboraret. ibi prudentem invenire, unde prudentior; bellatorem, unde animi virtute confirmatior evaderet: inde Principem accipere populos regendi artem; nec tantam in orbe terrarum dari fortunam, cui literarum ſtudia non eſſent ornamento ac præſidio.*

Veruntamen priſcos Gothos non omni ætate liberalium artium rudes & expertes fuiſſe, ſed qvoties à militia dabatur aliqvod otium, eas non incurioſè nec infeliciter tractaſſe, qvum ingeniis ac induſtriâ valerent, vel illud teſtimonio ſit, qvod æqvis legibus rempub. ornavere; qvæ ſine diſciplinâ non commodè parantur; qvod naturæ ſinum excuſſerunt, & naturalium rerum ſiderumqve notitiam & uſum calluerunt: cujus rei veſtigia, præter alia monumenta, adhuc in Runicis Scipionibus (de qvibus in præced. cap.) ſcitè expreſſa apparent. De eorum reliqvæ phiſophiæ ſtudio Mariana lib. V. ver. Hiſpanic. cap. 1. *Dion Græcus hiſtoricus Gothos præ cæteris barbaris ſapientiam dilexiſſe ait. Ita nobiles philoſophi in ea natione vixiſſe numerantur, inprimis Zeuta, Diceneus & Zamolxis.* Ita Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ſuo: *Gothi viribus vigentes, ingenio callentes, philoſophiæ qvoqve diſciplinis eruditi, nativam barbariem exuentes, humanitate & honeſtate aliis barbaricis gentibus præeminuerunt.* Atqve hoc in gentiliſmo eorum. Sed Chriſtianis factis, rerum divinarum humanarumqve cultus acceſſit locupletior.

Habuere priſci Reges, præter Philoſophos, etiam ſuos SCALDOS vel Poëtas, qvi *carminibus majorum geſta celebrabant*, teſte Tacito. Dictos eos volunt à *ſkall* ſono in decantando Carmina ſua, vel ut vult Wormius, à *skiellda*, i. e. *Poëticè aliqvid deſcribere.* Iſti Scaldi ex præcipuo gentis ſuæ ſan-

ſangvine, Regibus aliqvando à conſiliis erant; ſveti etiam Reges in militiam ſeqvi: ut eorum facta coram ipſi ſuis oculis intueri, nec aliorum fide arbitrari neceſſe haberent; eoqve modo melius & verius poſteritati tradere poſſent. Qvæ autem in eorum carminibus involucro tecta reperiuntur, ea auctorum ingenium ſapiunt, qvi veritatis lumen ſub umbra dictionis aut acuti commenti ex arte condebant, ut auditoribus vel lectoribus gratiora facerent, atqve ſi ab ipſis reqvireretur, clarius explicarent. Non ſolùm autem Carmina ſua componere ſatis habebant, ſed etiam foris in caſtris, aut domi in conviviis eadem decantabant; ad excitandum audientium animos ad parem virtutis, cum rerum geſtarum auctoribus, qvos celebrabant, laudem & gloriam qværendam. Vid. inf. h. lib. cap. XXI. circa finem. De Tormodo Scaldo Snorro in Vita S. Olai pag. CCXCIX. refert, qvod, juſſus à Rege, Carmen à ſe compoſitum, in caſtris canere, tam ſonorâ & elatâ voce illud decantarit, ut totus exercitus audiret. Hinc Regibus maximè in deliciis erant, & in aulis eorum liberaliter habebantur. Biórno Rex Sveciæ qvendam Bragum, capitis damnatum, vitâ donaſſe fertur ob rhythmicum Encomium, Regis honori ſcriptum, ut notat Wormius in Append. Literaturæ Runicæ pag. 181.

Gaudet enim virtus teſtes ſibi jungere Muſas;
Carmen amat, qvisqvis carmine digna gerit.

Qvin ipſos Reges & Magnates non puduit ad hoc honeſtæ recreationis diverticulum aliqvando deſcendere; ut patet ex eorum Verſibus tam editis, qvam ineditis.

Studium autem Eloqventiæ, qvæ in Repub. potiſſimum dominatur, lingvâ patriâ cultæ, tanti fecerunt antiqvi, ut rem obviam, aut exercitatione dignam, per figuras, ænigmata, apologos & proverbia circumloqvendi aut exornandi, etiam præmio victoriæ poſito, non ſolùm minorum gentium viri, ſed ipſi qvoqve viri principes certamen inirent. Cujus rei pulchrum nobis ſervavit exemplum Saxo de certamine facundiæ Erici cognomine Diſerti, Sveonum Regis, cum Gothero Norvegorum Rege. Ut nunc ſileam Emundi, Weſtrogothorum olim Judicis provincialis, ſolertes apologos ad Regem Sveciæ Olaum Skótkonung, qvos in hujus vitâ prolixius expoſui; duo tantùm intra, & duo extra patriam Regum brevia, ſed acutè dicta, & Snionis ænigmata ſubjungam. Rex Gothorum intra patriam Góthricus, qvum ad ſecundas nuptias tranſiturus, in Norvegiam proficiſceretur, & ambiret Ingeburgæ, Thoronis Herſeri divitis & magnæ exiſtimationis viri, in Sogni habitantis, filiæ virginisqve egregiæ nuptias; æmulo &

 com-

competitore Olao, extero qvodam rege & ſpem iſtarum nuptiarum, qvippe juvenis erat, habente; tamen Gôtricus ſenex à virgine electus eiqve prælatus eſt. Ille verò hoc ægrè tulit, ultionem Gôtrico minatus. At Gôtricus hoc ei apophthegma repoſuit: *Non eſt par portandæ menſæ, qvi eam ne qvidem attollere poteſt.* Hoc arguto reſponſo Gôtricus, ut vir cordatus, illius hominis, qvi plus ore qvàm opere poſſet, minas eludere, parumqve ſe curare, oſtendit. Gôtrici filius Rolvo patris in Gothia, & ſoceri in Svecia ſucceſſor, dum petitum venit nuptias Torborgæ virginis, Erici Regis Sveciæ filiæ, ſed Rex eum alio ſermone parum grato moratur, juvenis animoſus & moræ impatiens, ſtatim ipſum negotium, cujus cauſa acceſſerat, profert, illo adagio præmiſſo: *Improbum negotium exſpectat veſperam*, h. e. dilationem temporis aut tenebras improba res qværit: dum auctor eam non ſtatim & palam expromere audet. Sed honeſtum negotium & bene præmeditatum, non patitur cunctationem, nec fugit lucem. Alaricus, Rex Gothorum extra patriam, obſidione Romam cinxerat: qvæ multitudine civium & militum freta, ad eum legatos de paciſcendâ deditione doloſè miſerat, obſeſſis nihilominus ad defenſionem urbis & pugnam promtis ac paratis. Ille verò animosè reſpondit Legatis: *Etiamſi populoſa ſit civitas, nihilominus adoriar deditionem ſimulantes*, acuto addito dicto: *Spiſſius enim fœnum rariore facilius reſecatur*, ut eſt in Zoſimi hiſtoriæ lib. V. Theoderici Gothorum Regis adagium in Excerptis ignoti auctoris ab Henrico Valeſio editis exſtat tale: *Aurum & dæmonem qvi habet, neutrum occultare poteſt.* In ænigmaticè qvid exprimendo veteres etiam ingenioſi fuerunt. Verelius in fine Notarum ad cap. XII. Hiſt. Gôtrici & Rolv. *Parabolis & ænigmatibus res ſerias exprimere, majoribus noſtris uſitatiſſimum fuit: ingenii ſciti & expromti judicatum, talibus adpoſitè uti.* De Snione qvodam circumfertur ænigmatica narratio in veteri Sveciæ Choronico cap. 29. 30. 31. qvod è Daniâ redux in Sveciam, ab Attilo Rege interrogatus, qvid novi in Daniâ eſſet, reſponderit: *Apes ibi circumvolitant & errant abſqve duce;* innuens, Regem Daniæ obiiſſe. Denuò interrogatus, ubi prima nocte divertiſſet, reſpondit: *Ubi oves lupum devorabant.* Ruſtici nimirum eo loco lupum interfecerant, ejusqve carnem exſiccatam & contuſam immiſcuerant hordeo, & ovibus infirmis pro medicamento præbuerant. Interrogatus, ubi per alteram noctem hoſpitium ſuum habuiſſet, reſpondiſſe fertur: *Ubi lupi devorabant plauſtrum vel rhedam, & bigæ aufugiebant in ſilvam.* Caſtores nimirum unum ex ſuis, ut ſolent, exciſæ trabi, loco rhedæ, ſubmiſerant. ad conſpectum advenientium luporum trahentes rhedam fugâ ſaluti ſuæ con-

ſulue-

fuluerunt, & caſtorem ſub trabe reliqverunt, qvi lupo cibus fuit. Deniqve rogatus, qvo hoſpitio tertiâ nocte uſus fuiſſet, reſpondit: *Ubi mures devorabant ſecurim, intacto manubrio.* Pueri ludentes fruſtum recentis caſei ſecuris inſtar efformarant, eiqve feſtucam manubrii loco infixerant. Veſperi cubitum euntes, in menſâ reliqverant iſtam ſecuriculam, qvam mures devorarant, ſalvo manubrio. Ex his & aliis hujusmodi ſive veris, ſive ad veterum mentem effictis liqvet, priſcos Gothos non ſolùm armis, ſed etiam ingeniis valuiſſe.

Ex priſcâ memoriâ Suercherus Rex, Vigerus Spaa, Birgerus Iarl, Torchillus Canuti, Matthias Ketelmundi, Canutus Folchungus, & Carolus in Toffta, Nicolai in Toffta, qvi Erici Balbi Regis ſororem in matrimonio habuit, pronepos, & Magnus Ladulås Rex, civilis prudentiæ & eloqventiæ laude celebrantur. Carolus Canuti Rex etiam egregius Mathematicus fuit, ut jam de recentioris ævi Principibus & Magnatibus ſuo loco memorandis nihil addam.

Inſignis illa Bibliotheca in urbe Gothlandiæ Wisby qvondam adſervata, qvæ duo millia Codicum MSS. vetuſtiſſimorum, præter ingentem aliorum copiam, continuit; ſi Vaſtovio in Vite Aqvilonari credimus; qvid aliud qvam ſingularis eruditionis qvoddam armamentarium fuit? qvale nunc eſt Regia Bibliotheca, & poſt eam Academicæ Bibliothecæ, in qvibus non exigua pars etiam Regum & Procerum liberalitatis eſt; ut jam alias publicas aut privatas illuſtriſſimorum, generoſorum & eruditionis laude conſpicuorum virorum Bibliothecas taceam.

Hodiè verò Chriſtianæ religionis, ingenuarum artium ac humanitatis ſtudia, divinâ benignitate, regiâ munificentiâ & clementiâ, procerum favore & curâ, docentium ac diſcentium induſtriâ & ardore, ita magis ac magis effloreſcunt, ut bonas literas & diſciplinas, alibi belli turbis expulſas, huc immigraſſe etiam exteri fateantur. Mirari certè lubet illas temporum ac literarum vices: qvorum majores olim Muſarum hoſpitiis in Italia aliisqve locis per arma vaſtitatem fecerant, horum poſteri nunc easdem lubentes volentesqve recipiunt & beneficè fovent. Qvod nec Bodinus ſilentio præterire potuit, dum cap. XII. method. Hiſt. ſic deprædicat: *Ad noſtra tempora relabor, qvibus poſtqvam literæ toto penè terrarum orbe conqvierant, tantus ſubitò omnium ſcientiarum ſplendor affulſit, tanta fertilitas exſtitit ingeniorum, ut nullis unqvam ætatibus major. Ac ne Gothis qvidem ipſis lectiſſima nuper defuerunt ingenia. Teſtis eſt Olaus Magnus, teſtis Holſterus, teſtes alii plerique; qvaſi decreviſſet natura, ſcientiarum vulnera nunc ab iis ipſis,*

à qvibus olim erant illata, ſanari. Cum enim ſuperiori adhuc ætate morem majorum retinerent, ac literatos homines voce præconis de ſenatu exire juberent (ſic enim illorum hiſtoriâ teſtatum habemus) nunc undiqve literas accire conſveverunt. Hæc eſt illa rerum omnium tam certa converſio, ut dubitare nemo debeat, qvin idem in hominum ingeniis, qvod in agris eveniat, qvi majori ubertate gratiam qvietis referre ſolent. Qvod autem Bodinus laudi Svecicorum ingeniorum & æſtimationis bonarum literarum hoc ſubjungit, qvod olim literati ſenatu exeſſe juſſi ſint, vel calumniam, vel memoriæ lapſum eſſe credo. Qvomodo enim literatos absqve ſuâ culpâ, ideò qvod literati eſſent, excluderent? qvos literarum ſtudiis ideò excoli curarant, ut iis pro ſuâ parte publicæ rei prodeſſent. Qvin hodie nemini aditus ad honoratius aliqvod munus patet, niſi vel rerum uſu, vel armorum peritiâ, vel doctrinæ ſtudiis ei ſe aptum oſtenderit.

CAP. XVI.

De Commerciis & navigatione veterum Sveonum, & modis contrahendi priſcis & nunc uſitatis.

In qvanta æſtimatione priſcis mercatores diligentes, & qvàm viles illis navigationis negligentes ac domi deſides fuerint. Ex occaſione qvædam proverbia Svetica explicantur. Regia privilegia qvo fine emporiis data ſint. De priſco contrahendi ritu per permutationem, & dextræ dationem. Contractibus etiam adhibitos fuiſſe proxenetas & teſtes, & ante adjectionem. De arrhæ uſu unde illa DEI nummus dicatur. De tempore probationis vel experimenti rei venditæ. De formulis priſcis & ſymbolis traditionis per feſtucam, tactum baculi, pulveris è ſinu in ſinum excuſſione & immiſſione. Hodie uſitati contrahendi ritus breviter tanguntur, ut ſatis noti. De nundinarum apto tempore, locis, publicatione & uſu. De Collegio Commerciorum.

QVanqvam iis artibus, qvæ mente & ſtudiis peraguntur, præcipuè regitur & ornatur reſpublica; tamen illis qvæ opere & manu, ipſisqve contractibus perficiuntur, etiam fovetur ac ditatur. Veteribus autem, uſu ac neceſſitate ſic exigente, ſuam fuiſſe commercandi conſvetudinem, præter leges de hac latas, non ſolùm res ipſa loqvitur, ſed etiam tot Sveonum & Gothorum urbes, qvæ à *mercatu* nomen ſuum habent, idem abundè teſtantur. Olim tamen negociationes indigenis ac domeſticis mercibus potiſſimum exercitæ ſunt: paucis enim exterorum

terorum rebus opus erat, qvod pleraqve vitæ neceſſaria domi ſatis ſuppetebant, qvibus etiam contenti erant. Unde non in terras remotiores & ultimas, ut hodie fit, creſcentibus commerciis ac ſocietatibus gentium, & ubi plura ad uſum ac voluptatem appetuntur; ſed in vicinas ac circumjacentes oras enavigarunt, velut ex antiqvis Sveciæ annalibus liqvet. Et tamen commercandi navigandiqve ad vicinos atqve exteros uſum tanti fecerunt, ut, ſi qvis mercatorum domi hærens, parietum umbris occultaretur, & excurrere foris commerciorum cauſa negligeret, per contemtum, velut pigrum ac inutile animal, *in cineribus deſidere* veteribus eleganter diceretur, ut ex Legibus Weſtrogothic. *cap.1.§.8. de Hæreditate* conſtat. Hinc etiam Sveonum proverbium de ignavis & reſidibus natum eſt: *Liggia heem wvid arnen*, i.e. *domi recubare ad focum.* Æſtimare nimirum ſaniores ſciebant commoda negociationum & navigationis; qvæ qvanqvam ſuis difficultatibus non caret, fructu tamen ſuo abundè penſatur. Qvem intuentes veteres, etiam pupillorum nummos, qvorum alioqvi provida ſolet eſſe cura, trans mare lucri cauſa trajicere non verebantur: uti ex jure Sveonum patet. Illum ergo fructum qvicunqve metu periculorum & adverſorum inſuper haberent, eos pro timidis, ignavis, glebæ ſuæ ſolùm, aut foco paterno, aut tabernæ domeſticæ adfixis, & fortunæ melioris incurioſis antiqvi habebant. Et pro talibus adhuc habendi ſunt, qvibus occaſio & facultas hujusmodi commodis utendi & fruendi præſto eſt, eamqve per deſidiam è manibus dimittunt.

A ſuperiorum ætatum Regibus ac Principibus pulchræ atqve utiles Conſtitutiones & Privilegia Civitatibus præſertim maritimis ac emporiis data, & à noſtræ memoriæ Regibus inſtaurata, aucta & confirmata eo qvoqve fine ſunt: ut non modò pro normâ commerciorum, ſed etiam incitamento ſint ad negociationem & mercaturam, in regni & civium commodum, magis & magis urgendam ac promovendam.

Olim autem freqventius, qvàm hodie, ſed & ſimplicius ac naturæ convenientius, permutatione mercium uſi ſunt Sveo-Gothi. Sed qvum res permutandas non ſemper inter ſe æqvales eſſe deprehenderent, nummus inventus eſt, qvo pretium rei ex æqvo reſpondens conſtitueretur. Qvum candor adhuc ſui ſimilis, ſuſpicione fraudis careret, veteres pacta & contractus ſola *dextra datione* firmabant. Hujus rei ritus inde *Handſal, Hanttag, Handslag* dicebatur & *Handſol* i. e. *pretium, poſt manuum complexum, ſtatim ſolutum, & ipſa manu traditum ab emtore venditori.* Manuum verò conjunctionis non alius ſcopus erat, qvàm ut animi & verborum, fidei & manus

manus unus eſſet ſenſus atqve conſenſus; & qvod dextrâ datâ pactum & conventum erat, hoc tam ratum eſſet, atqve ſi aliqvot ſyngraphis confirmatum eſſet. Unde in cap. XV. Legum Svec. provinc. de Furto dicitur: *Dextris invicem datis, & re æſtimata, legitimè contracta eſt emptio.* Qvamvis autem ſola manuum conjunctio, absqve conventione mutuâ, non ſit de ſubſtantia contractus; tamen majores hoc externo ſigno oſtendere voluerunt, ipſos deliberato animo contraxiſſe; & fidem dextræ datione firmatam fallere nolle. Si verò qvis poſtea frangeret fidem ita pactam, is perjurus judicabatur. Hinc ortum eſt proverbium: *Manus manum ſeqvetur, vel os perjurii convincetur.* Progreſſu temporis, præter illum ritum, veteres in majoris momenti contractu etiam *proxenetas & teſtes* adhibebant; illos, ut rem ex æqvo & bono æſtimarent, atqve de evictione ſatisdarent, hos, ut ſuâ adſertione rem legitimè peractam probarent. Utili ſanè inſtituto, ut ita contractus & obligationes conſciorum verecundiâ magis inviolatæ ſervarentur; & minor occaſio fraudis, injuriæ vel eluſionis daretur. Arrham inſuper in rei documentum adjiciebant, qvam *Dei nummum* vocabant: vel qvod iſta pecunia ad pium uſum & pauperibus ut donum deſtinaretur: vel ut eſſet ſignum pacti, Deo, judice ſupremo, facti, eòqve religiosè ſervandi vel qvod in res divinas & ſacras erogaretur. Sicut apud Romanos pecunia à litigantibus, inanis litis motæ causâ ſoluta, *ſacramentum* vocabatur: qvod olim rebus *divinis* aut *ſacris* impenderetur, ut notat Feſtus in v. *Sacramentum.*

Inter priſcorum ritus in contractu emtionis obſervatos, qvondam etiam fuit *probationis* vel *experimenti tempus* Sveticè *Freſtmark*, tridui vel plurium dierum. Si intra illud tempus, rei emtæ vitium non deprehenderetur, præſertim in eqvo, jumento aut pecore vendito, contractus ſtabat; ſi deprehenderetur, contractus reſcindebatur: qvod etiam legibus cautum erat (Vid. Synops. Jur. Diſſ. XV. th. 13.) Sed in Jure Upland. *cap. V. §. 5. de emt. vend.* conſtitutum erat, ut in re qvacunqve publicè in foro venditâ non eſſet locus dicti temporis experimento; haud dubiè ideò, qvod in publico & pluribus præſentibus, vitia rei vendendæ curioſis conſpectiora eſſe poſſent.

Emtionem autem vel permutationem, præviis ſolennibus lege reqviſitis, excipiebat traditio rei mobilis de manu in manum, aut translatio rei immobilis ejusve poſſeſſionis per feſtucam, aut tactum baculorum à XII. firmatoribus factum, aut pulveris partisve de terrâ venditâ è ſinu venditoris in ſinum emtoris excuſſionem. Unde iſtæ translationis formulæ natæ ſunt:

ſunt: *Emere, vendere, aut permutare cum parte terræ, cum feſtuca vel tactu baculi;* & aliæ hujusmodi. Item, vox Latino-barbara *Scotatio* & *Scotare*, à Scandico *Skøt* i. e. *ſinu* vel *gremio*, & *hemula*, ab *hem* fundo & *mulla* pulvere in gremium emtoris per venditorem excuſſo: qvæ erant ſymbola vel ſigna traditionis, qvibus jus transferendi dominii in rebus venditis ſignificabatur. Ex iſto veteri more adhuc ſupereſt formula, inſtrumento venditionis agrorum aut fundorum hodie inſeri ſveta: *cum feſtuca & gremio vendere*: Confer Stiernhöök lib. II. de Jure Sveon. & Goth. vet. cap. V.

Hodie verorum contractuum ritus noti ſunt, nimirum per teſtes, ſyngrapham, arrham, denunciationem publicam, literas confirmationis, & alia hujusmodi (de qvibus in Synopſi juris fusè) fieri ſoliti.

Nundinæ regni majores & anniverſariæ in opportunum plerumqve tempus collocatæ ſunt: qvo vendentibus & ementibus facilis ad ſe invicem patet excurſus. Eædem in foro publico & prope illud, ut in ordinario vendendi emendiqve loco, inſtitui ſolent. Ut autem juſtè & ex fide exerceantur, formulâ publicationis earum præmiſsâ, advenæ à præfecto arcis admoneri ſolent legitimæ venditionis, & ne utantur falſo pondere, menſurâ & ulnis, ſub mulctâ XL. marcarum & mercium luitione.

Ut autem ſocietates commerciorum & majores negociationes inter indigenas & extraneos legitimè inſtituantur, & litibus inter eos exortis, jure expediantur & decidantur, ſuâ curâ providet Curia, & ab eâ per appellationem, Collegium Commerciorum, ex uſu publico & ſingulorum, qvorum intereſt, conſtitutum.

CAP. XVII.

De regni Sveo-Gothici Fodinis metallicis.

De fodinarum metallicarum antiqvitate. Cur in primâ conditi regni ætate tam otioſæ jacuerint. De metallorum inexhauſta ubertate, & indiciis. De argenti venis nuper in Lapponiâ repertis. De metallorum cultu & fructu, privilegiis & ſtatutis. De Collegio Montanorum. De privilegiis nova metalla invenientium.

QVum in metallis eruendis & divendendis, præcipuum hîc momentum commerciorum ſit, proximo loco accedimus ad argenti, æris vel cupri, ferri cæterorumqve metallorum receptacula; qvæ non abs re *ſubterraneum regni ærarium* dixeris; cujus theſauros Deus huic regno largâ manu conceſſit.

Incertum verò eſt, qvando hîc primum erui cæperint. vetuſtas tamen cæptæ effoſſionis qvodammodo colligi poteſt ex Reſcripto MS. Magni Ladulis, Regis Sveciæ, Montanis anno M CCLIV. (ut eſt in Reſcripto) dato. Sed error eſſe videtur in numero ſic emendando: M CCLXIV; qvippe annales volunt, Magnum anno M CCLXII. primò ad imperium veniſſe. Dicti Reſcripti pars, Latinè verſa, ſic habet: *Eò qvod veſtra privilegia & antiqva diplomata, qvæ habebatis à noſtris majoribus, nuper qvum apud vos eſſemus, incuriâ illorum virorum, qvi ea adſervare debuiſſent, perierant, graviter erraſtis in eo jure, qvo fodinæ metallicæ erigendæ ac ſtabiliendæ erant.* Deinde novo Privilegio illud firmat. Ex hujus autem Reſcripti verbis liqvet, dudum ante Magnum Regem fuiſſe exercitas metallorum effoſſiones: qvum *antiqva de iis diplomata ac privilegia à majoribus ſuis data eſſe* adfirmet. Vaſtovius in præfatione Vitis Aqvilonaris unà cum Chriſtianâ religione primùm in Sveciam illatâ cæpiſſe, adſerit: *Certè*, inqvit, *illud verè affirmari poteſt, unà cum religione omnium aliarum rerum copiam, atqve adeò ipſam felicitatem ad Gothos Sveonesqve perveniſſe. Satis conſtat, tum primum auri, argenti, ferri, cupri cæterorumqve metallorum fodinas repertas: ut harum rerum copiâ nulli cæterarum regionum cederent, cum antea nullam haberent.* Ex qvo auctore hoc habeat Vaſtovius, ignotum mihi eſt: qvum nullum ad teſtimonium citet; niſi conjectura illius ſit. Ex hac verò ejus ſententiâ ante DCCC. circiter annos (qvo tempore Chriſtiana religio huc primùm introducta eſt) inventas primò fuiſſe metallorum fodinas, ſtatuendum foret. Sed eas antiqviores eſſe, conſtat ex K. Suerris Saga, ubi hæc exſtant verba: *Jarnberalander under Suia Kong, oc var tha en heidit.* H. e. *Tractus aut terra ferri fodinarum Sveoniæ Regi ſubeſt, nec tum adhuc ad ſacra Chriſtiana converſa erat.* Unde patet, jam in paganâ religione ante Chriſtianam in uſu certè notitia fuiſſe; licet ſub Chriſtianâ religione magis magisqve efflorescere potuerint. Sed qvod metalla primis imperii conditi annis otioſa ſubtus humum laterent, haud dubiè in causâ fuit, vel qvod ab eorum cultu aſſiduis armis & emigratione ad exteras oras priſci avocarentur; vel qvod eorum uſu ac poſſeſſione illi non perinde atqve poſteri, afficerentur (qvod Tacitus etiam de priſcis Germanis, Sveonum cognatis, adfirmat) Inde qvoqve factum eſſe videtur, ut ab hujus rei incurioſis non obſervatum ſit, ſub qvo rege aut tempore prima effoſſionis initia cæperint. Sed qvò remiſſiores in iis exercendis primi ævi incolæ fuerunt, eò diligentiores hujus ſeculi cives & montani in iisdem excolendis, vel intermiſſis reparandis, vel novis, ſpe præmiorum & immunitatis nuper apertis, inſtaurandis deprehenduntur.

Illud

Illud verò mirandum & deprædicandum eſt DEI beneficium, qvod per tot ſeculorum decurſum fatigata telluris viſcera, tamen inexhauſta pervigent. Aut ſi aliqvando exhauriri videantur, nihilominus ex occultâ & in intimo terræ ſinu abditâ virtute ſeminali, per Dei benedictionem ei infuſâ, paulatim renaſcuntur ac ſupplentur; nec facile ſterileſcere, niſi vitiis hominum, qveunt. Qvid? qvod venæ qvò magis in imo reconditæ ſunt, eò ditiores eſſe creduntur.

Qvin ipſa natura ſolet aliqvot externis ſignis deliteſcentes in abdito metalli venas ac fibras hominum oculis indicare, eorumqve induſtriæ velut manu offerre. Si nimirum, ut vult Olaus Magnus, mons in vertice retundus & in umbilico non fiſſus ſit: ſi nix in eo per ſulphuris exhalationem liqveſcens appareat. Aliqvando etiam fulguris ictu tactæ venæ pateſcunt. Item inventa eſſe conſtat argenti, cupri aut ferri fragmenta, qvæ torrens in propinqvo ex tellure vel ipſum ſolum protulit. Si herbæ iſtic naſcentes humidæ non congelent pruinis, aut arbores nigreſcant, vel diſcolorentur ex calidis & ſiccis halitibus; hæc & alia hujusmodi indicia à rerum metallicarum peritis & ſcriptoribus, præcipuè Kirchero in lib. XII. Mundi ſubterranei ſect. III. cap. VII. obſervata ſunt. Ut jam nihil dicam de virgulâ colurnâ & acu magneticâ, iſtorum theſaurorum, ut volunt, indicibus. de qvibus idem Kircherus Artis Magnet. lib. III. part. V. pag 634. & ſeqq. fusè.

Qvantum verò DEI munus eſſe credimus, qvod non modò Salæmonti & alibi jamdudum, ſed in ipsâ etiam horridâ & frigidâ Lapponiâ argenti venæ nuper inventæ ſunt, immunitate regiâ, templis & nundinis ibidem ornatâ. Auſpicatum iſtud omen reputamus & optamus felicioris iſtic & auro argentoqvè longè æſtimabilioris theſauri, cultus animorum & Verbi Divini (cujus bona jam fundamenta jacta ſunt) ulterius in extremo aqvilone propagandi, gentisqve Lapponicæ ad Deum penitus convertendæ.

Qvæ dudum apertæ ſunt venæ telluris in hoc regno, eæ operibus, ſubſtructionibus, aqvæ ductibus, malleis majoribus, officinis, atqve elaboratione domeſticæ materiæ in diverſi generis vaſa & inſtrumenta (qvæ fuit olim meſſis exterorum mercatorum) ita ſunt excultæ & auctæ, ut præ veteribus novæ eſſe videantur.

Opes autem ſuas metalliferas terra magno qvidem ſed innocenti cum fœnore effundit, eaqve munificè expromit, qvorum & cum amicis & adverſus inimicos uſus eſt. Ex illis præter alias portiones etiam Decimas Corona, ut ex aliis regni fructibus, capit à viris montanis partes iſtic ſuas conducentibus.

 Ad

Ad amplificandum rerum metallicarum ſtatum, & priores Reges & Chriſtina Regina Collegium Montanorum inſtituit Stocholmiæ, in qvo metallica negotia promoventur, controverſiæ de illis deciduntur, & qvod cuiqve legitimè debetur, tribuitur. Privilegia qvoqve Montanorum, Ordinationes ac Statuta de illis luculenter ſcripta atqve aucta, & anno MDCXLIX. publicata, ac deinceps iterum edita ſunt. De privilegiis autem & immunitate ſex annorum, illis à Rege conceſſis, qvi nova metalla in ſuis fundis inveniunt, vide à me notata in Synopſi Juris pub. Diſſert. III. th. 20. & Jur. priv. Diſſert. V. qvæſt. VI.

CAP. XVIII.

De monetâ veteri Sveo-Gothorum, & hodiernâ.

Ante nummorum uſum, opes Gothorum & Sveonum in frumento & pecore fuiſſe. Accepto uſu monetæ, qvalis & qvotuplex illa fuerit. De Sterlingis & aliis nummis Anglicis, olim hîc ex fœdere commerciorum uſitatis; item de Daleris Germanicis hîc in uſum receptis. De cauſis decrementi veteris monetæ. De cauſis & viâ conſtantis monetæ, ejusqve commodis. De notatione vocum Skrot, Ligæ, & Korn. Moneta Stocholmenſis olim norma aliorum nummorum. Conſtitutiones de monetâ hodiernâ.

DIsqviſitio de metalli fodinis præmiſſa nobis occaſionem præbet nonnulla obſervandi de veteri monetâ Sveonum, qvæ ſuum inde ortum duxit, & nunc uſitatâ.

Sicut aliarum gentium opes primis ſeculis in frugibus & armentis conſiſtebant, innoxiis plerumq; bonis, ita divitiæ Sveo-Gothorum olim. Unde illud eſt, qvod qvemadmodum apud Romanos à *pecore* dicta eſt *pecunia*, ſic apud Sveones *Feh*. Grotius in Gothicis: *Feh olim pecus, poſtea res omnis mobilis, ut pecunia Latinis.*

Poſtea verò qvum nummum inveniſſet uſus, ad expeditiorem rerum vendendarum & emendarum rationem, priſca gens noſtra non aliud genus monetæ domi cuſæ tunc habuit, qvam *marcã, octantem* & *trientem*. *Marcæ* nomen à ſigno *Marck*, qvod eſſet argentum ſignatum; alii à *marker*, i. e. *ſelibrâ* dictum volunt, qvam in argento olim æqvaſſe octo uncias putant. *Octans* inde dicta eſt, qvod eſſet *octava pars* marcæ, Latinè *Seſtertius*, Sveticè *Ora* vel *öre*, puri puti argenti *unciam* olim pondere æqvans. *Triens*, Sveticè

ortug

örtug nummus argenteus, inde dictus, qvod eſſet *tertia pars* oræ vel octantis. In Jure Uplandico fit etiam mentio trientis, qvi dicitur *Påntra örtug* i. e. *percuſſus, charactere ſignatus, & ratione ponderis æſtimatus*, ut qvidam volunt, ut alii, ad æſtimationem majoris monetæ, vel ejus loco, numeratus. Fuerunt hîc qvoqve in uſu *Solidi* vel *Aſſes*, Sveticè *Skilling*, ita appellati à *Skilia*, i. e. *ſeparare*, ut videtur; qvod in minoribus rebus emptis venditorem ab emptore ſepararent: unde etiam *Skiljamynt* talis *moneta ſeparatoria* dicitur in artic. IV. Conſtit. Reg. de moneta A. MDCLXV. publicatæ. Unus ſolidus vel aſſis tempore Stenonis Sture ſenis erat IV. *nummorum alborum, argenteorum*, unde *hvita* vocabant, ab exteris huc illatos; qvum eorum in priſcis annalibus & legibus nulla mentio fiat; velut *æreos nummos* à colore & *materiâ Blaameſſing* dictos, huc intulere Germani.

Inprimis, præter aliam monetam peregrinam ex argento, Anglica moneta argentea, propter freqventia inter Sveones & Anglos commercia hîc olim etiam in uſu fuit; præſertim *Sterlingi*, denariûm ſignantes. Mihi à ruſtico aliqvando oblatus eſt argenteus nummus, qvem in agro ſuo repererat. Iſte præferebat imaginem & inſcriptionem ETHELREI, qvi Rex Angliæ fuit, & obiit A. C. MXVI. ut conſtat ex ejus tumulo apud Weſtmonaſterienſes; de qvo etiam Pontanus lib. V. Hiſt. Danic. pag. 149. agit. Qvos autem *Daleros Imperii* vel *Regni* hodie vocamus, antiqvitas ignorabat. Qvippe qvi majorum noſtrorum ætate primùm anno MDXIX. in Germaniâ, & qvidem in Miſnia, à *Valle* Joachimicâ, *Thal* vel *Dahl* (ubi cuſi ſunt) *Thaleri* vel *Daleri*, & *Thaleri Imperiales* ab Imperio Romano-Germanico appellati ſunt. Tales daleros, unà cum *Ducatis* vel aureis, poſtea Reges Sveciæ, ob æqvalitatem & vigorem commerciorum inter ſe cum Imperatoribus, Principibus, Ducibus, Rebuspub. & Civitatibus vicinis ſervandum, etiam in ſuo regno cudi fecerunt. Qvod Marqvardus Freherus in ſuo lib. de re monetariâ cap. III. teſtatur his verbis: *Qvia in ineundis & miſcendis inter populos & nationes commerciis nihil aptius commodiusqve, qvam ejusdem generis & nominis moneta, Ducatos (Venetorum & Genuenſium primò inſtitutum) & thaleros primum Principes Germaniæ pleriqve, deinde alii etiam vicini Reges Sveciæ, Daniæ, Poloniæ, Ungariæ, commerciorum inter ſubditos populos juvandorum gratia, ſecuti ſunt.* Dalerorum verò Sveticorum præſtantiam ita laudat Bertius lib. II. rerum Germanic. cap. XVI. *Taleri Svetici Germanicis optimis neqvaqvam bonitate inferiores.* Sed de Speciebus monetæ Sveticæ fusè & eruditè Stiernhöök in lib. I. cap. XI. de Jure Sveonum & Gothorum vet.

Qvamvis autem vetus & nova moneta Svetica fuerit & adhuc ſit bonæ notæ, tamen avaritiâ & qvæſtu exterorum, qvi nummos ſuos minoris æſtimationis copiosè invehentes, Sveticos melioris notæ exportarunt. Qvando verò illud publico regioqve interdicto prohibetur; & ſufficiens copia bonæ monetæ, aureæ, argenteæ & cupreæ exſtat, qvæqve non minoris nec majoris æqvo æſtimationis eſt, inter indigenas & extraneos commercia ſibi melius ac felicius conſtant. Contra non expedit reipublicæ, ut qvod debet eſſe menſura rerum vendendarum & emendarum, incertis modis ac variâ æſtimatione jactetur. Hinc enim mercium pretium incertum, varium, ac tandem nimium redditur; & commerciorum ratio & æqvalitas turbatur, cum paucorum ſuæ rei ſtudentium commodo, plurium verò detrimento. Inde graves turbas ac motus tempore meæ adoloſcentiæ in Germaniâ excitatus memini.

Qvantum autem publicæ rei conducat, monetam juſtam, fixam, & ſtabilem eſſe, documento ſit Olai Magni monitum in cap. XVI. lib. VI. rerum Septentrional. *Mira*, inqvit, *utilitas ad amputandas regum ac hominum ſeditiones, dolos, fraudes, perjuria & reliqva indicibilia mala eſt in legali & juſtâ monetâ, ex formâ ſigni, materiâ metalli ac pondere conſtans. Qvalem vetuſto tempore regio Aqvilonaris cum urbibus Germaniæ conformiter retinens, pacis pulchritudinem habuit & omnia bona comitantia, tantoqve temporum ſpatio eadem obtinere creditur, qvanto ea media fovet & amplectitur, unde perenniter coaleſcere poſſit, hoc eſt qvod pares pretio & pondere denarii ſint, qvocunqve deducti fuerint in poſſeſſionem alienæ crumenæ.*

Qvod Olaus Magnus veteres Aqvilonares *juſtam* & *legalem* retinuiſſe *monetam* ſcribit, ad veteris monetæ, qvæ *Karlgild* illis dicebatur, genus, haud dubiè reſpexit. Veterem enim monetam fuiſſe *duplicis differentiæ*, ex priſcis Sveonum Legibus obſervamus, *unam*, qvæ ordinarium & communem inter cives curſum obtinebat, & vocabatur *Karlgild* vel *Kargill* i. e. argentea moneta, qvæ *virilis uſus & æſtimationis erat*, & pro *juſtâ ac legali monetâ* habebatur. Sic enim eſt in cap. XXII. de jure vicin. UL. §. XI. *Alla laghe giäld the äru Karlgild*, i. e. *Omne legale vel legitimum debitum eſt virilis æſtimationis*: nimirum qvod *plenâ æſtimatione integraqve bonitate* conſtaret; velut apud Germanos *Carlwicht* dicitur *plenum pondus*. Sed *alteram* monetæ ſpeciem *Köpgild mercatoriam* vocabant, qvæ pro vario *commerciorum fato* variabat, & dimidio minus qvàm Karlgild, ordinariè valebat, de qvibus in Lexico Juris plura.

Præterea Olaus Magnus *juſtam* & *legalem monetam* eſſe dicit, qvæ ex

forma

forma ſigni, materia metalli & pondere conſtat; i. e. ut nunc loqvuntur, qvæ *extrinſeca & intrinſecâ bonitate* conſtat, vel ex monetariorum formulâ, ex *Skrot, liga* & *Korn* conſiſtet. *Schrott* à Germanico *ſchrotten* i. e. *reſecare, accidere* appellatur; & inde Belgis *geſchroyt gelt* dicitur *acciſa pecunia*; vel ſecundum lingvæ Sveticæ notionem, *Skrot* eſt è *ſkrâdda ſecare*, dum de materiâ monetæ qvid *reſecatur*, vel in certas partes dividitur, donec ad æqvale pondus redigatur. Inde adhuc *Skrooth* conciſæ pilæ plumbeæ vel ferreæ dicuntur, qvibus tormenta bellica impleri ſolent. *Liga*, vel, ut qvidam pronunciant, *Lega*, eſt gradus mixturæ metallorum, Galli *Alloy* vocant. Qvod autem Beſoldus in Theſauro Practico in v. *Liga* hoc vocabulum à *lege* derivat: qvia additio extranei metalli ad *legem monetariam* fieri debet. Sed qvum ſæpius *Liga* qvàm *Lega* dicatur, *Liga* tanqvam ligamentum vel ligatura mollioris & durioris metalli ob majorem durationem commixti, eſſe videtur. Unde qvoqve Svetice *Håldh* vel *Bebindelſe*, Germanice *Gehaldt* dicitur: qvod *contineat* & *colliget* monetam. *Materiæ bonitas* vocatur *Korn*, cujus vocis notio mihi talis eſſe videtur: qvod *korn* vel *granum* eſt in frumento, velut intimum & ſolidum, hoc proba materia eſt in monetâ, velut intima ejus bonitas. Pondus ergo, ligam & intrinſecam bonitatem Reges & Principes more majorum ſedulò obſervare in monetâ ſuâ ſolent. In Edicto Regio de Monetâ Anni MDLXV. art. 2 hæc ſunt verba: *En Riikzdalex, den efter Riikſens Skrot och Korn, så och vvår mynteordning rått och vvichtig år, ſkal lôſas fôr femtiie tvvå ôre ſôlf vvermynt.* H. e. *Dalerus unicalis qvi ſecundum regni pondus & materiæ bonitatem ut & Conſtitutionem Noſtram monetariam probæ monetæ eſt, æſtimabitur pro qvinqvaginta duobus ſeſtertiis argenteorum nummorum.* Eſt ergo hæc bona moneta, majoribus ac poſteris probata, qvæ extrinſecâ & intrinſecâ bonitate, ut loqvuntur, conſtat; qvæ ex genuino metallo percuſſa, characterem & pondus juſtum, veram ac legitimam æſtimationem, curſum & uſum certum habet. Si verò qvandoqve ex temporum iniqvitate, & qvorundam avaritiâ ac lucro variarit, non diu tamen incerta & inæqvalis jactata fuit; ſed ex auctoritate publicâ variis Conſtitutionibus Regiis emendata ordinata, & fixa eſt; de qvibus circa finem hujus capitis.

Ut autem cives ac ſubditi certam haberent normam, ad qvam exigendi eſſent, præſertim nummi aurei & argentei, voluit dein antiqvitas, eos ad Stocholmenſes, vel qvi in regiâ urbe cuſi eſſent, tanqvam archetypos & præſtantiſſimos examinari. Unde in ſyngraphis & contractibus veterum annotare eſt, eos ſi ſolutionem in bonâ monetâ factam eſſe ſignificare

vellent

vellent, in Stocholmenſi, vel ad ejus æſtimationem, factam eſſe, ſignificaſſe.

Cæterum qvid hodie ſit obſervandum in æſtimatione & ſolutione monetæ aureæ vel argenteæ, habes præter alias Conſtitutiones antea publicatas, in Ordinatione Regia anni MDCLXIV. & M DCLXV. ubi dalero argenteo unciali pretium LII. ſeſtertiorum, dalero communi Svetico argenteo XXXII. ſeſtertiorum, & Aureo (qvem Ducatum vulgò vocant) C. ſeſtertiorum, & marcæ VII. ſeſtertiorum pretium ponitur. Idem in Interdicto Regio de abuſu monetæ Anno MDCLXVI. & aliis temporibus edito.

CAP. XIX.

De primi ſeculi vitâ, agri & horti culturâ veterum Sveonum, & hodiernâ ſuperſtitum.

De primorum hominum & poſterorum agricultura. De agrorum occupatione, diviſione, limitatione & ſubactione. De exuſtione ſilvæ ſuperfluæ in terra ſegeti paratâ. Diſtinctio fundorum & nemorum in publica & privata. Diſtinctio & menſuratio agrorum ſecundum nummorum æſtimationem & fundi proportionem. Qvid ſit DEI penu. Qvid ſit effringere DEI ſeram, proverbio Sveonum. De furto frumenti, ejusque ſupplicio. De granariorum apud priſcos ſecuritate contra fures. De pecorum culturâ & curâ. Qvotuplices ſint ruſtici in Sveciâ. De eorum tributis, angariis, ingeniis & jure. De veteri hortorum cultu. Unde Herbipolis Wurtzburg denominetur, ex occaſione expoſitum. De hodiernâ hortorum culturâ.

QVum de fructibus infra terram, vel metallis, &, qvæ ex illis, monetâ egerimus; ordo nos monet, qvædam obſervare de fructibus, qvi ſupra terram exſtant.

Primo & aureo ſeculo, qvo vita hominum absqve majori cupiditate ducebatur, omnibus ager erat communis & indiviſus; in medium omnes qværebant, terminosqve non agris, ſed plus habendi ſtudio ponebant. Poſtea qvum augeſceret hominum multitudo, & latiores regiones poſceret, ſimulqve cum hominum multitudine invaleſceret habendi deſiderium, mutuaqve diſcordia & æmulatio, æqvalitas illa ſenſim defecit; agri ut alibi, ita qvoqve hîc adqviri, occupari, dividi, limitibus diſtingvi, cenſu deſcribi, & à ſingulis poſſeſſoribus excoli cæperunt: ut, qvod proprium

erat

erat ac limitatum, diligentius curaretur, minusqve rixarum haberet. Progreſſu temporis fundorum cultus ita creſcebat, ut agri duplicarentur, & ubi olim denſa ſilva fuerat, deinde ſuperfluis arboribus & teſqvis exciſis, terra ſegeti ferendæ præpararetur. Qvin ex ipſis virgultorum flaminis ſubjectorum cineribus ſeges, absqve vomere & ſarculis, compoſita reſuſcitabatur; dum benigna mater natura ſemina in favillæ complexu molliter fovebat atqve inde excreſcentem ſegetem producebat. Sed poſtqvam hoc nimis freqventatum eſt, edictis publicis caveri neceſſe erat, ne promiſcuè & absqve modo hoc fieret; & ut ſilvæ, fodinis metallorum vicinæ, tali exuſtioni exemtæ, & qvercus atqve arbores malis navium aptæ, vulgo inciduæ eſſent.

Fundi, ex majorum inſtituto ac diviſione, ſunt vel publici, vel privati. *Publici* fundi, agri, ſilvæ & lacus, *communes omnium poſſidentium uſui Allmenning* vulgò dicuntur. Ita adhuc Helvetii, Svecorum propago, *paſcua publica* vocant *Almend*, qvippe *omnibus patentia*, ut obſervat Georgius Hornius Introduct. in antiqvam Geographiam pag. 13. & Obrechtus in lib. de amplificatione Politici Status tit. XIII. pag. 53. ubi *Almend guter* appellat *bona univerſitatis* vel communitatis. Ea in jure Svetico diſpeſcuntur *in provincialia, territorialia & parœciana vel paganica* c. 29. 31. 40. 49. de jure prædior. *Privati fundi* ſunt ſingulorum Nobilium, & Colonorum cenſiticorum proprii, vel hæreditarii, vel conducti ab aliis; & poſſidentur vel allodiali, vel feudali, vel emphyteutico jure.

Qvoscunqve autem fundos, vel canonis inde qvotannis ſolvendi, vel pretii cauſa, ſi vendendus eſſet ager, aut dividendus inter vicinos, ſecundum legem & conſvetudinem menſurari mos vetus erat: ut non ſolùm qvantitatis, ſed etiam qvalitatis æſtimatio eſſet. Menſurandi verò modus per totum regnum ſub Rege Magno Ladulås anno M CCLXXXII. in Comitiis Holmenſibus primùm introductus eſſe creditur: qvum de bonis pluribus ad aulæ honorificam ſuſtentationem aſſignandis iſtic ab Ordinibus ageretur & decerneretur, & de cenſu inde in pecuniâ, frumento, pecore & operâ pendendo. Hinc menſuratio & diviſio agrorum pro ratione certi cenſus, eis auctoritate pub. impoſiti, & pro modo æſtimationis eorum, ex more & lege veteri, ſecundum nummorum, vel unciarum, trientis ſextantis, octantis & aſſis numerum fiebat. de qvibus latè & luculenter Stiernhök lib. II. de jure Sveonum & Goth. vet. cap. VI. Similem in modum Romanorum moribus agrum diſtinctum fuiſſe obſervamus. Apud Plinium lib. XVIII. nat. Hiſt. cap. XIX. *ſemiſſis & aſſis ſoli* mentio fit. Apud Pomponi-

m

ponium Ic. in L. VIII. D. de rei vendic. *qvadrans & ſemiſſis fundi;* in Varronis lib. I. de re ruſtic. & Columellæ de re ruſt. lib. V. c. 1. *uncia agri, ſextans & ſcrupula* occurrunt. Non ſolùm autem ſecundùm nummos diſtinctio agrorum apud priſcos fiebat; ſed etiam ſecundùm latitudinem & proportionem fundi, in qvo ædificarant & habitabant, partes agri ac prati menſurabant ac dividebant. Unde *fundus, agri mater* dicebatur; de qvorum verborum genuino ſenſu plura in Lexico Juris.

Solum hujus regni, qvanqvam ſub frigido cœlo ſitum, tamen eſt aptum ſegeti, & vento ſalubri, aërem ab afflatu noxio purganti, expoſitum. Qvi, ne hyeme, qvum vehementius eſt frigus, officiat ſegeti, nive, qvæ loco tunicæ ſata obtegit ac defendit, frigus prohibetur; per æſtatem ſolis productiori lumine atqve magis intenſo calore, vel radiorum ad circumjacentes paſſim rupes ac colles reflexione ſeges maturatur. Ager autem bene habitus & cultus, ſed alternis reqvieſcens, gratiam culturæ & qvietis ubertate frumenti penſat, & pro naturâ ſoli ac benignitate cœli ſemina ſibi credita cum largo fructus fœnore reddit. Qvod ut divinæ benedictionis donum agricolæ agnoſcunt, ita terram *DEI promtuarium* vel *penu* ob copiam victus vocant. Inde vetus adagium natum eſt: *In DEI penuario multum cibi eſt.* Atqve ſi qvis ſegetem ex agro ſuffuretur, priſcâ formulâ ſcitè dicitur *effringere DEI ſeram,* vel *ſuffurari ſub Dei ſerâ:* qvod iſt agris nata, ipſius Dei qvaſi clavibus aut cuſtodiâ clauſa ſint, ideoqve inviolabilia. Iſta verò qvi furto abripit, velut improbior fur, Dei penuarium violenter irrumpere cenſetur. Pulchrè qvoqve veteres dixere: *Sepem agro eſſe loco parietis, cœlum loco tecti.* Qvapropter etiam *ſacer* vel exſecrabilis Phocylidi dicebatur, qvi ſurriperet inde frumentum,

Ἐπαράσιμος ὅστις ἀρεῖται,
Sacer eſt qvi ſurripit iſtud.

Lege XII. Tabb. ſacer erat Cereri, & capitis ſupplicium ſubibat; teſte Plinio lib. XXVIII. cap. III. Sic & olim jure Sveonum. hodie eſt pœna arbitraria; niſi iteraturum vel gravius pœnam intendat. Sed de eâ in Synopſi Jur. Diſſert. XXIV. th. 19. plura. Illud qvoqve hîc obſervari meretur, granariis tantam veteri ſeculo fuiſſe ſecuritatem contra fures, beneficio ſeveræ juſtitiæ, ut absqve ſerâ ferreâ, exiguo ligno chordulæ alligato contra pecoris inſultum clauderentur; & tamen qvicunqve alius, præter dominum, illud aperire & inde qvid auferre non auderet. Hunc morem diu obtinuiſſe notat Olaus Magnus lib. VIII. rerum Septentr. cap. III. Ita mos & abſtinentiæ ab alieno religio tunc priſcis pro lege fuit. Magnus Ladulås Rex

Sveciæ, primus hujus moris auctor, & juſtitiæ vindex, ab hujusmodi protectione, qvæ incolis pro *horreorum ſerâ* erat, cognomen tulit; nec dedignata eſt ejus memoria hoc titulo poſteritati conſecrari.

Illud honeſtum & innocens, imò ipſi naturæ amicum victus genus, pecuaria nimirum adeò priſcis placuit, ut, qvæ fuit illorum ingenua ſimplicitas, ne qvidem in Nobilium ordine, qvibus vacabat, ſibi pudori ducerent paſtores pecudum agere. Sic enim Adamus Bremenſis hiſt. Eccleſiaſt. cap. CXXXIX. *In multis Nordmanniæ vel Svediæ locis paſtores pecudum ſunt etiam nobiliſſimi homines, ritu Patriarcharum.* Varro idem affirmat de antiqvis Græcis & Latinis: *Illuſtriſſimus qvisqve paſtor fuit*; & Ovidius I. Faſt. de veteribus Romanis, etiam Senatoriæ dignitatis:

Frondibus ornabant, qvæ nunc Capitolia gemmis,
Paſcebatqve ſuas ipſe ſenator oves.

Hodie noſtrorum temporum mores tale qvid non admittunt. Nec deſunt Nobilibus, qvi pro illis arent, ſerant & paſcant.

Sunt enim hujus regni agricolæ vel Coronæ ac Regis, vel Nobilium, vel Cenſitici. Hi ultimi prædia hæreditaria poſſident pro certo cenſu annuo Regi vel dominis pendendo. Minus verò tributi & operæ diurnæ, qvàm cæteri ruſtici, præſtant. Etiamſi verò liberam diſpenſationem de fundis ſuis hæreditariis habeant cenſitici ruſtici; tamen eam non oportet fieri in præjudicium tertii, cui cenſum debent. Omnes agricolæ ex temporis neceſſitate & utilitate publica, cum legis decreto & Ordinum conſenſu, ſibi impoſita tributa æqvo animo tolerant, & ſponte exſolvunt; ſi vis & inſolentia exactorum abſint. Eo enim ingenio hìc ſunt agricolæ, ut nec integram libertatem, nec integram ſervitutem ferre poſſint: unde nec nimis indulgenter, nec inhumanius tractandi. Si verò novis & publicè non approbatis oneribus graventur, aut immanius tractentur, contra violentiam exercentes jure agendi facultatem habent, & ut alii cives, lege fruuntur. Cætera pro ſuo ingenio ſolertes, & ad opera manuaria promti, domi in agro colendo induſtrii, foris adverſus hoſtem ſtrenui ſunt. Hæc de agricultura & agricolis breviter.

Compertum qvidem eſt, qvod agri rectè & diligenter uſurpati plus commodi, qvàm horti adferant: idcircò etiam majores plus operæ illis, qvam his dederunt; & tamen hos non prorſus neglexerunt: qvum etiam menſæ & victui neceſſaria ſuppeditent. Illud ſit teſtimonio, qvod Leges noſtræ non ſemel *horti herbiferi*, Sveticè *Örtegården*, & herbarum, *Yrter* veteribus dictarum, mentionem faciunt. Ut illud ex occaſione mantiſſæ loco ad-

co adjiciam; priſcis Germanis & Anglis, cognatam nobiſcum lingvam habentibus; *herbis* qvoqve *vvurti* vel *vvyrti* dictæ ſunt. Ita Otfridus pag. 72. *Thaz blidi vvorolt vvurti*, i. e. *lætum mundi germen*. Et Germani adhuc *aromata* wurtz vel gewurtz vocant. Anglis verò *vvyrtant* eſt *hortus*. Hinc in orientali Franconia *Herbipolis* Germ. *Wurtzburg* ab *herbifero ſolo* ſic appellatur; non verò, qvaſi *Wirtsburg* i. e. *virorum caſtellum*, ut Grotius epiſtolâ CLXIX. & Kilianus volebant. Guntherus lib. V. Ligur. conceptis verbis ita:

Urbemqve petunt, cui nomen ab HERBIS.

loqvitur ibi de urbe *Wurtsburgo*. Eandem originationem firmat Reinerus Reineccius in Notis ad Annales Caroli Magni ab anonymo Poëta deſcriptos pag. 35. ubi *herbam* apud Francos *Wurtz* dici notat. Hunc brevem excurſum nobili urbi & loco, etiam à noſtratibus aliqvando armis occupato, ſed beneficio pacis Epiſcopo loci reſtituto, dare placuit; dum de veteri hortorum cultu qvædam attingebam.

Hodie verò in Sveciâ tot plantaria, viridaria & pomaria, hortiqve non ſolùm lupulo olim rariore, ſed nunc tam freqvente inſtructi ſunt, ut, ſi ipſi velint, à peregrinorum mercatorum advectione pendere neceſſe non habeant. Præterea aliis diverſis fructibus horti noſtri ita ornati & conſiti ſunt, ut peregrini huc venientes, & cum ſuperioribus temporibus præſentia conferentes, ſibi ferme perſvadeant, nunc eſſe diverſum à priori & amicius, qvàm antea, ſolum & clima. Sed qvid non efficit induſtria & rectus culturæ modus, pro cujusqve ſoli & climatis naturâ?

CAP. XX.

De curâ corporis externâ priſcorum Gothorum, & cultu modico in amictu; ſecus qvàm vulgo hodie.

De veſtitu ſimplici ac honeſto veterum Sveonum. De rhenonibus. Hallucinatio Savaronis, Voſſii & Bocharti circa notionem rhenonum. Qvalis noſtris moribus amictus. De civili & decoro habitu.

VEſtitos frugibus agros ante vidimus, & agricolarum mores. Nunc amictum & mores veterum circa cultum corporis ſeorſum videbimus.

Eorum veſtitus domi ſimplex & ſine arte, foris & in ſolennibus feſtivisqve conventibus ornatior, erat, nec tamen contra honeſtatem. Non enim pudorem, animis atqve fronte profeſſum, in cultu corporis men-

mentiebantur; nec indiſcretum ornatum viri fæminæqve miſcebant; ſed pro diverſo hominum ordine & ſexu, diſtinctis, ut decet, veſtibus utebantur. Inprimis domi ab uxore, filiabus & ancillis è lino vel lanâ contextis & elaboratis veſtibus amicti incedebant. qva re, præterqvam qvod labori adſvefacerent familiam, & ab otio retinerent, etiam ſumtuum, in exoticâ veſtium materiâ emendâ, compendium faciebant. Ex animalium domi natorum pellibus amictum ſibi qvoqve concinnabant; qvi qvanqvam ad ſplendorem parum, tamen ad neceſſitatem ſatis erat; planè ad exemplum & ſimplicitatem primi ævi. Claudianus de Gothis:

Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum
Curia.

Et Jornandes de Svedis: *Svethans Scandiæ populus pellium decorâ nigredine famoſus.* Rhenonum præcipuè pellibus priſci Gothi, ut qvoqve Germani, magis uſi ſunt, qvàm noſtræ ætatis viri. Honoratiorum etiam talem fuiſſe habitum, ex proverbio de indignè ornato liqvet: *Suem rhenone veſtire.* De priſcis Germanis Cæſar lib. VI. belli Gall. *Parvis rhenonum tegumentis utuntur.* Savaro in Notis ſuis ad Sidonii lib. IV. cap. XX. *rhenonum* vocem à *Rhenanis* vel *Rheni* accolis deducendam putat. Voſſius lib. III. de Idolol. cap. LXXX. pag. 1104. & in Etymologico ſuo in v. *Rhenones*, item Bochartus in ſuo opere de Animalibus S. Scripturæ part. 1. lib. II. cap. XLIII. pag. 423. (ut alios ſileam) à *pellibus agninis* derivant: qvum *agni* Græcis dicantur ῥῆνες. Sed errant viri magni. Pelles enim agninæ & agni planè diſtant ac differunt à rhenonibus eorumqve pellibus; ut ſatis notum eſt illis, qvi viderunt rhenones; Rhenonum enim pelles pilis hiſpidæ ſunt; uti etiam teſtatur Paulus Warnefridi lib. I. de geſtis Longobardor. cap. V. *Apud hos eſt animal non abſimile cervo, de cujus ego corio, ut fuerat pilis hiſpidum, veſtem in modum tunicæ genu tenus aptatam conſpexi.* Tali formâ veſtis iſta vel tunica adhuc conſpicitur, & à noſtratibus *Mudd* vel *Lappmud* vocatur. Qvin *Rhen* eſt vocabulum merè Sveo-Gothicum, & adhuc regni Sveciæ indigenis uſitatum, qvo dictum animal appellant. Olaus Magnus *rangiferum* vocat à *cornuum ramis*, *Ranken* vulgò dictis, & fusè deſcribit lib. XVI. ver. Septentr. cap. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. Unde verò Sveticè dicatur *Reen*, non ſatis liqvet, niſi fortè, qvod *mundum* ſit animal; aut nihil immundum ac impurum edat. In qvam ſententiam qvoqve propendet Schefferus noſter in ſuâ Lapponiâ. Ob ramoſa verò iſtius animalis cornua & ſetoſas pelles, Scaliger Exercit. CXXVI. ſect. II. cum cervo (fortè inductus loco Pauli Warnefridi ſup. allati) comparat. Saxo qvoqve lib. III. pag. 40. & Joh.

Magnus lib. VIII. cap. XXXVII. *cervum jugalem* vocant. Licet nulla non differentia ſit inter cervum & rhenonem; de qva Schefferus in d. lib.

Hodie vulgus in cultu corporis absqve diſcrimine luxuriat, & pares ſuperare, ſuperiores æqvare ſumptuosâ ſplendidaqve veſte contendit; ſi tantùm facultates ſuppetant, nec leges modum impenſarum faciant, aut propria moderatio. Veſtitum modò laxiorem, modo ſtrictiorem, modò demiſſum, modò curtum, ſolâ novitatis commendatione, juventus arripit. Nihil enim hîc diu idem; & huic qvoqve rei ſuus ineſt orbis, ſed ab exteris primò motus, & par cum lunâ mutatio; qvæ alia & eadem qvot menſibus apparet. niſi qvod illi naturale, hoc hominibus adſcitum & exoticum eſt.

Qvod tamen aulæ mos & civilis conſvetudo ſvadet, modò non ineptum qvid & effæminatum referat, haud temerè mutandum cenſetur. Dalecarli, gens Svetica, morum & habitus aviti tenaces, initio imperii Guſtavi I. veſtium peregrino modo figuratarum uſum ex aulâ ejus tolli petierunt. Sed ille eum civili & aularum communi more excuſavit; de qvâ re plura in Guſtavi I. vita. Pari cum Guſtavo ſenſu fuit Jacobus, magnus Britanniæ qvondam Rex, qvi ad Filium ſuum in Regio Dono his verbis ſcribit: *De modo & formâ veſtitus ne ſis admodum ſollicitus, ſed ad communem conſvetudinem præſentemq́, uſum omnia accommodes. Ante alia verò cave, ne in veſtibus mollis aut effæminatus ſis; neve ex narthecio ungventa oleas.* Nimirum illis qvi in conſpectiori loco (velut aulâ) & publico munere ſunt, ratio civilium officiorum neceſſitatem qvandam nitoris imponit: qvo dignitas non augetur qvidem, ornatur tamen & inſtruitur (uti Plinius lib. VI. epiſt. XXXII. loqvitur) cum hoc tamen modo, ut major animi, qvàm corporis ſit cura cultusqve, & tragicus faſtus atqve inanium ſpecies abſint. Qvalis autem modus in veſtitu victuqve populo ſit obſervandus, Leges ſumptuariæ præſcribunt anno MDCLXIV. à Rege publicatæ.

CAP. XXI.

De conſvetudine & modo convictus & conviviorum veterum. Mos laudabilis decantandi majorum virtutes iſtic.

Simplices epulas eſſe ſalubriores variis. De cereviſiâ, hydromeli, & hodierno tabaci uſu. De vaſis veterum & hodiernis. De urorum cornibus, & Skala .riſcorum. De conviviis eorundem. In illis Regum ac bene meritorum, non modò vivorum, ſed etiam mortuorum, ipſius DEI memoriæ

moriæ libatum. De utriusqve abuſu. De inſignibus moribus ac virtutibus loqvi; majorum præclarè res geſtas decantare, mos inveteratus erat. Qvæ hujus ritus cauſæ & fructus; contra, qvæ incommoda obſcæni carminis.

POſt frugalitatem veterum Sveonum in veſtitu, conſpiciamus eandem in illorum victu & menſis. Absqve apparatu & deliciis gulæ, ſimplici & domeſtico cibo famem priſci domabant. Qvando corpora labore probè exercuerant, naturalis & modicus cibus poſt opus optimè ſapiebat: qvem fames & ſitis condiebant. Et ſic hodie magna pars indigenarum vivit. niſi ubi commercia & divitiæ luxum qvendam invehunt; aut ubi magnatum epulæ, peregrinorum hoſpitum, ac ſuæ dignitatis cauſa ad magnificentiam apparatæ ſunt. Ubi verò luxus abeſt, minus libidinis, cujus fomes eſt ingluvies, minus eſt morborum, velut luxuriæ ſuppliciorum. Conſtantiorem autem valetudinem ex ſimplici & modico cibo ac potu etiam in his oris experimur: ubi qvosdam ultra centum annos vitam produxiſſe conſtat. Sed de vitâ mortalium multum prædatur intemperantia in cibo & potu. Ut autem privatim erant frugales priſci, ſic convivia, in qvibus exiſtimationis ſuæ, & humanitatis erga amicos rationem habendam eſſe putabant, inſtructiora parabant. Qvod etiamnum haud negligitur, & ſæpe ſupra modum; niſi lege publicâ prohiberetur. Ante vini uſum, cerviſiam ſolam veteres biberunt, etiam in ſolennibus & publicis epulis. Unde *Öl*, i.e. *Cereviſia*, commune agnomen conviviorum adhuc manet. Poſtea lautiores aqvâ mulsâ qvoqve uſi ſunt: invento, qvomodo non modò hordeum & lupulus, ſed etiam aqva & mel inebrient. Priſcus in hiſtoriâ Gothicâ, cujus fragmentum in Eclogis Legationum Græcis ſervatum eſt, ex vicis allatum pro vino *medonem* (*miöd* hodie Svecis) & *potionem ex hordeo* (cereviſiam) ſcribit. Nomen autem tabaci, cujus uſus nunc adeò familiaris & freqvens eſt, hîc ruſticis ante qvinqvaginta annos fermè ignotum erat. Unde aliqvando ſenex & oculis captus agricola ſibi deſcribi rogans uſum tabaci; qvum intellexiſſet, mores temporis noſtri verſos miratus, rem eò jam deveniſſe dixit, ut majores duntaxat humidum, poſteri nunc etiam ſiccum & torridum, ipſumqve adeò fumum biberent.

Qvondam priſca ſimplicitas, domeſticis bonis contenta, vel ligneis vaſculis & poculis, vel pateris ligneis, ſi eas ornatiores eſſe vellent, intus & extra rubro colore pictis, qvales adhuc Vadſtenenſes, vel ſcyphis ligneis ex acere bene tornatis, & reſinâ juniperinâ interius incruſtatis utebatur,

qvales

qvales nondum in uſu eſſe deſierunt. At his, apud poſteros luxu creſcente, ſucceſſit ſupellex non ſolùm ex ſtanno & ære, tanqvam vulgatiſſima: ſed etiam aurea & argentea, eaqve non ſolùm apud viros principes & magnates, ſed qvoqve ditiores ex populo. Nec illa duntaxat, cujus tamen in materiâ pretium eſt; ſed etiam pocula cryſtallina, transmarina & vitrea, in qvibus ars cælaturæ longè ſuperat materiam; & tamen tam facilia fractu, operam & pretium perdunt. Olim etiam urorum cornibus pro poculis uſi ſunt. Plinius lib. II. natur. hiſt. cap. XVII. *Urorum cornibus barbari ſeptentrionales potant.* Et Saxo: *Bubalinorum cornuum uſus ad potum.* Ditiores ſolebant hujusmodi cornua à labris argento vel auro circumdare; notante Cæſare lib. VI. belli Gall. alii ære, qvorum adhuc pars apud horum curioſos exſtat. Soliti qvoqve priſci, præſertim homines militares ex capite cæſi hoſtis vel cranio purgato ſibi poculum facere; qvod inde *Kupa à capite* nonnulli appellatum volunt; vel à *Schala* i. e. *paterâ*, qvatenus pateræ formam referebat. Ita Paulus Warnefridus de geſtis Longobard. lib. I. cap. XXVII. *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputqve illius ſublatum ad bibendum ex eo poculum fecit: qvod genus poculi apud eos SCHALA dicitur. Lingvâ verò Latinâ patera vocitatur.* Illud nomen in his Septentrionalibus locis adhuc ita remanet, ut *dricka ſkala* i. e. *bibere pateram* Metonymicè dicatur, qvando bibitur alicujus honori & memoriæ: qvod ex hoc vaſculo qvondam freqventius fieri ſvetum, notio vocis indicat. Etſi *ſkala* inter poculorum genera, ex qvibus bibebant, etiam alii populi qvondam, præcipuè Germani, retulerint. Hinc Iſidorus Origin. lib. XX. cap. V. *Calices & ſcalæ poculorum genera.* Ita adhuc Germani, ut Sveones, uſurpant. Item *Kaltſkaal*, eodem tropo illis qvo Sveonibus eſt *patera*, in qvâ *frigidus* cereviſiæ potus in æſtate, & calidus in hyeme fieri ſolet. In qvam rem V. C. Johannem Huswedelium, Profeſſorem qvondam Roſtochienſem & Præceptorem meum, argenteæ ſuæ pateræ hos elegantes verſiculos inſculpi curaſſe memini:

Fonte latex uno geminus mihi manat; in æſtu
Frigidus, bibernâ cum nive caldus erit.

Pro ſalute verò & memoriâ aliorum, præſertim Regum, Procerum, virorum bene de patriâ meritorum, & amicorum bibere, vetus mos eſt. Apud Paulum Warnefrid. lib. V. de geſtis Longobardor. qvum Grimoaldus rex Bertaridum inebriatum & vino depoſitum è medio tollere decreviſſet, aulici regis ad eum unà cum diverſi generis ferculis etiam potiones ferre juſſi ſunt, Regis nomine rogantes, ut in ejus honorem totam phialam ebiberet.

Ille

Ille verò, inſidias odoratus, ſibi cavit, & aqvâ implere phialam ſuos clam juſſit; atqve mox *in honorem Regis*, inqvit auctor, *ſe totam bibere promittens, parum aqvæ libavit*. Solitos etiam veteres, ut noſtris moribus, ſtantes reverentiæ cauſa, pro ſalute regis bibere, notat Priſcus in hiſtoriâ Gothicâ his verbis: *Poſtqvam obſonia primorum ferculorum fuere conſumta, omnes ſurreximus, neqve prius qvisqvam noſtrum ſurgens ad ſedem ſuam eſt reverſus, qvam ſibi traditam pateram vini plenam, Attilam ſalvum & incolumen precatus, ebibiſſet.* In Græco contextu eſt πάντες διανήςεμεν, i. e. *omnes ſurreximus*; ſed Cantoclerus in verſione Latinâ *omnes* omiſit; niſi ſit à typographi incuriâ. Non ſolùm autem in vivorum, ſed qvoqve mortuorum memoriam antiqvi Gothi bibebant. inde poculum, ex qvo bibebant, *Siälabåghar* i. e. *defuncti poculum* dicebatur, ut eſt in Annalibus Norveg. vet. pag. CXXV. & p. XXVII. ubi Granmari Principis Sudermanniæ filia Hiervaro propinat in memoriam Rolfonis Krake defuncti. Sed illud haud dubiè eo fine fecerunt, ut non modò gratam defunctorum memoriam hoc modo recognoſcerent, ſed etiam ſeipſos aliosqve ad avitam virtutem imitandam & factis exprimendam, crebrâ eorum recordatione ſtimularent. Nec ſolorum hominum, ut hactenus audivimus, ſed etiam Dei memoriæ libare, mos vetus Scandianorum in ſacris comeſſationibus, nuptiis & aliis conviviis erat, obſervante Verelio ad cap. VII. hiſt. Gôtric. pag. 64. & ſeq. inde ad poſteritatem ritus iſte propagatus eſt. Idem Græcis veteribus in gentiliſmo haud ignotus fuit, ut videre eſt ex Platone in Charmide, Athenæo lib. XV. & Nic. Heinſii eruditiſſimis Notis in Ovidii lib. II. Faſt. Sinenſes adhuc in conviviis ſuis primû ſcyphum potu impletum diis ſuis ſacrificare feruntur. Ita Scandiani hunc morem libandi memoriæ deorum (de qvo Snorro in Chronico Norveg. p. 75. etiam agit) à majoribus acceptum, cum introductâ Chriſtianâ religione in tantû tenuerunt, ut in unius & veri Dei non ſalutem (ut qvidam perperam interpretantur) ſed laudem, honorem & *memoriam*, ut ipſi vocant, biberent, eoqve ſe invicem admonerent, DEO in *omnibus gratias agere, illiusqve*, ex monito Apoſtoli, *inter edendum bibendumqve non oblviſci*: qvum oblivio DEI ſit primus ad intemperantiam & alia delicta gradus. Cæterum, qvum hic mos ab ebriis, tam Dei qvàm ſui oblitis, tandem uſurparetur, eiqve inſvetos offenderet, paulatim in deſvetudinem abiit; niſi qvod apud agricolas qvosdam adhuc obtinet. Confer Verelium in Notis ad Herraudi & Boſæ hiſtor. pag. 102. & 103.

Sed & libatio pro ſalute hominum apud nonnullos ingurgitatio facta eſt: ut non bene vivere Principem, aliqvis ſatis precari vulgò videatur, niſi

bene ipſum pro Principis ſalute bibere appareat; qvaſi devotio conſiſteret in plenis poculis evacuandis. qvam pii viri, & ipſi Principes verè cordati averſantur. Egregia in hanc rem & piæ ſeveritatis verba ſunt Ambroſii in lib. de Heliâ & jejunio cap. XVII. *Qvid obteſtationes potantium loqvar? qvid memorem ſacramenta? qvæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inqviunt, pro ſalute Imperatorum; & qvi non biberit, ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qvi pro ſalute ejus non biberit. O piæ devotionis obſeqvium! Bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum ſanitate. Et hæc vota ad DEUM pervenire judicant, ſicut illi, qvi calices ad ſepulchra Martyrum deferunt, atqve illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri non poſſe credunt. O ſtultitiam hominum, qvi ebrietatem ſacrificium putant.* Qvum ad GUSTAVUM MAGNUM aliqvando qvidam, demerendæ Regis gratiæ, & ſocio periculi creandi cauſa, detuliſſet combibonem ſuum, qvod ſibi pro Regis ſalute ſtrenuè bibenti non pari modo reſpondiſſet; Rex ægrè ferens, aliqvem ſui cauſa poculis ſupra vires onerari, hominem rejecit cum indignatione, & precibus ſalutem regiam potius DEO commendare, qvàm ingentibus culullis devovere, ut vulgò creditur, juſſit.

Olim in conviviis viri principes aut nobiles de virtutibus & moribus viro principe vel illuſtri dignis ſermonem habebant; velut conſtat ex convivio Atisli regis. Præclara verò majorum facta à Scaldis & cantoribus in conviviis & aulicis conventibus vel aſsâ voce, vel ad tibias aut lyram decantabantur: non ſolùm ut his aures oblectarentur, ſed etiam ut viva voce, velut naturali claſſico, ad majorum imitationem incitarentur præſentes poſteriqve; atqve animi illorum exemplo, qvaſi virtutis cote, acuerentur: unde qvoqve hujusmodi carmen *aulicorum acumen* Scandiani vocabant, ut eſt in Chronico Sturleſonii pag. 300. Johannes Magnus in præfat. Hiſt. Svec. cap. VIII. *Fuerat*, inqvit, *ab origine regni Gothorum magnus in ejus incolis laudis & gloriæ appetitus. Proinde præclara majorum geſta in carmina & verſus qvodam Poëtico more redigere curaverunt; eaqve in conviviis, ut juventutem ad virtutem excitarent, freqventer concinebant.* Vetus & pulchrum de eo more exemplum in Gothorum majoribus, Scythis, adfert Priſcus in hiſt. Goth. *Adveniente*, ait, *veſpera, ſublatis epulis, duo viri Scythæ coram Attilâ prodierunt; & verſus à ſe factos, qvibus ejus victorias & virtutes bellicas canebant, recitarunt; in qvos convivæ oculos vultusqve defixerunt. Et alii qvidem verſibus delectabantur, aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat, aliis manabant lacrymæ, qvorum ætas affecta reddiderat corpus effætum & imbecillum, ex qvo eorum pugnandi ardor & cupiditas qvieſcere cogebatur.* Ecce qvàm varios affe-

ctus

ctus iſti cantores in diverſorum hoſpitum animis excitata ſuâ voce ſvavibusqve hymnis moverint; in omnium autem animis virtutis ſtimulum fixerint. Hunc ritum decantandi laudes DEI,& heroum fortia facta, etiam populo DEI fuiſſe, inter pias & uſitatas exercitationes, ex cap. XV. Exodi, Numer. XXI. & 1. Sam. XVIII. v. 5. & 6. ex Pſalmis & *Arcu* Davidis, aliisqve Sanctorum monumentis eluceſcit. De Romanorum moribus Cato in Originibus apud Ciceronem lib. I. & IV. Tuſc. Qvæſt. *Morum apud majores hoc exemplar fuit, ut qui accubarent, ad tibiam canerent majorum laudes atque virtutes.* Mos certè dignus, qvi in uſum revocetur, ſublatis carminibus amatoriis & obſcœnis: qvæ non animos fortes faciunt, ſed frangunt; certè pruritum libidinis excitant. Vix honeſtis illectamentis virtus & pudor retinentur; nedum inter leves ac molles cantus, & oblectamenta turpis amoris, pudicitia, fortitudo, aut qvidqvam probi moris ſervetur.

CAP. XXII.

De hoſpitalitate, ac ſodalitiis majorum, & noſtri ævi.

Qvàm hoſpitales fuerint veteres Sveones & Gothi. Qvomodo eorum hoſpitalitate non ſemel abuſi extranei & peregrinantes, eâ ſe indignos fecerint. Qvinam hodie priſcæ hoſpitalitatis reliqvias habeant. De Sodalitiis veterum. qvid in illis tractarint. cur poſtea abrogata ſint. Qvàm periculoſa ſint ſodalitia clandeſtina, promiſcua & illicita. Qvæ hodie licita & uſitata ſint.

CONſvetudinem convictus veterum excipiant ejus cognatæ, hoſpitalitas & ſocietas, vel ſodalitia.

Qvam hoſpitales fuerint priſci Sveogothi, jam ab aliis ſatis obſervatum, notumqve eſt: qvod notos ignotosve pari comitate exceperint, & præter gratuitum ſæpe victum, eosdem eqvis & jumentis ad vicinum hoſpitem deductos, à ſe cum hoſpitali dono dimiſerint. Nec illa ſevera juſtitia Regis Caroli II. niſi planè hoſpiti in hiſtoriâ patriâ, ignota eſſe poteſt, qvâ ter denegantis hoſpitium advenis ædes immiſſo igne comburi juſſit. de qvâ Joh. Magnus lib. IV. hiſt. Svec. cap. I. & II. Sed qvum non pauci advenarum & aliorum hîc peregrinantium illâ indigenarum humanitate malè uterentur, & ruſticis imperarent, qvæ vellent, qvaſi debita; ſæpe etiam per vim extorqverent, non ſolùm indignos iſto beneficio ſe fecerunt, ſed etiam pœnam capitis aliqvando, ut violenti raptores, meriti ſunt.

Inde Rex Magnus anno MCCLXXXV. cum regni Senatu decrevit, ut in poſterum iter facientibus non niſi pro æqvo pretio victus & jumenta præberentur; atqve viatorum commoditati, & diverſoria præbentium ſecuritati legibus caveretur. Hodie qvò ſeptentrionaliores agricolæ & remotiores ſunt à commerciis & conſvetudine peregrinorum, ideoqve minus ab aliis decepti, eò ſunt hoſpitaliores, jumenta viatoribus ante diverſorium parata, & victum ultrò pro æqvo pretio præbentes, panem & potum exqviſitiorem illis ſervantes.

Convictui veteres inter ſe indulgentes, *ſodalitia* vel *tribulium collegia* inſtituebant, qvæ *Gille* vel *Gilde*, & ſodales *Gillebröder* vocabant, vel à *ratihabitione* ab ipſis decretorum, vel à *collatione* pecuniæ & victus (ut qvidam volunt) ad ſolennes conventus & feſtiva convivia. Illa verò ſodalitia non ſolùm in urbibus & præcipuè emporiis, ſed etiam ruri nonnunqvam & in parœciis habebant. Ita Sodalitatem in parœciâ *Frötuna* à colonis olim in memoriam S. Olai inſtitutam, Nicolaus Archiepiſcopus Upſalienſis A. 1445. confirmavit, cujus Literas MSS. vidi. In Sudermanniæ parœciâ *Lehrboo* prope templum, *pons* amni impoſitus adhuc *Gildesbroo* vocatur, qvod ibi domus Gildoniæ olim ſteterit.

In iſtis Sodalitiis olim ſeqventia tractabant: Triduo poſt Sodalium conventum, *Statuta* eorum *Gilleſkraa* dicta, prælegi ſolebant. Si qvis deprehenderetur contra ea feciſſe, convictus teſtibus, mulctabatur. A ſenioribus omnibus monebantur ſtudere pietati, bonis moribus & concordiæ. Diſſidentes, ab arbitris reconciliabantur. De ordinatione mercaturæ & opificiorum, de diſciplina privata, atqve conciliandis juvenum nuptiis, qvoties opus eſſet, agebatur, de qvibus & aliis in eorum Statutis fuſius, qvæ MSta apud qvosdam exſtant. Ut jam nihil adferam de ſolennibus & anniverſariis eorum conviviis.

Hæ Sodalitates tantiſper obtinebant, dum juſtè ac temperanter habebantur; dum non præjudicabant regni legibus; nec qvietem ac ſecuritatem publicam turbabant. Sed procedente tempore, ob comeſſationum & compotationum intemperantiam, qvæ multa prava gignit, ob coitionum promiſcuarum & conjurationum, ſub prætextu fraternitatis amicæq; conſvetudinis, inſtitutarum, & ob occultarum atqve inſidioſarum machinationum periculum adverſus concives, rempub. & ipſam qvandoqve ſupremam poteſtatem, tandem abrogatæ ſunt. Qvod nec aliis populis inuſitatum fuit. Apud Longobardos qvum *Gildoniæ* (ſic vocabant iſta Sodalitia) fomenta conjurationum facta eſſent, lege prohibitæ ſunt, ut eſt in Jure Longobard.

gobard. l. 1. tit. 17. lib. 7. Apud Iſocratem Nicocles monet, illicita collegia privatorum hominum in omni qvidem repub. maximè tamen in Principatu periculoſa eſſe: dum factiones & conſpirationes, obtentu ſpecioſo amici congreſſus, & pravorum conſiliorum ac facinorum ſocietates foventur & aluntur.

Commerciorum tamen & opificiorum ſocietates legitimæ & publicæ adhuc permiſſæ ſunt, ſalvo jure Svecano. De qvibus Ordinatio Holmiæ A. 1641. & alio tempore publicata eſt; præſertim Conſtitutio Regia de adminiſtrat. & incrementis Civitatum *art. 12. & 13.* anno 1619. edita. Item A. 1661. & 1668. Privilegia Regia pro Domo publica artificiorum & opificiorum & Ordinationes ac Statuta (*Skraa*) pro Opificibus in Svecia & Finlandia anno 1669. publicata.

CAP. XXIII.

De Odio veterum Sveo-Gothorum adverſus ſcurriles ludos, & civilitatis amore. Qvales ludi aulam deceant.

Qvantopere priſci Sveo-Gothi averſati ſint ſcurriles & turpes ludos. Ludicra ſcurræ & ludionis occiſi, ex lege veteri (nunc abrogatâ) mulcta. Qvid de ea judicandum & obſervandum. Confertur cum aliqvot exoticis legibus & moribus. Qvid à ſcurris & fatuis diſcendum ſit, ſano modo. Aula civilitatis officina eſt. Explicatio proverbii Svecani: Tu non fuiſti in Tuna. *De Legibus aulicis, earumqve fine & uſu. Luxuni Legi aulicæ accedit. Qvales ludos in aulam veteres admiſerint, & noſtræ ætatis Principes, rectè ſentientes, admittant. De Bacchanalibus veterum, hodie rectè abrogatis. De aleæ luſu.*

DUm ritibus priſcis conviviorum & ſodalitiorum deſcribendis hactenus immoramur, illud attexi dignum viſum eſt, qvod Gothi olim ſuis conviviis & conventibus feſtivis excluſerint ludiones, præcipuè mimos & ſcurras, ut colligere eſt ex cap. VII. & VIII. Legum Svec. provinc. de matrimonio, & aliis LL. mox allegandis. Cauſæ hujus rei haud dubiè fuerunt, ut non modò ſumptibus, alibi utilius faciendis, parcerent; ſed inprimis, qvod cœtu bonorum indignos eos cenſerent, qvi dum ſtudio riſum in omnibus movere qværunt, nulli hominum generi parcunt. Qvod conſiderans Theodoricus, Rex Gothorum externus, tales rarò admiſit, ut teſtatur Sidonius lib. I. epiſt. II. *Rarò inter cœnandum intromittuntur*

mimici ſales: ita ut nullus conviva mordaci lingvæ felle feriatur. Accedit qvod id genus homines tàm verbis qvàm geſtibus mollibus & indecoris multa levia ac turpia, bonos mores & ipſam pietatem violantia, effundunt. Unde in Variat. dicti cap. VII. vocantur *ardeliones, qvi Deum blasphemant.* Hujusmodi ergò ſcurras priſci ob dictas cauſas averſati ſunt: qvod etiam ſcitis adagiis declararunt: *Miſer eſt, qvi ſtultum fugere neqvit.* Item: *Si incidas in ſtultum, vel cum abſciſsâ veſtis tuæ parte* (ſi fortè eam apprehendendo, te detineat) *eum dimitte.* Hoc inprimis veteri qvadam lege, qvæ in jure Weſtrogoth. *tit. de cæde vel percuſſione cap. VII. & in jure Oſtrogothico c. XVIII. §.1. de homicidio* exſtat, evidentius expreſſerunt; eâqve pœnam vel mulctam occiſi ludionis & hiſtrionis, qvi ſimul fatuum & ardelionem egiſſet, ſtatuerunt ridiculam. Ipſius legis & qvidem Oſtrogothicæ verba Latinè verſa apponam, qvum per omnia ferme cum lege Weſtrogothicâ conveniant; niſi qvod hæc de vulnerato, illa de occiſo loqvitur. Sed verba de vulnerato, poſtea de mortuo ex vulnere forſan accipienda ſunt. Verba legis hæc ſunt: *Si ludio & hiſtrio occidatur,* (vulneretur) *occiſi* (vulnerati) *hæredi auctor cædis mulctæ vicem pendat buculam trium annorum* [Lex Weſtrogothica addit: *indomitam, & qvæ ſit caudâ raſâ & unctâ*] *eiqve emat novas chirothecas & novos calceos unctos. Dein in collem adducat buculam vel juvencam, & caudam ejus in manus hæredis tradat. Si hæres ad ternos incuſſi flagelli ictus juvencam retinere & ſiſtere qveat, ipſi attribuatur in mulctam. Si verò dimittat è manibus, amittat omne commodum.* Hîc aliqvis cogitaverit, qvod Ariſtoteles lib. II. Politic. cap. VIII. de veterum Græcorum Legibus ſcribit, *eas valde ſimplices fuiſſe;* ita qvoqve has, nec id negat Joh. Stiernhôk lib. I. Sveo-goth. vet. c. 1. *Cum Leges primum ſcriberentur, rudes & ſimplices valde fuerunt.* Hanc verò non modò ſimplicem, ſed etiam ludicram dixeris; qvum reliqvæ Gothorum Leges ſatis ſeriæ ac juſtæ ſint. Cæterum nobis perſvaſum habemus, priſcos judices eam legem, in tali forſan caſu, nunqvam aut raró (ſi tamen) exſecutioni tradidiſſe: qvum ſatis ſcirent, de vitâ & ſangvine cujuscunqve hominis per hominem effuſo non eſſe ludendum, ſed promeritam pœnam ſumendam, ab ipſo DEO reis poſitam. Pœna verò ludicra mimis & ſcurris, ludos vanos facientibus, digna viſa eſt; niſi alia ordinaria & legitima iſtic reis eſſet irroganda. Eadem re ſimul oſtenſum ibant, qvàm inviſum illis eſſet iſtud mortalium genus, qvod magno conatu magnas nugas ageret & venderet. Stiernhôk lib. II. d. Jur. c. 1. *Ludiones & hiſtriones, ut inertes & voluptatum opifices, qvæ vires tàm animi qvàm corporis frangerent, veteres Sveones, tanqvam viri cordati, extremè odiſſe videntur.* Adi qvoqve

eundem 2, 2. 4. Inprimis hoc egiſſe videntur, ut dicto modo alii à ſcurrilibus ineptiis abſterrerentur, ſi viderent, occiſi ſcurræ non majorem rationem haberi. Res ipſa non caret exemplo aliarum Legum. In jure Saxonico lib. III. artic. XLV. *Ludionibus & hiſtrionibus*, pro injuriâ ipſis illatâ, in æſtimationem mulctæ adjudicatur *umbra viri*. Ad hunc locum ita vetus Gloſſator notat: *Velut umbra hominem refert, nec tamen eſt homo; ita ludiones & joculatores ſimilitudinem hominum habent, nec tamen ſunt veri homines, ſed quaſi pro mortuis habentur.* Eqvidem ſana antiqvitas hujusmodi ſcurras non pro veris hominibus, ſed qvaſi umbris hominum, vel hominum monſtris habuit, in qvæ ſeipſos pudendis moribus aut modis effingerent: unde vitam eorum & mortem juxta ferme æſtimandam eſſe putavit. Conferatur etiam Capitulare Caroli Magni lib. I. cap. XXI. & LXIV.

Ad veterum ergò exemplum, eos qvi nihil niſi nugas vendunt, averſemur. qvibus ſi impensè ſtudeamus, ad ſtolida qvoqve ipſi facilè deflectemur; aut ſaltem approbare videbimur, aut eorum auctoribus obnoxii reddemur, ut Commodus, Imperator Romanus. Itaqve ſcurrilitatem, ne qvidem inter Chriſtianos, ex monito Apoſtoli, nominandam, fugiamus. Si verò nugas ridere velimus, non neceſſe eſt ut foris qværamus, qvas intra nos habemus. Vitia noſtra rideamus, damnemus & corrigamus. Hac de re elegans & pulchrum exſtat exemplum & monitum apud Senecam epiſt. V. *Harpaſten*, ut ipſe ſcribit ad amicum, *uxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo meâ remanſiſſe. Ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. Si qvando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè qværendus, me rideo. Hæc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. Neſcit eſſe ſe cœcam. ſubinde pædagogum ſuum rogat, ut migret: ait domum tenebricoſam eſſe. Hoc, qvod in illâ ridemus, omnibus nobis accidere, liqveat tibi. nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum; cœci tamen ducem qværunt. nos ſine duce erramus & dicimus: Non ego ambitioſus ſum; ſed nemo Romæ aliter poteſt vivere. Non ego ſumptuoſus ſum, ſed urbs ipſa magnas impenſas exigit. Difficulter ad ſanitatem pervenimus, qvia nos ægrotare neſcimus.* Si fatui ad nihil aliud proſint, utiqve ad hoc proſunt, ut, illis conſpectis vel auditis, Deo gratias agamus, qvi nos vero intellectu donavit; à DEO precantes, ut ſanâ mente rectè uti poſſimus. Deinde fatuorum ſtultitia nobis ſano modo ſit ſapientiæ documentum; ad exemplum Senecæ, Catonis & aliorum. De Senecâ jam audivimus. Cato (ut eſt apud Plutarchum in vitâ Catonis) ſolitus eſt dicere: *Magis prodeſſe prudentibus ſtultos, qvàm prudentes ſtultis: illos enim ab horum vitiis ſibi cavere, hos illorum rectè facta non imitari.* Sapiens

Lokman-

Lokmannus interrogatus, *unde ſapientiam ſuam didiciſſet*, reſpondit: *A ſtultis & fatuis: qvod enim mihi in eorum dictis & factis diſplicebat, id vitabam.* Eſt ille Lokmannus, ut puto, qvi ſcripſit Fabulas & Proverbia Arabica, à Thoma Erpenio edita.

Sed ab hoc excurſu in viam redeamus. Ex aulâ præcipuè ſcurriles nugæ ad exemplum veterum ſunt eliminandæ: qvum ea debeat eſſe omnis decori, civilis & honeſtæ vitæ officina. unde etiam *humanum, bene moratum & civilem*, tanqvam ab *aulâ* talem factum, olim *hoffſamber*, & hodie *höfflich* vocant. Confirmat idem Sveticum adagium adhuc uſitatum: *Tu non fuiſti in Tuna, & didiciſti mores.* Ubi *Tuna* aulam à *conſepto loco* ita dictam ſignificat, & proverbium illud uſurpatur de agreſtium morum hominibus & incivilibus notante Verelio ad cap. XV. hiſt. Götrici & Rolv. pag. 97. Aulicæ Leges etiam eâ de causâ à priſcis Sveciæ Regibus & ſucceſſoribus conditæ ſunt, ut aulæ miniſtri in pietatis ſtudiis & liberalibus exercitiis, officioqve ſuo contineantur; & omnis levitas ac ſcurrilitas ex aulâ proſcribatur. Inde eſt, qvod Erici Pomerani, Regis qvondam Sveciæ, Leges aulicæ cap. IX. & Guſtavi I. LL. aulicæ artic. XXIV. vetant, *aulicos liberas nundinas eqvitando adire*; nimirum non ita adire, *ut iſtic ineptias & ſcurriles ludos edant*, velut Lex aulica Guſtavi I. d. loco declarat. Solebant enim aulici in nundinis & diverſoriis convenientes, inter alias ineptias, permutare gladios ſuos, & veſtes ad nudam usqve cutem, qvod qvi nollet, verberibus excipiebatur. Egregius author libri Svetici de regio imperio ſvadet qvidem interdum circa Reges eſſe, qvi muſicâ, qvi feſtivis & innoxiis ſalibus, ac ludis rerum humanarum ſcenam referentibus (ut hodie) curis publicis feſſos recreent; ſed ſcurrilia vult aulis exulare.

Etiamſi verò qvondam hîc larvati bacchantium diſcurſus eo tempore, qvo memoria paſſionis Servatoris noſtri ſanctè celebranda eſt, exerciti fuerint, notante Olao Magno lib. XI. cap. XLII. tamen hodie rectè ſublati ſunt; inter Chriſtianos non ferendi, qvos ipſi Turcæ damnant. Hic ſilebo aleæ luſum; à lege certo modo determinatum; qvum de eo in Synopſi Juris Diſſert. X. Qv. VII. jam prolixè egerim.

CAP. XXIV.

De priſcis Sveo-Gothorum, & adhuc uſitatis Sponſaliorum & Nuptiarum ritibus.

Qvomo-

Qvomodo Principes & illuſtres Viri regiarum & illuſtrium virginum nuptias olim in his regnis Arctois vel prælio & luctâ, vel alio inſigni facinore mereri paciſcive, nonnunquam etiam armis & raptu extorqvere ſoliti ſint. Vetus ritus deſponſandi filias qvascunqve præſentes qvadam coëmtionis formâ, Brudköp *dicta. Unde voces* Brud, Brudgum *&* Gemahl *denominentur. Regias aut Principum filias abſentes per Legatos deſponſandi mos vetus. Formularum in deſponſatis communiter uſurpatarum brevis explicatio. Unde ſit ritus imponendi nonnunqvam claves feretro defuncti mariti. De denunciatione ex ſuggeſtu. De promiſſione dotalitii vel doni matutinalis, & ejectione lanceæ. De Copulatione eccleſiaſtica. De Nuptiarum feſtivitate, eranis & aliis ceremoniis. Qvid ſignet iſta formula* Dricka Dannemans ſkaala. *De elevatione ſponſi. De deductione ſponſæ vel novæ nuptæ in domum mariti, cum aliqvot donis parentum, eam comitantibus. Pœna adulterii & ſtupri priſca & hodierna.*

EX aliis ſolennibus veterum in conviviis & conventu publico ritibus, diſcutiendi ſuperſunt ritus Sponſaliorum & Nuptiarum, in hoc regno qvondam & nunc uſitati; & poſt eos Funerum ceremoniæ.

Qvondam regiarum & illuſtrium virginum nuptias inſigni prælio, luctâ, vel alio præclaro facto edito proci paciſci aut mereri ſolebant. De eâ re ſic teſtatur Saxo lib. V. Hiſt. Danic. pag. 69. edit. Stephanii: *Nulli qvondam illuſtrium fœminarum connubiis idonei cenſebantur, niſi qvi ſibi ingens famæ pretium geſtarum inſigniter rerum fulgore ſtruxiſſent. Summum in proco vitium deſidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore, qvàm claritatis inopia damnabatur. Sola gloriæ ubertas cæterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellæ qvoqve non tam procantium ſe formas, qvàm edita ſpecioſè facinora mirabantur.* Exemplum, præter alia, habemus in hiſtoria Sveonum de Regnero Ludbrock, Heroti filiam Thoram hoc modo nacti. Item de Rolvone Principe Weſtrogothiæ, Erici Regis Sveciæ filiæ Thorborgæ nuptiis non aliter potito, in hiſtoriâ Anonymi de Götrico & Rolvone. Qvid dicam de barbaro more virgines nobiles è parentum, aut nuptas è maritorum poteſtate *armis* extorqvendi & vi rapiendi? qvod haſtâ vel lanceâ in nuptiis Nobilium ejici ſolitâ ſignari vult Olaus Magnus, ut inf. videbimus. Stiernhök lib. II. Jur. vet. Sveo-Goth. cap. 1. *Nihil olim glorioſius habitum, qvàm bello & raptu maritari.* Confer etiam Verelii Notas in cap. XIII. hiſtor. Götric. & Rolv. Sed ea vis poſtea legibus repreſſa eſt.

Ille verò legitimus & poſteris traditus mos eſt, ut ſi qvis ambiat nu-

ptias virginis, illius parentes, aut his defunctis, tutores, propinqvos aut conſangvineos eo nomine conveniat. qvi ſi aſſentiantur cum deſideratâ petentis deſiderio, ſponſalia in præſentiâ teſtium ineuntur: ubi mutuis promiſſis & donis ſponſus & ſponſa conjugii futuri fidem paciſcuntur. Id qvod *coëmtionis* & *imaginariæ venditionis*, ex priſco Romanorum ritu, & tandem in manum conventionis formam qvandam ſapit. Qvam firmat iſta vetus Sveonum formula *Brudköp dricka*, i. e. *coëmtionem ſponſalitiam bibere;* de qva in LL. Oſtrogoth. cap. X. de Conjug. in Annalibus S. Olai & alibi paſſim. Aliàs *Mundgipta* veteribus dicebatur, vel *med mund och målugipt*, ut eſt in Legibus Weſtrogothic. cap. VIII. de hæredit. i. e. *ore & ſolennibus verbis deſponſata*. Inde qvoqve Germanorum dictiones fluxere *Vermåhlen*, *deſponſare*, & *Gemahl*, *deſponſata* vel nupta, uti Stiernhielm in Indice LL. Weſtrogoth. obſervat, nimirum à veteri voce *målu* vel *måhl*, i. e. *ſermone*, & qvidem ſolenni ſermone in Sponſalibus adhibito. *Brud* verò qvaſi *beråd*, elocata, deſponſata, dicta videtur; & à deſponſatione, vel *ſponsâ* brud, & *lôft* voto vel promiſſione, *brulloft*, ut eſt apud Otfridum pag. 148. vel *bröllop*, ut hodie *nuptiæ* appellatæ ſunt. *Brudgum* qvaſi *ſponſæ vir*, priſcis enim *gumman* vel *gomman* vir erat. Vid. Gloſſarium Gothicum Franciſci Junii ad Ulfilam pag. 136.

Priſcus ritus deſponſandi Legatis Sponſorum Sponſas & filias Regum & Principum, ipſis perſonis, nuptias earum deſiderantibus, etiam *abſentibus*, in hoc qvoq; regno receptus fuit. Ita Rex Olaus fecit in deſponſatâ Ingride filiâ ſuâ Iarislavo, Magno Moſcoviæ Principi, ut eſt in annalibus S. Olai: *Tradebat Rex fidem ſuam Legatis Iarislavi ad deſponſationem filiæ ſuæ.* Sic Turo Benedicti miſſus eſt in Angliam Legatus ab Erico Pomerano Rege Sveciæ, ut Philippam Regis Angliæ filiam ſui Regis nomine ſibi deſponſari curaret, velut memoratur in hiſtoriâ Erici Upſal. lib. V. Hoc dicebant veteres: *Fåſt taka*, vel *handfåſt taka*, i. e. *deſponſationem de manu in manum capere*. Qvod alii poſtea Reges etiam noſtrâ ætate imitati ſunt.

Sed ex communi more & lege, inter *præſentes*, parens filiam ſuam juveni eam petenti deſponſabat hac formulâ vel aliâ ſimili: *Ego ſpondeo tibi filiam meam N. N. in honorem & conjugem, in dimidium torum, ſeras & claves, atqve communionem bonorum ex lege, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Hujus formulæ verba digna ſunt, qvæ paucis excutiantur. *In honorem & conjugem* pater deſpondet filiam ſuam ſponſo; ut conjugium inter utrumqve in *debito honore* habeatur, qvippe qvod ab ipſo DEO inſtitutum eſt: ideo *inter omnes honoratum* eſſe oportet. In *conjugem* eam deſpondet, non miniſtram;

ſtram; ut alter alteri ſit pro vero & caro conjuge, mutuo ſubſidio, & perpetuo vitæ conſortio. *Ad dimidium torum*, ut uxor ſit mariti ſocia, non domina: & ut ipſi fidelis, torum ſuum immaculatum, velut qvoqve maritus, ſervet. Symbolo *ſerarum & clavium* ſponſa materfamilias conſtituitur, & pars poteſtatis ac rei domeſticæ adminiſtrandæ, bonorumqve, qvæ clavibus & ſerâ clauduntur, diligens cura & fida cuſtodia ei committitur, qvod etiam moribus Græcorum & Romanorũ convenit. Nam apud Græcos κλειδοῦχος *clavigera* dicebatur materfamilias, eodem fine & uſu; ut notat Heſychius. Apud Romanos qvoqve materfamilias claves habebat, ſed non cellæ vinariæ, notante Caſaubono in Athenæum 10, 12. Et ex lege Romuli, qvando uxor repudiabatur, ei claves adimebantur, qvaſi exutæ poteſtate rem familiarem adminiſtrandi, teſte Plutarcho in vitâ Romuli. Idem moribus veterum Sveonum olim receptum fuiſſe, videre eſt ex cap. VI. §. 3. Legum Upland. de Hæredit. Hinc & illud ortum eſſe videtur, ut, ſi uxor, poſt obitum mariti obærati, non ſolvendo ſit, claves interdum capulo defuncti imponat: qvibus æris alieni à marito contracti nexu ſe ſolutam profiteri & qvaſi bonis cedere ſignificat. Qvamvis nonnullæ magis hoc in ſpeciem, & ex avaritiâ animoqve occultandi relictas opes, & creditores defraudandi, qvàm ex neceſſitate faciant; qvarum amor cum marito exſtinctus, & pietas erga defunctum planè emortua eſt. Qvum tamen probæ matronæ honeſtum mariti nomen ſummis viribus tueri ſoleant, & potius de ſuo, ſi tantum in bonis habeant, ſolvant, qvàm ut maritum notam decoctoris aut foro cedentis ſecum in ſepulchrum deferre patiantur. Idqve meritò: qvia uxor *communionem bonorum* cum marito inivit, ut in ipſa deſponſationis formula habetur, qvæ *nominis divini*, velut optimo proſperitatis *voto* clauditur. Prætereo hìc ritum, qvo juvenes *deſponſatum* ſuum amicum & æqvalem *verberibus in tergo* ludicri cauſa, excipere ſolent qvod *Feſtedunt* vocant.

Inſtante nuptiarum die, prius ex ſuggeſtu templi tribus diebus Dominicis publica ſponſorũ matrimonio conjungendorum denunciatio fit. qvæ olim ad valvas templi fiebat, ut conſtat ex cap. XV. Jur. Eccleſiaſt. Upland. & Chronico Svec. MS. Cauſa denunciationis publicæ nota eſt. *Vid. Synops. Jur. pr. Differt. III. memb. 1. th. 40.*

Uxor marito dotem non adfert, ut Germanis uxoribus hodie moris eſt; qvamvis Tacitus priſcis Germanis illud in uſu fuiſſe neget; ſed loco dotis conjunx marito animum & amorem ſuum donat. Maritus tamen eam dono matutinali afficit & honorat; de qvo in dicta Synopſi Jur. Diſ-

 ſert.

ſert. VII. memb. II. ex profeſſo & prolixè egi. Reges verò, Principes, Comites & Barones *dotalitium*, qvod Gallis olim *peculium uxoris* dicebatur, conferunt hujus regni lege ac moribus, in conjuges ſuas; velut Nobiles *donum matutinale*. Præter qvod, etiam contus vel lancea, aut haſta vexillaris complicata, ſericis vinculis ornata, ad ſponſi ſponſæqve pedes deponitur, deinde contacta à præſentibus XII. teſtibus, in doni matutinalis ſtabilimentum, præmiſsâ brevi oratione de ritu ejus rei, ab uno eorum extra feneſtram domus nuptialis projicitur, atqve ab accurrentibus Nobilium famulis diripitur; lanceæ tamen cuſpis chalybea à ſponſo, in rei memoriam & *firmum* matrimonium, argento vel pecuniâ redimi ſolet. Hujus ritus mentem ita deſcribit Olaus Magnus lib. XIV. rerum Septentrional. cap. IV. *Significatione*, inqvit, *intervenientium armorum in nuptiis declarabatur, qvod ſicubi in haſtâ (qvæ ſignat prima veterum connubia olim fuiſſe violenta ex raptu) etiam uxores fortibus & bellicoſis conjunctæ, ſeverum & minimè effæminatum, ſed virilem cultum magna operando probarent. Nam & haſtam Junoni conſecratam eſſe veteres Romani exiſtimabant, & ejus ſtatuæ ut plurimum haſtæ innixæ cernuntur. Haſta enim ſignificat nuptias olim ferro diremtas. Framea verò & ſcutum ut fœminæ meminiſſe debeant, ſe ex illuſtri ſeu nobili ſtirpe, ut eam communiter cum marito defendant, prodiiſſe. Hisqve conſummatis, cum pactione dotis, haſta ſolenni ritu ejicitur extra feneſtram palatii nuptialis, in ſignum mutui fœderis & perpetuæ cohabitationis.* Iſtum morem inveteratum, & Sveonibus cum Germanis communem fuiſſe, ſatis colligere eſt ex illo Taciti loco de morib. German. *Ne ſe mulier extra virtutũ cogitationes extraqve bellorum caſus putet,* IPSIS INCIPIENTIS MATRIMONII AUSPICIIS *admonetur, venire ſe laborum periculorumqve ſociam. idem in pace, idem in prælio auſuram paſſuramqve. Hoc juncti boves, hoc paratus eqvus, hoc data* ARMA *docent.* qvæ ratio veteris lanceæ ritus in nuptiis Nobilium majorum potiſſima fuiſſe videtur. Hodie tamen ille ritus ejiciendi lanceam paulatim deſveſcit; dum Doni matutinalis pactum in Syngraphâ concipitur, & à novo marito ac XII. firmatoribus vel teſtibus ſubſcribitur.

Ad copulationem à Sacerdote faciendam & benedictionem Eccleſiaſticam hodie primò ſponſus ab auſpice ſuo & ductore, mox ſponſa à proximis conſangvineis deducitur. Copulatione factâ ad aram ſiſtitur uterqve ſponſus & ſponſa; ubi conſecratio vel benedictio, expanſo à juvenibus & virginibus ſuper capita novorum nuptorum, in genua procumbentium, ſerico velamine, fit. Inde ritibus copulationis in eccleſia vel domi peractis, ſponſus & ſponſa, more qvorundam ſiſtuntur ad thalamum in domo nuptiali,

nuptiali, vel ſellam ſponſalitiam, & precibus ac canticis Dei benedictioni commendantur. ut jam alios ritus vel adhuc uſitatos, vel qvi in uſu eſſe deſierunt, prætercam.

In Nuptiis ipſis omnia ſolenniter, & largiori, qvàm in aliis vulgaribus epulis, apparatu, pertractantur; licet hîc qvoqve modum ex lege ſervari præſtet. In nonnullis locis ſumtus nuptiales ab invitatis hoſpitibus in *eranis* vel *collectis* ſolent adjuvari ac ſublevari: qvum plures unum facilius, qvàm unus & ſolus ſeipſum impenſâ majori inſtruere poſſit. Prius verò qvàm, ſublatis menſis, ad ſaltationes & hilaria transeatur, præmiſſo ſermone ductoris Sponſi de mariti & uxoris officio, ſponſus & ſponſa ſurgentes jubentur libato vino bibere in gratulationem ſui reciprocam; qvod vocant *dricka Dannemans och Dannеqvinans ſkaal.* Idem paranymphi & convivæ pari libatione & fauſtis votis proſeqvuntur. Eſt autem *danne* vox antiqva Scandica, idem ſignificans, qvod *liberalis* & *munificus*, ut eſt in Chronico Norveg. Snorronis pag.16.& 221. & ſic adhuc uſurpatur à Norlandis; & olim à Germanis, ut eſt apud Winsbekium, à Goldaſto editum: *Böſer danne vverdt*, i.e. *malâ mercede vel remuneratione dignus.* In dictâ verò formulâ monentur vir & nupta *beneficentiæ* erga ſeipſos & proximum, & poſt DEI honorem, *prodeſſe* pro viribus cuivis, præſertim egentibus, & nocere nemini. Ceremoniis iſtis confectis, ſponſus per juvenes & viros, ſponſa per virgines & fæminas deſaltatur ad ſuum qvisqve ordinem & ſexum. Inter tripudium, ſponſus juvenis à ſubeuntibus paranymphis ſociisqve juvenibus attollitur, atqve ſuſtinentium humeris vibratur, more veteri ex militiâ, ut videtur, tracto; qvando imperatorem vel ducem exercitus faciebat. De illo Germanorum more Tacitus Hiſtor. IV, 15, 4. ubi de Brinione Caninefate agit: *Impoſitus*, inqvit, *ſcuto more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux deligitur.* De priſcis Gothis Caſſiodorus lib. X. Var. *Indicamus parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios more majorum ſcuto ſuppoſito, regalem contuliſſe nobis, Deo præſtante, dignitatem: ut honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant.* Sed qvod veteres ſcutis inter arma, noſtrates hodie manibus & humeris in nuptiali lætitiâ præſtant. Et veluti priſci hoc elevationis ritu imperium militare elevati ſignabant: ita noſtri juvenes ſponſi in altum elevatione ſignificare volunt, & verbis nonnunqvam indicare ſolent, ei, ut *marito*, in poſterum civile imperium in uxorem, paternum in liberos, & herile in familiam, competere; ut *viro* autem, in ſeipſum & cupiditates ſuas imperium exercendum eſſe; ex qvo præcipitium juventæ ſuperavit, & ad ſtatum conſtantiorem elatus eſt. Hodie

die tamen ille mos elevationis propter abuſum, & inter conſpectiores ſponſos, qvorum exiſtimationi conſulitur, paulatim, præſertim in urbibus, in deſvetudinem abiit; ruri tamen plerumqve adhuc obſervatur ab agricolis. Qvod autem Petrus Pithæus Adverſariorum lib. II. cap. VI. ex Optati Milevitani Epiſcopi lib. VI. de ſchiſmate Donatiſtarum notat, novam qvoqve nuptam in altum tolli ſolitam, hoc noſtrorum temporum mores, & ſexus verecundia non admittunt. Qvod autem Optatus dicto loco addit, iſta ſolennia in ſecundis nuptiis obſervata non fuiſſe, idem noſtris moribus obſervatur. Poſt peractas nuptias, ut more veteri Græcorum & Romanorum (de qvo Briſſonius lib. 1. ſelect. Antiqvit. c. XVIII.) ſic ritu patrio olim hîc ſponſa *in domum mariti* ſolenniter, facibus prælucentibus, deducebatur. qvem ritum tangit Jus Svec. cap. VI. de Conjug. Novæ verò nuptæ, poſt nuptias, parentes in urbibus aureum vel argenteum munus, vel aliqvid immobile, domum eam qvaſi comitantia, donare ſolent. Ruri verò, ex more veteri populi Aqvilonaris [de qvo Olaus Magnus lib. XVII. rer. Septentr. cap. XIV.] parentes ruſtici, aut propinqvi recens nuptæ, pro initiando prædio & augendâ ſuppellectili, propagandoqve pecore, donare conſveverunt porcam, ovem & vaccam; novo marito pullos eqvinos, canē, felem & anſerem, neceſſaria villæ & fæcunda animalia.

Si verò domum ductâ uxore, maritus aut illa fidem conjugii violaſſet, & torum adulterio maculaſſet, ex priſca lege & inſtituto pœnam capitis ſubibat; ut qvoqve hodiernis moribus. Si verò maritus cum ſolutâ rem habuiſſet, mulctam pendebat. qvam ſi qvondam ex monetæ pretio majorem ſolvere non poſſet, ſalvo pudore, genitalibus ſuis lorum injici atqve illigari pati debebat, adulteræ verò aut ſtupratæ *ſaxa concatenata ignominiæ* imponebantur, & ſic loro viri apprehenſo, eum ſecum urbe educebat; qvam uterqve ejurare cogebatur. Olaus Magnus lib. VII. rerum Septentr. cap. XVIII. & lib. XIV. cap. V. hujusmodi ſaxa in antiqvâ urbe Oſtrogothiæ Scheningiâ qvondam inter brachia ſtatuæ longi Thuronis in foro collocata fuiſſe ſcribit. Ei ſupplicio hodie ſucceſſit flagellatio ad palum ignominiæ. Pœna verò iterati ſtupri ex lege vet. Upland. cap. VI. de hæred. erat amputatio naſi, aurium & antiarum meretricis; ſi non haberet, unde mulctam lege expreſſam ſolvere poſſet. Qvæ ſit hodie mulcta vel pœna ſtupri ſimplicis aut iterati, notavi in Synopſi Juris pr. Diſſert. XXIX. theſ. 25.

CAP.

CAP. XXV.

De Funeribus antiqvorum Sveonum, & hodierno ſepeliendi ritu.

De ritu priſco Sveonum terræ mandandi mortuos. De comburendi eos ritu & auctore. Qvis abrogare & tumulorum uſum introducere cæperit. De veterum ſepulchris eorumqve ſimplicitate. De regiis veteris Upſaliæ tumulis. De Fyrisvvall, Wallhold, Wallfart, Walbrun, Walſtad & Walruff vocum ſignificatione. Lindenbrogius notatur. De gigantum ſepulchris. De ſepulchris hæreditariis & gentilitiis antiqvorum Sveonum in agris aut ad vias publicas: quæ ejus rei ratio. Qvàm charos & qvaſi ſacros priſci habuerint familiæ ſuæ tumulos. Unde Allſaln dictum. Cur ſaxa Runica ſepulchrorum ſtent erecta & coronâ lapidum cincta. Auguſti jocus de Vettio. Unde Bautaſtener veteribus dicta. De ritu funerum hodierno qvædam. Sepulchra in templis vel cæmiteriis qvando fieri cæpta. Mos præferendi funeribus & affigendi ſuper tumulos Principum & Nobilium eorum inſignia. Qvodnam ſit optimum monumentum. De ritu humandi ejusqve uſu hodierno.

QVum à thalamo ad tumulum ſemper certus, & qvando DEO placet, ſit tranſitus, poſt illum, etiam hunc, mortalitatis noſtræ memores, intuebimur.

Qvod ad Sveo-Gothicum apud priſcos ſepeliendi vitâ functos ritum attinet, à primis temporibus mortuorum corpora humo condita creduntur. Qvippe cum Noachidarum coloniis huc primum translatis, veriſimile eſt ritum humandi mortuos, ex DEI & Patriarcharum inſtituto, huc ſimul migraſſe. Ab Odino verò poſtea conſtitutum eſt, ut mortuorum cadavera & cum illis chariora comburerentur, unde colligere licet, illud ante Odinum hîc in uſu non fuiſſe. Perſvadebat autem ille forſan Sveonibus, animas, hoc modo à ſordibus corporis purgatas, citius & expeditius aſtra petituras, vel, ut Schefferus, gener meus exiſtimat, cum ignem crederent æternum, hac viâ, ut maximè compendioſâ defunctorum animas in cœlum tranſituras, crediſſe. Iſtud verò tempus *cremationis ævum* dictum eſt. Cineres vel in profluentem ſpargi, vel, qvod magis pium viſum eſt, in urnâ recondi atqve in tumulis deponi, ſtatuit Odinus. Hinc effoſſâ paſſim terrâ, tales urnæ ſæpius eruuntur. Cremandi verò conſvetudinem primus abolere cæpit Froerus vel Freierus, tertius ab Odino Svetiæ Princeps: dum in colle

in colle prope Upſaliam ſepeliri voluit: humanius fortè ratus, corpus molli matris ſuæ terræ gremio committi, qvàm ſævis flammis depaſcendum tradi. Qvod non pauci poſtea imitati ſunt: unde tempus vel ætas illa *collium ætas* dicta eſt: qvod in collibus tunc mortui humabantur; qvales paſſim per Svetiam exſtant. licet, qvi vellent, cremandi mortuos ritum retinerent, Verelius tamen putat, colles aut tumulos jam tempore cremationis erectos defunctis fuiſſe, in qvibus combuſtorum oſſa & cineres ſub humo conderentur, & melius ſervarentur. Confer eundum in Notis ad Hervari hiſtoriæ cap. V. pag. 80. & ſeq. Hîc autem priſci ævi ſimplicitas admiratione digna eſt, qvod non ſplendida mauſolea, nec alia ſumptuum monumenta ſuis regibus & proceribus elaboravit; ſed tumulum pro defuncti conditione vel aſſurgētem, vel depreſſiorem, nudo ſtratum pulvere ac ceſpite, ſolaq; graminis vel herbarum naturali pulchritudine decorum erexit. Prorſus ut Tacitus in noſtra gente deſcribit: *Funerum nulla ambitio. Sepulchrum ceſpes erigit. monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis, aſpernantur.* Regii tamen hîc veteris Upſaliæ & aliorum locorum colles cæteris eminentiores exſtant, ad exemplum veterum Scytharum aliarumqve clariorum gentium. Certè Snorro in vita Odini Chronic. Norveg. de eo ſic refert: *Odinus legem ferebat in Svecia talem, qvalis in Scythia erat*, nimirum *illuſtribus viris ingentes tumulos eſſe faciendos in perpetuam recordationem.* Et hoc vetuſtiſſimum fuiſſe Scytharum inſtitutum, teſtis eſt Herodotus lib. IV. qvod *Principum virorum tumulis injecerint omnes humum certatim & avidè, cupientes tumulos qvàm maximos efficere.* Præ reliqvis enim hoc regum honori ac memoriæ deberi videbatur. Lucanus lib. VII.

Et regum cineres exſtructo MONTE qvieſcant. Illuſtrium qvoqve virorum corpora in collibus aliqvanto humilioribus condebantur, dum idololatrica religio adhuc in Sveciâ ſtabat. Ita eſt in Catalogo Judicum provincialium Weſtrogothiæ de Lumbero Judice: *Ibi ſitus eſt in colle, qvia ethnicus erat.*

Qvod autem tumuli in collibus Upſaliæ ad *Fyriſvval* excitati dicuntur, hoc inde eſt, qvod iſti tumuli in radicibus collium excitati à *Fyri* fluvio Upſaliam præterlabente & *vval*, qvod priſcis *mortuum* ſignificabat, appellati ſunt: qvod iſtic eſſent monumenta *mortuorum*, prope fluvium *Fyri* tunc dictum ſita. Sic *vvalhal* aut *vvalhold* inde *mortuorum ſedes*, & *vvalfart*, *peregrinatio ad ſepulchra ſanctorum defunctorum*, item *Walbrun* apud Saxonem lib. VII. hiſt. Danic. *cadaverum puteus*, & *Walſtad* i. e. *ſtragis, vel in prælio cæſorum locus* dicitur. Ex eadem origine eſt *Walruf* vel *Walrof* in LL. Oſtrogoth.

cap. VI. de homicidio i. e. *rapina* vel *ſpolium mortui* aut *cadaveris*, qvod in LL. Uplandic. dicitur *Likran*. In Legibus Bojorum tit. XVIII. cap. III. *Walaraupa* appellatur. Lindenbrogius in Gloſſario ſuo ad Codicem Legum antiqvarum & ad dictam Legem Bojorum vocem *Walaraupa* deductum it à *Wala*, qvod *caput*, & *rauba*, qvod *veſtem* interpretatur. In cujus interpretationis firmamentum ad teſtimonium vocat ex Legum Juticarum lib. III. cap. III. vocem *Walraaf*, qvæ nihil aliud ibi ſignificat, qvam *occiſi* vel *mortui ſpolium*: unde etiam in verſione Saxonicâ exprimitur per *Walrof*. Hanc, ut genuinam ſignificationem firmant verba Snorronis Sturleſonii in vitâ S. Olai pag. 311. *Bônderna rôfvvade icke vvalen*. i. e. *Ruſtici non ſpoliabant mortuum*. Nam *vvaler* ſunt *exanimes*, ut eſt in Lexico Runico Olai Wormii in v. *Wal*. In eodem ſenſu accipienda eſt vox olim Germanica *vvalaraupa*, à *vvala* i. e. *exſtincto* vel *mortuo*, & à *raup* vel *raub*, *ſpolio* derivata & compoſita. Qvid ergo ſibi vult interpretatio viri eruditiſſimi Lindenbrogii? neſcio unde deducta.

Non verò ſola regem & illuſtrium virorum, ſed etiam gigantum ſepulchra in aliqvot hujus regni collibus olim fuiſſe creduntur. Qvum enim in collibus iſti plerumqve habitarent, unde & *bergbuar*, i. e. *monticolæ* dicebantur, in illis qvoqve ſibi ſepulchra fecerunt, vel ingentibus ſaxis cincta, vel aliis ſuper alia poſitis obtecta; ut paſſim adhuc conſpicere eſt; qvæ ſic ab aliis hominibus, non gigantibus, accumulari, vires humanas ſuperat. Idem ex ſitu qvorundam ſepulchrorum inuſitatæ longitudinis, & oſſibus inſolitæ magnitudinis, humo erutis, evidenter patet. Qvædam monumenta à gigantibus qvoqve nomen traxerunt. Ut in Weſtrogothiâ prope Abrænes pagus *Gigantum ſaltatio* dictus eſt. In eâdem provinciâ duo ingentia gigantum ſepulchra adhuc exſtant in vivario Hellekiſenſi, à qvo Præluſtrium Poſſiorum Hæredium nomen habet. Qvidam *Helle* & *Kiſa* gigantum nomina fuiſſe volunt. In Sudermanniæ parœcia Gôtlundâ ſepulchrum *Kiâglakropp* ita dictum volunt à gigante mare *Kropp*, & gigante fœminâ *Kiâgla*, à qvâ tota ſilva vicina nomen nacta eſſe creditur. Ita peninſula in prato Orwala ibidem ad majorem amnem ſita, qvæ diſcernit Nericiam & Weſmanniam, & vocatur *Kolnen*, qvondam gigantem, nomine *Murem* inhabitatorem habuiſſe fertur. Unde adhuc à ſenibus colonis vulgò circumfertur: *Jätte Muus bodde på Kolna huus*, i. e. *Gigas Mus habitavit in Kolnenſi domo*. De aliis gigantum in Svecia ſepulchris plura non addam, Lectorem remittens ad Olaum Magnum, de hac re lib. II. cap. XXXII. & lib. V. cap. I. rer. Septentrion. fusè diſſerentem.

Præterqvam qvod in collibus & aggere compoſito tumulis defunctos ſepeliebant Sveones, ante acceptam veram religionem, etiam in campis prædiorum ſuorum, aut finibus agrorum, aut prope vias publicas loca ſepulchrorum habebant: ut ita defunctorum memoria magis obvia & diuturna eſſet; & tranſeuntes vivos ac ſuperſtites mortalitatis ſuæ ſubinde monerent. Ea verò *loca ſepulchralia*, velut ipſa prædia, qvibus contigua erant, totius *familiæ propria* & *hæreditaria* erant: unde *Atthagar* & *ättebackar* vocabantur. Qvàm religiosè iſtæc à majoribus & poſteris ſervata ſint, vel ſola parœcia Sudermanniæ *Stora Malm* dicta [ut nunc alias prætercam] fidem faciat, in qvâ CCLIX. monumenta hæreditaria adhuc numerantur. Illos verò familiæ ſuæ tumulos priſci tam charos & qvaſi ſacros habuerunt, ut, cum alias res immobiles vendidiſſent, hos tamen plerumqve retinerent. His autem venditis, *Allſalu* dicerentur, qvod *omnia ſua alienaſſent*: idqve eſſet ſignum conclamatæ rei familiaris & deſperatæ fortunæ, parumqve memoris majorum defunctorum animi. In defunctorum memoriam etiam ad eorum tumulos Saxa Runicis literis inſcripta vel inciſa locabant, non in terram declinata, ſed ad caput defuncti erecta: ut literarum characteres viatoribus conſpectiores eſſent, nec ipſa ſaxa humo obruerentur. Tumulos autem paſſim lapidū coronâ cinctos videmus, ut oſſa vel cineres defunctorum ſecurius qvieſcerent in terrâ, qvæ lapidum ambitu complexuqve firmius contineretur, nec difflueret, aut tranſeuntium veſtigiis diſſiparetur; aut ne agro proxima forſan exararetur: ut ab avaris & parum religioſis fieri ſolet. Qvalis erat Vettius apud Romanos, qvi patris ſui monumentum exararat. In eum lepidus Auguſti cavillus apud Macrobium lib. II. Saturnal. cap. IV. exſtat: *Hoc eſt verè monumentum patris COLERE.* Qvod ut præcaveretur, iſti lapides, qvorum ſepto ſepulchra contra vim munita defendebantur, à majoribus *bautaſtener* à *bauta* vel *bôta* i.e. *mulctari*, dicebantur, ut notat Verelius ad cap. VI. hiſt. Gôtric. Iſti mulctæ obnoxius erat, exarans aut tollens ſaxa. Optandum verò eſſet, ut priſci in Saxis Runicis defunctorum inſculptis nominibus brevem honorum titulum, & tempus vitæ ac mortis addidiſſent: ita majus illorum rebus lumen acceſſiſſet. Sed hoc erat poſterorum humilitatis, non ambitionis, argumentum, qvi ſatis habebant, nomen defuncti à morte vendicare; ut cum Auſonio hîc dicamus:

Nomina tantum
Voce ciere, ſuis ſufficiet tumulis.

Paucis hodiernum funeris & ſepulturæ hîc uſitatæ ritum tangam. Hodie Prin-

Principum, Procerum, Nobilium & aliorum corpora in *templis* aut *cæmiteriis* ædi ſacræ vicinis terræ mandari, ſcimus. Qvem morem cum Chriſtianâ religione introductâ, & pace Eccleſiæ data, inter Chriſtianos receptum eſſe, Kirchmannus lib.II.de Funeribus R. cap. XVII. obſervat. Ut prætercam utriusqve ſexus in exſeqviis comitatum ſatis notum, principum virorum & nobilium ſtemmata atqve inſignia funeribus eorum præferri, atqve ad ſepulchra ſuſpendi; id non huic ſolùm, ſed ſi non ſuperioribus ſeculis, tamen etiam majorum ſeculo jam uſitatum fuiſſe, illorum monumenta templorum parietibus adfixa & vetuſtate attrita adhuc oſtendunt. Non autem externi ſolùm ſplendoris ac pompæ cauſa, hæc poſteros ac ſuperſtites defunctorum honori dare credemus; ſed ut iſtæc inſignia illis & majoribus ipſorum fuerant eximiorum meritorum præmia & ornamenta; ſic ipſis & liberis eorum, ſi eadem non tam in imaginibus ac epitaphiis, qvæ tempus conſumit, qvàm in famæ gloriæqve perpetuæ tabulis conſignata ſervare velint, continuandæ virtutis incitamenta ſint. Optimum enim ac manſurum monumentum atqve inſigne eſt, exſtinctorum memoriam animis viventium inſcribi, eorumqve facta inſigni imitatione referri.

Qvando, præmiſsâ concione funebri, ſacerdos, funeris ſepulchro impoſiti capulo pulverem ter palâ injicit, in animum præſentibus revocat hæc verba: *Ex terrâ ortus es, in terram reverteris; Redemptor tuus extremo die te reſuſcitabit è terrâ.* Preces qvoqve breves de humanæ conditionis & futuræ vitæ recordatione adjungit. Qvæ omnia admonent hominem, anteqvam è vitâ proficiſcatur, indies meditari, qvomodo hinc bene exeat. Qvippe viam hanc ſemel malè ingreſſus, pedem referre neqvit, ſed in æternum exitium præceps abit; rectè verò hanc viam CHRISTO duce ingreſſus, nunqvam tam felix iter facere poteſt in vitâ, qvam facit in morte, qvæ ducit ad veram & nunqvam finiendam vitam.

JOHANNIS LOCCENII ANTIQVITATUM SVEO-GOTHICARUM

LIBER III.

CAP. I.

De priſca Sveo-Gothorum militiâ, cùm hodiernâ, ut notâ, ſtrictim comparata; non tamen absqve verâ utriusqve laude.

De ſtudio & gloriâ virtutis militaris veterum Sveonum & Gothorum, etiamnum in poſteris integrâ. De virorum & virilium factorum nomine & decore. Vagam & otioſam plebem hîc non ferri. De conſcriptione delectuqve militum pedeſtrium, eqveſtrium & navalium. De ſubſidiario milite.

TOgam componemus, & Sveonum Gothorumqve vetus ſagum atqve arma inſpiciemus: qvibus ſalutem ac libertatem patriæ contra vim hoſtilem tutati ſunt.

Tantum priſcis militiæ ſtudium fuit, ut in bellicæ virtutis uſu ac gloriâ veluti palmarium ponerent. Certè conſtitutiones ſuas non minus ad belli, qvam pacis negotia conferrent: haud ignari, imperium non minus armorum præſidio defendi, qvam pacis ſtudio tranqvillari & effloreſcere. Qvanta autem eorum virtus & nomen in armis fuerit, cui terrarum plagæ ignotum? Vegetius de re milit. lib. I. cap. II. Septentrionales universè ſic laudat: *Septentrionales populi largo ſangvine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi.* & Lucanus lib. VII.

Omnis in Arctois populus qvicunqve pruinis
Naſcitur, indomitus bellis & Martis amator.

De

De Sveonibus ſpeciatim Adamus Bremenſis: *Populi Sveonum viribus & armis egregii.* Imò VIRIS ET ARMIS *eos valuiſſe* dixit Tacitus Germ. 44. & ſic compendio bellicæ laudis omnia dixit. Virtus enim eſt, qvæ oſtendit viros, & viri, qvi virtutem aut fortitudinem, virorum propriam. Eqvidem adhuc apud illos egregia facta ſi qvis breviter at honorificè prædicare velit, ea *virilium* titulo inſignit. Nullum verò à majoribus Sveonum gravius habitum eſt probrum, qvam ſi qvis, ignaviæ aut mollis animi exprobratione, *viri* nomen eis detractum iret, & *non viri* vel *aniculæ* titulo ſalutaret. Hoc duelli vindiciis dignum cenſebant, ut ex priſcâ duelli lege (hodie abrogatâ) patet. Nec dum virtus Gothica intermortua eſt cum majoribus ac defunctis; adhuc in poſteris vivit: qvi qvum ad *arma* & *facta* deventum eſt, ſe *viros* præſtare ſolent.

Legitur autem hîc plerumqve (raro emitur) miles, ex priſco more, non procul qvæſitus, nec diu præſtolandus; ſed ruri natus, & qvi in expedito eſt. Nec ille tumultuarius aut fortuitus; ſed cum judicio delectus, æſtimatis ætate bello idoneâ, & corporis animiqve habitu. Præterqvam qvod ipſe ager, cui adſvetus eſt, laboris, roboris & tolerantiæ officina eſt. Seneca: *Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur; In primo deficit pulvere ille unctus & nitidus.* Et ex agris, qvàm urbibus utiliores legi milites, Vegetius toto cap. III. lib. I. de re milit. probat, præter ipſam experientiam. Intra urbes enim vel qvæſtuariæ, vel ſordidæ & ſedentariæ artes plerumqve molles & deſides faciunt animos, belloqve parum aptos. Unde à priſcis Gothis tales artes raro, ſed plerumqve à peregrinis, regni incolis, exercitæ eſſe videntur. Si verò qvis domi latitans, reformidaret in hoſtem exire, non absqve ignominiâ dicebatur *inſtar felis in cubili ſuo recubare.* Eodem adagio ignavis otium & ignaviam exprobrabant. Vetus enim lex & mos hîc fuit, qvi adhuc in vigore ſuo perſiſtit, ut otioſi, ſoluti & vagabundi in hoc regno, ſi validi ſint, non ferantur; etiamſi in manifeſto delicto deprehenſi non ſint, ſed per otium facilè ad illud allici poſſint; ideò vel ad laborem, vel ad ſerviendum remittuntur, ſi tantum in bonis non habeant, unde ſe honeſtè alere poſſint. Si verò laborare & victum manibus qværere, vel ſervire, nolint, in urbibus miniſterio nautico, ruri militiæ adſcribuntur.

Robur exercitus præcipuum veteres in eqveſtribus copiis poſuiſſe, colligas ex legibus illorum, qvæ ubi præcipiunt de armorum ordinatione, ad eqveſtris militiæ ſtatum, nullâ mentione pedeſtris exercitus factâ, directæ ſunt. Gothorum autem exercitus eqveſtris æſtimatio tanta fuit etiam

apud ipſos Romanos, ut *arma Romana Gothorum equitum exemplo profeciſſe* ſcribat Vegetius lib. I. de re milit. cap. XX.

Sveones inſuper ex priſco uſu, navali bello ſtrenuè depugnare docti ſvetiqve ſunt. Tacitus in German. de illis: *Præter viros armaqve claſſibus valent.* Adamus Bremenſis in Deſcriptione Scandinaviæ de iisdem: *Sveones tam in eqvis qvàm NAVIBUS juxta optimi bellatores.*

Hoc verò lege publicâ nuper cautum eſt, ut ſubſidiarius miles ſemper ad ſubitos belli & inopinatos caſus in promptu ſit: qvum tempore pacis etiam de belli ſubſidiis cogitandum ſit.

CAP. II.

De armaturâ veterum Sveo-Gothorum.

Primorum ſeculorum homines clavis & fuſtibus pugnaſſe. Armorum veterum nomina & uſus. Arma tempore pacis geſtare qvondam prohibitum. Taciti locus explicatus. Armorum uſus in acie. Longobardi unde dicti ſint. Arma vel machinæ obſidendis urbibus ac propugnaculis adhibitæ. Arma defendendis corporibus inſervientia. Voſſii & Becmanni error. Signa & vexilla veterum. Eorundem inſignia Draco & Agnus qvid ſignarint. De noſtri temporis Armamentario.

A Conſcriptione & delectu militum, ad *Arma*, militiæ inſtrumenta, progredimur.

Primo & ſimplici ævo, ante inventa arma eorumqve uſum, ut alii mortales, ita priſci Sveones & Gothi ſudibus igne duratis, clavis & fuſtibus depugnarunt. Qvum olim Hunni (ſic Ruſſos vocabant) Scandiam irrumpentes, eam aliqvandiu oppreſſam tenuiſſent, omnes Scandiani viritim exciti, clavisqve armati, datâ acceptâqve ſtrage, eos iterum Scandiâ expulerunt, ut notat Verelius ad cap. X. Hervari hiſt. p. 122. Sveones ex his oris in exteras regiones primùm egreſſos, ſudibus, clavis & *fuſtibus* armatos, & inde *jus fuſtuarium* dictum fuiſſe, auctores ſunt Olaus Petri in Chronico Svec. MS. circa finem vitæ Engilli & Petrejus Chronic. Svec. lib. I. p. 53. At uſus paulatim aptiora & nocentiora invexit arma, priſcis *vvakn* dicta à *vvâgha* vel *vvigha* i.e. *percutere & pugnare*. Inde compoſita *Follvvakn* i.e. *plena vel juſta arma*, *Liiffvvakn*, arma *qvibus corpus munitur*, & *Fridvvakn*, arma qvæ tempore *pacis* geſtabantur. Qvin qvocunqve tempore (exceptâ militiâ) ad qvæcunqve loca arma domi promiſcuè geſtandi licentia illis lege interdicebatur, ut ſcimus ex cap. VII. LL. provincial. de vulnerat. fortuitâ.

fortuitâ. Sveonibus jam Taciti ætate uſitatum, arma in promiſcuo illis non eſſe. Sic enim ille in lib. de mor. Germ. 44, 4. *Nec arma, ut apud cæteros Germanos, in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode.* Rationem hanc addit auctor: *qvia ſubitos hoſtium incurſus prohibet oceanus.* Berneggerus in Qvæſtionibus Politic. qv. CXXVII. *An ſubditis arma permittenda?* ad dicta verba Taciti ſic notat: *Suiones tanto minore cum periculo clauſa ſub cuſtode arma ſervare ſcribit Tacitus; cum Oceanus illorum terram alluens, ſubitos & improviſos hoſtium incurſus prohibeat.* Hinc patet, Tacitum intelligere publica totius populi arma, qvibus opus eſſet adverſus ſubitam hoſtium impreſſionem. ſed illis opus non eſſe, qvum hanc prohiberet oceanus. Cæterum tempus fuit, qvo etiam multitudo Sveonum armata ad comitia & alios conventus, etiam ſacros acceſſit. Unde prohibitum eſt, in interius templum arma ſecum portare [*vid. c. 13. LL. Upland. de jur. Eccles.*] ne locus ſacer profanari videretur; ſed in atrio aut veſtibulo ædis ſacræ ea licuit deponere, qvod inde *vvakuhus* ab *armis* ibi depoſitis dictum eſt. Tandem propter abuſum armorum, in publico promiſcuè tempore pacis geſtatorum, ad licentiam, vim & tumultum, promiſcuus eorum uſus iterum interdictus eſt; niſi qvibus ex officio, vel in itinere, vel bello uti liceret. *Vid. cap. XXXIV. de judicio curiali.*

Qvæ verò veterum arma in bello præcipua fuerint, docet Lex Helſingica cap. XIV. de Judicio territ. *Qvilibet vegetus miles XVIII. annorum habebit qvinqve plena vel juſta arma, gladium vel ſecurim, galeam ferream, clypeum, thoracem ferreum aut loricam, & arcum cum XXXVI. ſagittis.*

Ut diſtinctè progrediamur, primò arma, qvorum uſus erat in feriendo hoſte in acie; deinde qvæ adhibebantur obſidioni urbium & propugnaculorum; præterea qvæ tuendo corpori ſerviebant, deniqve ſigna & vexilla inſpiciemus.

In acie vel prælio præcipuus olim uſus erat gladii, ſecuris & arcus cum ſuis ſagittis. GLADIUS priſcis Gothis leviter curvatus & brevis erat: qvalem icones veterum & Saxum Runicum in territorio Kollandenſi Weſtrogothiæ, in pariete templi Skedenes exhibent. Sic Tacitus in de morib. German. ubi de Gothonibus loqvitur: *Breves* (illis) *gladii.* qvi hoſti cominus cædendo aptiores erant. SECURIS hîc intelligitur *militaris*, qvam aliàs *Polyxe* vel rectius *Pålyxe* à *ſecandis palis* vocabant. Snorro p. 139. *magnam ſecurim* vocat p. 139. qvâ qvandoqve loco gladii utebantur: unde Lex Helſingica hanc & gladium conjungit. Qvidam *miſſilem* ſecurim faciunt. ſed non potuit miſſilis eſſe, niſi levior; nec in ſilvâ, ſed campo, de qva accipiendus eſt Sidonii locus lib. IV. epiſt. XX. ubi de Gothis loqvitur:

Lanceis

Lanceis uncatis ſecuribusqve miſſibilibus (leg. *miſſilibus*) *dextræ refertæ.* Et Herm. Hugo lib. II. de militia eqveſtr. cap. II. *Raro Sveci milites haſtis aut lanceis utuntur, ob ſilvarum freqventiam.* Qvod autem Lipſius Poliocert. IV,4. *hallebardam* cum ſecuri eandem & miſſilem facere videtur, id non poteſt abſqve certa diſtinctione. Nam hallebarda vel bipennis anceps erat, vel utrimqve ſecabat, ſecuris ab unâ ſolùm parte. Qvamvis non negem, qvibusdam gentibus ſecures etiam bipennes fuiſſe, de qvibus Lipſius dicto loco pag. 343. Sed in hoc præcipuum diſcrimen erat, qvod Hallebardæ duplices & duplicis uſus erant: qvædam breviores [qvas *lanceas uncatas* Sidonius lib. IV. ep. XX. vocat] eas milites eminus in hoſtem ejaculabantur. confertur Savaronem ad iſtum Sidonii locum; qvædam grandiores & *longæ*, qvibus cominus utebantur in acie, ad retundendum hoſtis impetum ex adverſo ei objectis. qvales hodie noſtræ ſunt *lanceæ*, qvas *Pikor* vocamus, qvibus haſtati milites utuntur. A qvibus *Hellebardæ* vel *Bardiſan*, Latinis *bipennes*, hodie differunt. *Hellebarda* enim ab *hall*, vel *heal*, vel *hol*, qvæ vox priſcis *aulam* vel *palatium* ſignificabat, & à *barda*, pugnâ vel *cæde* nuncupabatur; qvaſi dicas *aulicam bipennem;* qvales à ſtipatoribus adhuc Regi præferri ſolent. A *longis* autem *bardis* vel bipennibus, qvas geſtabant, *Longobardi* dicti ſunt, non à *longis barbis*, ut volebat Paulus Warnefrid. lib. I. de geſtis Longobard. cap. IX. conferatur Voſſius in lib. II. de vit. ſerm. c. XVII. in v. *Saxa.* Nobiliſſ. Stiernhielm in ſuis ad me literis: *Norvegis, unde Longobardos exiiſſe mihi certum eſt, nulla arma magis freqventia fuere, qvam iſtæ bipennes: unde Leo in inſignibus regni ejusmodi bardâ erectus innititur. In patriâ meâ apud Cuprimontanos, me puero, publico edicto vetitum eſt, ne geſtarent ejusmodi långskafftade barder* i.e. *lanceas vel bipennes cum longiori ſcapo.* ARCUS priſcis Gothis *Armbryſt* inde dicebatur, qvod *brachiorum*, dum tendebatur, & *pectoris*, cui applicabatur, præcipua hîc vis erat. Alio nomine *Boghe* vel *Buge* dictus eſt, qvod in tendendo flecteretur aut incurvaretur. *Arcus* cum *Sagittis* à *Scythis* primum inventus eſſe creditur: unde Arcus *Scythicus* cognominari meruit. Inſpiciatur Lipſius Polyorcetic. IV,6. & Grotius in Prolegom. ad Procop. p. 8. *Sagittæ* priſcis *Orff*, *Urff* vel *Arff* dicebantur; Norvegis *Aur*, Britannis *Arrow*, vel *Yrfæ;* & tandem noſtratibus *Arff* pro omni *hæreditate* accepta eſt: qvum olim præcipua eorum ſupellex in armis eſſet, teſte Olao Magno 8,2. Ad exemplum majorum ſuorum, Gothi arcus & ſagittarum peritiâ præſtiterunt. Ericus Upſal. lib. I. hiſt. Svec. *Arcu ſagittas mittendi genere Gothi erant doctiſſimi.* In prælio inter Ringonem R. Sveciæ & Haraldum R. Daniæ Gothi tanta vi nervos arcuum intenderunt, ut cly-

pecs

peos qvoqve jaculis transverberarent, referente Joh. Magno lib. VIII. c. IX. Superiori ætate, qvum adhuc ſagittis uterentur Dalecarli, tantâ arte ac peritiâ in illis ejaculandis præditi erant, ut eas non directè, ſed in ſublime mitterent, & tamen in præliantem hoſtem deſuper caderent, uti refert Meurſius lib. II. Hiſt. Dan. in vitâ Johannis.

ARMA, qvæ obſidendis urbibus & caſtellis admovebantur, erant robuſtæ pro iſtorum temporum uſu machinæ, CATAPULTÆ, BALLISTÆ & ARIETES *Blydhor* & *Bukkor* Sveticè. Ex *Catapultis* ſaxa minora & pila miſſilia, ex *balliſtis* majora ſaxa in hoſtem obſidioni incumbentem emittebant. *Arietibus*, à formâ ita dictis, muri qvaſſabantur & perfringebantur. Hodie bello decertantes, & munita loca obſidentes, à cœlo, qvaſi fulmina & grandinem emittere, didicimus. qvæ tamen ingenioſâ vi ſic intendimus & aſperamus, ut majora & præſentiora fulminum terreſtrium, & ferreæ plumbeæqve grandinis, pulvere nitrato & igne mixtæ, è tormentis mala in hoſtes & muros ejaculemur & effundamus, qvam ullis telis aut machinis bellicis antiqvi potuerunt.

Ad defendendum corpus priſcis fuere GALEA, CLYPEUS & LORICA. Priſcis, Gothis ac Sveonibus GALEA *Iårnhatt* vel *Kåtilhatt* dicebatur, qvod eſſet ex *ferro* aut *ære*, capiti tuendo aptata; de qva inf. h. lib. cap. VII. plura. CLYPEUS vel SCUTUM Sveticè *Skiöld*, qvod obtendebatur tegendo corpori contra tela vel gladios hoſtium, initio ſimplex ex materia, qvam ipſa natura absqve artificio ſuppeditabat, ex cortice aut viminibus erat, ut Cluverius lib. I. Germ. antiq. cap. XLIV. notat. Dein craſſius ex denſo corio, aut aliâ materiâ, ære aut ferro obductâ fieri cæpit: ut telis aut enſibus minus penetrabile eſſet. Potentiores ac ditiores ad oram laminâ auri vel argenti circumductum habebant, ut eſt in hiſtor. Gôtrici p. 47. In medio variis coloribus pictum erat. Sidonius: *Lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus.* Longius aut brevius pro corporis ac utentium habitu erat. *Amazonica pelta*, à qvâ *Amazones peltatæ*, *Skiöldmöör* dicebantur, fuit ſcutum breviſſimum, formâ duplicis ſemilunæ, ut Lipſius in Analectis ad lib. III. de Militia Romana dial. 1, deſcribit. Tacitus in lib. de morib. Germ. ubi de Gothonibus (vel Gothis) loqvitur, *rotunda* illis *ſcuta* fuiſſe ait. unde *rondella* pro *clypeo rotundo* adhuc in uſu eſt in Hiſpaniâ & Italia. LORICA, tegendo pectori reperta, veteribus Gothis *Brynia* vel *Muſu* dicta eſt, ut patet ex cap. XIV. de judic. territ. HL. & ex veteri Gloſſario Latino-Theotiſco: *Thorax militare munimentum, Lorica Brynia.* Qva propter errant Voſſius in lib. II. de vit. ſerm. cap. IX. in v. *Halsberga*, & Becmannus in Originib.

in v. *Breno*, qvum *Bryn* vel *Brynia* fuiſſe galeam criſtatam volunt. Qvin Sveones adhuc *palpebras* per metaphoram inde *Bryna* vel *ögnebryn* nuncupant, qvod eæ ſint oculis loco munimenti, inſtar loricæ. *Muſu* idem eſt cum *lorica*: unde Lex Helſingica conjungit pro ſynonymis: *Bryniu åller Muſu.* In Faſtis Limpurg. pag. 21. *Museiſen*, pars loricæ ferreæ, aut *annuli ferrei* dicuntur, è qvibus *lorica* conſerta eſt. Hæc erant arma veterum Gothorum vel munimenta, qvibus corpora adverſus vim hoſtilem & noxam telorum tuebatur. Qvalia cum Romanus pedeſtris exercitus ab urbe conditâ usqve ad tempus Gratiani Imp. feliciter uſurpaſſet, tandem ex deſidiâ ac mollitie, & ceſſante campeſtri exercitatione, qvod iſtæc arma gravia videri cæpiſſent, illis poſtea rarò uſus eſt. Unde *detectis corporibus & capitibus*, congreſſi cum Gothis Romani, multitudine ſagittarum ab illis ſæpe deleti ſunt, ut refert Vegetius lib. 1. de re milit. cap. XX.

Præter arma, ſua veteribus erant *Signa* & *Vexilla*, illis *Tekn*, vel *Hårtekn* & *Mårke* olim dicta, ut in annalibus priſcis legere eſt; ſic appellata, qvod *deſignarent*, cui ſe ordini qvisqve militum aggregare deberet. Aliàs *Baner* dicta ſunt à *ban* vel *band* faſcia, qvam olim haſtæ vel perticæ loco vexilli alligabant. Gloſſarium Græco-Latinum Βάνδον, *ſignum*. Ejus hæc notatio erat, & adhuc eſt, ut, qvi ſub eodem ſigno militabant, arctiſſimo ſe fidei vinculo conſtrictos eſſe ſcirent, nec niſi morte, aut bello pace finito, ſe vexillis, in qvæ jurarant, & à ſe invicem divelli paterentur. Ita dictio illa, qvâ hodie utimur, *Fana* pro *vexillo*, à veteri *fanon*, i. e. *linteolo* vel *operimento*, ut Papias notat, deſcendit, ſive à *funon* i. e. *faſciis* aut *vinculis*; qvæ vox occurrit apud Otfridum in paraphraſi Evangelior. 3, 4. ubi agit de Lazaro per Chriſtum à morte reſuſcitato:

Mit lachanon biwuntan/
Joh funon gibuntan/

I. e. *Linteo involutus, & faſciis ligatus.* Vexilla verò veterum, ut hodieqve noſtræ gentis, erant majora aut minora. Vexillum aut ſignum majus ac regium, Lat. *Labarum*, veteribus Gothis *hofuit baner*, ut Snorro in Chron. Norveg. pag. 305. notat, appellatum eſt. Sed & *Standard*, Gallicè *eſtandard*, à veteri Gotho-Teutonicâ voce *ſtanda* & *ſtanta*, *ſiſtere*, qvaſi *ſignum ſtatarium* dicitur. Inde adhuc noſtratibus *Standrått*, & Germanis *Standrecht* appellatur, ſeu *Judicium Statarium*: qvod in eo, vexillis in terra defixis, jus dicatur. Minora vexilla *Baneer* vocantur.

In vexillis ſuis olim Gothi, præter alia, circumtulerunt tempore belli ima-

li imaginem *Draconis* contorti & alati (*textilis anguis* dicitur Sidonio in Paneg.) in pace *Agni* figuram. Hujus rei clarum facit teſtimonium inſigne illud monumentum, qvod in urbe Thuringiæ *Gothâ*, à Gothis ita dictâ, repertum, olim veteri iſtic turri affixum, deinde illâ deſtructâ, in veſtibulo Curiæ poſitum fuit, unà cum verſibus Germanicis, teſte Heidero in Orationibus ſuis, qvorum verſuum ſententiam his expreſſi verſibus Latinis:

Qvando vetuſta urbis turris deſtructa GOTHANÆ,
Inventum eſt iſtic inſigne AGNI atqve DRACONIS,
Agni inſigne GOTHI geſtarunt tempore pacis;
Tempore ſed belli contra hoſtem inſigne Draconis.

Hoc egregium monumentum ſignificabat, in armis Gothos formidabiles, in hoſtem acres ac ſtrenuos, domi erga ſuos lenes ac tractabiles, erga deditos ac devictos placabiles, mites & humanos eſſe. Idem in ſuis Gothis prædicat Johannes Magnus lib. VII. hiſt. Svec. cap. XLI. *Gothi non ſecus ac agni domi converſantur, foris autem & contra hoſtes leonum ferociam imitantur.* Eodem reſpexit Johannes Hugvetantius Gallus in ſuo SVECIÆ Elogio: *Te miramur ardentium animorum gelidam genitricem, miramur tuos in pace Agnos, in bello Leones.*

De ſignis & armis noſtri temporis, ceu ſatis notis, nihil attinet dicere. Armamentarium verò regni Svecani hodie tam locuples & inſtructum eſt tormentis bellicis majoribus & minoribus, præter bombardas majores & minores, gladios, bipennes, lanceas, thoraces ferreos, galeas, & alia hujusmodi generis arma, ut nulli in Europa cedat, plura etiam ſuperet. Qvot annis enim nova veteribus accuduntur nec, ut qvondam, neceſſe eſt, alienis, ex ære tamen & ferro regni factis, & regni pecuniâ redemtis, milites & claſſem armare; ſed armis ex materiâ domi natâ, metallis domi erutis, conflatis & formatis, exercitum inſtruere, naves munire & ornare promptum eſt.

CAP. III.

De priſcis exercitiis militaribus Sveo-Gothorum, & hodiernis.

Virtutis militaris incitamenta & ſtabilimenta. De exercitiis militaribus priſcæ Sveonum genti olim uſitatis. De ludis eqveſtribus in otio. qvinam ab eis excluderentur; & adhuc excludantur. De ludis pedeſtribus ad armorum uſum compoſitis, in luctis, digladiationibus, ſaltu, excurſu, jacula-

culationibus, expugnationibus, & prælıorum ſimulacris. De decurſionibus in ſoleis ligneis, ferratis, earumqve uſu. Unde Scritofinni dicantur. De ludo Scaccorum, ut imagine belli. De exercitiis bellicis hodiernis, ex ipſius Regis CAROLI ductu.

HActenus Arma majorum vidimus. Nunc qvomodo domi & in otio ad armorum uſum & belli meditationes miles exercitus ſit, contemplabimur.

Etiamſi verò primi ad virtutem militarem ſtimuli, poſt DEI cultum, ſint patriæ ſtudium & amor, animusqve cordatus, non parum tamen exercitia militaria ad eam ſtabiliendam conferunt. Qvibus ſi accedat experientia, ut uſus ferrum ſplendidum, ita milites armis habiles & acres reddit. Verè ergò Theodericus rex Gothorum apud Caſſiodorum Var. I, XL. *Diſcat miles in otio, qvod proficere poſſit in bello.* Contra *inexercitatus miles ſemper eſt tyro*, ut Vegetius ait.

Veteres liberos ſuos ad ea educebant, qvæ à teneris membrorum robur intendere, & aliqvando ex uſu militibus eſſe poſſent. Recens natos frigidæ immergebant; in balneis puerorum terga virgultis pineis percutiebant ad cruorem usqve, ſangvinem ſudore miſcentes: ut eos gelu, plagis & undâ paulatim indurarent, atqve voluptatis & doloris, qvæ virtutis militaris impedimenta ſunt, in primâ ætate ſenſum illis minuerent. qvæ Olaus Magnus lib. VIII. cap. VII. & VIII. pluribus deſcribit.

Ludis haſticis, vulgò torneamentis & certaminibus eqveſtribus freqventem operam dabant. Ad ea nemo niſi nobili & honeſto loco natus admittebatur. Ut ſic in nudis qvoqve Nobilium exercitiis virtutis uſus occurreret, & qvales in feriis eſſe oporteret atqve ipſo campo militari, cogitatio ſubiret: qvum ne qvidem in ludicro eqveſtri, niſi bene natis & virtutis decore ornatis locus eſſet. Hinc mos ille adhuc ſupereſt, ut nothis, aut ante parentum nuptias, aut ex infami vel inæqvali conjugio natis, haſtilis aut lanceæ geſtatione atqve uſurpatione in coronatione Regis, in Principum conventibus & nuptiis, in publicis feſtivitatibus ac ludis eqveſtribus interdicatur. Præter decurſiones eqveſtres ad annulum vel metam, veræ ac feriæ belli exercitationes erant, modò juvenem prius inermem, deinde præcinctum gladio clypeoqve munitum, de terrâ inſilire eqvum aut deſultare; modò eqvum in gyrum torqvere, modò confeſtim ſiſtere, modò telum in ſublime emiſſum, rurſumqve deſcendens, inter eqvitandum impigrâ manu excipere, exceptum ſubito certoqve ictu in deſtinatum retorqvere lo-

re locum. qvod Totilam Gothorum Regem à puero fuiſſe edoctum, refert Procopius lib. III. hiſt. Gothic.

Pedeſtres verò milites luctationibus & gladiatoriâ arte ad uſum prœliorum exercebantur, ſic ut ad acceptos ictus ne qvidem ſuperciliorum nutus edere diſcerent; memorante Joh. Magno hiſt. Svec. 2, 18. & 4, 7. Nonnunqvam intra gladios & frameas ſe ſaltu jaciebant, ut corpus agile & leve redderent; de qvo Tacitus Germ. cap. XXXIV. & Olaus Magnus lib. XV. cap. XXI. Idem auctor eſt, pueros per luſum caſtella nivalia exſtruxiſſe, & caſtra metatos eſſe: qvod adhuc ſæpe ſolent. Ut jam prætercam, qvod ludendo excurſiones facere, obvios capere, & ſecum abducere; item cygnorum & anſerum certamen habere, aliasqve hujusmodi proluſiones agitare conſuerunt. Jaculandi verò tam periti qvotidianis exercitiis fiebant, ut ſagittas præſertim latiores non ſolùm rectâ & ex adverſo, ſed etiam in altum tam deſtinato ictu mittere poſſent, ut ſuâ gravitate depreſſæ, ſubjectorum hoſtium capita acrius ferirent; uti Olaus Magnus lib. VII. cap. VII. & XIV. notat, & exemplum de Dalecarlis in præcedente capite habuimus. Ad locorum munitorum expugnationes opera, foſſas, aggeres facere, imagine oppoſitarum machinarum, aut fictis incurſionibus occupationem munimentorum tentare adſveſcebant. Ad vera prælia ſive inter eqvites ſive pedites, ſimulacris pugnarum præparabantur: frontem hoſtis aut latera petere, aut à tergo invadere, ordinesqve ejus turbare; hoſtis inſidias præcavere vel declinare, fugam ſimulare, ſeipſos protegere diſcebant. Itadum extra bellum, non tamen extra belli cogitationes erant: ut præmeditati omnibus caſibus felicius occurrerent, nec tum demum inciperent malo ſuo diſcere, qvum ad manus perventum eſſet.

Inſuper decurſionum certamen priſcis freqvens erat; in æſtate campum pedibus exercere, collem adſcenſu, foſſam ſaltu ſuperare. In hieme ſoleis ligneis nives transcurrere, ferisqve inſidiari: non ut celeritate pedum fugiendi promtitudinem addiſcerent; ſed ut in bello ſic hoſtem, velut in otio feras, inſectandi, vel in eum procurrendi, vel fugientis tergum celerius premendi, vel opportuna loca præoccupandi facilitatem ſibi adqvirerent. In hujusmodi curſus per nives aut glaciem celeritate magis olim, qvàm hodie, Sveones, Finni autem ſemper excelluerunt. Hinc Adamus Bremenſis de iis: *Scritofinnos ajunt curſu feras praire.* Hi ſunt iidem, qvi hodie *Skidfinni*, à *ſkidar*, i. e. *ſoleis* ſuis, qvibus induti pedes currunt, à veteribus *ſkriteſinni* vel *ſkridfinni* dicti, à *ſkriida* i. e. *curſu* vel *progreſſu*; vel ut qvidam volunt, à *divaricatione crurum*; non qvaſi *vagi Finnones*, ut alii volunt.

ſunt. Sic eſt in Formulâ pacis Gretteri apud Wormium in Lexico Runico pag. 46. *Finnur ſkriidar*, Latinè redditur *Finnus percurrit*. Eodem modò Saxo de illis loqvitur lib. V. hiſtor. Dan. *Pandis tradibus vecti conſerta nivibus juga percurrunt*. Imò ſoleæ ligneæ ferro ſubductæ, qvibus juventus hieme flumina congelata tranſcurrere ſolet, adhuc inde *Skridſkoo* appellantur. Præcipuus illarum ſolearum uſus eſt, non modò nives ineluctabiles eis ſuperare, aut feras inſectari, ut Lappones ſolent; ſed etiam, ſi neceſſitas aut opportunitas efflagitet, hoſtem è veſtigio ac celeriter inſeqvi, eumqve in nivibus obhærentem opprimere ac profligare. Veluti factum eſt anno MDXC. qvando ſexcenti Finni, ſoleis ligneis vecti, ingentes copias Ruſſorum, ex nive fruſtra eluctari conantium, ceciderunt. Sed & hunc uſum habent iſtæc ſoleæ ligneæ in bello, ut murices ferreos, clam ab hoſte defoſſos, absqve noxâ, illarum beneficio miles tranſire poſſit. Qvamvis tamen præſtet ſoleas ferreas eſſe calceis ſuppoſitas, qvippe qvæ muricibus minus, qvàm ligneæ ſunt penetrabiles, minusqve pedes morantur. qvales Carolus IX. aliqvando in bello fieri curavit, qvæ adhuc in regio armamentario adſervantur. Sed de *currendi* exercitio ſatis.

Illud pugnæ ludicrum, qvod *ſedendo* fiebat, *ludus latrunculorum* vel *Scaccorum* dictus, ab Orientalibus, primis Arabibus & Perſis, qvibus (ut eſt apud Olearium in Deſcript. Itin. Perſici p. 415. & 558.) *Schah* ſuâ lingvâ *rex* eſt, unde *Regis ludum* appellarunt, ad Europæos profectus & in his, ad Scandianos, Sveones ac Teutones, adhuc refert notio vocis *Skakſpeel*, & inde deductum *Skaka*, veteribus idem ſignans, qvod *concutere, cædere, rapere, militum* & *latronum* more. Inde priſcis Scandianis *Skiåkmadr* dictus eſt *latro viaticus*, & apud Otfridum p. 163. *Skahero luag* i. e. *Latronum ſocietas*, & *Skeker am creutze* in veteri Bibliorum verſione Germanicâ, i. e. *latro in cruce*. Inde *ludus latrunculorum* Latinis qvoqve nuncupatus eſt. Etiamſi enim iſte ludus repræſentet imaginem militum in acie diſpoſitorum; tamen imaginarii iſti milites *latronum* more inſidiantur, aut à *latere* adverſos adoriuntur. qvod Ovidius lib. II. de Arte eleganter exprimit:

Sæpe latrocinii ſub imagine calculus ibit.

& Martialis lib. XIV. epigr. XVII.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum.

Qvin ſi per artem aut inſidias alter alterum non ſatis cautum *concuteret*, id pro *vincere* à priſcis accipiebatur. Hinc apud Snorronem p. 275. dicitur de Comite Ulfone, qvi Canutum Regem Daniæ in hoc ludo vicerat: *Jarl ſkakade honom*, i. e. *Comes illum concutiebat*, voce deſumpta à latronibus, qui

obvios

obvios *excutere* vel *concutere* ſolent, terrore mortis injecto, pecuniæ vel alterius rei extorqvendæ gratia. qvo ſenſu etiam titulus Digeſtorum in Jure Rom. de *Concuſſione* inſcribitur. Adhibebatur autem ludus latrunculorum à veteribus Gothis, non ſolùm ad explorandum mores hominum, præſertim procorum, aut virginum nuptiis deſtinatarum ut notat Olaus Magnus lib. XV. rer. Septentr. cap. XII. ſed inprimis, ut acuerentur ingenia ludentium ad militem in acie rectè collocandum, ad hoſtem arte cædendum, aut inſidiis circumveniendum (qvod ipſum vocabulum *latrunculorum* indicat) ejusqve dolos cavendum, ac prælio imaginario vincendum. Hoc de Theoderico rege Gothorum teſtatur Sidonius lib. I. epiſt. II. *Putes illum & in calculis arma tractare. Sola eſt illi cura vincendi.* Ad qvæ verba Savaro in ſuo Commentario ſic notat: *Ludus calculorum inventus fuit, ut qvi eo genere ludicri certaminis exercentur, rectè atqve ordine inſtruerentur exercitum movere.* Donatus in Terentii Eunuchum pag. m. 47. *Rex Pyrrhus peritiſſimus ſtrategematum, primus, qvemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit.* Hæc de veterum Exercitiis militaribus.

Hodiernis moribus tam eqvites, qvàm pedites & claſſici milites, in campo & undis domi magnâ cum induſtriâ, ipſius Regis Sveciæ CAROLI XI. Regis & Domini noſtri Clementiſſimi ſingulari prudentiâ, ductu & labore indefeſſo exercentur, & præparantur ad ea, qvæ adverſus hoſtem rectè & feliciter uſurpaturi ſunt, arma. Satis enim intelligit Regia Majeſtas, etiamſi cognitio rerum militarium ipſo uſu & experientiâ firmetur; tamen ſatius eſſe, freqventibus exercitiis artem belli à ſuo Rege & militiæ peritis, qvàm ab hoſte milites doceri. Illud enim haud exiguo commodo, hoc ſæpe magno detrimento eſt. Veriſſimum hîc Vegetii dictum lib. I. de re militari cap. XX. *Qvi exercitium laboremqve declinant, cum maximo detrimento trucidantur, ut pecudes.*

De modo verò exercendi hodie militem, ut re peritis ejus ſatis notâ, non eſt qvod agam: ne mihi forſan objiciatur, qvod ab Annabile qvondam Phormioni.

CAP. IV.

De acie, præliis & aſtu priſcorum Sveonum adverſus hoſtem. De eorum munitionibus, oppugnationibus & defenſione urbium & caſtellorum adverſus hoſtilem irruptionem.

De

De aciei ordinatione veterum non tam accuratâ, qvàm hodie eſt. De conclamatione ad arma. Vocis Iodut vel Iadut in Svecicâ Bibliorum verſione ſignificatio. Qvalia veteribus prælia, qvalis aſtus adverſus hoſtem. qvales muniendi urbes & caſtella ſua, & oppugnandi urbes & arces hoſtiles modi illis fuerint. Ligo & palus qvanto ſint uſui in bello. Vivi aggeres, eqvi ignivomi & Veltæ qvales fuerint, explicatur. De modis defendendi munita loca contra vim & incurſionem hoſtium ac prædonum. Conjectura de ſede vel Caſtello Thorborgæ in Ullerâker.

AB exercitiis militaribus, ad ipſum belli actum pergimus. Ut hodie gens noſtra, ſic olim in bello, qvoties occaſio & vires aderant, hoſti pugnæ copiam facere atqve acie decertare non detrectabat. Qvamvis autem veteres exercitum ſuum in certa ſigna diſtinxerint, aciemqve diſpoſuerint; ut de Vitige Gothorum duce contra Romanos Procopius lib. I. hiſt. Goth. *Vitigis ordinavit ipſe aciem; ſic ut medium locum tenerent pedites, cornua eqvitatus;* non tamen eo ordine hoc fecerunt, nec tam accuratè qvàm hodie fit. Ordinandi enim & inſtruendi aciem peritia non ita nota antiqvis & majoribus fuit, atqve hodie eſt Sveonibus. Eqvidem Olaus Magnus lib. VII. rer. Septentr. cap. VI. ingenuè fatetur, etiam ſuæ ætatis populo *morem eſſe tumultuariâ atqve curſoriâ pugna dimicare.* Poſtqvam autem acie ſuo more formatâ, ſignum ad pugnam datum erat, gladiis ad ſcuta concrepuerunt [ut eſt in hiſtoriâ Gôtrici & Rolv. cap. XXIX. pag. 237.] animandi ſui cauſa. Videntur etiam, more vicinorum Germanorum, ad arma conclamaſſe. de qvo Tacitus II. hiſt. *truci cantu,* qvem *barritum* vocabant, *in prælium iviſſe.* Priſcis Sveonibus *herôp* dictus eſt, qvi hodie *heerſkrii*, i. e. *exercitus clamor* dicitur. De more Saxonum Krantzius Saxoniæ lib. V. cap. XXXVI. ita: *Eam, qvæ hodie exſtat, conclamationem ad arma & auxilium non ab idolo* (qvale plebi ſuperſtitioſæ Saxonum in gentiliſmo *Iodute* fuit; ut refert lib. VI. Metropol. cap. VII.) *ductam, ſed eſſe vocem Italicam aut Gallicam* Io adiute mi *doctiores arbitrantur.* Et huc Elias Schedius in lib. de Diis Germanorum, Syngram. III. cap. VI. haud dubiè reſpexit; dum qvaſi *adjutorii ſignum in acie* olim Saxonibus fuiſſe ſcribit. Olaus Petri in proœmio Annalium Svecicorum MSS. teſtatur qvoqve, *Iodut* idolum Germanorum fuiſſe, qvod forſan ex Hebræo *Iodaim* deſcendit, *qvi futurorum conſcius eſt*, ſignificante; velut obſervat Seldenus in lib. de Diis Syris Syntagm. I. cap. II. p. 121, 122. Hinc illud colligo, qvod Saxones olim in gentiliſmo iſtud idolum *Iodut*, ingreſſuri pugnam, invocarint: ut qvaſi *futuri eventus præſcium*, eorum fortunæ faveret, & qvidem *contentâ ac truci voce* invoca-

invocarint. Poſtea à Chriſtianis factis Saxonibus, abolitâ ſuperſtitione, idem tamen vocabulum retentum eſt pro *gravi clamore.* Sic enim adhuc vulgus Saxonum *de multum vociferante* aut *clamante* uſurpat: *Er ruffet jodut*, vel *jadut.* Hanc loqvendi formulam Saxonicam haud dubiè imitatus eſt auctor verſionis Bibliorum Svecanæ, in qvâ Jerem. cap. XII. v. 6. & cap. XV. v. 10. ubi de *conclamatione populi* ſermo eſt, Sveticè redditur *Ropa jadut:* illa enim vox in nullâ aliâ S. Codicis verſione reperitur, qvantum mihi conſtat. Illud tamen ex occaſione huc referre viſum eſt.

Poſt conclamationem ad arma, animis fervidi ſtrenuè in hoſtem vadebant milites aut vincere, aut occumbere pro Rege & patria parati: belli pericula, ipſamqve mortem fortibus animis contemnentes. Ne tamen furioſus eſſet impetus, qvi in præcipitem audaciam erumperet, aut amiſsâ primâ vi, ſubitò torperet; ducum admonitio, ratio & uſus illum ita moderabantur, ut audaciæ conſilium & ordo, utriqve bona fortuna non deeſſet.

Aperto magis bello, qvàm dolo pugnare, virtuti ſuæ convenientius exiſtimabant Gothi. Si tamen vires non ſufficerent, aut vis armata locum non haberet, aſtu qvodam hoſtem ſuperare connitebantur. Qvod ſilvæ occultandis adverſus hoſtes inſidiis habiles ſunt, ex illis ſubitò in hoſtem prorumpendi occaſionem petebant. Aliqvando, qvà hoſti transeundum erat, arbores prope viam ita ſuccidebant, ut levi motu impulſæ in ſubeuntes, fataliqve ictu copias hoſtiles obtererent. Ubi neceſſe erat, arboribus ſucciſis hoſti tranſitum, qvà via publica ferebat, præcludebant. Nonnunqvam tribulis terrâ ſummâ tectis, aut inſidioſis foveis hoſtium irruptionem retardabant. In fundis aut faucibus portuum cœcos ac latentes palos, aut denſas ſudes ſub aqvis defigebant (qvod hodie ſolent demerſis obſoletis navibus) ut acceſſum hoſti prohiberent.

Muniebant qvidem priſci urbes & arces ſuo more ex arboribus & materia; nec tamen absqve arte, foſſis, cuniculis & ſubterraneis viis ſubſtructis; ut videre eſt in hiſtoriâ Götrici & Rolv. cap. XXI. & XXIV. præcipuè ubi de Thorborgæ & Erici Regis Sveciæ filiæ munito in Ulleråker caſtello vel palatio agitur. Memorabile ibi refertur inventum contra ignes, & qvidem in muro ex caudicibus conſtructo, per ingenioſos aqvæ meatus, qvale non alibi obſervatum eſſe Schefferus noſter notat.

Nec defuere priſcis expugnandi arces & caſtella hoſtilia, ſua defendendi modi. Tacitus qvidem lib. XII. Annal. vult, *nihil tam ignarum exteris fuiſſe, qvam machinamenta & aſtus oppugnationum. at Romanis eam partem maximè gnaram.* Facilè qvidem largimur, Romanos eâ parte præcelluiſſe; nihilominus haud inviti credimus, Sveo-Gothos etiam qvondam ſuas

r habuiſſe

habuiſſe *machinas*, qvibus muros ſubruerent (de qvibus, ſup. h. lib. cap. 11.) qvum id gladiis & telis ſolis nullæ manus poſſint. Si verò plura ipſis defuiſſent ad hoc inſtrumenta, *ligonem* & *palum* ad manum habuere: qvæ militari proverbio demum illa eſſe dicuntur, qvibus arces & propugnacula vel exſtruuntur vel deſtruuntur. In expugnatione murorum aut aliorum munimentorum ſuas etiam habuere vineas, more Romanorum. *vid. Scheffer. ad hiſt. Gotric. pag. 131.* Ad dextram ſiniſtramqve capitibus humerisqve qvaſi vallo conſertorum clypeorum objecto, ictus ſagittarum fundarumqve eludebant. Idqve vel ipſi repererunt; vel imitati ſunt exemplum veterum Gallorum & Romanorum: qvi ita teſtudine vel crate clypeorum contra vim telorum & ſaxorum tecti confertiqve muris aut portis ſuccedebant; qvorum concinnam figuram & deſcriptionem habes apud Lipſium de militiâ R. dial. V. Hujusmodi clypeati, *vivi aggeres* noſtris Gothis appellabantur, ut Olaus Magnus lib. IX. rer. Septentr. cap. XIII. tradit. Qvandoqve faſces lignorum conſertos & ſtipitibus ſuffixos contra vim obſeſſorum noxia effundentium, obſidentes & mœnia oppugnantes ſubierunt; ut legere eſt in hiſt. Gotric. cap. XXIV. pag. 139. Interdum eqvos æreos aut ferreos fabrefactos muris obſeſſorum admoverunt, qvi naribus & ore vivum ſpirabant ignem: & qvæ non poterant adire tecta mœnia ac propugnacula, flammis tamen eructatis contingebant; meliores eqvo Trojano; non enim occultâ fraude, ſed apertè nocebant, pro viris & ferro ignem effundentes, de qvibus Olaus Magnus lib. IX. cap. IV. Præter iſtos *eqvos ignivomos*, ſuas etiam habebant *Veltas*, ita ſuâ lingvâ à volvendo nominabant. Hæ erant hujusmodi: Arbuſta & ſarmenta confertis juniperis, pice & cortice arborum betulinarum, materiâ igni nutriendo aptâ, reſtibus conſtringebant. mox incenſa, ventoqve proflante adjuta, propugnaculis & arcibus admoliebantur, tanto nonnunqvam congeſtu & mole, ut centum milites in iis advolvendis occupati eſſent, ut memorat Olaus Magnus lib. VII. cap XVII. & XVIII. Iſtæ Veltæ ignem latè & circumqvaqve ſpargebant, obvia qvæqve crepitantibus & infeſtis flammis corripientes, & comburentes. Ita qvidem obſeſſores cum obſeſſis agebant. Si verò ipſi in præſidiis locati, ab hoſtibus obſidione urgerentur, cratibus vimineis muros obtegebant: qvibus vim miſſilium retunderent ac debilitarent. Interim jaculis & pilis ex arcibus ac muris hoſtem deſuper impetebant. Sed & magni ponderis ſaxa & ſudes in ſubjectos devolvebant. Nonnunqvam calcis aut picis ardentis pultem aut ferventem aqvam in adſcendentem & oppugnantem muros hoſtem profuderunt: qvæ veſtem, capillos & cutem

depaſcens,

depaſcens, maximi tormenti loco erat. De his & aliis Gothorum belligerandi modis tam terreſtribus qvam maritimis qvum Olaus Magnus qvinqve libris à ſeptimo usqve ad duodecimum prolixè ſcripſerit, ego brevior ero: præſertim qvod vetus præliorum & oppugnationum modus ab hodierno non parum diſcrepat.

Hoc duntaxat paucis addam, qvod veteres Sveones etiam ſoliti ſint caſtella & propugnacula qvædam, ut & ſpeculas ad vias publicas exſtructas habere: qvibus impoſita præſidia defendebant loca irruptioni hoſtium & prædonum opportuna. Sanè *caſtellorum* & *Burgorum* rudera ac veſtigia, paſſim in regno adhuc exſtantia, ſatis id demonſtrant: Velut in Uplandiâ, præter *excubiarum ſedes*, qvas *Wakaſal* & *Wårdſeter* appellabant, in Altuna parœciâ, prope pagum Billerſteen, Caſtellum *Borgberg* in colle excitatum. Id nonnulli volunt eſſe reliqvias Caſtelli Thorborgæ. Eqvidem pagus *Ulleråker* adhuc dictus, antiqvam ejus ſedem non procul hinc abſuiſſe, indicio eſſe poſſit. Ita in Sudermanniæ parœciâ Bethnâ, in prato Bogſtans exſtat Caſtellum vel mons *Wiiſeberg* à *monſtratione advenientium hoſtium*, ut videtur, ita dictus, CC. ulnas altus. In Oſtrogothiæ parœciâ Thunâ editus mons, ex illa parte, qvâ adſcenſus patet, longo muro munitus, qvi adhuc *Qvåtta* vocatur, à prædonibus *Qvåttokarlar*, ut videtur, ita dictus: vel qvod prædonum olim receptaculum, vel contra prædones munimentum fuerit. Et talia alibi propugnacula, ex aſperis ſaxis adverſus hoſtes conſtructa, reperiuntur paſſim.

CAP. V.

De diſciplinâ militari priſcorum Sveonum, & hodiernâ.

De modis exercendi diſciplinam militarem apud veteres. De educatione ruſticæ juventutis in potu, cibo, ſomno, veſtitu, induratione corporis per frigus, æſtum ac labores militares. De militum obſeqvio erga Regem & duces ſuos ac fide. De hodiernâ diſciplinâ.

INter belligerandum priſci non obliti ſunt diſciplinæ militaris, qvæ exercitum in officio continet. Etiamſi verò illis non eadem fuerit diſciplinæ militaris forma, qvalis nunc eſt; & moribus noſtris non poſſit eſſe ſemper tam caſtigatus & exactus diſciplinæ bellicæ vigor, ut non aliqvo corrumpat eam licentia militaris, aut degenerum morum labes & exem-

 plum;

plum; tamen qvantum fieri potuit, à ſuperiorum & noſtrorum temporum Regibus Sveticis proviſum eſt, ut licentiæ materia tolleretur, & flagitia militaria ſeverè punirentur.

Si qvis ex contumaciâ miles abnueret obſeqvium, aut ſigna deſereret, aut aliud grave delictum admitteret, pœnâ capitis, aut privatione cinguli plectebatur. Qvæ pœna tunc admodum ignominioſa erat. Qvum enim cingulum eſſet inſigne decoris militaris, eo privatus, honore & famâ dejectus eſſe cenſebatur; æqvè ac ſi hodie miles aut nobilis gladio ob delictum aut inſignibus exuatur. Præter hanc pœnam, *fuſtuarium*, ut fuſtibus aut flagris cæderetur, & *heeribannus*, ut vocabant, i. e. ab exercitu excluſio & proſcriptio in uſu erant; de qvibus in Legibus Wiſigothorum plura. Præcipuè tamen ruſticæ juventutis ad militiam conſcriptæ rigida & ſtrenua educatio ſervabat qvoqve veterem diſciplinam; niſi pravis exemplis corrumperetur. Qvod Vegetius lib. I. rei milit. de plebe ruſtica ſcribit: *Nunqvam potuiſſe dubitari, aptiorem armis ruſticam eſſe plebem, qvæ ſub dio & calore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligens, deliciarum ignara, ſimplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris. Cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre, conſvetudo de rure eſt; & minus timere mortem, qvi minus deliciarum novit in vitâ*; hoc in Svetico milite, domi ruriqve lecto, ipſe belli uſus & experientia ab omni ævo ſatis comprobavit. Frigoris enim non minus qvàm æſtus patiens, & magis illius, qvam hujus, cœlo ſuo duratus, & parvo contentus delicias non novit. Si ſitis eum urgeat, tenui potu, ſi ille non ſuppetat, vel lacte, vel inciſæ betulæ ſucco, vel aqvâ purâ pro potu utitur. Si fames eum premat, in penuriâ panis, corticem arborum in farinæ modum ſubigere, & in panis uſum ſpiſſare atqve comedere adſvevit. Si ruſticus convivio forte lautiori adhibeatur, niſi conſvetum accipiat cibum, faſtidit omnes delicatas epulas, & offendit ſtomachum. Si juveni ruri nato ſternatur lectus, plumis ſuffartus, ejus corpori tam gravis eſt, qvàm divitibus & mollibus ſcamnum aut humus. Lectulum mavult gens ruſtica, qvi reſiſtat corpori, qvàm qvi illud mergat, pigrumqve ſui veſtigium relinqvat. Unde in bello ſub ruſtica pelle humi ſomnum capit. Vetus eidem & patrium eſt, Regem, & poſt eum, ducem revereri. his, præter jurisjurandi religionem, ultrò obſeqventem & dicto audientem eſſe, ducentes alacriter ſeqvi, & potius mori, qvàm fugere. Adamus Bremenſis: *In prælium euntes Sveci omnem præbent obedientiam Regi, vel qvi ei ductor cæteris à Rege præficitur.*

Si verò ex bello in patriam redierint, omnia domi tam pacata & qvieta ſunt,

ta ſunt, ac ſi nullus in regno miles eſſet; factio, tumultus & rapina vel nulla, vel rariſſima. Miles cum agricola, tanqvam filius cum patre, degit & converſatur. Qvoties vacat ab exercitiis militaribus, eidem pro victu vel exiguâ mercede in opere diurno aut meſſis tempore ſocias & miniſtras manus præbet. Hæc domi foriſqve modeſtia ſeveræ juſtæqve diſciplinæ, compoſitis induſtriâ & temperantiâ moribus debetur.

CAP. VI.

De priſcæ gentis Gothicæ moderatione victoriarum; hodieqve obſervabili.

Qvàm moderati in victoriis priſci Gothi fuerint, & erga hoſtes ſupplices, deditos & inermes humani. Nec minus poſteri, rectè ſentientes. De vocis Ranſun *origine. De fructu moderationis in victoria.*

QVanqvam, dum diſciplinam veterum perpendimus, antiqvos Gothos ab omni trunculentiâ in bello penitus abſolvere & excuſare non poſſumus. Aliqvando enim captivos Marti victimas devoviſſe & trucidaſſe, aliaqve feritatis exempla illos edidiſſe, liqvet ex Procopii lib. II. edit. Grot. p. 261. 262. & aliis; attamen virtutis imperatoriæ beneficio, ſtrictæqve diſciplinæ adjumento, adhuc pagani, & maximè ex qvo Chriſtianâ religione imbuti fuerunt, moderatius in devictos conſuluerunt.

Procopius & Oroſius lib. VII. cap. XXXVI. auctores ſunt, poſtqvam Gothi Romam ſub Alarico Rege occuparant, ad edictum regium eos à S. Petri & Pauli templis, iisqve qvi eò ſe receperant, aut iſtic ſacra faciebant, ferrum & manus abſtinuiſſe. Hanc illorum moderationem Auguſtinus lib. I. de Civit. Dei cap. I. ita extollit, ut ſupra Romanorum laudem ponat. Iſidorus in Chronico Gothorum refert, etiam ipſis, qvi extra loca ſacra erant, ad ſolam nominis Chriſti mentionem, armorum ſævitiam peperciſſe, atqve ſic multa millia Romanorum evaſiſſe. Aliud & memorabile modetionis exemplum referunt Oroſius dicto loco, & Freculphus in Chronico ſuo, qvod tale eſt: Diſcurrentibus per urbem Romam militibus Gothis, cum fortè unus eorum prævalens, ſed Chriſtianus, ſacram Deo virginem, ætate provectam, in eccleſiaſtica domo deprehendiſſet, illam absqve morâ, qvicqvid opum & auri in iſtâ domo erat, in medium proferre juſſit. qvod ubi factum, miles magnitudine & præſtantiâ illorum theſaurorum attoni-

tus ſtetit. qvem virgo ſic affata eſt: *Hæc Petri Apoſtoli ædis ſacræ miniſteria ſunt. aufer, ſi audes, ego qvæ defendere non valeo, neqve tenere audeo.* Ille metu numinis & fidelitate virginis motus, hæc ad Alaricum retulit; qvi continuò reportari ad ſuum locum univerſa, ut erant, vaſa imperavit; virginem, omnesqve, qvi ſe ei adjunxerant, Chriſtianos, eodem cum præſidiis incolumes deduci curavit. En Alarici generoſus animus, divitias non qværentis victoriaqve rectè utentis!

Qvam humani majores erga ſupplices, deditos & inermes fuerint, exemplum qvoqve non unum docet: ſic ut non ſolùm nefas duxerint, vim illis facere, ſed etiam ab aliis vim inferri prohibuerint. Malchus Philadelphenſis in hiſtoriâ Byzantinâ (ut eſt in Excerptis Legationum) hoc de eis teſtatur his verbis, Latina ſolùm adferam: *Nefas eſt Gothis, ſupplices & eos qvi ſalutem deprecantur, his qvi eos comprehendere & vitam eripere volunt, prodere.* Auguſtinus lib.III.de Civit.Dei cap.XXIX. *Gothi tam multis pepercerunt, ut magis mirum ſit, qvod aliqvos peremerint. At verò Sulla vivo adhuc Mario ipſum Capitolium, qvod à Gallis tutum fuit, ad decernendas cædes victor inſedit.* Velut ergo Sylla, cæſis civibus & ſupplicibus, naturam ipſam ac jus gentium gravi contumeliâ affecit; ita Gothi eadem in hoſtibus deditis & ſupplicibus clementer habitis reſpexerunt. Tempore Leonis Imperatoris in urbe Byzantinâ qvidam Gothus nomine *Oſtrus* (hodie *Oſtanus* diceretur niſi *Oſtrogothum* natione ſignare voluerit) Aſperis Patricii, principis Senatus, amici ſui, à tyranno iſtic occiſi, necem ita ultus eſt, ut cum aliis Gothis palatium ingreſſus, præcipuos facinoris auctores & miniſtros interemerit, atqve inde in Thraciam aufugerit. Ei hoc elogium Byzantini tribuerunt: *Nemo eſt amicus mortui, niſi ſolus Oſtrus*, ut eſt apud auctorem veteris Chronici Alexandrini p.m.746. Qvicqvid ſit, moderationis ſuæ in victoriâ commodum tantum ceperunt Gothi victores, ut mallent devicti ſub eis modica tolerare & pacificè vivere; qvàm inter ſuos divitiis abundare, & tamen iniqvè ac duriter haberi; veluti priſci ſcriptores de iis memoriâ produnt.

Noſtræ ætatis heroës & Reges Svecani, eorumqve cives ac ſubditi, rerum bellicarum proſperitatem reverenter habentes, pari laude digni ſunt; uti Johannes Magnus lib.IV. Hiſt. Svec. cap.IX. ſcribit: *ſupplicem aut debilem* (videtur ſcripſiſſe *deditum*) *vel arma abjicientem hoſtem occidere, etiam hodie apud Gothos ſempiterno opprobrio dignum computatur.* Unde cum devictis ita agere ſolent, ut ædibus ſacris & inermibus parcant, deditos in fidem, ſupplices in gratiam recipiant; de captivis inter ſe vel gratuitâ permuta-

mutatione, vel certo & æqvo redemptionis pretio cum hoſte conveniant. Illud pretium redemtionis vulgò *Ranſon* vel *Ranſun* veteri voce Gotho-Teutonicâ appellatur à *rån* vel *ran rapina*, & *ſona* vel *ſuna*, pacare vel *placare* aut *redimere*. Sic in Legibus Gulielmi Regis Angliæ cap. LXII. *Ran dicunt apertam rapinam;* & in lege Salica cap. LXIV. *Charæna*, qvaſi *abacti pecoris raptus*, ut *Gårtiuf* Sveticè *abigeus*. Eſt ergo *Ranſon* vel *Ranſun* idem qvod *compoſitionis* aut *redemtionis pretium pro rapto* vel *abrepto captivo*.

Hoc autem victori præſtantiſſimum eſt victoriæ pretium & conſtans fructus, ſi devicti tam ejus imperium ament, qvàm arma reformidarant.

CAP. VII.

De præmiis proſperæ militiæ & virtutis militaris veterum; & adhuc fortitudini paratis.

Quæ præmia rerum bene geſtarum & felicis militiæ apud priſcos Sveo-Gothos fuerint præcipua, nimirum tropæa, epinicia, perpetua fama literis mandata. Principes verè cordatos, non indignos, ſed bene meritos ad honores evexiſſe. Equeſtris honoris dignitas. De Nobilitatis ortu, gradibus, inſignibus, immunitate. De origine Juris Feudalis. Unde Wapn *commune nomen armis & inſignibus factum ſit. Unde inſignia Nobilium galeas criſtatas & perforatas præferre cæperint. De pedeſtris exercitus præmiis.*

HOc meritis ac virtuti victorum Sveo-Gothorum debebatur, ut iis Trophæa, vel è ſaxis victoriæ monumenta in loco pugnæ ponerentur. Item Epinicia, ſive laudes victoriæ à Scaldis ſuis decantarentur (de qvibus ſup. lib. II. cap. XV. & XXI.) Præſtantiſſimum autem omnium erat, proſpera rerum fama, & ut vivacior, imò perpetua eſſet, Annalium fidei commendata.

Non autem repente Principes ad majora qvoscunqve, ſive nobiles ſive plebejos extollebant; niſi in inferioribus antea ſatis probati eſſent. Homines contra nullius ſtipendii & rerum inexpertos honoribus raptim præficere, aut inſigniter meritis præponere, ſibi parum honorificum, militiæ ac reip. parum utile judicabant. Bellicis verò factis inſignes eqveſtri ornabantur honore, & qvæ eum comitabantur, cingulo vel enſe, galea & clypeo; ſic ut ipſe Rex qvandoqve eqvites illis indueret, ut Snorro in Chronic. Norveg. pag. 43. & Olaus Magnus lib. XIV. cap. VII. obſervavit. Eqveſtris

ſtris eqvidem ordinis viri præcipuo inter nobiles loco olim erant. Souterus in Repub. Sveciæ cap. VII. *Dignitas eqveſtris ſive Eqvitum auratorum à remotiſſimâ hominum memoriâ ad hunc uſqve diem apud Sveones Gothosqve præmium præclarorum facinorum fuit.* Et Chytræus part. II. Chron. Saxon. p. m. 300. 301. *Eqvitis aurati ſumma poſt Regem nobilitas olim in regno Sveciæ fuit.* Imò tanti fuit apud veteres ille honor, ut non modò Nobilibus bene meritis, ſed etiam viris Principibus haberetur & conferretur. Magnus Ladulas enim filium ſuum Birgerum Eqvitem auratum, & ille poſt defunctum patrem Rex factus, in Coronatione ſuâ Albertum Ducem Brunſvicenſem, & Waldemarum fratrem ſuum Eqvites creavit, uti teſtatur Ericus Upſal. lib. III. Hiſt. Svec. Sed hodie ſine opibus parum placet, etſi honoratus, maximè titulus.

Sicut autem Nobilitatis certi gradus ſunt, de qvibus ſup. lib. II. cap. X. dictum eſt; ita communibus qvidem, ſed in nonnullis pro diverſitate officiorum, diſtinctis honoribus fruuntur; qvod aliis qvoqve cultioribus gentibus in more poſitum eſt. Grotius de Batavis cap. V. Antiq. Reip. Batav. *Barones, Eqvites, Scutiferi ſunt gradus Nobilitatis.* Scutiferi noſtratibus olim *Armigeri* dicti, proximi ab Eqvitibus etiam hîc fuiſſe videntur, Regi in bello à latere, ejusqve arma geſtantes, unde nomen habuerunt. Poſtea gentile nomen factum eſt, armis vel inſignibus gentilitiis à reliqvis, talia non habentibus, diſtinctum, ut notat Joh. Meſſenius Theatri Nobilium cap. IV. *Svvena* Sveticè dicti, nobiles qvidem & militares viri erant, ſed non paris cum Eqvitibus dignitatis; niſi eam ſingularibus meritis ſibi adqviſiviſſent; qvo reſpectu *Eqvitibus æqvales* dicebantur i. e. *virtute Eqvitibus non cedentes*, & de qvibus ſpes erat, eos parem dignitatis gradum ſibi virtutis merito comparare poſſe, qvi Germanis Rittermäßige dicuntur.

Ex armatâ verò virtute, aut militiâ, Nobilitatis inſignia hîc primum orta videntur: dum qvi fortiter & ſtrenuè præ cæteris, præſertim in eqveſtri militiâ ſtipendia fecerant, inſignibus Nobilitatis vel immunitate donati ſunt. Nec tamen militaribus ſtudiis, qvaſi vallo, ita obſepta eſt nobilitas, ut ad eam bene de Repub. pacatâ meritis occluſus eſſet aditus. Qvod Salluſtius dixit: *Vel pace, vel bello clarum fieri licet*, etiam in Sveciâ locum habere, experientia teſtis eſt.

Nobiles, præter alia beneficia ac honorum decora, etiam prædiorum immunitatem meruerunt & acceperunt à Regibus, æqvis meritorum æſtimatoribus. Iſtæc prædia vel jure hæreditario in perpetuum, vel jure fiduciario, & ad certum tempus ipſis concedebantur, & adhuc conceduntur;

duntur; illa *Allodia*, hæc *Feuda* appellantur. Eorum originem ad Longobardos, Gothos & Saxones referendam eſſe, aliqvot Juris Feudalis voces, illarum Gentium lingvam redolentes, indicio ſunt; de qvibus in Appendice ad Lexicon Juris Sveo-Gothici actum eſt. Qvi verò bona vel poſſesſiones immunes habent, inde *Liberi* appellantur, non qvod ab omni onere prorſus immunes ſint; onus enim militiæ eqveſtris præſtant; nec qvod reliqvi ex populo aut plebe ſint mancipia vel ſervi; ſed in comparatione illorum, qvi onera majora præſtant, & qvi bona ſua à cenſu immunia non habent, *liberi* vel *immunes* nuncupantur; velut Ariſtoteles lib. III. Politic. cap. VII. *liberos* & *tributa ferentes* opponit. Qvin agricolarum filii fideli operâ eqveſtri, & inſigni virtute, à Rege nobilitari ſolitâ, ſibi parem & hæreditariam bonorum immunitatem adqvirere poſſunt: ut oſtendatur, non ſoli generi, ſed cujuscunqve probatæ virtuti honoris viam hîc apertam ſtare.

Ex eadem militiæ origine ſunt haſtilis aut lanceæ uſurpatio, & torneamenta, tanqvam præludia qvædam militiæ. Item nomen *Wapn*, commune *armis & inſignibus* factum. Tacitus in Germ. ubi de Gothis & vicinis populis agit, ſic loqvitur: *Omnium harum gentium inſigne, rotunda ſcuta, breves gladii.* Inſigne iſta arma vocat Tacitus, qvod per ea præcipuè ab aliarum gentium armis diſtingverentur. Ab armis tamen & præcipuè *ſcutis* Gothorum, qvibus ſigna qvædam inſculpta, vel imagines diverſi coloris appictæ erant, iſtæ imagines poſtea aſſumtæ, loco ſtemmatum aut inſignium fuerunt, qvæ nunc etiam *Wapn* vocamus. Inſignia iſtæc primo Gothorum ævo fuere ſimpliciſſima, certis duntaxat ſpatiis aut paucis coloribus diſtincta; in qvibus vulgatiſſima erant illa, nimirum *laterculi*, *lineæ*, *trabes* aut *rhombi*. Sed auctis apud poſteros eorum honoribus, Regum indulgentiâ ampliora & illuſtriora facta ſunt. Qvod autem ex militari virtute primùm orta, & à *ſcutis* vel *clypeis* initio deſumpta ſint *inſignia*, etiam hoc probat, qvod adhuc, qvando qvis à Rege nobilitatis honore ornatur, dicitur *immunitatis privilegiis & inſignibus clypei donari.*

Galeæ criſtatæ in bello capitibus eqvitum, partim terroris, partim ornamenti cauſa imponi ſolitæ, deinceps inſignibus Nobilium etiam ſuperimponi cæperunt. Lipſius lib. III. de militia Rom. dial. IV. *Galeæ iſtæ qvæ ſcutis imponuntur, familiarum antiqva dogmata, originem habent à multivariis iſtis criſtis, qvæ galeæ ſolebant imponi.* Qvod autem galeæ Nobilium perforatæ ſunt, ex iſto principio ortum eſt, qvod priſcis ſeculis eqvites primò unum foramen in frontiſpicio galeæ fecerunt, per qvod adverſum hoſtem

proſpicerent. Talem formam veteres galeæ, qvæ Stocholmiæ in Armamentario Regio, inprimis Magni Ladulis & Caroli Canuti Regum, adhuc adſervantur, ut vidi, præferunt. Deinde paulatim pluribus foraminibus ornatus cauſa perſpicuas reddiderunt: qvæ poſtmodò, velut decoris militaris argumentum, inſignibus Nobilium ſuperius inſigebantur. Hæc de Eqveſtris militiæ præmiis.

Pedeſtrium militum præmia non qvidem tanta ſunt, attamen, præter hoſtilem prædam, habent ſua tam domi qvam foris militiæqve ſtipendia. Vel ſi iſtæc aliqvando tardius procedant, adqvieſcunt, ſi cibum & veſtem habeant; & ſibi inſuper aliqvid labore manuum adqvirant. Qvi verò debiles corpore vel ſaucii laborare neqveunt, Wadſtenis in domo militum gratis cum uxore & liberis ad mortem usqve aluntur.

CAP. VIII.

De ſucceſſu veterum bellorum Sveo-Gothicorum, & migratione gentis per varias orbis plagas. De hodiernorum armorum ſucceſſu, & regni amplificatione.

De cauſis emigrationis Sveonum in exteras oras. De bellis & migratione priſcæ gentis Sveo-Gothicæ in Pomeraniam Mechlaburgum & Vendorum terras. De progreſſu ejus in Germaniam, Saxoniam, Thuringiam, Helvetiam & ad Svitzeros, gentis Sveticæ propaginem. Item in Scotiam, Galliam, Longobardiam, Italiam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Cathaloniam, Thraciam, Græciam, Phrygiam, Aſiam, Tauricam Cherſoneſum, Ruſſiam & vicinas oras egreſſus. Periodus armorum & fortunæ Sveo-Gothicæ hodierna.

DEniqve grande bellorum pretium præmiumqve erat, qvod priſci Sveones & Gothi, partim ob multiplicationem gentis ſuæ, domi non ſatis alendæ, partim ob experimenta virtutis bellicæ, & ad rem per ea faciendam, toties ad exteros emigrarunt, atqve arma ſua tam latè longèqve tantoqve cum ſucceſſu protulerunt, ut in univerſi ferme terrarum orbis plagis præcipuis, victoriarum ac virtutis ſuæ paſſim exercitæ tot monumenta reliqverint illuſtria. P. Callimachus Experiens in vitâ Attilæ: *Gothi exercitati omnium fere gentium bellis, & victoriarum numero & magnitudine inſignes.* Petrus Bertius lib. II. Germaniæ cap. XVI. *Sveones & Gothi*

Gothi, ſuis olim relictis ſedibus, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Hungariam, Bohemiam, Africamqve perruperunt, ſuiqve apud illas gentes ſermonis & victoriarum veſtigia reliqverunt. Alphonſus de Carthagena in Hiſtoriâ de Regibus Hiſpaniæ cap. VI. *Revera nullius gentis ſtrenuitas ita regnis & imperiis ſe objecit, ſicut Gothorum.* Hæc ne verba ſola putes, rem auctorem dabo, ſed ſtrictim: qvum res tota ad hiſtoriam pertineat. Primum verò qvàm feliciter foris, deinde domi, arma ſua protulerint, dicetur.

In vicinas regiones Pomeraniam, Mechlaburgum & iſtis confines oras egreſſi Sveo-Gothi, jam tempore Bericonis Gothorum Regis, potentiſſimorum Slavorum aut Venedorum (qvos vulgò Vandalos aut Vendos vocant) tunc iſtic habitantium terras populati, eas ſibi tributarias fecerunt. Jornandes: *Gothi Ulmerugorum vicinos Vandalos jam tunc ſubjugatos ſuis applicuere victoriis.* Et Helmoldus cap. VII. Chron. Slavorum: *Nortmannorum exercitus collectus fuit de fortiſſimis Danorum, Sveonum, Norvegorum. Primo omnium Slavos, qvi præ manibus erant, miſerunt ſub tributum, deinde cætera finitima regna terrâ mariqve vexabant.* Confer hîc qvoqve Albertum Crantzium lib. 1. Hiſtor. Svec. cap. III. & Joh. Magnum 1, 15. De Sarmatarum regione Jornandes: *Gothi regionem Sarmatarum aggreſſi, copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus.*

In Germaniam progreſſi Gothi, in Thuringiâ *Gotham*, & alias de ſuo nomine urbes; item *Altengotham* & *Gottingam* in Saxonia Ducatuqve Brunſvicenſi, in ſuæ gentis & virtutis memoriam, Haldano Erici F. Seciæ Rege, condidiſſe feruntur. licet alii aliter. *Suitzerorum* etiam genti à ſe Sveci propaginem & nomen dederunt. qvod non ſolum noſtrates Hiſtorici, ſed etiam exteri, & viri eruditiſſimi atteſtantur. Qvin ipſe Helvetiorum hiſtoricus Stumpfius rer. Helvetic. lib. IV. cap. IX. p. 229. ex veteri auctore Gilgo Tſchudi *Suitzeros* à *Svvitzero duce Svecorum*, qvum ſe cum Cimbris in expeditione adverſus Romanos conjunxiſſent, deducit. Julius Cæſar Scaliger in Oratione funebri dictâ memoriæ militum Germanorum ad Viennam cæſorum: *Ubi*, inqvit, *in præſentia ſunt Helvetii? Nonne eorum pagos ac præterea vicinas urbes munitiſſimas è Svecia cives ita occuparunt? ut ex patrio nomine & vocabulo dominatus Svitzeri dicti ſint.* Grotius in Prolegomenis Gothicorum pag. 60. *Svizzeros à Svidis* (Svedis) *dictos tradit Gvillemannus. Probabilitas dicto inde, qvod crebri per Alpes tranſitus ſvaſere partem ibi ſuorum præſidia relinqvere.*

Scotos Gothorum prolem ſe agnoſcere, produnt Giraldus Cambrenſis & Camdenus in ſua Britannia: *Nec fraudi*, inqvit, *Scotico nomini eſſe poteſt,*

ſe Gothorum prolem agnoſcere: cum potentiſſimi Hiſpaniarum Reges hinc ſtemma ducere glorientur. Eodem tempore nimirum anno à nato Chriſto LXXII. Gothos condidiſſe Pictos, non modò Johannes Gothus lib. V. hiſt. Svec. cap. II. ſed etiam Beda lib. I. Hiſt. Eccl. Angl. cap. I. teſtatur his verbis: *Te Peathe theod com af Scyttialand* i.e. *Pictorum gens è Scythia venit*; ubi auctor Notarum in Bedam per *Scythiam* accipi *Scandinaviam* (in quâ Gothia) obſervat.

De Galliâ à Wiſigothis direptâ Procopius lib. I. Hiſt. Goth. Certè Normandiæ (qvondam Neuſtriæ) nomen & origo à Normannis occupatæ & inſeſſæ, in confeſſo eſt; qvod refertur ad A. C. DCCC.

Gothi è Scandinavia in *Mauringiam* egresſi ſunt, teſte Paulo Warnefrid. lib. I. de geſt. Longobard. cap. XI. & XIII. Iſtam *Mauringiam* eſſe, qvam hodie *Möre* vocamus, in Smalandia regionem, Andr. Buræus in deſcriptione Sveciæ p. m. 52. ſtatuit. Inde eos in Longobardiam A. CCCLXXII. migraſſe volunt.

Qvantus fuerit Oſtrogothorum in *Italia* ſucceſſus & imperium, non ſolùm de Româ gentium victrice ab Alarico devictâ & occupatâ, ſed etiam ex populi illius fortuna & regimine ſub Theoderico usqve ad Tejam, cui ignotum? Præterqvam qvod in Italiâ nobilisſimi qviqve à Gothis genus ſuum ducunt.

Hiſpaniam qvomodo Wiſigothi vel *Weſtrogothi* occuparint, ſatis liqvet ex imperio & ſuccesſione regum iſtic Gothorum, ab Athanarico primo eorum rege. Idem teſtantur adhuc in Hiſpania *Campi Gothici*, priſcæ *Wiſigothorum* Leges iſtuc illatæ, & familiæ illuſtres, inter qvos adhuc eminent *Guzmanni*. Qvin ipſorum Hiſpaniæ Regum ſtirps magna ſui parte Gothica fuit, qvæ majorum ætate demum in Ferdinando Catholico, Caroli V. avo materno, exſpiravit.

Gothos qvoqve cum Svevis *Luſitaniam* & vicinas terras occupaſſe, & iſtic gentis ſuæ propaginem reliqviſſe, Jornandes & Iſidorus teſtantur. Ita *Catalonos* à Gothis & Alanis, gentis ſuæ auctoribus, deductum eunt.

In Thraciam, Daciam & Mæſiam, transmiſſo Danubio, Gothos olim qvoqve conceſſiſſe, ex hiſtoricis liqvet; item in Illyricum cum ſociis *Carpis*, qvi fuere Germani, Danubii accolæ, à monte Carpathe ita dicti, de qvibus Stiernhielm p. m. plura ſcripſit ad Verelium in Notis ejus ad Hervari hiſtoriam, cap. X. p. 120. Eosdem (Gothos) in Græciam, Macedoniam, Pontum & Aſiam expeditionem cum illis felicem feciſſe teſtatur Cluverius Germ.

Antiq.

Antiq.lib.III.cap.XLIII. De priſcorum Oſtrogothorum in Phrygia præſidiis militaribus Claudianus lib.II.in Eutrop.

Oſtrogothis colitur mixtisqve Gothunnis
Phryx ager.

Ad Tauricam Cherſoneſum conſidere adhuc ſuperſtites ex Gothis, oculatus & auritus teſtis fuit Busbeqvius Epiſt.IV. Legationis Turcicæ; qvod ibidem ex moribus & lingva eorum probatum ivit.

Seculo nono *Curos* (Curlandos) à Svecis ſubactos eſſe, teſtantur Rembertus & Gvaldo in vita Anſcharii.

Qvomodo olim Gothi Sveonesqve Ruſſos armis perſecuti & victoriis potiti, aliqvamdiu Ruſſiæ imperium tenuerint, habes apud Joh. Magnum lib.V.cap.XIV.lib.VII. cap.XXVI.lib.VIII. cap. XXXVIII.

Qvàm variâ fortunâ veteres Sveones cum vicinis Danis & Norvegis bella geſſerint, habes in vita Olai Skotkonung, Suibdageri, Uffonis, Hothebrodi, Hotheri, Haldani Bergram &c.

Finnoniæ Ducatus ſub S.Erico regno Sveciæ per arma acceſſit, Tavaſtia ſub Birgero Jerl, Carelia ſub Birgero Magni; Eſthonia ſub Erico XIV.

Noſtrâ ætate ſub Regibus GUSTAVO Magno, CHRISTINA, CAROLO GUSTAVO & CAROLO, Sveones, veluti revolutis armorum & virtutis vicibus, cum potentiſſimis Europæ Principibus diverſa & ardua bella geſſerunt, nonnunqvam cum duobus, tribus aut pluribus ſimul; & tamen cum fructu tot ſubjectarum provinciarum in Germaniâ, Livoniâ & Scandiâ. Easdem provincias optata Pax comitata eſt, qvam DEUS nobis propriam & perpetuam eſſe velit.

SOLI DEO GLORIA!

FINIS.

IN ANTIQVITATES SVEO-GOTHICAS INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

ABuſus rei. 73
Acies & prælia veterum Sveogothorum & hodierna. 126.*ſqq.*
Acus magnetica index latentium metallorum. 83
Acutè dicta, adagia, apologi, ænigmata veterum expoſita. 75.*ſq.*
Adelruna, *Alrunæ*, mandragoræ cognomen unde. 71
Adulterii pœna priſca. 110
Ærarium regni ſubterraneum. 81
Aggeres vivi qvinam fuerint. 128
Agnus & *Draco*, inſignia veterum Gothorum in pace & bello qvid ſignent. 121
Agriculturæ in Svecia initia & progreſſus. 88.*ſeq.* Agrorum menſuratio & qvalitas. 89. 90. Agricolæ hîc qvotuplex. 91. horum ingenia, tributa, angariæ. *ibid.* adhibiti ad comitia. 53. Ex agro miles optimus. 117. Vid. inf. *Milites.*
Albertus Stadenſis notatur. 29
Aleæ luſus lege determinatus. 104
Allſalu qvid. 114
Alruna, mandragoræ radix. 71
Amalaſventhæ judicium de bonarum literarum ſtudio & uſu. 74
Amazones. 119
Amici Regis Senatores regni; eorum officium. 65
Amictus veterum Sveonum. 93
Amiralis nomen unde. 65
Anni computatio vetus. 18
Anſcharius primus verbi divini præco in Svecia. 17
Arborum qvarundam ſanctimonia. 15.16
Arces & caſtella propugnandi priſcus modus. 127
Arcus veterum Gothorum. 120
Arff, Sagittæ 120. *hæreditati* inde nomen priſcis Gothis. *ibid.*
Argenti venæ ac fodinæ in Lulo. 83
Arietes, machinæ militares. 119
Arma promiſcuè geſtare, cur lege prohibitum. 118 119.
Arma unde Inſignibus Nobilium nomen dederint. 63
Armatura veterum Sveo-Gothorum. 118.*ſqq.*
Armamentarium Sveciæ. 121
Armigeri qvi. 124
Arra cur *Dei nummus* vocetur. 80

Artium

Artium ſordidarum neglectus cauſa olim in Svecia. 117
Aſa rex Judæorum. 15
Aſia. ex Aſia primùm Gothi. Eorum in Aſiam translatio belli. 138. *ſeq.*
Aſt amor, *Aſtera* Venus, *Aſtrild* Cupido. 24
Aſtus veterum in bello. 127
Attilæ domus lignea. 10
Auguſtus menſis qvomodo Svecis, qvomodo Germanis priſcis dictus ſit. 20
Auguſti Imp. lepor de Vettio. 114
Aula vitæ civilis & honeſtæ officina. 104. Aula veterum Sveonum. *ibid.* Aulicæ Leges. *ibid.*

B.

Bacchanalia in Svecia abrogata. 23. 104
Bacillus fortis. 43. Baculi Runici. 71. 72
Bardiſan unde dicatur. 120
Baronum etymon & dignitas. 62
Becmannus notatur. 119
Beda explicatur. 24
Bella & ſucceſſus veterum, & noſtri temporis Sveonum. 116. *ſqq.*
Belligerandi modus priſcus. 118. Aperto magis bello, qvam dolo pugnare maluiſſe. 127
Bertius notatur. 35
Bibere ſtantes in memoriam Principum & aliorum abſentium, etiam mortuorum, & ipſius Dei, mos vetus Gothorum, & qvo ſenſu; nec aliis aliqvot populis inuſitatus. 7. in nonnullis locis hodie in ingurgitationem eſſe factam. *ibid.* & 98
Bibliothecæ inſtructiſſimæ. 77
Biltog unde dicatur. 46
Bipennis. Vid ſup. *Bardiſan.*
Bochartus notatur. 93
Bodinus notatur. 78
Braccæ, & inde *braccati Gothi.* 8
Bragabeger, olim votivum poculum in electione Regis. 31
Bravellini campi. 8
Brudgum, *Brudkôp* &c. 106
Burggravii unde dicti. 61
Burgi veterum. 129

C.

Cantores virtutis & laudis majorũ æſtimati, & chari priſcis. 75
Cantor, citharædus, ludio, ſi ſcurriles eſſent, odio erãt priſcis Gothis. 101
Capillati olim Gothi. 8
Capitalia delicta olim mulctis redemta. 50
Carminum amatoriorum noxa. 99
Carmina de virtute militari ac togatâ, laude digna & fructuoſa. Vide inf. *Majorum.*
CAROLI X. Regis Edictum de verâ religione conſervanda. 17. CAROLI XI. Regis Edicta de Confeſſione Fidei. *ibid.*
Carpi qvi aliàs *Garpar* vel *Garpi*. 138
Caſtella & propugnacula veterũ. 127
Catapultæ. 119
Cathalonia à Gothis olim inſeſſa. 138
Centenarium Judicium qvale. 40
Cerviſia commune conviviorum nomen unde. 95
Cingulo militari exui, olim infamis pœna. 130
Circuitio regni vetus Regum. 32

Claves

Claves in feretro deponendi mos. 107
Clavis regni aurea qvod ſignet. 57
Cluverius notatur. 3
Clypei veteris forma. 119. Gladiis ad clypeos concrepare, ſignum olim ineundi prælii. 126. Clypeorum vallum vel teſtudo. 136. Clypei inſignia, Vid inf. *Inſignia*, item *Galea*.
Collegia commerciorum. 81. Montanorum. 84. Opificiorum. 100.
Collegia illicita, reipub. noxia. 101.
Colles, ſacrorum 14. judiciorum, 40, tumulorum loci apud priſcos. 112
Commercia veterum. 78
Comitia Svetica priſca & hodierna 52. Cur etiam ruſtici ad ea vocentur. 53
Comitum origo & dignitas. 61
Comitatus & Baronatus poſſeſſio hîc ſolis primogenitis propria eſt, titulo reliqvis fratribus comuni. 63
Conclamatio ad arma. 126
Conſtitutio vetus de ſucceſſione regni. 30
Conſvetudo, domina verborum. 69
Convivia veterum qvalia. 95
Copulatio ſponſorum eccleſiaſt. 108
Corona Regis qvid ſignet. 55. Tres Coronæ, vetus regni Sveciæ inſigne. 58
Coronationis ritus. 33
Cremationis defunctorũ ætas. 111. 112
Curi vel Curlandi olim à Svecis ſubacti. 139
Curſus veterum, decurſiones eqveſtres. 123. Excurſiones pedeſtres ad belli uſum. *ibid.*

D.

Annemann unde ſic dicatur. 109
Dei penu. 90. *Dei ſeram effringere* qvid ſignificarit priſcis. *ibid.*
Deſponſationis vetus ritus. 106
Dextræ dationis ritus & vis in contractibus priſcorum. 79
Diademata veterum. 55
Diana, Luna. 21
Dierum nomina. *ibid.*
Diſa. 22. *Diſenſes nundinæ.* 21
Diſciplina militaris vetus & hodierna. 129. *ſeqq.*
Divitiæ Gothorum olim in pecore & frugibus. 84
Domi deſides & ignavi qvali dicterio à priſcis notati ſint. 79
Doom vel *Doomkyrkia*, unde denominationem habeat. 11. 12
Domus ligneæ, lateritiæ, 10. optimũ domus decus qvodnam ſit, *ibid.*
Dona parentum ruri in filios filiasve recens nuptas conferri ſveta, 110. Donum matutinale ſponſi in ſponſam. 107
Dos moribus Sveticis ignota, & cur 107. Dotalitium. 108
Drotſeti nomen unde. 64. Eum perperam *Archidapiferum* hîc vocari. *ibid.*
Ducis (Hertogs) nomen unde. 61
Duellum, per illud olim probatio. 45. de ea judicium. 46. 47. Duelli lex vetus 47. Duellum etiam Turcis damnatum, *ibid.* vid. inf. *Turcæ*.
Dumbelvvika Svecis & Germanis *Stille Woche* unde dicatur. 26

E. Ele-

E.

ELectio Regum Sveciæ qvalis olim. 30. ſucceſſionis qvadam ſpecie fuiſſe temperatam. *ib.*
Elevatio ſponſi in nuptiis qvid ſignificet. 109
Eloqventiæ ſtudium veterum Gothorum. 75. Erico III. inde *Diſerti* cognomen. *ibid.*
Emporiorum privilegia. 79
Emptio veterum ejusqve ritus. 79. Symbola traditionis rei ab ipſis venditæ. 80
Eqveſtris ludi veterum & hodierni, 122. *ſqq.* qvi ab illis excludantur. 122. Eqveſtria exercitia hodierna 125. Eqveſtris dignitatis honor qvantus olim. 133. 134. Eqvi ignivomi qvi. 123
Ex S. Erici poſteris diu Reges. 30
Ericus Upſalienſis emendatur & explicatur. 28
Eruditionis laude præſtantes qvinam veterum Gothorum & Principum 77. Eruditionis hodierna æſtimatio. *ibid.*
Exercitia militaria veterum & hodierna. 122. *ſqq.*
Exercitus eqveſtris, pedeſtris, navalis delectus 117
Expugnandi arces & caſtella hoſtilia modi veterum, & defendendi ſua. 119, 127

F.

FAn priſcis domini, nunc diaboli nomen. 14
Faner, vexilla unde. 120
Fatuæ Harpaſtes, ſubitò cœcæ factæ, ſtolida imaginatio. 103
Fauni. 14. 16
Fæ pro pecuniâ. 84
Februarius unde Hornung Germanis dicatur. 19
Ferri igniti contrectati, ad probandam innocentiam ſuam, & olim conſecrati formula. 42
Feſtorum nomina 22. *ſqq.* Eorum recta celebratio. 25
Feudorum origo. 135
Finnones. 123. Skridfinni. *ibid.*
Finnonia & Carelia qvando acceſſerint Sveciæ. 139
Fodinæ metallicæ. 81. *ſeq.*
Fœderis obligatio univerſalis. 31
Formulæ elogiorum & vituperationis priſcis uſitatæ. 66
Freia qvæ. 13
Frugalitas veterum in victu & veſtitu. 92 95
Funerum ritus Sveonum veteres & hodierni. 111. *ſeqq.*
Funten, baptiſterium unde dicatur. 12
Furtivas res ſcrutandi modus antiqvus. 48. qvàm cautè nunc inſtituendus ſit. 50
Furum ſegetis pœna. 90
Fuſtuarium. 118. 130
Fyriswald prope veterem Upſaliam unde dicatur. 112

G.

GAlea ferrea, ænea 119. Unde ſint *galeæ perforatæ & criſtatæ* in Nobilium inſignibus. 136
In Galliam migratio olim Gothorum, & ſedes in Normandia. 138
Garpar unde. Vid. ſup. *Carpi.*

Gebelizin apud Herodotum qvid ſignificet. 6
Gellius explicatur. 49
Gepidæ unde ſic dicti. 6
In Germaniam & Saxoniam migratio veterum Gothorum. Nomina urbium à Gothis iſtic exſtructarum. 137
Getæ & Gothi iidem qvoad primam originem. 2. *ſeq.*
Gigantes in Svecia olim 113. gigantum ſepulchra. *ibid.*
Gille, Gilde, Gildonia, ſodalitia. 100
Gladius Regis inter Regalia, eſt nota meri imperii. 55.56
Gladius militaris priſcorum. 119
Globus aureus cum cruce ſuperimpoſita inter Regalia R. qvid ſignificet. 57
Gotha urbs Thuringiæ. 121
Gothorum origo. 1 *ſq.* opinio de immortalitate animarum. 6. eorundem ingenia, mores, habitus. 7. *ſqq* Romanorum fœderati. 30. Romæ victores. 138
Gothiſon. 7
Gothiſcanzia apud Jornandem, eadem cum Gothlandia. *ibid.*
Gran, Granraude. 8
Granaria publica, privata. 90
Gravii, Graviones, eorum denominatio. 61
In Græciam migratio Gothorum, qvinam excluſi hæreditate. 138
Grotius notatur. 92
Guſtavus Magnus regiæ dignitatis vindex 33. odit ingurgitationem. 98

H.

Hallebarda. 120
Helvetii, Svitzeri à Svecis oriundi. 137
Herbipolis Würtzburg unde ita vocetur. 92
Heersbannus. 130
Herbertus Eccleſiæ Lincopenſis fundator. 17
Herodotus explicatur. 6
Herſeri qvales. 62
Hiſpania à Gothis infeſſa. 138
Hiſtriones exoſi priſcis Gothis. 102. 103
Höflich, ab *aulâ* ſic facti. 104
Hortorum cultura vetus & hodierna apud Sveones. 91. 92
Hoſpitalitas veterum Gothorum. 99
Humanitas eorum erga devictos & ſupplices. 131. *ſeq.*

I.

Japhet, Japetus. 2
Jarli vel Jerli, Comites priſcis. 62
Idololatriæ veterum Gothorum, origo & progreſſus. 12
Ignavi & timidi qvibus dicteriis notati ſint à veteribus. 79
In Illyricum migratio Gothorū. 138
Incantatores & ſagæ. 71
Infamia juris & facti. 67
Ingellus II. regnum Sveciæ ſub unum caput, etſi dolo, redegit. 28.59
Inſignia regni Sveciæ. Vid. inf. *Regalia*
Inſignia Nobilium. 63. qvid ſignent, & moneant poſteros. 64. 115. Nobilium funeribus ea præferendi mos. *ibid.*

Intaphis apud Jornandem qvid ſignificet. 7
Jodut, vocis in conclamatione exercitus ad arma, & in verſione Bibliorũ Sveticâ, explicatio. 126.127
Jornandes emendatur & explicatur. 7.9
Iſidorus explicatur. 8
Italia à Gothis infeſſa. 138
Judicia ſuperiora & inferiora, eorum loca & proceſſus ap. priſcos. 38. *ſq.*
Jul vel *Jola* unde ſic Sveticè dicatur Feſtum Nativ. Chriſti. 22. *ſeq.*
Juniperus ſancta. 16
Junker unde ſic dicatur. 63
Jupiter Fagitalis. 14
Jusjurandum. ejus variæ ſpecies. 31. 37.44

K.

Keckermannus notatur. 29
Kieglskogh, unde ſic dicta ſilva in Sudermanniâ putetur. 113
Kirke, ædes ſacra, unde dici videatur. 11
Korn, granum de monetâ acceptum & qvare. 87
Kyndilmeſſa, Feſtum Purificationis Mariæ, unde Sveticè dictum. 26

L.

Labiorum mulcta. 51
Lanceæ in nuptiis Nobilium ejectionis ritus, principia & cauſæ. 108
Landgravii unde dicti. 62
Lappones. 83
Latrunculorum vel Scaccorum ludus. 124
Leges finitæ, negotia infinita. 37. Legibus deficientibus, qvò recurratur. *ibid.*
Legum Sveticarum neceſſitas, origo, vetuſtas, forma, diviſio, æqvitas, vigor, obligatio. 34. *ſeqq.* Qvomodo *Tituli* & *Capita* Legum & unde Sveticè dicantur. 36
Leo, Gothorum inſigne vetus. 58
Lex XII. Tabb. 48
Liebenthal notatur. 29
Liga in monetâ qvid. 87
Ligo & palus qvanto ſint uſui in bello. 128
Lindemannus notatur. 37
Lindebrogius notatur. 113
Lingvæ Sveo-Gothicæ origo, uſus, præſtantia, mutationis & commixtionis cujusdam cauſæ 5. 67. puritatis ejus reducendæ modi tentandi, 69. Johannis III. de ea re monitum. 68
Literarum ſtudia non obſtare armis. 74
Longobardi ex Mauringia profecti. 138. unde ſic dicti. 110
Lorica, *Brynia*, item *Muſu.* 119
Luci apud gentiles olim ſacri & incidui. 14.15
Luctationes veterum ad uſum præliorum qvales. 123
Ludicram artem, præſertim mixtam ſcurrilibus nugis exercere, olim infame. 101. Ludiones. 10. *ſq.*
Ludi eqveſtres 122. pedeſtres. 123
Luſitania à Gothis infeſſa. 138
Luxus in cultu corporis. 94
Lycanthropia. 72. qvid de eâ ſentiendum. *ibid.*

M.

Macedonia, in eam migratio veterum Gothorum. 138
Magica ars, olim impedimentum propagandæ veræ religionis. 12
Magog. 2
Majorum geſta & laudes in conviviis decantare, mos vetus Gothorum, 75. 98. imitatione dignus. 99
Markgravii unde dicti. 62
Marſchus regni unde ſic dictus, & Mareſcallus. 64
Mars Sylvanus. 14
In Meklaburgum olim migratio Sveonum. 137
Menſium Sveogoth. nomina. 19. *ſeq.*
Mercatura majorum. 78
Metalli fodinarum vetuſtas, ubertas, cultus, fructus, non una privilegia & ſtatuta de illis. 81. *ſqq.*
Migratio veterum Gothorum in varias orbis plagas. 2. *ſeqq.* 137. *ſeq.*
Militiæ ſtudium priſcis & hodiernis. 116. *ſeq.*
Militum ex agro conſcriptio & delectus, ejusq; rei utilitas. 117. 119 Milites ſubſidiarii. 118. Miles inexercitatus ſemper eſt tyro. 122. Rex CAROLUS XI. exemplo ſuo præit exercitui ad exercitia militaria terrâ mariqve. 123
Mimi, hiſtriones & voluptatum opifices exoſi priſcis Gothis. 101. 102
Minerarum latentium ſigna & indicia. 83
Moneta vetus Sveonum Gothorumqve. 84. 85. ejus partes ac ſpecies, & æſtimatio. *ibid.* Fructus monetæ ejusdem conſtanter retentæ. 86 mutatio & cauſæ ejus. *ibid.* Moneta *legalis* & *mercatoria* qvæ *ibid.* De moneta Conſtitutiones Regiæ. 87. 88
Montanorum Collegium. 84.
Mulctæ in Legibus Svecanis qvare tripartitæ. 50

N.

Neccus, Neptunus. 13. Vulgi de eo Superſtitio. *ibid.*
Nemda unde appellata. 39
Noachidarum colonia. 111. 2. 12
Nobilitatis Sveticæ origo, gradus, diſtinctio vel differentia, & inſignia, 63. qvid hæc ſignent & moneant poſteros. 63. 64
Nobilitatis honor etiam in exercitiis eqveſtribus obſervatur. 122
Normandia à Normannis & Gothis ſic dicta. 138
Nox cur in Legibus Sveticis ſæpe pro die naturali accipiatur. 18. 19
Nundinarum publicatio & modus. 81
Nundinæ Diſenſes. 21
Nuptiarum Sveticarum ritus veteres & hodierni. 105. *ſeqq.*
Nuptiales collectæ. 109

O.

Contra Obſeſſores & obſeſſos defenſionis & oppugnationis modi veteribus. 119. 127
Oden, Odinus. 13
Olaus Skotkonung primus uſus eſt nomine vel titulo Sveonum Regis 59
Optimatum vel Judicum imperium in Svecia aliqvandiu. 28

Ordalium

Ordalium. 41
Oſtrogothi. 138. Succeſſus & imperium illorum in Italia. *ibid.*
Oſtrus etiã mortui fidus amicus. 132
Oſtern, Paſchale feſtum unde Germanis ita dicatur. 24
Otioſi & vagabundi in Sveciâ non feruntur. 117

P.

PAcis publicæ indictio ad feſtos dies. 25
Palinodia veterum. 51
Paltzgraviorum etymon. 61
Pecuaria veterum. 84
Pedeſtres ludi inter exercitia militaria. 123
Peltæ Amazonicæ. 119
Permutatio veterum Sveo-gothorum in contractibus. 79
In Phrygiam migrario veterum Gothorum. 139
Picti à priſcis Gothis orti. 138
Pocula veterum ex acere, 95. ex bubalorum cornibus. 96. ex hoſtis cæſi cranio. *ibid.* Poculum votivum veterum regum. 97
Pœnæ reſpondebunt delictis. 50. pœnæ militares veterum. 130
Poëtæ veteres Gothorum. vid. inf. *Scaldi.*
In Pomeraniam migratio qvondam Sveonum. 137
Pomum regni inter Regalia qvid ſignet. 57
Pontanus notatur. 3. 4. 5.
Prælandi modus vetuſtus. 126
Præmia virtutis militaris. 133. *ſq.*
Principis nomen & dignitatem ſignare, ut qvantum aliis honore, tantum virtute præſtet. 60
Privilegia mercatorum priſca qvo ſine à Regibus data. 79
Probationes veterum per candens ferrum, aqvam, duellum, effluxum ſangvinis ex defuncti cadavere, per ſortem, cribri aut clavis circumvolutionem, panis certis verbis devoti aut caſei eſum, qvàm incertæ & ſuperſtitioſæ fuerint. 41. *ſeqq.*
Probationis rei emtæ tempus Freſtmark Sveticè. 80
Proverbiorum evidens uſus. 76
Provinciæ Uplandicæ præfecti primus ordo & locus inter reliqvos præfectos ab omni memoria. 54
Proxenetæ, & eorum uſus. 80
Pugnarum ſimulacra inter exercitia militaria. 123
Purgatio caronica. 44

Q.

QVætta, mons in Oſtrogothiâ unde dictus videatur. 129
Qvintum, qvale in Oſtrogothiâ judicium. 39

R.

RAn, unde *Ranſon*, redemtionis pretium. 133
Raptus virginum olim haud infamis. 105
Ravenna urbs olim lignea. 10
Regalia regni Sveciæ qvid ſignent. 54. *ſeq.*
Regiminis Forma vim legis habet.
Regum Sveciæ diverſa nomina, eorundem tituli. 59. 60. Eorum arbitrium

trium olim pro lege 28. Nimia qvorundam imperantium vis ac dominatio qvomodo legibus tem perata ſit. *ibid.* Regum Upſaliæ prima auctoritas 29. Regum tumuli. 112
Regnum Sveciæ nunqvam Imperio Romano ſubjectum fuiſſe. 29.30
Regnum hæreditarium qvaſi immortale eſſe. 30
Religionis inſtauratio in Svecia. 17
Rhenones Lapponici unde ſic dicti. 93
Rhenonum pelles veſtitus vett. Sveonum. 93
Rittershuſius notatur. 6
Roma à Gothis occupata. 138
Rondella pro clypeo rotundo Hiſpanis & Italis. 119
Runæ, veteres literæ Gothicæ, 70. unde ita appellatæ. 71. Runici Scipiones *ibid.* Runzabel. 72. Runarum abrogatio præpoſtera. 73
In Ruſſiam migratio Gothorum. 138

S.

SAgittæ. 120. earum diverſa nomina Svetica. *ibid.* Sagittandi periti veteres Gothi. *ibid.*
Salmaſius notatur. 8
In Sarmatiam migratio Gothorũ. 138
Saturnalia. 23
Satyri, Sileni, vera dæmonum ludibria. 16
Savaro notatur. 93
Saxa ignominiæ. 110
Scaccorum ludus. 124. De ejus origine, exercitio & uſu præparatorio ad prælium. 124. 125
Scaala, patera. 96. *bibere pateram* unde ſic dicatur. *ibid.*
Scaldi, veteres *Poëtæ Gothici.* 74. Reges in caſtra ſeqvebantur, oculati geſtorum teſtes & decantatores. 75. Carmina eorum involucro qvodam verborum tecta & ingenioſa. *ibid.*
Scandiæ amplitudo & ambitus. 9
Sceptra veterum qvalia. 56
Sceptrum qvid ſignet. *ibid.*
Scheningia. 110
Scoti ex Gothis. 137. *ſq.*
Securis militaris, *Polyxe.* 119
September cur Herbſtmonat Germanis dicatur. 20
Skridfinni. Vid. ſup. *Finnones.*
Skroot in monetâ qvid ſignet. 87
Scurrarum & ſcurrilium odium in veteribus Gothis. 102. 103
Scytharum origo & progreſſus. 2
Sepeliendi humi mortuos ritus antiqviſſimus. 111. *ſeq.* In templis ſepeliendi defunctos ritus qvando cæperit. 115. Sepulchrorum campi hæreditarii & colles qvàm chari & religioſi veteribus fuerint. 114
Sigfridus ex Britannia in Sveciam evocatus ad convertendum paganos. 17
Signa & vexilla veterum. 120
Sodalitia veterum, *Gilde* non ſolùm in urbibus, ſed etiam ruri olim fuere. 100. Sublato abuſu, uſus eorum emporiis reſtitutus. *ibid.*

Soleæ

Soleæ ligneæ & ferratæ. 123. earum uſus in bello contra hoſtem in nive obhærentem. 124. adverſus murices ferreas ab hoſte clam defoſſos. *ibid.*
Solis comparatio cum rotâ. 25
Solſtitium unde *Starbrak* Uplandis dicatur. 20
Sponſaliorum veterum & hodiernorum ritus in Svecia. 105. *Coëmtionis* in iisdem ritus. 106. Sponſi elevationis ritus. 109. Sponſæ deductio domum. 110
Stab, ſcipio, ſignum olim jurisdictionis civilis,& militaris, ut & hodie. 56
Stallare qvi priſcis fuerint. 65
Standard, ſignum ſtatarium majus unde dicatur. 120
Sterlingus. 85
Strabo explicatur. 6
Studia veteris & noſtri ævi in Sveciâ 74.*ſqq.*
Stulti ad qvid proſint prudentibus. 103
Sveones, Sviones, Svedi. Eorum origo & etymon. 8.*ſqq.* Regum Sveciæ vetus & continuum imperium. 28. Electionis eorum veteris ritus. 31. Eorundem titulus & poteſtas. 59. Succeſſionis jus. 30.32
Succeſſus eorundem noſtrâ ætate in Ingermannia, Germania, Scania, Livoniâ. 138
Svenner qvi. 134
Svetonius explicatur. 7
Svvidia. Svedia. 9. Inde *Svethiodi* apud Jornandem. *ibid.*
Superſtitio veterum varia. 12
Syndag, dies Solis unde. 21

T.

TAbacci uſus. 95. Senis & cœci ruſtici de eo judicium. *ibid.*
Tacitus explicatur. 28.119.112
Tanfanæ etymon & templum. 14
Taurica Cherſoneſus, ſedes olim Gothorum. 138
Templa veterum paganorum. 12.*ſeq.*
Temperantiæ fructus, intemperantiæ mala. 95
Temporis, dierum & menſium apud priſcos computatio. 18.*ſeqq.*
Theodericus rex Gothorum. 138
Thing qvotuplicis ſignificationis. 38
Therberga, virago. 127
Thor, Thurra. 12
Thracia. 5. migratio Gothorum in Thraciam. *ibid.*3
Thule. 9
Tituli minores olim, majori virtute. 134
Torneamenta veterum & hodierna. 138
Tributarii reges. 29
Tumulorum veterum ſimplicitas. 112
Tuna pro aula. 104
Turcæ ſaniores duellum deteſtantur. 47

V.

VAletudo conſtantior ex ſimplici vel modico cibo & potu. 95
Vaſa veterum Gothorum & hodierna. *ibid. & ſeqq.*
Veltæ priſcis qvales in bello. 128
Veſtitus veterum ex materiâ domi natâ vel elaboratâ. 93. Veſtitus hodier-

hodiernus. 94. Veſtitus aulici conſvetudo. ibid.
Vettius exarans patris ſepulchrum, 114. *coluit* ut agrum, non *coluit* ut inviolabile ſepulchrum. *ibid.*
Vexilla veterum. Vid. ſup. *Signa*, item *Agnus & Draco.*
Victoriæ moderatio, & ejus fructus. 131
Vineæ veterum in expugnatione murorum. 128
Virgæ principum Iſraëlis qvid ſignarint. 56
Virgula colurna furcata index metallorum humi latentium. 83
Virorum & *virilium factorum* nomen honoratum, *non virorum* probroſum majoribus & poſteris. 117
Virtutis militaris præmia. 133. *ſeqq.*
Ulleri ager. 129
De Ulfila judicium. 70
Unio in religione. 33. Unio hæreditaria regni Sveciæ. 32
Gerh. Voſſius notatur. 70. 93. 119
Uplandia. 10. Upſalia. *ibid.* Upſalienſe Concilium. 13. Upſaliæ Reges. 28. 59
Urbes mediterraneæ. 10. Primariæ Sveciæ urbes. *ibid.* Urbes olim ligneæ. *ibid.* præcipuum earum ornamentum. *ibid.* Urbium oppugnatio, munitio, & defenſio vetus. 127
Urnæ veterum. 111
Urorum cornua pro poculis. 96

W.

Waknbus unde ſic dictum. 119
Wal. Walbrun. Walruſ. Walaraupa. 112. 113
Warph qvid. 138
Weihenacht unde Germanis Feſtum Nativitatis Chriſti dicatur. 14
Weichbild unde dicatur Jus Saxonicum. 45
Wendi, Wandali Regum Sveciæ titulus etiam ab illis. 60
Weſtrogothi, Wiſigothi iidem. 8. Eorum in Hiſpania ſucceſſus, ſedes, familiæ. 138
Wisbyenſis Bibliotheca vetus. 77
Würtzburg unde *Herbipolis* dicatur. 92

Z.

Zamolxes. 6
Zabel, diabolus. 72

546

wL
T/o